

EX·BIBLIOTHECA · CARM ·
· DISC · CONV · LUGD ·

COMMENTARIORVM

PETRI FONSECÆ LVSITANI, DOCTORIS THEOLOGI SOCIETATIS IESV,

In Metaphysicorum Aristotelis Stagiritæ Libros,

TOMVS TERTIVS.

CONTINET HIC TOMVS VI. VII. VIII. ET IX. Lib. Explicationem.

NVNC A MENDIS QVAMPLVRIMIS, QVÆ PRÆCEDENTIBVS editionibus irrepserant, summo labore purgatus, & in Germania elegantioribus typis, in gratiam studii Philosophici, quiq; omnium iam votis diu desideratus est, editus.

ACCESSERVNT INDICES CAPITVM, RERVM ET Materiarum multo quam antehac locupletiores.



Cum Gratia & Priuilegio Cæsareæ Majestatis, & permissu Societatis.

COLONIÆ,

SVMPTIBVS LAZARI ZETZNERI BIBLIOPOLÆ.

Anno, M. DC. XV.

ELENCHVS CAPITVM, QVÆSTIONVM, SECTIONVMQVE HVIVS TOMI VI. scilicet VII. VIII. & IX. lib. Metaphysicorum Aristotelis amplissimus.

Lib. I. Cap. I.

Cap. II.

(:) 2 Ex

CAP.

CAP. XII.

CAP. XIII.

CAP. XIV.

CAP. XV.

CAP. XVI.

CAP. XVII.

LIB. VIII. CAP. I.

CAP. II.

CAP. III.

Partis

Veriuss

CAP. III.

CAP. IV.

CAP. V.

CAP. VI.

CAP. VII.

CAP. VIII.

CAP. IX.

CAP. X.

CAP. XI.

CAP. XII.

FINIS.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO ALFONSO Castelbranco, Conimbricensi Episcopo, Comiti Arganilensi.

INSTITVTI *mei ratio, Præsul illustrißime, iam inde à principio huius operis, in quo de confiniis Philosophiæ, & sacræ Theologiæ disseritur, ea fuit: vt vtriusq; scholæ cultoribus vsui esse posset. Neq; enim hasce lucubrationes meas, quasi scholastico penso prælegendas, sed veluti subsidiarias ad vtriusq; disciplinæ studia promouenda conscribere aggressus sum. Hac de causa non me satis officio meo facturum credebam, si philosophicas tantum quæstiones explicarem, nisi etiam quæ contra diuinæ scientiæ dogmata Ethnici Philosophi falso commenti sunt, pro re & loco refellerem, simulq; palam facerem, nusquam religionis Christianæ mysteria, quæ diuino nobis beneficio, & magisterio innotuerunt, veræ, sanæque Philosophiæ sententiis aduersari. Quæ, etsi leuiori opera in duobus primis voluminibus, vt res ipsæ ferebant, executus sum, multo tamen crebrius & impensius in duobus alteris (tot enim supererant) mihi faciendum erat, id nimirum flagitante, ac pene cogente rerum tractandarum materia. Itaq; Tertius hic fœtura huius partus, ab aliis negotiis, quibus nescio quo fato vita semper mea obnoxia fuit: diu coercitus nunc primum aspicit lucem, dum extremus, qui magna iam sui parte formatus legitimū complementum expectat, voto me laxius exoluet. Is enim supernæ illius æternæq; regionis, & beatarum mentium, quæ illam incolunt, summi præsertim boni Dei Opt. & Max. totius vniuersitatis authoris contemplationē affatim suppeditabit: æquum est enim, vt non minus affecta, quam deuexa ætas mea, in talium cogitationum, vel otio, vel negotio placidius conquiescat. Non audet se tamen tertius hic in publicum dare, nisi sub Ecclesiastica hoc*

est naturæ suæ congruente tutela, quamuis sciat germanos olim suos regio sub nomine, cui honestis de caussis dicandi fuerunt, in lucem prodijsse. Nec vero diutius mihi cunctandum, aut disquirendum fuit, quemnam potissimum tantis ac talibus patronis in eo nuncupando subrogarem. Tui enim generis splendor, tui acies ingenij, tua colendæ sapientiæ assiduitas, Patrũque legendorum studium, & obseruatio animum complebat meum, vt apud alium, hanc quasi prolem concredere nec debere me, nec vero posse arbitrarer: cum præsertim iam olim præclaræ indoli tuæ si minus commodare, obsequi certe, & inseruire sedulo conatus fuerim: ac minime sim dubius, quin singularis ista modestia, pietas & humanitas hæc nostra scripta legens, partem aliquam sementis agnoscat, quam in tam benigno, & opimo agro aliquando feci. Quanquam momentum longe maius sponte sua in hanc partem meum inclinantem animum, prorsus impulit tua in nostrum ordinem beneuolentia mihi sæpius inspecta, nec dubiis etiam argumentis deprehensa & explorata: quæ sane grauiora sunt, quam vt tam leui gratitudinis testimonio aliquatenus rependi à me possint. Quare meæ partes erunt tantæ benignitati tuæ beneuolentiæque, beneuolum ac benignum per omnia Dei numen precari, vt diuina in te collata beneficia magno cum virtutum omnium, ac meritorum fœnore, & in diuinæ gloriæ laudem, & in plurimorum æternam salutem exuberent.

Vale. Conimbricæ IV. Idus Julij anni Domini 1597.

Censuræ

Censura operis:

PErlegi hos commentarios R. P. Doctoris Petri Fonsecæ Societatis Iesv in sextum librum Metaphysicorum Aristotelis. Nihil in eis reperi catholicæ fidei, aut bonis moribus repugnans, sed cuncta potius singulari quadam doctrina, & exquisita eruditione referta. Quapropter dignissimos censeo, qui typis mandentur. Datum Serpæ Idibus Decembris, Anno Domini 1599.

O Bispo de Lamego.

REcognovi hos commentarios admodum Reuerendi Patris, & Doctoris doctissimi Petri Fonsecæ Societatis Iesv in septimum, octauum, & nonum librum Metaphysicorum Aristotelis, nihil in eis reperi catholicæ fidei, aut bonis moribus repugnans, sed cuncta potius multa cum diligentia, & exquisita eruditione discussa. Itaque dignissimos censeo, qui in publicam vtilitatem typis mandentur. Olisipone in domo S. Rochi, 23. Decembris. anno Domini 1600.

Petrus Paulus Ferrer.

Facultas supremi Inquisitionis concilij.

Possunt excudi hi commentarij Olisipone. 3. Ianuarij 1601.

Marcos Teyxeira. Bertolamenda Fonseca. Ruy Piretz da Veiga.

Facultas Archiepiscopi Eberensis.

Excudi possunt hi cõmentarij Eboræ in domo D. Antonij. 16. Ian. 1601.

Arc. de Euora.

Facultas Regii senatus.

Excudi possunt hi commentarij. Olisipone. 7. Augusti. 1602.

D. Daguiar Fonseca.

Facultas Prouincialis in prouincia Lusitania.

EGo Christophorus à Gouuea Societatis IESV in prouincia Lusitana Prouincialis, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Claudio Aquauiua Præposito nostro Generali, facultatem concedo, vt tertius tomus commentariorum in Metaphysic. Aristotelis compositus à patre D. Petro Fonseca nostræ Societatis, & grauium doctorumque hominum eiusdem Societatis iudicio approbatus, typis excudatur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus. Eboræ *11*. die Ianuarij, Anno 1600.

Christophorus à Gouuea.

COMMEN-

COMMENTARII PETRI FONSECÆ SOCIETATIS IESV,

IN SEXTVM LIBRVM METAPHYSICORVM ARISTOTELIS.

Procœmium.

QVONIAM *Aristoteles docuit lib. 4. quibus in rebus versetur hæc scientia; in quinto autem earundem rerum multiplicitatem distinxit; rationi consentaneum est, vt antequam de his agere incipiat (quod faciet lib. 7.) modum tradat, quo illa à primo Philosopho tractandæ sint, illaque à præcipua huius scientiæ consideratione reijciat, quæ in ea obiter, & quasi per transennam explicari debent. Neque enim distinctio scientiarum tam sumitur ex distinctione rerum, quam ex tractationis modo: præsertim cum sæpe diuersæ scientiæ in eisdem rebus versentur. Hæc igitur præstat duabus disputationibus huius libri, quæ totidem capitibus continentur. Tradit enim in priori modum, quo primo Philosopho agendum est de ente, eiusque principiis, partibus, subiectis, & affectionibus: in posteriori autem reiicit ab eius consideratione entia per accidens, & entia rationis; non quod ab illo cognosci non debeant, sed ne quis credat teneri illum ad ea per se tractanda.*

Ἀριστοτέλους τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ τὸ Ε.

ΚΕΦ. Α.

Αἱ a ἀρχαὶ καὶ τὰ αἴτια ζητεῖται τῶν ὄντων: δῆλον δὲ ὅτι ᾗ ὄντα. ἔστι γάρ τι αἴτιον ὑγιείας καὶ εὐεξίας: καὶ τῶν μαθηματικῶν εἰσιν ἀρχαὶ καὶ στοιχεῖα καὶ αἴτια: καὶ ὅλως δὲ πᾶσα ἐπιστήμη b διανοητικὴ, ἢ καὶ μετέχουσά τι διανοίας, περὶ αἰτίας καὶ ἀρχάς ἐστιν, ἢ c ἀκριβεστέρας, ἢ ἁπλουστέρας.

Aristotelis Metaphysicorum lib. VI.

CAPVT PRIMVM.

ENTIVM a *principia & causæ quæruntur: neque obscurum est, quin ea ratione, qua entia sunt. Est enim causa aliqua sanitatis, & bonæ habitudinis: sunt etiam rerum mathematicarum principia, & elementa, & causæ: atque omnino omnis scientia, quæ* b *aut intellectiua est, aut aliquatenus intelligentiam participat, circa causas & principia, aut* c *accuratiora, aut simpli-*

EXPLANATIO CAPITIS PRIMI.

E*NTIVM* a *principia.*] Vt proprium primi Philosophi considerationis modum tradat, illud primum repetit; quod dixerat initio libri 4. cæteras scientias de certo aliquo entium genere disserere, eiusque, quatenus tale est, principia, causas, & affectiones inquirere; primam vero Philosophiam de iis agere, quæ ab illis prætermittuntur, de ente nimirum in commune, deque eius, quatenus ens est, principiis, causis, & affectionibus. *Solā primā Philosophiā agere de ente, vt ens est.*

b *Quæ aut intellectiua*] Intellectiuas scientias vocat eas, quæ non versantur in actione, aut effectione, sed in sola cognitione, quas inferius appellat contemplatiuas. Nomine autem earum, quæ participant intelligentiam, intelligit actiuas, & effectiuas. Nam etsi hæ non tantum in actione, aut effectione, sed etiam in cognitione versantur; præcipue tamen ad actionem, aut effectionem referuntur, quemadmodum & ipsa earum cognitio. Cæterum inter eas magis participant intelligentiam actiuæ, quam effectiuæ; subalternantes magis, quam subalternatæ. Actiuæ enim præcipue in actibus interioribus, effectiuæ in exterioribus versantur; subalter- *Quænam scientia dicātur participare intelligentiam.*

 nantes

c.10.text.50. Text. 1. nantes intelligunt propter quid res sit: subalternatæ an res sit duntaxat, vt ex lib. 1. Post. perspicuum est.

c *Aut accuratiora.*] Accuratiora principia vocat ea, quæ firmiora sunt, seu quæ maiorem vim afferunt in demonstrando simpliciora, quæ non admodum vrgent.

d *Nec de ipso, quid est.*] Parem rationem esse docet in tractatione quiditatis, atque in explicatione entis: æque enim late patet quiditas atque ens; quin etiam ens ab essentia, seu quiditate dicitur. Itaque si sola hæc scientia de ente differit, quatenus ens est, necessario efficitur, vt ad eam solam pertineat agere de essentia, & quiditate rerum, quatenus quiditas est. Quo

ρας. ἀλλὰ πᾶσαι αὗται περὶ ἕν τι, καὶ γένος τι περιγραψάμεναι, περὶ τούτου πραγματεύονται: ἀλλ' οὐχὶ περὶ ὄντος ἁπλῶς, οὐδὲ ᾗ ὄν, οὐδὲ τοῦ d τί ἐστιν οὐθένα λόγον ποιοῦνται: ἀλλ' ἐκ τούτου, αἱ μὲν αἰσθήσει ποιήσασαι αὐτὸ δῆλον, αἱ δ' ὑπόθεσιν λαβοῦσαι τὸ τί ἐστιν, οὕτω τὰ καθ' αὑτὰ ὑπάρχοντα τῷ γένει περὶ ὅ εἰσιν, ἀποδεικνύουσιν ἢ ἀναγκαιότερον, ἢ μαλακώτερον. διόπερ e φανερὸν ὅτι οὐκ ἔστιν ἀπόδειξις οὐσίας, οὐδὲ τοῦ τί ἐστιν ἐκ τῆς τοιαύτης ἐπαγωγῆς, ἀλλά f τις ἄλλος τρόπος τῆς δηλώσεως. ὁμοίως g δὲ οὐδ' εἰ ἔστιν ἢ μή ἐστι τὸ γένος, περὶ ὃ πραγματεύονται, οὐδὲν λέγουσι, διὰ τὸ τῆς αὐτῆς εἶναι διανοίας, τὸ, τί ἐστι δῆλον ποιεῖν, καὶ εἰ ἔστι τοῦτο. ἐπεὶ δὲ h καὶ ἡ φυσικὴ ἐπιστήμη τυγχάνει οὖσα περὶ γένος τι τοῦ ὄντος (περὶ γὰρ τὴν τοιαύτην ἐστὶν οὐσίαν, ἐν ᾗ ἡ ἀρ-

simpliciora versatur. Verum hæ omnes circa vnum aliquid occupatæ, certumque genus circumscribentes, de eo disserunt: non de ente simpliciter, nec quatenus ens est, nec d *de ipso quid est vlla ratione agunt; sed ex eo, cum alia quidem illud per sensum perspicuum fecerunt; alia vero ex suppositione acceperunt ea, quæ per se proprio generi insunt, aut firmius, aut mollius demonstrant. Vnde* e *patet ex huiusmodi inductione neque substantiæ rei, neque ipsius quid est vllam esse demonstrationem, sed* f *aliquem alium declarationis modum. Eodem* g *pacto neque de ea quæstione, sit ne, an non sit genus, in quo versantur, vllo modo disputant: eo quod eiusdem sit intelligentiæ, quid res sit, & an sit, ostendere.*

h *Cum autem & naturalis scientia in quodam entis genere versetur (agit enim de ea substantia, in qua principium proprii motus, & quie-*

Quo pacto sit propriũ Metaphysici agere de rerũ quiditate. loco aduerte Metaphysici proprium esse non solum agere de quiditate, quatenus quiditas est, sed etiam de specialibus rerum quiditatibus, quatenus sunt quiditates. Nulla enim particularis scientia ostendere potest per sua principia id, quod assumit, vt quiditatem rei, de qua agit, esse quiditatem illius: quandoquidem solus primus Philosophus docet, quo pacto se habeat quiditas ad rem, cuius est quiditas, & ad cætera, quæ de re dicuntur. Ita fit, vt particulares scientiæ non demonstrent, quid res sit; sed aliæ ex quiditate rei per sensum, seu à posteriori declarata, vt naturalis Philosophia ex definitione materiæ, quam ex motu colligit; aliæ ex quiditate rei initio supposita, & ab alia superiori scientia desumpta (*veluti Geometria ex definitione puncti, aut lineæ, quam accipit à Naturali*) proprias illius affectiones aut leuioribus, aut firmioribus demonstrationibus ostendunt: firmioribus, vt Arithmetica, & Geometria; leuioribus, minusque firmis, vt Astrologia, Physica, & Medicina.

e *Vnde patet.*] Inductione facta non ostendit Aristoteles substantiæ, siue quiditatis rei, quatenus quiditas est, nullam esse demonstrationem, sed quiditatem, quatenus quiditas est, nullo modo demonstrari in particularibus scientiis.

f *Sed aliquem alium.*] Modus declarandi, siue ostendendi, num id, quod proponitur vt quiditas alicuius rei, sit eius quiditas; aut definitio, quæ affertur vt essentialis, sit reuera essentialis, partim iam dictum est, qualis sit in particularibus scientiis (*est enim modus declarandi per sensum, siue ab effectibus nobis notioribus, aut per suppositionem, hoc est, authoritate superioris scientiæ*) partim di-

à cap. 10. & text. 33. cetur lib. 7. vbi Aristoteles docebit, definitionem, quiditatemque rei, vt talis est, sola diuisione à priori colligi: quod idem docuerat posteriori lib. de posteriori resolutione.

cap. 16. à tex. 22. g *Eodem pacto.*] Parem quoque rationem esse ait de existentia rerum, atque de earum quiditate. Et merito quidem: nam late enim patet existentia, quam essentia, cum omnia & sola ea, quæ

Æque late patent existẽtia & essentia. veram essentiam habent, veram siue realem habeant existentiam. Aristoteles alia ratione vtitur: Quia eiusdem (inquit) intelligentiæ est, hoc est, quia ad eandem facultatem pertinet, ostendere rem esse, & quid res sit: quod vtique proprie & à priori soli primo Philosopho conuenit; præsertim cum determinatio quæstionis, *An est*, antecedat determinationem quæstionis, *Quid est*, vt secundo libro de posteriori resolutione traditur.

Initio cap. 1. h *Cum autem & naturalis.*] Iam docet, quonam modo primus Philosophus agat de ente, & eius principiis, causis, & affectionibus: id quod facit ostendens primum, naturalem Philosophiam, quæ apud veteres prima Philosophia credebatur, esse contemplatiuam, hoc est, solius

cogni-

cognitionis causa de rebus differentem. Hinc enim perspicuum relinquitur, primam Philosophiam, si superior est naturali, potiori ratione contemplatiuam esse: sunt enim contemplatiuæ actiuis, & effectiuis nobiliores, vt ipse inferius docebit, iamque docuerat *primo libro, capite 2*. *hoc ca. tex. 2.* Quod igitur naturalis Philosophia sit contemplatiua, ex eo probat Aristoteles, quia Naturalis agit de rebus habentibus in se principium sui motus, & quietis, vt de homine, & de lapide; actiuæ autem, & effectiuæ (*quæ etiam sæpe Græco actiuarum nomine appellantur practicæ*) non item.

Naturalem Philosophiã esse cõtempl.

ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως καὶ στάσεως ἐν αὐτῇ (δῆλον ὅτι οὔτε πρακτική ἐστιν οὔτε ποιητική. τῶν μὲν γὰρ ποιητῶν ἐν τῷ ποιοῦντι ἡ ἀρχὴ, ἢ νοῦς ἐστιν, ἢ τέχνη, ἢ δύναμίς τις· τῶν δὲ πρακτικῶν, ἐν τῷ πράττοντι ἡ προαίρεσις. τὸ αὐτὸ γὰρ τὸ πρακτὸν καὶ τὸ προαιρετόν. ὥστε εἰ ἡ ἅπασα διάνοια ἢ πρακτικὴ, ἢ ποιητικὴ, ἢ θεωρητικὴ, ἡ φυσικὴ θεωρητική τις ἂν εἴη, ἀλλὰ θεωρητικὴ περὶ τοιοῦτον ὂν, ὅ ἐστι δυνατὸν κινεῖσθαι, καὶ περὶ οὐσίαν τὴν κατὰ τὸν λόγον, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, οὐ χωριστὴν μόνον.

i Δεῖ δὲ τὸ τί ἦν εἶναι, καὶ τὸν λόγον πῶς ἐστι, μὴ λανθάνειν. ὡς ἄνευ γε τούτου τὸ ζητεῖν, μηδὲν ποιεῖν ἐστι. τῶν δὲ ὁριζομένων, καὶ τῶν τί ἐστι, τὰ μὲν οὕτως ὑπάρχει ὡς τὸ σιμὸν, τὰ δ' ὡς τὸ κοῖλον. διαφέρει δὲ ταῦτα, ὅτι τὸ μὲν σιμὸν συνειλημμένον ἐστὶ μετὰ τῆς ὕλης, (ἔστι γὰρ τὸ μὲν σιμὸν κοι-

quietis inest) perspicuum est eam neque agentem esse, neque efficientem. Nam efficiendarum rerum principium, siue mens sit, siue ars, siue vis aliqua, in ipso efficiente est; agendarum vero, in ipso agente, vtpote electio: siquidem idem sunt, quod agi, & quod eligi potest. Itaque, si omnis intelligentia aut actiua est, aut effectiua, aut contemplatiua, naturalis profecto scientia contemplatiua quadam erit, sed contemplatiua eius entis, quod moueri potest, in eaq; sola substantia versatur, quæ ratione vt plurimum separari nequit.

Non i latere autem oportet, quo pacto quiditas, & ratio habeant: hoc enim prætermisso disputare, nihil agere est. Rerum igitur, quæ definiuntur, ipsarumque quiditatum, aliæ sunt velut simum, aliæ velut concauum. Hæc autem ea ratione differunt, quod simum cum materia simul accipitur (est enim simum nasus concauus), concauitas autem sine sensibili materia intelligi-

Res enim, in quibus versantur scientiæ effectiuæ, non habent in se ipsis principium sui motus, & quietis, hoc est, proprii vsus, & stabilitatis (*sic enim motus & quies accipienda sunt, quatenus accommodantur huic rerum generi*) sed in homine. Verbi gratia, nauis non nauigat per se ipsam, nec horologium stabili progressu distinguit horas, nisi opera & industria humana, quæ & ab intellectu nascitur, & per artem facilius adhibetur, & vi aliqua membrorum perficitur; quod quidem cernere licet in cæteris, quæ arte conficiuntur. Quanquam si loquamur de naturali motu, & statu, qui in huiusmodi rebus cernitur, vt de casu securis, qui non est proprius motus, siue vsus securis, idem dicendum est, quod de motu, & statu rerum naturalium; sed tamen per accidens, vt ait Aristoteles *secundo Physicorum*. Neque enim hic motus, & status conuenit rebus artificiosis, quatenus artificiosæ sunt, sed quatenus ratione naturæ sunt quædam res naturales. Res item, in quibus versantur scientiæ agentes, hoc est, actiones & passiones liberæ, non habent in se ipsis principium sui motus, & quietis, hoc est, proprii progressus, & status (*sic enim in subiecta materia interpretari oportet motum, & quietem*) sed in libera hominis electione: qui enim ex electione non agunt, ii nullum in virtute, aut vitio progressum, aut statum habere possunt, vt patet in pueris ante vsum rationis, & in amentibus: hi enim cum naturæ impetu ducantur, ac proinde electione careant, nihil possunt agere vt homines: idem enim est apud nos, quod sub humanam actionem, & quod sub electionem cadere potest, vt ait Aristoteles. In quibus verbis nomine *actionis* intelligendus etiam est vsus, & fruitio rei, vt propositio sit vniuerse vera: alioquin multa eligi possunt, quæ agi non possunt, vt res diuinæ, & naturales. Concludit ergo Aristoteles: *Cum omnis facultas intellectiua aut effectiua sit, aut actiua, aut contemplatiua* (aut enim versatur in actionibus, quæ transeunt in exteriorem materiam, aut in iis, quæ manent in agente, aut in sola rerum cognitione consistit) *necessario effici, naturalem Philosophiam esse contemplatiuam, non quidem omnium rerum, quæ sub contemplationem cadunt, sed earum, quæ mouentur à principio intrinseco, nec ratione definitioneve à motu, seu mobilitate vllo modo separari possunt*. Addit autem [*vt plurimum*] propter animam intellectiuam, quæ quatenus pure intellectiua est, & more substantiarum separatarum intelligit, nullum in sui consideratione motum includit. Hoc tamen nihil pugnat cum iis, quæ mox ab Aristotele dicentur de proprio modo considerandi, & definiendi Philosophi naturalis, qui nunquam excludit motum. Anima enim intellectiua spectata, vt sine phantasmatibus intelligere potest, non pertinet ad Philosophiam naturalem. Quod autem ad verba attinet, vbi nos vertimus, [*Efficiendarum, & Agendarum rerum*] Græci codi-

Res subiectas scientiis effectiuis nõ habere in se principiũ sui motus & quietis.

cap. 3. text. 27. & 3.

Nec itẽ, quæ actiuis subiiciuntur.

Text. 2.

Animæ rationalis cõsideratio quãdo nõ pertineat ad philosophũ natur.

codices habebant *Effectiuarum & Actiuarum*: quod errore scriptum esse merito putat Alexander in hunc locum. Itaque posuimus ποιητ. & πρακτ. pro eo, quod erat, ποιητικῶν, & πρακτικῶν.

σιμὴ ῥίς) ἡ δὲ κοιλότης ἄνευ ὕλης αἰσθητῆς. εἰ δὴ πάντα τὰ φυσικὰ ὁμοίως τῷ σιμῷ λέγονται, οἷον ῥίς, ὀφθαλμός, πρόσωπον, σάρξ, ὀστοῦν, ὅλως ζῷον, φύλλον, ῥίζα, φλοιός, ὅλως φυτὸν (οὐθενὸς γὰρ ἄνευ κινήσεως ὁ λόγος αὐτῶν, ἀλλ' ἀεὶ ἔχει ὕλην) δῆλον πῶς δεῖ ἐν τοῖς φυσικοῖς τὸ τί ἐστι ζητεῖν καὶ ὁρίζεσθαι: καὶ διότι καὶ περὶ ψυχῆς ἐνίας θεωρῆσαι τοῦ φυσικοῦ, ὅση k μὴ ἄνευ τῆς ὕλης ἐστίν. ὅτι l μὲν οὖν ἡ φυσικὴ θεωρητική ἐστι, φανερὸν ἐκ τούτων.

Ἀλλ' m ἔστι καὶ ἡ μαθηματικὴ θεωρητική: ἀλλ' εἰ ἀκινήτων καὶ χωριστῶν ἐστι, νῦν ἄδηλον. ὅτι μέντοι ἔνια μαθήματα ᾗ ἀκίνητα καὶ ᾗ χωριστὰ θεωρεῖ, δῆλον.

Εἰ δέ n τι ἐστιν ἀκίνητον καὶ ἀΐδιον καὶ χωριστόν, φανερὸν ὅτι θεωρητικῆς τὸ γνῶναι: οὐ μέντοι φυσι-

ligitur. Quod si res omnes naturales perinde, ac simum dicuntur, vt nasus, oculus, facies, caro, os, & omnino animal, vt folium, item radix, cortex, & omnino planta (nullius enim huiusmodi rerum ratio motus est expers, sed semper materiam habet) perspicuum est, quo pacto in rebus naturalibus ipsum quid est quærere, easque definire oporteat; & cur etiam de quadam anima naturalis Philosophus considerationem instituat, de ea, inquam, omni, quæ k non sine materia existit. Ex quibus l patet naturalem Philosophiam contemplatiuam esse.

Sed m & mathematica scientia contemplatiua est, tametsi nondum constat, num in rebus immobilibus & separabilibus versetur. Atque ab ea quidem quasdam res Mathematicas quatenus immobiles, & separabiles considerari perspicuum est.

Quod n si quid est immobile, sempiternum, ac separabile, non dubium est, quin eius cognitio ad contemplatiuam aliquam scientiam pertineat, non

i *Non lateat autem*] Quoniam Aristoteles hactenus docuit, naturalem Philosophiam esse contemplatiuam, reliquum est, vt tradat modos contemplandi diuersos, quibus inter se contemplatiuæ scientiæ distinguuntur, vt ex eo discrimine pateat, quonam modo primus Philosophus de rebus agat, quod diximus esse præcipuum eius institutum hoc loco. Quia vero id colligi non potest, nisi ex variis modis definiendi, quibus contemplatiuæ scientiæ vtuntur; merito Aristoteles eius rei gratia distinguit modum definiendi Philosophiæ naturalis, à modis definiendi cæterarum. Accedit, quod definitio est medium demonstrationis, propriumque scientiæ principium, vt necesse sit ex diuerso definiendi modo contemplatiuum scientiarum diuersitatem colligere. Cum igitur duo sint genera rerum, quæ definiuntur; aliæ, quæ, quatenus tales sunt, intelligi non possunt sine materia sensibili, hoc est, subiecta motui, veluti simum, (*nemo enim simum concipit, nisi concepto naso, atque adeo neque ipsam simitatem*) aliæ, quæ, quatenus tales sunt, sine materia sensibili intelliguntur, cuiusmodi est concauum, conuexum, & alia, quæ tractantur à pure Mathematicis nihil de materia sensibili curantibus: cum hæc, *inquam*, ita se habeant; docet Aristoteles, proprium modum definiendi naturalis Philosophi esse cum materia sensibili: omnes enim res naturales perinde se habent, atque simum, vt inductione patet.

Modum definiendi naturalis Philosophi proprium.

k *Quæ non sine materia.*] Huiusmodi sunt omnes animæ, præter rationalem. Excepit autem rationalem Aristoteles non quia de illa non agat naturalis Philosophus, sed quia ratione aliqua sub considerationem naturalis Philosophiæ non cadit, vt paulo ante diximus.

l *Ex quibus patet.*] Ne intelligas colligi hoc loco, naturalem Philosophiam simpliciter atq; in genere cõtemplatiuam esse, quod superius ostensum erat; sed esse speciali quadam ratione nunc explicata contemplatiuam, atq; adeo infimam quoad modum contemplandi, cum nihil concipiat sine materia sensibili: tametsi media sit ratione subiecti inter Metaphysicã & Mathematicã.

Mathematicam esse considerandi modo Physica superiorem.

m *Sed & Mathematica.*] Tradit aliam speciem contemplatiuam scientiarum, quæ in modo considerandi superior est naturali, *Mathematicam*, inquam. Agit enim Mathematica de rebus, quæ etsi existunt in materia subiecta motui, neque ab ea reuera separari possunt (*quamquam nondum est demonstratum, num earum aliqua separari queant, quod voluit Plato, contra quem duobus extremis libris late disserit Aristoteles*) sunt tamen eiusmodi, vt sine materia definiri, ac intelligi possint, vt de concauo dictum est. Itaque agunt Mathematicæ de rebus mobilibus, & inseparabilibus à materia sensibili; sed tamen ea ratione, qua sunt immobiles, & separabiles consideratione: seu (*quod eodem redit*) quatenus in sui consideratione non includunt materiam sensibilem. Quod tamen Aristoteles affirmat de pure Mathematicis, cuiusmodi sunt Arithmetica & Geometria; non autem de mistis, qualis est Astrologia, & Perspectiua. Cæterum aduerte res Mathematicas, etsi considerari possunt sine materia sensibili, non posse tamen sine intelligibili, vt ipse auctor docet *libro* 7. hoc est, sine extensione, quæ rem facit diuisibilem, vt post-

Res Mathematicæ definiri & intelligi possunt sine materia sensibili.

Non tamen sine intelligibili.

c.10. text.35.

vt postea explicabimus: quidquid enim à materia ſenſibili ſeparari nequit, id ſi accidens eſt, neceſſario extenſum eſt, ac diuiſibile. *queſt. 6. ſect. 1.*

n *Quod ſi quid eſt.*] Tradit tertiam, vltimam ac ſupremam ſpeciem contemplantium, ſub quadam hypotheſi tamen, id eſt, ſi reuera datur aliquod genus rerum immobilium, & ſempiternarum, quæ ſine ſenſibili materia exiſtant, quod ipſe neceſſario concedendum eſſe lib. 12. demonſtrabit. Si enim eiuſmodi res dantur, cum illæ tractari non poſſint à Naturali, nec à Mathematico, vt ex dictis patet; pertinebunt ſane ad alium ſuperiorem Philoſophum, qui poſſit res conſiderare, ac definire non ſolum ſine materia ſenſibili, ſed intelligibili etiam. *Dari ſcientiã Naturali, & Mathematicæ ſuperiorem.*

φυσικῆς γε (περὶ κινητῶν γάρ o τινων ἡ φυσική) οὐδὲ μαθηματικῆς, ἀλλὰ προτέρας ἀμφοῖν. ἡ μὲν γὰρ φυσικὴ περὶ ἀχώριστα μὲν, ἀλλ' οὐκ ἀκίνητα: τῆς δὲ p μαθηματικῆς ἔνια περὶ ἀκίνητα μὲν, οὐ q χωριστὰ δὲ ἴσως, ἀλλ' r ὡς ἐν ὕλῃ: ἡ δὲ πρώτη καὶ περὶ χωριστὰ καὶ ἀκίνητα. ἀνάγκη s δὲ πάντα μὲν τὰ αἴτια ἀΐδια εἶναι, μάλιστα δὲ ταῦτα: ταῦτα γὰρ αἴτια τοῖς φανεροῖς τῶν θείων.

ὥστε

non tamen ad naturalem (cum ea in quibuſdam o rebus mobilibus verſetur) nec vero ad Mathematicam, ſed ad aliquam aliam, quæ vtraq; prior ſit. Etenim naturalis de inſeparabilibus, ſed non immobilibus agit: nonnulla p vero Mathematica de immobilibus quidem, verum non q ſeparabilibus fortaſſe, ſed r vt in materia exiſtentibus, edifferunt: at prima Philoſophia ſeparabilia, & immobilia conſiderat. Neceſſe s eſt autem omnes cauſas ſempiternas eſſe, maxime vero has; quippe cum hæ ſint cauſa earum diuinarum rerum, quæ ſunt manifeſta.

Itaq;

o *In quibuſdam.*] Ait [*in quibuſdam*] vt excludat arte facta, quæ & ipſa ſenſibilia ſunt, etiam quatenus arte facta.

p *Nonnulla vero.*] Excludit Mathematicas mistas, vt Aſtrologiam, & Muſicam. Nec refert, quod Græce ad verbum eſt [*Ipſius autem Mathematicæ nonnulla circa immobilia quidem, &c.*] Intelligit enim vel nonnulla genera ſub Mathematica ſcientia in commune ſumpta, vel (quod eodem redit) quædam ſpecialia theoremata rerum Mathematicarum, quibus conſtant Mathematicæ ſpeciales.

q *Non ſeparabilibus fortaſſe.*] Non dubitat, quin omnia Mathematica ſint inſeparabilia re ipſa, ſed loquitur hoc pacto, quia nondum id demonſtrauit. *Text. 43. à text. 56.*

r *Vt in materia existentibus.*] Improprie vtitur verbo, Vt, quaſi dicatur [*ſed reuera in materia exiſtentibus*] neque enim Mathematicæ de ijs agunt, quatenus in materia exiſtunt; ſed potius quatenus ſine materia ſpectari poſſunt. Niſi forte verbum [*Vt*] adhibeatur ad ſignificandam materiam intelligibilem, quaſi dictum ſit [*ſed quatenus extenſa, & diuiſibilia:*] id enim ſibi vendicant Mathematica ex dependentia, quam habent à materia ſenſibili, in qua exiſtunt.

s *Neceſſe eſt autem.*] Cum proxime dixiſſet primam Philoſophiam verſari in ſeparabilium, & immobilium conſideratione, addit verſari etiam in ſempiternis: de qua conſideratione ſuperius in quadam hypotheſi mentionem fecerat. Id autem ex eo probat, quia neceſſe eſt omnes cauſas eſſe ſempiternas, hoc eſt, in quouis cauſarum genere dari aliquas ſempiternas; maxime vero eas, quæ ſunt ſeparabiles, & immobiles, de quibus agit primus Philoſophus. Prior pars ex eo patet, quia alioqui in cauſis eſſentialiter ſubordinatis procederetur in infinitum: ſi omnis, inquam, cauſa ſuperior & vniuerſalior ab alia ſuperiori genita eſſet: quod tamen neceſſe foret, ſi omnes eſſent genitæ. Neceſſe eſt enim omnem ſucceſſionem rerum eiuſdem ſpeciei ab alia ſuperiori cauſa continuari, vt ipſe 8. *Phyſicorum, cap.* 5. & 2. *de Generatione, cap* 10. & 11. demonſtrat. Poſteriorem vero ex eo probat, quia immobilia & ſeparabilia ſunt cauſæ corporum cœleſtium, quæ appellat diuina manifeſta: diuina, quia ſempiterna; manifeſta, quia ſenſibus patent. Quod autem illa ſint cauſæ horum, aut ſaltem aliquid illius generis, ex eo patet, quia ſunt maxime entia; in quibus proinde neceſſario dandum eſt aliquid ſupremum; vnde cætera omnia pendeant, vt *lib.* 12. patebit. Hinc colligit D. Thomas, falli eos, qui dicunt Ariſtotelem non ſenſiſſe, Deum eſſe cauſam ſubſtantiæ cœlorum, ſed tantum eorum motus. Vetus interpres ſic vertit hunc locum [*Neceſſe vero eſt, communes quidem cauſas, &c.*] Argyropylus vero, vt quidam eius codices habent, hoc modo [*Vniuerſales autem cauſas ſempiternas eſſe neceſſe eſt*] quæ lectio facilior eſſet, ſi Græcus contextus eam pateretur: omnia enim, quæ viderim, exemplaria ſic habent, ἀνάγκη δὲ πάντα μὲν τὰ αἴτια, &c. Quanquam enim τὸ πᾶν ſubſtantiue paſſim pro Vniuerſo ſumatur; adiectiue tamen verbum πάντα pro communibus, & vniuerſalibus rebus, ſiue in ratione prædicandi, ſiue cauſandi (*quo pacto hoc loco accipiendum eſſet, ſi cauſas vniuerſales ſignificaret*) accipi non ſolet. *Primam Philoſophiã agere de rebus ſempiternis.* *Senſit Ariſt. Deum eſſe cauſ. in ſubſtantia cœlorum.*

 t Itaq;

ὥστε τ τρεῖς ἂν εἶεν φιλοσοφίαι θεωρητικαί, μαθηματική, φυσική, θεολογική, οὐ υ γὰρ ἄδηλον, ὅτι εἴπου τὸ θεῖον ὑπάρχει, ἐν τῇ τοιαύτῃ φύσει ὑπάρχει: καὶ τὴν τιμιωτάτην δεῖ περὶ τὸ τιμιώτατον γένος εἶναι. αἱ μὲν οὖν θεωρητικαὶ τῶν ἄλλων ἐπιστημῶν αἱρετώτεραι, αὕτη δὲ τῶν θεωρητικῶν.

ἀπορήσειε x γὰρ ἄν τις, πότερόν ποθ᾽ ἡ πρώτη φιλοσοφία καθόλου ἐστὶν, ἢ περὶ γένος καὶ φύσιν μίαν, οὐ γὰρ ὁ αὐτὸς τρόπος, οὐδ᾽ ἐν ταῖς μαθηματικαῖς: ἀλλ᾽ ἡ μὲν γεωμετρία, καὶ ἀστρολογία περί τινα φύσιν ἰδίαν εἰσίν, ἐκείνη δὲ καθόλου πασῶν κοινή. εἰ μὲν οὖν μή ἐστί τις ἑτέρα οὐσία παρὰ τὰς φύσει συνεστηκυίας, ἡ φυσικὴ ἂν εἴη πρώτη ἐπιστήμη.

Εἰ δ᾽

Itaq. t tres erunt contemplatiuæ philosophiæ, Mathematica, Naturalis, Theologia. Neq. u enim obscurum est, quin sicubi diuinitas existit, in tali natura existat: præsertim cum oporteat præstantissimam philosophiam in præstantissimo genere versari. Contemplatiuæ igitur scientiæ cæteris omnibus præponendæ sunt; hæc autem contemplatiuis præferenda.

At enim x dubitauerit aliquis, verum prima philosophia sit vniuersalis, an potius in genere vno, & natura vna versetur? Neque enim idem est modus etiam in Mathematicis; sed Geometria quidem, & Astrologia, propriam quandam naturam considerant: illa vero omnibus vniuerse communis est. Si igitur alia substantia nulla est præter eas, quæ natura constant, Naturalis sane prima scientia fuerit.

Quod

t *Itaque tres erunt.*] Colligit distincte, ac proprijs nominibus tres species contemplantium scientiarum, progressu facto ab infima ad mediam, & à media ad supremam, ratione eius dignitatis, ac præstantiæ, quæ ex subiecto ducitur *(quæ eadem præcipua est)* non autem eius, quæ sumitur ex certitudine demonstrandi: hac enim spectata, contrario ordine progrediendum foret.

Text. 3.

Metaphysicam merito dici Theologiam.

u *Neque enim obscurum.*] Duabus rationibus probat, merito primam Philosophiam à se vocatam esse *Theologiam*, hoc est, scientiam de diuinis rebus. Prior est, quia si aliquo in genere datur vera diuinitas, siue independens natura, non dubium est, quin detur in genere rerum immobilium, & à materia separatarum. Posterior, quia prima, seu præstantissima Philosophia in præstantissimo rerum genere versetur necesse est; at sola diuina sunt præstantissima. Hæc postquam docuit Aristoteles, præfert contemplatiuas scientias practicis, & primam Philosophiam cæteris contemplatiuis.

Text. 4.

Num ea sit scientia vniuersalis? Videri esse vniuersalem.

x *At enim dubitauerit.*] Ex his, quæ dicta sunt, oritur dubitatio hæc non parui momenti: num prima Philosophia sit vniuersalis, hoc est, anne agat de ente, vt *ens* est, deque eius principijs & affectionibus, ac proinde de omnibus entibus; an vero sit particularis, quæ non egrediatur fines certi alicuius generis. Si enim vera sunt ea, quæ lib. 4. cap. 1. & initio huius dicta sunt; erit prima Philosophia vniuersalis, & quæ ad omnium rerum genera se extendat. Dictum est enim ijs locis non agere eam de rebus eo pacto, quo agit Geometria, & Astrologia, & aliæ particulares, ita nempe, vt ex tota rerum vniuersitate particulare aliquod genus abscindat, deque eo solo disserat, sed agere de ente in commune, siue quatenus ens est, quod aliæ non faciunt. Si vero adhærendum est ijs, quæ proxime explicata sunt, non videtur illa dicenda vniuersalis, sed particularis; cum ea ratione distincta sit à Physica, & Mathematicis, quod hæ omnes versentur in rebus non separatis à materia *(tametsi minus à Mathematicis, quæ modo aliquo immaterialia considerant)* illa vero suscipiat curam disputandi de omnino separatis à materia, quod est peculiare quoddam genus entium, non totum ens. Hanc dubitationem hunc in modum dissoluit Aristoteles. Si nulla sit substantia prior, ac superior naturalibus substantijs, sed omnes sunt materiales, ac mobiles; naturalem Philosophiam esse primam Philosophiam, atque adeo vniuersalem scientiam, & quæ agat de ente, vt *ens* est, ac proinde omnibus entibus, quatenus *entia* sunt. Nam quæ scientia agit de proprio membro cuiusuis analogi, eadem agit de cæteris, quatenus nomen & rationem illius participant, vt patet in scientia de sano, de bono morali, & similibus. Verum hoc pacto ens, quatenus *ens*, idem erit, atque ens mobile, siue materiale. Quod si aliqua est substantia immobilis, & quæ materiæ sit expers, non dubium esse, quin hæc ipsa scientia, de qua nunc agitur (ad quam solam eius substantiæ consideratio pertinebit) sit prima Philosophia, atque adeo vniuersalis, quia prima, hoc est, quia scientia de primo membro entis, ad quod cætera, quatenus entia sunt, referuntur; ac proinde de ente, vt *ens* est, deque eius natura, proprijsque affectionibus. Hoc enim pacto nullam in sui ratione materiam includit ens; alioquin non complecteretur res omnis materiæ expertes. Itaque duabus de causis distinguitur hæc scientia à cæteris tanquam vniuersalis à particularibus: vna, quia agit de primis principijs, & causis omnium entium, quæ sunt res immateriales; altera,

Videri è contrario non esse.

Resolutio dubitationis.

quia

Εἰ δ' ἔστι τις οὐσία ἀκίνητος, αὕτη προτέρα καὶ φιλοσοφία πρώτη καὶ καθόλου οὕτως, ὅτι πρώτη: καὶ περὶ τοῦ ὄντος, ᾗ ὄν, ταύτης ἂν εἴη θεωρῆσαι, καὶ τί ἐστι, καὶ τὰ ὑπάρχοντα ᾗ ὄν.

Quod si immobilis aliqua substantia est, hæc & prior scientia, & prima philosophia erit; atque adeo sic vniuersalis, quia prima: ad eamque pertinebit de ente, quatenus est ens, & quid illud sit, quæque illi vniuerse, quatenus ens est, conueniant, considerare.

quia agit de ijs, quæ communia sunt materialibus, & immaterialibus: quorum neutrum vlli cæterarum concessum est. Quod autem ad verbum attinet, illud [Neque enim idem modus est, &c.] hunc sensum habet: Neque enim eius tractandi modus idem est, qui in alijs scientijs, etiam Mathematicis, quæ in modo considerandi res suas magis ad primam philosophiam accedunt, tametsi non in rebus consideratis.

QVIDNAM SIT SCIENTIA IN ampla quadam, sed propria significatione.

QVÆSTIO I.

Quonam pacto actus sciendi ab actu fidei & opinionis distinguatur?

SECTIO I.

Quæ disputanda sint hoc cap.

QVONIAM Aristoteles toto hoc capite de scientiarum distinctione agit, res ipsa poscere videtur, vt primum aliquanto diligentius explicemus, quid sit scientia, cum in ampla quadam, sed propria significatione; tum in speciali, & Philosophis magis familiari: deinde, sit ne simplex qualitas aliqua, an potius multarum qualitatum coniunctio: postremo de ipsa scientiarum distinctione disseramus. Nam contra eorum deliramenta, qui nullam veram scientiam, certamve cognitionem esse contendebant, ad lib. 11. cum Aristotele disputabimus: vbi ille eam disputationem breuius resumit, quam lib. 4. susceperat, ad cuius calcem nos eius rei discussionem in librum illum reiecimus.

Duplex scientiæ acceptio

Scientia, etsi vulgo late admodum patet, tamen apud Philosophos & Theologos duobus modis proprie sumitur: vno, vt à fide, & opinione distinguitur, etiamsi in rebus singularibus, aut per accidens, & contingentibus, quemadmodum & fides, & opinio, versetur: altero, vt est de ijs tantum rebus, quas Philosophi ex instituto tractant, hoc est, de ijs solis, quas definiunt, diuidunt, & de quibus proprias earum affectiones demonstrant. Proinde nos in hac quæstione de vtroque scientiæ genere disputabimus. Sed cum *Scientia* vocabulum vtrouis modo acceptum nunc pro sciendi actu, nunc pro habitu sumatur, (*quam significationem in nominibus etiam fidei, & opinionis vsurpamus*) habitus autem operatiui ex proprijs actibus cognoscantur; prius à nobis de actu sciendi, quam de habitu agendum est: modo illud intelligatur, nomen fidei in hac comparatione accipi pro fide catholica & quauis alia supernaturali, quæ per se Dei donum est, non pro fide humana, quæ nomine opinionis late sumpto intelligitur, vt paulo post patebit.

In quo conueniāt actus scientiæ, fidei, & opinionis & in quo differant.

Actus scientiæ, fidei, & opinionis non solum in eo conueniunt, quod omnes pertinent ad secundam operationem intellectus; sed etiam in eo, quod omnes sunt assensus, siue approbationes, quibus intellectus id quasi amplectitur, quod ei, vt verum, aut verisimile, seu probabile proponitur: etiamsi ei soli, qui assensum præbet, tale esse videatur: neque enim de eo solo vero, aut verisimili, quod apud omnes, aut plures, aut probatiores tale habetur, nunc agimus; sed vniuerse de omni eo, quod vel vni tantum tale esse videtur. Dicimus autem assensum, siue approbationem intellectus versari circa id, quod verum aut verisimile est, tanquam circa proprium obiectum: quia nunquam intellectus assentitur falso, vt falsum est; quemadmodum nec voluntas vnquam malum, vt malum est, amplectitur.

Quomodo scientiam & opinionem ita Arist. 1. post. c. 26. vniuersim D. Th. 2. 2. q. 1. art. 4. & 3. Scot. in 3. d. 24. & communiter doctores ibid. & in prol. sent.

Distinguuntur autem huiusmodi actus inter se, quod actus sciendi est certus, & euidens; credendi autem certus, sed ineuidens; opinandi vero neque certus, neque euidens. Hæc enim distinctio omnium consensu approbari solet: modo nomine assensus certi, is, qui omnino certus est, intelligatur: quod dixerim propter actum opinādi, qui sæpe dicitur moraliter certus, non autem omnino certus. Est autem assensus omnino certus is, cui falsum subesse non potest: assensus vero euidens, quo intellectus ita perspicue rem se habere iudicat, vt aliter sentire non possit.

Assensus omnino certus. Assensus euidens.

Vtramque igitur harum duarum conditionum reperiri in actu sciendi, vt distinguitur

tur ab actu credendi, & opinandi, non solum ex communi omnium consensu patet, vt dictum est: sed etiam ex eo probatur, quia actus sciendi est perfectissima operatio iudicatiua intellectus; non esset autem perfectissima, si ei vel certitudo, vel euidentia deesset.

Actum fidei carere euidentia. Heb. 11 & 1. Cor. 13.

Reperiri autem solam certitudinem in actu credendi, non modo ex eadem communi approbatione patet, & ex ipsa ratione fidei, quæ dicitur esse de ijs, quæ non videntur, hoc est, quæ non euidenter cognoscuntur: sed etiam ex eo perspicue probatur, quia, si euidens esset, sequeretur ex definitione assensus euidentis tradita, vt is, qui credit dissentire non posset ab ijs, quibus fidem adhibuit, quod tamen sæpe videmus fieri. Neutram vero conditionem actui opinandi conuenire palam est, cum ei sæpissime falsum subsit, vt est luce clarius.

Diuisio actus opinandi.

Diuidendus est autem actus opinandi, siue opinio actualis in commune sumpta in opinionem presse, magisque proprie acceptam, & fidem humanam: quæ quidem ea ratione inter se distinguuntur, quod hæc specialis opinio nititur rationibus ex re ipsa desumptis; fides autem sola testificantis auctoritate.

Horum actuum distinctionem non videri recte traditam.

SECTIO II.

SED contra hæc sic aliquis primum obijciat. De conclusionibus olim demonstratis habetur scientia, quia non iam fide sola, aut opinione tenentur: at fieri potest, & sæpe accidit, vt ij, qui earum scientiam habent, obliuiscantur earum demonstrationum, quibus illarum scientiam assecuti sunt ac proinde, cum illis sic assentiuntur, non habeant earum euidentiam: non est igitur euidens omnis actus scientiæ.

Deinde. Si omnis actus fidei supernaturalis semper esset cum certitudine, non deficerent ab ea tam multi & hæretici, & apostatæ: nemo enim ea negat, de quibus certus est, nisi fortasse oretenus per proteruiam ea inficietur: cum ergo multi ex animo fidem abnegent, non est vtique eius actus natura sua certus.

Tertio. Semper altera oppositarum opinionum, saltem de re præsenti, aut præterita, est certa; cum altera pars contradictionis, quæ non est de futuro contingenti, sit determinate vera, *vt ait Aristoteles*: non igitur omnis opinio communiter sumpta est incerta.

1. de interpr. cap. 8.

Quarto. Neque omnis actus opinionis specialis, neque item omnis actus humanæ A fidei est cum formidine oppositi, quippe cum multi suis opinionibus sic adhæreant, vt nihil formident veritatem oppositæ sententiæ, & sæpe etiam de multorum testimonio nequaquam dubitent: non est igitur verum id, quod dici solet, *omnem opinionem esse cum formidine, siue ea sumatur in commune, vt fidem humanam complectitur; siue in specie, vt illi opponitur.*

Postremo. Aut dicendum est, nunquam cum scientia, siue actuali, siue habituali, esse B posse vllum actum fidei, aut opinionis; aut certe negandum distingui actus scientiæ, & fidei inter se per euidentiam, & ineuidentiam, & ab actibus cuiuscunq; opinionis per certitudinem, & incertitudinem, cum qua semper coniuncta est ineuidentia. Nam cum actus sciendi sit certus & euidens; ipse vero sciendi habitus ad huiusmodi actum inclinet: non sinet vtiq; intellectum prodire in actum vllum C ineuidentem aut incertum. Atqui non videtur negandum, posse fidelem hominem, qui habet alioqui scientiam multarum rerum, quarum notitiam fide catholica profitetur, prodire in actum fidei eisdem de rebus: (alioqui peioris conditionis esset doctus quam indoctus, cum actus fidei sint magni apud Deũ meriti) eodemque modo absurdum videtur, si quis dicat, eundem hunc hominem, siue de ijs rebus, quæ catholicæ fidei subiectæ sunt, D siue de alijs scientiam habeat, non posse prodire in actum fidei humanæ, aut opinionis earundem rerum: (præsertim cum & Theologi, & Philosophi in ijs rebus confirmandis, de quibus habent scientiam, multis vtantur rationibus probabilibus, & hominum testimonijs) non igitur recte distincti sunt huiusmodi actus ratione euidentiæ & ineuidentiæ, certitudinis & incertitudinis.

Hæc vt dissoluantur, simulque vt luculentius intelligatur E distinctio huiusmodi actuũ, explicandum est, vnde proueniat certitudo actibus scientiæ, & fidei supernaturalis; euidentia item actui scientiæ: vnde etiam firmitas assensus, & opposita formido actibus opinionis, & fidei humanæ.

Vnde proueniat certitudo, euidentia, & firmitas, aut formido huiusmodi actibus?

F

SECTIO III.

Reijcitur quorundam opinio.

QVOD quidem attinet ad certitudinem, & euidentiam, sunt qui dicant *certitudinem ex euidentia oriri.* Quæ opinio nobis non placet, nisi improprie certitudinem pro firmitate assensus scientiæ accipiant: sic enim vera est eorum sententia, vt paulo post patebit.

Latius patet certitudo, quàm euidentia.

bit. Nam si certitudo proprie sumatur, illud in primis constat, latius eam patere, quam euidentiam, cum scientiæ, ac fidei supernaturali conueniat; ac proinde non omnem certitudinem posse oriri ex euidentia. Deinde non dubium est, quin prius natura certitudo actibus sciendi, & catholice credendi, quam illis euidentia, & his ineuidentia insit.

Quod vt intelligas, aduerte, vtranque harum conditionum, certitudinis nimirum & euidentiæ, in actum sciendi, solam vero certitudinem in actum catholice credendi ex obiecto, vt obiectum est, deriuari.

Cur scientiæ & fidei actus certi sint.

Idcirco enim actus sciendi, & catholice credendi, sunt certi (*hoc est, ita veri, vt eis non possit subesse falsum*) quia obiecta vtriusque, vt stant sub ipsorum rationibus formalibus, sunt certa, id est, certæ & determinatæ veritatis: seu (*quod idem est*) sunt certæ, ac necessariæ coniunctiones eorum, quæ prædicantur, cum ijs, quæ subijciuntur: necessariæ, *inquam*, vel simpliciter, vel ex suppositione: quibus modis necessarium est hominem esse animal, aut quinque digitos habere; (*spectata nimirum eius natura*) & Socratem sedere, cum sedet, aut sedisse, cum sedit; aut sessurum, cum sedebit: itemque Deum esse vnum in essentia, trinum in personis; sex diebus mundum fuisse conditum, & diem Iudicij generalis, qui futurus est, esse futurum. Nam quia hæc omnia certa sunt aut simpliciter, aut ex suppositione, & cognita, vt talia, idcirco actus sciendi, & credendi, qui circa ea versantur, sunt certi, & quibus vel simpliciter, vel ex hypothesi falsum subesse non possit. Atque hinc patet, qua ratione de contingentibus scientia, seu certa cognitio haberi possit.

Actus scientiæ cur euidens.

Eodem modo res habet in conditione euidentiæ. Idcirco enim actus sciendi est euidēs, seu ita claræ cognitionis, vt intellectus aliter iudicare non possit, quia coniunctio eius, quod prædicatur, cum eo, quod subijcitur, ita perspicua est, vt eam intellectus negare nequeat: siue id accidat propter omnimodam identitatem prædicati cum subiecto, vt cum Deus clare videbitur esse summum bonum: siue propter eorum immediatam coniunctionem, vt in principijs indemonstrabilibus: siue propter medium euidenter cōiungens prædicata cum subiectis, vt in conclusionibus demonstratis.

Ex quibus patet, non prouenire certitudinem ex euidentia, etiam in ipsa scientia, sed vtramque certitudinem & scientiæ, & fidei supernaturalis nasci ex certitudine obiectorum, quemadmodum euidentia scientiæ ex proprij obiecti euidentia. Patet etiam, quo pacto certitudo, & euidentia tam ex parte as-

A sensuum, quam ex parte obiectorum intelligenda sit.

Certitudo prior est euidentia, vel ineuidentia.

Quod autem prius certitudo actibus sciendi, & catholice credendi, quam illis euidentia, & his ineuidentia conueniat, ex obiectis etiam intelligi potest. Nam verum, aut quod verisimile alicui est, seu quod verum esse alicui videtur, (*quod superius diximus esse obiectum assensus*) diuiditur in verum certum, seu necessarium aut simpliciter, aut ex suppo-

Quotuplex sit verum.

B sitione, quod est obiectum assensus certi; & in verisimile, seu verum incertum, propensum tamen magis, saltem apud aliquem, ad veritatem, quod est obiectum assensus incerti, seu opinionis in commune acceptæ. Tum verum certum diuiditur in verum certum & euidens, quod est obiectum assensus scientiæ; & in verum certum, ac ineuidens, quod est obiectum assensus fidei supernaturalis. Postremo verisimile, quod est obiectum opi-

Verum certū.

Verisimile.

C nionis communiter sumptæ, diuiditur in verisimile ex ratione, quæ à reipsa sumitur, quod est obiectum assensus opinionis specialis, & in verisimile ex autoritate testificantis, quod est obiectum fidei humanæ. Ex quibus manifestum est, prius natura conuenire tum obiectis scientiæ, & fidei catholicæ, tum etiam ipsis earum assensibus certitudinē; quam assensui scientiæ conueniat euidentia, & fidei catholicæ ineuidentia: eodemque modo

D prius natura conuenire tum obiectis opinionis specialis, & fidei humanæ, tum etiam earum assensibus incertitudinem; quam opinioni, quod ratione nitatur; fidei autem, quod autoritate testificantis.

Vnde autem alijs ex huiusmodi actibus proueniat firmitas, seu firma adhæsio; alijs autem formido oppositæ sententiæ, nunc dicendum. At in primis illud notandum, firmitatem, seu firmam adhæsionem non pos-

Firmitas adhæsionis de actibus dicitur non de obiectis.

E se dici & de obiectis, & de actibus, quemadmodum certitudo, & euidentia dicitur, tametsi alio & alio modo, vt explicauimus: (*neque enim obiecta firmiter adhærent, cum potius illis firmiter adhæreatur*) sed de ipsis tantum actibus, quibus obiectis adhæremus, vt perspicuum est. Deinde, etsi firma adhæsio non dicitur de obiectis; eam tamen ex obiectis

Vnde oriatur.

præcipue in actus assentiendi redundare: tametsi ex subiectis etiam sæpe motiuum aliquod, *vt ita dicam*, accipiat. Nemo enim fir-

F miter assentitur alicui enuntiabili, nisi ad id aut ex certitudine, & euidentia rei propositæ, aut ex sola eius certitudine, aut saltem ex aliqua illius verisimilitudine potissimum ducatur: quanquam aliquando, vt firmiter, seu sine formidine assentiatur, moueatur ab affectu aliquo proprio, qui in assensu quidem fi-

dei supernaturalis vocatur pia affectio, in assensu autem fidei humanæ commune affectionis humanæ nomen retinet. Postremo, magnum esse discrimen inter firmitatem assensus scientiæ, & fidei catholicæ; & similiter opinionis, ac humanæ fidei, cum quis firmiter, seu sine formidine opinatur, aut humana fide credit.

Quæ causa firmitatis in assensu scientifico.

Nam tota firmitas assensus scientiæ nascitur ex illius certitudine, & euidentia, nec causam aliquam motiuam, siue impulsiuam poscit ex affectu scientis, quippe, qui velit, nolit, non potest non assentiri, aut saltem dissentire nequit. Cum enim prima veritas Deus Opt. Max. à nobis clare conspicietur; tum solum non poterimus non illi assentiri vt summo, & infinito vero, aut bono, &c. In alijs autem veritatibus certa, & euidenti contemplatione contuendis, etsi possumus assensum non præbere, non possumus tamen dissentire: hoc enim poscit euidentiæ ratio, vt superius explicata est.

Quæ in assensu fidei.

At firmitas assensus supernaturaliter credendi, cum assensus ipse sit ineuidens, & de re, quæ nobis ineuidens est, indiget ex parte nostra affectione aliqua pia animi captiuantis intellectum in obsequium fidei, quæ affectio sine speciali Dei munere non datur.

Quæ in actu opinandi.

Firmitas vero, quæ aliquando reperitur in actibus opinionis, & humanæ fidei, si non temere, & ex leuitate emittantur, præter rationes probabiles, aut testimonij authoritatem sæpe indiget humano affectu, & propensione animi ad assentiendum: quæ propensio si desit, fieri poterit, vt nec quantæuis probabilitatis argumenta, magnæve authoritatis hominis testimonium quemquam moueant; vt firmiter aliquid & sine vlla formidine opinetur, aut credat: vt patet in ijs, qui aut contrariam opinionem penitus imbiberunt, aut odio prosequuntur eos, à quibus testimonium profertur.

Vide Arist. 7. Et hinc cap. 3.

Solutio argumentorum, quibus tradita distinctio actuum sciendi, credendi, & opinandi impugnabatur.

SECTIO IV.

Solutio quædam.

His positis facile dissoluentur argumenta, quibus tradita actuum distinctio impugnabatur. Ad primum dici fortasse posset de conclusionibus, quæ aliquando nobis demonstratæ sunt, cum non recordamur earum demonstrationum, quibus illarum scientiam comparauimus, & tamen memoria tenemus habuisse nos illarum demonstrationem, non haberi à nobis actum sciendi, sed credendi, quo nimirum credimus eas esse euidentes, quia id nobis aliquando demonstratum est.

A Verum, quia de ijs, quæ hoc pacto nobis certa sunt, & explorata, non dicimur habere fidem, sed scientiam: (*hoc enim pacto, qui Romam vidit, dum recordatur se illam vidisse, non iam credit, sed scit Romam esse: & D. Paulus postquam, vt est multorum sententia, vidit in raptu diuinam essentiam in tribus personis, idque tenuit memoria, non amplius habuit actum fidei de eo mysterio, sed abstractiua scientia, vt graues Theologi asserunt*) potius dicendum videtur de conclusionibus olim demonstratis tunc haberi à nobis actum sciendi formaliter, ac proinde formaliter euidentem, cum actu recordamur totius discursus demonstratiui, aut saltem vltimæ demonstrationis, si conclusiones pluribus demonstrationibus subordinatis ostensæ sunt: quandoquidem etiam tunc, cum illæ nobis primo demonstrantur, sæpe accidit; vt iam multarum præcedentium demonstrationum simus obliti, cum vltima proponitur, satisque esse dicimus, quod vltima virtute contineat omnes præcedentes.

In his est Caiet. 2.2.q.175.art. 3. Germana solutio.

Qualis actus eliciatur, quando medij scientif. obliti, recordamur nos iam illud idem demonstrasse.

Si autem earum demonstrationum, aut saltem vltimæ recordemur; & nihilominus actum assentiendi eliciamus, quia memores sumus fuisse illas nobis demonstratas: tunc is actus quemadmodum non erit formaliter actus sciendi, sed æquiualenter; sic etiam non erit formaliter, sed æquiualenter euidens propter certitudinem, quæ in nobis cum hac memoria remansit: idque satis erit, vt is actus assentiendi nec sit fidei, nec opinionis: non fidei, quia erit æquiualenter euidens, non autem formaliter; non opinionis, quia erit certus non solum certitudine adhæsionis, sed etiam ipsius obiecti.

Quid si hoc etiam obliuiscamur?

Quod si ita obliti simus, vt nec recordemur eas conclusiones nobis fuisse demonstratas, certe aut de illis dubitabim⁹, nec vllum assensum eis adhibebimus, aut tantum credemus, aut opinabimur esse veras, quia sint, verbi causa, apud Euclidem, aut ratio aliqua probabilis nobis occurrat, qua eas veras esse existimemus.

Actum fidei semper esse certũ ex parte & obiecti & assensus. Esse scientifico certiorem.

Ad secundum dicendum est, actum fidei supernaturalis semper esse certum & ex parte obiecti, & ex parte ipsius assensus. Dum enim ea fide quis assentitur, certus vtique est de ijs, quibus eum assensum præbet, cum & obiectum sit certum, & ipsi assensui falsum aliquid subesse nequeat: imo etiam certior est, quam quo scientia aliquid tenetur: id quod præstantiores Theologi non modo ex diuinis oraculis, & Patrum authoritate ostendunt, sed etiam his ferme rationibus probant. Primum, quia diuina autoritas certior est, quam causæ omnes naturales, ex quibus demonstrationes fiunt, cum Deus subtrahere possit, & nonnunquam soleat, suum influxum ad earum effe-

Lege D. Th. 2.2.q.4.arg.8. D. Bon. in 3. d. 23.q. 4. Scot. q. vnica. Mars. eod. lib. q. 14. ar. 1. & alios.

tum effecta; imo & quodammodo seipsum naturali modo cum alijs causis concurrentem impediat: nec tamen vnquam possit sui testimonij authoritati derogare, iuxta illud Pauli: *Fidelis permanet, negare seipsum non potest*: id quod etiam euidenter demonstratur. Deinde, quia lumen fidei supernaturale est; & altioris ordinis, quam naturale: vnde fit, vt huius defectus sæpe supernaturali fidei lumine aut corrigantur, aut etiam suppleantur. Postremo, quia experientia testis est, Philosophos, qui se naturalem rationem ducem sequi profitebantur, in tam multos errores incidisse, vt nulla sit absurditas, nullum delirium, quod patronum aliquem Philosophum non habeat: cum tamen, quæ fide catholica tenentur, ita cohæreant inter se, adeoque sint rationi consentanea, aut saltem propter rerum altitudinem non dissentanea, vt quidquid contra siue ab Ethnicis Philosophis, siue ab hæreticis & apostatis objicitur, facile dissoluatur.

2. Timoth. 2.

Quæ sit in eo firmitas adhæsionis.

Quod si de firmitate adhæsionis agitur, concedendum est, non ita esse firmum assensum catholicæ fidei, vt ab eo Catholicus resilire non possit. Id quod inde prouenit, quod firmitas adhæsionis non nascitur ex solo obiecto, aut ex solo Dei dono, quod est habitus fidei infusæ; sed etiam ex pia credentis affectione, vt dictum est: quæ affectio mutari potest, & sæpe etiam mutatur, frequenti potissimũ peccandi consuetudine, iuxta illud, quod Apostolus Timotheo cõmendat, vt cum fide bonam conscientiam retineat: *Quam quidam* (inquit) *repellentes circa fidem naufragauerunt.*

1. Timoth. 1.

Quod si motiuum credendi ex parte obiecti, vtpote authoritas Dei testificantis, nobis esset euidens, (quod credibile est quibusdam Patriarchis, & Prophetis, Baptistæ, Apostolisque accidisse) ipsa etiam euidentia Dei testificantis, quem naturali ratione scimus nec fallere, nec falli posse, efficeret, vt quod credimus, negare mente non possemus: non essent tamen propterea euidentia nobis in se ipsis ea, quibus Deo sic testante assentiremur; sed tum demum, cum ea ipse in sua diuina essentia clare perspecta nobis euidentia faceret, aut de ijs talem nobis scientiam abstractiuam infunderet, qualem in Christo Domino, quatenus viator erat, plerique Theologi asserunt: nam attestatio non est causa, aut effectus eius rei, quæ ex ea probatur, sed externum signum. Hinc enim fit, vt argumẽta ex authoritate non vocentur à Dialecticis, & Rhetoribus insita, & artificiosa sed extrinsecus assumpta, & artis expertia: quia non ex re ipsa, quæ probatur, arte aliqua eliciuntur; sed aliunde petuntur & vsurpantur. Possent

Euidentia Dei testificãtis quã vim habeat.

Palud. in 3. d. 14 q. 2. Caiet. ad 3. p. q. 11. ar. 1. & recentiores, qui bus eo loco fauet D. Th.

A tamen dici euidentia in testificante, quæ euidentia non efficit euidentiam in ijs rebus, de quibus testimonium perhibetur; sed auget eorum certitudinem, & firmitatem assentientis. Nam sola euidentia causæ, aut effectus rei, quæ probatur, quia causa ad eius esse pertinet, & effectus ab eius esse manat, potest in ea euidentia efficere: quod recte adnotauit Caiet. in commentarijs secundæ partis summæ Theologiæ D. Thomæ.

B Ad tertium dicendum est, semper quidem alteram contradictionis partem de præsenti, aut præterita certam esse ex parte rei, non tamen ex parte opinantis, cui non proponitur tanquam certa. Nam si tanquam certa proponeretur, nempe vt certa, & euidẽs in se, aut per causam suam certam & euidentem; aut per certum, & euidentem effectum; aut saltem per certum, & infallibile testimonium, quod soli Deo testificanti tribui potest: (*omnis*

2. 2. q. 1. ar. 4.

Semper altera pars contradict. de re præsenti, aut præterita, certa est ex parte rei, non tamen ex parte opinantis.

C *enim creatura intelligens natura sua potest esse obnoxia mendacio*) iam assensus non esset opinionis, sed scientiæ aut supernaturalis fidei. Vnde patet, non esse contra rationem opinionis esse assensum de re in se certa, imo etiam in se euidente; si modo ea non proponatur vt euidens, aut saltem vt certa: satis enim est, si res ex parte assensus certa non sit: ac proinde etsi certitudo assensus semper ex obiecti certitudine oriatur; incertitudinẽ tamen vel ex solo

D proponendi modo posse prouenire, siue illud in se incertum sit, siue certum ac necessarium.

Ad quartum argumentum concedendum est totum antecedens, dicendumque recte concludi, non esse verum id, quod dici solet, *Omnem opinionem esse cum formidine assensus*, siue ea sumatur in commune, siue speciali ratione, vt à fide humana distinguitur: nisi quis vtatur nomine formidinis pro *incertitudine*. Omnis enim opinio, vt fidem etiam humanam complectitur, incerta est: tametsi assen-

Assensus opin. interdũ caret formidine.

E sus & specialis opinionis, & fidei humanæ aliquando cum formidine sit, aliquando sine formidine. Vnde patet firmitatem, seu firmam adhæsionem, & oppositam formidinem accidentia esse tum humanæ fidei, tum specialis opinionis Primum, quia firma adhæsio etiam in genere assensus certi reperitur, vtpote in scientia & fide catholica. Deinde, quia assensus fidei humanæ, quæ aliquando est cum

Formido opponitur firmæ adhæsioni & vtrumq; est accidens opin.

F formidine auctis testibus efficitur firmus, & sine vlla hæsitatione, vt Antipodas esse. Nam cum id olim cum formidine crederetur, propterea quod non satis constabat, num gens vlla torridam zonam pertransisset; (*mittenda enim est eorum delusio, qui naturaliter fieri non posse putabant, vt homines obuersis sibi inuicem vestigiis insisterent*) hodie plurimorum in

Indiam nauigantium testimonio sine vlla hæsitatione creditur. Postremo, quia id ipsum, quod sine formidine aliquando credimus, adeo etiam probabili opinione tenere possumus, vt nihil iam de ea re dubitemus: vt si quis sine tam multorum nauigantium autoritate sibi persuasisset Antipodas esse, eo quod cogitasset oportere climata nostris opposita similem temperiem regioni nostræ naturaliter habere, nec dubitaret quicquam, quin aliqui zonam torridam pertransissent. Hæc enim ratio, etsi non satis per se esset, vt merito is sine vlla formidine id affirmaret, iuncto tamen affectu, quo quisque sua inuenta diligit, omnem ab eo assentiendi, & affirmandi formidinem posset depellere. Vnde quotidiana experientia videmus in opinionibus, quæ & vulgo, & in Scholis controuertuntur, non paucos esse, qui vel assuetudine, vel affectu ita demum adhæreant ei parti, quam probarunt, vt nihil sibi de opposita veritate metuant.

Quod idem apud sectarios multo est apertius, qui primum autoritate alicuius dogmatistæ commoti, accedente deinde consuetudine, vel affectu, errores suos fide mere humana quasi catholica suscipiunt.

Possitne cum scientia actus fidei, aut opinionis reperiri?

SECTIO V.

POSTREMVM argumentum vt dissoluatur, discutienda est difficultas illa, *possitne cum actuali, aut saltem habituali scientia actus supernaturaliter credendi, aut quomodocunque opinandi reperiri?*

Sententia omnino negãs est Dur. q. 1. prol. Capr. in 3. d. 25. q. 1. ar. 1. concl. 2. in dictis ijs, quæ dicit ar. 3. ad arg. 1. contra eand. concl.

Sunt enim, qui non solum cum actu, aut habitu scientiæ existiment actum fidei, aut opinionis de eadem propositione in eodem subiecto non posse dari; sed neq; habitum fidei, aut opinionis cum habitu scientiæ posse existere. Quod ea ratione sibi persuadet, quod actus ipsi fidei, & opinionis habeant conditiones repugnantes actui scientiæ, vt objiciebatur in argumento: habitus autem, qui in actus repugnantes declinant, non minus repugnare videantur inter sese, quam actus ipsi repugnantes. Alij vero vtrunque concedunt, nempe non solum habitus cum habitibus simul, sed etiam actus cum actibus (*saltem successiue*) inueniri posse in eodem subiecto, idq; nullam repugnantiam inuoluere.

Omnino affirmans D. Bon. in 3. d. 24. ar. 2. q. 3. Alb. arg. 9. Argent. in prol. q. 3. ar. 2. Marsil. q. 3. art. 3. Palud. in 3. d. 31. q. 2. ar. 1. Bassol. d. 24. q. 1.

1. Assertio.

Qua in controuersia illud inprimis dicendum videtur, cum habitu scientiæ posse simul & habitum fidei, & habitum opinionis de eadem re existere. Primum, quia etsi habitus sint repugnantes in ordine ad actus conA ditionum repugnantium, non inde tamen efficitur, vt sint ipsi inter se pugnantes in ordine ad idem subiectum: vt enim potentiæ non possunt simul contrarios habere actus, & tamen possunt esse simul in eodem subiecto; ita potest & in habitibus accidere, etsi inclinent ad actus repugnantes. Deinde, quia habenti fidei catholicæ habitum sæpe aduenit scientia de eisdem propositionibus, quas fide tenet: at is fidei habitus non amittitur, nisi per B actum infidelitatis, cuiusmodi non est actus scientiæ de eisdem conclusionibus, cum potius per illum magis firmetur. Eodem modo habenti scientiam habitualem sæpe aduenit fides de rebus eisdem: siquidem fidei habitus, qui in baptismo suscipitur, ad omnia catholice credenda se extendit: scientiæ vero habitus per habitum fidei de rebus eisdem non solum amitti non potest, sed roboratur potius, non quidem ex parte euidentiæ, cuius confirC matione non indiget, sed ex parte certitudinis, quæ in fide est maior. Tertio, quia si habenti fidem de primo fidei articulo, qui demonstrabilis est, proponatur eius demonstratio, non dubium est, quin ex ea gignatur scientia, cum intellectum non solum conuincat actu, sed etiam conuictũ relinquat, quod sine habitu non fit. Aut igitur tum de eo articulo amittitur habitus fidei, qui simplex est qualitas, nec proinde nisi totus amitti potest, aut id D solum amittitur, quod is habitus non possit exire in actũ credendi eundem articulũ, cum euidenter ei intellectus assentiatur: at hoc nõ est habitum amittere, sed certum aliquẽ eius actum exercere non posse. Postremo, quia fidelis assequutus post baptismum scientiã de vno articulo, si postea obliuiscatur non modo eius demonstrationis, qua illius scientiam comparauit; sed etiam illum sibi fuisse demõstratum: (*quod saltem lethargia morbo accidere* E *potest*) facilime in actum illius credendi exire potest: nullo igitur modo amisit habitum fidei in baptismo susceptum per habitum scientiæ postea acquisitum. Atque hæc est fere Theologorum communis sententia.

Scientia habitus roboratur per habit. fidei de ead. re.

2. Assertio. Ita D. Th. 2. 2. q. 1. ar. 4. & 5. & 1. 2. q. 76. ar. 3. Mag. in 3. d. 24. Rich. q. 5. Scot. q. 1. §. Dico igitur. Hispal. q. 1. ar. 3. Gabr. d. 31.

Illud secundo loco dicendum, neque eundem actum posse simul esse & scientiæ, & fidei; aut scientiæ, & opinionis; aut denique & opinionis, & fidei: neq; etiam diuersos posse simul ab intellectu elici. Prior pars ex ipsis F horum actuum rationibus perspicua est. Posterior ex eo probatur, quia fieri nullo modo potest, vt intellectus eodem tempore, etiam per diuersos actus, simul euidenter, & ineuidenter eidem propositioni assentiatur, certusque sit, & incertus de re eadem: quemadmodum neque aspectus rem eandem confuse simul, & distincte posset aspicere, etiamsi circa il-

et illam diuersos actus simul exercere posset: quemadmodum potest successiue per diuersa conspicilia modo confuse, modo distincte eandem videre. Nec recte occurres, si dicas aliam esse rationem in intellectu, atq; in sensu, eo quod intellectus alio argumento vtatur ad assentiendum eidem propositioni per actum scientiæ, alio per actum fidei, alio per actum opinionis: neque vllum incommodum videatur, quod per vnum euidenter, per alterum ineuidenter, per tertium sine certitudine illi assentiatur; etsi sensus diuersis simul conspiciliis sese non impedientibus, quasi argumentis disparatis, ad eandem rem videndam vti non possit. Non recte, inquam, occurres, quia huiusmodi respectus, & considerationes intellectus non tollunt, quo minus simpliciter, & absolute simul repugnent euidentia & ineuidentia, certitudo & incertitudo eiusdem obiecti in eodem intellectu, vndecunque illæ proueniant.

Obiectio. *Solutio.*

Alia obiectio. Obiiciat aliquis, posse dari in eodem intellectu simul cognitionem confusam, & distinctam; confusam per conceptum simplicem, qualis est conceptus definiti; distinctam per conceptum complexum, qualis est definitiuus, vt cum mente dicimus, hominem esse animal rationale: (*ponimus enim retineri posse aliquandiu simul conceptum subiecti cum conceptu prædicati*) ergo pari ratione posse dari in eodem intellectu simul assensum euidentem per medium necessarium, & ineuidentem per medium probabile. Sed respondendum est disparem esse rationem. Nam obiectum propositionis, cui prius assentimur ineuidenter per medium probabile, veluti per auctoritatem viri alicuius docti, aut experti; postea vero euidenter per causam necessariam, est vnum, & idem & re, & consideratione: obiectum autem conceptus simplicis, & complexi, quamuis sit vnum & idem re, nunquam tamen est idem consideratione: cum terminet conceptum simplicem, vt vnum quiddam indistinctum; conceptum vero complexum, vt plura quædam obiecta partialia illius vnius indistincti. Vnde fit, vt hi conceptus possint esse simul in eodem intellectu, quia sunt in eo respectu diuersorum obiectorum; illi autem assensus non possint, quia essent in eo respectu eiusdem obiecti.

Solutio.

3. Assertio. Gabr. in 3. d. 31. & Maior d. 24. absoluta concedunt non repugnare actus habitibus.

Tertio loco dicendum, neque etiam successiue posse cum habitu scientiæ per modũ habitus existente dari in eodem intellectu de eadem propositione actus fidei, aut opinionis: tametsi vterque possit, si habitus scientiæ existat per modum potentiæ. Intelligo autem habitum scientiæ per modum habitus existere in intellectu, cum is in quo

A est habitus, in promptu habet memoriam eius demonstratiui discursus, quo eius propositionis scientiam comparauit, aut vltimæ demonstrationis, si per plures subordinatas demonstrata est; aut saltem memor est eam propositionem sibi fuisse demonstratam. Tunc enim vere poterit ille actu sciendi vti, saltem æquiualenter euidente, cum voluerit, quæ est propria ratio scientiæ habitualis. Tunc autem intelligo actum scientiæ esse in B aliquo per modum potentiæ, cum is, in quo est, non solum est oblitus discursus demonstratiui; sed etiam non recordatur eam propositionem sibi fuisse demonstratam: is enim non solum vti non poterit actu sciendi, cum voluerit; sed etiam fortasse non minus laborabit, vt antiqui discursus demonstratiui recordetur, quam laborauerit, cum habitum ipsum acquisiuit existens adhuc in potentia ad illum.

Habitus scientiæ per modum habitus & per modũ potentiæ, quo differant.

C Hæc assertio ex eo probatur, quia cum propositio aliqua olim demonstrata proponitur, vt ei assentiamur propter alicuius auctoritatem, aut probabilem aliquam rationem; si cum habitu relicto adhuc retinemus memoriam discursus demonstratiui expeditam, & in promptu, aut saltem recordamur eam nobis fuisse demonstratam, (quod est retinere habitum per modum habitus) ea memoria simul cum habitu impedit, ne D actum fidei, aut opinionis circa illam eliciamus; opinionis, propter certitudinem, quam adhuc habemus propositionis demonstratæ; vtriusque autem, propter euidentiam illius, saltem æquiualentem, vt dictum est in solutione primi argumenti. Si vero neutram memoriam retinemus, (*quod est habere habitum per modum potentiæ*) nihil iam in nobis est, quod actum fidei, aut opinionis impediat. Ipse enim habitus scientiæ solus, ac per se si- E ne recordatione vlla demonstratiui discursus, quemadmodum non potest in actum exire, ita nec potest impedire proprium fidei, aut opinionis actum.

Probatio assertionis.

Vltimo loco dicendum est, posse simul cum habitu scientiæ concurrere ad eundem actũ non modo habitum fidei supernaturalis, sed etiam opinionis de eadem re, si antea in intellectu erat: qui tamen actus nec sit actus fidei, F nec opinionis, sed scientia, supernaturalis tamen, quando fidei habitus concurrerit. Hæc assertio quoad primam partẽ ex eo primum probatur, quia nihil repugnat eundem hominem assentiri alicui propositioni de fide quæ simul sit demonstrabilis, vt Deum esse, tum propter argumenta necessaria & euidentia, quibus vsi sunt præcipui Philosophi; tum propter diuinam reuelationem; tum etiam

Vltima asser. lege D. Th. 1. 2. q. 67. ar. 3. Dur. 1. & 2 q. vlt. prol. Capr in 3. d. 25. q. vnica. art. 2.

propter alia argumenta, quæ etsi nec euidentia sint, nec necessaria, habent tamen vim aliquam ad persuadendum. Omnia enim hæc argumenta videmus proponi, & in prædicanda primum fide catholica, & in corroboranda apud eos, qui fidem susceperunt, & in ipsis etiam libris sacræ Theologiæ, qua *fides saluberrima*, vt ait Augustinus, *gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur.* Cum hæc igitur non proponantur, nisi vt omnia ad assensum eiusmodi propositionum concurrant, nihilque vnum argumentorum genus alterum impediat, sed potius corroboret, vt experientia constat: efficitur, vt nullum sit dubium, quin omnes hi tres habitus possint ad eundem actum simul concurrere, atque adeo sæpe concurrant. Deinde, quia si qua ratione simul concurrere non possent, ea potissimum id accideret, quia fides non alium assensum videtur causare posse, nisi ineuidentem, neque opinio alium, quam formidolosum, aut saltem incertum: quæ conditiones assensui euidenti, quem semper causat scientia, conuenire nequeunt. At hæc ratio nihil efficit, quippe cum, etsi fides per se sola ineuidentem faciat assensum, & opinio incertum: tamen si coniungantur hi duo habitus cum habitu scientiæ, nec fidei habitus causabit ineuidentiam, cum hæc impediatur ab euidentia scientiæ, neque habitus, dispositiove opinionis causabit incertitudinem, quod hæc impediatur ab vtriusque illorum certitudine. Tertio, quia si habens scientiam de propositionibus, quæ sunt de fide, alioqui tamen demonstrabiles, non posset vnquam exercere circa illas actum aliquem à fide catholica profectum: peioris sane essent conditionis (vt proponebatur in argumento) docti Theologi, aut Philosophi catholici, qui eorum demonstrationem habent, quam indocti, & rudes, qui fide tantum illis assentiuntur. Essent enim actus scientifici, quibus docti illi assentirentur, mere naturales: cum tamen necesse sit supernaturali fide tenere Deum esse, vt D. Paulus ait: in hunc enim sensum sacra Tridentina synodus affert illud eius oraculum: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.*

Lib. 14. de Trinit. c. 2.

Sess. 6. c. 6. Hebr. 11.

Secunda pars eiusdem assertionis ex eo satis constat, quod actus ab iis tribus habitibus productus, non potest esse alius, quam scientiæ, cum sit certus, ac euidens.

Tertia ex eo probatur, quia cum causa aliqua concurrens ad effectum supernaturalis est, & cæteræ sunt naturales, si effectus ex omnibus efficitur, necessario is supernaturalis esse debet: habitus autem fidei supernaturalis supra naturam est, quippe cum sit per se infusum Dei donum supernaturalis beatitudinis fini acquirendo proportionatum. Nec te moueat, quod aliæ duæ causæ concurrentes, habitus, inquam, scientiæ, & opinionis, vt est communis fidei humanæ, & opinioni speciali, sunt naturales, mediisq; naturalibus innituntur: subseruiunt enim sæpe supernaturalibus naturalia suis concursibus ad effectum supernaturalem: vt patet in actibus meritoriis, ad quos cum gratia, & speciali Dei concursu concurrit liberum nostrum arbitrium. Quod idem in assensu conclusionis, quæ proprie Theologica est, euenire potest. Huiusmodi est assensus eius conclusionis, qua asseritur, Deum esse mortalem factum, cum ex duabus sumptionibus efficiatur, quarum altera naturalis est, nempe, *Omnem hominem esse mortalem*; altera ad fidem pertinens, vtpote, *Deum esse factum hominem.* Quod si ex altera sumptione lumine naturali cognita, altera supernaturali supernaturalis assensus efficitur: cur non ex diuersis argumentis coniunctis, & quasi conglobatis ad eandem conclusionem, quorum vnum tantum sit supernaturale? Huius generis erit ille assensus, (*vt illo eodem exemplo vtamur*) quo fatemur Deum esse, tum quia necesse est dari in rerum natura aliquid ex se necessarium, & independens, à quo pendeant cætera; tum quia id ipsum omnia diuina oracula pronuntiant; tum etiam, quia præcipui quique sapientes in eam sententiam conspirarunt.

Actus procedens ab habitu fidei & scient. simul, supernaturalis est.

Si quis autem quærat, quid conferant habitus fidei, & opinionis huiusmodi actibus: (*namque actus hi, cum scientia sint, vt probatum est, ita certi sunt, vt non indigeant noua certitudine: actus vero opinionis, cum nec certus, nec euidens sit, nihil videtur ex se his actibus conferre posse*) respondendum est, etsi naturalis actus scientiæ non indigent noua certitudine naturali, indigere tamen supernaturali, vt suppleant locum actuum fidei supernaturalis, qui cum habitu scientiæ per modum habitus existente haberi non possunt, vt dictũ est. Vnde fit, vt certitudo actuum sciendi, qui simul à scientia, & fidei habitibus proficiscuntur, certiores sint, & nobiliorem habeant certitudinem, quam si à solo habitu scientiæ prodirent. Quod vero attinet ad opinionis habitũ, etsi is neque ad certitudinem neq; ad euidentiam inclinat, inclinare tamen ad assensum, quod satis est, vt cũ aliis concurrat: nam sub illis duab. negationibus, quibus opinio declaratur, incertitudinis, inquam, & ineuidentiæ, positiua illa conditio significatur, quam dicimus verisimilitudinẽ, & probabilitatem, quæ ad assensum, etsi parum conferat, haud dubie tamen nonnihil conducit, vt assen-

Quid conferat habitus fidei actui, ad quẽ concurrit simul cum habitu scient.

Quid item habitus opinionis.

assensus scientiæ probabilitate opinatiuæ dispositionis adiuncta procliuius præbeatur, vt patet in proposita sapientum conspiratione ad eam sententiam, qua Deum esse concluditur.

Solutio vltimi arg. Ad vltimum igitur argumentum, cuius causa hæc omnia explicata sunt, dicẽdum est; nunquam cum scientia siue actuali, siue habituali (*per modum tamen habitus, & non potentia existente*) esse posse vel actum credendi, vel opinandi; vtrumq; enim impedit euidentia scientiæ: sed tamen non inde effici actus scientiæ, & fidei supernaturalis non recte distinctos à nobis esse inter se ratione euidẽtiæ, & ineuidentiæ, & ab actibus cuiuscunq; opinionis ratione certitudinis & incertitudinis.

Nam etsi cum actu sciendi, aut etiam habitu per modum habitus existente non potest simul esse siue actus credẽdi, siue opinandi, quod recte probat argumentum, si exponatur iuxta ea, quæ à nobis dicta sunt: potest tamen à tribus habitibus sciendi, credendi, & opinandi simul concurrentibus alius actus sciendi altioris naturæ prodire, qui etsi non sit actus credendi, aut opinandi, à fidei tamen habitu maiorem, altioremque certitudinem, præstantiorem etiam affectionem, & firmiorem adhæsionem accipiat: quibus conditionibus affectus tantundem valebit ad meritum doctorum hominum, quantum ad meritum simplicium proprius, & peculiaris actus fidei. Erit enim, vt ab auctoritate diuina profectus, non modo supernaturalis, sed etiam liber, vtpote ex pia affectione ortus, tantaque adhæsione elicitus, vt docti illi per eum non minus parati esse possint ad mortem oppetendam eius profitendi causa, quam si esset à sola fide profectus. Cætera, quæ de opinione adducuntur, difficultatem iam non habent, si ea, quæ dicta sunt, consulantur.

Præstantia actus à fidei & scientiæ habitibus eliciti.

De actu sciendi, quatenus à Philosophis tractari solet.

SECTIO VI.

Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, perspicuum est, actum sciendi, vt ab actu credendi, & opinandi distinguitur, late admodum patere. Assensus enim certus & euidens complectitur omnem certam & euidentem cognitionem siue principiorum, siue conclusionum, siue eorũ, quæ per se copulata sunt, siue eorum, quæ per accidens, siue quæ necessaria sunt, siue quæ contingentia ad aliquã necessitatem reducta; siue vniuersalium, siue singularium, siue per compositionem conceptuum, aut etiam discursum habeatur, vt sæpe apud nos, siue sine discursu, aut compositione, vt apud Deum, & alias substantias separatas, siue intuitiua illa sit, quæ supponit rerum cognitarum existentiam, siue abstractiua, quæ illam minime supponit. Namque in omnibus his assensuum generibus dantur assensus certi, & euidentes.

Quæ comprehendat nomen assensus certi & euidentis.

Verum Philosophi ex hac tam ampla sciendi ratione selegerunt genus quoddam peculiare, de quo ex instituto agerent, ac in vulgatas sciendi formas distribuerent, & ad quod cætera omnia sciendi genera aut reuocarent, aut ex eo tanquam excellentius quiddam (*quod principiorum cognitio dicitur*) colligerent. Hoc autem est scire per demonstrationem: id quod Aristoteles aperte docuit *priori libro de posteriori resolutione*, cum dixit, *Scire esse per demonstrationem intelligere*; & *demonstrationem esse syllogismum scientificum*, hoc est, efficientem, vt sciamus. Quo fit, vt ex conditionibus demonstrationis colligendum sit, qualis esse debeat actus sciendi, de quo Philosophi ex instituto agunt. *c.1.tex.4. & c.2.tex.5.*

1. demonstrationis conditio. Ac primum, demonstratio esse debet de iis, quæ sunt, hoc est, de iis, quæ sunt vera: quod ex eo probat Aristoteles eodem loco, quia fieri non potest, vt id, quod non est, sciatur: sumit autem eo loco, *Esse, & non esse*, eo modo, quo quinto libro huius operis capite septimo, & hoc ipso libro capite secundo pro vero & falso. Propter quam conditionem excluduntur à sciendi ratione non modo errores, & aliæ falsæ cognitiones, sed etiam incertæ: cuiusmodi est actus opinandi, & credendi fide humana. Nam verum eo loco pro vero, certo, & determinato accipi debet, vt superius nomen veri accepimus, non pro verisimili. *text.5. text.14. text.4.*

Secunda. Ex Arist. 1. post. c.2. text. 5. c.4. text.7. c.6. tex.15. c.7 text.21. & 6. Ethic. c.3. Secundo loco, esse debet demonstratio de necessariis, non ex suppositione tantum, qualia sunt multa vera, certa, & determinata, sed simpliciter, hoc est, quæ aliter euenire nequeunt, seu omnino, (intellige) seu naturaliter, vt superius exposuimus. Qua conditione excluditur cognitio contingentium, etiamsi ex suppositione sint necessaria.

Tertia. 1. post. cap.4. text.9. cap.6. tex.18. Tertio loco, esse debet de iis, quæ per se coniuncta sunt, vt scilicet vel prædicatum sit de ratione subiecti, vel subiectum de ratione prædicati. Qua conditione reiicitur cognitio eorum, quæ per accidens copulantur, etiamsi necessario connexa sint, vt nigredo cum coruo, & albedo cum cygno.

Quarta. 6. Ethic. c.7. 1. poster. c. 7. text.21. Quarto loco, esse debet de rebus perpetuis. Iudicarunt enim Philosophi. ea, quæ caduca sunt, & consistentiam non habent, quatenus quidem talia sunt, tanto hominum studio, & labore digna non esse. Qua conditione excluditur à ratione sciendi cognitio historica,

quantum-

quantumuis certa sit, nisi quatenus ad perpetuitatem quandam bonæ administrationis Reipublicæ conducit: itemque cognitio singularium, quatenus per se gignuntur, & intereunt; tametsi non omnino reiicitur, quatenus eorũ generatio & corruptio quandã perpetuitatem generationum possunt efficere.

Quinta. 1. post. cap. 7. tex. 21. & ca. 26. text. 44. 6. Eth. c. 6. & 7. Met. c. 15. 53.

Quintam conditionem addiderunt Philosophi, vt esset de rebus vniuersalibus: tum quod singularia essent ex se incerta numero, & indeterminata sub communibus naturis, quibus nil repugnat esse in pluribus, vel paucioribus indiuiduis; tum quia in naturis vniuersalibus etiam ipsa fluxa, & caduca suo modo sunt perpetua, vt eorum etiam hoc pacto scientia non negligatur; tum ob alias causas, quas libro sequenti cum Aristotele prosequemur. Qua ratione excluditur à ratione scientiæ cognitio singularium, non iam eorum tantum, quæ corruptibilia sunt, sed omniũ, quatenus illa sub vniuersalibus continentur. Vnde intelliges non excludi cognitionem, quæ de Deo haberi potest: diuina enim natura sub nulla communi continetur; sed ipsa potius omnes in se perfectissime continet.

De Deo haberi potest scientia.

Sexta. 1. post. cap. 2. text. 5. & ca. 10. tex. 30.

Sexta, ac vltima conditio est, vt habeatur per causas, vel effecta eorum, quæ demonstrantur: hæc enim sola merito iudicarunt Philosophi efficere posse, vt ea, quæ demonstrantur, euidentia euadant, cũ ipsa per se euidentia non sint, seu per se nota; alioqui demonstratione non indigerent. Atque hac conditione excluditur à ratione scientiæ hoc pacto consideratæ cognitio, & notitia principiorum, quod hæc per se nota sint, & ex suis terminis solo intellectus lumine perspecta. Intelligitur autem sub hac principiorum cognitione cognitio etiam definitiua, & diuisiua illa, quæ fit per opposita contradicentia, definitiuamque antecedit, vtpote in communissimo illo principio fundata, quo præscribitur, *Quodlibet esse vel non esse*. Itaque omnis hæc principiorum cognitio per hanc sextam conditionem excluditur, seu (*quod potius dicendum est*) eximitur, quod excellentior sit cognitio, & scientia, quam quæ demonstratione efficitur, vt Aristoteles tradit eiusdem libri *cap.* 3. Qua de causa ille in sexto Ethicorum libro ea ratione distinxit cognitionem principiorum à scientia, quæ per demonstrationem comparatur, vt illam appellauerit peculiari vocabulo intellectũ; hãc autem communi nomine sciẽtiam. Proinde, cum parum operæ, ac industriæ ponendum esset Philosophis in tradenda ratione cognoscendi principia, (*satis enim ad eam est communis inductio ex singularibus, & terminorum explicatio*, Vt

Cognitio principij non est proprie scientia.

4. Met. ca. 7. tex. 27. cap. 6.

Vide lib. 1. c. 1. q. 4.

ipsi sæpe docuerunt) tota ferme eorum cura consumpta est in tradenda, & exercenda scientia, quæ demonstratione acquiritur.

His fauet Plato 7. de Rep. & Proclus 1. lib. comment. in Euclid.

Excludunt etiam nonnulli hac conditione rationem sciendi Mathematicorum, quod non tradatur adminiculo eius demonstrationis, quam præscripsit Aristoteles, nempe constantis subiecto & passione, causaque aut effectu eius, quod demonstratur. Sed eorum sententia non est probanda; tum quia multæ Mathematicorum demonstrationes ad formam Aristotelicæ demonstrationis redigi possunt; tum etiam, quia vbi in iis rebus non apparet causa eius, quod demonstratur, credendum est eam latere, si non physicam & realem, quasi habeat verum, & realem effectum, certe eam, quæ dicitur ratio à priori. Nam, vt Aristoteles sapienter docet initio librorum Rhetorices ad Theodecten, *Vbi aliquando aberratur, aliquando recte aliquid fit, necesse est subesse causam aliquam, cur id recte fiat: eamque quærere, ac tradere artis & scientiæ officium est.*

In Mathem. sunt propriæ dicta demonstrat.

Septima demonstrat. condit.

Addunt nonnulli eam conditionem, vt scientia de veris rebus agat, quales reales vocant, non de entibus rationis, aut nõ entibus, quæ sunt negationes, (*neque enim alia sunt non entia, nisi commentitia, de quibus nullo vnquam modo agendum est*) eo quod entia rationis, & negationes consideratione Philosophica indigna sint. Verum hæc conditio necessaria non est: nam & de entibus rationis certa quadam ratione agunt Philosophi, & de negationibus quamplurimis, iisque non parui momenti & in Philosophia, & in Theologia, quod vtraque ad rerum verarum cognitionem non parum conducant, suasque habeant non contemnendas difficultates.

Reiicitur.

Octaua. Improbatur.

Alii addunt, *Vt scientia sit sui ipsius gratia*, hoc est, *solius cognitionis suæ causa instituta*. Sed hi non vident, quam præclaras morum scientias à scientiarum choro excludant, vt mittamus eas, quæ proprie artes vocantur, in quibus etiam sæpe sunt pulchra, & vtilia problemata, quæ ex veris causis, aut effectis demonstrantur: cum tamen Aristoteles hoc capite vtrumque genus scientiarum nomine dignetur. Ita patet, qua significatione sumatur sciendi actus, quatenus à Philosophis peculiari ratione tractatur.

text. 1.

De quo actu opinandi agant Philosophi.

Vt vero illi non omnem sciendi actum certum, & euidentem tractandum, & in varias formas diuidendum susceperunt; sed eum tantum, qui per demonstrationẽ efficitur: ita neq; omnẽ actum opinandi, sed eum tantum, qui omnibus communis est, aut plurimis, aut sapientibus, & iis vel omnibus etiam, vel plurimis, vel maxime probatis, & illustribus, vt nimi-

Arist. 1. Top. c. 8.

nimirum priuatam opinionem huius, vel illius hominis, quæ sæpe improbabilis esse potest, & interdum error grauissimus, excluderent; ac dialecticum syllogismum ex iis tantum, quæ communiter probabilia sunt, conficiendum esse docerent. *Atque hæc de actu sciendi, tum in genere, tum quatenus à Philosophis ex instituto tractari solet.*

Quid sit habitus scientia. De habitu autem scientiæ id solum hoc loco dicendum, nihil illum esse aliud, quam id, quod ex actu sciendi quouis modo sumpto in intellectu relinquitur, quo plane experimur nos habiliores, & promptiores manere ad similes actus, cum libet, exercendos; quicquid tandem id sit, de qua re proxima quæstione commodius agemus: modo, ne iusto longiores simus, ad habitus earum tantum scientiarum, quas Philosophi ex instituto tractarunt, & in totales quasdam scientias diuiserunt, disputationem accommodemus. In qua etiam controuersia tractanda multa de actu sciendi, quæ in hac quæstione dici commode non potuerunt, explicabuntur.

Sitne scientia simplex qualitas?

QVÆSTIO II.

...rum, qui dicunt esse simplicem qualitatem.

SECTIO I.

...n calce superioris disputationis à ...i actu ad habitum scientiæ transi...mus; habitus autem interiores no...cculti sint, nec nisi coiectura qua...ous, quos experimur, quales, & ...i sint, elicere vtcunque possimus: ...n expedienda proposita difficulta... quis suscipiendus est, propter va...num hac de re grauium auctorum ..., nec parui momenti eorum ratio...imus autem in ea nomen *habitus* ...o habitibus conclusionu, vt exclu...bitus principiorum: tametsi alias ...ue genus habituum comprehendi so...let, cum de omnibus iis, quæ ad eandem scientiam spectant, sermo incidit.

...1.2.q. ...ar.4. Cai. ibid. Capr in prol. q.3. Fer. 1. cont. gentes c.56. Henric quodl. 9. q. 4. Dur. q. 4. prol. Hac in re D. Thomas, eiusque præcipui sectatores, Henricus etiam Gandauensis, Durandus, & alii complures asserunt, scientiam quamlibet totalem ex vulgaris, vt Geometriam, Physicam, & Metaphysicam, esse simplicem qualitatem, hoc est, vnam, nō plures. Vtuntur enim scholastici in hac quæstione nomine *simplicis* pro *vnius*; tametsi proprie non idem significent *vnum* & *simplex*, vt ait Arist. *lib.* 12. aut potius eo vtuntur in vtraque significatione, vt primarius sensus quæstionis sit: *Num scientia sit vna qualitas numero in quolibet, an plures?* Secundarius autem: *Quod si vna numero, simplex ne sit, an composita ex pluribus?* namque & posterior sensus in eius tractatione attingitur. Argumenta, quæ pro hac sententia afferuntur, hæc fere sunt: *c.7. tex.37.* *Eorum arg.*

Primum, quia habitus scientiæ est in prima specie qualitatis, eiusque species quædam: omnis autem species qualitatis, quemadmodum est qualitas, ita & vna qualitas, non plures qualitates: quo etiam pacto omnis species substantiæ completæ, quę est genus summum in prædicamento *substantiæ*, est vna substantia completa, non plures.

Deinde, quia habitus fidei catholicæ, etsi est de tam multis credibilibus; tamen est vna numero qualitas, quæ tota simul infunditur in baptismo, totaque amittitur ab hæretico, qui vel vnum negat fidei articulum. Est igitur eodem modo rationi consentaneum, vt etsi eadem totalis scientia sit de tam multis scibilibus; non sint tamen plures numero qualitates, sed vna, & eadem: præsertim cum sæpe scientiæ naturali lumine acquisibiles infundantur à Deo, vt Salomoni, quemadmodum fides omnibus fidelib. Idem porro argumentum sumi potest ex habitibus spei, & charitatis, qui cum simplices qualitates sint à Deo etiam infusæ; tamen circa multa versantur, vt charitas circa amicos & inimicos; spes autem circa varia bona futuræ beatitudinis. *3. Reg. 3.*

Tertio, quia singuli habitus virtutum moralium sunt singulæ etiam qualitates. Eadem enim qualitas est, qua temperantes vtuntur in recto vsu diuersarum affectionum gustus; eadem etiam, qua iusti propensi facti sunt ad reddendum creditori debitum, atq; ad æquale venditori pretium.

Quarto, quia cum eadem numero potentia (*quam omnes vnam numero qualitatem esse confitemur*) versetur circa plura specie obiecta, vt aspectus circa plures specie colores, & intellectus circa omnes rerum species; non est, cur non idem concedendum sit habitui scientiæ, vt vnus numero versetur circa plura specie obiecta: præsertim cum commune proloquium Philosophorum sit, *Eandem esse contrariorū scientiam*, quę semper differunt specie. *Arist. 1. Top. c.8. & in proæ. sect. 30. q. 7. & q. 11. & li. 9. Meta. c.2. text. 4.*

Quinto, quia vt se habet sensus ad obiecta sensibilia; ita scientia ad obiecta scibilia, vt sæpe docet Aristoteles: sensus autem non diuiditur in varias species sensuum iuxta varietatem obiectorum materialium, quæ sunt ipsæ qualitates sensibiles, (*alioqui quot sunt species colorum, tot essent species sensuum, qui circa eas versarentur: eodemque modo quot* *3. de anim. c. 8. text. 38. & 4. Meta. c.2. tex. 2.*

species sonorum, odorum, saporum, & tangibilium qualitatum) sed diuiditur iuxta varietatem obiectorum formalium, hoc est, rationum, seu modorum sentiendi: (*omnes enim colores vno & eodem modo sentiuntur, omnes item soni alio quodam eodem; & ita cætera sensibilium qualitatum genera*) ergo & scientia non est diuidenda in varias species iuxta varietatem obiectorum materialium, quæ sunt ipsa pronuntiata demonstrabilia; sed iuxta varietatem obiectorum formalium, id est, modorum considerandi scibilia, quorum quisque communis est pluribus pronuntiatis scibilibus. Hi autem sunt modus considerandi res naturales, seu physicas per abstractionem à sola materia sensibili singulari; modus considerãdi res mathematicas per abstractionem à materia sensibili, siue singularis illa sit, siue vniuersalis, & modus considerandi res metaphysicas per abstractionem ab omni materia, siue sensibili, siue intelligibili. Quod cum ita sit, vnus tantum specie est habitus scientiæ, quo sciuntur omnia pronuntiata physica, & vnus numero in singulis, ac proinde vna numero qualitas: & ita in cæteris scientiis.

Obiecta formalia variarum scientiarum.

Vltimo loco, quia si quælibet scientia non esset vna, nisi vnitate ordinis, vt respublica, aut exercitus; (*hanc enim vnitatem esse dicunt in scientiis, qui asserunt quamlibet earum esse plures numero qualitates*) omnes vtique scientiæ essent vna scientia: quandoquidem omnes habent ordinem congruentissimum inter se, vt contemplatiuæ sint ordine dignitatis priores practicis, & inter vtrasque eæ præstent cæteris, quæ sunt de præstantioribus obiectis. Quinetiam eadem ratione omnes virtutes morales essent vna virtus numero: quandoquidem omnes apto ordine sunt connexæ inter se, vt morales Philosophi ostendunt. At dicere in hominibus vnam tantum esse numero sciẽtiam rerum omnium, vnamque tantum numero virtutem circa omnium virtutum opera, quis non videat valde insolens, & absurdum esse?

Arist.6.Eth. c.13. Plato in Protag. Tull. lib.2.Tusc.q. D.Th.1.2.q. 65.art.1.

Est tamen inter auctores huius sententiæ non parum dissidii. Namque alii existimant, habitus conclusionum in vnaquaque scientia non esse qualitates diuersas ab habitibus principiorum, sed hos, allatis aliis atque aliis diuersarum conclusionum demonstrationibus, magis perfici, neque vllum alium nouum habitum acquiri, sicq; paulatim totales scientias acquiri. Id quod ex eo probant, quia principia eo cognoscuntur perfectius, quo plures conclusiones ex ipsis deducuntur: quod non accideret, nisi habitus principiorum per alias atque alias demonstrationes perficerentur, & ad varias conclusiones extenderentur. Sed cum apertum sit vniuscuiusque totalis scientiæ plura esse principia, videntur hi sane cogi, vt dicant, vnum & eundem esse habitum eorum omnium principiorum, quæ ad eandem scientiam spectant: alioqui tenerentur admittere vnamquamque totalem scientiam esse plures habitus, qualitatesque, quod negant.

Prima huius sent. append. Hu fauet D. Th in 2.d.24 q.2.art.4.& Henr. quodl. 9.q.4.

Alii vero, cum merito distinguant habitus conclusionum ab habitibus principiorum, dicunt, vnamquamque totalem scientiam ita esse vnam numero qualitatẽ, vt eam, quatenus versatur circa diuersas cõclusiones, componant ex pluribus partibus integrantibus: non quidem similaribus, & eiusdem rationis, quasi gradibus pertinentib. ad eius intensionem; sed dissimilaribus, diuersæque rationis, eo quod eã extendant ad varia obiecta materialia. Volunt autẽ has partes vniri inter se ad cõpositionem totius scientiæ, quemadmodum partes dissimilares animalis ad compositionem totius: nisi quod hæ sunt extensæ ad extensionẽ materiæ, & quantitatis; illæ vero, cum sint in subiecto immateriali, non efficiunt extensionem quantitatiuam, sed quasi potestatiuam: quo enim scientia in eodem intellectu ad plures conclusiones extenditur, eo maiorem habet vim, & potestatem.

Secunda.

Alii nullam agnoscentes actualem compositionem scientiæ ex partibus integrantibus, dicunt quamlibet scientiam esse qualitatem omnino simplicem simplicitate opposita actuali compositioni ex huiusmodi partibus: sed admittunt aliam quandam compositionem, quam appellant virtualem, quatenus volunt quamlibet scientiam, etsi in se ipsa simplex qualitas sit, & minime composita aduentu nouarum particularum per alias atque alias demonstrationes, vt compositum esse volunt auctores proxime citati, tamen diuersis demonstrationibus effici, ita vt idem habitus perinde extendatur virtute ad plures conclusiones, ac si illi aduenirent nouæ particulæ diuersarum rationum. *Extenditur enim*, inquiunt, *ad actus specie diuersos, si in se ipsis spectentur: quamuis iidem respectu eiusdem obiecti formalis scientia totalis sint eiusdem speciei.*

Tertia appendix. ita Caie.1.2. q.54.c.4.

Quocirca duplicem latitudinem ponunt omnes hi auctores in qualibet scientia; vnam extensionis, quatenus diuersis specie actibus ad diuersas conclusiones extenditur; alteram intensionis, quatenus eodem actu specie perficitur circa eandem conclusionem, cum sæpius exercetur: tametsi quidam ex illis dicunt, habitum scientiæ non solum intendi, cum sæpius exercet circa eandẽ conclusionem alium.

In quo hi conueniant auctores. Caiet. citato loco. Ita videtur sentire Capr. in prol. q. 3. art.2. ad 2. Greg. contra 1.resp.

aliam & alium actum eiusdem speciei; sed etiam, cum per actus diuersarum specierum circa diuersas conclusiones versatur. Denique in hoc omnes conueniunt, vt dicant, per actum solius primæ demonstrationis acquiri habitum scientiæ totalis; per alios autem, siue specie diuersos, siue eosdem specie, non acquiri nouum habitum; sed eundem vel extendi circa diuersas conclusiones, vel intendi circa easdem.

A

B

Probabilior opinio eorum, qui dicunt, quamlibet totalem scientiam esse multarum qualitatum ordinatam coniunctionem.

SECTIO II.

Scot. hoc li. q. 1. & in prol. q. 3. Och. q. itẽ 3. Greg. art. 1. Mar. q. 7. ar. 2. Gabr. q. 8. Conrad 1. 2. q 54. art. 4.

SCOTVS vero, eiusque sectatores, Ochamus item cum cæteris Nominalibus, & quidam recentiores Thomistę volunt potius vnamquamque totalem scientiam esse plures numero qualitates habituales, habentes tamen ordinem quendam inter se sub formali eius obiecto: tametsi non omnes modo eodem suam sententiam explicant.

C

Quorundam explicatio.

Sunt enim, qui eam sic intelligant, vt dicant, habitum scientiæ nihil esse aliud, quam ipsas species intelligibiles earum rerum, quæ cadunt sub eius obiecto formali. Hæc sententia proprie est Pauli Soncinatis hoc loco, qui sic eam exponit, vt velit huiusmodi specierum nomine non esse intelligendas species intelligibiles simplicium terminorum, sed complexorum enuntiabilium. Nam species, quarum interuentu res ipsæ simplicibus conceptibus apprehenduntur, præcedunt in intellectu omnem actum sciendi, ac proinde omnem habitum scientiæ, qui actu sciendi generatur: at species quas ponit enuntiabilium, quæ demonstrantur, (*si quæ illæ sint*) non præcedunt actus demonstrandi, sed sequuntur, vt quæ ex illis gignantur, & in ipso intellectu relinquantur, ad similes actus eliciendos. Atque ex his speciebus putat ille totalem quamque scientiam coactam esse.

D

E

Reiicitur.

Verum hæc sententia, etsi non facit totalem scientiam simplicẽ qualitatem, sed multiplicem, non est tamen in hac probabiliori parte huius quæstionis ponenda. Neq; enim probabile est relinqui in intellectu ex actibus sciendi nouas species intelligibiles repræsentatiuas complexorum enuntiabilium, cum satis sint ad repræsentandum eorum extrema per modum habitus, ipsę species intelligibiles a singularib. aut minus vniuersalibus abstractæ, & intellectus ipse ad eorum terminos eliciendos ex simplicibus illis speciebus, & in varias complexiones enuntiatiuas copulandos, iudiciumque ferendum de eorum vera copulatione ex veritate præmissarum: quibus in rebus tota ratio actus demonstrandi posita est. Quod si obiiciatur, satis quidem esse primas illas species & ipsum intellectum ad hæc præstanda, non tamen, vt ea facile, prompte, & ex habitu fiant: respondendum est, vt hæc etiam ex habitu & peculiari propẽsione fiant, satis esse species illas primas perfectiores iam factas per actum primæ demonstrationis, & ipsum intellectum cum ea habilitate, quæ in eo relinquitur ex eodem primo demõstrationis actu, vt prompte, ac facile vtatur iisdem speciebus ad eliciendos ex illis eosdem specie terminos, & eos inter se apte copulandos, tandemque ad iudicium tale, quale diximus, ferendum, quę habilitas in intellectu relicta est proprie ipse habitus scientiæ. Vnde illud etiam argumentum contra hanc sententiã perspicue desumitur: quod cum ad habitum scientiæ requiratur noua facilitas & promptitudo peculiaris, tam ex parte specierum in repræsentando, quam ex parte intellectus in eliciendis, & copulandis eisdem terminis, de eorumque copulatione iudicio ferendo: hæc autem, quæ intellectus præstat, potiora sint, & in quibus ipse habitus scientiæ formaliter consistit: auctores huius sententiæ in sola facilitate repræsentandi specierum positam esse putant habitualis scientiæ naturam, relicto eo, quod præcipuum & formale est.

Non dari species intelligibiles complexorum.

Obiectio.

Sed obiiciat aliquis, sæpe D. Thomam dixisse, *scientiam habitualem esse ipsam ordinatam collectionem specierum intelligibilium*: hinc enim huiusmodi auctores occasionem acceperunt, vt ita sentirent, adiuncta Commentatoris auctoritate, qui idem asserit. Scotus quoque docere videtur, speciem intelligibilem subiecti attributionis, siue totale illud sit, & commune in tota scientia, siue particulare sub eo contentum, esse scientiam habitualem illius: idque ea ratione, quia quemadmodum obiectum in rerum natura virtute continet omnes veritates de ipso demonstrabiles: ita eius species intelligibilis in mente easdem virtute comprehendet.

De verit. q. 8. art. 16. q. 10. art. 2. & in 3. d. 14 q. 1. art. 1. q. 2. 1. Met. com. 27. Locis citatis.

Dilutio.

Ad hanc tamen obiectionem tria dicenda sunt. Primum, hos auctores non loqui de speciebus intelligibilib. complexorum enuntiabilium, quas nullas esse crediderunt: sed de iis tantum, quæ à particularibus abstrahuntur. Deinde, non esse loquutos de eo, quod formale est in scientia habituali, sed de eo, quod est quasi materiale, fundamentumq; & quasi radix eius, quod formale est, quod non dubium est, quin sit ipsa specierum ordinata collectio: id quod etiam eorum interpretes declarant. Pro qua re legendus est potissimum

F

Caietanus in commentariis primæ secundæ D. Thomæ *ad q.* 54. Postremo, non mirum esse eos hunc loquendi modum vsurpasse, cum in ea re Aristotelem sequuti sint, qui sæpe ait, *scientiam esse id, quod sub scientiam cadit*, quod intelligit repræsentatiue, siue, *vt dicunt*, intentionaliter, eo quod species intelligibiles rerum, quæ sciuntur, sint earum quasi vicariæ apud intellectum, à quo res ipsæ tractantur, & earum naturæ, partes, & proprietates explicantur. Nam cum res, quas intellectus in examen vocat, debeant ei esse præsentes; nec tamen fieri possit, vt illæ per se ante eius quasi tribunal compareant: necesse est, vt earum locum propriæ ipsarum species, & similitudines suppleat. Eadem ratione sæpe etiam id m docet, artes & scientias, siue contemplantes, siue agentes, esse ipsas rerum rationes, hoc est, esse earum conceptus, tum simplices tum præcipue definitiuos: id enim propterea scribit, quia conceptus expressius res ipsas repræsentat, quam species intelligibiles. Itaq; cum primum fundamentum scientiarum sit ipsa rerum præsentia apud intellectum per simplices earum species intelligibiles, in quib⁹ tota illarum structura nititur, & ex quibus quasi seminibus, aut radicibus consurgit: idcirco hi auctores, habitus scientiarum collectiones specierum intelligibilium quodam naturæ ordine in mente dispositas esse, dixerunt, causali nimirum sensu, non formali.

Lib. 3. de anima c. 5. text. 20. & cap. 8. tex. 37

Species intellectui sunt rerum vicaria.

vt 7. Meta. c. 7. tex. 23.

Primũ scientiarum fundament. species.

Conueniunt igitur D. Thomas, & Scotus in eo, quod sentiunt, habitum scientię nō esse formaliter ipsam specierum ordinatam collectionem, sed habilitatem illam, quam diximus in intellectu relictam ad vtendum facile ac prompte speciebus intelligibilibus ad eliciendos ex illis eosdem specie terminos, eosque apte copulandos, ac demum ad iudicium ferendum ex virtute præmissarum de eorum vera & necessaria coniunctione. In eo autem dissentiunt, quod D. Thomas, & ii, qui pro affirmatiua parte quæstionis citati sunt, existimant eam habilitatem in vnaquaque totali scientia esse vnam specie qualitatem, ac proinde vnam numero in quolibet sciente; quandoquidem credunt non posse plures qualitates numero solo distinctas esse simul in eodem subiecto. Scotus autem, & cæteri, qui negatiuam partem amplectuntur, credunt tot esse specie habilitates in eodem intellectu, ac proinde tot habitus scientiæ particulares, quot sunt conclusiones, quæ in ea demonstrantur: ordine tamen apte dispositos sub eius obiecto.

In quo conueniant D. Tho. & Scot.

In quo dissentiant.

Quod autem id, in quo conueniunt, verum sit, præterquam quod ex dictis constat, facile hunc in modum probatur. Primum,

Probatur doctrina in qua conueniunt.

quia habitus scientiæ per demonstrationem comparantur: species autem intelligibiles non comparantur per demonstrationem, sed ab ea supponuntur, vt probatũ est. Deinde, quia habitus scientiæ est iudicatiuus; species autem non sunt iudicatiuæ, sed apprehensiuæ. Tertio, quia species intelligibiles pertinēt ad res obiectas, quarũ vicem gerunt, & ex parte illarum se tenēt, vt dici solet; habitus aũt scientiæ pertinēt ad potentiam intelligendi, quam disponunt, vt facile, ac prompte eam exerceat. Quarto, quia intellectus, cũ in se habeat omnes species rerum, de quibus agere potest, nō modo ratione earum, sed etiam ex se ipso est indeterminatus ad vtendum his, vel illis ad demonstrandum: per habitum vero scientiæ propensus ac facilis redditur, vt vtatur demonstratiue iis potius, quibus iam in demonstrãdo vsus est, quã illis, quas nunquam ad demonstrandum adhibuit. Accedit, quod fidei catholicæ habitus (*liceat enim ex diuinis humana confirmare*) non est repræsentatiuus rerum credendarum, sed iudicatiuus, seu potius approbatiuus veritatis earum. Neque enim in baptismo infunduntur species vllæ, quibus res credendæ repræsententur, sed habitus, quo intellectus eleuatur ad fidelem assensum illis adhibendum. Quo fit, vt similiter habitus scientię non sit ipsæ species repræsentatiuæ rerum, de quibus habetur scientia, sed veritatis earum demonstratiuus.

Discrimina inter species intelligib. & habitus.

Habitus fidei non est repræsentatiuus.

Quod vero pars negatiua, in qua dissentiunt, sit verisimilior, ac proinde amplectẽda, his rationib. probatur: eo tamẽ posito & constituto, habitum cuiusque conclusionis, aut primæ totius scientiæ, si vnus est omnium ad eandem scientiam pertinentium, generari ex actu, quo illa primo demonstratur, quod perspicuum est, & ab omnibus conceditur. Prima ratio sit. A causis particularibus specie distinctis semper generantur effecta specie distincta: atqui actus sciendi diuersarum conclusionum, etiam eiusdem sciẽtiæ totalis, semper sunt specie distincti: ergo & habitus sciendi, qui ex illis gignuntur; ac proinde nullus habitus idem specie versatur circa diuersas conclusiones, etiã eiusdem totalis sciẽtiæ, & (*quod hinc sequitur*) nullus idem numero, vna vel numero qualitas. Maior propositio perspicua est, si intelligatur de causis per se, cuiusmodi est actus sciendi respectu habitus scientiæ ab eo geniti, & relicti in intellectu. Minor autem ex eo probatur quia actus sciendi diuersarum conclusionum, siue illæ pertineant ad diuersas scientias totales, siue ad eandem, semper gignuntur a diuersis specie antecedentibus. Voco autem diuersas cõclusiones eas, quæ vel vtrunq; terminum, vel alterum habent diuersum:

Deciditur quæstio pro Scoto.

Rationes pro vera sentent.

Quæ conclus. & quæ antecedentia sint diuersa.

ante-

antecedentia autem diuersa ea dico, *in quibus altera saltem ex sumptionibus diuersa est*: si enim sint eadem, iam conclusiones non erunt diuersæ, si bene extructæ fuerint ratiocinationes, vt patet.

Secunda. In totali scientia, vt in Geometria, vel Physica dantur multæ conclusiones, quarum alia nullo modo pendet ab alia, vt constat: vnde fit, vt duæ qualibet ex illis ita se habeant, vt vtraque demonstretur perfectissime sine vllo respectu alterius. Quod cum ita sit, quemadmodum habitus, qui genitus est ex actu, quod hæc demonstrata est, nihil inclinat ad actum similem ei, quo illa est demonstrata: ita neque habitus, qui genitus est ex actu, quo illa demonstrata est, inclinat ad actum similem ei, quo hæc est demonstrata: habitus enim non inclinant, nisi ad actus similes ijs, à quibus sunt geniti. Qui ergo fieri potest, vt ij habitus sint eiusdem speciei, qui non ad eosdem actus inclinent?

Ad quos actus inclinent habitus.

Tertia. Eorum, quæ sunt idem specie, (*infimam intellige*) quicquid naturaliter vnum potest efficere aut non potest, potest aut non potest alterum; si tamen vtrunque æque perfectum sit, aut imperfectum. Ergo si habitus scientiæ diuersarum conclusionũ, quarum neutra quicquam pendet ab altera sunt idem specie in diuersis hominibus, in quemcunque actum demonstrandi potest, aut nõ potest exire vnus, potest aut non potest alter, si ambo sint æque perfecti, aut imperfecti: quod tamen est contra experientiam. Cum enim Socrates & Plato, *verbi gratia*, habent æque perfectos, aut imperfectos habitus scientiæ, ille conclusionis A. hic autem conclusionis B. neque ille potest exire in actum demõstrandi B. hic in actum demonstrandi A. exitu nimirum facili, & prompto, qualis debet esse actus ex habitu profectus, quod exploratissimum est. Nec iam locum hic habet occursus ille oppositæ sententiæ authorũ, cum dicunt, puerum, & virum esse eiusdem speciei; & tamen virum posse generare, quod puer non potest. Nam si Socrates vir, & Plato puer comparentur inter se ratione ætatum diuersarum, non considerabuntur vtique vt eiusdem speciei: si vero ratione humanæ naturæ; iam non sumentur vt æque perfecti, aut æque imperfecti in illa: proinde mirum non est, si alter possit, quod alter non potest. Est autem intelligenda hæc ratio de ijs, quæ ita sunt eadem specie infima, vt neutrum sit addictum ad certum duntaxat indiuiduum, vt sunt probabili admodum sententia species intentionales indiuiduorum. In his enim perspicuum est, non quicquid vnum potest posse & alterum; imo nihil videbitur posse vnum, quod alterum possit.

Quæ conueniunt specie eiusdem virtutis sunt.

Præoccupatur obiectio.

A Quarta. Si qua esset ratio, cur idem specie habitus scientiæ versaretur circa diuersas conclusiones, in ijs maxime id haberet locũ, quarum vna pendet ab altera, & per eam demonstratur: at ne in his quidem verum id esse potest. Propositio perspicua est, & libentissime admittetur ab ijs, qui contra sentiunt. Assumptio ex eo probatur, quia non minus pendent primæ conclusiones demonstratæ ex principijs indemonstrabilibus, ex quibus

B sunt demonstratæ; quam conclusiones, quæ demonstrantur, pendeant ex alijs conclusionibus iam demonstratis, quod luce clarius est: habitus autem principiorum indemonstrabilium differunt specie ab habitibus conclusionum, quæ ex illis demonstrantur: ergo etiam habitus conclusionum diuersarum, quarum aliæ ex alijs pendent, differunt inter se specie. Assumptio proxima ex eo primum patet, quia habitus principiorum, qui apud Aristo-

Habitus principiorum specie sunt diuersi ab habitibus conclus. quæ ex ijs demonstrantur.

C telem *6. lib. Ethic.* vocatur intellectus, distinguitur eo loco ab habitu conclusionis demonstratæ, qui vocatur scientia, tanquam species vna virtutis intellectualis ab alia specie. Deinde, quia principia indemonstrabilia sunt ex se, hoc est, ex suis terminis nota; conclusiones autem, quæ demonstrantur, fiunt notæ ex aliquo medio extra eas assumpto: hæc autem ratio distinguendi notitias est plane specifica, & à nemine, quod sciam,

cap. 6.

D dicitur non esse specifica. Tertio, quia si essent idem specie, idem quoque essent specie habitus scientiarum, quarum alia penderet à principijs alterius, vt omnes subalternatæ à principijs subalternantium, & Geometria ab Arithmetica, cuius principijs sæpe in demonstrando vtitur: imo etiam omnes Mathematicæ essent vnus & idem specie habitus, cum omnes principijs omnium communibus vtantur; cuiusmodi est illud, *Si ab æqualibus*

E *æqualia demas, &c.* atque adeo vnus & idem habitus essent omnium scientiarum habitus, nec distinguendæ essent scientiæ in varia scientiarum genera & species. Nam cum omnes aut plurimæ cõclusiones demonstrabiles pendeant ex principijs demonstrabilibus primæ Philosophiæ, idem omnino habitus esset primæ philosophiæ, & omnium aliarum scientiarum: quod & per se absurdum est, & inferius plane refutabitur; neq. id vllo modo ad-

F mittunt præcipui oppositæ sententiæ authores, sed tantum vnus, aut alter inferioris notæ: quod ipsum argumento est partem negatiuam quæstionis multo esse veriorem.

Quinta. Vt intellectus noster est ex se indifferens, & indeterminatus ad omnes notitias pertinentes ad primam eius operationem, determinatur autem habituali determinatione

Per quid determinetur intellectus ad notitias primæ & secundæ operationis.

per species intelligibiles, quas à particularibus accipit: ita ex se indifferens est, & indeterminatus ad notitias pertinentes ad secundam; (*etiam postquam habet in se multas species intelligibiles*) determinatur autem habituali determinatione per habitus, quos ex diuersis assensibus acquirit: atqui non determinatur habituali determinatione ad notitias vniuersales primæ operationis, nisi per species intelligibiles specie diuersas, vt patet: ergo pari ratione non determinatur etiam habituali determinatione ad notitias diuersarum conclusionum demonstrabilium, (*quæ etiam sunt vniuersales*) nisi per habitus scientiarum specie diuersos, quos ex diuersis assensibus demonstratiuis acquirit.

Solutio argumentorum partis affirmatiuæ.

SECTIO III.

Scientias totales non esse ratione sui sub genere qualitatis.

AD primum igitur oppositæ sententiæ dicendum, vulgatas scientias totales non esse ratione sui sub genere qualitatis, quasi per se directo positas in eo prædicamento; sed ratione habituum, quibus singulæ conclusiones demonstrantur: sola enim ordinata eorum habituum collectio quamlibet totalem scientiam proprie constituit. Quo etiam pacto mundus non est per se species aliqua substantiæ; sed ratione earum substantiarum, ex quibus constat: (*est enim nihil aliud quam rerum omnium conuenientissimus ordo, & dispositio*) cum tamen in libris de Cœlo sub nomine *cœli* distinguatur ab hoc mundo, vt species quædam substantiæ à suo vnico indiuiduo.

Vide lib. 1. c. 9. text. 92.

Ad secundum, vt respondeamus, animaduertendum est, longe aliam rationem esse de habitu fidei catholicæ, atque de habitu cuiuscunque totalis scientiæ, quod attinet ad propositam difficultatem. Nam cum habitus scientiæ acquiratur naturali rationis lumine, & in qualibet totali scientia quot sunt conclusiones demonstratæ, tot sint media naturalia, quibus illæ demonstrantur; necesse est, vt tot sint species habituum in qualibet totali scientia comprehensæ, quot sunt ipsæ eius conclusiones. At in habitu fidei id euenire non potest: nam, etsi sunt plurima credibilia, seu credenda pronuntiata; tamen credendi medium in omnibus vnicum est, vt pote reuelatio diuina. Vnde fit, vt idem fidei habitus specie sit in omnibus fidelibus, & idem numero in singulis. Ad argumentum igitur dicendum, non ideo fidem catholicam esse vnum numero habitum, vnamque numero qualitatem in quolibet fideli, quia diuinitus infunditur: neque item, quia totus simul infunditur, & amittitur: sed quia vni tantum rationi diuinæ reuelationis innititur. Nam & fides humana, qua multa alicuius viri fide digni testimonia creduntur, vnus habitus est specie in omnibus, qui ei fidem adhibent; & vnicus numero in eorum quolibet, si ratio credendi illa omnia sit omnino vna, vt inferius explicabitur. Scientiæ quoque, quæ naturali lumine acquiri possunt, etsi aliquando totæ simul à Deo infundantur; non sunt tamen propterea vnicus habitus, sed plures specie, ordine inter se dispositi in ijs omnibus, in quib' illæ infundūtur, & plures numero in eorum quolibet: nisi Deus aliud genus scientiæ altioris ordinis, quale in Angelis est, illis communicaret. Atque id, quod de fide dictum est, de reliquis duabus Theologicis virtutibus proportione seruata dicere oportet; cum soli etiam Deo innitantur, alia tamen & alia ratione, quas Theologi tradunt. Vnde fit, vt cætera omnia, quæ earum virtutum propensione speramus, aut diligimus, ratione etiam illius speremus, ac diligamus.

Discrimen inter habitū fidei & totalis scientiæ naturalis.

Fidei habitus idem specie in omnibus fidelibus.

Fides humana multarū rerum quando sit vnus numero habitus.

Naturales scientiæ licet à Deo infunderentur, nō essent qual. simplices.

Ad tertium dicendum est, quamlibet virtutem moralem, si modo sit infimæ speciei, duabus de causis esse vnicam qualitatem circa diuersas materias. Vna est, quia etsi quælibet versatur circa materias, & actiones specie diuersas in genere naturæ; tamen vnaquæque versatur circa easdem specie, in genere moris. Nam etsi ea, quæ venduntur & emuntur, & ipsa etiam emptio & venditio, circa quæ versatur iustitia commutatiua, differunt specie in genere naturæ; tamen earum æqualitas, quam facit huiusmodi iustitia, vna & eadem est specie in genere moris: perinde enim ea cernitur, cum venditur aut emitur frumentum, atque cum venditur aut emitur vinum. Eodemque modo se res habet in iustitia distributiua; cum eadem æqualitas cernatur, cum eius præscripto distribuuntur ciuibus officia Reipublicæ, atque cum distribuuntur agri emeritis militibus. Eodemque modo se res habet in temperantia speciali, & cæteris virtutibus specierum infimarum. Altera causa est, quia virtus moralis non habet statum virtutis in subiecto, nisi quatenus est firma, & constans in eo, in quo est: quem statum habere non potest, nisi, qui ea præditus est, in omnibus, aut pluribus, aut difficilioribus materijs ei virtuti subiectis, bene, & vt oportet, versatus sit: tametsi cum ea incipit acquiri, statim habeat ex natura sua constantiam, & firmitatem; innititur enim suapte natura ipsi rationi,

Cur quælibet virtus moralis infimæ speciei sit vna qualitas.

Virtus moralis quando habeat statum virtutis in subiecto.

rationi, quæ in homine suapte etiam natura dominatur. Vnde fit, vt ille idem numero habitus virtutis, qui initio acquiritur, paulatim perficiatur, & constans, ac firmus fiat exercitatione diuersorum actuum per varias eiusdem virtutis materias: qua exercitatione intenditur, altioresque in subiecto radices agit, vt quemadmodum natura sua est firmus, & constans; ita & in subiecto, in quo esse cœpit, constantiæ, ac firmitatis statum habeat. At in habitu scientiæ alia est ratio: nam cum actus demonstrandi non solum in se sit certus ac euidens; sed etiam omnino subiecto dominetur; non modo generat habitum natura sua firmum, & constantem; sed etiam mox illi præbet statum firmitatis, & constantiæ in subiecto. Vsque adeo enim reuincit intellectum, vt nullum ei relinquat dissentiendi locum. Vnde fit, vt habitus sciendi, cum primum genitus est, expectare non debeat ex actibus demonstrandi aliarum conclusionum firmitatem, & constantiam in eo subiecto. Potest tamen ille intendi ad maiorem perfectionem in sua specie: verum id non fit ijs actibus, quibus aliæ conclusiones demonstrantur; sed iteratione actuum eiusdem speciei. Habitus autem virtutis in eo, qui se in ea exercere incipit, nō solum indiget iteratione exercitij circa eandem materiam; sed etiam circa alias, vt acquisita vtcunque virtus statum virtutis assequatur.

Scientia simul atq; acquiritur, habet perfectū statum.

Quibus actibus scientia habitus intendantur.

Ad quartum dicendum, longe aliam rationem esse in habitibus, atque in potentijs, quod attinet ad eorum obiecta: loquimur autem de operatiuis tum potentijs, tum habitibus, dispositionibusve. Nam cum potentiæ determinentur per varios habitus, aut dispositiones ad varia operationum genera, vt sensus omnes ad varias notitias sensitiuas per varias species sensibiles, & intellectus ad varias notiones per varias species intelligibiles, & vterque appetitus humanus per varias virtutes; necesse est, vt circa pauciora versetur habitus, quam potentia ea, cuius est habitus.

A quibusnā potentia determinetur.

Quo fit, vt non mirum sit, si idem numero habitus scientiæ, sumpto scientiæ nomine pro scientia totali, determinet intellectum ad plura pronuntiata demonstrabilia, quam si sumatur pro scientia partiali, quæ de vna tantum specie huiusmodi pronuntiabilium habetur. Vnde cum dicitur, *Contrariorum eandem esse sententiam*, vtroque modo habitus scientiæ accipi potest, & pro aggregatione habituum ad eandem totalem scientiam pertinentium; (*agitur enim in earum qualibet sicut de vno contrario, ita & de altero, quia ab*

Contrariorū eandem esse scientiam exponitur.

A *eodem genere continentur*) & pro vno, & eodem numero habitu, qui versatur circa pronuntiatum demonstrabile vnius contrarij, vt circa illud, *Quod virtus amplectenda sit*. Nam ex eo colligi potest, contrarium vitium esse fugiendum: vnde habitu, quo prius pronuntiatū scitur, quodammodo posterius pronuntiatum scientia tenetur: tametsi simpliciter alius & alius est vtriusque sciendi habitus, quia diuersis specie demonstrationibus

B gignuntur.

Ad quintum dicendum est, duo esse genera obiectorum materialium, hoc est, rerum, quæ sciuntur, in qualibet scientia: vnum eorum, quæ proprie dicuntur obiecta, & hæc sunt pronuntiata, quæ in ea demonstrantur, cum proprie ad ea terminetur scientia: alterum eorum, quæ proprie dicuntur subiecta, quia de ijs demonstrantur affectiones, seu passiones ad eam scientiam pertinentes, & tamen nonnunquam dicuntur

Duplex genus materi al. obiectorū.

C obiecta scientiæ, quia per suas definitiones in qualibet scientia cognoscuntur. Duo item esse genera obiectorum formalium, hoc est, rationum, per quas aut sub quibus obiecta materialia attinguntur. Obiectum formale, quod est ratio, per quam attinguntur, complectitur omnia media, quæ assumuntur ad demonstrandum. Obiectum formale, quod est ratio, sub qua attinguntur, continet omnes modos considerandi

Duplex item formalium.

D res, de quibus agitur: qui quidem in scientijs contemplatiuis sunt variæ abstractiones à materia. Nam, cum materia sit ex se ignota, per varias species, aut quasi species abstractionum ab illa iudicarunt Philosophi distinguendas esse contemplatiuas scientias, quarum distinctio in argumento explicata est. In practicis autem, cum illæ dirigantur ad actionem singularium materialium, merito non putarunt illi habendam esse abstra-

In practicis scient. cur nō sumatur distinctio ex abstractione.

E ctionis rationem ad earum distinctionem, tum inter se, tum à contemplatiuis, sed potius (*si ita loqui licet*) concretionis: diriguntur enim omnes practicæ ad actionem; quemadmodum contemplatiuæ ad contemplationem. Itaque penes varias concretiones distinxerunt Philosophi practicas scientias, vt inferius patebit.

Cum ergo dicitur in argumento [*Vt se*

F *habet sensus ad obiecta sensibilia, ita scientia ad obiecta scibilia*] ex parte quidem verum est; ex parte autem falsum: quemadmodum in alijs rebus omnibus, in quibus aliqua similitudo, aut proportio cernitur. Cum autem additur, sensum non diuidi in varias species iuxta varietatem obiectorum materialium, sed formalium; distinguenda est acceptio obiectorum

Per quæ obiecta sensus distinguãtur.

iectorum formalium. Nam si sumantur pro rationibus, sub quibus qualitates sensibiles attinguntur, siue sentiuntur, vera est propositio, & recte etiam probatur. Sin autem sumantur pro rationibus, per quas attinguntur, propositio est falsa: rationes enim, per quas sensibiles qualitates attinguntur à sensibus, sunt peculiares earũ naturæ: sunt enim per se ipsę sensibiles; quemadmodum principia demonstrationum sunt per se ipsa, siue ex suis terminis intelligibilia: nec tamen sensus iuxta talia obiecta formalia diuiditur in species, cum sensus idem specie circa ea omnia versetur, ad quæ extenditur idem sentiendi modus. At in scientijs vtroque modo acceptis obiectis formalibus vera est propositio. Nam & scientiæ totales distinguuntur specie inter se penes rationes, seu modos, sub quibus scibilia earum materialia tractantur, vt patet in Physica, & alijs vulgatis scientijs; quemadmodum & sensus penes modos sentiendi, seu attingendi sensibilia; (*qua in re posita est similitudo, quam Aristoteles inter sensus, & scientias spectauit.*) & scientiæ quoque partiales distinguuntur inter se penes rationes, per quas earum pronuntiata demonstrabilia demonstrantur.

Scientias distingui per formalia.

Cur autem ita sit natura comparatum, vt sensus non distinguantur specie per obiecta formalia hoc modo accepta, & tamen scientiæ distinguantur, hæc est ratio; quia sensus, quemadmodum & cæteræ potentiæ naturales, non acquiruntur, sed cum subiecto ipso oriuntur: habitus autem scientiarum non sunt nobis ingeniti; sed post longum tempus per varias demonstrationes, nec sine magno labore, & studio comparantur. Quocirca necesse fuit, vt potentiæ statim ab ortu haberent totam suam amplitudinem, & extensionem ad omnia sua obiecta: scientiæ vero, quæ temporis successu acquiruntur, ad ea tantum se extenderent, ad quæ se diffundunt rationes, per quas demonstrationes fiunt, donec ex multis scientijs partialibus hoc modo genitis scientiæ totales complerentur. Quod si scientiæ nobis essent ingenitæ, vt Angelis concreatæ sunt; tum demum fieri posset, vt quemadmodum vnus numero sensus versatur circa omnes qualitates, quæ eodem modo sentiuntur: (*veluti circa omnes colores interuentu medij diaphani, omnes sonos interuentu medij per aliquod spatium commoti, omnes odores interuentu alicuius defluxus substantiæ odoratæ, omnes sapores interuentu certi cuiusdam humoris, quo lingua indiget, vt degustare aliquid possit; & omnes tangibiles qualitates interuentu carnis aut alicuius medij, quod vicem carnis subeat; quidquid sit de modo tangendi*

Huius diuersitatis ratio.

Quid si nobis scĩetia essent ingenita.

A *di per tale medium, sitne vnicus, an duplex circa duas contrarietates tangibilium qualitatum?*) ita quoque vnus numero habitus scientiæ versaretur circa omnia scibilia, quæ sub eadem ratione tractandi continerentur. Credibile est enim, quemadmodum in Angelis vna & eadem species intelligibilis repræsentat multas naturas, & eo plures, quo est præstantioris, & eminentioris conditionis; ita & vnum numero habitum scientiæ, quo Angelus
B vtitur versari circa plura numero scibilia pronuntiata, & fortasse vnam numero scientiam totalem esse in eis vnam numero qualitatem. Neque enim nobis probatur Caietani sententia, qui putat *in Angelis solam ordinatam collectionem specierum intelligibilium esse scientiam*, cum scientia ex ratione sua sit habitus iudicatiuus non repræsentatiuus.

Probabile est scient. totalem in Angelis esse simplicem qual. 1.2.q.54 art. 4. ad prim.

C Itaque scientiæ non distinguuntur specie penes obiecta materialia, quatenus talia sunt, quia pronuntiata demonstrabilia sunt ex seipsis ignota; sed penes obiecta formalia: partiales quidem scientiæ penes rationes, per quas illa demonstrantur; totales autem penes rationes, sub quibus materialia obiecta tractantur: quæ eadem distinctio dari potest de habitibus principiorum. Nam cum omnia principia sint per se nota; ipsa vero omnia inter se sint specie diuersa: (*semper enim in eis aliquis saltem terminus diuersus est*) habitus quoq;
D principiorum, qui ab illis speciem sumunt in genere qualitatum, erunt specie diuersi: & tamen, si in eis considerentur rationes, sub quibus tractantur, tam principia ipsa, quam eorum habitus non differunt specie, si ad vnam & eandem scientiam totalem pertinuerint; idq; propter vnam & eandem rationem formalem obiecti, sub qua tractabuntur: tametsi prior ratio specificandi est vera, & germana
E in genere qualitatum; posterior vero in genere modorum tractandi.

Etiam habitus principiorum distingui per obiecta form.

Ex quibus fit, vt tot specie sint habitus simplices scientiarum, quot sunt conclusiones diuersis medijs demonstratæ, tot item specie habitus principiorum, quot sunt ipsa principia per se nota: tametsi ad tot species, aut quasi species scientiarum totalium pertineant vtrique habitus, quot sunt modi considerandi, & tractandi pronuntiata, quæ ad
F eas spectant.

Quot specie sint habitus simplices scientiarum, & principior. indemonstrab.

Quod si quis objiciat, sæpe diuersas conclusiones demonstrari per vnum & idem medium, vt Hominem esse disciplinæ capacem, & aptum ad ridendum, per definitionem hominis; *ponamus enim non esse ordinem in propriis passionibus*) diuersosque scientiæ simplicis habitus in intellectu relinqui; dicendum est,

Obiectio.

Responsio. Medium diuersarum cõcluſ. idẽ formaliter eſſe nequit, ſi ſit inſitum. Poteſt, ſi extrinſecus aſſumptum.

eſt, etſi medium diuerſarum concluſionum poteſt eſſe vnum & idem in ſe, & quaſi materialiter; tamen formaliter, hoc eſt, vt rationem medij exercet, nunquam eſſe vnum, ſi diuerſa extrema coniungat. Quod in ijs medijs intellige, quæ ex reipſa eliciuntur, & argumenta inſita appellantur; non in ijs, quæ aſſumuntur extrinſecus, & dicuntur *aſſumpta*, atque *artis expertia*. Iam enim ſupra dictum eſt, ex vna & eadem authoritate teſtificantis vnum tantum numero fidei humanæ habitum generari, etſi diuerſa pronuntiata per eam probentur, ſi ratio illa omnia credendi ſit omnino vna: quod tum ſolum accidit, cum plura credimus propter ſolum teſtimonium eius, quem putamus nec falli, nec fallere nos velle. Alioqui ſi ad eius dicta attendamus, eaque examinemus, quod de hominis notitia, aut fidelitate dubitemus, aut etiam, quia, quæ ab eo dicuntur, partim veriſimilia ſint, partim fidem excedere videantur: fieri poteſt, vt alia ab eo dicta credamus, alia non item; & in ijs, quæ credimus, ex varijs rerum ipſarum motiuis ducamur, vt illi fidem adhibeamus. Quod cum ſit, non dubium eſt, quin varij habitus in nobis gignantur, quorum alijs conſeruatis alij amitti poſſint. Hoc autem pacto iam argumenta ex teſtimonio non omni ex parte aſſumpta erunt; ſed partim aſſumpta, partim inſita, & vt genus quoddam medium inter fidem & ſpecialem opinionem.

Alia obiectio.

Si quis item obijciat, ſi diuerſa media in demonſtrando efficiunt habitus ſpecie diuerſos, ergo habitum eiuſdem concluſionis non poſſe intendi per diuerſa media, veluti per diuerſas cauſas, aut diuerſa effecta; quod videtur cum experientia pugnare: reſpondendum eſt, ſemper quidem tot gigni habitus ſcientiæ, etiam circa eandem concluſionem, quot ſunt media demonſtratiua illius, quod recte aduertit Gregorius: proinde eorum quemlibet non intendi, niſi per actum ſimilem ei, à quo genitus eſt, aut per alium, qui illum virtute contineat. Vnde ſi poſt habitum genitum per vnum medium demonſtratiuum ita adhibeatur aliud medium ad eandem concluſionem demonſtrandam, vt prius illud omnino exciderit ſaltem eo pacto, vt ne memoria quidem teneatur eam per tale aliquod medium fuiſſe demonſtratam; non eſt, cur intendatur prior habitus, cum potius alius generandus ſit. Quod ſi medium illud, & alia fortaſſe plura, ex quibus eadem concluſio demonſtrata fuit, memoria tenentur, quibus addatur nouum aliud; tunc omnes habitus priores cum nouo medio allato ſimul concurrent ad actum virtute continentem

Dilutio.

q.2. prol. ar. 1.

Quando acquiratur nouus habitus ſcientiæ; quando prior intendatur.

A actus omnes, quibus habitus illi geniti ſunt: proinde non mirum fore, ſi omnes intendantur. Niſi quis velit genitum iri nouum habitum virtute continentem omnes priores, præſertim cum habituum acquiſitorum intenſio fieri debeat per actus ſimiles ijs, à quibus illi geniti ſunt. Quanquam dici ad hoc poſterius poteſt, eum actum, qui ab omnibus ſimul habitibus, & nouo medio eliciatur, cenſeri ſimilem prioribus, quia illos virtute continet.

B Demum, ſi quis obijciat, habitus diuerſorum principiorum non eſſe ſpecie diuerſos, quia eadem ratione approbentur, nempe ſolo lumine intellectus: (*hac enim de cauſa nonnulli ex ſchola D. Thomæ aſſerunt vnum tantum numero eſſe habitum omnium principiorum in quolibet intellectu*) reſpondendum eſt, lumen intellectus non eſſe rationem aſſentiẽdi principijs, ſed eſſe ipſum intellectum aſſentientẽ;

Tertia obiectio.

Ban. ad 1. p. q. 1. ar. 3.

Diſſoluitur.

C rationes autem aſſentiendi eſſe ipſos eorum terminos, vt docet Ariſtoteles, cum ait *in 1. poſter.* Nos principia noſſe, quatenus terminos eorum cognoſcimus: certum eſt autem terminos ſemper in diuerſis principijs eſſe ſpecie diuerſos, ſaltem diuerſitate vnius duntaxat; vt mirandum ſit, cur authores citati vnum tantum omnium principiorum habitum fecerint, niſi ipſum lumen intellectus, hoc eſt, ipſum intellectum, habitum princi-

c. 3. text 6.

Cur habitus diuerſorum principiorum ſpecie differant.

D piorum eſſe crediderunt, & qui nequaquam ſit acquiſitus, contra ea, quæ tradita ſunt ab Ariſtotele *lib. 1. huius operis.*

c. 1. ac. 2. & 2. poſt c. vlt.

Solutio vltimæ rationis, & impugnatio eorum, quæ pro parte oppoſita à quibuſdam authoribus adiecta ſunt.

SECTIO IV.

E AD vltimam rationem dicendum eſt, *non quemlibet ordinem, & connexionem multarum partialium ſcientiarum, ſeu ſimplicium habituum inter ſe, poſſe conſtituere vnam ſcientiam totalem, ſed eum tantum ordinem, quo illa ſub eodem tractandi modo continentur: at non in omnibus vulgatis ſententiis eundem tractandi modum cerni: quod ſatis apertum eſt, & in alia quæſtione fiet apertius.* In

Quis ordo vnam totalem ſcient. poſſit conſtituere.

F virtutibus autem, cum conceſſum ſit earum quamlibet eſſe ſimplicem qualitatem, non aggregationem ex multis qualitatibus, non poteſt ex illis idem argumentum deſumi. Quod ſi quis petat, quid de prudentia dicendum ſit, cum ſit virtus ad intellectum pertinens, & eodem modo, quo ſcientia videatur acquiri? reſpondendum eſt idem de ea

Sitne prudẽtia ſimplex qualitas.

dicendum esse, atque de cæteris moralibus virtutibus, esse, inquam, vnam simplicem qualitatem, si modo sit eiusdem infimæ speciei: tum, quia etsi versatur circa diuersas specie materias, & actiones in genere naturæ, tamen versatur circa omnes sub eadem specifica ratione in genere moris; nẽpe quaten⁹ inclinat intellectũ ad iudicandũ de bona electione mediorum. (*consentanea nimirum fini appetitus recti*) quæ media in particulari à solo prudente præscribuntur, vt patet ex definitione virtutis moralis, cum dicitur, *Habitus electiuus in mediocritate consistens, vt definierit ipse prudens:* tum etiam, quia non potest habere statum virtutis in subiecto, nisi is, qui ea est præditus, versatus sit circa omnes materias illi subiectas, aut certe circa plures, aut difficiliores in præscribendis medijs eius virtutis. Vnde patet, quantum intersit inter prudentiam, & scientiam moralem. Virtus enim moralis, etsi ad notitiam vtitur scientia morali, aut experientia in morali materia; tamen ad actionem proprium eius munus est inclinare mediate, vel immediate voluntatem ad bonam electionem in particulari, seu hic, & nunc, *vt dici solet*, faciendam, quod non præstat sciẽntia moralis.

2. Ethic. c. 6.

Vt differat à morali scientia.

Diluitur fundament. primæ append. positæ sect. 1.

Ad id autem, quod quidam ex sectatoribus contrariæ opinionis dicunt, habitus conclusionum non esse qualitates à principiorum habitibus diuersas, quia quo plures conclusiones ex principijs deducuntur, eo principia ipsa perfectius cognoscantur, ac proinde ad conclusionum cognitionem extendantur: respondendum est, perfectius quidem illa sic cognosci, quod eorum habitus semper ex tali vsu intendantur; verum nunquam illos propterea extendi ad conclusiones, nisi tanquam habitus principiorum: quantumcunque enim intendantur in se ipsis, & ad plures conclusiones per alias atque alias demonstrationes extendantur; nunquam tamẽ id assequentur, vt per eos directo assentiamur alicui conclusioni: id enim proprium est habituum conclusionum.

Cur principia varijs demonst. adhibita perfectius cognoscantur.

Impugnatur 2. appendix.

Ad eam vero sententiam, quæ facit quidem habitum cuiusque scientiæ totalis vnum numero, sed eum componit ex partibus dissimilaribus, ijsque tam multis, quam multos nos dicimus esse habitus conclusionum: hoc modo respondendum, nullam esse rationem, cur ea compositio ponatur. Primum, quia qui hoc modo sentiunt, dum approbant sententiam eorum, qui dicunt habitum scientiæ esse vnam, eamque simplicem qualitatem, illam simul euertunt: componunt enim habitum vnum ex multis habitibus, non virtute solo, sed actu distinctis. Deinde

A ea compositio in vnam qualitatem vere vnam non videtur concedi posse: quia quo pacto partes illæ dissimilares iungantur inter sese, non apparet. Compositio enim ex similaribus, cuiusmodi est compositio ex gradibus, quibus qualitates intenduntur, facile capitur, quia gradus eiusdem qualitatis, cum sint omnes eiusdem rationis, facile in vnum coalescunt, iuxta probabiliorem multorum de intensione sententiam, quo fere modo

Habitus non posse componi ex partibus dissimilaribus.

B plures aquæ guttulæ in vnum coeunt: at ex partibus dissimilaribus, (*quæ aut per se, aut saltem quoad aliqua necessario sunt diuersarum specierum, vt sunt elementa ex eorum sententia, qui dicunt ea esse formaliter in mixto, aut carnes, & ossa, quæ sunt in eodem animali*) ex huiusmodi, *inquam*, partibus nihil componitur, quod sit vere vnius essentiæ, nisi alioqui sit compositum reali compositione ex materia & forma, vt arbor aut animal. Hinc enim est, cur res

C artificiosæ ex pluribus specie materijs compositæ nunquam sint aliquid vere vnius essentiæ, neque ex duobus liquoribus specie differentibus fiat liquor vera specie vnus, nisi alter in alterum, aut vterque in tertium aliquem vertatur. Tertio, quia si habitus cuiusque scientiæ totalis esset actu compositus ex pluribus partibus specie differentibus, non totus intenderetur, cum sæpius iteratur actus eius demonstrationis, qua pars vna genita est; sed ea sola pars. Est enim præter ra-

D tionem asserere, cum intenditur vna intendi cæteras; (*quod eorum quidam dicunt*) veluti si cum rubor vultus intenditur, reliquarum partium colores intenderentur. Cur ergo non potius dicunt, habitus ex diuersis demonstrationibus comparatos esse inter se distinctos? aut quænam vtilitas vni prouenit ex vnione cum altero in aliquem vere vnam essentiam? Sed mihi videntur hi prius

E ponere, quod in quæstione est, nempe habitum totalis scientiæ esse vere vnam qualitatem; deinde quærere, quo pacto id defendãt: vnde fit, vt in plures salebras incurrant, in defendenda re, quam ponunt, quam si liberam sibi de ea iudicandi potestatem relinquerent. Postremo, demus fieri eam multarum qualitatum dissimilarium actualẽ vnionem, quonam pacto illæ vnientur? oportet enim eas vniri naturali ordine. At, si post primam ac-

F quiratur alia disparata, nihilque ex illa pendens, vtrumne illi statim vnietur; an expectabuntur aliæ, quæ natura pendeant ex prima, & natura item præcedant secundam, vt ordine naturæ, & non fortuito vniantur? Non ita certe fit in vnione graduum eiusdem qualitatis, qui cum eiusdem rationis sint, quisquis primus post alterum acquiritur, perinde propensus

pensus est natura ad vnionem cum illo, atque cum quouis altero.

Refellitur tertia appendix.

Ab ijs vero, qui vt absurda hæc non admittant, dicunt habitum scientiæ totalis non esse actu compositum ex pluribus qualitatibus, sed virtute, quod videlicet is habitus actu simplex ea omnia præstet, ac si esset actu ex pluribus compositus, quærendum est, *cur ad hanc virtualem compositionem confugiant, si facilius extensio scientiæ præstatur ponendis nouis habitibus, qui ex nouis demonstrationibus diuersis inter se sub eodem communi obiecto formali gignantur?* Nihil enim sane probabilius dicunt, quam quod eadem virtualis compositio cernitur in potentijs, quæ, cum actu simplices qualitates sint, virtute tamen vnaquæque multas potentias partiales continent, per quas ad plura specie obiecta materialia se extendit.

Cur in potentiis admitti queat virtualis compositio, non in habitibus.

At in illis alia ratio est, cum potentia habeat extensionem natura sua ad omnes actus sub suo totali obiecto contentos; neque id ei ex partibus vllis seu actualibus, seu virtualibus, prouenit, sed ex sua ipsius simplici natura: habitus autem ad eius solius speciei actus natura sua extensus est, ex quorum vno est genitus, & ad eos, si qui sunt, qui ad illum reducantur: cuiusmodi sunt actus facile, ac prompte concipiendi terminos eiusdem speciei demonstrationis, eosque apte copulandi, vt superius dictum est. Namque idem habitus sciendi facilem, & propensum efficit intellectum ad hos etiam versus præcedentes natura ipsum actum assentiendi virtute præmissarum, qui proprius est scientiæ.

Quæri etiam ab eisdem potest, si habitus scientiæ totalis omnino simplices sunt, quonam pacto intendantur iteratione actuum demonstrandi? fatentur enim iteratione actuum similium ijs, à quibus geniti sunt, intendi eorum quemlibet latitudine intensiua; nouis autem demonstrationibus extendi latitudine extensiua.

Peto enim, vtrum iteratione actuum eiusdem speciei intendantur partes omnes virtuales, an ea sola, cuius ratione eliciuntur? Nam intendi habitum quoad omnes, præter rationem est, & contrarium omnino experimur: cum tamen simplicitas habitus videatur non permittere intendi illum penes vnam virtualem partem, quin intendatur penes alias: quandoquidem illæ non sunt actu distinctæ. Quod enim attinet ad extensiuam latitudinem, certum est illos non dicturos, cum vna pars extenditur, extendi quamlibet; sed ideo totum habitum dici extendi; quia noua actuatione earum, quæ non erant actuatæ, ad plures conclusiones scientificus assen-

A sus totius habitus extenditur: quod etiam, qua ratione fieri possit, non apparet propter habitus simplicitatem.

Adde, quod hi subtili magis, quam vera philosophandi ratione quæstionem hanc expedientes, ansam dederunt superioribus, vt partes illas dissimilares actu componentes excogitarent: eisdemque etiam authores fuerunt, vt supponerent habitum cuiusque scientiæ totalis vnam esse numero qualitatem,
B tum deinde quærerent, cuiusmodi partibus totalis habitus scientiæ constaret, (*nam vel ipsum scientiæ totalis nomen partes aliquas significabat*) quæ vnitatem illam veræ vnius qualitatis non dissoluerent: quod quidem vtrisque laboriosum, & minime facile negotium exhibuit.

Denique, si quis ab eisdem petat, vnde rationem vere specificam accipiant totales habitus scientiarum? respondent, ex specifica
C ratione obiecti, seu subiecti scibilis, vt scibile est, vt in Metaphysica ex specifica ratione entis, quatenus consideratur abstractum ab omni materia. At si habitus totalis cuiusque scientiæ habet, vt vnus specie sit, ex huiusmodi specifica ratione obiecti: cur non etiam habitus principiorum eodem modo distinguantur specie, cum in eis eadem distinctio abstractionum cernatur? Quod si id admit-
D tant, necessario concedant oportet, habitus omnium principiorum cuiusque totalis scientiæ esse vnius speciei: quod credo eos non concessuros, nisi fortasse velint vnum & eundem esse habitum omnium principiorum, & conclusionum eiusdem totalis scientiæ, quod certum est eos minime admissuros.

Restat, vt duo quædam ad complementum huius quæstionis explicemus. Nam, quia superius diximus, *habitum scientiæ esse præcipue iudicatiuum*; quærat aliquis, *quisnam sit actus*
E *ipse iudicandi, distinctusne ab actu mentali affirmandi aliquid aut negandi, an ipsa mentalis affirmatio, aut negatio?* Quia item actus sciendi, seu iudicandi demonstratiue de conclusione, modo aliquo attingere debet principia; (*quandoquidem ex ipsis iudicamus assentiendum esse*) rogabit aliquis, *num id fieri possit, & quonam modo ea attingat?* cum præsertim eius obiectum videatur id solum esse, quod conclusione significatur.
F

Sitne actus iudicatiuus ipsa mentalis affirmatio, aut negatio?

QVÆSTIO III.

Argumenta partis negatiuæ.

SECTIO I.

.2.q.6.sect.6 AD librum quartum de re hac disputationem delibauimus, probabile esse statuentes, nihil aliud esse iudicare aliquid esse, vel non esse, quam id mente affirmare aut negare, dicturi hoc loco, quid ea de re sentiremus. Ac non esse quidem hæc eadem, sed diuersa his argumentis ostendi videtur.

In hac sent. est Och. in prol. q. 1. Gabr. art. 2. & 4. Maior q. 2. ad 7. Bassol. q. 2. art. 2. & alii recent. Primum, quia omnis quæstio constat ex altera propositione affirmatiua, altera negatiua, & æque formatur in mente, atq; in voce: at in quæstione neutra pars est iudicium veri, aut falsi, sed vtraque dubia proponitur.

Deinde, quia in mente sæpe dantur propositiones dubiæ, quæ proinde non sunt actus iudicatiui veritatis, aut falsitatis, & tamen sunt affirmatiuæ, aut negatiuæ, veluti cum dubitamus de hac propositione vocali, *Stellæ sunt paria*: oportet enim aliquam similem vocali esse in mente eius, qui de vocali dubitat; siquidem *Voces signa sunt eorum, quæ sunt in mente*. *Arist. 1. de Interpr. c. 1.*

Tertio, quia sæpe vtimur & in voce, & in mente propositionibus apertè falsis: vt cum Dialectici in terminis non significatis formant syllogismum aliquem, veluti, *Omne A est B. & omne C. est A. igitur omne C. est B.* imo & in terminis significatiuis, *vt Omnis homo est lapis, omnis equus est homo; igitur omnis equus est lapis*: at nemo, cum sic argumentatur, iudicat propositiones huiusmodi esse veras, aut falsas; sed tantum simpliciter apprehendit illas ad ostendendam formam syllogisticam, siue illæ veræ sint, siue falsæ: secus res habebit, si quis contendere velit non dari in ea forma antecedens verum & consequens falsum.

Quarto, quia non datur iudicium, nisi præcedat apprehensio eius, de quo iudicium ferendũ est: alioqui temerarium erit iudicium: imo ne temerarium quidem, nisi ea, de quibus ferendum est, apprehendantur. Cum igitur iudicium non feratur, nisi de eo, quod ante affirmabatur, aut negabatur, non idem vtique erit iudicium, atq; affirmatio, aut negatio.

Quinto, quia multi sunt, qui res facile apprehendant, de quibus tamen difficile ferant iudicium: contraque complures reperiuntur, qui non apprehendant facile, sed cum apprehenderint, tum demũ facile de re apprehensa iudicent. Aliud igitur est iudicare hoc esse illud, aut non esse, atque id affirmatiue, aut negatiue apprehendere.

Postremo, quia communis Dialecticorum sententia est, in prima operatione intellectus dari solam cognitionem, siue notitiam A apprehensiuam: quia nemo, quatenus apprehendit res simplicibus earum conceptibus, fert vllum de eis iudicium: in secunda autem operatione iam dari vtramque & apprehensiuam, & iudicatiuam. Et quidem vulgo (vt ita dicam) hæc videri potest communior de hac re sententia: ex qua illud sequitur, actum iudicatiuum scientiæ non esse ipsam mentalem affirmationem, aut negationem demonstratæ conclusionis, sed aliquem alium actum B posteriorem, quo de affirmatiua, aut negatiua conclusione iudicamus.

Argumenta partis affirmatiuæ & conciliatio vtriusque.

SECTIO II.

VERUM ij, qui pressius ista tractant, sentiunt nihil esse aliud actum iudicatiuum *In his est Gregor. q. 1. prol. ar. 3.* C intellectus, quam illum, quo mens aliquid firmat, aut negat. In qua sententia, si melius consideretur, reperietur fortasse plures eorum, qui creduntur esse in opposita opinione, aut certe ab illa facile deficient, seu potius vtriq; in hanc plene explicatam conuenient. Quod enim ea sit vera, ex eo primum patet, quia nulla oratione alia nostrum de rebus iudicium declaramus, quam affirmatione, aut negatione. Quod si aliud esset iudicium mentis, aliud mentalis affirmatio, aut negatio: D alijs vtique verbis, quam vocali affirmatione, aut negatione illud significaremus.

Deinde, quia cum aliquid affirmamus, aliquid alicui tribuimus; cum vero aliquid negamus, aliquid ab aliquo remouemus: hoc autem non fit re ipsa, quasi intellectus, cum aliquid affirmat, aut negat, illud à parte rei alicui adiungat, aut ab aliquo remoueat; sed iudicio, & consideratione, qua quis illud alicui conuenire, aut non conuenire iudicat: nõ E est igitur aliud iudicare, quam affirmare aliquid, aut negare.

Tertio, quia affirmatio, & negatio nihil sunt aliud, quam assensus, & dissensus: affirmare enim mente, idem est, quod assentiri: negare autem, idem, quod dissentire: quis autem dicat assensum, & dissensum non esse iudicium?

Quarto, quia omnis propositio in forma F propositionis pronuntiata continet aliquam sententiam, seu veram, seu falsam: at omnis sententia iudicium aliquod est. Dico autem [*In forma propositionis pronuntiata*] propter eas, quæ in forma quæstionis, aut interrogationis proponũtur, quæ nullũ mentis iudiciũ significant: sed potius ex natura sua dubitationẽ.

Quinto, quia Aristoteles id sæpe signifi- *c. de substan.* cat.

Quid opin. nomine sæpe intelligat Arist. cap. vlt. cat. Nam in libro prædicamentorum nomine *opinionum* intelligit enuntiationes mentales: & in secundo libro de interpretatione appellat opiniones contrarias ipsas mentales *enuntiationes contrarie oppositas*: esse autem opiniones iudicia quædam, nemo dubitat. *cap. 3. text. 9.* Libro etiam quarto huius operis ait primum illud, & communissimum omnium principium: *impossibile est aliquid simul esse, & non esse.* ita notum esse in veritate, vt mente à nemine negari possit: qua certe in re falsum diceret, si quis mente negare aliquid posset, non iudicando illud esse falsum, sed solum apprehensiue negatiuam propositionem formando. *cap. 2.* Tum denique sexto Ethicorum ita scribit; *Est autem id in appetitu prosecutio, & fuga, quod in mente affirmatio & negatio,* pro eo, vt diceret, *Assensus, & dissensus:* quod idem ex aliis locis confirmari potest.

Aliquid mente affirmare idem est ac iudicare illud esse verum, &c. Quapropter quisquis mente aliquid affirmat, eo ipso, quo illud affirmat, iudicat esse verum: & quisquis eodem modo aliquid negat, eo ipso iudicat illud esse falsum: neque alius mentis actus est, aut vnquam reperietur, quo id fiat, nisi affirmando aliquid, aut negando, ita vt ipsa affirmatio sit assensus, & ipsa negatio dissensus. Alia ratio est de affirmatione, & negatione externa. Nam quemadmodum Heraclitus, aut quicunque alius, per proteruiam voce negabat principium il- *4. Meta. c. 3. text. 9.* lud communissimum, quod mente negare non poterat: ita insipiens ille, siue impius, apud *Ps. 13. & 52.* Regium Prophetam reuera negabat in corde suo Deum esse, aut saltem malorum esse vltorem, quem metu supplicii exteriori confessione esse affirmabat.

Conciliatio harum opin. Notitiã apprehens. improprie reperiri in 2. operatione intellectus. Pro conciliatione igitur harum opinionum aduertendum est, apprehensiuam cognitionem sine iudicatiua in prima quidē operatione intellectus plane reperiri, cum res in ea apprehendantur simplicibus cōceptibus, hoc est nihil affirmantibus aut negantibus: tametsi complexi illi sint sine affirmatione, aut negatione, qualis est mentalis definitio siue definito: sed tamen improprie reperiri posse in secunda operatione. Nam cum aliquid affirmamus aut negamus de ipsa enuntiatione, aut etiam de ipso enuntiabili, quod per eam significatur, vt si dicas, Hæc propositio, *Stellæ* *c. 2. q. 6. sect. 9.* *sunt paria* est mihi dubia, aut: *Stellas esse paria*, est mihi dubium: tunc datur cōceptus apprehensiuus & ipsius enuntiationis, & ipsius enuntiabilis, sine eorum conceptibus iudicatiuis, vt libro quarto diximus: quia sic apprehendimus illa, vt nihil de eorum veritate iudicemus. Verum ii conceptus non pertinent ad secundam operationem intellectus, sed ad primam, quia sunt simplices modo iam

A dicto: nam & composita, etiam vt composita, huiusmodi simplicibus conceptibus apprehendi possunt, vt *domus*, aut *exercitus*. Vt enim conceptus pertineant ad secundam operationem, non satis est, si sint de enuntiationibus, aut enuntiabilibus: sed necesse est, vt ipsi sint enuntiatiui, seu enuntiationes, quales sunt ii, quibus de ipsis enuntiationibus, aut enuntiabilibus aliquid affirmamus, aut negamus. *Quid requiratur ad hãc operationem.* Cum autem quæstionem aliquam pro B vtraque parte expressam, aut in forma simplicis interrogationis proponimus, vt si dicamus: *Vtrum materia prima sit pura potentia, an non sit?* aut: *Estne Mathematicus Philosophus?* tunc quidem conceptus, qui huiusmodi orationib. respondent, modo aliquo ad secundam operationem intellectus pertinent: verum adhuc non aliter, quã reductitie: completus enim & perfectus, enuntiatiuus procul dubio est. Quod idem dicendum est de pro- *Quæ ad illã reducantur.* C positionibus cōditionatis, nondum completis, & aliis similibus imperfectis sententiis, cuiusmodi sunt, *Si Socrates disputat, Cum Socrates disputet*, & cæt. Quia tamen quæstiones, & interrogationes nihil differunt ab enuntiatiuis conceptibus, nisi sola interrogationis nota, quæ dubitationem significat: dubitatio autem ad primam operationem nullo modo pertinet, neque item ad tertiam, vt patet: necesse est, vt ad secundam reducantur, quasi in- D choatæ quædam enuntiationes: facile. n. huiusmodi orationes in formam enuntiationis rediguntur. Hac igitur ratione concedi modo aliquo potest reperiri in secunda operatione intellectus apprehensiuam enũtiationem sine iudicatiua: quia etsi huiusmodi orationes non sunt enuntiationes, cum simpliciter nihil affirment, aut negent: affirmationem tamen, aut negationem, siue assensum, aut dissensum sic inchoant, vt ad primam opera- E tionem non pertineant. Vnde Socrates, *qui nihil se scire profitetur, ne ipsas quidem propositiones ad concludendum sine nota interrogationis proponebat*, vt ex Platonicis dialogis perspicuum est: *Socratis mos in disputãdo.* nec Aristoteles *in Topicis* *1. Top. c. 8.* aliter dialecticam propositionem, quam interrogationē probabilem esse definiuit, quod in materia probabili nihil secure assumi possit ad probandum sine interrogationis nota, F vt habeatur assensus eius, quocum disputatur, quem assensum significat ipsa responsio: quæ cum affirmatiua, aut negatiua sit, haud dubie iudicatiua est.

Dubitatio. Ex his patet, quid respondendum sit, si quis quærat, *qui fieri possit, vt intellectus prius copulet extrema enuntiationis, quam de ea iudicium ferat:* (quod etiam superius admisimus) *nec tamen cum ea sic copulat, apprehensiuam*

D 3

hensiuam cognitionem enuntiatiuam sine iudicatiua habeat? Dicendum est enim, duobus modis fieri posse copulationem extremorum in mente ante iudicium: vno obiectiue, nempe cum intellectus eam faciendam, quasi factam concipit, siue enuntiationem aliquam, siue ipsum enuntiabile concipiat; altero realiter, cum iam conceptum prædicati cum conceptu subiecti enuntiatiue coniungit. Quo pacto faber duobus etiam modis tectum cum parietibus in vnam domum componit: vno, cum totam domum absoluendam, quasi iam absolutam concipit; altero, cum re ipsa tectum parietibus imponit. Si ergo intellectus, antequam aliquid enunciet, ipsam enuntiationem quasi factam, aut eius enuntiabile concipiat: is conceptus ad primam operationem pertinebit, vt ex dictis perspicuum est: vnde nil mirum, si apprehensiuus copulationis sit, nec tamen iudicatiuus: Si vero iam realiter conceptum prædicati cum conceptu subiecti sic coniungat, vt nondum enuntiatio absoluta sit, sed ita inchoata, vt iam oratio non pertineat ad primam eius operationem; pertinebit quidem reductiue ad secundam operationem, eritque apprehensiua plurium enuntiabilium coniunctorum, aut vnius; sed tamen non erit iudicatiua.

Resp. Duob. modis posse extrema mente copulari.

His ergo duobus modis dari potest in secunda operatione intellectus apprehensiua cognitio sine iudicatiua, quorum vtrq; improprius est: prior quidem omnino, quia cõceptus est simplex; posterior autem minus improprius, quod iam conceptus sit complexus, & modo aliquo ad apprehensiuum enunciatiuum reduci possit, qui semper reuera est iudicatiuus, vt ostensum est. Atque his modis videntur partis auctores intellexisse dari in secunda operatione intellectus apprehensiuum conceptum sine iudicatiuo. quod etiam ex solutione argumentorum eius partis constabit.

Summa tradita doctrina.

Solutio argumentorum.

SECTIO III.

PRIMVM igitur ex proxime dictis soluitur. Vt enim quæstio vocalis aut scripta cum nota dubitationis proponitur; ita & in mente formari potest: vbi autem dubitatur, vtra pars vera sit, vt de neutra fertur iudicium; ita neutra affirmatur, aut negatur. Ecce quomodo ii, qui contra, atque nos videntur sentire, intelligunt dari in secunda operatione intellectus apprehensionem sine iudicio, quem modum nos concedimus.

Secundum eodem modo soluitur, si propositio dubia, quam ponunt in mente, cum nota dubitationis formata sit, vt formari debet; quo pacto iam non affirmat quicquam, aut negat: neque eadem ratio est in mentali, atque in vocali, quæ sine nota dubitationis proponitur, vt patet ex dictis. Quod autem additur, *Voces esse signa conceptuum*, sic intelligendum est, vt possint conceptus ipsos significare, seu potius innuere: significat enim res, & innuunt conceptus, vt libro quarto dictum est: atqui dubitatio mentis non innuitur, nisi cum in vocali propositione nota dubitationis adhibetur.

cap. 2. q. 6. sect. 6.

Tertium sic diluitur, propositiones ex terminis non significatiuis non esse propositiones, neque orationes, nisi termini sumantur materialiter pro se ipsis, quo iam modo sunt aperte falsæ: neque enim *A.* est *B.* & sic in cæteris. Cur autem ex iis soleant fieri syllogismi, hæc est ratio, quia facilis, & expeditæ doctrinæ causa sumuntur pro veris, & ex hypothesi tanquam veræ conceduntur. Eadem ratio est de iis propositionibus ex terminis significatiuis, quæ sunt aperte falsæ; nam & hæ tanquam veræ ex suppositione conceduntur, vt vtroque modo forma syllogistica expedite ostendatur. Itaque in his propositionibus, vt datur ex hypothesi apprehensio enuntiatiua; ita & iudicatiua: simpliciter autem neutra datur, quia, vt simpliciter nemo iudicat *A. esse B.* aut *hominem esse lapidem*; ita neque illum enuntiatiue apprehendit esse lapidem.

Quo pacto dici queant propositiones, quæ sunt ex terminis non significatiuis. Cur ex iis fiant syllogismi.

Ad quartum dicito, semper notitiam apprehensiuam terminorum, & copulæ, etiam verbalis, saltem naturæ ordine præcedere iudicatiuam: nemo enim copulare extrema potest medio aliquo, nisi prius tempore, vel natura apprehendat ea, quæ coniungenda sunt, & id, cuius interuentu sunt copulanda. Quare cum obiicitur, non ferri iudicium nisi de eo, quod ante affirmabatur, aut negabatur: occurrendum est, etsi aliquando id accidat, vt cum fertur de eo quod alius ante affirmabat, aut negabat; non tamen semper id euenire, cum interim nemo aliquid ante affirmet, aut neget, quam ipse de eo iudicium ferat.

Notitia apprehens. terminor. & copula semper præcedit iudicatiuam.

Ad quintum dicendum, facilitatem apprehendendi res simplicibus cõceptibus, & complexis etiam quibuscunque, de quibus non est ferendũ iudicium, aut etiam memoriæ mandandi, sæpe maiorẽ esse in aliquo, quam iudicandi de veritate, & falsitate eorum enuntiabiliũ, quæ proponuntur; & e contrario multos esse, quibus facilius sit iudicare, quam sit apprehendere: at apprehendere affirmando mente, aut negando, æque facile esse aut difficile, atq; iudicare, quæ prædicata, quib. subiectis

Alios facilius iudicare, quam apprehẽdãt, alios contra, quomodo intelligendum.

iectis conueniant, aut non conueniant, cum vtrumque idem sit.

Ad vltimum dicendum est, verissimam esse Dialecticorum sententiam, in prima operatione intellectus dari solam notitiam apprehensiuam, vtpote sine iudicatiua: in secunda autem dari vtramque, verum inde non colligitur posse dari aliquam apprehẽsiuam enunciatiuam sine iudicatiua, cum iudicatiua operatio non sit diuersa ab apprehensiua enunciatiua, & præter eam dari etiam possint aliæ plures notitiæ apprehensiuæ in eadem secunda operatione intellectus, quæ non sint iudicatiuæ, vt dictum est.

Si quis autem quærat, vtra conditio prius natura conueniat notitiæ enunciatiuæ, esse ne apprehensiuam, an iudicatiuam? dicẽdum est, notitiam apprehensiuam esse communem omnib. notitiis, quia quicquid cognoscimus, apprehendendo cognoscimus: siue id fiat per sensum, siue per intellectum: tum vero diuidi notitiam intellectiuam in apprehensiuam tantum, & apprehensiuam iudicatiuam. Quo fit, vt prius natura cernatur in notitia enunciatiua, quod sit apprehensiua, quam quod iudicatiua. Vnde colligitur, omnem notitiam iudicatiuam esse apprehensiuam: non contra omnem apprehensiuam esse iudicatiuam. Id etiam colligitur ex eo, quod apprehensio, notitia, & cognitio idem sunt: eademque diuisio notitiæ, & cognitionis in apprehensiuam, & iudicatiuam fieri potest, quæ facta est apprehensionis. Colligitur quoque, notitiam conclusionis, quam parit demonstratio, esse simul notitiam: siue cognitionem, apprehensionem, & iudicium: neque ista effici per demonstrationem, quasi tres actus, aut tres formalitates eiusdem actus, sed vt re, & ratione vere vnum actum cognitionis scientificæ: id quod Aristoteles significauit, cum dixit in primo posteriorum, *Scire esse per demonstrationem intelligere*: quo verbo & conceptio etiam, siue apprehensio intellectiua, & iudiciũ intellectus significantur. Demum colligitur, actũ sciendi, qui causatur ex præmissis, esse verbum mentis, quo intellectus enuntiatiue dicit, hoc esse hoc, aut non esse hoc, propter præmissas; seu quo enuntiatiue apprehendit hoc esse hoc, aut non esse; seu quo id cognoscit aut iudicat. Idem enim hæc sunt. Sitne autem verbum huiusmodi quo intellectus aliquid affirmat aut negat, aliquando simplex qualitas, anne semper composita? nunc videndum.

Notitia iudicatiua prius natura habet, quod sit apprehẽsiua.

Et assensus conclus. quod sit iudicium.

cap. 2. text. 5.

Quo pacto aliquando iudicium sit qualitas simplex?

SECTIO IV.

Qvod enim nunquam sit qualitas composita ex conceptibus prædicati & subiecti, sed semper simplex, ex eo primum probatur à quibusdam, quia cum totum, vt totum est, apprehenditur, indiuisibiliter apprehenditur, vt Aristoteles docet *tertio de anima, capite sexto*: enuntiatio autem, vt enuntiatio est, apprehendi debet vt totum quiddam; quare vno simplici conceptu, non duobus apprehendatur, necesse est: quo fit, vt si apprehendere enuntiatiue est iudicare, vt diximus, indiuisibiliter, & non pluribus conceptibus iudicium ferri debeat. Deinde, quia iudicium non fertur, nisi cum in mente profertur copula verbi: ea vero non profertur pluribus conceptibus, sed vno quodam simplici. Tertio, quia iudicare nihil aliud est, quam approbare, aut reprobare aliquam affirmatiuam, aut negatiuam enuntiationem, quod aiunt semper fieri actu quodam mentis simplici annuentis, aut renuentis; quod in nobis videmur experiri, cum alio affirmante aliquid, aut negante, nos interius, aut exterius etiam simplicissimo quodam actu probamus id, quod dicitur, aut reprobamus.

Nunquam aliud esse qualitatem compositam volunt. Dur. in 1. dist. 38. q. 2. Gabr. q. 1. prol. art. 4. Greg. art. 3. text. 21.

Quod vero è contrario semper sit composita qualitas ex cõceptibus prædicati, & subiecti, probatur primum ex ipso Aristotele, qui id plane videtur significare eodem libro de anima, eodemque capite, vbi ait eam operationem intellectus, in qua iam veritas est, & falsitas esse compositionem conceptuum, quasi ipsi sint vnum: moxque subdit, id fieri interuentu verbi præsentis temporis, præteriti, aut futuri. Addit autem, [*Quasi ipsi conceptus sint vnum,*] ne mentalis enuntiatio credatur esse vera vna qualitas ex compositione conceptuum resultans, sed quasi vna, nempe propter vnitatem ordinis, quo subiectum concipitur, vt de quo aliquid affirmatur aut negatur.

Rationes pro parte omnino affirmatiua.

Deinde probatur ex eo, quod docet primo de interpretatione, ea quæ sunt in voce, esse signa eorum, quæ sunt in mente: cum enim in voce semper affirmatio, & negatio componantur, consequens est, vt eadem ratione componantur in mente. *cap. 1.*

Postremo ex eo, quia semper vbicunque est successio, est etiam compositio ex partibus, quarum aliæ aliis succedunt: in proferenda autem propositione mentali æque, atque in vocali est successio prioris, & posterioris termini, ergo & compositio ex illis.

Dicendum est igitur semper iudicium in mente nostra esse qualitatẽ aut actu, aut virtute compositam ex conceptibus subiecti, & prædicati, hoc vel illo modo applicati subiecto:

Decisio quæstionis.

Iudiciũ semper esse qual. actu aut virtute compositam.

iecto: actu quidem, cum in mente exprimimus ipsum iudicium enuntiatiue aliquid affirmando, aut negando, quod fit verbo quodam mentali composito compositione ad secundam operationem intellectus pertinente; virtute autem, cum intellectus breuitatis causa simplici quodam actu approbat, aut reprobat enuntiationem propositam, qui actus resoluitur in expressam affirmationẽ, aut negationem. Quod enim hi simplices actus approbatiui, aut reprobatiui possint in nobis dari, præterquã quod eos videmur experiri, vt dictum est, ratio etiam id exposcit, cum & exterius sæpe simplicibus verbis aliquid approbemus, aut reprobemus; cũ interim mens in pauciora possit, ac soleat ea colligere, quæ pluribus externis signis explicantur. Quod vero, quandocuq; id accidit, semper ii actus virtute contineant affirmationem, aut negationem, ex partitione primum patet: semper enim actus annuendi resoluitur in affirmationem; renuendi vero, in negationem, vt est luce clarius. Deinde ex eo, quia actus hi simplices annuendi, aut renuendi, semper supponunt enuntiationem præcedentem, vt patet: vnde nihil aliud sunt, quam virtuales enuntiationes approbatiuæ, aut reprobatiuæ earum, quæ propositæ sunt siue ab aliis, siue à nobis ipsis: tantundemque valent, ac si intellectus expresse diceret, *Hæc enuntiatio est vera, hæc alia non est vera.* At nos nulla præcedente enuntiatione, quæ ab alio vel à nobis proponatur, sæpe iudicamus de rebus; vt si quis expergiscens, vidensque lumen solis, primo actu iudicet diem esse; quod, cum hoc modo fit, semper fit expressa mentis enuntiatione. Postremo, quia in externo etiam sermone verba simplicia, quæ integram sententiam continent, resoluuntur in integras propositiones, vt pluit, tonat, grandinat, & cætera impersonalia, vt patet apud Grammaticos. Quod si mens potest in voce simplicia verba formare, quæ virtute sint enuntiationes, & in eas resoluantur: multo magis id in se ipsa poterit efficere: præsertim, cum ea, quæ in inferioribus dispersa sunt, sæpe vniantur in superioribus. Est igitur actus iudicandi maxima ex parte, seu potius fere semper apud nos ipsa mentalis enuntiatio, ac proinde qualitas composita ex conceptibus prædicati, & subiecti: nonnunquam tamen est qualitas re vera simplex, quã format intellectus proposita alia enuntiatione: sed tamen virtute composita, & quæ in affirmationem, aut negationem resoluitur.

Verba externa simplicia continere interdum enũtiationem.

Soluuntur rationes partis negatiuæ.

Ad ea igitur, quæ pro parte negatiua allata sunt, dicendum eam apprehensionem, qua totum, vt totũ est, apprehenditur, ad primam operationem intellectus pertinere: nec de alia intelligi posse Aristotelem, cum in loco citato id asserit: loquitur enim in ea parte contextus de prima operatione intellectus. *Lege D. Thomam eo loco.* Sic igitur apprehenditur enuntiatio, vt totum quiddam, cum dicitur exempli causa, Hæc propositio, *Mundus fuit ab æterno*, est falsa. Ita fit, vt argumentum non sit ad rem.

Copulam sine extremis non posse intelligi.

Ad secundum dicito, iudicium per copulam quidem verbi perfici: sed eam sine extremis, quæ copulantur, non posse intelligi, vt recte ait Aristoteles *priori libro de interpretatione*: proinde necesse esse, vt semper in eo conceptu aut actu, aut virtute includatur conceptus prædicati & subiecti.

cap. 3.

Ad tertium dicendum, non semper iudicium esse approbationẽ, aut reprobationem propositæ alicuius affirmatiuæ, aut negatiuæ enuntiationis; quia non necesse est, vt propositio vlla præcedat, quod iam dictum est. Verum, cum id fit simplici quodam nutu intellectus annuentis, aut renuentis, semper in eo virtute contineri affirmatiuã, aut negatiuam enuntiationem, in quam ille resoluitur.

Soluuntur arg. partis affirm.

Ad ea vero, quæ pro parte affirmatiua proposita sunt, nihil aliud dicendum est, quam Aristotelem eo loco non agere, nisi de iudicio expresso veritatis & falsitatis: tũ quia iudicium, quod fit simplici nutu intellectus annuentis, aut renuentis, in expressum resoluitur, tum etiam, quia nunquam fit, nisi proposita prius enuntiatione aliqua, vt diximus: quod valde particulare est, neque eius meminisse oportebat.

Greg. Arim. sent. q. 1. prol. art. 3.

Gregorius tamen Ariminensis, etsi eandem, quam nos, sententiam amplectitur de non distinguenda propositione mentali in iudicatiuam, & apprehensiuam; hoc tamen potissimum argumento sibi persuadet, semper eam in mente esse simplicem qualitatem: quia, vt ait, hæc propositio, *Omnis albedo est entitas*, quod de quacunque alia simili dici potest) si esset composita ex conceptibus albedinis, & entitatis, & ipsius verbalis copulæ, non magis affirmaret in mente, omnem albedinem esse entitatem, quam, omnem entitatem esse albedinem: neque enim maior, inquit, ratio esset, cur dictio, *Omnis*, iungeretur cum conceptu albedinis, quam cum conceptu entitatis. Essent enim omnes illæ qualitates simul, & indiuisibiliter in mente, quæ est indiuisibilis; neque esset, cur potius vnum sensum efficerent, quam alium, vnde fieret, vt proposita enuntiatio in mente non magis vera esset, quam falsa. At si mentalis propositio sit simplex qualitas, tum tolli omne huiusmodi dubium: quia propositio illa non con-

constabit terminis, qui variari possint, vt eorum vtrumque vel tanquam subiectum, vel tanquam prædicatum sumatur. Sed argumentum hoc parum habet difficultatis: nam & in voce, & in mente semper verbum, *Est*, quod ad qualitatem propositionis pertinet, iungitur prædicato; contra vero particula, *Omnis*, quæ ad quantitatem spectat, vt aliæ similes, semper iungitur subiecto. Vnde patet, nullam confusionem esse in mente, cum quis pronuntiat, ac iudicat, omnem albedinem esse entitatem. Vt autem hoc semper accidit in actu enuntiandi, ac iudicandi; sic etiam in habitu iudicatiuo, qui ex eo relinquitur, vt nimirum incliuet ad similem eiusdem terminorum vsum.

Reiicitur.

Quod vt luculentius intelligas, aduerte, semper in propositione prædicatum habere rationem formę, quia attribuit, & quasi communicat se ipsum subiecto, quæ conditio ad formæ naturam pertinet; contraque semper subiectum habere rationem materiæ, quia quasi suscipit ipsum prædicatum, quæ conditio ad naturam materiæ spectat: id quod in propositione affirmatiua, & naturali seu directa plane cernes, vt in illa eadem, & in his, *Homo est animal. Homo est risus capax*, *Homo est albus*, & similibus.

Prædicatum semper habet rationē formæ, subiectū materiæ.

Quod si omnis propositio de verbo, *Est*, quæ vocatur de tertio adiacente (*nempe in qua verbum, Est, quasi tertio loco ad iungendos duos terminos assumitur*) reduceretur ad propositionem de verbo adiectiuo, vt, *Omnis cygnus est albus*, ad hanc, *Omnis cygnus albet*; & hæc, *Philo est Platonis imitator*, ad hanc, *Philo Platonizat*; tum plane constaret, semper verbum, cum officio verbi fungitur, prædicari de eo, cui iungitur, quocunque modo dictiones proferantur voce, aut collocentur, siue in papyro, siue in mente; eadem enim propositio est, si dicas, Cygnus albet, ac si dicas, Albet cygnus; eodemque modo idem est dicere, Philo Platonizat, atque, Platonizat Philo. Dixi, *Cum verbum officio verbi fungitur*, quia nonnunquam sumitur materialiter, & subit rationem nominis, vt si dicas, *Disputo* est verbum actiuæ vocis. Quoniam igitur semper fieri posset, vt propositiones de verbo, *Est*, copulante duos terminos reducerentur ad propositiones de verbo adiectiuo, si nobis verba externa suppeterent: inde fit, vt intellectus, qui naturalibus verbis apud se vtitur, quandocunque pronuntiat iudicium aliquod, siue enuntiationem, semper iungat verbum, *Est*, copulatiuum cum eo termino, quod alteri attribuere vult, & ex vtroque vnum quasi verbum adiectiuum componat. Namque solum verbum adiectiuum, aut quod vicem adiectiui subit, ex se, & ex natura sua habet rationem formæ, vt per se ipsum nomini coniunctum efficiat enuntiationem; vnde & ipsum verbum, *Est*, in morem adiectiui sumptum idem efficit, vt cum dicimus, *Pluuia est*, hoc est, *Pluuia existit*: quo fit, vt quandocunque illud duos terminos iungit, & officio solius copulæ fungitur, semper se teneat, vt ita dicam, ex parte termini, qui prædicatur, vt cum eo vnum quasi verbum adiectiuum efficiat: quapropter si intellectus inuertere vult propositionem aliquā, quam apud se formauit, conuersionemque eius facere, si propositio est de verbo adiectiuo, necesse est, vt prædicatum dissoluat in nomen, & copulam, & hanc applicet subiecto, vt fiat prędicatum: si vero propositio sit de verbo, *Est*, tertio adiacente, dissolutione quidem prędicati non opus erit; sed erit tamen necessaria applicatio copulæ ad eum terminum, qui antea subiiciebatur, vt semper prædicatum, si minus sit verbum adiectiuum, at vim habeat verbi adiectiui. Hæc si teneantur, quæ in hac materia perspicuitatis causa dicta sunt, nihil erit in re proposita difficultatis. Quo autem pacto assensus conclusionis simul cadat in præmissas, operæ pretium erit iam expendere.

Verbum, quà verbum, semper prædicatur.

Solū verbum adiectiuum habet rationem formæ.

Verbum, est, etiam vt solum copulat, tenet se ex parte prædicati.

Quo pacto actus sciendi, qui demonstrationi comparatur, attingat simul conclusionem, & præmissas?

QVÆSTIO IV.

Non videri posse simul præmissas attingere.

SECTIO I.

NON posse actum eundem sciendi attingere simul conclusionem, & præmissas, his argumentis videtur ostendi. Primum, quia, cum notitia præmissarum sit causa notitiæ conclusionis, si actus idem attingeret præmissas, & conclusionem, idem actus esset causa sui ipsius, quod fieri nequit.

Sic videtur sentire Greg. in 1. d. 1. q. 1. art. 2.

Deinde, quia, cum præmissæ sint certiores, & euidentiores conclusione, eadem ratione idem actus esset certior & euidentior, & simul minus certus, ac minus euidens se ipso, quod nemo dixerit.

Tertio, quia ita se habent conclusiones ad principia in intelligibilibus, vt se habent media ad suos fines in agibilibus, quod Aristoteles sæpe docet: atqui fieri non posse videtur,

Vt 2. Phys. t. vlt. text. 89. & 7. Ethic. c. 8.

E tur,

tur, vt idem actus cadat simul in medium, quod propter finem eligit, & in finem, quem intendit, tum quia electio, & intentio sunt actus voluntatis specie differentes; tum etiam, quia, cum sæpe propter amorem finis habeamus odio rem, quæ nobis impedimento est, ne illum assequamur, idem actus esset simul amoris & odii. Tum denique, quia, cum sæpe propter bonum finem eligamus mala media; vt cum quis furatur, vt honeste alat familiam, aut contra eligit bona media propter malum finem, vt qui inanis ostentationis causa diutius orat, aut sæpius ieiunat; idem actus esset simul bonus & malus, quod fieri non potest.

Postremo, quia si idem actus sciendi cadere debet in conclusionem, & præmissas, quia præmissæ sunt causæ conclusionis, cum sæpe in præmissis non contineatur causa rei demonstrandæ, sed effectus; tunc necesse non erit, vt actus assentiendi conclusioni attingat simul præmissas: contraque, cum forma consequentiæ sit etiam causa assentiendi conclusioni, necesse erit, vt actus sciendi cadat non modo in conclusionem, & præmissas, sed etiam in consequentiam ipsam, quod qua ratione fieri possit, non constat.

Necessario attingere debere, & quo pacto id fiat.

SECTIO II.

Ita D. Th. 1. 2. q. 8. art. 3. & aliis locis. Dur. in 2. d. 38. q. 3. Argē. q. 1. a. 2. Cap. in 1. d. 1. q. 1. ar. 3. Sonc. hoc lib. q. 10. & alii.

DICENDVM est tamen necesse esse, vt idem actus sciendi, imo & quicunque alius, qui ex præmissis efficitur, cadat modo aliquo non solum in conclusionem, sed etiam in præmissas. Primum, quia cum conclusio, saltem vt probanda est, sit ignota, (*hac enim de causa ante conclusionem in forma quæstionis proponitur*) si assensus, qui super eam cadit, non reciperet simul præmissas, propter quas adhibetur, non dubium, quin esset temerarius, nullaque ratione suffultus, ac proinde conclusionem notam facere non posset.

Deinde, quia conclusio demonstratiua non est per se, siue ex suis terminis nota, alioqui non esset demonstrabilis, sed principium indemonstrabile: nihil igitur intellectus in ea inuenit, cuius causa illi assentiatur: quare necesse est, vt illi assentiatur propter præmissas, ac proinde, vt assensus illius modo aliquo attingat præmissas.

Tertio, quia, vt se habet lumen medii ad colores aspectui obiectos; ita suo quodam modo principia ad conclusiones propositas intellectui: atqui aspectus eodem actu fertur in lumen medium, & in colores obiectos,

A vt patet: ergo & intellectus in principia, & propositas conclusiones. Huiusmodi vero actus non est is, quo intellectus ante conclusionem assentitur principiis per se sumptis: igitur est actus, quo assentitur conclusioni propter principia.

Quo pacto præmissæ & simul sint cū conclus. & eandem præcedant.

Quarto, quia præmissæ, quæcunque illæ sint, continent argumentum, quod est ratio formalis assentiendi conclusioni: non datur autem assensus sine formali ratione assentiēdi: vnde etsi principia, quatenus efficientes B causæ assentiendi cōclusioni, præcedant conclusionem; tamen, quatenus formalem rationem talis assensus continent, modo aliquo debent simul cognosci cum conclusione.

Postremo, quia si assensus præmissarum nō contineretur modo aliquo in assensu conclusionis, non differrent specie assensus eiusdem conclusionis per diuersa media demonstratæ; imo nec quocunq; modo probatæ: si C quidem assensus eius in se, nō spectata diuersitate mediorum, quibus probatur, vnus & idem deberet esse formaliter: at hoc asserere esset conuellere omnia, quæ supra dicta sunt de distinctione habituum scientiæ.

Duplex sent. de modo, quo assensus conclus. cadit supra præmissas. Prior est Geruas. de nott. 2. dub. fin.

Itaque, cum de re ipsa nulla sit, aut certe esse debeat quæstio, de modo, quo id fiat, tota reliqua est contentio. Nam alii respondent actum assentiendi conclusioni, quæ demonstratur, esse partem totius assensus, qui adhi- D betur demonstrationi, tanquam vni propositioni rationali aut causali: cum enim assensus totius rationalis, aut causalis propositionis includat assensum omnium propositionum, ex quibus constat, (in hoc enim differunt hæ propositiones à conditionali, ad cuius veritatem non requiritur veritas partium, vt Dialectici tradunt) efficitur, vt assensus demonstratiuus sit vnus totalis assensus principiorum, & cōclusionis: addere etiam possent, E *Et ipsius quoque consequentiæ*, vt patet in hac demonstratione, in forma propositionis rationalis extructa. Quicquid ex elementis constat, corruptibile est: omne mistum ex elemētis constat: omne igitur mistum corruptibile est. Et in hac, quæ disponitur in forma causalis. Quia quicquid ex elementis constat, corruptibile est, & omne mistum ex elementis constat, omne vtique mistum est corruptibile.

Vide lib. 3. constit. c. 15.

Refutatur.

F Verum hi non ad rem loquuntur: neque enim hic agimus de assensu totius demonstrationis, tanquam propositionis alicuius rationalis, aut causalis, qui supponit non solum assensum præmissarum, sed etiam conclusionis, imo & consequentiæ: prius enim hæc debent esse rata & firma, quam assentiamur toti rationali, aut causali, quia huiusmodi dictiones, *Ergo* & *Quia*, atque aliæ eiusdem signi-

significationis, debent connectere totum antecedens verum cum consequente vero, idq; sub vera seu apta consequentia, ex quibus resultet veritas totius demonstrationis, tanquam vnius propositionis. At nos non loquimur in hac quæstione de assensu, qui adhibetur toti demonstrationi iam confectæ, & absolutæ, tanquam vni propositioni supponēti iam veritatem omnium simplicium propositionum, ex quibus constat: sed de assensu solius conclusionis præcedentibus aut tempore, aut natura præmissarum assensibus.

Sensus quæstionis.

Alii volunt, actum assentiendi conclusioni, quæ per demonstrationem probatur, cadere sub præmissas non actu, sed virtute, idemque dicendum esse de assensu conclusionis quouis alio modo probatæ: nam cum assentiamur conclusioni ratione præmissarum, necesse est, vt assensus præmissarum contineatur modo aliquo in assensu conclusionis, vt iam ostensum est: quare cum nō possit contineri actu, quia assensus conclusionis non est assensus præmissarum, fit, vt contineatur virtute. Quorum sententia ita demum placet, si eam sic intelligant, vt ad minimum quidem necesse sit eum assensum, de quo est quæstio, cadere virtute super prçmissas: possit tamen cadere formaliter. Nam, vt in electione mediorum propter finem aliquando vno & eodem appetēdi actu appetimus medium, quia expresse appetimus finem, vt cum volumus potionem amaram, quia recordamur sanitatis, & expresse propter eam appetimus potionem: aliquando autem, cum actu non recordemur sanitatis, tamen appetimus potionem virtute & efficacia sanitatis alias actu desideratæ: ita aliquando accidit, vt cum primum præmissis assensum adhibuimus, simulque consequentiam aptam esse vidimus, continuo assentiamur conclusioni propter expressum præmissarum assensum: aliquando autem, vel quia post assensum præmissarum consequentiam examinauimus, vel quia tantisper alio diuertimus, assentiamur conclusioni virtute præmissarum, quibus iam adhibueramus assensum: non tamen quasi in eo assensu expresse admisceamus assensum præmissarum, vt propter quem conclusioni assentiamur.

Posterior aliorū est recent. ad 1. 1. q. 8. art. 3.

Quo sensu placeat.

Posse assensum conclus. cadere formaliter super præmissas.

Aduerte autem, vtrouis modo assensus conclusionis cadat simul in præmissas, semper conclusionem attingi ab illo in recto, prçmissas autem in obliquo, quasi dicamus, *Ergo vera & necessaria est conclusio propter veritatem & necessitatem præmissarum.* Duobus enim modis assentimur præmissis in demonstratione, & quacunque alia probatione: vno absolute, ac per se ratione ipsarū, quod fit ante conclusionem, cum quælibet earum proponitur, & conceditur, altero respectiue, & tanquam rationi assentiendi conclusioni: quod fit, cum directe assentimur conclusioni, præmissis autem, vt quarum ratione illi assentimur: quod idem significant ipsæ illatiuæ dictiones. Nam particula, *Ergo*, significat præmissarum ratione assentiri nos conclusioni, vnde & rationalis dictio appellatur & cuilibet argumētationi adhiberi potest: dictio vero, *Quia*, significat ratione causæ eius, quod demonstratur, conclusionem concedi: tametsi aliquando vsurpatur in communiori sensu, vt significetur præmissas esse causas efficientes assensus conclusionis, etsi non contineant veram causam rei, quæ in conclusione demonstratur.

Semper illas ab eo attingi in obliquo.

Duplex modus assentiendi præmissis.

Solutio argumentorum, quæ pro parte opposita allata sunt.

SECTIO III.

AD primum igitur negatiuæ partis argumentum dicendum est notitiam prçmissarum per se sumptam, siue ante conclusionem, esse causam effectiuam notitiæ conclusionis, eamque æquiuocam: vt autem continetur in ipsa notitia conclusionis, non esse causam effectiuam illius, sed id, quod in illa formale est: vnum autem & eundem actum intellectus continere posse, & id, quod materiale est, & quod formale. Quemadmodum in voluntate vnus & idem actus eligendi medium propter finem continet materiale quiddam, quatenus per eum eligitur medium: & quiddam formale, quatenus illud propter finem eligitur. Aut breuius hoc modo, non ex eo, quod actus assentiendi conclusioni cadit supra præmissas, vt supra rationem formalem assentiendi, sequi eundem actum esse causam sui ipsius: sed eundem esse actum, quo assentimur vni propter alterum.

Vt præmissarum notitia sit, aut nō sit causa effectiua conclusionis.

Ad secundum dicendum, præmissas idcirco dici certiores & euidentiores conclusione, quia ita faciunt conclusionem certam & euidentem in demonstratione, vt ipsæ in ea non fiant à conclusione certæ & euidentes: cæterum, quia actus assentiendi conclusioni propter præmissas non eodem modo super eas cadit, quo super conclusionem, cum cadat super hanc directe, vt super id, cui assentimur: super præmissas autem indirecte, vt super formalem rationem assentiendi: vna tantum est certitudo, & euidentia illius actus, quç causatur a prçmissis, & a conclusione suscipitur, seu potius ab enuntiabili demonstrato: vnde fit, vt nulla comparatio maioris & minoris euidentiæ, aut certitudinis fieri possit in eo actu: sed solum in actibus assen-

Cur illæ ea certiores & euidentiores dicantur.

tiendi præmissis secundum se collatis cum actu assentiendi conclusioni propter illas: quo pacto semper euidentia, & certitudo præmissarum est maior euidētia, & certitudine conclusionis ratione iam explicata.

Idem appetendi actus simul cadere potest super medium & finem.

Ad tertium concedenda est similitudo actuum intelligendi cum actibus appetendi, vt proponitur: negandumque non posse eundem actum appetendi cadere simul in medium, & finem, cum medium appetitur propter finem. Ad primam autem eius rei confirma- B tionem dicendum est, eum actum, quo medium e'igitur propter finem, non esse intentionem finis, sed tantum medii electionem propter finem intentum, vt patet. Quod si medium, seu potius res, quæ est medium, expetatur propter se, vt ab ægroto appetitur suauis potus, qui simul est salubris, nulla habita ratione sanitatis obtinendæ, iam actus voluntatis circa illud non erit electio medii, sed intentio cuiusdam finis. Ad secundam di- C

Idem esse, amor finis, & odium rei illi repugnantis.

cito eundem numero actum, qui est amor finis, posse re ipsa simul esse odium eius rei, quę fini intento repugnat: neq; enim hæc pugnāt inter se, tametsi amor & odiū eiusdem rei eadem ratione consideratæ repugnent mutuo, nō solum in eodem actu, sed etiam in eodem subiecto. Ad tertiā dices, electionem peruersi medii propter bonum finem, esse simpliciter malam, quia bonum ex integra causa est, ma-

De diuin. nomin. c. 4.

lum autem ex singulis defectibus, vt Diony- D sius docet: eademque ratione electionem rei bonæ propter finem malum esse etiam malam, non simul bonam & malam.

Ad vltimum argumentum, quod ad priorem eius partem attinet, dicendum, præmissas, seu potius assensus præmissarum & esse causas efficientes assensus conclusionis & sæpe in se continere causam eius rei, quæ in conclusione demonstratur: interdum etiam non causam, sed effectum, aut aliquid aliud, per E quod conclusio probetur. Non dicimus igitur actum assentiendi cōclusioni cadere ēt in præmissas, quia illæ sint causæ efficiētes conclusionis, aut semper contineant causam eius rei, quæ in cōclusione demonstratur: sed quia

Semper in præmissis cōtineri rationem formal. assentiendi conclus.

in eis cōtinetur ratio formalis, ob quam conclusioni assentimur, nempe argumentum, siue i lud ex causa sumatur, siue ex effectu, siue ex quauis aut re, aut consideratione alia.

Quod attinet ad posteriorem partem argu- F menti, dicendū, aliam esse rationem in consequentia, aliam in præmissis. Nam præmissæ cōtinent causam, aut rationē aliā, per quā res demonstratur, alio ve modo probatur, & ideo dici solent causæ conclusionis, late nimirum accepto *causa* nomine, pro quacunq; ratione probaria conclusionis: at consequentia neutro ex his modis dicitur causa assentiēdi conclusioni, cum potius sit conditio, sine qua neque assensus prēmissarum efficerent assensum conclusionis, neq; ratio formalis assentiendi conclusioni quicquā probaret. Nihilominus

Etiam super consequentiā cadit conclusionis assensus.

tamen negandum non est, cadere etiam debere assensum cōclusionis demonstratæ, & quouis alio modo probatæ, in consequentiam, vt plane indicant dictiones illatiuæ. Quo autem modo in eā cadat, haud difficile est intelligere, cū sine forma consequentiæ nec præmissæ sint præmissæ, nec conclusio, conclusio. Itaq; eo ipso, quo assensus cōclusionis cadit in prēmissas vt præmissas, & in conclusionem vt conclusionem, cadit etiam in consequentiam tanquam in congruentem, & aptam illationem conclusionis ex præmissis.

Duo quædam dubia de assensu conclusionis.

Sectio IV.

Prius dub. de assensu concl. negatiue, & quomodo cadat super præmissas.

SED cum assensus nihil differat ab affirmatione mentali, nec dissensus à mentali negatione, vt superius diximus, quærat aliquis, num assensus conclusionis reperiatur in demonstratione, cum conclusio est negatiua: & quo pacto cadat in eius præmissas, cum altera earum necessario debeat esse negatiua?

Deciditur.

Ad quam dubitationem dicendum est, conclusionem negatiuam demonstrationis formaliter quidem esse dissensum, sed tamen æquiualenter esse assensum: idemque dicendum de præmissa negatiua: quod admonuisse non est inutile, cum semper sit sermo de assensibus præmissarum & conclusionis, cum de hac materia disputatur. Quapropter aduertendum est, cum conclusio negatiua dissensus quidam sit suę contradicentis, inde fieri, vt ea æquipolleat assensui ipsius negatiuæ: verbi gratia, in ea demonstratione Ari- *2. de Cœlo c. 8 tex. 48.*
stotelica, *Quæ astra prope sunt, non scintillant: Planetæ prope sunt: Planetæ igitur non scintillant,* conclusio dissensus est contradictoriæ huius conclusionis, *Planetæ scintillant*: cum igitur dissensus vnius contradictorii, sit assensus alterius, inde fit, vt dissensus significatus per cōclusionem negatiuam habeatur pro assensu ipsius negatiuæ: sicque, cum concludimus Planetas non scintillare, huic eidem negationi assentiamur, quasi dicamus: Hoc ipsum, quod est Planetas nō scintillare, verū est: quæ est affirmatiua enuntiatio: proinde, etsi altera præmissarum Aristotelicæ argumentationis negatiua est, ac in mente dissensus suæ cōtradictoriæ: tamen, cum æquiualeat assensui ipsius negatiuæ, (*q. dicat Aristoteles, Hoc ipsum quod*

quod est, Quæ astra prope sunt, non scintillare, verum est: quæ etiam est propositio affirmatiua) nihil mirum esse, si assensus conclusionis non solum cadat hoc pacto super conclusionem negatiuam, sed etiam super negatiuam præmissam.

Posterius dub. An simul cũ assensu assumptionis detur concl. assensus. Videri necessario dari.

Quærat etiam aliquis, num simul cum assensu directo posterioris præmissæ, præcedente assensu prioris, necessario detur assensus conclusionis? Nam quod necessario detur ex eo primum probatur, quia Aristot. *in priori lib. post. cap.* 1. asserit simul cum assensu minoris, postquam maior approbata est, necessario dari assensum conclusionis: quod idem dici potest fieri cum assensu maioris, si præcessit assensus minoris. Deinde quia assensus præmissarum non solum sunt causæ assensus conclusionis, sed etiam causæ naturaliter agentes, quibus positis necesse est poni effectum. Tertio, quia vt se habet finis ad media, ita principia ad conclusiones: cum ergo posita voluntate efficaci finis necessario appetatur medium si vnum sit tantum: pari ratione dato assensu præmissarum, necessario dandus est assensus conclusionis, quæ sola ex præmissis proxime colligi potest. Accedit illa Aristotelis sententia in septimo Ethicorum, quæ plane docet, posita maiore vniuersali, & minori singulari de re agenda, necessario voluntatem sequi iudicium conclusionis: quod non alia de causa dictum est, nisi quia iudicium conclusionis necessario sequitur ex iudicio minoris propositionis cum maior propositio prius concessa est.

Argumenta pro parte negatiua.

Altera tamen ex parte videtur non esse necesse, vt assensum posterioris præmissæ sequatur simul assensus conclusionis. Primum, quia difficile est duo simul directo intelligere. Deinde, quia semper est liberum voluntati suspendere, aut diuertere intellectum à quouis nouo assensu, qualis est assensus conclusionis, etiam post assensum vtriusque præmissæ: semper enim effectus, saltem natura, posterior est sua causa: vbi autem causa libera est ad suspendendum suum concursum, & potentiarum sibi obedientium, non dubium videtur, quin possit efficere, vt non sequatur effectus.

Conciliatio vtriusq; sententia.

Ad hanc dubitationem respondendum est, si necessitas in ea quoad specificationem, vt dici solet, intelligatur, hoc est, quoad speciem iudicij, necessario ex assensu vtriusque præmissæ sequi assensum conclusionis; quia si iudicium circa illam exerceri debet, vt ex præmissis colligitur, non dissentiendo, sed assentiendo exercendum est: si vero intelligatur quoad ipsum exercitium, non necessario ex assensu præmissarum sequi assensum conclu-

A sionis, si quod impedimentum afferatur, vt si nondum animaduersa sit in ipso discursu forma consequentiæ; (*poterat enim saltem animaduerti saltem si erat in aliquo ex primis quatuor modis primæ figuræ, qui sunt per se noti, vt in quibus perspicue exercentur principia illa duo regulatiua, quæ vocantur, Dici de omni, & Dici de nullo*) aut vehemens attentio intellectus ad minorem non det locum intellectui, vt attendat ad cõclusionem, aut voluntas vehementi applica-

De quibus Arist. 1 prior. c. 1.

B tione alio diuertat intellectum. Quod si nullum impedimentum adsit, tunc distinctionem adhibendam esse: nam si voluntas sinat intellectum suum opus agere, neque ille sit alicui rei ita intentus, vt non attendat simul ad præmissas & conclusionem, quæ probatur, non dubium esse, quin simul cum assensu posterioris præmissæ in eodem instanti necessario sequi debeat assensus conclusionis; quia assensus præmissarum tanquam integra cau-

C sa efficiens naturaliter efficiunt assensum cõclusionis, & in eo instanti nullum iam supponitur impedimentum. Atque hactenus videntur omnes conuenire.

An voluntas queat suspẽdere actum intellectus circa conclus. post præmissarum assens.

Sin autem voluntas suæ libertatis tantum causa velit suspendere actum intellectus circa conclusionem, vt nullum de ea iudicium eliciatur, hic iam dissensio est. Nam recentiores nonnulli existimant id posse fieri, eo quod assensus conclusionis sit alius actus ab

D assensibus præmissarum directo elicitis, cuiusmodi sunt earum assensus ante assensum conclusionis, vt ex supra dictis patet; voluntasque cohibere possit intellectum ab eliciendo quocunque alio assensu diuerso ab assensibus præmissarum iam elicitis. Diuus autem Thomas, Scotus, Durandus, & alij graues auctores partim videntur sentire, partim perspicue asserunt, id fieri non posse, quia voluntas non potest suspendere actus

D. Th. 1. p. q. 82. ar. 2. & 1. 2. q. 17. ar. 6. Scot in 1. d. 1. q. 4. §. ad ar. Dur. in 2. d. 25. q. 4. Argent q. 1. ar. 4. Henr. quodl. 3. q. 17. conc. 9. cap 8.

E potentiarum naturaliter agentium, cum earum obiectum est debite præsens & potentiæ non sunt impeditæ; quo pacto non potest suspendere actus externorum sensuum, cum eorum obiecta sunt debite præsentia, & ipsi non sunt alio intenti, aut alio modo impediti: atque hæc sententia, vt communior est, ita & magis probanda. Nec refert, quod assensus conclusionis sit diuersus ab assensibus præmissarum iam directo elicitis, si

Probabilius est non posse.

F is necessario sequitur assensum præmissarum: voluntas enim non potest cohibere potentias naturaliter agentes, sufficienter applicatas, & expeditas, ne suos actus eliciant, licet eas possit diuertere, eisque alia obiecta, aut materias subijcere. Quod si oppositæ sententiæ auctores opponant experientiam contrariam, eo quod sæpe videamur cõcedere

Obiectio.

E 3 maio-

maiorem, & minorem, nec tamen adiungamus assensum conclusionis, idque ea ratione sola, quia nolumus iudicium vllum circa illam exercere; hoc modo occurrendum; *Solutio.* Quandocunque intellectus actu recordatur conclusionis sub forma dubitationis propositæ, & maioris propositionis, connexionemque videt necessariam conclusionis cum præmissis, non esse credendum quemquam fore, qui experiatur se non assentiri conclusioni, etsi verbotenus dicat se non assentiri: quod si aliquid horum desit, non mirum, si intellectus non assentiatur conclusioni: neque ad id necessaria est cohibitio, qua voluntas non sinat intellectum de ea iudicium ferre, cum nondum sint parata omnia ad iudicium ferendum.

Satisfit argum. partis affirm. Quare ad primum, & secundum argumentum affirmatiuæ partis dicendum est vtrumque recte concludere sublatis impedimentis, quo pacto plurimæ rationes naturales concludunt.

Quando efficax voluntas finis secum necessario trahat appetitionem medior. Ad tertium autem, si nomine voluntatis efficacis circa finem intelligatur voluntas circa finem actu finalizantem, vt ita dicam, concedendum est voluntatem efficacem necessario secum trahere appetitionem medij; atque eo pacto efficax iudicium præmissarum, & consequentiæ simul, necessario secum trahere iudicium conclusionis: quod si cui placeat, vt volũtas efficax dicatur ea, cui nihil deest ex parte ipsius ad causandum, quemadmodum ea non necessario secum affert appetitionem medij, ita nec similis assensus præmissarum secum affert assensum conclusionis.

Ad quartum dicito id, quod Aristoteles eo loco ait, quod quidem ad actum assentiendi conclusioni attinet, eum assensum necessario sequuturum ex assensu minoris, si nihil impediat, vt dictum est: sed tamen ex eo non necesse fore, vt sequatur consensus voluntatis, quia liberum est voluntati suspendere actum suum ab electione rei iudicatæ, aut sequi aliud iudicium, quod intellectus alias tulit, aut diuertere intellectum ad quærendam aliam rationem, quam sequatur: quæ consentanea sunt ijs, quæ dicenda erunt lib. 9.

Satisfit rationibus negatiuæ. Ad primum vero partis negatiuæ, in quo proponitur, difficile esse duo simul obiecta directo intelligere, facilis est responsio. Est enim difficile, si vtrique perfecte attendatur, neque alter actus ex altero sequatur: alioquin cum neutro actu perfecte peculiari obiecto attenditur, nil mirum esse, si attentio in plures quasi partiales attentiones diuidatur: sic enim *Pluribus intentus* (vt vulgo dicitur) *minor est ad singula sensus.* Quod si alter a-A ctus ex altero sequatur, non modo difficile non erit, sed procliue etiam, seu potius necessarium.

Ad secundum negandum est, quod assumitur. Neque enim magis libera est voluntas ad suspendendum iudicium intellectus, cum ei debite præsens est obiectum, & ipse ad illud sufficienter attendit; quam ad suspendendum iudicium sensus; cum eius obiectum debite præsens est, modo nullum sit B impedimentum ex vtraque parte, aut etiam ex parte medij.

Sed quoniam de scientia ipsa in se spectata satis dictum est hactenus, reliquum est, vt de eius diuisione disseramus; ac primum de ea, qua in practicas & contemplatiuas distribuitur.

C Num scientia recte diuidatur in practicas & contemplatiuas?

QVÆSTIO V.

Non videri recte diuidi in hac duo genera.

SECTIO I.

D QVOD scientia non videatur recte diuidi in practicas & contemplatiuas, ex eo primum probatur, quia inter scientias practicas & contemplatiuas, seu potius ante illas videntur dari quædam scientiæ, quæ nec practicæ sint, nec contemplatiuæ, sed vtrisque adminiculantes, vt eas nonnulli appellant, quales esse volunt Dialecticam & Oratoriam. *Ægid. ad initiũ suæ Log.*

Deinde, quia si practicæ scientiæ sunt, E quæ docent aliquid agendum esse, & quo pacto agendum sit, sumpto agendi verbo, vt significationem habet verbo etiam faciendi communem; omnes scientiæ, quas dicimus contemplatiuas, erunt etiam practicæ. Nam Geometria multa docet & agenda esse & quo pacto agenda sint, vt inuenire centrum circuli, & quonam modo inueniatur. Physica etiam eo ipso, quod tradit animam nostram esse immortalem, satis suadet mortalia à nobis F contemnenda esse, & quærenda ea, quibus illa perpetuo beata esse possit. Prima item Philosophia eo ipso, quod ostendit vnum esse Deum, eumque esse, à quo pendent omnia, satis ostendit illum summo honore esse colendum. Ex quibus fit, vt nulla sit distinctio earum scientiarum, quæ practicæ dicuntur, à contemplatiuis.

Tertio,

Tertio, quia, cum scientia contemplatiua dicatur ea, cuius finis est sola veritatis cognitio; practica vero, cuius finis est opus; mutato fine eadem esse poterit modo contemplatiua, modo practica, ac proinde non erit inter eas specificum discrimen, vt esse dicitur. Nam si quis solius cognitionis causa det operam Architecturæ, aut Nauticæ, aut Medicinæ; eius scientia, dum alium finem sibi non proponit, erit contemplatiua: quod si postea eam exercere per se velit, iam ex contemplatiua fiet practica. Philosophus etiam, qui habet scientiam contemplatiuam de generatione rerum naturalium, aut de nutritione, & accretione viuentium, si Deus ei subdat res naturales, vt eas facere possit, iam eius scientia contemplatiua incipiet esse practica, idem, inquam numero scientiæ habitus.

cap. 3. Quarto, quia Aristoteles sexto Ethicorum libro diuidit habitus speculatiuos, quibus verum dicimus, in habitum principiorum, seu intellectum, scientiam, & sapientiam; practicos autem in solam artem, & prudentiam, vnde fit vt nullam scientiam videatur practicam facere nisi solam artem

Quinto, quia scientia Dei aut non est practica, nec contemplatiua, cum non sit propter finem vllum, qui vel sit cognitio, vel actio, ad quam eius cognitio dirigatur: aut si est contemplatiua, & practica, contemplatiua quidem sui, practica vero creaturarum; vna tantum & eadem ratione est vtrumque, quia per cognitionem sui est causa effectiua creaturarum: vnde fit, vt practicum & contemplatiuum ne apud nos quidem differant, cum nos similiter ex contemplatione rerum agere possimus.

Sexto, quia in fide itidem catholica datur vna & eadem ratio, qua illa simul fit & practica, & contemplatiua, nempe authoritas Dei tradentis cognitionem rerum tum practice, tum etiam contemplatiue, quod idem dici potest de Theologia, quæ ex principijs fidei catholicæ creditis pendet: quo fit, vt practicum & contemplatiuum non sint differentiæ oppositæ, vt in hac quæstione videtur supponi.

Postremo, quia, si vera est communis illa distinctio inter practicas & contemplatiuas, quod contemplatiuæ sint propter se, ac liberæ; practicæ autem quasi ancillentur contemplatiuis: sola prima Philosophia erit contemplatiua, cum cæteræ omnes humanæ scientiæ ei subiectæ sint: sicque peribit distinctio contemplantium, quam hoc loco in tria genera facit Aristoteles.

Quid sit praxis, iudicium practicum, & practica scientia; quid item contemplatio, iudicium, & scientia contemplatiua?

SECTIO II.

SED cum Aristoteles tum hoc loco, tum secundo libro simpliciter diuidat scientias in practicas, & contemplatiuas, quæ ratio diuidendi vitiosa esset, si diuisio non esset adæquata, vt argumenta proposita contendunt: exponendum inprimis est, quid sit praxis, iudicium practicum, & scientia practica, quæ à praxi & iudicio practico dicitur: & similiter quid sit contemplatio, iudicium contemplatiuum, & contemplatiua scientia, quæ à contemplatione, & iudicio contemplatiuo sic appellatur: ex his enim patebit, an diuisio sit adæquata; & quæ tandem ea sit generis ne in species, an aliqua alia? *lib. 2. c. 1. text. 3.*

Quanquam enim pro ijs, quæ hoc loco præmittenda sunt, satis esse videretur, si lectorem reijceremus ad ea, quæ libro secundo præmisimus, vt ostenderemus Dialecticam non esse contemplatiuam, sed practicam; tamen, quia hic locus aliquanto ampliorem huius materiæ explicationem postulat, partim illis repetendis, partim explicandis, partim alijs addendis luculentiorem facere conabimur huius rei cognitionem. *c. 3. q. 2.*

Quid sit praxis. Praxis Græce idem est, quod Latine actio: sed cum actio, vt fuse sumitur latissime pateat; (*complectitur enim eo pacto omnes omnino actiones, siue naturales, siue liberas, siue potentiarum exequentium, siue imperantium, atque adeo ipsam contemplationem, cui in hac diuisione scientiarum praxis opponitur*) merito Aristoteles, quandocunque practicas scientias à contemplatiuis diuisit, nomine actionum eas solas intelligendas esse voluit, quæ liberæ sunt, & quatenus tales considerantur: has enim solas, vt huiusmodi sunt, actiones esse dixit, & ea ratione in brutis animantibus esse negauit, quod omnes operationes ab illis ex necessitate naturæ prodeant, per easque magis ipsæ agantur, quam agant. Nam neque actiones, quæ natura sua sunt liberæ, a nobis vt liberæ prodeunt; cum sine vlla deliberatione, aut consideratione exerceantur, vt patet in motibus voluntatis omnino primis, quos primo primos appellant, qui nec meriti, nec pœnæ vllius digni sunt, quod à nobis solius naturæ, aut consuetudinis impetu proficiscantur. Atque hæc est Theologorum, præter quosdam recentiores, communis sententia, praxes inquam, *Actiones vocat Arist. solas liberas, quas tales. 1. Magn. Moral. c. 12. 1. Eth. c. 7. & lib. 6. c. 2. & lib. 2. ad Eudem.*

Praxes esse actiones liberas.
Henr. 1. par. summa ar. 8. q. 2. Scot. in prol. q. 4. Greg. q. 5. ar. 1. Ocb. q. 4. Capr. q. 2. conclus. 4. Sonc. hoc lib. q. 2. c. 1. text. 2. & c. 2. tex. 3. tex. 1. Vt Sot. in 4. d. 49. q. 1. ar. 4.
Amorē beatificum non esse praxim. Henr. loco cit. & Sonc. q. 3.
Amorē boni in commune praxim esse.

quam, omnes à quibus practicæ scientiæ dicuntur, esse actiones liberas, & vt eiusmodi sunt, ab illis considerari: quod ex eo probant, quia hæ solæ indigent directione intellectus, quod alio & alio modo exerceri possint, cum tamen naturales actiones sint certæ, & ad vnum determinatæ, vt Aristoteles docet lib. 9. Accedit, quod ipse quoque Aristoteles id plane affirmat hoc loco, cum ait, principia actionum, à quibus actiuæ, & effectiuæ facultates dicuntur, esse in nobis, id est, in potestate nostra. Vnde patet, neq; eos, qui affirmant amorem, quo essentia diuina clare conspecta à Beatis diligitur, esse praxim; neque eos, qui amorem boni in commune, vt bonum est, aut beatitudinis in commune, vt beatitudo est, praxim esse negant, recte sentire: cum prior ille amor ex necessitate naturæ sequatur claram essentiæ diuinæ contemplationem, hic autem posterior, etsi est naturalis, & necessarius quoad specificationem, vt non possit in speciem odij conuerti, non sit tamen naturalis, nec necessarius quoad exercitium, cum & exerceri, & non exerceri possit, qua in re libertas præcipue posita est. Ita perspicuum relinquitur praxim, vt hoc loco intelligenda est, nihil esse aliud, quam actum libere à voluntate elicitum, aut imperatum.

Quid sit iudicium seu dictamen practicum.

Iudicium practicum (*quod & practicum dictamen appellatur*) est illud, quod natura sua ad praxim dirigitur: est autem tale, cum dictat aliquid agendum, aut quomodo agendum sit, qualia iudicia sunt; (*Vt exemplorum varietate eorum discrimina ostendamus*) virtutem esse sectandam; vitia fugienda; habitacula ædificanda; vt medium virtutis teneatur, inclinandum esse magis in partem contrariam eius vitij, ad quod quisque se propensiorem videt; bases in ædificio ad libellam collocandas; columnas ad perpendiculum erigendas, & alia similia non solum affirmatiua, sed etiam negatiua. In verbo enim, *Agendi*, etiam recusandi, & fugiendi, abijciendique in hac materia significatio comprehenditur.

Corollaria.

Ex quibus primum patet, non idem esse praxim, & iudicium practicum, sed praxim esse finem, ad quem iudicium practicum dirigitur. Patet etiam non esse necesse, vt praxis, siue actio exerceatur ab eo ipso, in quo est practicum iudicium: potest enim vnus per iudicium practicum dirigere actionem alterius, qui per seipsum eam exerceat, vt videre licet in præfectis & subditis, in nauclero & nautis, in architecto & cœmentarijs ac fabris; quorum ij, qui actionem exercent, sæpe aliud faciendum, aut alio modo faciendum iudicant, atque ij, qui actionem dirigunt: in

A Angelis denique, qui practicis scientijs sæpe non solum multa apud nos agunt, sed etiam nos agere docent.

Quid practica scientia.

Practica scientia est habitus iudicatiuus, qui suapte natura ad praxim dirigitur; is vero est, qui practico dictamine, quid agēdū, aut quomodo agēdū sit, præscribit. Satis n. est, si alterū ex his doceat, vt ex propositis exemplis patet.

Duplex illi genus.

Obseruandum est autem hoc loco scientiam practicam aliquando natura sua respi- B cere solam actionem, tanquam principalem suum finem, quo pacto moralis scientia natura sua dirigitur ad solas virtutum actiones: aliquando vero respicere non solum actionem, sed etiam, atque adeo principalius, id quod actione confectum relinquendum est; quo pacto ars ædificatoris non tantum refertur ad actionem ædificandi, sed præcipue ad ipsum ædificium; vbi enim actio dirigitur ad aliquid aliud, quod per actionem fit, semper C id, quod factum relinquitur, præstantius est ipsa actione, qua fit; vt Aristoteles docet initio Ethicorum ad Nicomachum. Cæterum etsi id, quod confectum relinquitur, præstantius est ea actione, qua factum est, tamen præstantior est scientia, quæ ad actionem solam suapte natura dirigitur, quam quæ ad opus per actionem conficiendum; tum quia actio, qua nihil vlterius efficitur, sed ipsa sola est totus agentis scopus, præstantior genere suo D est, quam ea, qua aliquid efficitur; tum etiam, quia illa pertinet ad perfectionem agentis, vt actio virtutis; hæc ad perfectionem rei externæ, vt ædificatio: quod etiam Aristoteles tradit lib. 9. huius operis.

c. 1. Vtrum alteri præstet.
c. 9. text. 16.

Ex his patet vtrumque genus practicæ scientiæ, & quod ad solam actionem suapte natura dirigitur, & quod etiam ad aliquod opus, quod per actionem fit, complexum fuisse Aristotelem lib. 2 cum dixit finem practi- E cæ scientiæ esse opus, quibus verbis hanc practicæ scientiæ definitionem innuit, *Practica scientia est, cuius finis est opus*: nam operis vocabulum vtrumque significat, & actionem, quæcunque ea sit, quæ à practica scientia dirigatur, & confectum opus ex actione relictum, quod idem facit verbum Græcum, quod eo loco est, τὸ ἔργον. Itaque cum actio sit opus, nec tamen omne opus sit actio, consulto Aristoteles non dixit practicæ scientiæ F finem esse actionem, sed opus.

c. 1. text 3.
Cur Arist. nō actionem, sed opus finem practicæ scientiæ esse dixerit.

Quid sit contemplatio.

Contemplatio autem, vt praxi in hac sciētiarum diuisione opponitur, est cognitio intellectus, quæ natura sua ad praxim non dirigitur, sed ex genere suo se ipsa contenta est, nec spectatur, quatenus imperium voluntatis sequitur. Explicata vero est à nobis post praxim, & per negationem eius habitudinis, quam

quam

quam iudicium practicum ad praxim habet: quia res ex genere suo excellentes conuenienter admodum per negationem conditionum aliarum inferioris naturæ declarantur. Huiusmodi autem est cognitio rerum diuinarum, & omnium aliarũ, quæ à nobis fieri nõ possunt. itemq; earum, quæ etsi à nobis fieri possunt, non tamen eas concipimus, quatenus fieri à nobis possunt, sed quatenus habent hanc, vel illam naturam, aut proprietates. Quo pacto ad Philosophum naturalem spectat considerare naturam panis, vini, quorundam medicamentorum, & multarum rerum aliarum, quæ humana opera fiunt. Hæc enim consideratio ex suo genere nobilissima omnium est, vt quæ sola in diuinis rebus locum habet, quem non habet consideratio practica, nisi quatenus de notitia earum, & assecutione procuranda & demereda agi potest. Additum est autem, non spectari hanc cognitionem, quatenus imperium voluntatis sequitur; quia natura sua à dominatu voluntatis minime pendet, tametsi quoad executionem pendere possit.

Quid iudicium contemplatiuum. Iudicium vero, seu dictamen contemplatiuum, nihil est aliud, quam ipsa contemplatio, vt nunc explicata est. Vnde patet, quantum intersit inter iudicium practicũ, & contemplatiuum respectu praxis, & contemplationis: cum illud dirigatur ad praxim, vt ad suum finem, hoc vero nihil omnino differat ab ipsa contemplatione.

Quid contemplatiua scientia. Denique scientia contemplatiua est habitus iudicatiuus, qui ad praxim non dirigitur; sed ipso contemplatiuo iudicio ex genere suo est contentus: quæ omnia ex dictis patent. Habet autem hæc definitio contemplatiuæ scientiæ eundem sensum, atque illa, quam loco citato secundi libri innuit Aristoteles, nempe, contemplatiuam scientiam esse eam, cuius finis est veritas, hoc est, sola veritatis cognitio, sumpta veritate pro veritatis fundamento, vt eo loco exposuimus.

Expenditur id, quod dictum est, omnem praxim esse actionem liberam.

SECTIO III.

SED circa ea, quæ dicta sunt, quædam dubitationes se offerunt, quas dissoluere oportet, antequam huius diuisionis qualitatem expendamus. Quarum prima est, non videri recte dictum, praxim, quæ finis practicæ scientiæ constituta est, esse necessario actionem liberam.

A Primum, quia si Deus ageret ex necessitate naturæ, vt putauit Aristoteles, non ageret vtique ex scientia practica; (si agere ex ea est agere libere) sed ageret ex sola naturæ diuinæ propensione, quo pacto ignis calefacit, & aqua frigefacit: cum igitur hoc ipsum & absurdissimum sit, & pugnet cum eodem autore, qui nihilominus facit Deum intelligentem, & ex summa arte agentem, non videtur necessarium omnem praxim esse actionem liberam. *Argum qua contrarium suadent. 9 meth. c. 9. tex. 17 & lib. 12 c. 6 tex. 30 & 2 de cœl. c. 3 tex 17. 10. Eth. c. 8. met. c. 9. tex. 51.*

B Deinde, quia operationes artium mechanicarum, vt ædificatio; & liberalium, vt mentalis discursus, oratio suasoria, & simplicis sermonis cum altero collatio, sunt actiones dirigibiles ab intellectu sine vlla habitudine ad voluntatem: ergo, quatenus eiusmodi sunt, non subeunt rationem liberarum actionum.

C Tertio, quia si operationes scientiarum agentium ea ratione sunt praxes, quia imperari possunt à voluntate; non minus erunt praxes contemplationes mathematicæ, ac physicæ: (*æque enim possunt imperari à voluntate, ac operationes scientiarum mechanicarum, aut moralium*) æque igitur erunt practicæ ipsæ contemplatiuæ scientiæ, atque illæ, quas practicas esse dicimus.

D Non est tamen propter hæc argumenta à communi sententia recedendum, cum potius eorum occasione res ipsa clarius intelligenda sit. Itaque ad primum dicendum, si Deus omnia omnino, quæ agit, naturæ necessitate ageret, fore, vt non solum non ageret ex scientia, sed neque haberet intellectum in quo esset vlla scientia seu practica, seu cõtemplatiua: nam cum in omni re, in qua est intellectus, necessario sit voluntas; & in qua est voluntas, necessario sit libertas: (*quæ est D. Thomæ, & communis Theologorum quoad vtramque partem sententia*) si in Deo nulla omnino esset libertas, nulla quoque esset voluntas; si nulla voluntas, nullus intellectus; si nullus intellectus, nulla scientia. Ita fit, vt nulla in eo esset non solum practica scientia, ex qua ageret; sed ne contemplatiua quidem, qua quicquam cognosceret. *Dissolutio. Si Deus omnia naturæ necessitate ageret, scientia & intellectu careret. Ita D. Th. 1. p. q. 19. art. 1. & 1. 2. q. 6. a. 2. ex Arist. de anim. c. 9. tex 42. Dur. in 1. d. 45. q. 1. & alii. D. Th. 1. p. q. 59. ar. 3. & q. 83. ar. 1. 2. & 3. lib. 1. 2. q. 8. ar. 2. & q. 17. ar. 1. D. Bon. in 2. d. 25. ar. 1 q. 2. 3. & 4. Scot ib. Dur. d. 24 q. 3. Hr. quodl. 1 q. 16 lege D. Bernar. in Cant serm. 81.*

E F Quod si quis dicat Aristotelem non putasse Deum omnia omnino agere ex necessitate naturæ, sed quædam tantum, cætera vero actione libera: (*hoc enim est verisimilius de eius opinione iudicium, vt patebit lib. 12.*) & quemadmodum nos credimus productiones diuinarum personarum esse in Deo naturales, & necessarias, cæterarum autem rerum esse liberas; sic Aristotelem putasse quasdam res creatas, vt cœlos, elementa, & materiam primam horum inferiorum esse à Deo productas

ductas naturæ necessitate; cæteras vero, aut etiam multo pauciores libere: adhuc quidem in Deo relinquetur intellectus, & voluntas, eiusque libertas, & vtraq; sciētia tam practica, quam contemplatiua. Verum hoc pacto eæ res, quas naturæ necessitate ab eo prod. ijsse affirmabit, etsi per intellectum, tamen non per scientiam practicam erunt productæ, quemadmodum nec diuinæ personæ; sed erunt productæ per naturæ fœcunditatem, quæ ex se erit determinata ad illas, & non alias, nec alio modo naturæ necessitate producendas. At hoc est contra rationem effectiuæ scientiæ, quæ natura sua est effectiua oppositorum, vt ipse Aristoteles tradit libro nono, tametsi vnius per se, alterius per accidens.

c.2.tex.3.

Obiectio.

Si quis autem vrgeat hoc argumento: Intellectus diuinus nostro intelligēdi more antecedit diuinam voluntatem, ac proinde omnem eius libertatem: ergo sine vllo incommodo concipere possumus Deum agentem, per scientiam practicam, & tamen non libere agentem:

Diluitur.

neganda est consequentia. Nam etsi scientia, iuxta communem suam scientiæ rationem, non supponit libertatem; tamen scientia practica necessario illam supponit, multoque magis eius executio, vt ex dictis patet. Nam neque ipsa practica scientia refertur ad opus, nisi quia eius indeterminatio ad opposita determinatur ad vnum per electionem voluntatis: neque executio actionis fit, nisi quia voluntas vtitur actuali iudicio scientiæ pro altera parte ad exercendum opus ab ea præscriptum. Non solum igitur non euertit libertatem praxeos propositum argumentum; sed etiam magis confirmat.

Non scientia in communi, sed practica, libertatem supponit.

q.5.prol.ar.1

Vnde recte colligit Gregorius actiones causarum secundarum naturaliter agentium, quæ simul sunt actiones Dei ad illas concurrentis, quatenus quidem sunt actiones Dei, esse vere praxes, quia liberæ; quatenus vero talium causarum secundarum, non esse praxes, quia naturales sunt, & non liberæ.

Actiones causarum natural pro. ut à Deo sunt, praxes esse.

Alia obiectiones.

Vnde patet nullius esse momenti huiusmodi obiectiones, quas nonnulli contra hanc veritatem opponunt: nempe synderesim esse generale dictamen morale, ac proinde practicum; & tamen antecedere omnem voluntatis actum. Itemque actum iudicatiuum particularem prudentiæ planius esse practicum, quam generale illud iudicium; cum tamen præcedat ipsum actum eligendi, qui est primus actus liber. Tum etiam eandem actionem posse à principio esse naturalem, si absq; vlla aduertentia fiat, & tamen in progressu eandem posse esse liberam, si libe-

A re continuetur. Denique, artificem prius quidem sanæ mentis, postea vero phreneticum posse sub ipso morbo, in quo non libere operatur, multa artis opera exercere: ergo scientiam practicam, & artem ante omnem liberum voluntatis actum habere veram rationem facultatis practicę, imo & aliquando exerceri sine vllo libero voluntatis actu.

Ad hæc enim omnia hæc vna responsio satis est: Nec generalia iudicia, neq; etiam particularia posse vere dici practica, nisi in ordine ad voluntatem libere determinaturam intellectum ad alterum oppositorum, & applicaturam potentias sibi obedientes ad opus exequendum. Vnde etsi aliquando ex inaduertentia, aut ex morbo liberum vsum auferente fiat opus, quod à scientia practica, aut arte proficiscitur; non est tamen ea scientia, aut ars ex natura sua exempta ab ordine ad actum voluntatis liberum.

Omnibus vna responsione satisfit.

Ad secundum dicendum, aliud esse actiones illas ædificationis, mentalis discursus, & similes dirigi posse, ab intellectu; aliud actu dirigi: itemque aliud dirigi posse, quasi potentia remota & per quandam non repugnantiam, siue ex se; aliud dirigi posse potentia propinqua. Quanquam igitur daremus actiones illas esse ab intellectu dirigibiles sine ordine ad voluntatem; non inde tamen sequeretur eas aliquando actu dirigi sine voluntate determinante scientiam, & vtente eius directione ad certum effectum, nisi forte id casu fieret, & indeliberate. Eodemque modo, etsi daremus illas esse dirigibiles ex se, & potentiam remota sine habitudine ad voluntatem, non concederemus tamen eas consulto dirigi, & regulari posse potentia propinqua, præciso omni ordine ad voluntatem.

Ad tertium concedimus totum illud, atque numerari posse in praxibus ipsas mathematicas & physicas contemplationes, atque mechanicas, & morales, cum vtræque & ad mores à morali scientia, & ad disserendi rationem à Dialectica actu dirigi, ac regulari possint. Verum inde non efficitur mathematicam scientiam, & physicam esse practicas. Nam etsi vsus earum contemplationum practicus sit, & bene ac male quoad mores exerceri possit, recteque ac perperam iuxta earum naturas, ac proinde cadant sub regulas moralis scientiæ, vt bene & cum virtute fiant: sub regulis autem Dialecticæ, vt recte in differendo exerceantur: tamen ipsæ contemplationes in se spectatæ praxes non sunt, si nullo modo ad voluntatem referantur.

Vnde

Vnde patet, quàm longe à veritate aberrent ii, qui propterea dicunt Dialecticam nõ esse practicam, quia non tradit rectum vsum operationum intellectus quoad mores; quasi vero illæ nulla directione opus habeant, nisi morali: possunt enim dirigi, quoad ipsam disserendi rationem, in qua multi sæpe & graues errores contingunt; quemadmodum & operationes aliarum potentiarum, quoad earum liberum vsum ad mores nequaquam pertinentem. Patet enim neque illos ea ratione recte contendere Dialecticam esse cõtemplatiuam, quia omnes eius operationes videantur esse contemplationes quædam. Nam etsi illa, cum de natura, causis, & qualitatibus modorum differendi agit, iudicio, & dictaminibus contemplatiuis vtitur, tamen quatenus hoc vel illo modo differendum esse docet, eaque de re præcepta tradit, iudicio plane vtitur, ac dictaminibus practicis.

Vt scientia sit practica, non opus est dirigat quoad mores.

vid. lib. 2. d. c. 3. q. 2. sect. 4.

An necesse sit, vt habitus practicus sit de re operabili ab eo ipso, in quo est habitus?

SECTIO IV.

ALTERA dubitatio est de eo, quod diximus, *non esse necesse, vt practica scientia sit in iis ipsis, qui praxim exercent, cum alii possint iudicio practico dirigere; alii id, quod iudicatum est, exequi.* Id quod, etsi primo aspectu verissimum videtur, vt ex propositis illic exemplis licet intelligere; non desunt tamen argumenta, quibus oppositum ostendi videatur. Primum, quia ipse Aristoteles perspicue videtur docere hoc loco practicas scientias hac ratione distingui à contemplatiuis, quod principia earum rerum, quæ à practicis scientiis tractantur, sunt in iis ipsis, in quibus insunt; rerum autem, quæ tractantur à contemplatiuis, non item: & hoc libro septimo, ac nono, & alibi, sæpe dicat, artem esse principium effectiuum earum rerum, quæ arte conficiuntur ab ipsis artificibus. Deinde, quia vel ipsum nomen practicæ scientiæ id indicat, cum practicum idem sit, quod actiuum, siue operatiuum. Tertio, quia si ad rationem practicæ scientiæ satis esset intelligere, quo pacto aliquid fiat; nec tamen is, qui scientiam habet, id posset efficere, sequeretur in Philosopho esse de facto, vt dicunt, & nullo posito miraculo practicam scientiam, plurimarum rerum naturalium, quas ipse nullo modo efficere potest, idque eo ipso, quod nouit, quo pacto illæ fiant, vt quo pacto pluuia gignatur, aut cibus in sanguinem, & carnem conuertatur, itemque in iis, qui intelligunt, quo pacto nauis, aut domus ædificanda sit, aut quo pacto saltare, aut equitare quis debeat. (*multi enim sunt, qui notent errata eorum, qui in iis actionibus male se gerunt; nec tamen ipsi vnquam id in sese sunt experti*) quæ tamen omnia absurda videntur.

Rationes pro parte affirm. Tex. 1.

Hoc lib. c. 1. tex. 1. lib. 7. c. 7. tex. 23 lib. 9. c. 1. text. 2. lib. 12. c. 6. lib. 1. de partib. animal. c. 1. libr. 2. de gener. animal. cap. 1.

Hoc vt explicetur, videndum est prius, quid intelligendum sit nomine rei operabilis, cum in scholis dicitur, *Omnem practicam scientiam agere de re operabili, non item speculatiuam.* Sunt enim, qui nomine rei operabilis obiectum practicæ scientiæ intelligant. Cum autem sæpe idem sit obiectum practicæ scientiæ, quod obiectum ipsius praxis, quę ab ea dirigitur; id quidem facile ostendunt in scientiis, artibusue effectiuis, quæ opus confectum relinquunt, vt in arte fabrili, aut statuaria, quarum obiecta sunt ipsa opera conficienda: in actiuis autem, quarum obiecta ab artificibus non fiunt, vt in scientia de colendo Deo, de obedientia principib. præstanda, de acquirenda copia rerum naturalium, quæ humana opera fieri nequeunt, in eo sensu dicunt accipiendum esse obiectum operabile, vt non solum comprehendat obiectum factibile, & agibile, sed etiam attingibile, seu acquisibile, aut quouis alio commodiori verbo scientia practica versari circa illud significetur. Alii vero propter difficultatem rei, & variarum explicationum admodum ambigue hac de re loquuntur.

Quid aliqui nomine rei operabilis intelligant.

Cap. q. 1. prol. concl. 1.

Nobis tamen illud primum videtur, modum distinguendi practicas scientias à speculatiuis ratione rei operabilis, & non operabilis, non vsque quaque obseruari apud bonos autores; sed ratione praxeos, & contemplationis. Deinde, vt ea distinctio apte concipiatur, credimus nomine rei operabilis intelligendum esse opus, sumpto nomine *Operabilis* intransitiue, vt nihil aliud sit obiectum operabile, quam res, quæ est opus: sic enim incidet diuisio hæc in illam Aristotelicam, quæ docet, scientiarum alias esse, quarum finis est veritas; alias, quarum finis est opus: cum autem opus significet & ipsam praxim, & quicquid per praxim confectum relinquitur, vt superius explicatum est; vtrumque videtur dictum operabile ab iis, qui distinctionem hanc inuexerunt: quia etsi actio non proprie fiat, vt proprie res operabilis dicatur; tamen, cum illa modo aliquo fiat, (*exercetur enim, quod est aliqua ratione fieri*) nomine etiam rei operabilis comprehensa est. Ergo si vtrumq; & praxim, qua nihil conficitur, & opus, quod confectum relinquitur,

Quid intelligendum.

2. Met. c. 1. tex. 3.

Comprehendi etiam eo nomine.

linquitur, obiectum scientiæ practicæ appellare velimus, quod recte fieri potest, cum scientiæ practicę ferantur per proprios dirigendi actus in hæc duo, tanquam in ea, in quæ præcipue tendunt: tum demum sine vllo incommodo dici potest. hac ratione distingui practicas à contemplatiuis, quod practicæ de rebus operabilibus agant: contemplatiuæ autem de non operabilibus: practicæ enim tendunt in opus vtrouis modo sumptum: contemplatiuæ autem minime. Quod si contemplatiuæ aliquando tendunt in opus confectum: non tamen vt confectum est, aut confici potest, illud considerant, vt dictum est: quemadmodum, etsi Mathematicæ, & Metaphysica de iis agunt, quæ re vera sensibilia sunt: non tamen de iis, vt sensibilia sunt, disserunt.

Scientia cōtēpla. non tendunt in opus, vt confectū est, aut confici potest.

Non igitur hic locum habent obiectiones propositæ de Deo, de principibus, deque rebus naturalibus, quæ humana opera fieri nequeunt, cum non hoc modo sint obiecta nostrarum siue agentium, siue efficientium scientiarum: sed eæ tantum praxes; siue actiones, aut vsus, fruitionesue, vt in expositione contextus actionis nomen interpretati sumus, quibus actionibus circa illa versamur, vt est cultus Dei, obedientia legum, & principium, acquisitio, aut possessio, ipseque vsus, aut fruitio earum rerum naturalium, quæ à nobis fieri nequaquam possunt. Ita patet, quid nomine rei operabilis, siue obiecti operabilis in hac diuisione intelligendum sit.

Quod vero attinet ad id, quod præcipue in hac quæstionis parte quærebatur, etsi multi sunt, qui partem affirmatiuam approbent ob ea ferme argumenta, quæ proposita sunt: dicendum est tamen negatiuam esse amplectendam. Primum, quia scientia ex se ipsa, & non ex habente debet dici practica: est enim ex natura sua directiua praxeos, cum præscribat modum, quo aliquid agendum, aut faciendum sit, à quocunque tandem executio actionis, aut effectionis exerceatur. Vnde fit, vt inter ea, quæ per accidens eueniunt, numerandum sit, exequatur ne ipse artifex actionem practicam, quam dirigit, an aliquis alius, qui ab eo dirigatur? Deinde, quia si ii, qui opus aliquod per se exequi non possunt, per alium quem dirigunt, id efficiant, vere ac proprie dici solent habere scientiam practicam de eo opere faciendo.

Placet scientiam negatiuam. Capr. in prol. q. 2. & Ocb. q. 5. Cum D. Th. 1. p. q. 14 a 16. Cai. ib. Scot. in prol. q. 4. & 5. Gregor. q. 5. ar. 2.

Tertio, quia Angeli, qui plurimas actiones nostras per se exercere nequeunt, vt sunt ambulare, vere comedere, sibi medicinam adhibere, & aliæ similes, habent scientiam practicam, qua nos in hoc genere nonnulla facere docent, multaq; alia docere possunt. Alioqui scientia, quæ in nobis est practica, esset in illis contemplatiua, quod dici non potest.

Ad primum igitur argumentum pro affirmatiua parte dicendum est, Aristotelem hoc ipso capite agere de scientia nostra, non de scientia Dei & aliarum substantiarum separatarum: tametsi ex scientia nostra tam practica, quam contemplatiua inuestigandam vult scientiam Dei, & supernatum mentium sublatis imperfectionibus, quæcunq; in illis locum non habent: proinde recte illum dixisse principium agibilium, & factibilium (*non omnium videlicet, sed eorum, quæ à nobis fieri possunt*) esse in nobis, hoc est, in potestate, & electione nostra, seu humani generis: etiam si in homine vno aliquando sit eorum agendorum, aut faciendorum scientia, in alio vero executio. Hinc autem voluit ille eliciendam esse generalem rationem scientiæ practicæ, vt sit scientia agendorum, aut faciendorum per liberum Principium directiuum eorum, quæ agenda, aut facienda sunt, siue nomine practicæ sciētiæ intelligatur nostra, siue Angelorum, siue etiam Dei Opt. Max. Quo fit, vt in aliis quoq; locis, in quibus docet, artifices esse principia effectiua rerum, quæ arte fiunt, eodem modo exponendus sit, vt nimirum artifices directione eius artis, quam habent, vel ipsi per se faciant opus, vel per alios, quos dirigant.

Satisfit arg. affirmatiuæ.

Generalis ratio scientiæ practicæ.

Ad secundum dicito, etiam eos, qui dirigunt actionem, agere seu operari per alios.

Ad tertium, quod quidem attinet ad Philosophum, qui scit, quomodo fiant multæ res naturales, vt pluuia, tonitrua, & huiusmodi alia, dicendum est, eiusmodi scientiā, præterquam quod imperfectissime capit modū, quo naturæ opera fiunt, non esse directiuam eiusmodi operationum: proinde nec generationem rerum naturalium esse praxim respectu nostri, nec scientiam quam de iis habemus, esse practicam. Quod vero attinet ad reliqua exempla, nullum fore absurdum dicere cognitionem construendæ nauis, aut domus ædificandæ, saltandive, aut equitandi esse practicam, si quis eam comparare possit, suasque aut aliorum actiones dirigere sine proprio ipsius experimento: vt accidit ingeniosis quibusdam, qui dissimulata obseruatione opificum eorum artes non sine illorum damno suffurantur.

Qui nouit, vt fiant res naturales, non habet scientiam pract.

Num scientia ex obiectis dicantur practica, & à contemplatiuis distinguantur, an potius ex finibus.

SECTIO

SECTIO V.

TERTIA dubitatio est, ex obiectis ne, an potius ex finibus scientiæ dicantur practicæ, & à contemplatiuis distinguantur? Quod vt intelligatur, illud memoria repetendum est, quod supra diximus, obiectum scientiæ partialis, quæ est simplex qualitas, proprie quidem esse id, quod scitur, nempe enuntiabile, quod demonstratur, & significatur conclusione; sed tamen ipsum subiectum, de quo fit demonstratio, quia virtute continet prædicatum, sæpe appellari obiectum, siue partialis scientiæ respectu eius prædicati, quod de eo demonstratur; siue totalis, respectu eorum, quæ de eo demonstrari possunt. Cum ergo dubitatur, num practica scientia sit, & dicatur talis, & à contemplatiua distinguatur ex obiecto, an ex fine? nomine obiecti fere non solet intelligi enuntiabile, quod scitur, & demonstratur, sed subiectum siue res, de qua habetur scientia, & fit demonstratio.

Discrimen inter obiectũ & subiectum scientiæ.

Quid hic obiecti nomine intelligatur.

Illud etiam considerandum, nomine finis non esse in hac dubitatione intelligendum quemcunq; finem, sed præcipuum, vt diximus libro secundo, seu quo non detur alius præstantior in scientia, de qua agitur: qui quidem in contemplatiua scientia est ipsa contẽplatio; in practica vero ipsum opus: siue operis nomine intelligatur actio à voluntate libere elicita, aut imperata, quæ nullum opus confectum relinquat; siue opus ipsum confectum per aliquam eiusmodi actionem. Nam actus ipse scientiæ practicæ, cum non propter se quæratur, sed propter opus, ita est illius actus, vt non sit etiam eius præcipuus finis: vnde efficitur, vt nec finis practicæ scientiæ dicatur, sed medium ad finem.

Quid nomine finis.

c.3.q.2.sect.3

Quanquam ergo & à Philosophis & à Theologis multa & varia de hac re disserantur, nec satis inter eos conueniat; dicendum tamen videtur, etsi origo distinctionis practicæ scientiæ à contemplatiua ducitur aut ex diuersis obiectis, aut ex eodem, alio atque alio modo considerato; tamen formalem earum quatenus tales sunt, completamque distinctionem duci ex diuersis finibus. Prior pars huius assertionis ex eo probatur, quia rerum, de quibus habetur scientia, quædam non sunt à nobis operabiles, ab vllo, inquam, homine, vt ferme omnes res naturales; aliæ vero sunt operabiles, vt arte facta: vnde fit, vt illæ non cadant sub nostram scientiam practicam; hæc vero cadant. Cum vero hæc spectari possint, vel penes modum, quo conficiuntur, vel penes naturas suas, & qualitates, vt dictum est de medicamentis, quæ à nobis arte fiunt, non solum sub practicam

Lege Dur in prol.q.6.Sonc hoc lib.qu.4. & alios.

resolut.quæst Radicem distinctionis scientia practica à specul. duci ex obiecto.

A scientiam nostram, sed etiam sub contemplatiuam cadere possunt. Itaque nisi obiecta eius naturæ essent, vt intellectus alia & alia ratione circa vnum & idem versari posset, nunquam de vno & eodem diuersæ scientiæ existerent: at diuersæ considerationes, seu potius diuersa considerabilia in eodem obiecto efficiunt, vt illud referri possit ad diuersos fines, in quos diuersæ scientiæ, vel artes intendant.

B Posterior autem pars ex eo patet, quia etsi obiecta diuersarum scientiarum aliquando eadem sunt, non totalia, certe partialia; fines tamen semper diuersi sunt. Quod & inductione patet, & ea etiam ratione probatur, quia diuersitas actuum propriorum in scientiis diuersitatem finium propriorum inducit. Atque hac de causa non dixit Aristoteles in tertio de anima intellectum practicum, & contemplatiuum; neque in secundo libro huius operis practicam, & contemplatiuam scientiam ex obiectis distingui, sed ex finibus.

Formalem & completã, ex diuersis finibus.

c.10.tex.50.

C Neq; obiicias illum hoc ipso capite, in quo versamur, ex obiectis videri distinguere huiusmodi scientias, ex rebus, inquam, quæ sunt in nostra potestate, & quæ non sunt: subaudire enim necessario oportet respectũ ad finem agendi de iis rebus, vt nimirum de iis, quæ sunt in nostra potestate, non qualiscunque notitia tradatur in practicis scientiis, sed ea solum, quæ pertineat ad actionem, aut effectionem; non autem ad explicationem eorum naturæ, & qualitatum, qualis traditur de iis, quæ in hominis potestate non sunt.

ca.1.tex.3.

D Ita patet, ex finibus, non ex obiectis accipiendam esse formalem, & completam scientiarum practicarum inter se, & earum à contemplatiuis distinctionem. Num autem

E nomine huiusmodi finium intelligendi sint fines scientium, an fines ipsarum sciẽtiarum, etsi ex iis, quæ diximus ad librum secundum, intelligetur; magis tamen expendendum nunc est.

ca.3.q.2.sect.3.

Paulus Soncinas, & alij quidam D. Thomæ sectatores existimant, scientiam non esse simpliciter practicam, aut contemplatiuam, nisi ratione finis, quem sibi proponit is, qui ea præditus est, non tamen cuiusuis finis, sed contemplationis, aut operis: penes

F quos fines Aristot. scientiam in practicas, & contemplatiuas diuisit. Itaque aiunt scientiam dici non debere simpliciter practicam, nisi is, qui eam habet, eius directione opus aliquod intendat; neque item simpliciter contemplatiuam, nisi, qui ea affectus est, solius contemplationis causa ea vti velit. Afferunt autem in suæ sententiæ confirma-

Sonc. hoc loco q.5. Iauel.q.5 Capr.q.2. prol. Distinctionem hac tribuunt intentioni sciẽtium.

art.16. tionem D.Thomam in prima parte ad finem quæstionis 14 vbi sic ait: *Si quis ædificator consideret, qualiter posset fieri aliqua domus, non ordinans ad finem operationis, sed ad cognoscendum tantum, erit speculatiua operatio.* Pari autem ratione diceret, si quis Philosophus naturalis consideret naturam, & partes corporis humani, dirigatque eam cognitionem ad curationem ægrotorum, eius considerationem fore practicam.

Ad cit. art. D.Thomæ. Reiicitur hæc opinio. Verum Caietanus, & alij ex præcipuis eius doctrinæ alumnis, merito hanc opinionem reiiciunt, asserentes, vt scientia sit simpliciter practica, aut contemplatiua, satis esse finem ipsius scientiæ: siue is, qui ea præditus est, ei fini se accommodet, siue alium sibi proponat, ita vt ea simpliciter sit practica, quæ sit per se ac formaliter directiua operis; ea contemplatiua, quæ per se ac formaliter talis non sit, sed sua ipsius cognitione contenta; quemcunque alium finem intendat is, qui hanc vel illam discit, aut exercet. Id quod cum aliis argumentis, tum hoc potissimum probant, quia alioquin nulla scientia ex se esset simpliciter practica, aut contemplatiua, sed expectanda esset intentio eius, qui ea vteretur vel ad cognitionem solam, vel ad opus. Ita nec moralis scientia simpliciter dicenda esset practica: imo nec ars quidem vlla mechanica: nec mathematicæ, & aliæ, quas contemplatiuas esse dicimus, absolute appellandæ essent contemplatiuæ. Quod vero ad D. Thomæ sententiam attinet, cum ex aliis locis constet eum non requirere in practicis, & speculatiuis fines scientium, sed ipsarum scientiarum, ij melius assequi videntur eius mentem in loco citato, qui sic illum interpretantur, vt loquatur ibi non de habituali scientia, qualis non est scientia Dei, de qua in ea quæstione agebat; sed de ipso actuali vsu scientiæ: hoc enim pacto necesse est, vt qui scientiam practicā habet, eius cognitionem ad opus referat, in nobis quidem tanquam ad finem; in Deo autem tanquam ad eius effectum: contra vero se habeat, qui contemplatiua vti vult.

Vt ex 1.p.q.1 art.4. & ex prol.q.1.ar.3. Quæ fuerit in hoc mens Thomæ.

Sit ne adæquata diuisio scientiæ in practicam, & contemplatiuam, & tanquam generis in species?

SECTIO VI.

VT igitur ad quæstionem respondeamus, simulque exponamus, qualis nam sit diuisio scientiæ in practicam & contemplatiuam, quatuor assertionibus rem totam explicabimus, quarum prima sit, adæquatam

A esse diuisionem scientiæ in practicam & contemplatiuam. Hæc assertio primum probatur ex Aristotele, qui nec libro secundo, neq; hoc loco, neque alibi vnquam scientiam ita diuisit in practicas, & contemplatiuas, vt aliquam ab vtroque horum duorum generum exciperet. Deinde ex eo, quod nulla scientia esse possit, cuius finis non sit vel sola eius cognitio, vel opus, ad quod illa dirigatur tanquam medium ad finem: quo fit, vt B diuisio hæc sit immediata in genere scientiarum, quia importat negationem in membro vno, & affirmationem in altero: siquidem scientia, quæ est propter solam ipsius cognitionem, non est propter opus, ad quod ea cognitio dirigitur. *c.1.tex.3.*

Tertio, quia omnis scientia natura sua bonum aliquod, perfectionemve expetit, vt est apud Aristotelem ipso Ethicorum initio: aut igitur expetit perfectionem solius intel- C lectus, præcisa omni consideratione voluntatis, quo pacto est contemplatiua: aut aliquam aliam, quæ imperio voluntatis subsit, & vt talis consideratur, quo pacto est practica. *Scientiam natura sua expetere perfectionem.*

Quarto, quia omnis scientia aut propter externarum rerum necessitatem inuenta est, quo pacto est practica effectiua: aut propter actiones humanas in nobis ipsis dirigendas, quo pacto est practica actiua: aut solius co- D gnitionis causa, quo pacto est contemplatiua: est igitur omnis scientia vel practica, vel contemplatiua.

Quinto, cum tria sint in nobis potentiarum genera, cognoscendi, appetendi, & exequendi: cognoscendi autem facultas quoad puram cognitionem cōtemplatiuis scientiis perfecte instruatur; appetendi autem, & cognoscendi quoad directionem perficiatur a- E ctiuis; exequendi vero effectiuis: nulla scientia esse potest, quæ vel contemplatiua non sit, vel practica ex actiuis, aut effectiuis. *Tria potentiarum genera.*

Sexto, quia cum duplex sit humana felicitas, altera contemplatiua, actiua altera, atque ad contemplatiuam satis sint contemplatiuæ scientiæ; ad actiuam autem necessaria sit vtraque practica tam effectiua, quam actiua, neque alia præterea occurrat, quæ requiri possit; non dubium est, quin adæquate F diuidatur scientia in practicas, & contemplatiuas. *Quid ad felicitatem contempl. & actiuam requiratur. De quibus Arist.10. Eth.c.7.*

Postremo. Id confirmatur ex eo, quod Aristoteles ait *tertio de anima*, & *sexto Ethicorum*, *ac primo magnorum Moralium*, & *aliis locis*, duplicem esse intellectum possibilem, vnum contemplatiuum, alterum practicum: cum enim id in eo sensu intelligi non possit, quasi faciat ex intellectu possibili duas *c.10. tex.50. ca.1. & 2.ca.1.*

potentias

potentias; reliquum est, vt propterea id asserat, quod omnes eius actus, & habitus vel contemplatiui sint, vel practici.

Assertio 2. Habitum simplicem totum esse vel practicum vel contempl. nō ita totales scient. lege Greg. q. 5. prol. ar. 3.

Secunda assertio sit, si diuisio hæc ad simplices scientiarum habitus referatur, nullum esse, qui totus practicus non sit, vel totus contemplatiuus: quod si referatur ad totales scientias, illam censendam esse practicam, cuius proprius ac præcipuus finis sit opus, quod agendum, aut efficiēdum est: tametsi multa in ea contemplatiue tradantur: illam contemplatiuam, cuius proprius item ac præcipuus finis sit sola contemplatiua rerum cognitio, etsi in ea multa tradantur practice. Non diximus autem eam esse practicam, aut contemplatiuam, in qua plures sint conclusiones practicæ, aut contemplatiuæ: quia non ex multitudine pronuntiatorum, sed ex scopo & intentione scientiæ eius qualitas diiudicanda est. Hæc assertio ex eo est perspicua, quia ex propriis, ac præcipuis finibus sumendæ sunt rationes rerum, quæ ex finib. ducuntur, non ex communibus, & minus præcipuis vt patet.

Tertia assert. Interdū alia scīētia docet quid agendū alia quomodo agendum.

Tertia sit, quamuis vna & eadem totalis scientia practica docere potest & quæ agenda aut facienda sunt, & quomodo sint agenda aut facienda, veluti moralis scientia: tamen ad vnam aliquando pertinere, vt doceat, quæ agenda aut facienda sint: ad alias vero, quo quidque modo agendum, aut faciēdum. Id quod videre est in Politica, quæ est practicarum suprema: namque ad eam spectat præscribere, quibus artibus & facultatibus vtendum sit in Rep. ad particulares autem artes, & facultates, quonam modo iis vtendum: tametsi nonnunquam modus etiam aliquis, quo hac vel illa arte vtendum est], à Politica præcipitur.

Quarta assert. Diuisionē non esse generis in species. Habitus & per quid distinguantur. c. 8. tex. 13. c. 4. tex. 33

Quarta assertio sit, diuisionem scientiæ in practicam, & contemplatiuam non esse generis in species: sed tamen merito vt talem tractari. Prior pars ex eo primum probatur, quia potentiæ, & habitus operatiui distinguuntur per ordinem essentialem ad suos actus, eorumque actus per similem ordinem ad sua obiecta, vt est commune Philosophorum dogma ex Aristotele nono libro huius operis, & secundo de anima, & aliis locis desumptum: at distinctio scientiæ in practicam & contemplatiuam, quatenus tales sunt, non sumitur formaliter, & complete ex ordine ad earum obiecta, sed ad earum fines, vt iam ostensum est. Neque obiicias, earum actus esse etiam earum fines: nam neque actus cuiusque practicæ est eius finis, sed opus, vt commune est actui, in quo sistitur, & obiecto, quod per actum fit, vt ex dictis

A patet: neque etiam eadem est ratio actus, & ratio finis.

Deinde probatur eadem pars, quia practicum esse, & contemplatiuum, non possunt esse differentiæ specificæ, quæ diuidant scientiam in duas primas species subalternas, cum diuidant etiam opinionem in commune, vt fidem humanam complectitur, & habitum item principiorum in cōmune: omnia enim pronuntiata, seu vera, seu verisimilia, siue etiam conclusiones sint, B siue præmissæ quæuis, vel ad praxim, vel ad solā contemplationem veritatis spectant.

Dubii enodatio.

Tertio, quia si quis pro libito dicat has differentias non esse vniuocas, quatenus ad opiniones, & habitus principiorum se extendunt, sed tantum quatenus inueniuntur in scientiis proprie dictis: primum quidem non recte id dici videbitur, cum iudicia omnia, quæcunque illa sint, æque videantur perti- C nere ad praxim, aut contemplationem. Deinde etsi hæ differentiæ non extendantur vniuoce ad opiniones, & habitus principiorum: fieri tamen non poterit, vt diuidant scientiam, siue immediate, siue mediate in practicam & contemplatiuam tanquam in duas species. Nam si immediate diuidant, oportebit vtramque specierum resultantium diuidere in scientiam Quia, & Propter quid, quæ etiam differunt specie: sicque eædem D differentiæ diuident duo genera non subalternatim posita. Quod si scientiam mediate diuidant, ita vt illa prius diuidatur in scientiam Quia, & Propter quid: (*quod potius dicendum est, quia hæ scientiæ non distinguuntur ex finibus, sed ex obiectis formalibus, vtpote ratione mediorum, per quæ scientia comparatur*) oportebit similiter vtramque harum specierum diuidere in scientiam practicam, & contemplatiuam: sicque idem incommodum e- E ueniet. Patet igitur diuisionem scientiæ in practicam & contemplatiuam, si proprie loquendum est, non esse generis in species, sed quasi species: qualis est diuisio animalis in bipes, & multipes, & aliæ similes, quas Aristoteles, & alij Philosophi sæpe tractant, vt specificas: vt enim hæc sunt accidentia quædam animalium, eaque inseparabilia, quæ non conueniunt primo alicui vni speciei: ita de differentiis practici & contemplatiui sen- F tiendum est.

Scientiam quia & propter quid distingui ex obiectu, non ex fine.

Cur diuisio hæc vsurpetur ac si esset generis.

Posterior assertionis pars ex eo probatur, quia nulla est diuisio scientiæ accommodatior, aut vtilior ad diuidendam primo scientiam, quam in practicam, & contemplatiuam. Primum, quia modi tractandi res, quibus scientiæ totales inter se distinguuntur, ex finibus cognitionis, & actionis sumuntur

tur

tur, non ex diuersitate scientiæ. Quia à scientia Propter quid; neque ex distinctione subalternatæ à subalternante; aliave vlla consideratione scientiæ, si qua afferatur. Nam scientiæ Quia, & Propter quid de eisdem conclusionibus sunt, & ad eandem totalem scientiam spectant: scientiæ vero subalternans, & subalternata aut distinguuntur, vt scientia Propter quid, & Quia si principia subalternatæ ex effectibus probentur; aut distinguantur, vt vera scientia à credulitate, si conclusiones subalternatæ probentur ex principiis fide acceptis in subalternante; aut est vna & eadem scientia, si principia subalternatæ resoluta sint in principia subalternantis: quo fit, vt hæ diuisiones non possint conducere ad vulgatam diuisionem scientiarum totalium, sed sola diuisio in practicas, & contemplatiuas. Deinde, quia cum scientia sit fundamentum totius perfectionis humanæ naturæ in puris naturalibus spectatæ, &, vt talis est, ab auctore naturæ concessa sit, perfectioque humani generis in cognitione veri, & adeptione boni cōsistat: nulla est diuisio scientiæ, quæ melius hominem inducat ad cognoscendas huiusmodi perfectionis partes, quam quæ fit in contemplatiuas, & practicas.

Scientia subalternantis à subalternata distinctio.

Tertio, quia, cum Aristoteles tanta asseueratione dixerit, duplicem esse intellectum possibilem, alterum practicum, alterum contemplatiuum, vt eos vocauerit initio sexti Ethicorum diuersas animæ partes, atque adeo genere diuersas, vt in eorum distinctione fundauerit diuisionem virtutum: atque *in primo magnorum Moralium, capite* 35. dixerit: quemadmodum visus, & auditus distinguuntur subiectis, hoc est, obiectis, colore scilicet, & sono; ita intellectum practicum, & contemplatiuum distingui obiecto intelligibili, siue vniuersali, & sensibili, seu singulari: satis significauit, se velle horum alterum docere, nempe, aut intellectum practicum, & contemplatiuum esse reuera duas potentias, vt sunt visus, & auditus; aut (*quod sentiendum est*) se loqui non de veris speciebus, aut generibus scientiarum, sed quasi speciebus, ac generibus; quemadmodum cum loquitur de ipsis totalibus scientiis, vt supra dictum est. Adde, quod differentiæ practici, & contemplatiui, etsi non constituunt veras species scientiarum; tamen semper earum distinctio coniuncta est cum distinctis speciebus, si modo ea sit actualis ex natura rei, vt ex solutione argumentorum patebit; quo etiam loco intelligetur, nec scientiam, quæ est practica, posse vnquam fieri contemplatiuam; nec, quæ contemplatiua est, practicam. Vnde fit, vt merito hæ differentiæ quasi specificæ tractentur, & scientiæ practica & contemplatiua quasi primæ species subalternæ scientiæ habeantur.

Cap. 1.

A

Colligendum ergo ex dictis est, quemadmodum scientia totalis, vt est communis omnibus vulgatis scientiis totalibus, non est vera qualitatis species, sed quasi species; ita nec scientiam practicam, & contemplatiuam, vt sunt communes omnibus practicis, & contemplatiuis; tametsi alia & alia ratione. Nam totalis scientia nō est vera species qualitatis, quia non est qualitas simplex, siue vna: practica vero; & contemplatiua non sunt veræ species scientiæ; tum quia quatenus tales sunt, constituuntur per differentias practici, & contemplatiui, quæ non sumuntur formaliter ex earum actib. & obiectis, vt talia sunt, sed ex finibus, vt earum fines sunt; tum etiam, quia hæ differentiæ non sunt specificæ quasi constituentes duas primas species subalternas scientiæ.

Scientiā practicam & speculat. non esse veras species qualitatis.

B

C

Solutio argumentorum, quæ initio proposita sunt.

SECTIO VII.

AD primum igitur argumentum eorum, quæ initio proposita sunt, respondent quidam recentiores, Dialecticam, & Rhetoricam non esse veras scientias; proinde non mirum esse, si nec practicæ sint, nec contemplatiuæ. Verum id satis non est, vt excludantur à practicis, & contemplatiuis habitus, cum opinatiuæ etiam dispositiones, quæ scientiæ non sunt, sint practicæ, aut speculatiuæ. Neque etiam verum est, quod aiunt, non esse eas veras scientias, vt ostendimus ad librum secundum: quod si in suam sententiam afferant Aristotelem primo Rhetoricæ ad Theodectem, capite quarto reprehendentem eos, qui has artes non vt facultates, sed vt scientias tractant: respondendum est, sententiam Aristotelis eo loco esse, has artes, vt scientiæ sunt, certumque habent subiectum, principiaque propria, & conclusiones, non agere de rebus, sed de orationibus: vt autem facultates sunt, hoc est, quatenus vtramque in partem de quauis re proposita probabiliter disserunt; etsi de rebus agūt, non habere tamen certum subiectum, propria principia, & conclusiones, sed contraria posse suadere. Quin etiam ex eodem loco plane constat Aristotelem confiteri eas esse scientias, non de rebus tamen, sed de orationibus: sic enim ait: *Si quis autem aut hanc* Rhetoricam scilicet, *aut Dialecticam, non vt facultates, sed vt scientias constituere cona-*

Quorūdam solutio.

D

Impugnatur hæc, & traditur germana

E *c.3 q.1 sect.7*

Arist. mens.

F

Rhetoricam & Dialecticam esse scientias.

vinatur: is earum naturam dissoluit, ac de medio tollit, quod eas hoc transitu non de orationib. tantum agere existimet: sed inter eas scientias constituat, quæ de rebus quibusdam subiectis dissonunt. Atque ex hoc etiam loco (*vt obiter id moneam*) perspicuum est distinctionem Dialecticæ in docentem, & vtentem, quam contra quorundam recentiorum opinionem libro secundo confirmauimus, & ad vnum & eundem habitum, habituumve ordinatam aggregationé pertinere diximus: vel hisce verbis ab Aristotele constitui, cum asserat Dialecticam, vt est facultas in vtramque partem disputandi, non esse scientiam: vt autem agit de oratione sibi commissa, seu disserendi ratione, quasi de proprio subiecto, esse scientiá: quod idem de Rhetorica suo modo intelligendum est, quarum vtramque eodem libro practicam esse ostendimus. Ex quibus solutio argumenti perspicua relinquitur.

Distinctio Dialecticæ in docentem, & vtentem. lib. 2. c. 3. q. 1. sect. 6.

cap. 3. q. 2.

Ad secundum, quod attinet ad exemplum Geometriæ, & alia similia, dicendum multas esse posse propositiones practicas in scientiis contemplatiuis; sed eas tamen referri ad contemplationem quæ est finis totalis scientiæ: id quod accidit in doctrina de inueniendo medio circuli, & aliis compluribus practico figurarum descriptionis adminiculo; quemadmodum multæ sunt propositiones contemplatiuæ in scientiis practicis, quæ tamen referuntur ad praxim, vt in morali scientia duas esse animæ partes, rationalem, & rationis expertem. Quod vero attinet ad cætera exempla, etsi sunt qui satis esse putent ad practicum iudicium, si sit virtute directiuum praxeos, quo pacto iudicia, quæ afferuntur, practica dici possunt: tamen id omnino non esse asserendum, cum eorum fines, quatenus ad eas scientias spectant, sint mere contemplatiui, seu potius ipsæ contemplationes, ac fines earum scientiarum, ad quas pertinent. Itaque non satis est, si iudicia sint virtute practica: sed necesse est, vt sint formaliter & per se directiua praxeos? siue proxime, vt quæ tradunt modum agendi: siue remote, vt quæ dicunt aliquid agendum.

In scientiis cõtempl. posse esse propositiones practicas, & è contra.

Scot. q. vlt. prol. ad fin.

Esse virtute directiuũ praxeos, nõ satis esse ad practicum iudiciũ.

Ita D. Th. de verit. q. 14. ar. 4. Dur. q. 6. prol. Greg. q. 5. art. 2. Capr. q. 2. a. 1 cõcl. 5. Ocb. q. 4

Ad tertium negandum est posse mutari scientiam contemplatiuam in practicam, aut practicam in contemplatiuam, propter mutationem finis eorum, qui scientiis aut comparandis dant operam, aut comparatis vtuntur: cum scientiæ dicantur practicæ, & contemplatiuæ non ex finibus scientium, sed ipsarum scientiarũ, vt ostensum est: quare neq; si Deus subderet res naturales Philosopho scienti, quonam modo gignantur res naturales, aut fiat nutritio, & accretio viuentium, scientia contemplatiua verteretur in practicam. Nam cum Philosophus non habeat cognitionem earum actionum practicę, seu directiue, sed solum speculatiue, seu, vt ita dicam, obseruatiue: certe, vt eius speculatio fieret practica, oporteret, vt vel ipse ex concessa sibi noua subiectione earum rerum noua sibi faceret dogmata de generandis iis rebus, & generandi modis, deque nutriendis, & augendis viuentibus, modisque nutriendi, & augendi: quod facile forsitan facere posset ex notitia speculatiua, quam haberet, si ad id esset sufficiens, vel Deus ipsi ea dogmata simul infunderet, quæ iam nõ essent priora illa speculatiua.

Non posse sciẽt. practicã mutari in cõtempl. vel vice versa.

Ad quartum dicendum, scientiam practicam, quatenus de vniuersalibus agit, quodammodo esse contemplatiuam: quatenus autem ad singulares actiones suam cognitionem dirigit, in eisque finem sibi proprium, & peculiarem constituit, esse simpliciter practicam. Proinde mentem Aristotelis eo loco esse, quoniam scientia contemplatiua versatur in vniuersalibus & necessariis: prudentia vero, & ars in singularibus & contingentibus, vt ipse eo loco docet: partim reducendum esse habitum scientiæ practicæ ad habitum scientiæ contemplatiuæ, ratione conclusionum: (*quemadmodum & ad habitum principiorum, siue intellectum ratione principiorum*) partim vero ad habitum prudentiæ, quoad rectitudinem moralem singularum actionum: ad habitum vero artis, quoad alias earum rectitudines. Hoc autem propterea fecisse videtur Aristoteles, quia scientiæ practicæ & quodammodo sunt speculatiuæ, vt dictum est: & quanquam simpliciter sint practicæ propter actiones, in quas intendunt, non tamen illas immediate attingunt, sed per prudentiam & artem, cum actiones perfecte, & ex instituto scientiæ exercentur.

Etiã practicam sciẽt. cũ de vniuersalibus agit, esse quodammodo contempla.

Si quis autem hoc loco quærat, quænam sint discrimina inter scientiam moralé, quæ est practicarum præcipua, & prudẽtiam? hoc modo respondendum, moralem scientiam in primis non esse virtutem simpliciter, hoc est, quæ bonum simpliciter habentem faciat, sed tantum virtutem veri dicendi, & nunquam falsi: cuiusmodi etiam virtutes sunt ex habitibus contemplatiuis intellectus, scientia, & sapientia: ex practicis vero ars: at prudentiam non solum esse virtutem veri dicendi, sed etiam boni sequendi, & quæ bonum simpliciter habentem facit: qua ratione Aristoteles sæpe ait, neminem, qui non sit vir bonus, posse proprie prudentem appellari. Ratio vero huius discriminis est, quia perfecta scientia moralis non supponit appetitum rectum,

Discrimen inter sciẽt. moralem & prudentiam.

9. Eth. c. 12, & c. 13. & magnorum moral. lib. 2. c. 3.

G

ctum, seu honesto fini dicatum, addictumve; multi enim improbi homines perfectam morum scientiam assequuntur: prudentia vero perfecta poscit, ac supponit rectitudinem appetitus, quasi consecrati non vni tantum honesto fini, sed omnibus; cum sit ipsa naturę suæ propensione coniectatrix mediorum omnium inter opposita vitia, vt iis mediis ad vltimum finem hominem dirigat: hoc est enim proprium eius munus, & officium, cuius causa bonum cōsilium, electio, & præceptio gerendorum operum ad eam spectat.

Arist. 6. Eth. c. 2. & D. Th. 1. 2 q. 57. ar. 4.

Secundum.

Est & aliud discrimen, quod scientia moralis agit de vniuersalibus conclusionibus ex suis principiis deducendis: prudentia vero, etsi nonnunquam eius principiis & conclusionibus vniuersalibus vtitur ad singulares, & practicas conclusiones deducendas, sectandasque; (*quicquid nonnulli Sententiarii Theologi volunt, existimantes eam sola experientia inniti*) nūquam tamen conclusionem aliquam moralem ex officio demonstrat: tametsi experimenti obseruatione sæpe & conclusionum moralis scientiæ, & principiorum etiam cognitionem assequitur, quæ experimentalis cognitio sæpe ad actionē plus confert, quam ipsa moralis scientiæ vniuersalis demonstratio.

Och. q. 4. prol & in 3. q. 12. ar. 4. f. & seq. Scot. q. 4. prol §. ad arg. princ.

Tertium.

Hinc aliud oritur discrimen, quod moralis scientia agit in commune de circumstantiis humanorum actuum: sola autem prudentia ad eas descendit in singulis actionibus, cum ex virtute, aut non vitiose agitur, nec aut temerario impetu gerunt actiones; aut astutia, carnisque adulterina prudentia actionibus præsident.

Quartum.

Denique scientia moralis, etsi dirigit remote actiones humanas; non tamen quasi pondere aliquo, & impulsu naturæ suæ inclinat ad opera virtutum: at prudentia non ad vnum tātum genus virtutum, sed ad omnia propensum facit hominem: vnde & mater cæterarum virtutum moralium appellari solet.

Scientiā Dei practicam simul & speculat. esse, & formaliter & eminenter.

Ad quintum dicendum scientiam Dei essę formaliter & contemplatiuam diuinæ essentiæ, & practicam creaturarum, eminenter tamen esse contemplatiuam & practicam, si cum nostris scientiis conferatur: neque enim est habitus, vt nostræ scientiæ: neque finem habet vllum, vt sit propter cognitionem solam, aut propter actionem, vt nostræ: cum ipsa sit finis supremus rerum omnium: neque etiam contemplatiuum, & practicum iudiciū distinguuntur formaliter in Deo, multoque minus realiter, vt in nobis: sed sola imperfecta consideratione nostra, quæ more humano diuina vtcunq; concipit. Est tamen scientia, more etiam considerandi nostro magis contemplatiua, quam practica: quia Deus

A Opt. Max. contemplatione ipsa sui est creaturarum effector: quod in nostris scientiis non accidit, quib. imperfecte res contemplamur. Proinde scientia diuina vna & eadem ratione ex natura rei est practica, & contemplatiua: nostra vero non item.

Fides ænigmatica impressio diuinæ scientiæ.

Ad sextum eodem pene modo respondendum est, quod attinet ad fidem catholicam, quæ est simplex quidam habitus infusus, & B ænigmatica impressio diuinæ scientiæ: quanquam enim eius actus practici, & contemplatiui distincti sunt non modo ex natura rei, sed re ipsa etiam: ipsa tamen fides sola consideratione nostra distinguitur in practicam, & contemplatiuam, quemadmodum & intellectus noster practicus, & contemplatiuus: tametsi formaliter & contemplatiua sit, & practica, eminenterque vtrumque habeat, si cum acquisitis habitibus contemplatiuis, C & practicis conferatur: sitque etiam, quemadmodum diuina scientia, consideratione nostra magis contemplatiua, quam practica.

Catholica fidei habitum contempl. simul & practicū esse formaliter.

Varia de Theologia sententia.

Argent. q. 4. prol. ar. 3. ibi. Ægid. p. 4. q. 1.

Alia ratio est de Theologiæ scientia: nam etsi principiis catholica fide creditis nitatur: tamen cum sit vnus, aut plures habitus acquisiti, alij aliter de ea in hac quæstione sentiunt. Vt enim mittamus opinionem eorum, qui dicunt eam nec practicam esse, nec D contemplatiuam, sed altiorem practicis, & contemplatiuis scientiis, quam proinde Affectiuam appellant: (*quasi vero scientia de Deo alter in nobis sit, quam in Deo ipso, in quo vere est practica, & contemplatiua; aut cognitiuus aliquis habitus hanc distinctionem effugere possit*) sunt, qui velint eam esse simpliciter practicam, non contemplatiuam, ea nimirum ratione ducti, quod omnis eius cognitio dirigatur ad praxim obseruationis diuinorum E mandatorum, amoris potissimum Dei, & proximi, in quibus tota lex pendet, & Prophetæ. Alij autem contra existimant, eam esse simpliciter contemplatiuam, non practicam: id quod ea ratione probant, quia quæcunque agenda iudicat, ea omnia ad plenam Dei cognitionem assequendam referuntur, iuxta illud Christi Domini cum Patre loquētis: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Iesum Christum.*

Scot. in prol. q. vlt. D. Bon. q. 3. & Greg. q. 5 art. 4. Matth. 22. Henr. in summa ar. 8. q. 3. Herueus quodl. li. 1 q. 3. & alii.

Ioan. 17.

Rich. q. 4. prol. Dur. q. 6.

F Alij vero asserunt eam esse simpliciter & practicam, & contēplatiuam: magis tamē practicam, quam contemplatiuam: simpliciter quidem vtrumque, quod formaliter sit contemplatiua mysteriorum Dei, & formaliter practica obseruationis mandatorum: magis autem practicam, quam contemplatiuam, quia omnis cognitio fidei ad opera charitatis in hac vita dirigitur.

Denique

Quid tandē sentiendū cū D. Th. q. 1. prol. ar. 3. & 1 p. q. 1. ar. 4. Caiet. ib. Capr. q. 1. ar. 1. concl. 6.

Denique alij, quorum sententiam magis probamus, aiunt, eam esse simpliciter & practicam, & contemplatiuam: magis tamen contemplatiuam, quam practicam: quia & scientia Beatorum, & fides infusa, quam eius quandam supernaturalem impressionem esse diximus, & cui Theologia nostra tanquam fundamento innititur, formaliter sunt & practicæ, & contemplatiuæ: magisque contemplatiuæ, quam practicæ, vt dictum est. Neque obsunt ea, quæ pro prima, & secunda opinione dicta sunt, cum Theologia nostra vniat in se Theologiam contemplatiuam, & practicam quasi duas scientias propter vnitatem habitus fidei, in qua fundatur: vnde fit, vt etsi quadam ex parte dirigit cognitionem Viæ ad opera mandatorum, tamen alia ex parte dirigat ipsa mandatorum opera ad cognitionem Patriæ, cui Theologia nostra subalternatur, vt inferius dicetur, cum qua proinde est modo aliquo eadem: sicque alia, atque alia ratione est formaliter practica & cōtemplatiua. Non obest etiam id, quod dictū est pro tertia sententia de directione imperfectæ contemplationis vitæ huius ad praxim, cū cognitio genere suo sit prior, & origine, & perfectione, quam praxis, siue operatio, quæ à cognitione reguletur.

Cur practicæ scien. dicātur quasi Ancillæ contemplātiuum.

Ad vltimum dicendum est, ea de causa omnes scientias contemplatiuas dici liberas, practicas autem quasi earum ancillas, quod dum contemplatiuæ pace ac otio cōtemplationis fruuntur (*imo etiam, vt fruantur*) practicæ quasi bellum cum prauis affectibus suscipiunt, negotiisque necessariis ad vitam recte administrandam occupantur: hoc autem pacto non ancillantur, subiectæue sunt omnes scientiæ inferiores contemplatiuæ ipsi primæ Philosophiæ, vt patet: sunt tamen omnes scientiæ, etiam ipsæ contemplatiuæ particulares, non modo dignitate ac præstantia prima Philosophia inferiores: sed etiam illi ea ratione subiectæ, quatenus per eas ad illā ascenditur, & per eius principia illarum conclusiones, & principia aut confirmantur, aut defenduntur.

Sint ne omnes contēplatiua omnib. practicis nobiliores?

Sed quærat aliquis hoc loco, num omnes contemplatiuæ scientiæ sint absolute ac simpliciter omnibus practicis nobiliores? id enim non solum videtur colligi ex hac ipsa responsione, cum omnes contemplatiuas fecerimus liberas, practicas autem quasi earum ancillas: sed etiam id plane videtur sentire Aristoteles, cum simpliciter & absolute dicat

Tex. 2.

hoc ipso capite, contemplatiuas esse practicis nobiliores: cōtemplatiuarum autem nobilissimam esse primā Philosophiam. Contra vero sentiendum esse vel ipse idē Philosoph⁹

A libro 12 afferere videtur, cum docet, suo quāque scientiam subiecto (in quo nimirum versatur) nobiliorem, aut minus nobilem dicendam esse: & hoc ipso capite, primam Philosophiam esse nobilissimam, quod in nobilissimo subiecto considerando versetur: cum interim constet subiecta quarundam agentium scientiarum præstantiora esse subiectis quarundam contemplantium.

Cap. 6.

Idē dicit cito to ca. li. 1.

B Qua in re breuiter dicendum est, omnes contemplatiuas ex suo quidem genere, hoc est, ex ipso earum cognoscendi modo esse omnibus practicis digniores. Primo, quia vt nunc dictum est, omnes honesto otio fruuntur, dum practicæ omnes in negotio versantur: nobilior enim est honesti otii, quam negotij conditio. Secundo, quia præstantissima contemplantium est nobilior præstantissima omnium agentium, & efficientium, nempe prima Philosophia ciuili sciētia. Tertio, quia fœlicitas contemplatiua prçstantior est, quā actiua, cum illa sit huius finis. Quarto, quia appetitus naturalis nos ad rerum cognitionem magis, quam ad actionem inclinat. Quinto, quia actionis humanæ quædam quasi vestigia in brutis animantibus cernuntur, at contemplationis nullum. Sexto, quia immaterialia, æterna, & necessaria non cadūt sub actionem cadunt autem sub contemplationem. Septimo, quia contemplatiuæ sunt priores natura, & fere subalternantes, ac certiores practicæ autem posteriores natura, magnaque ex parte subalternatæ, ac minus certæ.

Resolutio.

C

Actionis humanæ esse in brutis vestigia, non cōtemplationis.

D

Limitatio resolut.

Addendum tamen, si simpliciter & absolute loquendum est, non esse omnes contemplatiuas omnibus practicis nobiliores: tum quia morales sciētiæ aperte sunt Mathematicis nobiliores, etiamsi illarum demonstrationes minus certæ sint, tum etiam, quia simpliciter, & absolute scientiarum præstantia ex subiectis, in quibus versantur, sumi debet, vt Aristoteles in locis pro negatiua parte citatis ait: etsi modus ea considerandi & certitudo demonstrationum, quæ de eis afferuntur, minus præstantia sint, vt ille merito de corporibus cœlestibus, substantiisq; materiæ expertib. dixerit in primo de partibus animalium, res illas superiores etsi leuiter attingere possumus: tamen ob eius generis cognoscendi excellentiam amplius nos oblectari, quam cum hæc inferiora iuncta omnia tenemus: Cum igitur virtutum actiones, de quibus agit moralis scientia, sint præstantioris naturæ, quam quantitates, de quibus agunt Mathematici: erit vtiq; moralis scientia simpliciter, & absolute præstantior Mathematicis. Ex qua veluti regula intelligitur primā Philoso-

E

Cap. 5.

F

Moralē scien. nobiliorē esse Mathem.

G 2 phiam

phiam esse omnium præstantissimam, quia de præstantissimo subiecto, non quidem generali & adæquato, sed particulari & inadæquato differit.

Obiectio. Quod si obiicias, primam Philosophiam non reddere hominem simpliciter bonum, & tamen moralem scientiam id præstare; ergo digniorem esse moralem scientiam prima Philosophia: *Responsio.* occurrendum est, formaliter quidem neutram reddere hominem simpliciter bonum; id enim sola virtus facit: etsi autem moralis vtcumque effectiue reddit hominem bonum simpliciter; id tamen ex eo sibi vendicare, quia prima Philosophia ei ostendit supremum finem, ad quem humanas actiones dirigat. Hinc est, quod Aristoteles non semel præponit sapientiam (*quæ prima Philosophia est*) prudentiæ, cuius nomine moralem scientiam fortasse intelligit; eamque ad sapientiam perinde se habere ait, ac ministrum atriensem ad principem domus: quod si prudentiæ vocabulo virtutem ipsam prudentiæ significat; non dubium, quin sapientiam accipiat pro perfecta sapientia, & quasi omnibus virtutibus ornata: quo pacto in sacris literis sæpissime accipitur fides pro ea, quæ charitate formata est: præsertim cum sapientis nomen sit omnium dignissimum, quodque nunquam ferme, nisi bono viro tribuatur.

6. Eth. c. 7 & 13. It. magn. moral. lib. 1. c. 35.

Vt. Rō. 3. & 4 Eph. 2. Philip 2. Matth. 9. Luc. 8. Ioan. 3.

Quonam pacto practica scientia in practicas, & contemplatiua in contemplatiuas diuidatur?

QVÆSTIO VI.

Aliam esse rationem distinguendi scientiam in practicas, aliam in contemplatiuas.

SECTIO I.

RELIQVVM est, vt qua ratione practicæ scientiæ inter se distinguantur, qua etiam contemplatiuæ, explicemus: hinc enim patebit præcipuum Aristotelis institutum in hoc libro, quod initio esse diximus, tradere modum, quo primo Philosopho de proprio subiecto, in quo versatur, quodque initio libri quarti constitutum erat, nec satis explicatum, agendum sit: qua in re eodem modo, quo in superiori quæstione progrediemur. Nam vt in illa ex negatione negotij, cui practicas scientias præsidere diximus, otium contemplantium conuenienti ordine declarauimus: (*imitati nimirum Aristotelem,* A *qui in hoc capite ex negatione principium libri, à quo agenda & facienda pendent, contemplanda explicauit*) ita in hac disputatione ex negatione concretionis, vnde credimus ortam esse constitutionem, & distinctionem agentium & efficientium scientiarum, constitutionem & distinctionem contemplantium explicabimus: abstractio enim, à qua contemplantes constitui, & distingui dicuntur, nihil est aliud, quam quædam concretionis B negatio.

Ortam vero esse constitutionem agentium & efficientium scientiarum ex concretione materiæ, quæ in earum obiectis cernitur, ex eo patet: quia, cum practicæ scientiæ doceant, quid agendum sit, & quo pacto agendum; omnis autem actio in singularibus versetur; tantum abest, vt earum constitutio & distinctio ex abstractione à materia, conditionibusq; materialib. sumi potuerit, quem-C admodum in contemplantibus sumi dicitur, vt ipsæ potius sine ordine ad materialia, & omnino singularia intelligi nequeant. Nam cum finis contemplantium sit cognitio veri, quæ fit per quendam quasi tractum rerum cognoscēdarum ad cognoscendi potentiam, & vnionem earum cum illa: finis autem agentiū, & efficientiū sit assecutio boni, quod in rebus ipsis est, non in mente, vt capite sequenti tradit Aristoteles: directione agen-D tium & efficientium scientiarum fit, vt appetitus noster quasi egrediatur ad bonum obtinendum in singularibus; imo & ab eo trahatur ad singularia, in quibus cōtractum & singulare factum existit.

Constitutionem agentiū & efficientiū scientiar. sumi ex concretione materia.

tex. 8.

Pro ratione igitur maioris, & minoris concretionis boni obtinendi, perfectionisve acquirendæ, distinguendæ erunt scientiæ practicæ; vt illæ, quæ agunt de bono minus concreto nobis, aut in se minus completo, & per-E fecto, sint inferiores, & minus præstātes; quæ autem de eo, quod magis tale est, sint superiores, & præstantiores: quod contra accidat, necesse est in contēplatiuis, vt quæ de iis, quæ minus abstracta sunt, & quasi auulsa à materialibus conditionibus, seu, quod idem est, magis concreta, differunt, eæ inferiores, & minus præstantes sint; quæ vero de magis abstractis, minusve concretis, superiores, & præstantiores, si non ratione rerum, saltem ratio-F ne modi considerandi.

Vnde petēda sit practicarū scien. nobilitas.

Hac igitur quasi regula constituta, effectiuæ scientiæ, siue artes infimum dignitatis locum habebunt; vt quarum institutum sit perficere actionibus iis, quas dirigunt, nō eum, in quo ipsæ sunt, sed res externas, quas suis actionibus conficiunt, confectasque & absolutas relinquunt. Secundum vero locum obti-

Infimum gradum habent effectiua.

obtinebunt scientiæ actiuæ, quod actionib: quas dirigunt, eos perficiant, per quos illæ exercentur, siue per seipsi eas exerceant, siue per alios: quæ duo scientiarum genera distinxit Aristoteles nono libro huius operis, & hac ipsa ratione posterius priori prætulit, quod illud res externas, hoc autem ipsa agentia perficeret. Huius autem secundi generis illæ inferioris dignitatis sunt, quę dirigunt actiones, quibus etsi nullum opus confectum relinquitur; transeunt tamen ipsæ in externam materiam, vt actiones canendi, & citharam pulsandi equitandi, nauigii gubernandi, & aliæ huiusmodi: quæ vero dirigunt actiones, quæ in ipsis tantum agentibus manēt, neque in externam materiam transeunt, ac proinde nobis magis concretæ sunt ac propriæ, eę scientiæ dignitate proxime dictas præcedunt. Inter has vero Dialectica, vt est origine prima, quia dirigit operationes intellectus; ita est infima huius generis, eo quod in bonum minus completum, ac perfectum intendat, vtpote in bonum rectitudinis, non moralis, sed naturalis, quod habentem non facit simpliciter & absolute bonum. Ceteræ autem, quæ sunt morales, superioris generis habentur, quod versentur circa bonum, quod malum esse non potest. Denique cum hoc genus bonorum, quæ simpliciter & absolute bona sunt (*moralium, inquam, virtutum*) suam habeat latitudinē, illudque sit diuinius, quod plures bonitatis gradus continet; ac demum perfecti⁹ sit inculpate viuere in vniuersa Rep. hoc est, in omnium ciuium communicatione, ac commercio, quam in conuictu familię, seu domesticæ communitatis, perfectiusque in hac sine vitio degere, quam priuatim viuere, merito Aristoteles in tres species, aut quasi species morales scientias distribuit, vt infima (*quam moralem communi nomine appellauit, alii Monasticam dixerunt*) ageret de virtutibus ad vnumquemque priuatim degentem pertinentibus: media, quam Oeconomicam, seu rationem regendæ familiæ nominauit, virtutes ad totam familiam spectantes traderet: & suprema bonum, ac perfectum ciuem institueret, in quo iam nulla mortalis perfectionis ratio deesset.

Cap. 9 tex. 16.

Quæ inter actiuas sint ignobiliores.

Qui nam sit locus Dialecticæ.

Qui nam moralium scient.

Ita perspicuum videtur, qua ratione & totum genus scientiarum agentium, & efficientium constituatur, & à toto contemplantium genere distinguatur, ac in suas veluti diuidatur species, ratione videlicet cōcretionis cum materia, materialibusque rerum singularium conditionibus, quarum rerum perfectio per actionem intendatur, & quinam sit inter eas dignitatis ordo, qui contrarius videtur ei, qui obseruatus est in earum inuentione; vt-

A. pote necessitatis. Vt enim Aristoteles ipso huius operis proœmio scribit, prius inuentæ sunt artes ad parandas res necessarias, quam ad degendam vitam, hoc est, vt ea commode, & iucunde, atque etiam honeste traduceretur: iisque inuentis, in quibus totum genus efficientium, & agentium cernitur, tum demum ii, qui honesto vacabant otio, ad inueniendas scientias de natura rerum, earumque causis, & affectionibus animum adiecerunt;

Quæ artes primo inuentæ fuerint.

B. quas cum sola obseruatione rerum concretarum, singularium, inquam, & materialium inuenire non possent, abstractionis adminiculo paulatim ad eas inueniendas, & constituendas vsi sunt: quam triplicem esse voluerunt; vnam à materia sensibili singulari: alteram à materia sensibili non modo singulari, sed etiam vniuersali, verum non à materia intelligibili, tertiam ab vtraque & sensibili, & intelligibili.

C. Quæ abstractionum genera, vt melius intelligantur, & ad scientias contemplatiuas applicentur, animaduertendum est, cum materia ex se ignota sit, vt quæ nullum includit actum, (*per quem solum res cognoscuntur, & distinguuntur*) sed sit pura omnino potentia, vt ostendetur libro octauo, ex ea fere totam nasci obscuritatem, quæ in rebus cognoscendis reperitur. Nam etsi ea nostrarum quoque cognoscendi facultatum imbecillitati tribuitur,

Ex materia nasci difficultatem in rebus cognoscendis.

D. earum tamen imperfectio oritur ex coniunctione ipsarum cum materia, siue quod in ea inhærent, vt sensus externi, & interni, siue quod in hac vita, nisi materialium actionum ministerio, suo fungi officio non possunt: id quod intellectui, præsertim contemplatiuo, seu potius vt est cōtemplatiuus, magno impedimento est in intelligendis reb. sublimioribus, quarum exempla sensibus nostris nec se offerūt, nec offerre possunt. Hinc

E. illud est natum, vt qui melius philosophati sunt, totam curam, quam adhibebant vt pure & syncere rerum naturas contēplarentur, earumque causas & proprietates inuenirent, in eo ponerent, vt materiam à sua consideratione quam maxime remouerent. Cumque à rebus singularibus, quæ materia constant, quæque omnes sunt sensibiles, inchoanda esset abstractio, primus illius quasi gradus fieri necesse erat à materia sensibili singulari, quæ primum occurrebat, vt cognoscerentur

F. quidem res sensibiles, & de eis disputaretur: verum non de hac, vel illa, sed de toto aliquo earum genere, quod solum munus Philosopho dignum esse merito censuerunt. Hæc igitur prima abstractio à materia à Philosophis vsurpata fuit, quæ est abstractio vniuersalium naturarum sensibilium a suis singu-

Abstrahere vniuersalia Socrates docuit.

singularibus; tametsi pauci ex iis, qui ea vtebantur, eam satis explicare poterant ad tempora vsque Socratis, vt ait Aristoteles 13 huius operis, & aliis locis, quod is primus, quænam essent vniversales naturæ, apertius explicauerit. Atque hæc abstractio constituit Philosophiam naturalem, in qua non agitur de hac aut illa re materiali, siue sensibili, sed de ipsis earum rerum generibus, & speciebus. Quæ omnia proinde Aristoteles hoc capite vt doceret, quo pacto tractanda sunt à naturali Philosopho, illud documentum statuit, vt omnia definiantur per materiam sensibilem, non quidem singularem, quæ ingredi nō potest definitionem naturarum communium, sed vniuersalem.

cap. 4.

text. 2.

Conati sunt deinde Philosophi remouere etiam à sua consideratione materiam omnem sensibilem, non singularem tantum, sed etiam vniuersalem, & inuenire in rebus ipsis materialibus, & sensibilibus naturam aliquam, quæ neque ipsa per se esset sensibilis, nec per materiam sensibilem definiretur, quo instituto inuenerunt quantitatem, quam, vt priorem qualitatibus sensibilibus esse intellexerunt, quod eas per motum accipiat, & abiiciat: ita merito iudicarunt non indigere in sua definitione vlla materia sensibili: tametsi eam ipsam quantitatem sic abstractam, & consideratione separatam à materia sensibili, non absque ratione etiam putarunt appellandam esse materiam intelligibilem; materiam quidem, quia esset diuisibilis in partes extensionis, & subiecta proxime sensibilibus qualitatibus; (*Vnde & quidam putauerunt eam non distingui ab ipsa materia substantiali, alii etiam esse totam rei substantiam, vt diximus ad librum primum*) intelligibilem vero, quia quantitas non est sensibile proprium alicuius sensus externi, vt patet ex illis sex generibus communium sensibilium, quæ traduntur ab Aristotele tertio libro de anima, motu nimirum, quiete, figura magnitudine, numero, & vnitate, quæ sine aliquo sensibili alicuius sensus proprio sentiri non possunt: vnde sola tertia species qualitatis dicta est ab Aristotele qualitas sensibilis, licet figura etiam sit sensibilis, quia in ea tertia specie continentur omnia propria sensibilia quinque exteriorum sensuum. Non pauci tamen volunt propterea quantitatem acceptam per se vocatam esse intelligibilem, quia ab imaginatione sine qualitate vlla alicui sensui externo propria percipi possit, vt nimirum intelligibile hac in re sumatur pro imaginabili: quo pacto aliquando Aristoteles vocat imaginationem, siue phantasiam, intellectum passiuum.

Cur quantitas dicta sit materia intelligibilis.

Vide lib. 5. c. 13. q. 2. sect. 1.

Ad fin. cap. 5. de Pythagor. quos etiam hoc nomine reprehendit Arist. lib. 13. c. 6. c. 1. text. 138.

7. Phys. c. 3. text. 15. & 20

Alex. 7. met. c 10. text. 55. D. Thom. 1. Post. c. 23. Alb. in prin. sua Philos. 3. de anima 5 text. 20.

A

B

C

D

E

F

Cum igitur vidissent Philosophi quantitatem percipi posse sine materia sensibili, vt sensibilis est, etiam vniuersali, hac ipsa secunda abstrahendi ratione peculiare subiectum, circa quod versaretur Mathematica, ipsamque Mathematicam disciplinam constituerunt. Verum, quia numerus adhuc à magnitudine abstrahi poterat relicta continuitate partium inter se, & assumpta non simul, sed successiue earum multitudine separatim: (*potest enim in infinitum augeri, quemadmodum & magnitudo in infinitum diuidi*) duas species pure Mathematicas fecerunt, Geometriam de magnitudine, quæ in hoc genere minus abstracta est, & Arithmeticam de numero, qui est abstractior: ex quibus pure Mathematicis, & quibusdam partibus Philosophiæ naturalis natæ sunt eæ, quæ mixtæ vocantur, Astrologia, inquam Musica, Perspectiua, & si quæ sunt aliæ huiusmodi. Non abstraxerunt autem peculiari abstractione cætera accidentium genera, tum quia institutum eorum fuit non abstrahere, nisi substantias, aut ea, quæ substantiæ conditionem haberent, quod ea sola essent, de quibus videbatur habenda consideratio tanquam de subiectis, de quibus affectiones essent demonstrandæ, in quorum numero solam quantitatem merito ponendam esse censuerunt; tum etiam, quia cætera accidentia, si absque materia sensibili intelligi nō possent, cum ipsis quoque rebus naturalibus abstraherētur à sola materia sensibili singulari; si vero possent, abstraherentur cum rebus Mathematicis, aut aliis abstractionibus, si quæ essent, tanquam earum affectiones.

Vnde orta sint Math.

Cur inter accidentia solius quantit. abstractio tradita sit philosophis.

Demum quærere cœperunt, num esset in rerum natura aliquid abstractius, quam à materia sensibili, & intelligibili, vt cōstituendis scientiis contemplantibus finem imponerent: cumque nihil inuenissent in rebus sensibilibus, quod ab vtraque materia separari posse, etiam cogitationem crederent, in id incubuerunt, vt quærerent, num aliqua natura reperiretur extra res sensibiles: eam enim non modo iure putabant sine materia sensibili, & intelligibili concipi posse: sed etiam, sine vtraque in rebus cohærere: quam naturam cum præcipui eorum inuenissent, & ex effectis materialibus, quæ necessario deprehensa sunt pendere à rebus vtraque materia expertibus, collegissent; tum demum à naturis rerum abstrahendis cessarunt, vt qui attigissent indagatione sua primam rerum caussam, à qua omnia penderent, & cuius cognitione rerum omnium cognitio compleri posset: in eo enim supremo rerum gene-

genere necesse erat primam causam inueniri.

Prima philosoph. inuētio.

Ita factum est, vt primæ ac supremæ Philosophiæ subiectum reperirent inuento toto genere rerum omnino immaterialiũ, ipsamque primam Philosophiam constituerent, & ab aliis scientiis contemplantibus distinguerent. Quorum alij, etsi vtrumque id præstare cœperant; nemo tamen felicius, verius, & clarius, quam Aristoteles, præstitit: quanquam enim in hoc rerum genere pro earum dignitate pauca est assecutus, & nonnulla vt homo Ethnicus peccauit: ea tamen, quæ inuenta exhibere potuit, adeo præclara sunt & ad rem apposita, vt in media etiam diuina Theologia explicandis rebus summis, & à calumnia Gentilium, ac Hæreticorum vendicandis, nulla sint ex tota reliqua Philosophorum schola tam illustria, tamque ei scientiæ familiaria. Ita patet, quanam ratione practica scientia in practicas, & contemplatiua in contemplatiuas diuidantur.

Aristot. laus.

Excludendas censeri apud quosdam Mathematicas à numero scientiarum, Physicamque, & Metaphysicam diuidi in plures species: ab aliis vero omnes contemplantes in vnum confundi.

SECTIO II.

SVNT tamen, qui id dicant de Mathematicis scientiis, quod si verum esset, satis foret, vt illæ à toto genere non modo contemplantium, sed etiam scientiarum essent excludendæ: asserunt enim etiam Mathematicas abstrahere ab ente. Quod primum ex eo probant, quia abstrahunt à bono, vt Aristoteles docet libro tertio: quicquid enim à bono abstrahit, ab ente etiam, cum quo conuertitur, abstrahat necesse est. Deinde ex eo, quod entia Mathematica eo modo, quo à Mathematico puro considerātur; non possunt in rerum natura existere: quod si ita est, fieri non potest, vt de entibus mathematicis vlla habeatur scientia.

Qua ratione alii Mathematicas excludant. c. 2. tex. 3.

Alij nonnulli, etsi non ea dicūnt, quibus vlla ex tribus contemplatiuis scientiis conuellatur; Physicam tamen in tres species diuidunt; quod minime placet Aristoteli, vt mox patebit. Eorum fundamentum est, idem esse diuidere scientias contemplatiuas penes diuersas abstractiones à motu, & mobilitate, atque à materia sensibili: vtroque enim loquendi modo promiscue vtitur Aristoteles in hoc capite, & aliis locis: hinc

Alii tres dāt Physicæ species.

A autem fit, vt cum corpora cœlestia abstrahant, seu potius abstrahantur ab omni alio motu, præterquam locali; corruptibilia vero non viuentia à solis motibus accretionis, & decretionis, ac progressiuo; viuentia denique, cum omnibus motuum generibus moueantur, à solis motibus singularibus, necessario constituendæ sint tres Physicæ scientiæ, de cœlo, de substantia corruptibili non viuente, & de corruptibili viuente.
B Possent etiam addere, eadem ratione quartam scientiam Physicam, nempe de ente mobili in commune, eo quod abstrahat, quatenus tale est, ab omni motu secundum speciem: neque enim sibi aliquem specialem motum vendicat, cum eius natura ad omnes sit indifferens.

Alij vero ex recentioribus Metaphysicam, in quatuor item, aut quinque species diui-
C dunt, vt diximus libro quarto: quod tamen hic necessario, sed plenius repetemus. Ad hanc vero sententiam, quæ etiam aperte pugnat cum Aristotele, hoc argumento ex abstractione item desumpto vtuntur: quod rerum ad Metaphysicam spectantium aliæ magis, aliæ minus sint abstractæ à materia. Nam anima separata cum sit veluti in confinio rerum ad Physicam, & Metaphysicam pertinentiũ; simpliciter tamen ad Metaphy-
D sicam spectet, quod per se sine vlla materia aliquādo existat: proximam Physicæ scientiam sibi videtur vendicare, quod cognosci non possit nisi habitudine essentiali; quam habet ad materiam. Tum deinde intelligentiæ creatæ secundam speciem eius scientiæ, poscunt, quod à materia non tantum re ipsa, sed ratione etiam seiunctæ sint. Tertiam sibi vendicant ea prima genera, quæ
E materiam in suo conceptu non includunt, quod ratione abstractiora sint ipsis creatis intelligentiis, quibus sunt communia. Quartam Deus Optimus Maximus qui abstractus est non modo ab omni materia, sed etiam ab omni potentialitate, cum sit actus omnino purus. Quintam denique transcendentia, quæ non tantum de rebus creatis, & finitis, sed etiam de Deo ipso dicuntur; nempe ens, vt ens est, & ea, quæ illi, vt tale est, per
F se conueniunt.

Alii quatuor Metaphysica. cap. 1. q. 1. sect. 4.

Alij denique, cum videant ex hac diuersarum abstractionum ratione plures, quam par sit, scientias oriri; præsertim cum metuant, ne si semel hanc diuidendi rationem admittant, tot etiam scientiarum species admittere cogantur, quot sunt ipsæ rerum species, & genera; ad id potius confugiunt, vt dicant omnium omnino rerum, quas contemplatiuis scientiis comprehendimus vnā dumtaxat

Ant. Mirād. lib. 13. de euers. sing. certamin. sect. 6. & 7.

taxat esse scientiam, vtpote eam, quam nos A dicimus Metaphysicam: vt quæ eorum sententia descendere debeat ad cognoscendas omnes rerum naturas, causas, & affectiones, non quidem singulatim per indiuidua, (id enim volunt Aristotelē significasse initio huius operis, cum dixit: *Non ita tamen, vt omnia singulatim scientia teneat*) sed per omnia genera, & species. Id quod etiam ex eo confirmāt, C quia alioquin incidere necesse esset in difficultates inextricabiles, qualis est illa: Si quantitas datur peculiaris scientia, quam dicimus Mathematicam, cur non dentur quoque aliorum generum summorum pertinentium ad alia accidentium prædicamenta, quæ similiter abstrahunt à materia sensibili? itemque: Si vna datur Arithmetica, cuius est agere de numero, qui abstrahit à materia sensibili, cur non etiam detur alia, quæ versetur in eo, qui abstrahit à rebus omnis materiæ expertibus? & aliæ huiusmodi complures dubitationes. Probant quoque eandem sententiam ex eo, quod abstractio affectio quædam sit rebus ipsis extrinseca, accidentaria, & veluti extranea, à qua proinde scientiarum diuisio desumi non debeat: quod si ex distinctione rerum ipsarum desumere eam quis velit: Obstat, inquiunt, similitudo ducta ex sensibus, quorum quælibet infima species in diuersis specie rebus plane versatur, vt visus in albo, & nigro. Tum etiam ea ratione, quia cum solus Metaphysicus agat de decem prim s prædicamentorum generibus, quod ea resultent ex prima & præcipua diuisione entis, ad eum spectet, necesse est agere de his omnibus, quæ sub eis ponuntur, aut ad ea pertinent, siue vt partes, siue vt principia, siue vt quiduis aliud Tum demum, quod idem sentiat Aristoteles, qui libro vndecimo asserit Physicam, & Mathematicam esse partes Sapientiæ, hoc est, Metaphysicæ, vt quæ nimirum ex illis quasi componatur. Pro qua etiam opinione illud quis fortasse afferat: quemadmodum Theologia supernaturali lumine tradita vna duntaxat est scientia & de Deo, & de iis omnibus, quæ ad illum vt ad primum principium reducuntur; rationi consentaneum esse, vt vna sit tantum, quæ lumine naturali acquiritur. Itaque aiunt vulgatam contemplantium scientiarū diuisionem ob quandam commoditatem inductam esse, non quod eam poscat rerum ipsarum natura.

lib. 1. c. 2.

cap. 3. in fine.

Nec excludendas Mathematicas à scientiarum numero, neque Physicam, & Metaphysicam in plures diuidendas, aut omnes contemplantes in vnam confundendas.

Sectio III.

Hæc tamen nihil obstant, quò minus tripartitam contemplatiuæ scientiæ diuisionem ita retineamus, vt neque Mathematicæ tanquam non veræ scientię reiiciantur, nec Physica, aut Metaphysica diuidantur in plures scientiarum species, aut (*qua absurdissima res esset*) scientiæ omnes contemplatiuæ in vnam confundantur. Nam quod attinet ad eos, qui dicunt entia Mathematica abstrahere ab ente, ipsi se sua sententia explicanda coarguunt: quo enim pacto entia ab ente abstrahant? qualis enim sit abstractio, & quasi auulsio eiusdem à se ipso? Quod si verbum [*Mathematica*] additum verbo [*entia*] alienat illud à ratione entis, quemadmodum dictio [*pictus*] addita dictioni [*homo*] illam remouet à vera ratione, seu significatione hominis: ergo quantitas, vt quantitas est, non habet veram rationem entis, quandoquidem Mathematicus agit de quantitate, vt quantitas est: at quantitas, vt quantitas est, definitur *Ens per se extensum*, vt à ratione entis abstrahi nullo modo possit. Multa vero alia in hac sententia peccantur. Vnum est, quod hæc consequentia non est apta (*abstrahunt à bono, ergo & ab ente:*) namque vnum, & verum, quæ sunt priores affectiones entis, & cum eo conuertuntur, quemadmodum & bonum, abstrahunt etiam à bono, quo sunt priora; non tamen ab ente, quo sunt posteriora. Alterum est, quod propterea dicant entia mathematica non tractari, vt entia, quia eo modo, quo considerantur, non possunt existere in rerum natura: nam & res vniuersales eo modo, quo abstractæ apprehenduntur, non possunt in rerum natura cohærere; & tamen tractantur, vt vera entia, quia modo alio, hoc est, vt contracta ad singularitatem in rerum natura cohærent. Tertium, quod etsi quatenus abstrahunt à materia sensibili, non possunt per causas naturales habere realem existentiam; possunt tamen absoluta Dei virtute, cum eorum existentia eo modo, quo spectantur, nullam inuoluat contradictionem. Quartam, quod aperte pugnant cum Aristotele, cum dicunt ea abstrahere ab ente: aperte enim pronuntiat Aristoteles & initio libri quarti, & hoc loco, & alibi sępe, primam quidem Philosophiam agere de ente, vt ens est; cęteras vero scientias de partibus ei subiectis, vt sunt specialia entia, in quibus numerat Mathematicas scientias. Quod autem Aristoteles libro tertio disputationis causa dicit, in rebus Mathematicis non spectari bonum; etsi nihil ad rem facit, quia consideratio per abstractionem nō efficit, vt

Entia mathematica non abstrahere ab ente.

Vtrobiq; t. 1. tex. 1.

An in rebus mathem. detur bonum.

cit, vt

aca.2.tex.3.
cap.3.

...st, vt illa, quæ considerantur, non sint in rebus ipsis bona, tamen intelligendum est de bono, quod per actionem acquiritur. Vnde Aristoteles *lib.* 13. plane docet in mathematicis, vt talia sunt, dari (*& quidem maxime*) bonum quoddam, quod pulchrum dicitur, ordo nimirum, commensuratio, & definitio, siue determinatio. Alio argumento diximus superius Mathematicas excludi apud quosdam a numero scientiarum, vtpote quia nil demonstrent per veras causas, vt aiunt, & pari ratione nec per vera effecta: cuius argumenti eo loco vim nullam esse diximus: nec desunt ex recentioribus, qui docte, & grauiter eandem sententiam contra recentiores alios impugnent.

In his est Bonamicus li.1. de motu c.13.

Non dari tres scientias physicas.

Scientias non distinguit maior, aut minor, sed diuersa abstractio a materia.

Iam qui tres Physicas scientias ex maiore, aut minore abstractione obiectorum a materia, aut mobilitate colligunt, non recte argumentantur: neque enim maior, & minor abstractio a materia distinguit scientias cōtemplantes, sed varius abstrahendi modus, aut varia ratio materiæ, a quo fit abstractio: quemadmodum nec maior, & minor sensibilitas obiectorum distinguit sensus; (*magis enim sensibilis est albedo, quam nigredo, & acutus sapor, quam obtusus; qui tamen eodem sensu percipiuntur*) sed varius sentiendi modus, per hoc aut illud medium. Neque Arithmetica distinguitur a Geometria, quia magis abstrahat a materia sensibili; sed quia abstrahit ab alia ratione materiæ, a qua nō abstrahit Geometria, nempe a quadam materia intelligibili, quæ est continuitas, quam considerat Geometria; etsi Arithmetica non abstrahat ab alia intelligibili materia, quæ est extensio non continua, cum in ea consideranda versetur. Quanquam igitur cœlestia corpora magis abstrahant a materia, & mobilitate, quam corruptibilia non viuentia, & hæc, quam viuentia; non distinguunt tamen physicas sciētias, quia non alio modo abstrahunt, neque ab alia ratione materiæ, sed ab vna, & eadem, nempe a materia signata, seu singulari, quæ directo non cadit sub considerationem vllius scientiæ.

Quæri etiam ab his potest, *num ens mobile in commune faciat quartam scientiam physicam, quia ens mobile abstrahat ab omni speciali motu*? Si fateantur: Ergo scientia cuiusque generis erit alia a scientiis suarum specierum, quia illud est abstractius; quod ipsi minime volunt: si negent? Ad quam earum pertinebit tractatio physicorum librorum, seu de ente mobili, vt mobile est: æque enim illæ tres eam sibi poscunt, vt quæ æque illa indigent? Itaque nullo modo probanda est distinctio Physicæ in alias species, cum omnis scientia contemplatiua generis extendatur ad omnes eius species, in quibus eadem est abstrahendi ratio a materia: etsi ab eadem magis abstrahant genera, quam earum species. Id quod ex eo confirmatur ex Aristot. quod primo libro de posteriori resolutione, capite septimo eandem facit scientiam cuiusque generis & suarum specierum: vbi tamen (*quod subaudiendum est*) eadem abstractionis ratio cernitur.

Vnam tantum esse Metaphysicam.

Ex his patet, eos etiam a vera scientiæ diuidendæ ratione aberrare, qui plures faciunt Metaphysicas: nam quod de anima humana obiicitur, cum ea sit & anima, & spiritus; anima, vt est forma corporis, illudque animat, vitamve ei sua actuatione confert; spiritus, vt per se extra corpus cohærere potest: alia & alia ratione ad Physicam, & Metaphysicam spectat: vnde fit, vt opus non sit eius causa aliam Metaphysicam comminisci. Quod agitur de substantiis separatis, illud quidem eas a consideratione Physici eximit, & ad primam Philosophiam transfert, quod in suis rationibus materiam nullam includunt, nec sensibilem, nec intelligibilem: at quod a materia re ipsa separatæ sint, nil ad rem facit: res enim sub scientiam cadunt, non vt sunt, sed vt vere concipiuntur: præsertim cum substantia genus summum in infinitis prope rebus non sit re ipsa a materia sensibili seiuncta, & tamen ad Metaphysicam pertineat: quod idem vniuerse cernitur in quantitate respectu mathematicæ. Iam etiam, cum dictum sit, nihil ad rem facere maiorem abstractionem, (*etiam secundum considerationem*) vbi non est diuersa abstractionis ratio; non est, quod genera, quæ materiam in suo conceptu non includunt, ad aliam Metaphysicam spectent diuersam ab ea, quæ agat de substantiis separatis; multoque minus, quod transcendentia, quæ communiora sunt iis generibus, aliam poscant Metaphysicam. De Deo alia ratio videbitur esse, cum abstrahat non solum ab omni materia, sed etiam ab omni potentialitate: quæ est alia ratio materiæ longe diuersa a ratione materiæ sensibilis, & intelligibilis. Verum de hac re paulo inferius agendum est.

Res non eadem sub scientiam, vt sunt sed vt vere concipiuntur.

Plures vna esse scientias contemplat. Plato apud Al. in l. de doctrin. Plat. c. 6. Arist. hoc c. tex. 2. & li. 11. c. 6. Boeti. de Trin. c. 2. D. Damasc. c. 1. sue Physiolog. Auic. 1. sua Met. c. 1. Ptolem in Almag. l. 1. c. 1. & alij.

Qui denique in vnam scientiam cogunt omnes contemplatiuas, turpiter cum tota antiquitate pugnant, quæ semper hanc scientiarum diuisionem venerata est, eamq; quasi fundamentum totius Philosophicæ structuræ supposuit. Videnturque pari ratione concessuri, vnam esse duntaxat practicam scientiam, supremam scilicet, quæ ciuilis est, vt nemo sit perfectus ciuis, nisi qui & nauticam

H &fa-

& fabrilem, & sutoriam, & cæteras teneat: vnam etiam esse generalem virtutem moralem prudentiam videlicet, quæ sit loco omnium particularium. Cumque addunt diuisionem scientiarum ex commoditate inductam esse, non videntur intelligere, vnde commoditas illa accipienda sit, an ex cuiusq; arbitratu; an vero ex natura rerum, quæ haud dubie certam distinctionem earum poscit? Nam si ex arbitratu cuiusque, cur hactenus omnes eadem distinctione vsi sunt? quod si ex natura B rerum ipsarum quarum aliæ alio modo cognosci, & tractari volunt; iam ea commoditas in vera earum, & naturali distinctione fundatur. Quanquam vero *lib.* 2. cum de qualitate artis Dialecticæ ageremus, hanc sententiam, vt omnino absurdam, obiter quantum satis erat, impugnauimus, quia tamen nonnulli ex recentioribus melioris notæ Philosophi iis fere argumentis, quæ proposita sunt, probabilem iudicant, ea a nobis pene inuitis dissoluenda sunt. C

c. 3. q. 3. sect. 2

Ac primum, si recte attendant ad ea, quæ supra diximus, videbunt vtique, si de scientiis quidem, quæ sunt qualitates simplices, sermo esset, plurimas esse scientias, atque adeo multo plures, quam genera & species rerum, de quibus habentur scientiæ; cum tam multi sint habitus simplices scientifici, qui in intellectu relinquuntur, quam multæ sunt demonstrationes, quæ de iis per diuersa media D fiunt. Verum, quia loquuntur, vt par est, de scientiis totalibus, non est, cur ex varia abstrahendi ratione vereantur plures scientias contemplantes; vnam Physicam, duas pure Mathematicas, & vnam Metaphysicam colligere. Primum enim non est necesse, vt alia totalis scientia sit huius aut illius generis, aliæ eius specierum, si eadem abstractionis ratio, seu modus abstrahendi sit in vtrisque, tametsi maior abstractio sit in genere, quam in eius E speciebus, vt dictum est: Nec vero Aristoteles, verbo [*singulatim*] in loco citato, excludit solam singularium considerationem; sed singulorum quoque generum, & specierum, quæ materiam includunt, vt ibi dictum est.

Deinde, nullæ difficultates, quæ contra afferuntur, sunt inextricabiles, nisi iis, qui ad pauca respiciunt, aut aliquo nouitatis studio ducti minus ea perpendunt, quæ a veteribus accepta sunt, & hactenus seruata. Nam F cur de quantitate sit instituta Mathematica, non de relatione, qualitate, actione, passione, vbi, & quando, (*sumptu nimirum in genere, quatenus etiam a materia sensibili abstrahunt*) ratio in promptu est; quia non dubium, quin ratione hac ad Metaphysicam

Cur de quantitate instituta Mathematica, non de aliis accidentibus.

pertineant: neque enim necesse est, vt vel cum materia sensibili, vel cum intelligibili, siue extensione aliqua intelligantur: quod si sumantur, vt alteram materiam in suo conceptu includunt, iam ad Physicam, aut Mathematicam spectabunt, vt primæ quatuor qualitates ad Physicam, figuræ ad Mathematicam. Illud etiam de duplici Arithmetica, quæ videtur colligi ex duplicis numeri abstractione, nihil habet momenti: superuacanea enim foret earum altera, cum eadem omnino principia, & affectiones numerorum æque conueniant vtrique generi, eadem theoremata, & pronuntiata quælibet, vt non fuerit necesse, postquam res materiæ expertes inuentæ sunt, aliam de earum numero Arithmeticam constituere.

Quod etiam de abstractione dicunt, esse eam accidentariam; & extrinsecam rebus ipsis, siue de actiua loquantur, quæ est operatio intellectus, siue de passiua, & obiectiua, id quidem verum est: quia abstractio passiua, & obiectiua pendet ab actiua; res enim, vt sint obiecta intellectus, ad illum trahantur, necesse est: veruntamen satis est huiusmodi accidentaria, & extrinseca rerum affectio ad distinctionem scientiarum; præsertim cum hic non agatur de totalibus scientiis tanquam de veris, & simplicibus qualitatum speciebus, sed de quasi veris, vt supra dictum est. Non est tamen illa omnino extranea a rebus ipsis, cum in earum natura fundetur. Quod si quis obiiciat, extraneum, imo & falsum esse, concipere quantitatem, non concepta substãtia, quæ est natura prior, & a qua omne accidens pendet, tum vt sit, tum etiam vt intelligatur: respondendum est, quantitatem, vt non intelligitur perfecte sine substantia, cui natura sua innititur; ita nec perfecte ab ea abstrahi, sed confusa quadam cognitione: satis tamen esse eam abstractionem ad ea omnia, quæ in Mathematicis synceris demonstrantur: præsertim cum tanta similitudo sit quantitatis cum substantia, vt non defuerint veteres, qui quantitatem a substantia non distinguerent, quorum loquendi modum, licet alio sensu, Nominales renouarunt.

Abstractionem rebus, quæ abstrahuntur, extrinsecam esse.

Non tamen prorsus extraneam.

De his li. 5. & 13. quæst. 2.

Quanquam vero solus Metaphysicus agit de decem summis prædicamentorum generibus, tanquam de primis, ac præcipuis membris, in quæ ens finitum diuiditur: tamen, quia nec de omnibus eadem de causa agit; nec omnes omnium species persequi potest, eas relinquat necesse est, quæ propria eius abstrahendi rationem subterfugiunt: Quod vero additur de partibus sapientiæ, duobus modis intelligi potest; & de partibus subie-

subiectis, sumpto sapientiæ nomine, vt olim erat in vsu, quo pacto idem significat, quod Philosophia; & de partibus quasi integrantibus totam humanam, perfectamque (*vt apud nos esse potest*) sapientiam. Neque enim absolute, ac perfecte sapientem aliquem dicimus, nisi tria proposita scientiarum genera teneat, imo & totam moralem disciplinam, cuius ratione Socrates dicitur sapientiam è cœlo deuocasse, quod eius studio quasi vtiliori se totum tradidisset.

Cur Socrates sapientiam dicatur è cœlo euocasse apud Cic. 5. quæst. Tusc. & alibi sæpe.

B Denique ad illud, quod additur, [*Non esse, cur non sit vna tantum scientia rerum omnium, quæ naturali lumine percipiuntur, si vna tantum scientia est sacra Theologia, quæ supernaturali diuinæ reuelationis lumine & de Deo agit, & de iis omnibus, quæ ad illum referuntur*] tum demum distincte respondebimus, cum expediemus, detur ne quartum genus abstractionis, quod sacram Theologiam constituat: quod iam faciendum est.

C

Detur ne quartum abstractionis genus, quæ sacram Theologiam constituat?

SECTIO IV.

Ac videri quidem potest, non dari aliam maiorem abstractionem, quam eam, D qua Metaphysica constituitur, nempe a materia sensibili, & intelligibili. Primum, quia non traditur a Philosophis alia materia, a qua abstractio fieri dicatur. Deinde, quia maxime abstracto actu abstractius aliquid dari non potest: Deus autem consideratur in Metaphysica, vt actus maxime abstractus, nempe vt actus purus: ita fit, vt nulla detur maior abstractio, quam Metaphysica. Tertio, quia ente vt ens est, commune, *inquam*, E finito, & infinito, non potest dari quicquam abstractius, quia nec communius, aut vniuersalius, cum Aristoteles dicat, *Ens & vnum esse maxime vniuersalia*. Ita videtur plane ostendi nullam esse quartam abstractionem, qua sacra Theologia, aliave vlla scientia constitui possit: præsertim, cum nemo hactenus eam videatur tradidisse, vt sacram Theologiam a cæteris contemplatiuis scientiis distingueret.

Rationibus astruitur non esse admittendam.

lib. 3. met. c. 4. tex. 16.

F Si scientiarum contemplantium distinctio ex distinctione tantum luminis naturalis, & supernaturalis colligeretur, (*vt nonnulli volunt*) videri fortasse posset, non esse necessariam nouam abstractionem, vt ex ea colligeretur distinctio Theologiæ sacræ ab aliis scientiis contemplatiuis; satis enim

Non sumi distinctionē sci. contemp. tantum ex naturalis & supernat. luminis distinctione.

A foret lumen supernaturale diuinæ reuelationis, vt illa ab omnibus aliis scientiis distincta esse comprobaretur, etsi de rebus eodem modo abstractis ageret, quo agit Metaphysica, vtpote ab vtroque genere materiæ & sensibilis, & intelligibilis. Verum id dici non potest: omne enim lumen, quod rebus obscuris, & nondum distincte cognitis adhibetur, aliquid quasi contectum, & velatum detegit, ac reuelat; quo pacto oriente sole colores herbarum deteguntur: sic ergo naturali lumine adhibito rebus sensibilibus singularibus deteguntur in eis quasi primo eius gradu (*vt ita dicam*) plurimæ naturæ vniuersales sensibiles, quarum abstractione constituitur naturalis Philosophia. Adhibito autem rebus, siue singularibus, siue vniuersalibus materia sensibili constantibus, deteguntur quasi eius secundo gradu earum quantitates puræ, tum continuæ, tum etiam discretæ, quæ in suo primo, & confuso conceptu nullam materiam sensibilem includunt: tametsi earum extensiones rationem habent materiæ cuiusdam alterius rationis a sensibili, quæ proinde vocatur intelligibilis. Denique adhibito naturali lumine rebus omnibus, quæ rationem aliquam materiæ in se continent, seu sensibilem, seu intelligibilem, deteguntur, quasi eius tertio gradu in eis ipsis, & earum occasione extra eas multa, quæ neutram materiam in suis rationibus includunt: hæc vero sunt ens in commune, substantia in commune, accidens in commune, & alia huiusmodi; & præter hæc alia quædam, quæ cum eiusmodi sint, vt ab eorum existentia, & externa virtute omnia materialia pendere intelligantur, immaterialia omnino sint necesse est, vt neque in suis conceptibus materiam vllam includant, neque ex illa constent aut in illa existant. Atque hucusque progredi potuit tota vis naturalis luminis in detegendo, ac reuelando, ac proinde in abstrahendo: abstrahere enim nihil est aliud, quam ab aliquo quasi inuolucro trahere, ac proferre in lucem id, quod in eo latebat, aut ex eo non colligebatur.

Tres abstractiones sequuntur naturale lumen

Quid sit abstrahere.

Cum igitur supernaturale lumen diuinæ reuelationis ad aliquid detegendum, seu reuelandum adhibeatur; necesse est, vt ab eo alia quarta abstractio fiat, atque adeo maior, & natura perfectior iis, quæ a lumine naturali fiunt. Quod si dicas, *abstractionem, quæ fit ab eo lumine, esse abstractionem eorum, quæ naturali lumine abstrahi, & cognosci nequeunt*; nihil efficies: id enim est, quod quæritur, quidnam, aut quænam sint illa, quæ naturali lumine cognosci non possunt? Si respondeas, illa esse multa, vt sunt diuinarum

Quartam abstractionem facit lumen supernaturale.

Status quæstionis.

personarum distinctio, incarnatio diuini A Verbi, mysteria gratiæ ac gloriæ, cognitio rerum futurarum contingentium, & alia huiusmodi: (*hæc enim omnia, & alia similia solo supernaturali lumine cognoscuntur*) ne hoc quidem modo satisfacies. Oportet enim vnum aliquid assignare, seu vniuocum, seu analogum, cui primo conueniat ea ratione abstrahi, vt est in Physica ens mobile: in Mathematica vero, si in genere sumatur, quantitas: si in specie, quantitas continua, & discreta, de- B mum in Metaphysica ens, vt est commune Deo, & creaturis. Quidnam autem sit vnum illud, in quo illa omnia supernaturali lumine detecta contineantur, hoc ipsum est, quod quæritur.

In creaturis suprema abstractio est Metaphysic.

Dicendum est igitur, a rebus quidem creatis, aut quæ creari possunt, nullam maiorem, altioremve fieri posse abstractionem, quam sit abstractio Metaphysica, a materia, inquam, sensibili & intelligibili: si qua enim C esset alia ratio materiæ, a qua abstrahi possent: esset potentia illa passiua, quæ potentialitas dicitur, quam habent res omnes, quæ modo aliquo perfici possunt: at nihil creatum; aut creabile ab hac materiæ ratione exsolui potest: cum omnia, præter Deum, perfectionis alicuius accipiendæ sint capacia: solus igitur Deus est, qui ab hac omnium tenuissima ratione materiæ immunis est, ac proinde abstrahibilis. Sed cum ille hoc et- D iam modo lumine naturali abstrahi videatur: (*seclusa enim omni supernaturali reuelatione adhuc consideratur a nobis vt actus omnino purus*) quæri potest, cur eius hoc modo spectati non sit instituta noua Metaphysicæ species, & in scientiis humano ingenio inuentis numerata.

Solus Deus est alio modo abstrahibilis.

Dubium. Cur de eo non sit peculiaris Metap.

Actus omnino puri duplex consideratio.

Ad quam quæstionem respondendum est, actum omnino purum duobus modis spectari posse; vno, vt potest cognosci in se ipso; E altero, vt in rebus aliis, quæ quidem necessario erunt eius effecta; si in se ipso spectetur, non autem, vt relucet, & repræsentatur in suis effectis; non potest vllo naturali lumine cognosci, ac proinde nulla scientia, siue humana, siue angelica: se enim solo in se ipso naturaliter cognosci potest: tametsi supernaturali lumine a se communicato, & intellectui creatæ infuso possit ab ea sic cognosci. Si vero spectetur, vt relucet in suis ef- F fectis; potest quidem naturali lumine cognosci, scientiaque & angelica, & humana percipi: verum ea cognitio ad id perducere non potest vllum creatum intellectum, vt Deus illius adminiculo in se ipso cognoscatur: quia nullus effectus Dei, neq; etiam omnia, quæ simul interrum natura esse possunt, eius potentiam exprimere valent, ac proinde neque eius essentiam.

Fit satis proximo dubio.

Quanquam ergo Deus Opt. Max. lumine naturali vt actus purus cognoscatur, & a primo Philosopho sic consideretur, atque hac ratione vt aliquo modo ab omni potentialitate abstractus spectetur: tamen cum hoc modo non cognoscatur, nisi per sua effecta, ac proinde non sic percipiatur, vt in se ipso est; perspicuum est illum non considerari a primo Philosopho, vt plene abstractum ab omni potentialitate. Verbi causa, cum perfectiones diuinæ potentiæ, sapientiæ, aut bonitatis, seu beneficentiæ per creaturas cognoscimus, non perfecte eas concipimus; quia semper nos latent infinita obiecta, ad quæ illæ extendi possunt: quo fit, vt in eas, quatenus nostræ cognitioni subsunt, semper aliqua potentialitas ad maiorem perfectionem cadat. Idemque accidit in cæteris diuinis perfectionibus, quæ ad creaturas non referuntur, vt in diuina essentia, substantia, vita, & aliis huiusmodi. Nam cum & has perfectiones diuinas ex finitis numero, & specie creaturis colligamus; semper in eis concipiendis deficimus, ac proinde aliquam potentialitatem in illis, vt nostris conceptibus subduntur, relinquimus. Hoc eodem pacto dicimus substantias separatas infra Deum, etsi considerantur a Physico vt abstractæ a materia sensibili, seu vt immateriales, quia demõstrantur ab illo non aliter esse posse cœlestium orbium motrices: tamen non complete ab eo considerari, vt sic abstractas. Nam etsi considerantur vt immateriales ex motu, quẽ efficiunt: tamen non considerantur vt tales in se ipsis, hoc est, per ea, quæ pertinent ad earum essentias, quo pacto spectantur a primo Philosopho: vnde fit, vt earum abstractio iure pertineat, non ad Physicam, sed ad primam Philosophiam.

Obiectio.

Quod si obiicias, neq; has substantias immateriales posse a nobis cognosci, vt in se ipsis sunt: ergo neque in Metaphysica compleri earum abstractionem: respondendum est, Metaphysicam complecti vtrunque statum, mentis nostræ, & dum est in mortali corpore, & cum ab eo est separata: quorum vterque ei naturalis est, & posterior multorum sententia magis naturalis, quo in statu substantias separatas in se ipsis intelligit. Deus autem vt in se ipso est, a nullo intellectu creato, aut qui creari possit, naturali lumine percipi potest, vt complete ab omni potentialitate abstrahi censeatur: vnde fit, vt hac ratione sub considerationem primæ Philosophiæ cadere non possit.

Solutio. Quo pacto Metaphysic. non attingat Deum.

Quod si ita res habet, & Metaphysica est suprema

suprema omnium contemplantium scientiarum, quæ naturali lumine de rebus agunt, easque consideratione sua ab omni materiæ ratione abstrahunt: necessario danda est alia superior scientia, quæ solum Deum ab omni potentialitate complete abstrahat, eumque in seipso, non iam vt relucet in creaturis, consideret: quod quidem per lumen aliquod supernaturale fiat, necesse est. Atque hæc est supernaturalis scientia Beatorum, qui lumine gloriæ, quo eorum intellectus ad tantam contemplationis sublimitatem eleuatur, diuinam essentiam sine medio vllo contuentur: cuius vicaria, & quasi obses in hac vita est supernaturalis scientia Viatorum hæc enim supernaturali fidei lumine Deum cognoscit, non vt eius cognitio ex creaturis colligitur, neque vt in se ipso est, sed lumine solius eius testimonii: nec solum Deum, sed etiam omnia supernaturalia, quæ conducunt ad claram ipsius contemplationem, aut ex ea consequuntur: multaque alia, quæ alioqui naturaliter cognosci possent.

Necessario dandam supernat. scientiam de Deo cum peculiari abstractio. In Beatis.

In Viatorib.

Quænam sub eam abstractionem cadant.

Cum ergo quæritur, quidnam sit vnum illud, quod lumine supernaturali complete detegitur, reuelatur, & abstrahitur ab omni potentialitate, & cuius ratione cætera eius ordinis cognoscuntur: dicendum est, esse DEVM Opt. Max. in se ipso spectatum, clare quidem cognitum in superna illa beatitudine per lumen gloriæ, obscure autem, & quasi ænigmatice per lumen fidei diuinæ authoritatis: atque vtriusque luminis ratione cognosci de Deo cætera omnia, quæ naturali lumine cognosci nequeunt, vt trinitatem diuinarum personarum, diuini Verbi incarnationem, mysteria redemptionis humanæ, arcana diuinæ prouidentiæ, gratiæ, ac gloriæ, & similia: quæ omnia perspicue relucent in sola diuina essentia clare conspecta: & ea de causa dici solent ordinis diuini, quia solo supernaturali lumine cognoscuntur, plura nimirum, vel pauciora, pro mensura collati luminis gloriæ in Patria, & vmbraticæ reuelationis in Via. Ita patet, necessario dandam esse quartam abstractionem ab omni omnino ratione materiæ, qua sacra Theologia Beatorum, eiusque vicaria Viatorum constituatur. Nam de illa, quam DEVS ipse de se, & de omnibus rebus habet, cum infinita sit, nihil attinet agere, cum scientiæ in ordinem rediguntur, quod sit supra omnem ordinem.

Quid intersit inter subiectum Theologiæ sacræ, & primæ Philosophiæ, & alia de hac re scitu digna.

SECTIO V.

EX iis, quæ dicta sunt, colligi potest, quid intersit inter subiectum Theologiæ sacræ, & primæ Philosophiæ, seu Theologiæ naturalis, quæque sit ratio formalis, siue per quam, siue sub qua vtrumq; consideratur.

Subiectum materiale, siue res, circa quam primo versatur prima Philosophia, est ens, vt ens est: quo pacto spectatum essentialiter, & quidditatiue de rebus omnibus dicitur: in sacra autem Theologia est solus Deus, vt Deus est, quo pacto consideratus de solis tribus diuinis hypostasibus sic prædicatur. Ratio vero, cur amplissimum primæ Philosophiæ subiectum ad solum Deum in sacra Theologia quasi contrahatur est, quia ratio, sub qua consideratur in sacra Theologia, cætera omnia excludit, vt patebit. Ratio formalis, per quam de subiecto primæ Philosophiæ propriæ affectiones demonstrantur, est ipsa entis natura, quæ analogica est in commune: in singulis autem generibus, & speciebus vniuoca: suasque habet definitiones & declarationes, quæ etsi non omnes intelliguntur ab intellectu coniuncto cum materia, certe a separato intelligi possunt. In sacra vero Theologia, si de ea, quæ Beatorum est, agitur, est ipsa diuina essentia in se ipsa perspicue cognita, cuius ratione cætera diuini ordinis, hoc est, quæ naturali lumine intelligi nequeunt, perspicue cognoscuntur: si vero de Theologia Viatorum sit sermo, est autoritas Dei testificantis: per hanc enim solam cognoscitur Deus in hac Theologia, & cætera diuini ordinis, quæ in ea traduntur.

Materiale subiectum vtriusq.

Formalis ratio, per quam &c.

Ratio formalis, sub qua subiectum primæ Philosophiæ consideratur, est abstractio a materia sensibili, & intelligibili: ita vt omnia quæ in suis rationibus neutram earum includunt, considerentur a primo Philosopho: cætera omnino excludantur, etsi omnia quidditatiue sint entia. Formalis autē ratio, sub qua consideratur subiectum sacræ Theologiæ, est abstractio eius completa, & perfecta ab omni potentialitate: quod fit, cum Deus Opt. Max. in ea consideratur, non iam, vt relucet in creaturis, quantumcunque multæ vnquam creentur: sed vt in se ipso est, suoque ipsius lumine cognoscitur, vel claro in Patria, vel vmbratico in Via.

Formalis ratio sub qua, &c.

Ex quibus patet consultissime a D. Thoma solum Deum constitutū esse sacræ Theologiæ subiectum. Nam cum quarta & vltima

Subiectum Theol. Deus.

 abstra-

1. p. q. 1. ar. 7. & in prol. Sent. q. 1. ar. 4. Scot. q. 4. Rich. q. 6. Hen. in summa ar. 19. q. 1 A D. Bon. q. 1. prol. Och. q. 3. Gab. q. 9. ar 2. B. Cassidor. initio psalm. Hugo in prol. l. 1. de sacrament. c. 1. Alens 1. p. q. 1. memb. 3. C Dur. q. 5. prol.

abstractio, quæ propria est sacræ Theologiæ, A sit ea, qua ens ab omni potentialitate eximitur, eaque in solum Deum conueniat: solus ipse potuit eius scientiæ subiectum constitui. Quo fit, vt minus recte ab aliis Theologis constitutum sit vel res, & signa vel *a* opus reparationis humanæ: vel *b* Deus vt saluator, vel vt est Deus, & homo: vel *c* Deus, vt est finis vltimus Viatorum, vel quidvis aliud. Omnes enim aliæ considerationes posteriores sunt, & ad Deum, vt in se est, & in seipso clare B conspicitur, aut per fidem quasi in ænigmate describitur, reuocantur.

Cur tam multa tractet Theologia.

Quærat porro aliquis, cur cum Theologia sacra agat de abstractis ab omni potentialitate, nihilominus tam multa misceat, non modo ex entibus ordinis diuini, quæ creata sunt, ac proinde potentialia, & imperfecta, vt est etiam ipsa qualitas diuinæ gratiæ Theologicæ virtutes & Spiritus Sancti dona: sed C etiam ex rebus ordinis naturalis, qui totus subiectus est naturali lumini, qualia sunt ea omnia, quæ de Deo ex creaturis colligi possunt, de quibus Paulus ait: *Inuisibilia enim ipsius per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas.* Ad

Rom. 1.

Responsio.

quam quæstionem dicendum est, ea, quæ præter Deum sunt ordinis diuini, cum tractari non possint in iis scientiis, quæ non vtuntur, nisi naturali lumine necessario in sacra Theologia tractari: non tamen per se, sed reductiue, nempe quatenus ad supernaturalem Dei D cognitionem reuocantur: de cæteris vero,

Prima ratio.

quæ sunt ordinis naturalis, tribus potissimum de causis a Theologo agi. Vna, quia sæpe illa eadem, quæ nos naturali lumine capere possumus, nobis fide tenenda traduntur, qualia sunt Deum esse, atque vnum esse, eundemque infinitæ potentiæ, scientiæ, bonitatis & similia: quæ quidem vtile valde est, si rationibus etiam naturalibus demonstrentur, tum E vt suauius teneantur: tum etiam, vt ex eorum euidentia intelligamus, quanta cum ratione ea credere iubeamur omnes: indeque non minimam coniecturam faciamus, cætera, quæ nobis credenda traduntur, non propterea nō demonstrari, quia non sint æque certa: sed quod altiora sint, quam vt ea naturali lumine capere possimus. Altera, quia probatio-

Secunda.

nes, quæ rationibus naturalibus nituntur, etsi non sunt satis ad confirmanda ea quæ sunt F diuini ordinis, sunt tamen vtiles ad ostendendum non esse ea impossibilia, aut quæ cum ratione pugnent: qua de causa vtimur argumento ducto ex infinitate diuinæ essentiæ, vt resistamus iis, qui distinctionem diuinarum personarum impugnant: & ratione sumpta ex infinitate diuinæ sapientiæ, vt nos opponamus iis, qui existimant futura contingentia cognosci a Deo non posse. Tertia, quia

Tertia ratio.

ex tractatione rerum, quæ natura sua nō excedūt vim naturalis luminis, disponitur paulatim intellectus, vt facilius assentiatur iis, quæ captum nostrum superant: præsertim cum in ipsis rebus naturalibus tam multa sint mira, & stupenda, quæ etsi esse negare non possumus: tamen quonam pacto fiant, magno etiam studio adhibito assequi non valemus: qua ratione ex mirabilibus effectis vētorum, qui non videntur, disponit Christus Dominus Nicodemum, vt assurgat ad credenda effecta Spiritus sancti: & ex segetibus, quæ surgunt ex seminibus in terram iactis, ac corruptis, disponit D. Paulus Corinthios, vt facilius capiant generalem corporum resurrectionem: & D. item Augustinus auditores suos, vt nihil miretur, quod Christus Dominus quinque panib hordeaceis tam multa hominum millia satiauerit.

Ioan. 3.

1. Cor. 15.

De mirabilibus sacra scriptura l. 3. c. 9.

Numeretur ne Theologia sacra inter eas, quæ proprie dicuntur scientiæ?

Sect. VI.

Illud videtur superesse, vt exponamus, possitne Theologia sacra numerari inter eas, quas proprie scientias appellamus? An cum duplex ea sit, Beatorum vna altera Viatorum: de ea, quæ Beatorum est, nulla est dubitatio, cum certitudinem, euidentiam, & cæteras omnes scientiæ proprie dictas conditiones in ea reperiri certissimum sit: in essētia enim diuina perspicue conspecta, omnia, quæ causas habent, tanquam in eorum prima, supremaque causa cuiusque generis pro mensura luminis gloriæ perspiciuntur: ipsa autem diuina, quæ causas non habent vt in prima, supremaque ratione omnium intelliguntur. Neq; obest, quod ea scientia nec sit habitus, sed actus, nec discursu acquiratur: sed simul per eā videantur causæ ac rationes rerum omnium, & ea, quæ ex causis, aut rationibus sequuntur: habitus enim, & discursus non pertinent ad rationem scientiæ simpliciter, & absolute cōsideratæ, sed eius tantum, quæ imperfecta est, & aliquando suo actu carere potest, nec tantā vim habet vt in principiis ipsis simul conclusionum veritates per eam intelligantur.

Duplex Theolog. Beator. & Viator.

Illam esse proprie scien.

Habitum & discursum esse de ratione scientia simpliciter sumpta.

De Theologia Viatorum, quæ semper in Doctorib. Ecclesiæ fuit, & suo etiam modo in Synagogæ magistris extitit, tota est difficultas: sit ne vere, & proprie dicta scientia. Eam enim esse vere, ac proprie scientiā Henricus, Franciscus Marchianus, & alii nonnulli asserūt, ea ratione, quod ei ne ipsa quidem euidentia

Ex quo fun. velint Theologiam Viat. esse proprie scien. Hen. in sum ma ar. 6 q. 1. & quod l. 12. quæst. 2. March. citatus à Greg. q. 1 prol.

tia desit, qua potissimum carere videri posset: A existimant enim principia Theologiæ, quæ sunt articuli fidei, eiusque conclusiones, esse Theologis euidentia clariori quodam lumine, quam sit lumen fidei simplicium fidelium. Id quod præcipue duobus argumentis probant.

Probant primo.

Vno, quia aliqui doctus Theologus non haberet maiorem cognitionem rerum ad fidem pertinentium, quam idiota fidelis, nec valentius posset cum infidelibus, & Hæreticis confligere.

Secundo.

Altero, quia ea, quæ creduntur, tandem resoluenda sunt in principia B euidētia; alioqui nemo teneretur ea credere.

Ex Patribus Tom. 3. 1. Cor. 3. & Hebr. 4.

Accedere videtur pro hac sententia illud Hieronymi ad Paulinum: *Discamus in terris ea, quorum scientia nobiscum perseueret in cœlis*: & illa Augustini comparatio, qua veluti exponens Paulum similem facit fidem simplicium lacti paruulorum, sapientiam vero, siue scientiam Doctorum solido cibo: videntur enim iis locis scientiam Doctorum in rebus diuinis C euidentem facere, non obscuram, vt est fides simplicium, quæ in cœlis non est futura, sed sola scientia eorum, qui in Theologiæ studio proficiunt.

In Psal. 130. & sæpe alibi.

Falsum est eorum fundam. Theologia est euidens.

Hebr. 11.

Verum hæc sententia merito vel hac vna ratione a tota Theologorum schola exploditur: quod cognitio fidei, qua principia Theologiæ continentur, re vera sit ineuidens, iuxta illud, quod Paulus affirmat, fidem esse argumentum non apparentium, conclusiones autem non possint suis principiis esse notiores. D

Quid male addat Holc. In 1. q. 1.

Neque Holcotius vlla ratione audiendus est, cum addit, ea, quæ fides tradit, ex se euidentia esse; sed tamen non conuincere intellectum eorum, a quibus non satis penetrantur: nihil enim refert, sintne illa ex se euidentia, cum quatenus sub fidem cadunt, sint ineuidentia, vt ex Paulo ostensum est.

Respondetur ad argum. Ad 1.

Nec vero illorum argumenta quicquam efficiunt. Non primum, quia Theologi intra E terminos ineuidentiæ earum rerum, quæ proprie ad sacram Theologiam spectant, explicatius, & profundius principia tenent, ex iisque multo plures conclusiones, atq; etiam certiori discursu, quam cæteri fideles eliciūt: quæ item per accidens fidei subduntur, sæpe ab eis demonstratiue, & aliis efficacibus rationibus probantur: vt non mirum sit, si cum ineuidentia eorum, quæ per se fide tenentur, valentius possint, quam cœteri fideles, Hæ- F reticos & Gentiles conuincere.

Ad 2.

Res fidei ad quam euidentiam resoluantur.

Non secundum, (*quod Holcotii est*) quia non est necesse, vt res fidei resoluantur ad aliam euidentiam, quam Ecclesiæ visibilis, tanquam proponētis ea, quæ credenda sunt: neque enim alia proponit Ecclesia, nisi quæ euidenter credibilia sunt, non quidem euidentia Mathematica, aut naturali, sed morali, quæ satis est, vt sic proposita reiici sine crimine non possint.

Exponuntur Patrum dicta.

Nec certe Hieronymus, aut Augustinus aliud volunt, quam res, quæ proprie sunt fidei, distinctius, profundius, & extensius intelligi a doctis intra terminos ineuidentiæ, quam a simplicibus: eaque, quæ hoc pacto discuntur in terris, perseueratura quidem esse in cœlis; non tamen eodem modo, sed alio sublimiori, vtpote euidenti, & longe excellentiori. Adde hos Patres, & alios, qui fideles aiunt tunc proficere in fide, cum ad scientiam perueniunt, non tam loqui de scientia Theologorum, quam de interiori sensu spiritualium virorum, qui dum ea, quæ sunt fidei, cum beatissima Virgine in cordibus suis tum inter ipsa conferunt; tum etiam cum iis, quæ vident, & naturali lumine intelligunt, coram Deo in oratione meditantur: multo profundius sæpe, vberius, & vtilius ea penetrant, quam plurimi Theologi, longo etiam in eis studio posito.

Luc. 2.

Theolog. non esse scient. tenent Scot. q. 3 pro. Dur. q. 1. Och. q. 3. Gab. q. 7. ar. 1. Greg. q. 1. 4. Marsil. q. 2. ar. 3 con. 7 Maior q. 4. Mairo. q. 14. Bassol. q. 5. ar 3.

Scotus, Durandus, & nominales, aliique his recentiores sentiunt sacram Theologiam Viatorum nec vere, nec proprie esse scientiam: id quod eorum alii ex eo probant, quia vera, & proprie dicta scientia debet procedere ex principiis per se notis, hoc est, per se euidentibus, aut ex iis, quæ in eiusmodi principia resolui possint: qualia principia non sunt fidei articuli, ex quibus hæc Theologia procedit. Itemque ex eo, quia vt principia probabilia non gignunt nisi opinionem, ita nec principia credita nisi credulitatem, seu assensum fidei. Tum etiam ea ratione, quia, vt Aristoteles docet, ii qui scientiam habent, plane sciunt se scire, idque aliis docendo persuadere possunt: Theologi autem se scire ostendere nequeunt. Alii addunt hanc rationem, quod vera, & proprie dictæ scientia, non sit de contingentibus, sed de necessariis; Theologiam vero sacram esse de multis contingentibus, iisque in ea præcipue consideratis.

1. post. c. 2. tex. 5. & 1. met. ca. 1.

Esse scien. subalternatam D. Th. 1. p. q. 1. art. 2. & de verit. q. 14. ar. 9. ad 3. & alib. Caiet. cit. loc. 1. p. Cap. q. 1. prol. ar. 1 concl. 3. Canus. q. 12. de locis c. 2. Heru. quodl. 11. q. 18.

D. Thomas contra videtur existimare, eam scilicet esse vere, ac proprie scientiam, non tamen ex numero earum, quæ dicuntur subalternantes, sed ex iis, quæ dicuntur subalternatæ: quod idem sentiunt Caietanus, Capreolus, & alii complures eius doctrinæ sectatores. Priorem partem ea ratione ostendunt, quia subalternantes vtuntur principiis per se notis intra suos ipsarum fines; Viatorum autem Theologia non item. Posteriorem ex eo probant, quia principia Theologiæ Viatorum fiunt euidentia in Theologia Beatorum per claram, & euidentem diuinæ essentiæ contemplationem. Atque hac ratio-

ne re-

A ne respondent hi Autores prioribus tribus argumentis superioris sententiæ, quę locum nō habent, nisi in scientiis subalternantib. Quartum autem ea ratione diluunt: quia etsi contingentia non cadunt sub scientias, quę naturali lumine acquiruntur: cadunt tamen sub diuinam scientiam, ac proinde eadem possunt sub scientiam reuelatam, qualis est sacra Theologia:

Argumenta contra sent. D. Thomæ.

B Superioris tamen sententiæ autores contra hanc subalternationē Theologię a D Thoma vsurpatam, vt eam faceret scientiam, sic obiiciunt. Primum, quod nihil conferat scientiæ subalternatæ, vt sit vera, & proprie dicta scientia, si eius principia demonstrentur in subalternante & tum sumantur vt credita duntaxat in subalternata: sola enim fide tenebuntur cōclusiones subalternatæ quemadmodū & principia, ex quibus deducuntur: hoc autem modo se habet Theologia Viatorum ad Theologiam Comprehensorum.

C Deinde, quia scientia vere subalternata cōtinuari potest cum scientia subalternante, & esse cum illa simul in eodem subiecto: quod Theologiæ nostræ cum Theologia Beatorū contingere non potest, & ratione fidei, cui innititur, & ratione ipsius Theologiæ, quæ ex ea pendet, quarum neutra manebit in Patria: nam & ipsam Theologiæ scientiam affirmat Paulus non remansuram, cum ait, *Siue scientia destruetur*: id enim de scientia quæ per demonstrationem habetur, intelligi non potest.

1. Cor. 13.

D

Vide lib. 4. c. 1. q. 2.

Tertio, quia Theologiæ nostræ comparatione Theologiæ Beatorum non conueniunt conditiones subalternatæ scientiæ, quarum tres potissimum tradi solent. Vna, vt principia subalternatæ demōstrari possint per principia subalternantis: quæ conditio tacta est in argumentis propositis. Altera, vt passiones subiectorum pertinentiū ad subalternantem demonstrari etiam possint de subiectis pertinentib. ad subalternatam: vt passio, seu propria affectio trianguli simpliciter de triangulo visuali: id quod in Theologia Viatorū fieri non potest, cum nihil eorum, quæ per se ad fidem pertinent, possit in ea euidenter probari. Tertia, vt subiectum subalternatæ addat subiecto subalternantis aliquid accidentarium pertinens ad aliam scientiam: quo pacto numerus sonorus addit numero, *sonorum*, quod ad Physicā spectat: id quod in subiecto Theologiæ Viatorū comparatione subiecti Theologiæ Comprehensorum non cernitur: idem n. est vtriusq; subiectū, nempe Deus, vt Deus est, quatenus spectatur, non vt relucet in creaturis, sed vt ipse in se est, seu (*quod eodem recidit*) quatenus consideratur sub ratione abstracti ab omni omnino potentialitate, vt supra dictum est. Nam, quod nonnulli volunt, subiectum Theologiæ Viatorum addere subiecto Theologiæ Beatorum differentiam obscure reuelati, seu cogniti, non recte dicitur, cum hæc differentia non sumatur ex parte subiecti, vt sumenda ex accidētaria differentia subiecti scientiæ subalternatæ, sed ex parte luminis, quo subiectum cognoscitur.

Quonam pacto dicatur sacra Theologia scientia subalternata.

SECT. VII.

Conciliantur sententia D. Thomæ, & Scoti.

Verum, si quis recte animaduertat, intelliget profecto non esse inter tantos Doctores in re ipsa dissensionem: tametsi magis probanda videatur ratio loquendi Diui Thomæ. Nam quod omnes re ipsa in eo consentiant, vt putent illam, quoad ea, quæ per se sub fidem cadunt, non esse vere ac proprie scientiam, ex eo plane intelligitur, quod cum actus sciendi simpliciter & absolute dictus duobus modis sumi possit, vno communissime, vt est certus, & euidens assensus: altero, vt acquiritur per demonstrationem a Philosophis traditam: (*quod initio totius huius disputationis de scientia diximus*) perspicuum est, nullum ex vtraq; classe Doctorem concessurum esse, dari posse in Theologia nostra quoad per se credita huiusmodi sciēdi actum: sunt enim omnes eius actus vel fidei, si sunt assensus principiorum illius vel ex fide pendentes, si sunt assensus conclusionum. *q. 1. sect. 6.*

Non esse in Theologia quoad per se credi[illegible]

Eam non esse proprie scien. subalternatam.

Quod item omnes re ipsa credant illā non esse vere, ac proprie scientiam subalternatam ex eo constare potest, quia scientia subalternata, vt talis est, non potest habere statum scientiæ, nisi cum eius principia resoluuntur in principia subalternantis, vt omnes concedunt. Dico autem [vt talis est], quia alia ratione non dubium est, quin subalternatæ scientiæ habere possint statum scientiarum: vt si earum principia, aut conclusiones demonstrentur per effecta: aut sumantur per experientiam, in qua nulla instātia reperiatur. Cum igitur principia nostræ Theologiæ resolui nō possint in principia Theologiæ Beatorum, dū Viatores sumus: nec vero possint ex effectis demonstrari, aut per experientiā accipi: quia nulla effecta nobis euidentia possunt facere euidentem vllum per se fidei articulum: illud plane efficitur, nullum vtriusvis partis autorem admissurum Theologiam nostrā, siue vt subalternata est, siue alia ratione, habere in nobis statum scientiæ, ac proinde nullum dicturum, esse vere ac proprie scientiam subalternatam.

Si quis

Obiectio. Scot. quodl. 7 Gabr. q. 1. prol. ar. 3. Caiet. 3. p. q. 11. ar. 1. & cõmuniter recent.

Si quis autem obiiciat, posse Viatores absoluta Dei potestate habere euidentem notitiam eorum omnium, quæ per se ad fidẽ pertinent, non tamen intuitiuam, sed abstractiuam, vt est probabilior Theologorum sentẽtia: (*quam notitiam habuit Christus Dominus per scientiam infusam excellentius compensantem in eo fidem, quæ in eo esse non poterat, & vt quidam volunt, in Paulo post raptum, in quo multorum sententia diuinam essentiã intuitus est*) ergo non esse de ratione Theologiæ Viatorum ineuidentiam; quandoquidem non dubium est, quin ea scientia vere & proprie Theologia Viatorum fuerit: hunc in modum respondendum est.

Responsio.

Nobis hoc loco non esse sermonem, nisi de Theologia pure Viatorum; non alicuius, qui simul comprehensor fuerit, vel simpliciter, vt erat Christus Dominus, vel in transitu quodam, vt de Paulo dicitur; neque item de extraordinaria Theologia, singularive, qualẽ crediderim fuisse illam Christi Domini; nec deniq; de alia Theologia, quam de ea, quæ vtcunque subalternata est scientiæ Beatorum, & per se non habet euidentiam, qualis non erat illa Christi Domini scientia: neque enim dubium videtur, quin alia Theologia extraordinaria in nobis esse posset, cum in thesauris diuinæ potentiæ aliæ plurimæ sciendi formæ, quas de rebus habere possemus, reconditæ sint.

Omnẽ Christi Domini cognitionẽ fuisse euidentem.

Ita patet nullam esse posse inter vtrosque auctores de re ipsa in hac cõtrouersia dissensionem: omnes enim re vera credunt Theologiam pure Viatorum neq; esse veram & proprie dictam scientiam, nec proprie subalternatam: modo excipiantur recentiores quidã, qui putãt euidentiã non esse de ratione sciẽtiæ, contenti sola certitudine: quorũ sententia turbat omnia, quæ à principio harum disputationum dicta sunt; nec ponit celebre illud discrimen inter scientiam, & fidem, quod per euidentiam, & inceuidentiã cõstitui solet.

Præfertur modus loquẽdi D. Thomæ.

De modo autem loquendi propterea magis probauerim modestiam D Thomæ, quod nec prorsus neget esse scientiã, aut scientiam subalternatam, vt ferme autores prioris classis: neq; expresse affirmet esse vere ac proprie scientiam, vt multi posteriores. Cum n quæsiuisset initio primæ partis summæ Theologiæ, An sacra doctrina pro Theologia Viatorum accepta esset scientia? non simpliciter & absolute respondit, esse scientiam, sed, esse scientiam subalternatam scientiæ Dei, & Beatorum. Id enim negare nõ potuit Caietanus, dum verba D Thomæ exponit cum alioquin minus recte adhibitis quibusdam distinctionibus simpliciter, & absolute iudicet eam esse vere, ac proprie scientiam.

q. 1. ar. 2.

Aperitur melius eius mẽs.

A Hoc vt melius intelligatur, aduertendum est, scientiam subalternatam, quatenus vtitur principiis à subalternante acceptis, nec dum tamen demonstratis per principia subalternantis, etsi habet modũ aliquẽ scientiæ, quatenus ex iis principiis deducit suas conclusiones: non habere tamen simpliciter, & absolute veram, & propriam scientiæ rationem: id quod D. Thomas in fine responsionis satis innuit, & in quæstionibus de veritate, aliisq; locis planius affirmat: idq; ex eo, q eo pacto nõ vtatur principiis per se notis, aut demonstratis, sed creditis duntaxat.

Cit. ar. 2. & de verit. q. 14 ar. 9. ad 3. & super Boetiũ de Trinit. q. 2 ar. 2.

B Quod cum ita sit, constetq; huiusmodi principia non resolui in claram diuinæ essentiæ contemplationem: (*quod à Viatoribus, vt Viatores sunt, fieri nequit*) perspicuum est idem esse in subiecta materia respondere, Theologiam Viatorum esse scientiam subalternatam, atque dicere, non esse sc ẽtiam simpliciter, sed habere modum scientiæ. C Nam si vere, ac proprie scientiam esse credidisset, aut vere ac proprie scientiæ Beatorum subalternatam, prius vtique ostendisset eam habere veram, & propriam rationem scientiæ, etiamsi euidens non esset: tum deinde docuisset esse vere ac proprie subalternatã, tametsi continuata non esset cum clara diuinæ essentiæ contemplatione, quæ est principium resolutiuum scientiæ Beatorum: at neutrum fecit, sed addidit in responsione differẽtiam D subalternatæ ex principiis creditis, vt non scientiam simpliciter, sed scientiam subalternatam esse cõcluderet, additione videlicet modeste diminuẽte rationem scientiæ in proposita materia. Atque hoc quidem recte atque consulto fecit, vbi vera ratio scientiæ à Theologis expenditur.

Monstratur bonum esse, & vsurpatũ hunc loquendi modum.

At vbi res hæc accurate non exquiritur, merito communem, & vulgatam loquendi rationem sequitur D. Thomas, vt sacram E Theologiam sine additione scientiam appellet, ac proinde simpliciter sciẽtiam subalternatam. Nam & Scriptura sacra, cum de accuratiori doctrina fidei innixa sermo incidit, eã appellat absolute scientiam, vt apud Hieremiam: *Dabo*, inquit, *vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina*: & Christus Dominus apud Lucam: *Væ vobis legis peritis, quia tulistis clauem scientiæ*, & cætera. Quam consuetudinem sancti Doctores F passim sequuntur, & eo fidentius, quod & ipsam fidem videant in sacris literis nonnunquam scientiam appellari, vt cum illa in cantico Zachariæ dicitur scientia salutis. Multis aliis de causis potest Theologia sacra in communi sermone simpliciter, & sine additione scientia appellari. Primũ quia vt iam dictum est, eodem modo, quo aliæ scientiæ, tractatur

Cap. 3.

cap. 11.

Vt Augustin. 14. de Trinit. c. 1 & lib. 12. c. 14.

Fidem etiam in sacris literis scient. dici. Luc. 1.

I cum

cum deducat suas conclusiones ex principiis obseruatis in omnibus rebus eisdem differendi formulis, quas aliæ disciplinæ obseruant. Deinde, quia est habitus acquisitus, perinde ac cœteræ scientiæ, tametsi supernaturali cõcursu fidei, qua eius continentur principia. Tertio, quia etsi non habet assensum euidentem, habet tamen tanto maiorem certitudinem, vt eius compensatione omnem euidẽtiam aliarum scientiarum superet. Quarto, quia & aliæ subalternatæ facultates, etiam cum adhuc sola fide subalternantium artificum tenentur, scientiæ sine additione appellantur. Postremo, quia cum quinque tantum à Philosophis tractentur habitus, quib. semper verum asseratur, ars, prudentia, scientia, intellectus, & sapientia, quæ est perfecta scientia; nullo eorum vocabulo aptius appellari potest sacra Theologia, quam scientiæ, & sapientiæ: quemadmodum fides vocari potest intellectus, quo habitus principiorum significatur.

Arist. 6. Eth. c. 3.

Theolog. vocari posse sapientiam, fidem intellectum.

Satisfit arg. contrariis.

Quæ autem obiiciebantur contra D. Thomam, nihil reipsa eius sententiæ aduersantur, cum ille non putet Theologiam Viatorum esse proprie scientiam, si res accurate expendatur; sed scientiam subalternatam principiis tantum creditis innixam, quæ est additio minuens scientiæ rationem: tametsi ne sic quidem existimat esse scientiam subalternatam ratione subiecti contracti per differentiam accidentalem extraneam, cum idem omnino sit, & ab eo esse credatur, subiectum scientiæ Beatorum, & Viatorũ: etsi rationes per quas idem in vtraque cognoscitur, diuersæ sint, vt superius ostensum est. Si tamen nostra Theologia sumatur, quatenus est practica, non dubium est, quin ea modificatione, qua dicitur scientia, subalternata quoq; ratione finis dici possit: quod est primum subalternationis genus à nobis quarto libro explicatum: est enim directiua operum, quibus clara diuinæ essentiæ contemplatio obtinenda est.

Cap 1. q. 2. sect. 2.

Quo pacto Theologia nostra ad fidem, & ad alias scientias se habeat.

SECTIO VIII.

Illvd vltimo loco operæpretium erit paucis colligere, quonam pacto Theologia sacra, quæ in nobis est, & ad alias scientias, & ad fidem se habeat. Ac quod attinet ad comparationem eius cum cœteris scientiis, in eo omnes conueniunt, quod eisdem sciẽdi, & omnino differendi formis vtantur; nisi quod Theologia Beatorũ nõ habet formaliter successiuos discursus, aliosue differendi progressus temporarios, cum Beati omnia simul cõtueantur in ipsa diuina essentia: tametsi virtute, & consideratione nostra discurrere in vsu eius scientiæ videantur, quemadmodum in naturali etiã Angelorũ, & animarum separatarũ Theologia multis in rebus id euenit. Discursus enim formalis, & successiuus progressus temporarius in scientiis, accidentarij sunt, vt supra diximus, & qui virtualibus progressibus excellentius compensantur.

In quo cum reliquis scientiis conueniat.

A

B Differt autem multis ex partibus à cœteris scientiis. Primum ex parte subiecti materialis, siue rei, de qua agit, præterquam à Theologia Beatorum: agit enim de solo Deo vt huiusmodi subiecto, quemadmodum & Beatorum Theologia; cum tamen nulla omnino aliarum scientiarum de Deo solo agat.

In quibus differat. Primum discrimen.

Deinde ex parte rationis formalis, per quã & subiectũ cognoscit, & cœtera omnia, quæ ad illud reducuntur, plane ab omnibus aliis scientiis distinguitur: sola. n. auctoritate Dei testificantis id facit; cum tamen cœteræ omnes scientiæ, etiam illa Beatorum, per ipsas essentias rerum, quas considerant, aut per earum causas, vel effecta, rationesve intrinsecas à priori, aut posteriori id præstent.

Secundum.

C

Tertio ex parte rationis formalis, sub qua suum subiectum considerat, quam diximus esse completam eius abstractionem ab omni potentialitate. Nam etsi hoc pacto non distinguitur à Theologia Beatorum, cum vtraque agat de Deo, non vt relucet in creaturis, sed vt est in se, qua ratione complete consideratur, vt actus purus; tamen ab aliis omnib. hac ratione secernitur. Neq; obest, quod non hoc pacto distinguatur à Beatorum Theologia, cum satis sit, quod ab ea distinguatur ratione, per quam Deus cognoscitur, quam in Theologia Viatorum diximus esse solum diuinum testimonium; in illa autem Beatorum ipsam diuinam essentiam clare conspectam. Adde, quod Theologia nostra non est scientia simpliciter, sed cum additione minuente, vt dictum est.

Tertium.

D

E

Postremo ex parte principiorum, & conclusionum manifeste distinguitur ab omnib. aliis scientiis, cum principiis ineuidentibus vtatur, conclusionesque ineuidentes concludat, cœteræ autem omnes euidentia principia, & conclusiones habeant. Atque hæc de comparatione Theologiæ nostræ cum cœteris scientiis.

Quartum.

F

Quo autem pacto se ad fidẽ habeat, hinc perspici potest, quod etsi vtraque supernaturalis est, quia ad neutram gignendam naturales causæ sufficiunt; attamen fides est habitus principiorum, quibus Theologia nostra vtitur; ipsa vero nostra Theologia est proprie habi-

Quo pacto cum fide conueniat & ab ea differat.

habitus conclusionum: illa à Deo infunditur: hæc à nobis concurrente etiam illa acquiritur, illa non ad alia pronuntiata immediate inclinat, quam ad ea, quæ à Deo expresse reuelantur: hæc vero ad ea, quæ ex reuelatis deducuntur: illa sola autoritate Dei reuelantis contenta est, hæc variis considerationibus, & discursibus ad nouas conclusiones vtitur, illius oppositum est hæresis: huius autem conclusionum opposita, erronea quidẽ esse possunt, hæreses autem formaliter non sunt, donec Ecclesiæ autoritate conclusio aliqua Theologica de fide esse declaretur, cuius oppositam esse hæresim formaliter sit necesse quicquid contra Scotus, & alij nonnulli sentiant, dum credant omnem conclusionem Theologicam, quæ ex vtraque sumptione de fide manifeste deducitur, esse formaliter de fide: quod ideo nõ placet, quia habitus fidei, à cuius assensu propositiones dicuntur formaliter de fide, est habitus principiorum, vt dictum est: in nulla autem disciplina habitus principiorum sunt iidem cum habitib. conclusionum.

Scot. in 3. d. 35. & Aragõ. 2. 2 q. 11. ar. 2 ex Ioan. de Turrecrem.

Conclus. Theologicas non esse formaliter de fide.

Caietanus, & quidam alij recentiores addunt, fidem non mansuram in Patria; Theologiam vero maxime: quod etsi vtcunque verum esse potest, sumpta Theologia, vt est communis nostræ, & Beatorum Theologiæ: (*dico autem* [vtcunque] *quia non est communis vniuoce, sed Analogice*) non est tamen verum de ipsa nostra Theologia, cuius conclusiones, cum ex ineuidentibus principiis probentur, aut saltem ex aliquo ineuidenti, ineuidentes & ipsæ per se, & natura sua sint, necesse est: quo fit, vt quemadmodum fides cum Theologia Beatorum esse non potest: ita nec Theologia à Viatoribus acquisita: quorum vtrumq; à Paulo doceri, superius ostensum est.

Ad 1. p. q. 1. art. 2.

Theologiã nostram nõ manere in Patria.

1. Cor. 13.

Sect. 6.

Si quis autem petat, quales nam sint Theologiæ nostræ discursus, breuiter dicendum est, præcipuum quidem eorum genus esse, cum ex vtraque sumptione de fide conclusio manifeste deducitur: secũdum autem locum habere eum, qui ex vna de fide, & altera naturali lumine per se nota, aut demonstrata, manifeste colligitur. Nam si cum vna est de fide, altera sit tantum probabilis: aut sensus eius, quæ de fide est, nondum sit certus, & exploratus, sed tamen verus esse videatur: aut consequentia non sit euidens, sed probabilis: conclusio nõ erit proprie Theologica, sed poterit ad Theologicam reduci, quia erit de probabili tantum conclusione, pertinente tamen ex parte ad materiam Theologicam. Cæteri discursus, qui sine vlla propositione de fide, aut quæ de fide esse videatur, adhibentur à Theologia ad aliquid probandum, siue illi sint demonstratiui, siue dialectici, ac probabiles, quia communes erunt, & non in materia, quæ proprie Theologica sit, alia ratione ad Theologiam reduci potuerunt, si sint de rebus pertinentibus ad obsequium fidei, aut de virtutum operibus, quæ à nobis ad supernaturalem beatitudinem diriguntur: cuiusmodi sunt demonstrationes, & aliæ rationes, præsertim efficaces, quibus aliquid ostenditur de Deo, de Angelis, de anima, & bonis moribus.

Quinã discursus sint proprie Theologici qui reductitij.

Si quis demum petat, quid sit causæ, cur D. Thomas, & alij graues Theologi hac ratione distinguant subiectum Theologiæ nostræ ab obiecto fidei, quod subiectum Theologiæ sit Deus, vt Deus est: fidei autem sit prima veritas, vt veritas prima est: cum vterque habitus videatur habere idem obiectum, quod respectu Theologiæ dicitur subiectum propter attributa, quæ de eo demonstrantur: si quis, inquam, id quærat, hunc in modum respondendum videtur, subiectum Theologiæ nostræ idem prorsus esse, quod fidei: id quod ex eo plane ostenditur, quia in nostra Theologia fides est habitus principiorum: ipsa vero Theologia est habitus conclusionum, vt dictum est: at subiectum conclusionis, in qua aliquid concluditur de Deo ex principiis fidei, idem omnino est in conclusione, atque in altera præmissarum, vt est luce clarius, siue sumatur, vt res est, siue vt subiectum est. Cur autem varie vsurpetur, vt est subiectum Theologiæ, & vt est obiectum fidei, hæc videtur esse ratio: quia Theologia quemadmodum de Deo, vt Deus est, agit: ita & à Deo ipsa nominis etymologia dicitur: fides autem, cum veritati testificantis innitatur, & ab ea nominetur: (*fides enim dicitur, quod per eam fiat, quod dictum est*) merito primam veritatem pro obiecto habere dicitur. Vtraque tamẽ & fides, & Theologia circa Deum, vt Deus est, & circa primam veritatem, vt prima veritas est, versatur: siue Deus, vt est subiectum Theologiæ, & obiectum fidei, sumatur, vt res est, siue vt subiectum, & obiectum est. Nam Deus, vt res est, plane est prima veritas in essendo, seu primæ veritatis fundamentum, quiq; solus adæquat perfectum conceptum entis: vt autẽ formale Theologiæ nostræ subiectum, & fidei obiectũ est, hoc est quatenus consideratur quoad rationẽ, per quam illum vtroq; habitu & fide & Theologia cognoscimus: plane est primũ, ac infallibile testificans, quod est esse primã veritatẽ in dicendo, seu testificando. Quicqd. n. de eo & hac Theologia, & fidei habitu nouimus, ei⁹ solius testimonio cognoscimus Atq; hæc de scientia, deq; eius diuisione sint satis.

Dubium.

Ita D. Th. 2. 2. q. 1. art. 1. Caiet. & recent. ib. Capr in 3. d. 25. Rich. d. 24. q. 5.

Resoluitur. Subiectum Theolog. & fidei idem.

Cur tamen varie vsurpetur.

ΚΕΦ. Β. | Caput II.

Ἀλλ᾽ a ἐπεὶ τὸ ὂν τὸ ἁπλῶς λεγόμενον λέγεται πολλαχῶς (ὧν ἓν μὲν ἦν τὸ κατὰ συμβεβηκὸς, ἕτερον δὲ τὸ ὡς ἀληθὲς, καὶ τὸ μὴ ὂν ὡς τὸ ψεῦδος: παρὰ ταῦτα δ᾽ ἐστὶ τὰ σχήματα τῆς κατηγορίας, οἷον τὸ μὲν τί, τὸ δὲ ποσὸν, τὸ δὲ ποιὸν, τὸ δὲ πού, τὸ δὲ ποτὲ, καὶ εἴ τι ἄλλο σημαίνει τὸν τρόπον τοῦτον: ἔτι παρὰ ταῦτα πάντα τὸ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ) ἐπεὶ δὲ πολλαχῶς λέγεται τὸ ὂν, πρῶτον b περὶ τοῦ κατὰ συμβεβηκὸς λεκτέον ὅτι c οὐδεμία περὶ αὐτὸ ἐστι θεωρία. σημεῖον δὲ, οὐδεμιᾷ γὰρ ἐπιστήμῃ ἐπιμελὲς περὶ αὐτοῦ, οὔτε πρακτικῇ, οὔτε ποιητικῇ, οὔτε θεωρητικῇ, οὔτε γὰρ ὁ ποιῶν οἰκίαν, ποιεῖ ὅσα συμβαίνει ἅμα

τῇ

SED a *cum ens, quod simpliciter dicitur, multis modis dicatur* (aliud enim erat per accidens, aliud vt verum, & non ens, vt falsum; ad hæc autem prædicationis figuræ, veluti Quid, Quale, Quantum, Vbi, Quando, & si quid aliud hoc modo significat; & præter hæc omnia, quod potentia est, & quod actu) *cum ens, inquam, multis modis dicatur; primum* b *quidem de eo, quod per accidens dicitur, id statuendum est, nullam* c *de eo considerationem existere. Signum eius rei est, quod illud nulla scientia cura sit, neque actiua, neque effectiua, neque etiam contemplatiua. Neque enim qui domum ædificat, efficit, quæcunque facta domui simul accidunt*

CAPITIS SECVNDI EXPLANATIO.

Quomodo reiiciantur à consideratione metaphysici entia tū per accidens, tū rationis.

SED *cum* a *ens.*] Docuit Aristoteles capite superiori, quo pacto primus Philosophus agat de ente, eiusque principiis, & affectionibus: nunc reiicit ab eius consideratione entia per accidens, & entia rationis; non omnino tamen, sed eo modo, quo initio attactum est. Neque enim de his ea ratione agendum est hoc loco; vt omnino caueantur, ac reiiciantur, quo pacto Dialecticus agit de captionibus Sophistarum, aut Medicus de venenis, vt quidam hoc loco dicunt; *de multis enim entibus per accidens & rationis agunt Philosophi, quia ad cognitionem entium per se & realium conducunt*) sed vt intelligatur eorum ratio, & natura in communi, qualiscunque ea sit; vt si quando dubitatio incidat, sitne res proposita ens per se, an per accidens? reale, an rationis? id ex communibus eorum rationibus intelligi possit. Id autem vt faciat, repetit paucis tripartitam illam diuisionem entis simpliciter dicti, hoc est, vniuersaliter accepti, quam partē proposuerat, partim innuerat superiori lib. cap. 7. prima erat in ens per accidens, & per se, quod in prædicamenta diuiditur; secunda in ens rationis, (quod nomine veri, & falsi intelligendum esse voluit) & reale; tertia in ens potentia, & actu.

tex. 14.

b P*rimum quidem*] Repetita generali diuisione entis docet primū communibus argumentis nullam scientiam agere de ente per accidens; deinde inuestigata, quo ad fieri potest, natura huiusmodi entis, elicit ex ea propriam & germanam causam, cur eius non sit scientia; tertio agit de natura eius entis, quod dicitur verum, & eius oppositi non entis; postremo reiicit vtrumque genus entis à consideratione primi Philosophi.

Nullam scientiam agere de entib. per accidens.

c N*ullam de eo,*] Et inductione quadam, & duabus communibus rationibus ostendit, nullam scientiam agere de ente per accidens. In actiuis exemplum esto. Politicam non agere de iis quæ contingenter accidunt Reipublicæ, veluti, sit ne coacta ex hominibus proceræ staturæ, an breuis, vel huius, an illius coloris.

Tum quia sunt incerta.

d *Cum infinita sint.*] Prior ratio communis, quæ obiter inseritur, hæc est, quia infinita, hoc est, incerta sunt, quæ per accidens eidem conuenire possunt: quæ autem sub scientiam cadunt, finita sunt, siue certa. Quo loco aduerte ea, quæ per se cuique rei conueniunt, ideo certa esse, quia vel in essentia illius, quæ certa est, & definita, continentur, vel ex ea profluunt. At quæ per accidens cōueniunt, cum aliunde proueniant, nihil prohibet esse incerta: quo pacto nihil prohibet domum confectam esse diuersam per accidens ab omnibus pene rebus. Dixi [*Diuersam per accidens*] quia illa, à quibus quæ res est diuersa per se, certa sunt, & minime dubia; quippe cum semper sit ab illis diuersa: at illa, à quibus est diuersa per accidens, non sunt certa, quia fieri potest, vt sit eadem cum illis: domus enim cum non est alba, diuersa est per accidens ab albo: cum vero est alba, est idem per accidens cum alba. Atque hæc est causa, cur diximus [ab omnibus pene rebus] & non [ab omnibus omnino:] est enim domus eadem per accidens cum iis omnibus quæ de ipsa prædicantur per accidens, vt cum albo, iucundo, vtili, & similibus: quæ tamen perpauca sunt comparatione aliorum, quæ de ipsa dici possunt.

e *Quorum nullius.*] Quod ars ædificatoria nihil efficiat eorum, quæ per accidens domui factæ conueniunt, intelligendum est de effectione per se, quam solam tradunt effectiuæ artes. Nihil

enim

enim prohibet, quominus illa pleraque efficiant per accidens, quæ rebus per se effectis per accidens conueniunt, eiusmodi sunt omnia vitia rerum artificiosarum, quatenus artificiosæ sunt.

τῇ οἰκίᾳ γιγνομένῃ, ἄπειρα d γάρ ἐστι· τοῖς μὲν γὰρ ἡδεῖαν, τοῖς δὲ βλαβεράν, τοῖς δ' ὠφέλιμον οὐδὲν εἶναι κωλύει τὴν ποιηθεῖσαν, καὶ ἑτέραν, ὡς εἰπεῖν, πάντων τῶν ὄντων· ὧν c οὐθενός ἐστιν ἡ οἰκοδομικὴ ποιητική. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον, οὐδ' ὁ γεωμέτρης θεωρεῖ τὰ οὕτω συμβεβηκότα τοῖς σχήμασιν, οὐδ' f εἰ ἕτερόν ἐστι τὸ τρίγωνον καὶ τρίγωνον δύο ὀρθὰς ἔχον. καὶ g τοῦτ' εὐλόγως συμπίπτει· ὥσπερ γὰρ ὀνόματί τι μόνον τὸ συμβεβηκός ἐστι. διὸ Πλάτων τρόπον τινὰ οὐ κακῶς περὶ τὴν σοφιστικὴν τὸ μὴ ὂν ἔταξεν. εἰσὶ γὰρ οἱ τῶν σοφιστῶν λόγοι περὶ τὸ συμβεβηκός, ὡς εἰπεῖν, μάλιστα πάντων· πότερον h ἕτερον ἢ ταὐτὸν μουσικὸν καὶ γραμματικόν, καὶ i μουσικὸς Κορίσκος καὶ Κορίσκος· καὶ k εἰ πᾶν ὃ ἂν ᾖ, μὴ ἀεὶ δέ, γέγονεν, ὥστ' εἰ μουσικὸς ὢν, γραμματικὸς γέγονε, καὶ γραμ-

cidunt, cum d infinita sint: nihil enim prohibet, quominus constructa domus aliis sit iucunda, aliis molesta, aliis vtilis, & ab omnibus pene rebus diuersa, quorum c nullius effectiua est ars ædificandi. Eodemque modo nec Geometria considerat ea, quæ hoc pacto figuris accidunt, nec f vtrum aliud sit triangulus, aliud triangulus duos habens rectos. Ac g rationi consentaneum est, vt hoc eueniat, quasi enim solo nomine accidens constat. Quocirca non male quodammodo Plato ipsum non ens Sophistarum arti subiectum esse dixit: in accidente enim, prope dicam, maxime omnium versantur Sophistarum rationes, quales sunt huiusmodi: Est h ne diuersum, an idem Musicum & Grammaticum. itemque i Musicus Coriscus, & Coriscus ipse? Non k ne quicquid est, non semper autem fuit, id factum est? Vnde colligunt, si is, qui est Musicus, factus est Gram-

f *Nec vtrum aliud.*] De triangulo materiali, vt de ligneo, aut lapideo intelligendum est hoc priori loco verbum trianguli, vt post Alexandrum omnes fere exponunt, seu (*quod idem est*) de triangulo sensibili: nomine autem trianguli habent s duos rectos intelligendus est triangulus Mathematicus, in quo sola per se accidentia spectantur, quale est habere duos rectos, hoc est, angulos omnes duobus rectis pares. Non considerat igitur Geometria, sitne triangulus sensibilis aliud à triangulo Mathematico, seu secundum se spectato, quia per accidens cõuenit triangulo secundum se spectato, vt sit sensibilis, seu in materia sensibili ex stens.

g *Ac rationi consentaneum.*] Secunda ratio communis, quæ perspicue ab Aristotele inducitur, hæc est: Quia ens per accidens fere solo nomine constat, cum tamen reales scientiæ, de quibus hic est sermo, non de nominibus, sed de veris rebus differant. Quod autem ens per accidens veluti solo nomine constet, seu (*quod eodem redit*) proprie accedat ad non ens, probat Aristoteles auctoritate Platonis in Sophista, quo loco, vt Aristoteles interpretatur, ea de caussa dixit Plato Sophistam versari circa non ens, quia maxima ex parte versatur circa ens per accidens, cum præcipue vtatur fallacia accidentis, quæ est omnium aptissima ad decipiendum, vt patet ex priori Elenchorum libro. Potius tamen crediderim Platonem dixisse eo loco Sophistam versari circa non ens, quia cum non tradat veram, sed apparentem scientiam, neque vtatur veris demonstrationibus, sed fucatis, & ad fallendum compositis, non concludit id, quod verum est, sed falsum, ac proinde non id, quod est, sed id quod non est.

Tum quod proxime accedant ad nõ entia.

Auctoritate Platonis id probatur.

Cap 4. & 5.

Sophistam versari circa non ens.

h *Estne diuersum.*] Ratio Sophistarum ex hac interrogatione sic extruitur. Nõne semper Musicum est aliud à Grammatico? est enim scientia eorum diuersa. Nonne aliquãdo Musicum est idem, quod Grammaticum, vt si Musicus fiat Grammaticus? ergo cum ita res habeat, aliquando Musicum erit aliud à se ipso. Nihil tamen colligit hæc ratio, quia alietas, seu diuersitas sumitur in priori sumptione pro diuersitate per se, identitas autem in posteriori pro identitate per accidens, nempe ratione subiecti, ex qua identitate vitium rationis nascitur.

i *Itemque Musicus.*] Ex hac quoque interrogatione sic argumentabantur illi. Nonne semper Coriscus Musicus est aliud à Corisco ipso per se sumpto, cum semper ratio vnius sit alia à ratione alterius? Nonne item Coriscus ipse aliquando est idem, quod Coriscus Musicus? est enim semper Coriscus, & aliquando est Musicus. Ergo non est negandum, quin Coriscus ipse sit aliud à seipso. Nihil etiam colligit hæc ratio, quia eodem vitio laborat, quo superior.

k *Nonne quicquid est.*] Hæc ratio sic extrui potest. Quicquid est, non semper autem fuit, id factum est, Socrates autem Musicus est Grammaticus, nec semper fuit Grammaticus; ergo Socrates Musicus factus est Grãmaticus: at idem sunt Socrates Musicus, & Socrates Grãmaticus: ergo si Socrates Musicus factus est Grãmaticus, Socrates etiã Grammaticus factus est Musicus: quia pugnant inter se Nam si Socrates Grammaticus factus est Musicus, prius sane fuit Grammaticus,

maticus, quam esset Musicus; si autem Socrates musicus factus est Grāmaticus, prius vtiq; fuit Musicus, quam esset Grammaticus: quæ duo simul stare non possunt. Hæc ratio ideo captiosa est, quia Socrates Musicus, & Socrates Grammaticus non sunt idem per se, sed per accidens, seu (*quod eodem redit*) non sunt idem ratione sed subiecto. Alii aliter extruunt propositam rationē, sed minus accommodate ad verba contextus.

γραμματικὸς ὢν μουσικός. καὶ ὅσοι δὴ ἄλλοι τοιοῦτοι τῶν λόγων εἰσί. φαίνεται γὰρ τὸ συμβεβηκὸς ἐγγύς τι τοῦ μὴ ὄντος: δῆλον l δὲ καὶ ἐκ τῶν τοιούτων λόγων. τῶν μὲν γὰρ ἄλλον τρόπον ὄντων, ἔστι γένεσις καὶ φθορά· τῶν δὲ κατὰ συμβεβηκὸς οὐκ ἔστιν. ἀλλ'

Grammaticum, & eum, qui est Grammaticus, factum fuisse Musicum. Hæ sunt, & huiusmodi alia Sophistarum rationes. Videtur enim accidens prope accedere ad non ens: quod l huiusmodi etiam rationibus perspicuum est. Eorum enim, quæ alio modo sunt, est generatio, & corruptio: eorum, quæ sunt per accidens, non item. Sed

Probatur etiam ratione. l [*Quod huiusmodi etiam.*] Quod probauit autoritate Platonis, ens, inquam, per accidens solo nomine constare, seu, quod idem est, prope accedere ad non ens, vt Aristoteles interpretatus est, id nunc proponit se probaturum rationibus, tametsi fortasse scribendi festinatione oblitus promissi, vnam tantum affert: vel sensus est. [*Hac & similibus rationibus constat.*] Ratio vero huiusmodi est. Eorum, quæ alio modo sunt, quam per accidens, est generatio, & corruptio, eorum, quæ sunt per accidens, non est generatio, nec corruptio; eius autem solius est generatio, & corruptio, quod veram & propriam habet essentiam, siue quod est vere ac proprie ens; igitur ens per accidens non est vere ac proprie ens, sed proprie accedit ad non ens. Quod autem entis per accidens non sit generatio, nec corruptio, ex eo primum patet, quia non habet per se causam, vt ex sequenti disputatione constabit; quod tamen de particulari ac principali, & in rebus naturalibus intelligendum esse, inferius ostendetur. Deinde id ipsum ex eo probari solet, quia etsi vna generatio terminatur ad vnam partem entis per accidēs, veluti ad Socratem; altera vero ad alteram, veluti ad Musicum, aut Grammaticum; (*complectitur enim hoc loco generatio substantialem, & accidentalem*) nulla tamen terminatur ad totam complexionem, veluti ad Socratem Musicum, vel ad Socratē Grammaticum, vel ad Musicum Grammaticum: sed cum per se generatur posterior pars cuiusq; complexionis, tunc censetur genita tota complexio. Ita colligitur ens per accidens non generari, nisi per accidens. Non deerunt tamen, quibus hæc ratio non videatur intelligenda de omni ente per accidens, sed de eo, quod constat duobus accidentibus, vt de Musico Grammatico, quæ non constituunt vnum compositum ex subiecto, & forma. Nam entia per accidēs, quæ cōstant ex subiecto, & accidēte, cuiusmodi sunt homo Grammaticus, aut homo albus, non per accidens, sed per se generari, seu fieri dicenda sunt: siquidem generationes non terminantur per se ad formas, sed ad composita: quo fit, vt huiusmodi entia per accidens magis sint entia, quam quæ constant duobus accidentibus: quæ enim constant duobus accidentibus, cum quatenus talia sunt, non sint composita ex subiecto & forma, quæ introducitur, sed ex duabus formis, nullo modo per se generantur, sed genito prius composito ex subiecto, & priori forma, cum postea introducitur posterior forma, fit aliud compositum ex eodem subiecto, & posteriori forma, & resultat tertium compositum ex vtraq; forma: quo pacto genito homine Musico, si postea idem homo fiat Grammaticus, ex illa secunda generatione per se, quæ terminatur ad hominē Grammaticum, resultat Musicum Grammaticum absq; vlla generatione peculiari illius complexionis. Ita videbitur de solo ente per accidens, quod ex duobus accidentibus quasi cōflatur, intelligenda opposita ratio. Dicendū est tamen, de vtroq; genere entis per accidens posse intelligi rationem allatam, tametsi magis accommodetur entibus per accidens quæ ex duobus accidentibus conflantur, quā iis, quæ ex subiecto, & accidente aliquo. Quanquā enim homo Grammaticus, & homo Musicus fiunt per se tanquā composita quædā, ad quę terminātur per se eorū qualescunq; generationes; nō tamen fiunt per se tanquam entia per accidens (*hoc est, vt plura entia modo aliquo coniuncta*) vna & eadem generatione: generatio enim, quę terminatur ad hominem, non terminatur ad Grāmaticum, cum nemo nascatur Grammaticus, neq; quę terminatur ad Grammaticū, terminatur ad hominem, cum iam homo existat. Quod non ita cernimus in iis compositis, quæ aggregātur ex homine, & iis, quæ de illo per se dicuntur; quippe cum eadem generatione, qua homo fit, fiāt quoque omnia, quæ illi per se conueniant. Vnde patet, huiusmodi coniunctiones, hominē risus capacem hominem ad flendum idoneum, & alias similes, non esse entia per accidens, vt hoc loco sumūtur, cum vna & eadem generatione gignantur: tametsi in ea significatione sint entia per accidens, quia non sunt vnum ens solitarie acceptum, sed composita quædam ex subiectis, & eorū per se accidentibus. Aliam rationem generalem addit D. Th. Quia inquit, ens per accidens non ex eo dicitur ens, quia vna aliqua entitas vere constet ex subiecto, & accidente, aut ex duobus accidentibus; sed

Ens per accidens nec generatur, nec corrūpitur.

Nec habet causam per se.

Duo genera entium per accidens.

De vtroque procedit ratio Arist.

Text. 5.

Homo risus capax, & similes coniūctiones, non sunt entia per accidens.

Ratio D. Th.

sed quia alterum prædicatur de altero, quasi entitas talis compositi non sit in ipso ente per accidens, sed in affirmatione vnius de altero. Quæ ratio ex eo vim habet, quia, vt ex subiecto & accidente, aut ex duobus accidentibus fiat vnum aliquid, ita vt illa modo aliquo tale dici possint, necesse est, vt accidentia sumantur concrete: sic enim iam alterum de altero poterit prædicari: ac proinde vnum & idem modo aliquo dici. Quis enim alioqui dicat hominem esse Musicam, aut Musicam esse Grammaticam? quod tamen fateri oporteret, si accidentia abstracte sumpta modo aliquo vnum dici possent, seu cum subiecto, seu inter sese. Cur autem Aristoteles dixerit, entia per accidens fere solo nomine, non autem solo nomine cõstare, hinc intelligi potest, nam etsi ens per accidẽs maiorem vnitatem habet ex parte nominis, seu interni, quod format intellectus, seu externi, quod voce profertur, aut scribitur, cum toti complexioni vnum re vera vocabulum accommodatur, quam ex parte rei significatæ, quę non est vna simpliciter, sed plures, tamen nõ omnino caret aliqua vnitate ex parte rei significatæ, cum id, quod dicitur vnũ per accidens, semper sit aliquo modo vnum ratione alicuius subiecti, vt ex dictis patet. Quanquam enim cum D. Th. videamur totã vnitatem entis per accidens ad affirmationem vnius accidentis de altero, aut de subiecto retulisse, tamen id formaliter intelligendum est, non fundamentaliter: quo pacto necesse est dicere, accidentia, quæ in vno & eodem subiecto sunt etiam ante operationem intellectus esse aliquo modo vnum & cum subiecto, & inter se. *Cur entia per accidens non sint simpliciter non entia.*

ἀλλ' m ὅμως λεκτέον ἔτι περὶ τοῦ συμβεβηκότος ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται, τίς ἡ φύσις αὐτοῦ, καὶ διὰ τίν' αἰτίαν ἐστίν. ἅμα γὰρ δῆλον ἔσται ἴσως, καὶ διὰ τί ἐπιστήμη οὐκ ἔστιν αὐτοῦ. ἐπεὶ οὖν ἐστι ἐν τοῖς οὖσι, τὰ μὲν ἀεὶ ὡσαύτως ἔχοντα καὶ ἐξ ἀνάγκης, οὐ τῆς κατὰ τὸ βίαιον λεγομένης, ἀλλ' ἣν λέγομεν τῷ μὴ ἐνδέχεσθαι ἄλλως: τὰ δ' ἐξ ἀνάγκης μὲν οὐκ ἔστιν, οὐδ' ἀεί, οὔθ' ὡς ἐπὶ τὸ πολύ: αὕτη ἀρχὴ αὕτη καὶ αἰτία ἐστὶ τοῦ εἶναι τὸ συμβεβηκός: ὃ γὰρ ἂν ᾖ μήτ' ἀεὶ μήθ' ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, τοῦτό φαμεν συμβεβηκὸς εἶναι. οἷον, ἐπὶ κυνὶ ἂν χειμὼν γένηται καὶ ψῦχος, τοῦτο συμβῆναί φαμεν, ἀλλ' οὐκ ἂν πνῖγος καὶ ἀλέα, ὅτι τὸ μὲν ἀεὶ ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, τὸ δ' οὔ. καὶ τὸν ἄνθρωπον λευκὸν εἶναι συμβέβηκεν, οὔτε γὰρ ἀεὶ, οὔθ' ἐπὶ τὸ πολύ: ζῷον δ' οὐ κατὰ συμβεβηκός. καὶ τὸ τὸν οἰκοδόμον ὑγείαν ποιῆσαι συμβέβηκεν, ὅτι οὐ πέφυκε τοῦτο ποιεῖν οἰκοδόμος ἀλλ' ἰατρός: ἀλλὰ συνέβη ἰατρὸν εἶναι τὸν οἰκοδόμον. καὶ ὀψοποιὸς ἡδονῆς στοχαζόμενος, ποιήσειεν ἄν τι ὑγιεινόν, ἀλλ' οὐ κατὰ τὴν ὀψοποιητικήν: διὸ συνέβη φαμέν. καὶ ἔστιν ὡς ποιεῖ, ἁπλῶς δ' οὔ.

τῶν

Sed m tamen de accidente illud etiam, quoad fieri potest, dicendum est, quænam sit eius natura, & quam ob causam sit: simul enim, & cur eius nulla sit scientia, forsitan patebit. Cũ igitur in iis, quæ sunt, alia semper eodem modo se habeant, idq; necessario, nõ ea quidem necessitate, quæ vis appellatur, sed quã dicimus rem aliter habere non posse, alia vero non necessario, nec semper, nec vt plurimum; hoc ipsum est principium, & causa, cur accidens sit: quod enim nec semper existit, nec vt plurimum, id accidens esse dicimus. Exempli causa, si in Cane hyems sit, aut frigus id accidisse dicimus; non autem, si æstus vigeat, aut calor, quia hoc semper, aut vt plurimum euenit, illud vero minime. Accidit quoq;, vt homo sit albus, neq; enim semper, aut vt plurimum albus est, at non per accidens est animal. Quod item ædium structor sanitatem effecerit, accidens fuit, quod non ad ædium opificem, sed ad Medicũ id natura pertineat; accidit autem, vt faber esset Medicus. Cocus etiam, qui voluptati in epulis condiendis studet, fecerit ille quidem aliquid salubre, at non ex arte cibos conficiendi, atq; eam ob rem accidisse dicimus. Et n quodammodo ille quidem facit, simpliciter autem, & absolute non facit.

Illorum

m *Sed tamen de accidente.*] Tradit naturam, & causam entis per accidens, quatenus primo Philosopho conceditur, seu in tota Philosophia fieri potest. Nã etsi de ente per accidens in specie, vt ita dicam, nulla scientia disputat, tamen de eo in commune, & quasi in genere, disputare potest ac debet primus Philosophus, vt ex propria illius ratione colligat nullã de eo secundum speciẽ accepto haberi scientiam, quod ipsum in hac disputatione per propriam, & germanam causam demonstrabit. Docet ergo primum, rationem & naturam entis per accidens in eo positam esse, quod sit declinatio quædam ab iis, quæ sempiterna sunt, & ab iis, quæ plerunque, seu maiori ex parte eueniunt. Deinde causam, cur illud in rerum natura existat, hanc esse; quia quædam maiori ex parte sunt. Nam si omnia essent necessaria, nullum esset ens per accidens: necessaria enim non possunt non esse, quæ autem sunt per accidens, possunt non esse. Nunc autem cum quædam maiori ex parte sint, ex minore deficiant, necessario sequitur dari entia per accidens; quorum Aristoteles quatuor exempla subiicit: primum sumitur comparatione temporis, secundum respectu subiecti, tertium caussæ, quartum effectus, vt annotauit D. Thomas. *Ad Metaph. spectat disputare de ente per accidens in cõmune. Eius natura. Causa cur existat.*

n *Et quodammodo.*] Quod fit per accidens ab artifice, imo etiam ab agente naturali, non dicitur fieri ab eo simpliciter, quia non fit ex intentione, sed tantum quodammodo fieri.

o *Illorum*

τῶν ο μὲν γὰρ ἄλλαι δυνάμεις ἐνίοτέ εἰσι ποιητικαί, τῶν δ' οὐδεμία τέχνη, οὐδὲ δύναμις ὡρισμένη. τῶν γὰρ κατὰ συμβεβηκὸς ὄντων ἢ γινομένων καὶ τὸ αἴτιόν ἐστι κατὰ συμβεβηκός: ὥστ' ἐπειδὴ οὐ πάντα ἐστὶν ἐξ ἀνάγκης καὶ ἀεὶ ἢ ὄντα ἢ γινόμενα, ἀλλὰ τὰ πλεῖστα ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ἀνάγκη εἶναι τὸ κατὰ συμβεβηκὸς ὄν, οἷον, οὔτ' ἀεὶ, οὔθ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ὁ λευκὸς μουσικός ἐστιν: ἐπεὶ δὲ γίνεταί ποτε, κατὰ συμβεβηκὸς ἔσται. εἰ δὲ p μὴ, πάντα ἔσται ἐξ ἀνάγκης. ὥστε q ἡ ὕλη ἔσται αἰτία ἡ ἐνδεχομένη παρὰ τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἄλλως τοῦ συμβεβηκότος. ἀρχὴν r δὲ τηνδὶ ληπτέον, πότερον οὐδέν ἐστιν, οὔτ' ἀεὶ, οὔθ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ἢ τοῦτο ἀδύνατον; ἔστιν ἄρα τι παρὰ ταῦτα τὸ ὁπότερ' ἔτυχε καὶ κατὰ συμβεβηκός. ἀλλὰ πότερον τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, τὸ δ' ἀεὶ οὐθενὶ ὑπάρχει, ἢ ἔστιν ἄττα ἀΐδια. περὶ μὲν οὖν τούτων ὕστερον σκεπτέον.

ὅτι

Illorum o enim alia facultates interdum effectrices sunt; horum vero nulla ars, nulla potentia definita. Nam eorum, quæ per accidens aut sunt, aut fiunt, & causa est per accidens. Itaque cum non omnia ex necessitate, semperque aut sint, aut fiant, sed plurima maiori ex parte, necesse est, vt aliquid sit per accidens. Verbi gratia, neque semper, neque vt plurimum albus est Musicus, at cum aliquando id fiat, per accidens erit: sin p minus omnia ex necessitate erunt. Erit q igitur materia causa contingens eius, quod aliter accidit, quam quod vt plurimum euenit. Hoc r autem principiũ sumendum est, vtrum nihil sit, quod neque semper, neque vt plurimum existat, an vero id fieri nequeat: Atque est sane præter hæc aliquid, quod vtcunque, & per accidens euenit. Sed num id, quod vt plurimum euenit, in rerum natura detur, semper autem existere nulli rei conueniat, an vero quædam sint perpetua: postea considerandum est.

Quod

Entis per accidẽs in particulari non sunt determinata causa.

o *Illorum enim alia.*] Hoc est, ea quæ sunt semper, aut frequenter, etiam sumpta secundum speciem, fiunt à causis per se, ab artibus, inquam, aliisve facultatibus naturalibus, quæ caussæ omnes sunt certæ, & determinatæ. At ea, quæ sunt per accidens, etsi sumpta in commune habeant causam determinatam, vt ex dictis patet; ipsam, inquam, naturam rerum, quæ sunt vt plurimum; tamen secundum speciem, vt sic loquar nullam certam & determinatam habent, ac proinde nec per se, sed tantum per accidens: quo pacto salubre, etsi à solo Medico fit per se, potest tamen fieri per accidens à coquo, à milite, à sartore, & aliis sexcentis artificibus. Cæterum hoc non esse intelligendum de omnibus omnino causis, sed de particularibus, ac secundis, ex disputatione, quæ de hac re instituetur, perspicuum erit: causa enim prima nullus effectus est causa per accidens.

Si nihil est per accidens, omnia esse necessaria.

p *Sin minus omnia.*] Recte quidem sequitur, Nihil est per accidens, ergo nihil est, quod maiori ex parte eueniat, & ex minore deficiat, quare omnia sunt sempiterna. & (*quod Aristoteles consequens esse credit*) necessaria. Nam quæ vtramque in partem ex æquo euenire possunt, quia libere, & ex electione proueniunt à voluntate, existimat D. Thom. ad ea reuocãda esse, quæ maiori ex parte eueniunt, etiamsi ex æquo, aut etiam rarius eueniant, quam opposita: idque ea ratione, (*vt videtur*) quia quæ ex electione proueniunt, non necessario, aut per accidens, sed per se à voluntate proficiscuntur; quod postea examinandum est.

Materiam priuationi obnoxiam esse causam contingentia.

q *Erit igitur materia.*] Colligit ex dictis materiam (*subaudi obnoxiam priuationi, qualis est ea omnis, ac sola, quæ orbis lunæ complexu continetur*) esse causam contingentem, seu contingentiæ eorum, quæ fiunt per accidens. Cur enim in hoc mundo inferiori multa eueniant præter intentionem agentium causa est defectus, aut redundantia, aut indispositio materiæ. Non tetigit tamen Aristoteles his verbis omnem caussam huius rei, quia sæpe effectus per accidens causatur ex debilitate efficientis, aut ex communi defectu, qui cernitur in omni virtute creata, etiam Angelica. Quin etiam nec tetigit causam principalem, sed quasi instrumentalem, vt inferius ostendetur.

r *Hoc autem principium.*] Duas quæstiones proponit quasi principia & fundamenta, quibus innititur totius huius disputationis plena & absoluta determinatio. Prior est, Vtrum nulla res sit, quæ aut semper, aut plerunque existat, sed omnia sint per accidens; an vero id fieri nequeat? Ad quam mox respondet ex dictis, necessario concedenda esse aliqua per accidens, si in rerum natura dantur non solum necessaria, sed etiam, quæ maiori ex parte eueniant. Posterior est, Num sola ea, quæ plerunque eueniunt (*non exclusis tamen iis, quæ raro accidunt, quod ex illis sequantur*) dentur in rerum natura, an vero aliqua sint sempiterna? Quam quæstionem ideo tangit hoc loco; quia nisi essent res, quæ semper existunt, nec cætera possent existere, vt ipse docuit 8. Physicorum libro cap. 6 à text. 45. & posteriori de generatione cap. 10. à text. 56. rursumque docebit 12. libro huius operis, ad quem locum quæstionis explicationem reiicit.

à tex. 29.

Quod

ὅτι δ' ἐπιστήμη οὐκ ἔστι τοῦ συμβεβηκότος, φανερόν. ἐπιστήμη μὲν γὰρ πᾶσα, ἢ τοῦ ἀεὶ, ἢ τοῦ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. πῶς γὰρ ἢ μαθήσεται ἢ διδάξει ἄλλον; δεῖ γὰρ ὡρίσθαι ἢ τῷ ἀεὶ, ἢ τῷ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ: οἷον, ὅτι ὠφέλιμον τῷ πυρέττοντι τὸ μελίκρατον ὡς ἐπὶ τὸ πολύ: τὸ δὲ παρὰ τοῦτο οὐχ ἕξει λέγειν πότε οὔ, οἷον, νουμηνίᾳ: ἢ γὰρ ἀεὶ, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, καὶ τῇ νουμηνίᾳ: τὸ δὲ συμβεβηκός ἐστι παρὰ ταῦτα. τί μὲν οὖν ἐστι τὸ συμβεβηκός, καὶ διὰ τίν' αἰτίαν, καὶ ὅτι ἐπιστήμη οὐκ ἔστιν αὐτοῦ, εἴρηται.

ὅτι t δ' εἰσὶν ἀρχαὶ καὶ αἴτια γεννητὰ καὶ φθαρτά, ἄνευ τοῦ γίγνεσθαι καὶ φθείρεσθαι, φανερόν.

εἰ γὰρ

Quod ſ autem accidentis non ſit ſcientia, perſpicuum eſt. Omnis enim ſcientia aut in eo, quod ſemper, aut in eo, quod maiori ex parte eſt, verſatur. Nam quo pacto aut diſcet quis, aut docebit alium? Certum enim eſſe oportet ſemper id, aut maiori ex parte accidere; veluti quod febri laborantibus maiori ex parte vtilis ſit aqua mulſa: id autem, quod præter hoc eſt, dicere non licebit, nempe quando non ſit, veluti in nouilunio: nam in ipſo etiam nouilunio aut ſemper, aut frequenter eſt vtilis: accidens autem præter hæc ipſa eſt. Quid igitur ſit accidens, & quam ob cauſam quoque eius non ſit ſcientia, hactenus dictum eſt.

Eſſe t igitur principia, & cauſas generabiles, & corruptibiles, quæ tamen nec generentur, nec corrumpantur, perſpicuum eſt.

Alioquin

ſ *Quod autem accidentis.*] Colligit ex dictis propriam & germanam rationem, cur entis per accidens nulla ſit ſcientia. Ea vero eſt, Quia ſcientia non eſt, niſi eorum, quæ aut ſemper ſunt, aut maiori ex parte eueniunt: nemo enim diſcit, aut docet, niſi intelligat id, quod diſcit, aut docet, ſemper, aut fere ſemper ita habere; alioqui quid certi de eo cognoſcere poterit? Quæ ratio ſic concluditur. Demus ſcientiam haberi de eo, quod raro euenit, raro, inquam, non certis temporibus, vt defectio ſolis, (*hæc enim ſemper iis temporibus eueniunt*) ſed indefinite, & incerto euentu, vt hominem habere ſenos digitos, aut aquam mulſam non prodeſſe febri laborantibus. Iam petet aliquis, quando hæc eueniant? ad quam quæſtionem nullum tempus reddi poterit. Nam ſi quis deſignet diem certum, vt V. G. nouilunij, is plane falletur, quia etiam tunc quiſquis naſcitur, quinis fere digitis naſcitur; quicunque etiam eo die laborans febri vtitur aqua mulſa, ferme fit, vt melius habeat. Itaque in iis, quæ ſunt per accidens, nullum tempus aſſignare licet, in quo certo eueniant; cum interim ea, quæ per ſe eueniunt, ſemper eueniant, niſi quid impediat, quod tamen raro accidit. Atque hanc cauſam affert hic Ariſtoteles expreſſe: quanquam aliam implicite tradit, quæ præcipua eſt, & fundamentum huius; nempe, quia ea, quæ ſunt per accidens, non habent certam, & definitam cauſam, ac proinde nec per ſe, quod paulo ſuperius expreſſe dixerat. Hinc enim efficitur, vt nullum certum tempus entium per accidens aſſignari poſſit; vt vere quis dicere queat, illa aut continenter, aut certis quibuſdam temporibus euenire; ſi non conſtanter, at certe ſublatis impedimentis. Hanc tamen eandem cauſam tanquam præcipuam reddit Ariſtoteles in fine capitis, cum entia per accidens à conſideratione primi philoſophi reiicit. Scientia enim aut traditur per effectum certum, aut per certam cauſam; quæ autem cauſam certam non habent, nec per cauſam per ſe, nec per effectum per ſe (*qui ſemper cauſa per ſe reſpondet*) demonſtrari poſſunt.

Germana ratio, cur entis per accidens non ſit ſcientia.

Tex. 6.

t *Eſſe igitur principia.*] Duo dixerat de entibus per accidens. Vnum fuit, cauſas illorum eſſe per accidens; alterum, neceſſario danda eſſe in rerum natura. Nunc ex poſteriori concluſione tanquam certa, & indubitata priorem probat hac ratione. Si entium per accidens non dantur cauſæ per accidens, ſed per ſe; omnia neceſſario eueniunt, & nihil per accidens; hoc autem fieri non poteſt, vt ſupponitur tanquam certum, & indubitatum; ergo nec illud. Maiorem, quæ ſola probanda reſtat, oſtendit Ariſtoteles longo diſcurſu procedendo retrorſum ab effectibus ad cauſas: ſi enim omnia, quæ fiunt, pendent ex ſolis cauſis per ſe; cum ex cauſa per ſe, remota quacunque alia cauſa per accidens concurrente, neceſſario ſequatur effectus; omnis effectus erit neceſſarius. Vocat autem Ariſtot. cauſas per accidens, cauſas generabiles & corruptibiles ſine generatione & corruptione ſui, hoc eſt, quæ poſſunt incipere, ac deſinere eſſe cauſæ abſque eo, quod generentur, aut corrumpantur, id eſt, abſque eo, quod ad eas terminetur generatio, aut corruptio: quia cauſæ per accidens, etſi incipiunt ac deſinunt eſſe cauſæ per accidens; tamen non ſic eſſe incipiunt, ac deſinunt per generationem aut corruptionem ſui, ſed per concurſum cum cauſis per ſe V.G. Et ſi Socrates, quatenus cauſa per ſe ædium, incipit eſſe per generationem artis ædificatoriæ, & deſinit, cum illam amittit; quatenus vero cauſa per ſe ſanitatis incipit eſſe per generationem medicinæ, & deſinit, cum amittit medicinam; tamen quatenus ædium extructor, non incipit eſſe cauſa ſanitatis per generationem artis ædificandi; neque item quatenus medicus incipit eſſe cauſa ædificij per generationem medicinæ, ſed per ſolum

Entium per accidens cauſas eſſe etiam per accidens.

concurſum

concursum artis cum arte & cum est faber, fit causa sanitatis, & cum est medicus, fit causa ædificij; quo concursu cessante, iam nec faber est causa sanitatis, nec ædificij medicus.

εἰ γὰρ μὴ τοῦτο ἐξ ἀνάγκης πάντα ἔσται, εἰ u τοῦ γιγνομένου καὶ φθειρομένου μὴ κατὰ συμβεβηκὸς αἴτιόν τι ἀνάγκη εἶναι. πότερον x γὰρ ἔσται τοδὶ ἢ οὔ; ἐάν γε τοδὶ γένηται· εἰ δὲ μή, οὔ. τοῦτο δὲ εἰ ἄλλο. καὶ οὕτω δηλονότι ἀεὶ χρόνου ἀφαιρουμένου ἀπὸ πεπερασμένου χρόνου, ἥξει ἐπὶ τὸ νῦν. ὥστε ὁδὶ ἀποθανεῖται, ἢ νόσῳ, ἢ βίᾳ, ἐάν γε ἐξέλθῃ: τοῦτο δέ, ἐὰν διψήσῃ: τοῦτο δέ, ἐὰν ἄλλο: καὶ οὕτως ἥξει εἰς ὃ νῦν ὑπάρχει, ἢ εἰς τῶν γεγονότων τι: οἷον, ἐὰν διψήσῃ: τοῦτο δέ, εἰ ἐσθίει δριμέα: τοῦτο y δ' ἤτοι ὑπάρχει, ἢ οὔ: ὥστ' ἐξ ἀνάγκης ἀποθανεῖται, ἢ οὐκ ἀποθανεῖται. ὁμοίως z δὲ κἂν ὑπερπηδήσῃ τις εἰς τὰ γενόμενα, ὁ αὐτὸς λόγος: ἤδη γὰρ ὑπάρχει τοῦτο ἔν τινι, λέγω δὲ τὸ γεγονός. ἐξ ἀνάγκης ἄρα πάντα ἔσται τὰ ἐσόμενα. οἷον, aa τὸ ἀποθανεῖν τὸν ζῶντα: ἤδη γάρ τι γέγονεν, οἷον τὰ ἐναντία ἐν τῷ αὐτῷ σώματι: ἀλλ' εἰ νόσῳ, ἢ βίᾳ, οὔπω, ἀλλ' ἐὰν τοδὶ γένηται.

δῆλον

Alioqui omnia ex necessitate erunt, si u cuius, inquam, quod fit, & corrumpitur causam aliquam non per accidens necesse sit esse. Vtrum x enim hoc erit, an non? Si hoc fiat, erit; si non fiat, non erit. Hoc autem erit, si aliud fiet. Atque hoc pacto, detracto nimirum semper tempore à tempore finito, deueniendum erit ad id, quod nunc est. Quare hic morietur morbo, aut vi, si exierit, hoc autem erit, si siti laborauerit, atque hoc, si aliud fit: quo pacto veniendum erit ad id, quod nunc existit, aut ad aliquid eorum, quæ iam facta sunt; veluti si sitierit, idque si comederit salsa; hoc y autem aut est, aut non est: quare necessario morietur, aut non morietur. Eadem z ratio erit, si quis ad ea, quæ facta sunt, recurrat: iam enim & hoc in aliquo est, ipsum inquam, quod factum est. Itaque omnia futura ex necessitate erunt, vt aa mori eum, qui viuit: iam enim aliquid factum est, veluti contraria in eodem corpore: cæterum morbo, an vi moriturus sit nondum constat, sed si hoc fiat.

Manifestum

u *Si cuius, inquam.*] Hoc est, si omnis effectus habet causam per se. & non per accidens.

x *Vtrum enim.*] Pro intellectu huius probationis aduerte causam per se, & non impeditam per accidentarium concursum alterius, esse causam necessariam, seu necessario causantem. Quia igitur causæ necessariæ exprimuntur per conditionales orationes, idcirco Aristoteles in hac ratione vtitur conditionalibus ad significandas causas per se non impeditas. Ratio igitur hæc est. Si effectus est futurus posita proxima illius causa, & huiusmodi causa est futura posita eius causa proxima, & hæc posita alia priori; nihilque impediat efficaciam talium causarum; certe data iam in præsenti tempore re aliqua, ex qua sequatur proxima ex futuris causis, omnia ex necessitate euenient, modo res præsens necessario sequatur ex alia præterita, & illa ex alia, ita vt nunquam possit inueniri causa, quæ impediatur per accidentarium concursum alterius causæ. Verbi causa si mors violenta Nicostrati exeuntis ex vrbe obsessa bibendi causa necessario sequatur ex occursu hostium, aut mors naturalis ex ardore solis, aut ex nimio aquæ potu; occursus vero hostium, & ardor solis, aut potus nimius ex illius exitu ex vrbe mense Iulio meridiano tempore, exitus autem ex vrbe necessario ex vehementi eius siti; hæc autem ex esu rei salsæ: certe si Nicostratus nunc commedit rem salsam, necessario propediem morietur, aut vi, aut morbo: posito nimirum ex sententia aduersarij iam præteriisse causam necessariam, cur Nicostratus nunc comedat rem salsam, & aliam causam illius necessariam, atque ita retrorsum versus nullam inueniri causam, vnde esus rei salsæ per accidens euenerit. Tex.7.

y *Hoc autem aut est, aut non est.*] Quemadmodum mors Nicostrati propediem futura concluditur, si iam edit rem salsam; ita concluditur non futura ex aduersarij sententia, si non illam comedit: vult enim aduersarius mortem crastinam Nicostrati esse effectum per se esus hodierni rei salsæ.

z *Eadem ratio erit.*] Quasi dicat, Quemadmodum ex re præsenti iam posita licet concludere ea necessario esse ventura, quæ ex illa sequuntur per se, & sine impedimento causarum occurrentium per accidens: ita licet concludere, rem præsentem necessario euenisse ex causis præteritis per se, & eodem pacto non impeditis. Iam enim & hoc, id est, id quod factum est, in aliquo est, hoc est, aliquo modo existit, nempe quia re vera est factum: vel sic, In aliquo est, id est, existit in effectu præsenti.

aa *Vt mori eum qui viuit.*] Hoc exemplum necessitatem absolutam continet, quia mors viuentis compositi ex elementis naturaliter impediri nequit; mors autem violēta, aut ex morbo determinate non sequitur necessitate absoluta, sed conditionata. Qui tamen fatum in rebus omnibus crediderunt, hanc incertitudinem euentus non ad incertitudinem causarum mediarum, sed ad nostram cognitionem referebant, quasi altera pars aut mortis violētæ, aut ex morbo, futura sit necessario necessitate causarum, etsi nos id ignoremus: hoc ipsum igitur tenentur

ij di-

ij dicere, qui nullam causam per accidens esse crediderint, sed omnes per se, & quæ nullo concursu accidentario impediantur.

δῆλον bb ἄρα ὅτι μέχρι τινὸς βαδίζει ἀρχῆς: αὕτη δ' οὐκ ἔτι εἰς cc ἄλλο. ἔσαι οὖν ἡ τοῦ ὁπότερ' ἔτυχεν αὕτη, καὶ αἴτιον καὶ γενέσεως αὐτῆς οὐθέν. ἀλλ' dd εἰς ἀρχὴν ποίαν, καὶ αἴτιον ποῖον ἡ ἀναγωγὴ ἡ τοιαύτη, πότερον ὡς εἰς ὕλην, ἢ ὡς εἰς τὸ οὗ ἕνεκα, ἢ ὡς εἰς τὸ κινῆσαν, μάλιστα σκεπτέον. περὶ μὲν οὖν τοῦ κατὰ συμβεβηκὸς ὄντος, ἀφείσθω. διώρισται γὰρ ἱκανῶς.

τὸ δὲ ee ὡς ἀληθὲς ὄν, καὶ μὴ ὂν ὡς ψεῦδος, παρὰ σύνθεσίν ἐστι καὶ διαίρεσιν: τὸ δὲ σύνολον, περὶ μερισμὸν ἀντιφάσεως; τὸ ff μὲν γὰρ ἀληθὲς τὴν κατάφασιν ἐπὶ τῷ συγκειμένῳ ἔχει, τὴν δ' ἀπόφασιν, ἐπὶ τῷ διῃρημένῳ; τὸ δὲ ψεῦδος, τούτου τοῦ μερισμοῦ τὴν ἀντίφασιν.

(πῶς

Manifestum bb *est igitur ad aliquid principium veniendum esse, quod rem* cc *aliam non respiciat. Erit igitur hoc principium eius, quod vtcunq; acciderit, nec generationis eius vlla causa existet. Sed* dd *ad quale principium, qualemque causam huiusmodi reductio facienda sit, an velut ad materiam, an vt ad id, cuius gratia, an vero tanquam ad id, quod mouit, maxime considerandum est. Ac de ente quidem per accidens dicere omittamus: satis enim de eo definitum est.*

Ens ee *autem vt verum, & non ens vt falsum, in compositione, & diuisione cernuntur: vtrumque autem simul in contradictionis partitione: habet* ff *enim verum affirmationem in coniunctis, in diuisis negationem, falsum vero huius partitionis contradictionem.*

(Quo

bb *Manifestum est igitur.*] Iam colligit institutum concludendo ex opposito consequentis oppositum antecedentis hoc pacto. Cum igitur absurdum sit dicere, omnia necessario euenire, nullumque ens per accidens dari in rerum natura; perspicuum est, deueniendum esse ad aliquam causam, quæ non habeat causam per se, atque ea erit causa per accidens, quæ possit euenire, & non euenire, & cuius nulla sit generatio, vt superius dictum est. V. G. etsi vulnera Nicostrati fuerunt causa per se necis illius, & aliæ forsitan præcedentes causæ; tamen esus cibi, qui erat salsus, fuit causa per accidens sitis. & sequentium effectorum: accidit enim cibo; vt salsus esset, neque intentio comedentis fuit salsum aliquid comedere, sed cibo se reficere, vnde ipsi esui accidit, vt esset esus salsi: sed propter coniunctionem accidentariam nimij salis cum cibo, consecutum est, vt esus cibi esset esus salsi.

Cõcludit dari causas per accidens.

cc *Quod rem aliam.*] Non fuit hoc loco vertendum [*quod aliud*] ne subaudiretur [*principium*] quod præcesserat: neq; enim genere consentiunt τὸ ἄλλο, & ἡ ἀρχή. Sensus ergo est, Quod rem aliam tanquam priorem causam principiumve, &c.

dd *Sed ad quale principium*] Quærit ad quod genus causæ pertineat causa illa per accidens ad quam effectus per accidẽs reducitur tãquam ad primam per accidẽs; vtrum, inquam, ad genus materialis causæ, an vero ad finalis (*sub quo cõprehendis formalem, quæ est finis generationis*) an poti' ad efficientis? Ad quam quæstionem nihil aliud respondet, quam quod quæstio non sit eiusmodi, vt leuiter transigi possit, cum diligentissima potius consideratione indigeat. Quamuis enim superius dictum sit, causam contingentem effectorum per accidens esse materiam, hoc est, defectum, aut redundantiam, aut indispositionem materiæ; tamen re melius expensa non omnia videntur reuocari ad materiam, vt ibi diximus, sed quædam ad debilitatem agẽtis, aut ad communem defectum virtutis creatæ; quæ quidem pertinent ad genus causæ efficientis. Quin etiam, si res magis expẽdatur, reductio effectorum per accidens tanquam ad primam causam, ob quam dicantur per accidens, videtur facienda ad solam causam finalem, quia sunt præter finem intentum; aut potius ad efficientem, quia nec sunt, nec dicuntur per accidens, nisi quia sunt præter intentionem agentis. Quare cum res hæc non mediocri discussione opus habeat, præsertim cum ex ea non contemnenda dubia oriantur, ad finem capitis tractanda est.

Ad quodnã genus causa pertineat prima causa per accidens.

ee *Ens autem vt verum*] Iam agit de natura eius entis, quod dicitur verum & oppositi non entis, quod dicitur falsum, vt vtrumq; à primi philosophi consideratione reiiciat. Ait ergo eorum naturam huiusmodi esse, vt in compositione, & diuisione, hoc est, in affirmatione, & negatione consistant, seu (*quod idem valet*) vt ex affirmatione & negatione pendeant. Licet autem verum tantum, & falsum tantum æque reperiri possint in affirmatione, & negatione: vtraq; enim ex forma sua potest esse aut vera, aut falsa: tamen si affirmatio, & negatio constituant contradictionem, necessario in oratione, quæ vtramque partem complectitur, reperietur simul verum & falsum saltem indeterminate: necesse est enim, vt altera pars contradictionis vera sit, altera falsa.

Ens, quod dicitur verũ, & oppositũ non ens, in quo cõsistant.

Quomodo veritas & falsitas in affirmatione & negatione cernitur. tex. 8.

ff *Habet enim*] Declarat, quo pacto in affirmatione & negatione cernatur veritas & falsitas: atque tũc enũtiationẽ esse verã, cũ affirmat cõiũcta esse, quæ cõiũcta sunt, aut negat esse disiũcta,

quæ sunt disiuncta; tunc autem esse falsam, cum contra facit: quod æque in præterito, & in futuro, atque in præsenti tempore intelligendum est.

(πῶς gg δὲ τὸ ἅμα, ἢ τὸ χωρὶς νοεῖν συμβαίνει, ἄλλος λόγος. λέγω δὲ τὸ ἅμα καὶ τὸ χωρὶς, ὥστε μὴ τὸ ἐφεξῆς, ἀλλ' ἕν τι γίγνεσθαι) οὐ hh γάρ ἐστι τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἀληθὲς ἐν τοῖς πράγμασιν, οἷον, τὸ μὲν ἀγαθὸν, ἀληθές: τὸ δὲ κακὸν, ψεῦδος: ἀλλ' ἐν διανοίᾳ. περὶ δὲ τὰ ἁπλᾶ καὶ τὰ τί ἐστιν, οὐδ' ἐν τῇ διανοίᾳ. ὅσα ii μὲν οὖν δεῖ θεωρῆσαι περὶ τὸ οὕτως ὂν καὶ μὴ ὄν, ὕστερον ἐπισκεπτέον. ἐπεὶ ll δὲ ἡ συμπλοκή ἐστι καὶ ἡ διαίρεσις ἐν διανοίᾳ, ἀλλ' οὐκ ἐν τοῖς πρά-

(Quo gg autem pacto accidat, vt res simul, aut separatim intelligatur, alia ratio est: dico autem, simul, & separatim, ita vt non sint deinceps, sed vnum quid fiant) Neque hh *enim verum, & falsum in rebus sunt, quasi verum sit id quod bonum; falsum autem id, quod malum; sed in mente: non tamen in mente, qua circa simplicia, & quiditates verum versatur. Quæcunque* ii *igitur contemplari oportet de eo, quod hoc pacto est ens, & non ens, postea consideranda sunt. Cum* ll *autem complexio, & diuisio in mente sint, non in re-*

Duplex datur in mente compositio & diuisio.

gg *Quo autem pacto.*] Duplex est in mente compositio, & diuisio: altera spectans ad primam intellectus operationem, altera ad secundam. In prima fit compositio, cum multa simul concipiuntur: quatenus constituunt vnum quid, veluti, si concipias animal rationale, aut hominem album: diuisio autem, cum multa concipiuntur deinceps, ac separatim, non autem quatenus vnus efficiunt, veluti, si concipias animal, & plantam, nihil affirmando, aut negando In secūda fit compositio, cum duo simul in mente sic vnum fiunt, vt alterum de altero dicatur; diuisio, cū sic fiunt diuersa, vt alterum de altero negetur Addidit igitur Aristoteles hæc verba, ne quis crederet sermonem hic esse de primo genere compositionis, & diuisionis, (*de quo fiet mentio lib sequenti cap.12*) sed de secundo. Alij censent, Aristotelem his verbis reiicere lectorem ad libros de anima, vt doceat, compositionem & diuisionem, quæ ad secundam intellectus operationem pertinent, fieri simul in eodem temporis momento: verum hæc expositio minus placet; præsertim cum Aristoteles non absoluat hanc parenthesim his verbis [*vt simul intelligantur*] sed his [*vt vnum quid fiant*] quibus videtur ad specialē sensum contraxisse illa generalia, quib. interiectam declarationem sic inchoauerat. [Quo autem pacto simul, &c] Si quis autem contra ea quæ dicta sunt, obiiciat, in tertia quoque intellectus operatione cerni verum & falsum, occurrendum erit tertiam operationem reduci ad secundam, quia semper tertia resoluitur in aliquam, aut aliquas affirmationes, aut negationes: proinde non mirum esse si ratione secundæ operationis cernatur in ea verum & falsum.

Obiectio.

Solutio.

Verum & falsum in compositione & diuisione consistere, non in rebus ipsis reperiri.

hh *Neque enim verum & falsum*] Probat verum & falsum in compositione, & diuisione consistere, hac ratione. Verū & falsum nec sunt in rebus, nec vero in prima intellectus operatione, quæ est simpliciū apprehensio, & ad quam spectat quiditatum perceptio, sunt igitur in secunda, quæ dicitur compositio & diuisio. Quod autem non sint in rebus, hoc argumento probatū esse vult Aristoteles, quia verum non est perinde ac bonum, nec falsum perinde ac malum, vt quemadmodum dicimus, hoc vel illud esse bonum aut malum nulla habita ratione intellectus, ita dicamus esse verum aut falsum nullo spectato ordine ad illū: res enim dicuntur bonæ, aut quia perfectæ sunt, aut quia alicui rei conuenientes: malæ autem, quia carent huiusmodi cōgruentia, aut perfectione, quæ omnia præciso omni respectu earum ad intellectum rebus cōueniunt: at nunquam simpliciter, ac proprie dixeris, hoc vel illud verum esse aut falsum, nisi habita ratione intellectus affirmantis, aut negantis aliquid de aliquo. Quod autem verum & falsum non sint in prima operatione intellectus, ex eo probatum relinquitur, quia affirmatio & negatio ad solam operationem secundam spectant. Dici quoque fortasse posset cum aliis, verba illa [*quasi verum sit id quod bonum, &c.*] sic exponenda esse, vt Aristoteles doceat, si verum esset in rebus, & non in mente, fore, vt idem esset, quod bonum quoddam, & perfectio earum, falsum autem idem, quod earum malum quoddam, seu imperfectio, formaue earū bonitati contraria: quandoquidem perfectio & imperfectio rerum extra eas esse non debent. Cæterum: etsi facile quis capiat, quo pacto veritas simplex esset rerum perfectio; simplex tamen falsitas quo nam modo esset earum malum, non videtur posse intelligi: neq; enim res dici possunt hoc pacto falsæ, nisi quo pacto aurichalcum est aurum falsum, aut homo depictus est falsus homo: hæc autem non sunt mala, imperfectionesve earum rerum, quibus conueniunt, sed eorum, qui ista pro veris rebus accipiunt: imo potius aliqualis est earum perfectio, quod res perfectiores modo aliquo imitantur. Quod si verum & falsum pro vero & falso cōplexis accipiantur, vt re vera hic accipi debent, & aliquis contendat ea sine operatione intellectus esse in rebus, certe quicquid de eiusmodi falsitate dicēdum esset, quo nam, inquam, pacto esset in rebus, & qua ratione esset earum malum

Quorundam expositio.

Refellitur.

malum, tamen non videtur percipi posse, quonam pacto veritas semper esset earum bonitas, & perfectio. Quo enim pacto bonum esset homini, qui mendax est, esse vitiosum, aut non esse virtutis studiosum: aut ei qui febri laborat, esse ægrotum, aut non esse bona valetudine præditum, & alia huiusmodi plurima, quæ omnia vera essent. Itaq; non videtur recte dici, si verum & falsum essent in rebus, & non in mente, fore, vt verum esset quoddam earum bonum, & falsum quoddam malum. Quapropter vel ex ea expositio bona non est, vel Aristoteles non vtitur hac consequentia quasi à se extructa, aut approbata, sed tantum quasi ex aliis relata.

ii *Quæcunque igitur.*] Etsi tractatio de vero & falso verbis proxime sequentibus à primi Philosophi consideratione simpliciter & absolute reiicitur, eo quod vtrumque ab intellectus operatione pendet, tamen quatenus eorum cognitio est vtilis, ad finem noni libri differtur.

ll *Cum autem complexio.*] Iam simpliciter & absolute excludit à consideratione primi Philosophi ens per accidens, & ens, quod dicitur verum, hoc quidem, quia pendet ab operatione intellectus, quo argumento reiicienda esse innuit cætera entia rationis, illud vero, quia non habet causam certam, & definitam, vtrumque autem simul, quia neutrum est ens vere ac proprie dictum. Accedit, quod neutrum significat naturam entis vllam, quæ separata sit, quasi existens extra entia vere ac proprie dicta: sed semper circa genus eiusmodi entium spectantur. Verum enim & falsum in coniunctione vel disiunctione verorum entium, quam facit intellectus, cernuntur: saltem mediate: (*quod addiderim propter verum & falsum, quod cernitur in coniunctione & disiunctione entium rationis*) ens autem per accidens ex accidentario concursu proprie dictorum entium gignitur. Quo fit, vt, si primus philosophus de entibus proprie dictis agat, de ente etiã per accidens, & de ente vero, quoad satis sit, disputasse videri debeat. *Excluditur à consideratione primi Philosophi ens per accidẽs, & quod dicitur verũ.*

πεπραγματεῦσθαι· τὸ δ' οὕτως ὂν, ἕτερον ὂν τῶν κυρίων (ἢ γὰρ τὸ τί ἐστιν, ἢ ὅ, τι ποιὸν, ἢ ὅ, τι ποσὸν ἢ εἴ τι ἄλλο συνάπτει ἢ ἀφαιρεῖ ἡ διάνοια) τὸ μὲν ὡς συμβεβηκὸς, καὶ τὸ ὡς ἀληθὲς ὂν, ἀφετέον· τὸ γὰρ αἴτιον, τοῦ μὲν ἀόριστον, τοῦ δὲ τῆς διανοίας τι πάθος, καὶ ἀμφότερα περὶ τὸ λοιπὸν γένος τοῦ ὄντος, καὶ οὐκ ἔξω δηλοῦσιν οὖσάν τινα φύσιν τοῦ ὄντος, διὸ ταῦτα μὲν ἀφείσθω· σκεπτέον δὲ τοῦ ὄντος αὐτοῦ τὰ αἴτια καὶ τὰς ἀρχὰς ᾗ ὄν. φανερὸν δ' ἐν οἷς διωρισάμεθα περὶ τοῦ ποσαχῶς λέγεται ἕκαστον, ὅτι πολλαχῶς λέγεται τὸ ὄν.

in rebus, quod autem hoc modo est ens, diuersum sit ab iis, quæ proprie dicuntur entia, (mens enim aut quod quid est, aut quod quale quid, aut quod quantum, aut si quid est huiusmodi aliud, coniungit, aut seiungit) id profecto ens, quod est vt accidens, & quod est vt verum, omittendum est: illius enim causa indefinita est, huius autem passio quadam est mentis, & ambo circa reliquum genus entis spectantur, nec vllã entis naturam extra existentem significant. Quapropter hæc quidem missa faciamus, eius vero, quod proprie est ens, quaratione est ens, causas, principiaque consideremus. Perspicuum est autem ex eo loco, in quo, quot modis vnumquodq; dicatur, definiuimus, ens multis modis dici.

Eius vero, quod proprie.] Reiectis ente per accidens, & ente, quod dicitur verum, eademq; ratione cæteris entibus rationis, assumit ens per se ac proprie dictum in reliquo opere tractandum, ac explicandum nempe quod in decem prædicamenta, & in actum ac potentiam diuiditur, iuxta diuisionem entis lib. 5 cap. 7. & initio huius capitis propositam. Vnde patet hos sex libros quoddam esse quasi præludium, & apparatum primæ Philosophiæ.

NVM ENTIS PER ACCIDENS possit esse scientia.

QVÆSTIO I.

Partis affirmatiuæ argumenta.

SECTIO I.

Tex. 4. & 6. NOn esse probandam eam rationem, qua Aristoteles excludit in hoc capite ens per accidens à consideratione primi Philosophi, nimirum, quia de eo non possit haberi scientia, his argumentis ostendi videtur.

Primum, quia si scientia sumatur pro certa, & euidenti cognitione, non dubium est, quin ens per accidẽs sub scientiã cadere possit: quicquid enim reuera est, certa & euidẽti notitia cognosci potest etiamsi actu non cognoscatur, aut eius cognitio difficile obtineri possit: quandoquidẽ omnis certa cognitio ad intuitiuam aliquam reducitur, vt cognitio

per fidem ad intuitiuam eius, qui certum testimonium perhibet. Si vero sumatur pro cognitione, quæ potest demonstratione philosophica ostendi etiam hoc pacto de entibus per accidens habentur multæ scientiæ, vt Astrologia de magnitudinibus cœlestibus, Musica de numero sonoro, siue concentibus, Perspectiua de lineis visualibus.

Deinde, quia Metaphysica etiam ipsa agit de ente per accidens, quod Arist. hoc loco à consideratione primi Philosophi reiicere conatur: agit enim de ente, vt est vnum, vel multa, quæ est passio disiũcta entis cuiusmodi affectio numeri est par, & impar: esse autẽ multa non potest cõuenire enti per se, sed soli enti per accidens. Et confirmatur hæc ratio ex eo, quod Arist. sæpe docet, *oppositorum eandem esse disciplinam*: ens autem per se, & per accidẽs videntur inter se opponi, quemadmodum vnũ, & multa.

1. Top. c. 8. & in probl. sect. 30. q. 7. & 11. item 9. Met. c. 2. text. 4.

Tertio, quia hoc etiam loco multa tradũtur de ente per accidens, nempe eius naturam, siue rationem in eo positam esse, quod deficiat & ab iis, q̃ semper & ab iis, quæ maiori ex parte eueniunt, non habere caussam determinatam causari ab entibus, quæ maiori ex parte accidunt: quo etiam pacto in secundo libro Physicorum multa traduntur, & demonstrantur de iis, quæ casu, & fortuna eueniunt: quæ quidem sunt effecta per accidens. Nec recte huic argumento occurri videtur, cum dicitur ea tradi, ac demonstrari de ente per accidens in commune, non item de entibus per accidens in particulari: quicquid enim docetur, & demonstratur de genere, aut quasi genere, doceri, & demonstrari potest de eius speciebus, aut quasi speciebus.

à cap. 4. tex. 19.

Quarto, quia idipsum, quod vere, ac proprie in omni demõstratione demonstratur, & per eam scitur, est ens per accidens, vt Hominem esse risus capacem, & similia: tantum abest, vt de eo non possit haberi scientia. Hęc enim non esse entia per se, sed per accidens, ex eo constat, quia sunt multarum naturarum cõiunctiones, non vna aliqua per se natura, & quæ ad aliquod vnum prædicamentum pertineat.

Postremo, quia entia per accidens fiunt proprie, & per se ab agentibus naturalibus: ergo possunt vere, ac proprie sciri. Nam vt ignis ex ligno gignatur, lignum per se, & proprie fit calidum ab igne, idque proprie demonstratur ex virtute ignis: neque enim in ea actione calor fit, qui est ens per se; sed lignum calidum, quod est ens per accidens.

Qua ratione entium per accidens possit, & non possit esse scientia?

SECTIO II.

HÆc difficultas vt explicetur, nonnulla animaduertenda sunt. Primum, duobus modis accipi à nobis hoc loco ens per accidens: vno, vt est aggregatum quid ex quibusuis duobus, quorum alterum de altero ita dicitur, vt neq; alterum alteri per se conueniat, siue in primo, siue in secundo modo dicendi per se, neq; vtrumq; eidem tertio, veluti homo albus, & album musicum. Pressius enim hic sumimus hoc genus entis per accidens, quam libro secundo, capite septimo, vbi dicebamus ex omnia censeri entia per accidens quæ nõ essent vnius naturæ separatim: ex quo fiebat, vt aggregata hęc ex pluribus, Homo disciplinæ capax, Animal hinnibile, Sensitiuũ intellectiuum, essent eo loco entia per accidens, quæ tamen hoc loco propterea non dicimus esse entia per accidens, sed per se, quia vel alterum ex coniunctis dicitur per se de altero, vel vtrumq; de eodem tertio.

Duplex acceptio entis per accidens Prior, pro aggregato, &c.

Quamquam vero artefacta, quæ ex subiecto, & pura artis forma, seu figura cõficiuntur, vt globus, & statua, sint re ipsa entia per accidens, quę ad hoc genus pertinere possint, (*excludimus enim ea, quæ etsi arte conficiuntur, sunt tamen per se composita ex materia prima, & forma substantiali, vt panis, vinum, & multa, quæ fiunt arte chymica*) tamen non vsurpantur vt talia, nisi cum eorum formæ connotatiue suis subiectis in oratione iunguntur, veluti, si pro globo dicamus æs rotundum, & pro statua lignum humana specie figuratum: hoc enim pacto alterum dicetur de altero, nec tamen per se; aut vtrumque de eodem tertio. Nam si nomine vno absoluto vtrumque & subiectum, & puram artis formam formaliter significemus, vt significamus, cum globum, aut statuam dicimus, non iam sumentur vt entia per accidens, sed quasi entia per se composita ex materia, & forma, quarum altera de altera eo pacto non dicitur. Vtroque tamen modo sub artem, & scientiam modo aliquo ea posse cadere, ex dicendis colligi poterit.

Artefacta quando vsurpentur vt entia per accidens.

Altero modo dicitur ens per accidens, effectus comparatus cum ea causa seu vera, seu ficta, à qua aut non per se prouenit, aut reuera non prouenit, vt ædificium collatum cum Medico, qui simul est Architectus, & homo arte sanatus cum Fabro, qui simul est Medicus, casusque fulminis in iter facientem collatus cum matutino eius exitu è cubiculo.

Posterior, pro effectu collato cum causa, à qua per se non prouenit.

Etsi

Quod ipsæ causæ non dicuntur entia per accidens.

A Etsi autem causæ per accidens comparatæ cum effectis, quæ ab eis non per se proueniunt, videri possent comprehendendæ in entibus per accidens, quemadmodum comprehensa sunt effecta per accidens cum eiusmodi causis collata: ea tamen ratione non sunt comprehensæ, quia appellari non solent entia per accidens, vt solent effecta per accidens.

Effectum per accidẽs æque dari in liberis & naturalibus.

Deinde animaduertendum est huiusmodi ens per accidens pro effectu per accidens acceptum, posse euenire æque in effectibus liberis, atque in naturalibus: nisi quod in liberis dicitur euentus fortuitus, in naturalibus autem casualis: quia causa per accidens quemadmodum & causa per se, duplex est: vna voluntaria, à qua est effectus fortuitus: altera naturalis, à qua est effectus casualis, de qua re multa dicuntur in secundo Physicorum libro: *cap. 5. & 6.* sed tamen hoc interest, quod in naturalibus nunquam datur effectus raro eueniens, qui sit effectus per se: in voluntariis autem datur & per se, & per accidens: per se, si eueniat ex intentione: per accidens, si vel contra, vel præter intentionem: nam subita remissio magnarum iniuriarũ, & alii actus heroici, qui raro accidunt, sunt effecta per se humanæ voluntatis, quia ex animo fiunt: occisio autem amici, quẽ quis putat inimicum, est effectus per accidens, quia non ex animo accidit.

Semper qui in natural. raro euenerit esse per accidens: non ita qui in liberis.

Obiectio.

Quod si quis obiiciat, diluuium particulare alicuius prouinciæ, & eruptionem ignis insolitam è visceribus terræ esse effecta, quæ in naturalibus raro eueniunt: & tamen euenire à causis per se: ergo non solum in voluntariis posse rara effecta euenire per se, sed etiam in naturalibus: hoc modo respondendum: Effecta quæ raro eueniunt in naturalibus, posse conferri vel cum causis raro etiam euenientibus, vt monstrum cum nimia redundantia, aut nimio defectu materiæ: vel cum causis ordinariis, vt idem mõstrum cum parentibus absolute cõsideratis: si priori modo conferantur, nullus est effectus raro contingens, qui non habeat causam per se: & hoc modo rara inundatio totius alicuius prouinciæ, aut ignis insolita eruptio habent causas per se, ipsam nimirum insolitam imbrium magnitudinem, & sulphuris ingentem copiam quæ nec semper, nec statis temporibus eueniunt, sed raro, ac nulla certa seruata lege. Si vero conferantur posteriori modo, vt illa cum ordinario nubium concursu, hæc autem cum ordinaria dispositione solis: non erunt hæ causæ per se, sed per accidens talium effectorum: quia huiusmodi effecta nõ intenduntur ab huiusmodi causis. Atq; hoc modo effecta, quæ raro eueniũt in naturalibus sunt effecta per accidens.

Diluitur.

Secunda obiectio.

Si quis rursum obiiciat, prolem maximi, ac insoliti ingenii, aut pulcherrimæ, & peregrinæ admodum formæ, esse effectum raro euenientem: nec tamen esse effectum per accidens, quia nihil magis exoptant parentes, quam excellẽtissimæ sobolis procreationem: hoc pacto occurrẽdum: Nomine effectorum raro euenientium non esse intelligenda hoc B loco quæcunq; raro contingunt, sed quę deficiunt ab ordinaria perfectione particularis naturæ, quæ nunquam, nisi in paucioribus deficere solet. Nam quæ propterea raro accidunt, quia rarę perfectionis sunt, ea cum iis, quę plerunque eueniunt, sunt connumeranda: quia natura particularis semper, quoad fieri potest, perfectissima intendit: & quãquam ea in se ipsis, nisi raro non assequitur: assequitur tamen ea, vt potest in iis, quæ vt plurimum eueniũt, quia ab ordinaria naturę C perfectione non deficiunt.

Dissoluitur.

Quænam raro contingere dicãtur.

text. 5.

Tertio loco animaduertendum est, cũ Aristoteles docet hoc capite, alia semper euenire, alia maiori ex parte: alia nec semper, nec maiori ex parte, non recte à quibusdam interpretibus accipi hoc tertium membrum pro iis tãtum, quæ raro eueniunt, cum re vera complectatur etiam ea, quę eueniunt ad vtrumlibet, quod multis argumentis patet. Primum, quia nunquam in toto hoc capite ea dixit ra- D ro euenire. Deinde, quia duplex illa negatio [nec semper, nec maiori ex parte] vtrumque genus complectitur, & ea, quę raro eueniunt: & ea, quæ ad vtrumlibet, seu non magis in hanc, quam in illam partem. Tertio, quia alioqui diuisio non esset adæquata, sed mutila, cum multa indifferenter eueniant pro vtraque parte. Quarto, quia exempla hominis albi, & albi Musici, non sunt ex iis, quę raro eueniunt. Postremo, quia id, quod Ari- E stoteles ostendit de entibus per accidens, non esse, inquam, eorum scientiam, quia non habent caussam determinatam, & definitam qualem per se caussam demonstrationes requirunt, æque verum est in iis, quæ ad vtrumlibet eueniunt, atque in iis, quæ raro accidunt: quo fit, vt non sit necessarius labor eorum, qui cum in tertio membro propositæ diuisionis sola ea, quæ raro accidunt, contineri putent, conantur reducere ea, quæ F ad vtrumlibet eueniunt, ad ea, quæ maiori ex parte accidunt: quod etiam qua ratione fiat, non satis ostendunt. Aiunt enim voluntatem, (*huic enim præcipue subsunt ea, quæ ad vtrumlibet eueniunt*) antequam se determinet ad vnam partem, non posse esse cuiusquã rei causam: cũ autẽ se determinauit, tum

Reiicitur inutilis quorũdam explicatio.

magis

Aliud esse magis inclinare in aliquā partē, aliud sæpius inclinare.

magis inclinare in vnam, quam in alteram, ac proinde iam eius effecta esse numeranda in iis, quæ maiori ex parte accidunt. Quod certe non videtur recte dici: tum quia aliud est magis inclinare in hanc, quam in illam partem aliud sæpius in hanc, quam in illam: (*potest enim voluntas, quæ nunc magis inclinat in hanc partem, sæpius inclinare in oppositam,*) tum etiam, qui si propterea intelligunt volūtatem determinatam numerandam esse inter caussas, quæ maiori ex parte suum effectum habent, quia homines sæpius amplectuntur vnum oppositorum, quam alterum, id non est verum vniuerse: plurima enim opposita sunt, in quorum vnum non magis propendent, quam in alterum, vt patet. Itaque non sola ea, quæ raro accidunt, comprehenduntur in tertio illo membro: sed etiam, quę indifferenter euenire solent in hanc partem, & in oppositam.

Quæ effecta dicantur necessaria.

Quarto loco animaduertendum est, ea omnia effecta, quæ semper aut maiori ex parte eueniunt, dici necessaria, quia vel simpliciter & absolute, vel sublatis impedimentis semper eueniunt, ea vero, quæ aliter eueniunt, dici contingentia, quia raro, aut æque pro vtraque parte accidunt.

Prima assertio.

His positis sit hæc prima conclusio. Si scientia sumatur pro quauis certa, & euidenti notitia, vt initio disputationum huius libri explicata est entis per accidens, qualecūque illud sit, scientia haberi potest. Hæc conclusio priori parte primi argumenti ex eo recte probatur, quia omnis certa notitia ad eu dētem aliquam reducitur. Quo autem pacto, quæ futura contingentia sunt possint certa, & euidenti notitia cognosci, ex sequentibus patebit.

Secunda.

Secunda conclusio. Sumpta scientia pro ea, quæ demonstratione philosophica comparatur, etsi Aristoteles absolute negat entis per accidens posse haberi scientiam, vt tamen eius mens distinctius explicetur, dicendum est, Entis per accidens priori modo sumpti haberi posse scientiam, atque adeo actu haberi, non tamen vnam omnino. Hæc etiam conclusio quoad priorem partem recte probatur posteriori parte eiusdem primi argumenti, exemplo Astrologiæ, & aliarum similium scientiarum. Quoad posteriorem autem ex eo patet, quia cum subiecta subalternatarum sint composita per accidens ex subiecto, aut quasi subiecto, & differentia extranea contrahente, aliquando demonstrationes procedunt ex principiis diuersarum subalternantium, ad quas subiecta illa, aut quasi subiecta & extraneæ differentiæ pertinent, vt est apertissimum in propositis scientiis: sæpe enim Musica vtitur principiis Physicæ propter vocem: sæpius principiis Arithmeticæ propter vocum proportiones: sæpe etiam Astrologia vsurpat principia eiusdem Physicæ propter naturam cœlestium corporum: sæpius Geometriæ, propter eorum magnitudines, & motuum longitudines.

Quid dicendum de artefactis, quæ pura artis forma constant.

Eodē modo sentiendum est de artefactis, quæ pura artis forma constant. Multa enim de illis demonstrari possunt ratione materiæ hoc est, rei naturalis subiectæ: multa etiam ratione formæ, vt de naui, de domo, & similibus. Potest etiam ex eo probari eadem pars, quia si de scientia omnino vna sermo sit, duobus argumentis negat Aristoteles huiusmodi entium per accidens esse scientiam: vno, quia ens per accidens hoc modo sumptum solo pene nomine est ens, quia nimirum solo pene nomine est vnum, vt in expositione cōtextus explicauimus: altero, quia non vna, & eadem generatione generatur: vna enim generatur subiectum, aut quasi subiectum, altera accidens, quod ei per accidens conuenit: quæ autem non eadem generatione gignuntur, non per se: sed per accidens vnum dicuntur, ac proinde scientia, quæ de eis habetur, non vna scientia omnino erit. Probari quoq; tota conclusio ex eo potest, quia definitiones rerum sunt principia demonstrationū, quib. comparantur scientiæ: nō solum autem subiecta incomplexa definiuntur: sed etiam modo aliquo ipsa complexa, & composita per accidens è subiectis, & accidentibus, vt homo albus definitionibus hominis, & albi, vt docet Aristoteles lib. 7.

Arist. 1. de anima c. 1. text. 11.

cap. 4. text. 16. & c. 5. text. 17.

Tertia assertio.

Tertia conclusio. Entis per accidens posteriori modo sumpti, etsi modo aliquo potest haberi demonstratiua scientia omnino vna: simpliciter tamen nulla talis scientia de eo habetur. Explicat hoc D. Thomas exemplo infiniti. Vt enim infinitum aliquo modo cognosci potest, nempe quoad ipsam infinitatē, quæ est negatio finitatis: simpliciter tamen, & absolute à nobis cognosci non potest: ita de ente per accidens sumpto pro effectu per accidens, quodammodo haberi scientia potest, nempe quoad ipsam eius declinationem, seu defectionem à necessitate aut constante, aut impedibili: (*quæ etiam declinatio priuatio quædam est*) simpliciter tamen, seu quoad rem ipsam scientia haberi non potest. Prior pars huius conclusionis ex eo probatur ab Aristotele, quia de huiusmodi ente per accidens quatenus tale est, sciri potest causari illud ab eo genere rerum, quæ maiori ex parte eueniunt: seu potius ab earum defectu, quod nimirū impedimenta varia suapte natura admittant

hoc loco. lect. 2.

mittant

mittant: Si enim hoc genus rerum non esset, sed omnia ex constanti necessitate euenirent; nullum esset huiusmodi ens per accidens. Posteriorem partem probat, tum lóga inductione paulo post initium capitis, cum ostendit nullam scientiam seu practicam, seu contemplatiuam curare ea, quæ per accidēs dici possunt de iis rebus, de quibus quæq; ex instituto agit; tum etiam ea ratione, quia effectorum per accidens, quatenus talia sunt, non sunt causæ vllæ certæ, ac definitæ, ex quibus demonstrationes fieri possint; tum deniq; ea ratione, quia nihil demonstratur, aut scitur, nisi quod ostēditur semper aut maiori ex parte conuenire subiecto demonstrationis: qualia non sunt ea, quæ dicuntur per accidens; sed ea sola, quæ per se conueniunt.

Obiectio. Quod si quis obiiciat, etiam ea, quæ à voluntate deliberata fiunt, euenire per se, quia ex voto, & intentione eueniunt; & tamen nec semper, nec maiori ex parte euenire, sed potius, spectata libertatis natura, ex æquo euenire, & non euenire posse: ergo aliqua demōstrari, ac sciri posse more Philosophico, quæ nec semper, nec maiori ex parte eueniunt: si quis, inquam, ita obiiciat, hoc modo respondendum est: *Responsio.* Feri quidem per se, & non per accidens ea, quæ ex intentione voluntatis fiunt; sed tamen eum modum, quo sic fiunt per se, non esse satis ad demonstrationem: ita enim pertinent ad quartum modum dicēdi per se, *1. post. ca 4. tex. 9. & 10.* vt non incidant in primum, aut secundum, qui soli admittuntur in demonstrationem, eo quod ij soli numerentur in necessariis. De qua re priori libro de posteriori resolutione *cap. 4.* agitur.

Secunda & 3 cōclus. breui proponitur. Potest etiam vis secundæ, ac tertiæ conclusionis sic proponi breuius, vt dicamus de entibus per accidēs, quatenus suo modo sunt entia & prima operatione intellectus apprehenduntur vt entia, posse haberi scientiam compositam vt de subiectis; eamque tum definitiuam, tum demonstratiuam aliquarū passionum: at quatenus sunt effecta per accidens, & secunda operatione intellectus vt enuntiabilia quædam sumuntur, non posse de illis haberi scientiam vt de obiectis demonstrabilibus, seu de iis, quæ demonstrantur, nisi quodammodo, nempe quatenus de illis demonstrari potest, quod demonstrari non possint.

Solutio argumentorum.

SECTIO III.

AD primum igitur argumentum initio propositum quid dicendū sit, ex prima, & secunda conclusione patet.

Ad secundum dicendum est, cum scientiæ particulares agant de multis entib. per acci- A dens priori modo sumptis, vt patet ex secunda conclusione, nil mirum esse, si in Metaphysica agatur de ente per accidens in commune, eodem modo sumpto, quo est multa simpliciter, & vnum secundum quid: quemadmodum è cōtrario plurima sunt entia per se, quæ sunt vnum simpliciter, & multa secundum quid, veluti lapis, aut lignum, & alia, quæ diuidi eodem modo possunt.

B Tertium argumentum ex tertia conclusione solutum relinquitur: loquitur enim iam de ente per accidens posteriori modo accepto, de quo etsi quædam attributa demonstrantur quo ad eam declinationem à necessariis, & maiori ex parte euenientibus, quam significat, quo pacto illa demonstrari posse fatemur de entib. per accidens in particulari (*hoc enim non rectè à quibusdam negatur*) tamen quoad ipsam rerum coniunctionem per accidens (*quod ab aliis dicitur: Quoad re substratam*) C non potest illud sub scientiam cadere, quia non habet causam vllam certam, & definitam, vt vel semper, vel maiori ex parte euenire demonstretur.

Ad quartum dicito, cum colligitur in demonstratione conclusio hæc [*Homo est risus capax*] aut alia similis; illud, quod scitur, vt obiectum, esse enuntiabile obiectū, quod enuntiationi respōdet: hoc autem acceptum formaliter, nempe vt obiectum est, esse ens D quoddam, quod appellatur verum, & est ens rationis: materialiter autem sumptum, seu pro rebus ipsis, quæ obiiciuntur, etsi est ens per accidēs, vt opponitur ei enti per se, quod per se ponitur in singulis prædicamentis; non tamen, vt hic accipitur, cum prædicatum cōueniat per se subiecto in secundo modo dicendi per se. *Quodnam sit scitum, quando conclusio demonstratur.*

Ad vltimum dicendum est, etsi lignum propriè, & per se fit calidum ab igne, idque vna E generatione secundum quid, tamen hoc totum, quod dicimus, [*lignum calidum*] non fieri vna, sed pluribus; nempe vna, qua fit ipsum lignum, & altera, qua illud fit calidum: proinde, si lignum calidum sumatur, vt est ens per accidēs priori modo, illius posse modo al quo esse scientiam, vt etiam numeri sonori, aut lineæ visualis, quatenus de toto aggregato aliquid demonstrari potest. Si vero sumatur vt ens per accidēs posteriori modo, F nempe quatenus calidum accidit ligno, nec semper, aut maiori ex parte ei conuenit: dicēdum est, lignum per se quidem quarto modo dicendi per se fieri calidum ab igne, verum, quia calidum nec semper, nec maiori ex parte dicitur de ligno, ac proinde nec per se in secundo modo, seu vt vera passio de subiecto, idcirco nec demonstrari, nec sciri posse. *Totū hoc, Lignum calidū non fit generatione.*

Num in rebus pure naturalibus detur aliquid contingens.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit contingens, & de quo genere contingentium in hac quæstione sit sermo?

SECTIO I.

Tria cōtingētiū genera. Primū cū res eueniunt præter intentionem.

Contingentium tria sunt genera: vnum eorum, quæ propterea dicuntur contingentia, quia præter intentionem eueniunt: suntque casualia, si eueniunt præter intentionem agentium naturalium; fortuita vero, si eueniunt præter intentionem agentium liberorum. Opponuntur autem huic generi ea, quæ per se, hoc est, ex intentione eueniunt. Alterum est eorum, quæ dici solent contingentia in essendo, hoc est, quæ ex essentia, & natura sua habent, vt possint esse, & non esse, etiamsi nunquam existant: hæc autem sunt omnia, quæ simpliciter, & absolute nec necessaria sunt, nec impossibilia. Atque huic generi nullum ens opponitur, nisi solus Deus: omnia cum infra Deum sunt hoc pacto contingentia, solusque Deus est ens simpliciter necessarium; & sola ea, quæ contradictionem inuoluunt, simpliciter impossibilia. Tametsi quædam infra Deum ea ratione dicuntur necessaria, quod postquam ab eo facta sunt, non possunt per causas vllas naturales existentiam suam amittere, vt cœlestia corpora, materia prima, & rationales: quædam etiam aliquando dicuntur impossibilia, quod per causas naturales fieri nequaquam possint, vt quod aliquis videat, postquam videndi potentiam amisit, aut viuat, postquam vita functus est.

Secundū contingentiū in essendo.

Omnia præter Deum esse huiusmodi.

Tertium in eueniendo.

Tertium genus est eorum, quæ dici possunt contingentia in eueniendo, hoc est, quæ eueniunt illa quidem aliquando; sed tamen ita eueniunt, ab iis ipsis, à quibus eueniunt, possint non euenire; cuiusmodi sunt ea quæ à liberis agentib fiunt. Huic vero generi opponuntur ea, quæ positis eorum causis, & sublatis impedimentis, si qua sint, necessario eueniunt, vt dies posito sole super terram, & combustio ligni applicato igne, & expedito.

Quæ causæ in agendo dicantur cōtingentes, quæ necessariæ.

Ex hoc autē tertio genere contingentium: & opposito necessariorum euentuum colligitur quædam diuisio causarum efficientium in hac materia valde vsurpata, qua aliæ dicuntur contingentes in agendo, aliæ necessariæ. Contingentes in agendo sunt, quæ applicatæ, & expeditæ possunt agere, & non agere;

A necessariæ autem, quæ eodem modo positæ non possunt non agere. Itaque priora tria genera contingentium sunt genera entium, vt entia sunt, entitatemve aliquam accipiunt, aut retinent; hæc autem duo posteriora sunt genera causarum, vt causæ sunt, hoc est, vt entitatem aliquam conferunt, aut conseruant. Quæ omnia diligenter notanda sunt, nisi quis in hac materia, quæ est ex difficilioribus in tota Philosophia, hallucinari, & implicari velit.

B *Non procedit quæst. de 1. genere.*

Quæstio igitur proposita non est intelligenda de contingentibus primi generis, vt talia sunt: satis enim perspicuum est dari in rebus pure naturalibus multa, quæ præter intentionem suorum efficientium eueniant, vt nostra omnia, & alia effecta casualia; veluti combustio arboris fulmine a nubibus eiaculato, & varius animalium brutorum casualis occursus. Minus etiam intelligenda est de secundo genere contingentium, cum omnia, quæ gignuntur, & intereunt, ex essentia, naturave sua habeant, vt possint esse, & non esse in rerum natura: imo & cœtera omnia entia infra Deum spectata eorum essentiali dependentia, quam habent à diuina natura: tametsi, quia non experimur cœlestia corpora deficere, non defuerunt, qui crediderint ea semper extitisse, neque esse natura sua contingentia, sed necessaria. Intelligenda ergo est quæstio de tertio genere contingentium, videndumque, num in rebus pure naturalibus detur aliquid contingens huius generis, quod nimirum ita eueniat à suis causis, vt ab eisdem posset non euenire. Nam luce clarius est dari in nobis, quatenus arbitrij libertate vtimur, plurima huiusmodi contingentia: quod vsque adeo perspicuum est, vt recte dicat Scotus, id per aliquid, quod re ipsa nobis euidentius sit, demonstrari non posse: nec certe Aristoteles, Platove, aut alius magni nominis Philosophus, seu Theologus id hactenus à priori demonstrauit; sed tantum ex incommodis, quæ alioquin sequerentur, coarguunt proteruos, qui ea incommoda esse negare non audent: quorum argumentorum pleni sunt libri & Philosophorum, & Patrum, & nostræ potissimum ætatis Theologorum, qui contra Lutheranorum insaniam hac de re scripserunt. Si quis tamen in hac vita ipsam animæ nostræ essentiam quiditatiue cognosceret, nō dubium, quin per eam priori liberi arbitrij nostræ facultatem demonstrare posset. Itaque in hac re ostendenda laborandum nobis non est, cum id ignorare nemo possit, nisi qui se hominem esse nō meminerit: sed illud tantum inferius diligenter curandum, vt per se notam nobis vim liberi arbi-

Nec de secundo.

De his Arist. 1. de cælo c. 8. à tex. 76. & lib. 2. c. 3. tex. 17 & aliis locis.

Sed de 3.

Certū est dari in causis liberis effectum contingentem. In 1. d.

arbitrij nostri à calumniis quorundam & Gentilium, & Hæreticorum vendicemus: & libertatem nostram cum certa, & infallibili Dei Opt. Max. futurorum contingentium præscientia, & prouidentia cohærere ostendamus.

Itaq; de rebus pure naturalibus, semota omni liberi arbitrij consideratione, tota dubitatio est, denturne in eis euentus contingentes, ita nimirum, vt ab iis ipsis efficientibus, à quibus aliquid euenit, posset non euenire.

Quam vim habeant rationes, quæ pro affirmatiua quæstionis parte afferri solent?

SECTIO II.

1.p.q.14.art. 13. & q.14. ar.6. & 2.2.q 95.ar.5. & 3. contra. gent. c.86. de Malo. q.10.art.7.ad 17. de Verit. q.2.ar.14. Ægid quodl. 4. Alb. 1.p.q. 26.mē. 3.ar. 2. fauet. Aug 5. de Ciuit. c. 26. Scot. in 1. d.2.q 2. & d. 8 q.5. & d.39 q.3. & in 2.d. 1.q.5. Auic. 10. sua met.c. 1. Ocb. quodl. 1.q.17. Gabr. in 1.d.38.ar.1 Fer.3. cōtra gēs.c.86 Quā vim habeāt hac arg. pro opin. D. Thomæ. Aliæ rationes.

IN hac quæstione oppositæ videntur D. Thomæ, & Scoti sententiæ, quas multi, & graues autores hinc inde tuentur. D. enim Thomas videtur credere non omnia in rebus pure naturalibus necessario euenire, sed multa contingenter, posito etiam huiusmodi ordinario progressu, soloq; Dei concursu, & remoto quocunq; alio particulari, & extraordinario. Scotus autem plane contrariam sententiam amplectitur.

Ac dari multa, quæ in rebus pure naturalibus contingenter eueniant, supposito etiam naturali ordine vniuersi, ex eo primum probant nonnulli, quia nullæ res magis contingenter euenire videntur, quā monstra, & portenta, quæ aliquando, tametsi raro, in rebus pure naturalibus euenire conspicimus. Deinde, quia quicquid per accidens euenit, contingenter euenit, cum præter intentionem eueniat: multa vero in rebus pure naturalibus per accidens euenire nemo est, qui dubitet. Verum hæc argumenta nihil aliud probant, quam quod in rebus pure naturalib. dentur contingentia primi generis, quæ nimirum præter intentionem suorum efficientium eueniant: de quo genere, vt nemo dubitat, ita nec quæstio proposita intelligitur.

Alij partem eandem quæstionis ex eo primum probant, quia in rebus pure naturalibus dantur plurima, quæ constant materia priuationi, & contrariis qualitatibus obnoxia: quæ autem talia sunt, contingentia sunt plane cum & esse, & non esse possint. Deinde, quia quicquid est in rerum natura, aut est necessarium, aut contingens: (*præter hæc enim omnia sunt impossibilia*) at in rebus pure naturalibus non esse omnia necessaria per se notum est, cum non omnia semper existant. Postremo, quia nisi in rebus pure naturalibus darentur aliqua vere contingentia, deesset in vniuerso quoddam ex primis entium generibus, ac proinde imperfectus esset mū-

A dus: quæ enim possunt esse, & non esse, saltem ex ea parte, qua esse possunt, rationem verorum entium habent.

Quā item habeāt.

Sed neq; huiusmodi argumenta quicquam aliud concludunt, quam quod dentur in rebus pure naturalibus plurima contingentia in essendo: quæ talia propterea dicuntur, quod natura sua possint esse, & non esse: hæc autem omnia pertinent ad secundum genus contingentium, de quo etiam non est quæ-

B stio, quia contingentia in essendo per se nota sunt: sed de vtroque genere dubitatur, num ea quæ in eis continentur, contingenter eueniant, an vero ex necessitate? quod iam pertinet ad tertium genus eorum contingentium, quæ appellauimus in eueniendo. Vnde patet argumentorum solutio, nisi quod tertium ea etiam ratione peccat, quod videtur cōstituere mundum ex solis pure naturalibus, cum relinquat ea, quæ præcipuæ considerationis

C sunt, nimirum quę ex libero arbitrio pendēt: neque enim si contingentia in rebus pure naturalibus desint, propterea in tota rerum vniuersitate deerunt: possunt enim dari, vt re vera dantur, in iis, quæ ex libero pendent arbitrio, ex quibus etiam mundus constat. Itaque, qui propositis argumentis vtuntur, nihil de hac quæstione, vt ea intelligenda est, tradunt.

D *Num in pueris, & amentibus, in brutisque animantibus detur indifferentia in agendo.*

SECTIO III.

Aliorū argumentum ad dari contingentiam in naturalibus quod in pueris, amentib. & belluis detur indifferētia.

HOC cum alij videant, & nihilominus in effectis pure naturalib. eam contingentiam, de qua est sermo, asserere conentur, recurrunt ad argumenta ex instantia: sic enim argumentantur. Pueri ante vsum rationis, amentes etiam, imo & belluæ in quibusdam

E earum actibus; censeantur agentia pure naturalia, hoc est, non libera, quia non agunt ex libero arbitrio: & tamen ex se sunt indifferentia in agendo, quia sponte sua agunt hoc vel illud: vel etiam ab agendo abstinent: ergo vere, & proprie contingenter agunt, & eorum effecta vere, & proprie contingenter eueniunt. Ac de pueris, & amentibus vel quotidiana experientia res videtur perspicua. In belluis autem idem ex eo probant, quia, cum di-

F uersa obiecta eis proponuntur æque appetibilia æque propinqua, & quæ æque facile adiri possint: ipsæ se determinant ad hoc, vel ad illud: quod idem videntur aut facere, aut posse facere in biuio, & cum è somno surgunt cum scilicet nullum obiectum eas magis trahit in hunc, quam in illum locum.

Quin etiam addunt in non viuentibus eam

 indif-

Videri etiam ea cerni in nō viuentib.

indifferentiam agendi aliquando euenire posse, veluti cum in vase rotundo, beneque obturato, & æqualis vndique crassitudinis contenta aqua gelatur: necesse est enim, vt illud tunc vacui vitandi causa frangatur: quare cum non maior sit ratio, cur ea aqua, cum in minorem molem contrahitur, frangat vas in hac parte, quam in illa, ex infinitis nimirum, in quibus illud frangi potest: dicendum putant, in ea aqua esse indifferentiam quandam agendi, quasi possit illud in quacunque parte frangere.

Sunt qui pueris & amentib. etiam libertatem tribuant.

Et quidem, quod attinet ad pueros, & amentes, non desunt, qui vtrisque non indifferentiam modo, sed etiam libertatem aliquam tribuant; non quidem, quæ satis sit ad meritum, & demeritum; sed quæ sufficiat, vt eorū operationes (saltem aliquæ) dici possint esse in eorum potestate: id quod alij etiam extendunt ad bruta animalia in iis actibus, in quibus oportere videtur, vt ipsa se determinent ad agendum, ne propter indifferētiam obiectorum, quæ tunc se offerunt, quasi ligata, & impedita sint ad agendum: quod esset contra propensionem cuiusuis naturæ, quæ ex se actuosa est in rebus omnibus.

Dari tamē in iis & in brutis eius similitudinē, & vestigium.

Verum etsi in quibusdam puerorum, & amentium actibus quædam expressior libertatis similitudo cernitur, & aliquando in brutis animantibus quoddam obscurius vestigium libertatis: neutro tamen modo in iis omnibus est vera libertas, siue quæ satis sit ad meritum, & demeritum, siue quæ sufficiat, vt vllæ eorum operationes vere dicantur esse in eorum potestate. Primum, quia vtraque libertas (*si duplex est, & non potius vnica*) postulat rationis vsum: vbi enim vsus rationis non est, non solum non possunt esse virtutum, aut vitiorum operationes, quibus solis meremur, aut demeremur, sed neque operationes vllæ dicuntur esse in operantium potestate: quandoquidem potestas in hac significatione idem est, atque dominium; at dominium sine ratione nullum omnino est. Deinde, quia vbi nulla potest esse deliberatio, seu formalis, quæ fit cum discursu, seu virtualis, quæ sine discursu; nulla omnino libertas vera dari potest: at in pueris, & amentibus, brutisque animantibus neutra potest esse deliberatio: ergo neutra libertas. Tertio, quia etsi daremus, hanc potestatem agendi opposita non esse libertatem, certe in solis potentiis rationalibus eam ponit Aristoteles libro nono: quæ tamen potentiæ nullæ dantur in brutis animantibus, vt patet: quo fit, vt saltem in his nullam omnino ponat ille potentiam agendi opposita: sed vnum tantum, ad quod eorum natura deter-

A minata est, nisi quod impediat. Quarto, quia omnes ferme & Theologi, & alij veræ Philosophiæ cultores parem in agendo rationem aiunt esse in pueris, & amentibus, atque in brutis animalibus: nullus autem eorum est, qui asserat brutum aliquod animal habere vnquam dominium sui actus, aut eius operationes esse in eius potestate. Postremo, quia nullum re vera est aliud fun-

B damentum meriti & demeriti, laudisque & vituperationis, quam quod opus agentis sit in eius potestate, vt patet ex tertio Ethicorum libro: quare si puerorum, ac amentium, & aliqua brutorum animantium opera essent in eorum potestate: non esset, cur eis negandum esset meritum aliquod, aut demeritum: nullo igitur modo eorum operationes sunt in eorum potestate. Quocirca recte † ea dici solent potius agi, quam

C agere. Accedit communis * Patrum sententia, qui nullis agentibus libertatem, aut potestatem, dominiumue suarum operationum tribuunt, nisi solis ratione vtentibus: & quod magis vrget, sacrarum Scripturarum testimonium, quæ ex omnibus animantibus solum hominem aiunt positum esse in manu † consilij sui, vt ad quæ velit, manum porrigat: nempe, vt intelligamus, rem nullam habere dominium suorum actuum, ni-

D si quæ consilio, & deliberatione vti potest: bruta vero animalia multis in locis naturali impetu ad agendum ferri pronunciant, quod non habeant suarum operationum dominatum.

Arist. 6. Eth. 13. & de hist. animal. lib. 8 c. 1. D. Th. 1. 2 q. 6. ar. 2. eod & q. 13. ar. 2. ex Nyss. lib. 4 sua Philo c. 4

Fundamentū meriti & demeriti. Cap. 5.

*† Damasc. lib. 2. fid. c. 27. * Nyss. lib. 5. Phil. c. 4. Damasc. 2. fidei c. 24. & 27. D. Th. 1. p. q. 59. ar. 3. & de verit. q. 22. ar. 1. & q. 24. ar. 1. & Arist. 3. Eth. c. 1. & 2. & lib. 2. mor. ad Eudem. c. 10. † Eccl. 16. Ps. 31. & 48.*

Ad argumentum igitur dicendum, in pueris ante vsum rationis, & in amentibus neque esse libertatem vllam veram, sed quandam expressiorem libertatis similitudinem, vt dictum est: neque etiam spontaneum in

E eis ita cerni, vt indifferenter in hoc, vel illud ferantur, aut, ab actu se cohibeant: multoque minus id concedendum esse in brutis animantibus. Hæc enim omnia sic mouentur ab obiectis, vel alia ratione à natura impelluntur, vt nisi quid impediat, semper ea, quæ vt appetibiliora se illis offerunt, naturæ ductu amplectantur: quæ vt deteriora, respuant: quando autem illis obiiciuntur plura æque appetibilia, æque propinqua, & quæ

F æque facile obtineri possint: non ipsa se determinent ad vnum potius, quā ad alterum: sed vel tantisper subsistant: (*quod nonnunquam in eis videmur experiri:*) vel statim determinentur à prima causa, ad quam pertinet in similibus euentibus, qui rarissimi sunt, supplere defectum secundorum agentium. Nam cum illa continenter id faciat in determinandis causis particularib. vt potius hunc numero

Pueri amentes & bruta, interdū natura ductu operari, interdū de nouo determinari à Deo.

6.2.q.9.sect. 2.& 5. *Idem determinat non vinentia.*

numero effectum producant, quam illum ex infinitis eiusdem speciei, ad quos ille sunt indifferentes, vt superiori libro ostendimus: cur non magis id faciat in huiusmodi rarissimis euentibus? Atque hinc solui potest illud de vase, in quo aqua gelatur. Dato enim eo euentu, à Deo determinandus est necessario locus siue pars, in qua futura est fractio: alioquin euentus ille esset omnino per accidens seu præter intentionem cuiuscumque causæ, etiam primæ: à qua item præsciri non posset, si oporteret eum (*vt nonnulli volunt*) in suæ causæ penetratione cognosci: quæ tamen dicenda non sunt. Fractio enim in hac parte vasis potius, quam in alia, quemadmodum in eo euentu non intendetur à causa particulari: ita neque à Deo, nisi Deus locum fractionis determinet.

Dubium.

Siquis autem obiiciat ea, quæ à Deo fiunt, libere fieri: ergo ea, quæ fiunt ab eo supplente defectum rerum naturalium in agendo, non necessario fieri: hunc in modum respondendum est.

Soluitur.

Quemadmodum concursus Dei generalis, quo concurrit cum rebus naturalibus ad earum actiones, vt cum igne in calcefaciendo, & cum aqua in refrigerando, etsi liber est: tamen ea ratione censetur necessarius, quia Deus quasi lege lata statuit se id semper facturum: ita ea, quæ fiunt à Deo supplente defectum naturalium agentium, vbicunque propter ipsorum indeterminationem agere non possunt, etsi is est liber, tamen censeri necessario fieri, quod etiam ipse quasi altera lege id se facturum ab æterno statuerit.

Resolutio quæstionis.

SECTIO IV.

Assertio bimembris.

DICENDVM igitur, etsi in rebus pure naturalibus dantur contingentia in eueniendo comparatione suarum causarum particularium præcise sumptarum, tamen posito generali ordine causarum omnium à Deo instituto, omnia in eo rerum genere simpliciter, & absolute necessitate naturali euenire.

Probatur prior pars. Omnes causas secundas esse naturaliter impedibiles.

Prior pars ex eo probatur, quia causæ omnes secundæ naturales, (*loquimur autem de efficientib.*) sunt naturaliter impedibiles quoad effecta sublunaria: tum propter indispositionem materiæ, quæ indispositio sæpe obstat, quominus effectus sequatur: tum etiam propter imperfectionem virtutis agentium, quæ non semper sibi possunt plene materiam indispositam subiicere: at effecta, quæ à causis impedibilibus eueniunt, contingenter eueniunt respectu earum: quia ita ab eis eueniūt, A vt eis præcise spectatis possent non euenire: dantur igitur in rebus naturalibus contingētia in eueniendo, si eorum causæ peculiares secundum se spectentur.

Probatur posterior.

Posterior pars hunc in modum probatur. A causis pure naturalibus, si sint sufficientes ad agendum, & sufficienter applicatæ, neque impeditæ, necessario sequitur effectus: (*quod est omnium Philosophorum commune axioma*) si autem impediantur ab aliis pure naturali- B bus, illud euenit necessario, quod potentiores per se, aut impeditæ simul, & impedientes communi opera facere possunt, veluti cum in elementorum pugna alia in alia, aut in commune mistum transmutantur: quicquid igitur à causis pure naturalibus fit, siue expeditæ illæ sint, siue eis impedimentum naturaliter afferatur, non contingenter, sed ex necessitate euenit. Deinde, cum agens tantæ virtutis est, vt possit perfecte suæ actioni pas- C sum subiicere, si agens ex necessitate naturæ agit, effectus necessario sequitur: at tota aggregatio cœlestium corporum est causa vniuersaliter concurrens ad actiones pure naturales, quæ in his inferioribus fiunt: cū omnes inferiores causæ naturales ab illis superioribus in operando pendeant, vt tradit Aristoteles in Meteoris: eademque aggregatio tantæ virtutis est, vt possit sibi subiicere omnia inferiora, quæ pure naturaliter patiuntur: (*ma- D teria enim prima, quæ supponitur omnibus actionibus naturalibus, nihil ei omnino resistit: composita vero corruptibilia, si non virtute vnius corporis cœlestis, virtute alterius, aut plurium superari possunt*) ergo cum tota illa aggregatio ex necessitate naturæ agat, quicunque effectus in his inferioribus illius actionem sequitur, necessario sequetur.

Causarum inferiorum naturalium à cœlo dependentia. lib. 1. c. 2.

Postremo. Totus causarum naturalium ordo, quem supponimus à Deo institutum, non excludit il- E lius intentionem, aut efficientiam; sed potius supponit, atque exequitur: cum igitur nihil omnino per causas secundas sic à Deo ordinatum, & quasi naturaliter administratum subterfugere possit ordinem huius diuinæ dispositionis, & gubernationis, nullus omnino effectus pure naturalis esse poterit, qui supposito huiusmodi ordine non necessario eueniat.

Locis sup. cit. Explicatur mens D. Th.

Vnde quod D. Th. & alii graues autores aliquando dicunt dari aliqua effecta in rebus F pure naturalibus, quæ non necessario à suis causis, sed contingenter eueniant, plane intelligitur præcise comparatione causarum particularium, non item vniuersalium, præsertim primo etiam quatenus more naturalium causarum per corpora cœlestia hæc inferiora gubernat. Sic enim D. Thomas scribit

in 1.p.quæst.19.art.6. Licet aliquid fiat extra ordinem alicuius causæ particularis, non tamen fit extra ordinem causæ vniuersalis,sub qua omnes caussæ particulares comprehenduntur: quia si aliqua caussa particularis deficit à suo effectu, hoc est propter aliquam aliam caussam particularem impedientem, quæ continetur sub ordine caussæ vniuersalis: vnde effectus nullo modo potest exire ordinem caussæ vniuersalis. Et hoc etiam patet in corporalibus: potest enim impediri,quod aliqua stella inducat suum effectum; sed tamen quicunque effectus ex caussa corporea impediente in rebus corporalibus consequatur, oportet,vt reducatur per aliquas caussas medias in vniuersalem virtutem primi cœli. Hæc Diuus Thomas. Quo loco (*Vt de corporalibus,ac pure naturalibus tantum agamus*) nomine primi cœli intelligendum est primum cœlum simul cum prima caussa quasi naturaliter corporalia omnia gubernante: alioquin si intelligeretur simul cum primo aliquo mouente creato, vt solum est mouens motu diurno, non esset verum,quod ait Diuus Thomas: non enim omnes motus inferiorum cœlorum ex motu primi pendent, nisi quatenus ab eo attemperantur, vt omnes cœli quotidie totum terrarum orbem circumeant, neastra, quæ circumferuntur,diutius, quam par sit,eidem regioni præsentia sint, & longiori temporis spatio,quam sit necesse, ab aliis omnibus absint.

Quid nomine primi cœli intelligat.

Quo autem pacto effecta naturalia, quæ sæpe eueniunt contingenter, & per accidens respectu causarum particularium, eueniant necessario, ac per se respectu primæ caussæ, hunc in modum explicat Diuus Thomas multis in locis. Quia,cum agentia pure naturalia determinata sint ad vnum, fieri non potest; vt in suis actionibus intendant effecta per accidens, quæ semper coniuncta sunt ex pluribus, quorum neque alterum per sese quærit ex altero; neque vtrumque ex eadem tertia particulari caussa: cuiusmodi sunt casus fulminis coniunctus cum deiectione turris, & occursus ouis cum lupo ad fontem bibendi caussa. At agentia per intellectum, cum possint plura hoc modo diuersa in vnum colligere, nihil prohibet, quominus illa intendere,ac efficere possint. Hæc luculentius D. Thomas in prima parte vltimo articulo quæstionis 115. & primo quæstionis 116.in quorum locorum priori exponendo Caietanus plus æquo laborat, seque cruciat, vt effecta per accidens caussarum pure naturalium ab omni eueniendi necessitate liberet; quam tamen necessitatem, etsi D. Thomas confusius in priori loco tangit, in posteriori perspicue asserit.

Vt sint necessaria respectu causæ primæ multa contingentia respectu secundarum. 1.p. q.103.art.7. ad 2. post Aug. lib. 83. q.24. & Boet.5. de consol.pros.1.

Ex proposita assertione patet, in rebus pure naturalibus aliqua euenire contingenter respectu caussarum particularium, quæ non eueniunt contingenter; sed necessario respectu caussæ vniuersalis: proinde in eueniendo dari in effectis per accidens pure naturalibus contingentiam secundum quid, & necessitatem simpliciter. Nam quemadmodum actio, qua mercator vi tempestatis iactat merces in mare,dicitur à D.Thoma inuoluntaria secundum quid, voluntaria autem simpliciter, eo quod mercator,etsi extra illud periculum vellet eas seruare,in eo tamen euentu mauult eis priuari, quam naufragii periculo se committere: ita in effectis per accidens caussarum pure naturalium accidit. Quamuis enim huiusmodi effecta possent non euenire spectata natura caussarum impedibilium, à quibus proueniunt,& ea ratione dici possint contingentia secundum quid: tamen, quia supposito hoc vniuersi ordine, nulla eorum sunt,quæ possint non euenire; merito omnia dicenda sunt simpliciter, & absolute ex necessitate euenire.

Summa traditæ doctrinæ.

1.2.q.6.art.6.

Qua ratione fatum concedi possit?

SECTIO V.

SED contra hæc sic aliquis obiiciat. Si omnia effecta caussarum pure naturaliũ necessario eueniunt ratione eius ordinis vniuersi,qui à Deo institutus est; necessario in eis concedendum est fatum: at Patres † ne in hoc quidem genere illud videntur concedere, inde enim est illud* Gregorii, cum loquitur de stella,quæ Magos ad præsepe Domini perduxit: *Absit à fidelium cordibus, vt fatum esse aliquid dicant*: (loquitur enim de influentiis naturalibus, quas Astrologi dicunt in iis, qui nascuntur ab astris imprimi) non igitur omnia effecta caussarum pure naturalium necessario eueniunt.

Argumentũ contra resol. traditam.

† Vt Aug. 5. de ciu. c.9 & tr.37. in Ioã. & Nyss.lib. 6. in Philos. c.2.

** Greg. homil.10. in Euang.*

Sed vt infirmitas huius argumenti pateat, misso errore,seu potius stultitia eorum, qui omnia temere, casuve quasi emersisse, & gubernari crediderunt; illud intelligendum est, duobus modis posse fatum considerari; vno ex parte caussarum, altero ex parte effectorum. Ex parte caussarum triplex adhuc fuit fati vsurpatio: fuerunt enim, qui dicerent, naturam, & vim cœlestium corporum esse ipsum fatum, quod cœli tantum dominatum haberent in hæc inferiora, vt etiam hominum voluntates ineuitabili necessitate eis subderentur. Verum hæc absurdissima opinio veterum quorundam Naturalium, qui intelle-

Duæ fati vsurpationes.

Prior, eaque triplex.

ctum

3. de Anima c. 3. text. 150.
† Vt Priscill. apud Aug. de hæres. c. 70.
** Concil. 1. Brachar c. 9. & 10. Leone. 1 ep. 9. c. 11. Aug. 5. de ciu. à c. 1. vsque ad 7. & lib. 7. confess. c. 6. Euseb. lib 6 de præp. Euang. Damasc. 2. fidei c. 7. & Tullio lib. 2. de Diuin.*
† Vide Aug. 5. de ciu. c. 8. & seq.
** Clem. libr. 3. recogn.*
** Vera de fato sententia iuxta Aug. 5 de ciu. c. 1.*

ctum à sensu non distinguebant, vt ait Aristoteles, (*quæ etiam postea fuit quorundam † Astrologorum distinctionem intellectus à sensu agnoscentium*) non modo à * Patribus, sed etiam ab omnibus præcipuis Philosophis damnata est. Alii fatum ab ipsa Dei prouidentia ea ratione non distinxerunt, quod putarent Deum prouidentia sua necessitate rerum omnium operationes, nullamque creaturam esse liberam in agendo, sed ea tantum agere, ad quæ fatali necessitate determinetur, & quasi impellatur à diuina voluntate: quam non modo absurdam, sed etiam blasphemam sententiam multi tribuunt Stoicis; cum tamẽ alii sentiant eos in hac quæstione de rebus tantum naturalibus, quemadmodum & † Platonem, loquutos esse. Illud certum est eum errorem post Christum in terris natum ortũ esse primum à * Simone Mago, quem deinde sequuti sunt † Manichæi, postea Mahometani, postremo Lutherani cum Vvicleffo, & aliis quibusdam Lutheri præcursoribus. Denique * alii fati nomen ad bonum, & pium vsum traducentes aiunt, verum fatum nihil esse aliud, quam ipsam diuinam prouidentiam attingẽtem a fine vsque ad finem fortiter, & disponẽtem omnia suauiter, hoc est, finem cuique rei præscribentem, eamque congruenti ordine, ac modo iuxta cuiusque naturam ad illud obtinendum dirigentem. Quæ sententia, vt vera & pia, Theologorum est omnium; nisi quod ea retenta consulto dicunt à fati nomine abstinendum, ne iuxta duas priores fati significationes credatur aliquis in rerum omnium creatarum operationibus fatalem necessitatem inducere.

Ex parte effect. vsurpatio, etiam triplex.

Ex parte item effectorum tripliciter quoq; fatum vsurpatum est, iuxta triplicem eiusdem ex parte causarum acceptionem: verum in effectis etiam fati nomine ea tantum admittenda nobis est dependentia, & subiectio, quæ prouidentiæ diuinæ omnia suauiter disponenti ex parte creaturarum mutuo respondet. Nec vero dubium est, hanc dependentiam, & dependendi ordinem fati nomine significari.

Boet. 4. de cõsol. prosa. 6. & D. Th. 1. par. 116. ar. 2.
† Quid sit fatum ex parte effectorum. Infallibile dicendum, non inevitabile.

Quin etiam veri fati vocabulum potius ex parte effectorum, quam causarum Theologi vsurpant, vt verum fatum nihil sit aliud, quam † infallibilis quædam, sed suauis, & iuxta cuiusque rei naturã, diuinę prouidentiæ executio: quæ quidem in quibusdam est necessaria, nempe in quibusdam diuina prouidentia necessarias causas præparauit, in aliis vero contingens, in quibus præordinauit cõtingentes: semper tamen certa, & infallibilis; quo verbo vtendum est, pro *Ineuitabilis*, quod ineuitabile sonet necessitatem quandam, & veluti coactionem, infallibile autem certitudinem tantum futuri euentus. Pro qua re legendus est omnino Augustinus 5. lib. de ciuitate Dei, & Boetius quinto de consolatione philosophica, quos D. Thomas in prima parte summæ Theologicæ, q. 116. & aliis locis sequutus est.

3. Contra gent. c. 93. & opusc. 28.
Ad arg. Quo sensu Patres fatũ damnent.

Ad argumentum igitur tria dicenda sunt. Vnum est, cum Patres & priuatim scriptis suis, & communiter in conciliis fatũ excludunt, nihilque illud esse dicunt, siue actiue in ipsa causarum dispositione, siue passiue in effectis intelligatur; eos de prima, & secũda fati vsurpatione loqui; quod fatum in vtraq; significatione liberi arbitrii vsum adimat, vel in hominibus tantum, vt prima opinio, vel in Angelicis etiam spiritibus, vt secunda. Quo fit, vt cũ non excludant tertiam fati significationem, sed potius approbent, tantumque ab ipso fati nomine, alioquin suspecto, abstinẽdum moneant; adhuc relinquatur fatalis necessitas in rebus pure naturalibus, simul cum libertate, ac contingentia in humanis & Angelicis operationibus.

Quomodo reduci possit ad veri. Ido fato sent.

Alterum est, si à prima opinione de fato tollatur necessitas humanarum actionum, tantumq; res pure naturales, aut etiã ipsi homines ratione solius corporeæ constitutionis dicantur subdi cœlestibus corporibus, nõ dubium esse quin ea sententia sit vera. Vt enim cœlestia corpora concurrunt ad generationẽ rerum naturalium; ita & earum conseruationem, operationesq; pure naturales; vnde fit, vt inferiora omnia hoc pacto sumpta sequãtur vim dispositionis astrorum necessitate quadam naturali, impedibili tamen duobus modis. Vno ratione mutabilitatis materiæ horum inferiorum per contrarias qualitates, ob quam sæpe illa apte disposita non est ad recipiendam cœlestem aliquam impressionẽ: ad quod impedimentum reduci potest debilitas agentium sublunarium, quorum interuentu cœlestia corpora in agendo sæpe in his inferioribus vtuntur. Altera ratione oppositionis virtutum cœlestium; sæpe enim astra vi sua aliis astris se opponunt propter varios orbium cœlestium motus, quibus modo hoc pacto, modo illo in toto cœlo disponuntur: quod in causa est, vt alia ab aliis sæpe quoad propria effecta apud nos impediatur. Verum hæc naturalis necessitas, etsi impedibilis est comparatione huius vel illius causæ; tamen si ad totius cœli dispositionem respiciamus, nẽpe agentium, adiuuantium, & impedientium comparatione effectorum sublunarium; cum totus hic ordo naturalis sit, neque in hac cõsideratione admittamus vllam actionem liberam præter eas, quibus & Deus Opt. Max.

Dupliciter impediri vim astrorũ, quam habẽt in corpora inferiora.

& substantiæ cœlorum motrices more naturalium causarum ad effecta naturalia côcurrunt, nihil sane restat, à quo naturaliter impediri possit.

Extraordinarios effectus esse diuinæ libert. indices.

Illud tamen consideratione dignum est, sæpe Deum diuersis ætatibus, non tantum in his inferioribus, sed in ipso etiam cœlo ostendisse effecta aliqua, quæ ad causas naturales referri non possent, vt homines intelligerent (*etiam ii, qui sola naturalia considerant*) primum rerum autorem liberum esse in agendo, etsi ordinarie causarum naturalium more in huiusmodi administratione agat. Eiusmodi autem sunt plurima portenta, quæ etiam apud Gentiles ad aliquid futurum significandum præter omnem naturæ cursum Deo autore extiterunt, vt Augustinus 21. libr. de ciuitate Dei scribit: id quod in vno cœlesti prodigio satis se ostendere existimat: *Quid* ita inquit, *dispositum ab autore cœli, & terræ, quemadmodũ cursus ordinatissimus syderum? quid tam ratis legibus, fixisq; firmatum? & tamen quando ille voluit, qui summo regit imperio, ac potestate, quod condidit, stella præ cæteris magnitudine, atq; splendore nôtissima colorem, magnitudinem, figuram, & (quod est mirabilius) sui cursus ordinẽ, legemq; mutauit.*

cap. 8. D. August. pulchra consideratio.

Mirum portentum de Veneris stella

De Veneris stella loquitur, de qua proxime Marcum Varronem sic scriptum reliquisse dixerat: *In cœlo*, inquit, *mirabile extitit portentum: nam in stella Veneris nobilissima, quam Plautus Vesperuginem, Homerus Hesperon appellat, Varro scribit, tantum portentum extitisse, vt mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum: idque sub Ogyge Rege accidisse Adrastum Cyzicenum, & Dionem Neapolitem Mathematicos nobiles dixisse. Quod certe Varro tantus autor* (inquit Augustinus) *portentum non appellaret, nisi esse contra naturam videretur*: quasi dicat, Præter cursum, ordinemque naturæ, sed non præter liberam Dei voluntatem. Alia vero multa prodigia in cœlo eadem de causa consequentibus seculis exhibita hominibus fuisse nec pauci, nec ignobiles autores narrant. Nostra certe ætate illud fuit admodum insigne, quod Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo visum est in Cassiopeia, hoc est, in ipso firmamenti loco, in quo ea cõstellatio infixa est: id enim ea ratione demonstratum est à viris doctissimis expertissimorum hominum ob seruatione, locisque distantissimis accepta, quod iubar illud splendidissimum vltra menses quindecim omnibus conspicuum, deinde fere ad finem biennii paulatim extinctum, semper eandem distantiam à cæteris astris eius figuræ seruauerit, eundemque omnino cursum, atque illa, tenuerit: quod prodigium, etsi nihil noui fortasse portenderit, illud est magnopere æstimandum, quod hoc etiam seculo toti humano generi diuinæ voluntatis libertatem tanti miraculi nouitate declarauerit. Putamus enim lucem illam in ea firmamenti parte pro eo temporis spatio à Deo impressam esse, nec potuisse ab vlla causa naturali produci. Nam etsi ab orbe terræ, & aquæ ad nonum vsque cœlum aer porrigeretur, quod nonnulli existimarunt, [*vt etiam mittamus orbem ignis medium, quem de medio tollunt*] astraque in eo mouerentur intelligentiarum vi, vt in aqua pisces; non posset ab orbe terræ tanta copia exhalationum ascendere, vt tanto corpori tam longo tempore materiam inflãmationis subministraret: erat enim maius multo omnibus fixis stellis primæ magnitudinis, quas Astrologi vltra centies ac septies globum terræ, & aquæ superare affirmant. Mitto longe certiorem Aristotelis de incorruptibili natura cœlestrum corporum sententiam, quæ nobis [*illo etiam non repugnante, vt ostendemus lib. 12.*] hac in re non minime suffragatur.

Noua apparitio in Cassiopeia. & quid ea fuerit.

1. de cœlo c. 3. & lib. 2. c. 1.

Vnde oriatur in effectibus natural. contingentia respectu particular. causarum.

Tertium est, ex oppositione ea, & varietate motuum, qui in orbibus cœlestibus cernuntur, itemque ex diuersitate, atque oppositione virtutis astrorũ nasci, vt in his inferioribus, salua ea, quam modo diximus, naturali necessitate, detur cõtingentia naturalis effectorum respectu suarum particularium causarum. Nam etsi hæ causæ suapte natura propensæ sunt ad sua effecta non modo edenda, sed etiam ad perfectionem perducenda; [*agunt enim, quantum possunt, seu vt dicitur, secundum vltimum potentiæ*] tamen varietas motuum, vt dictum est, & virium cœlestium corporum, quibus nostratia subduntur, efficit, vt aliquando vel omnino non agant, vel non assequantur perfecte suarum actionum finem: vnde fit, vt multa apud nos eueniant per accidens, veluti frigus sub Canicula, sub Capricorno æstus, & vt fulmina turres deiiciant, terræmotibus aquæ terræ inferiores fiant, & varia monstra ex animalibus nascantur. Vnde cum nullum corpus cœleste per se, etiam ipsum primum mobile cum suo motore, quatenus ad illud determinatus est, & quasi eius naturalis forma factus, [*ponamus enim id, de quo minime dubitabamus, Deum non immediate mouere supremum orbem*] cum, inquam nullum cœleste corpus omnem hanc inferiorum euentuum varietatem possit per se intendere; [*complectitur enim plura quodlibet ens per accidens, ad quæ simul intendenda caussa vna secunda ex naturaliter aut quasi naturaliter agentibus non est satis, vt supra diximus*] necesse est dari causam aliquam agentem per intellectum,

Cur soli us Dei respectu nihil eueniat per accidens.

tellectum, quæ nulli orbi cœlesti sit addicta A quasi eius naturalis forma, vt possit contrariis diuersorum orbium motibus vti, diuersisque & oppositis astrorum virtutibus ad multa efficienda, quæ in rebus pure naturalibus, quæ apud nos sunt, per accidens eueniunt; eaque prius natura facienda concipiat, quam per causas medias exequatur: quæ causa solus est Deus Opt. Max.

Obiectio.

Quod si obiicias, multa apud nos fieri per accidens ratione vnius tantum causæ secun- B dæ naturalis, nempe solis, vt cum in Europa est æstas, sit hyems in Æthiopia; aut cum floret pyrus, deflorent amygdalus: (*hæc enim his regionibus, & arboribus accidunt*) occurrendum est, hæc etsi modo aliquo eueniunt per accidens, quia nihil attinet ad Europam, si cum in ea est æstas, sit hyems in Æthiopia; ad pyrumque, si ea florente deflorеat amygdalus; tamē simpliciter non euenire per accidens; quia etsi vnum ex altero non sequitur per se, tamen C vtrumque sequitur per se ex eodem tertio, nempe ex naturali motu solis. Hoc enim modo responderi solet, cum contenditur facultatem flendi in hominibus accidere facultati ridendi, eo quod, vt illa sit in homine, nihil attineat, si hæc sit cum illa necne. Negatur enim simpliciter, quia etsi vna modo aliquo alteri accidat; (*vt si non detur ordo in proprietatibus*) simpliciter tamen non accidit, quia vtraque per se manat ex eodem tertio, nempe D ex humana natura.

Diluitur.

Quo pacto sumendum cœlum, vt omnes ei effectus natural. asscribantur.

Ex quibus colligendum est, ea ratione omnia effecta pure naturalia posse asscribi toti cœlesti machinæ, si omnes orbes cœlestes simul accipiantur, & causa illa efficiens, quæ omnia per intellectum disposuit, nullique orbi cœlesti quasi forma naturalis est addicta, illis omnibus immediate vti intelligatur, ac si esset omnium generalis forma naturalis, semperque eodem modo agens, vt hæc inferiora E more causarum naturalium administret. Ita patet, qua ratione fatum admitti possit, qua item non possit; nec pugnare cum dictis Patrum, quod mere naturalia effecta simpliciter necessario eueniant respectu eius ordinis, quem in rebus pure naturalibus prima causa instituit: etsi comparatione alicuius, aut aliquarum mediarum causarum contingenter euenire possint, quæ est consideratio secundum quid. F

Diluuntur duo quædam argumenta, & expenditur, num propositiones de futuris contingentibus sint determinate vera, aut falsa.

SECTIO VI.

Duo arg. contra assertionem positam sect. 4.

SVpersunt tamen duo quædam alia argu- A menta inter se colligata, (*neque ea parui momenti*) quibus videtur ostendi, non omnia effecta causarum pure naturalium ex necessitate euenire.

Vnum est: si omnia effecta, quæ a causis pure naturalib. proueniunt, necessario ab eis prodirent, fieri posset, vt Angeli (*quibus rerum pure naturalium cognitio neganda non est*) scirent omnia futura contingentia pure B naturalia ac proinde motus omnes & operationes animalium etiam minimorum, vt auicularum, culicum, & formicarum: (*siquidem omnia, quæ necessario eueniunt, aliqua suppositione facta, eaque euidenter cognita, possunt sub scientiam, certamve & euidentem cognitionem cadere*) quod asserere absurdum admodum videtur.

Alterum argumentum est, fore, vt omnes propositiones de futuris contingentibus in C eisdem rebus essent determinate veræ, aut determinate falsæ: quod Aristoteles creditur negare, cum vniuerse videatur pronunciare in priori libro de interpretatione, singulares enunciationes de futuris contingentibus nec determinate veras esse, nec determinate falsas: quo loco contingentia naturalia non excipit. Sequela vero ex eo probatur, quia si hæc omnia necessario eueniunt, luce clarius est, propositiones, quæ de illis formantur, esse de- D terminate veras, aut determinate falsas: quandoquidem necessaria omnia pronuntiata determinate vera sunt, & eorum opposita determinate falsa.

Diluuntur.

Ad hæc tamen argumenta haud difficilis est responsio, cum de rebus tantum pure naturalibus proposita sint. Nam cum in hoc rerum genere futura omnia habeant causas certas, & definitas, posito huius vniuersi ordine, & generali Dei concursu more naturalis causæ dispensato; non dubium est, quin E propositiones, quę futurum aliquod pure naturaliter euenturum pronuntiant, determinate veræ sint, si significent id, quod ex talibus causis simul iunctis euenturum est; falsæ autem determinate, si significet id, quod ex illis euenturum non est. Eademque ratione est perspicuum, posse sciri naturaliter ab aliquo intellectu creato effecta omnia pure naturalia, si finita sint. Neque enim excedit facultatem intellectus creati certa, & distincta co- F gnitio rerum, quas Deus per causas pure naturales efficere potest, modo infinitæ numero non sint, nec quasi sphæram capacitatis cuiusque intellectus excedant.

Propositio de futuro pure naturali determinate veras esse vel falsas.

Effectus futuros naturales posse a creatura cognosci.

Quæ Angeli naturaliter cognoscunt.

Quod igitur priori loco obiectum est, hoc pacto diluendum: In Angelis esse scientiam generum, & specierum omnium rerum na-

 turalium,

turalium, earum vero indiuidua, complexiones que horum per accidens tum demum ab eis intuitiue cognosci posse, cum in rerum natura existunt, idque per easdem species intelligibiles, quibus in eis rerum naturalium genera, & species repræsentantur: futura autem non nisi abstractiue ab illis percipi, cum intellectum applicant ad ea in suis causis intelligenda, tantumque abesse, vt absurdum sit posse eos in rebus quantumcunque tenuibus, & nullius pene momenti tam multa futura, modo tamen hæc, modo illa percipere, vt id potius eos vtcunq; similes in ea re faciat primæ omnium rerum causæ, quæ simul ad omnia omnino se extendit. Quo autem pacto Angeli abstractiue elicere possint singularium cognitionem ex eorum causis, sub loco explicandum est.

Quas propos. de futuro neget Arist. esse determinate veras.

Ad alterum argumentum dices, cum Aristoteles in loco citato neget propositiones, siue enũtiationes de futuris contingentibus esse determinate veras, aut determinate falsas, non id negare propter enũtiationes de rebus pure naturalibus, sed propter eas, quæ a libero arbitrio pendent, de quibus consultatio, & deliberatio haberi solet, vt hoc vel illo modo fiant, aut etiam non fiant: hinc enim desumit ille eius rei probationem. Nam cum voluntas sit ex se indeterminata ad quoslibet actus suos, siue elicitos, siue imperatos, possitque non solum velle hoc, vel illud; sed etiam se a quocunque actu libero cohibere, idq; supposito etiam toto vniuersi naturali ordine, & quibusvis circumstantiis: efficitur, vt si veritas enuntiationum de futuro ex causis rerum significatarum iudicanda est; nulla determinata veritas, aut falsitas sit in enuntiationibus de futuris voluntariis, sicut determinata est in rebus pure naturalibus neque enim plus veritatis potest esse in enuntiationibus, quam in rebus enuntiatis. Atque hoc modo verum est id, quod ab Aristotele dicitur, si enuntiationes de futuris contingentibus essent determinate veræ, aut determinate falsæ, (*ex causis, inquam, suis*) fore, vt omnia ex necessitate euenirent. Iniuste enim cum Aristotele agunt, qui illum non recte id collegisse dicunt; quandoquidem effecta, quæ nondũ in se sunt, & tamẽ sunt in suis causis ad ea determinatis, necessario futura esse nemo negauerit. Nihil autem refert, quod Aristoteles loco citato futura contingentia naturalia non exceperit; tum quia simpliciter nulla esse putauit, sed solum secundum quid, siue respectu causarum particularium duntaxat; tum etiã, quia ex ipsis argumentis, quibus vtitur facile excipienda credidit.

Recte illum sensisse.

Ex causis ne, an ex euentibus iudicanda sit veritas enuntiationum de futuris contingentibus?

Sect. VII.

Illud tamen merito quis ambigat, ex causis ne rerum, quæ nondum sunt, an potius ex ipsis futuris euentibus iudicanda sit veritas enuntiationum, quæ illos futuros, aut non futuros esse pronuntiant? Si enim ex causis tantum iudicanda est; recte philosophatus est Aristoteles, cum dixit neutram contradictionis partem de futuris contingentibus (*liberis nimirum, vt iam exposuimus*) determinate, seu certo veram esse, aut falsam, cum voluntas ex se indeterminata sit ad opposita: sed tamen, quod ait, totam ipsam contradictionem sub disiunctione acceptam esse hoc pacto veram, vt videlicet certum sit alteram partem esse veram, alteram falsam, non tamen hanc vel illam designatam, hoc inquam, non recte dictum videbitur. Si enim neutra pars per se sumpta vera est, aut falsa, quo pacto tota contradictio sub disiunctione accepta vera erit. Neque enim hic habet locum id, quod nonnulli respondent, simile omnino hoc esse, atque id, quod dicere solemus, alterum oculum necessarium esse ad videndum, neutrum tamen designate, cum altero videre possimus: eodemque modo nauem aliquam necessariam esse ad nauigandum, nullam tamen designatam, cum in quavis nauigare possimus. Nam in huiusmodi exemplis, disiunctus ac verus est sensus ex parte subiecti, vt si diceres, vel dexter, vel sinister oculus necessarius est ad videndum; vel hæc nauis, vel illa necessaria est ad nauigandum: non autem disiunctiuus enuntiationum, vt si dicas, Hic oculus necessarius est ad videndum; vel ille oculus est necessarius; eodemque modo de nauibus; sunt enim hæ omnes enuntiationes simplices falsæ, ac proinde & ipsæ totæ disiunctiuæ, quæ ex illis conficiuntur. Cum igitur contradictionis, cum in vnam enuntiationem disiunctiuam redigitur, semper sensus sit disiũctiuus; fit, vt si nec pars hæc sit vera, neque etiam illa; nec tota vtique ipsa contradictio disiunctiue sumpta vera sit. Quod si non ex causis, sed ex euentibus iudicandum est de veritate enuntiationum de futuris, cum alterum ex contradicentibus re vera sit euenturum; ea certe contradictionis pars, quæ illud significauerit, determinate vera erit.

Arguitur contra Arist. sententiam.

Cathar. in opusculo de veritate enuntiationum & in libello de prædestin.

Quæstionis resolutio.

Multi multa hac in re comminiscuntur; sed vera, & plana sententia hæc est, vt dicamus simpli-

simpliciter quidem, & absolute veritatem enuntiationum de iis futuris, quę ex libero arbitrio pendent, non ex causis, sed ex ipsis futuris euentibus iudicandam esse; ac proinde simpliciter, & absolute alteram partem contradictionis earum determinate veram esse, alteram determinate falsam: quod si earum veritas ex causis iudicetur, ad nostramve cognitionem referatur; neutram esse determinate veram, aut falsam: atque hoc posteriori modo locutum esse Aristotelem, vereque sensisse. Quem sensum nos pro Aristotele secuti sumus ad quartum librum huius operis, vbi ille de eo principio disputat, quod ait, *Necesse esse quodlibet esse, aut non esse*: & octauo libro dialecticarum institutionum, cum suppositionem confusam, & determinatam explicaremus.

Ad initium cap. 7.

cap. 30.

D. Bonau in 1. d. 38. ar. 2. q. 1. Scot. d. 9. q. vn. Richa. d. 38. ar. 1. qu. 5. Ocham. q. vn. ad 1. prin. Gabr. q. vn. ar. 1. Greg. q. 2. ar. 2. Mars. in 2. q. 40. ad 3. princip. & & complurium aliorum.

Prima huius assertionis pars quæ communis pene omnium Theologorum est, his argumentis constat. Primum, quia enuntiationes de quibuslibet futuris non dicunt aliquid esse, aut non esse in suis causis, neque etiam fore, aut non fore per suas causas, vt est apertissimum; sed absolute fore vel non fore. Cum igitur alterum horum effectorum simpliciter, & absolute certissimum, & determinatissimum sit; non dubium, quin simpliciter, & absolute altera pars contradictionis in hac materia determinate vera sit, altera determinate falsa: etiamsi nos, vtra sit vera, aut falsa ignoremus. Deinde, quia enunciationem de quolibet futuro (etiam necessario) esse actu veram, nihil est aliud quam esse nunc talem in significando, qualis aliquando res erit in essendo: falsam autem è contrario: at in hac consideratione nulla habetur ratio de causa, sed de ipso euentu: cum igitur vel affirmatiuus vel negatiuus euentus re vera futurus sit; efficitur, vt simpliciter, & absolute, altera sit determinate vera, altera falsa. Tertio, quia enuntiationes de futuris actibus liberorum agentium determinate veræ sunt, aut falsæ apud Deum, ac proinde simpliciter, & absolute veræ aut falsæ: cum ergo voluntas sit ex se indeterminata ad opposita, quibusuis etiam suppositis circumstantiis, fit, vt ex ea sic cognita cognosci non possit determinate futurus eius effectus, ac proinde ex solis euentibus futuris iudicanda sit in hoc rerum genere veritas enuntiationum de futuro.

Quid sit enuntiationē de futuro esse actu veram.

**1. p. q. 14. ar. 13. & q. 57. ar. 3.*

† Vide supra citatos, & complures alios in 1. d. 38 & 39. qui negant futura

Secunda pars, quæ est ex mente * D. Thomæ, & † omnium grauium autorum, ea ratione probatur, quia, vt modo diximus, fieri non potest, vt euentus contingenter futuri, quatenus in suis causis continētur, certi sint, & determinati: ac proinde, vt vel ipsi à nobis certo prænoscantur; qui futura solum ex causis naturaliter cognoscere possumus; vel propositiones, quibus significantur, prout in suis causis continentur, ad nostramve cognitionem referuntur, determinate veræ sint, aut falsæ. Quod si cum D. Thoma dicas (*quod & verum est*) eos euentus ne a Deo quidem, vt in suis causis continentur, determinate cognosci; vniuerse pronuntiare poteris eos vt hoc pacto continentur, & significantur, a nullo intellectu certo præcognosci posse; iisve propositionibus, quibus hac ratione significatur, vllius veritatis, aut falsitatis certitudinem communicare.

contīng. in suis causis cognosci. item aureol. in 1. d. 39 q. 1. ar. 1. & 3. Barg. eadem d. Bass. d. 38. qui doct. Aris. simpliciter defendunt.

Recte sensisse philosophum hac in re.

Tertia pars, quam iidem fere autores approbant ex eo primum constat, quia hoc pacto omnia cohærent; tum illud, quod ait Aristoteles contradictiones integras de futuris euentibus esse determinate veras; tum etiam illud, si partem hanc, vel illam designate sumas, eam nec veram esse certo, nec falsam. Vtrumque enim verum est, si earum veritas, & falsitas ex causis, earumque circumstantiis (*si places*) iudicanda sit, aut nostræ cognitionis ratio habeatur; cum nos, nisi ex causis, & earum circumstantiis, de futuris euentibus iudicare non possimus. Ex primo enim illo per se noto pronuntiato, *Quodlibet est, aut non est*, quod ad omnia tempora extenditur, hoc certo intelligimus, alterum ex iis, quæ fore dicimus, re vera futurum esse, cum tamen neutrum designate possimus, nisi forte coniectura aliqua probabili ducta ex causis, aut circumstantiis. Deinde ex eo probatur, quia cum in priori libro de interpretatione dixisset, si omnes enuntiationes singulares de futuris contingentibus essent determinate veræ, aut falsæ, fore, vt omnia ex necessitate euenirent; hoc libro, in quo accuratius de ea re agit, ex causis id probauit, cum docuit, si omnes causæ eorum, quæ apud nos fiunt, essēt causæ per se, fore, vt omnia necessario euenirent, (*nempe respectu causarum particularium*) nihilque contingenter, & præter earum intentionem, seu naturalem, seu liberam: quod aperte falsum est, cum multa apud nos casu, & fortuito respectu earum eueniant. Postremo, quia has sola ratione superuacanea esset consultatio de futuris, si illa nobis nota essent ex causis determinatis, & quarum effecta sciremus necessario euentura. Nunc autem, cum plurimarum rerum causas ignoremus, & eas, quas nouimus, sæpe a nobis pro arbitrii nostri libertate impediri posse intelligamus; merito datur locus consultationi, vt aduersis causis obuiare; vtilibus autem vti, & cum eis concurrere possimus.

4. Met. c. 7.

Citato c. 8.

c. 2. tex 5.

Diluuntur quædam obiecta contra Aristotelem, datamque eius sententiæ explicationem.

SECT. VIII.

SEd ex iis, quæ dicta sunt, sic licet contra Aristotelem obiicere. Primum dici ab eo simpliciter, & absolute non debuisse enuntiationes de futuris contingentibus nec esse determinate veras, nec determinate falsas: tum quia prima pars nostræ assertionis id aperte damnat: tum etiam, quia inde sequitur Deum non habere certam cognitionem futurorum contingentium, idque ipsum Aristotelem videri sibi persuasisse. Neque enim cognosci a Deo possunt certo, & infallibiliter, nisi quæ certo, & infallibiliter sunt vera.

Deinde. Si veritas enuntiationum de huiusmodi futuris referenda etiam est ad nostram cognitionem; (quo pacto dictum est Aristotelem esse intelligendum) cum nos multa præterita ignoremus, & ad præsentes cordium cogitationes, voluntatumque determinationes penetrare non possimus, dabuntur quoque enũtiationes de præterito, & præsenti, quæ non sint determinate veræ, nec determinate falsæ, quod negat eodem loco Aristoteles.

Particulam, determinate, non esse Ari. & quo sensu hic vsurpetur.

Postremo. Si ex causis iudicanda est veritas enuntiationum de huiusmodi futuris (*quod dictum est Aristotelem velle*) non dabitur in eis vera contradictio: hoc enim modo vtraque ex contradicentibus significabit aliquid indeterminatum, vtpote euentum in causa sua ancipitem, sicque neutra repugnabit alteri, cum tamen Aristoteles eas numeret inter vere contradicentes.

Pro solutione harum obiectionum aduertẽdum est particulam [*Determinate*] quæ tam sæpe vsurpatur in hac materia, non reperiri omnino in capite citato de futuris contingẽtibus, vbi nõnulli credunt vel semel vsurpari: sed inductam esse a Peripateticis, vel ad designandas partes cõtradictionis: vt idem sit dicere, neutram in hac materia determinate esse veram, aut falsam, atq; dicere, neutram designate, affirmatiuam scilic. per se, aut negatiuam: vel ad explicandum, de qua veritate sit sermo, vt nimirum intelligatur de certa & infallibili, non de probabili duntaxat, vel etiam ad vtrumque. Hinc enim fit, vt cum enuntiationes de huiusmodi futuris dicuntur nec determinate veræ, nec determinate falsæ, alii iũgant particulam [*Determinate*] cum verbo [*Enuntiationes*] alii cum verbo [*Veræ*] alii cum vtroque: ac proinde vterque sensus huius particulæ in hac materia recte vsurpetur.

Illud etiam aduertendum, nihil posse a nobis certo sciri, aut sine aliquo falsitatis periculo affirmari, aut negari, nisi quod per se notum est: vel ex causis, aut effectis, aut circumstantiis necessario rem concludentibus colligi potest. Vnde cum contingentia, de quibus est sermo, si spectentur antequam sint, nec sint nobis nota per se ipsa: nec habeant causas, aut circumstantias determinatas, siue ad esse, siue ad non esse futuri euentus: nec denique adhuc habeant vlla effecta, nisi forte in genere effectus causæ finalis, ex quo non certo colligitur euentus finis contingentis, vt ex ædium fabricatione futura earum perfectio, aut habitatio: sequitur nullo modo quicquam de illis determinate affirmari, aut negari posse simplici omnino affirmatione, aut negatione; sed sola disiunctiua enuntiatione ex duabus simplicibus conflata, qualis est: Hic homo lauabit manus, vel hic idem homo non lauabit manus; aut certe vna simplici de extremo disiuncto, vt: Hic homo lauabit, aut non lauabit manus. Cum enim totus hic contradictionis euentus sit determinatus in sua causa, (*quandoquidem & hic homo determinatus est natura sua ad lauandas, aut non lauandas manus*) idque nobis sit per se notum, potest vtique certo a nobis vtrumque sine periculo falsitatis asseri; cum tamen neutram eius euentus partem eidem homini certo attribuere possimus, quia eius voluntas est indeterminata, siue ad hanc, siue ad illam per se.

Cur de euentibus contingenter futuris nihil possimus simplici omnino affirmatione, aut negatione asseuerare.

Denique aduertendum est, ex iis duobus sensibus, quos assertione nostra complexi sumus, priorem esse formalem, vtpote iuxta formam significandi verborum, quæ in quibusvis enuntiationibus de futuro solum ipsum euentum significant, nihilque de causa illius curant; posteriorem autem posse dici causale ad distinctionem formalis, quia sumitur ex causa ipsius futuri euentus, ex qua sola euentus ipse, antequam sit, cognosci a nobis potest. Hinc enim fit, vt quandocunque causa ad illum determinata est, tunc enuntiatio sit determinate vera, non solum in sensu formali, sed etiam in causali, nec tantum in se, sed etiam respectu cognitionis nostræ, vt hæc, Sol orietur cras. At cum causa euentus futuri non est ad illum infallibiliter determinata, vt voluntas Petri ad lauandas crastina die manus, tunc enuntiatio in se iuxta sensum formalem est determinate vera, aut determinate falsa; non autem iuxta causalem, neque etiam respectu nostræ cognitionis. Quod autem euentus significatus sit futurus extra causam suam, aut eius oppositum contr[illegible]ium, ex eo patet, quia alio-

Duplex sensus enuntiationum de futuro.

4. Met. c. 3. Ibid. cap. 7.

qui aut vtrumque simul futurum esset, quod pugnat cum primo illo principio, quo negatur, idem simul esse, & non esse posse; aut neutrum, quod pugnat cum illo, quo affirmatur necesse esse, vt sit alterum aut non sit; spectato nimirum ipso solo euentu: non item conditione causæ indeterminatæ.

Ad 1. argu. In diuerso sensu dici posse simpliciter alteram & neutram harum enuntiationum esse determinate veram, &c. c. 8. l. 1. de interp.

Ad primum igitur Argumentum dicendum est, vtrumque simpliciter, & absolute dici posse, nempe & alteram partem contradictionis de his futuris esse determinate falsam, vt prima parte assertionis nostræ constituimus, & neutram esse determinate veram, aut determinate falsam, vt dixit Aristoteles; cum diuerso sensu vtrumque dictum esse constet, & ex capite eodem sæpius citato colligatur. Esse quidem alteram, si contingentia sumantur, vt significantur futura extra suas causas; neutram vero, si sumantur, vt sunt adhuc potentia in illis. Nam etsi omnis causa euentus contingentis, antequam ille eueniat, est natura sua determinata ad totum contradictorium euentum, nulla tamen est determinata ad alteram eius partem, ad fore, inquam, separatim, vel ad non fore, quia natura sua est indifferens ad vtramque.

Mens Arist.

Hæc autem ex citato capite colligi discursus ille Aristotelicus (*si quis animum aduertat*) non obscure significat. Initio enim docet, in enuntiationibus contradicentibus futurorum contingentium de subiecto communi easdem leges seruandas esse, quas seruandas docuerat in contradicentibus præsentium, & præteritorum de quacunque materia: vnde quemadmodum in illis dixerat, alteram esse determinate veram, alteram falsam; ita sentiendum esse in contradicentibus futurorum contingentium de subiecto communi manifeste declarat: nisi quod addendum voluit in his, quæ de præsenti, & præterito; designari a nobis posse, quæ nam vera sit, quæ falsa; in his autem, quæ sunt de futuro contingenti, minime. Quod si huiusmodi contradicentium altera est determinate vera, altera falsa: cum enuntiationes de subiecto communi exponantur per eas, quæ sunt de subiecto singulari, & per easdem verificentur, vt hæc, Omnis homo lauabit manus, per has, Hic homo lauabit manus, & ille homo lauabit manus, & cætera, & hæc, Aliquis homo lauabit manus, per has, Hic homo lauabit manus, vel ille lauabit manus, & cætera: perspicuum est Aristotelem sensisse, contradicentium quoque de subiecto singulari; quatenus formaliter significant euentum, vt futurus est, quemadmodum & illæ vt præsens, aut vt præteritum est, alteram esse determinate veram, alteram determinate falsam, etsi neutra a nobis designari possit. Atque ita non dubium est, quin Aristoteles voluerit simpliciter, & absolute loquendum esse. Neque enim audiendi sunt, qui dicunt illum hac in re sibi repugnasse, quod nō animaduertisset enuntiationes de subiecto communi exponendas, & verificandas esse per enuntiationes de subiecto singulari, quod vel tyrones Dialecticæ, quotidie in ore habent: valde enim inconsideratum est, putare tantum Philosophum non vidisse, quod Philosophi elementarii non ignorant.

Non ille in sibi repugnat.

Hoc igitur Aristoteles cum breuiter docuisset initio capitis, quia in sensu formali par ratio erat in omnibus contradicentibus enūtiationibus, seu veritas earum nobis cognita esset, seu ignota, totum reliquum capitis cōsumpsit in tractando sensu causali, quo spectantur futura, vt adhuc sunt potentia in suis causis: in hoc autem sensu, cum pro vtraque parte disputasset, tandem conclusit, etsi enūtiationes, in quibus totus contradictorius euentus siue disiunctiue, siue disiunctim exprimitur, (sic enim exponendus est contextus) determinate veræ sunt, imo & necessariæ, vt hæc disiunctiua, Hoc nauale bellum erit cras, vel hoc idem nauale bellum non erit cras; & hæc de extremo disiuncto. Hoc nauale bellum erit, vel nō erit cras: tamen neutram partem per se sumptam esse necessariam, aut etiam veram. Cuius rei nullam aliam rationem reddendam esse voluit, aut etiam velle potuit, nisi quia causa cōtingens, dum adhuc euētus est in eius potestate, etsi est determinata ad totum cōtradictorium euentum, nō est tamē determinata ad eius partem affirmatiuam, aut negatiuam. Merito autem tamdiu immoratus est ille in posteriori sensu tractādo, quia, etsi vulgo est minus vsurpatus, est tamen magis Philosophicus, solusque aperit, cur nullam nos partem contradictionis de huiusmodi futuris, quæ certo vera sit, aut falsa, designare possimus.

Cur solum egerit de sensu causali propositionum de subiecto singulari.

Quod si quis quærat, cur Aristoteles hunc posteriorem sensum tractauerit in solis enūtiationibus de subiecto singulari, cum par videatur ratio in iis, quæ sunt de subiecto communi? respondendum est duabus de causis id fi[e]ctum videri. Vna, quia contingentia primo cernitur in singularibus, & eorum ratione in communibus; in communibus autem sæpius cernuntur causæ contingentes, seu liberæ, quæ aliquid participent naturalitatis, & vniuersalitatis: quo pacto voluntas est causa toti hominum generi interdiu vigilandi, noctu dormiendi, prandendi circa meridiem, & similium. Altera, quia cum tria sint genera contingentium liberorum, de quibus agimus,

Contingentiam primo cerni in singular. & eorum ratione in communibus.

Tria genera contingentium liberorum.

vnum eorum, quæ maiori ex parte eueniunt, vt quæ modo dicta sunt; alterum eorum, quæ eueniunt rarius, vt eorum opposita, tertium eorum, quæ æque eueniunt in vtramque partem, vt exercere hoc, vel illud vitæ genus, veluti agricolæ, mercatoris, aut fabri: cuiusmodi est bellum nauale, & vestimenti attritus, aut scissio, quibus exemplis vtitur Aristoteles) ea vtique, quæ ad hoc tertium genus pertinent, quia plus habent contingentiæ, commodius in singularibus, quam in communibus spectari potuerunt.

Ad argum. in forma.

Vt igitur in forma ad argumentum respondeatur, dicendum est, primam nostræ assertionis partem non damnare id, quod Aristoteles ad finem citati capitis conclusit; sed asserere, quod initio illius breuissime in alio sensu tradiderat. Quare cum additur in argumento, ex ea Aristotelis doctrina sequi Deum non habere determinatam, ac certam futurorum contingentium cognitionem; indeque colligi Aristotelem id ibi persuasisse: etsi tum demum recte diceretur, si Aristoteles crederet enuntiationes de huiusmodi futuris in neutro sensu esse determinate veras, aut determinate falsas, aut Deum non ea cognoscere, nisi in Aristotelis doctrina aliter dicendum sit, perperam omnino a quibusdam appositum colligitur: de qua re partim inferius hoc ipso libro, partim duodecimo plenius disputabimus.

Non sequi ex doctrina Arist. Deum non habere certam futur. contingentium notitiam.

Cur enuntia. de præsenti aut præterito, etiam de rebus nobis occultissimis, simpliciter determinate vera vel falsa.

Ad secundum dicendum, etsi enuntiationes de præterito, & præsenti fiant de occultissimis cordium cogitationibus, aut voluntatum determinationibus; tamen, quia hæc iam sunt extra suas causas, & huiusmodi enuntiationum veritas, ac falsitas naturaliter cognosci potest, cum cognoscantur ab intellectibus eorum, in quibus eæ operationes existunt, omnes huiusmodi enuntiationes tam affirmatiuas, quam negatiuas esse determinate veras aut falsas, etiam ad nostram cognitionem relatas. Neque enim eas dicimus esse determinate veras, aut determinate falsas respectu nostri, quia id certo ab omnibus cognosci possit, sed quia ab aliquo: at futura contingentia a nullo intellectu creato possunt cognosci, nisi diuina reuelatione. Locuti autem sumus in hac solutione de iis contingentibus, quæ non sunt genere suo supernaturalia; quia supernaturalia etsi præsentia sint, aut præterita, a nullo intellectu creato naturaliter cognosci possunt: tametsi hoc commune habent cum cæteris præsentibus, & præteritis, quod eis non repugnat ex parte præsentiæ, aut præteritionis naturaliter cognosci ab intellectu creato: quod tamen repugnat omnibus futuris contingentibus vtriusq; generis ex parte ipsius futuritionis.

Etiam in enuntiat. de futuris conting. dari veram contradictionem.

Ad tertium dicendum est, in enuntiationibus etiam de futuris contingentibus dari veram contradictionem, non quatenus contingentia ipsa adhuc sunt potestate in suis causis, (sic enim sibi mutuo non repugnant) sed quatenus significantur futura esse extra illas. Si enim re vera futura sunt, vt significantur, veræ vtique sunt enuntiationes: sin minus, non sunt veræ, sed falsæ. Itaque in sensu formali non significant ipsos euentus futuros; vt sunt adhuc potentia in suis causis, sed vt sunt futuri extra illas; ac proinde non significant aliquid indeterminatum vt indeterminatum, sed vt determinandum, & ex consequenti verum, si re vera determinandum est, falsum autem, si non est determinandum.

Ita patet, qua ratione propositiones de futuris contingentibus determinate, ac certo veræ sint, aut falsæ; qua item non sint, & quo pacto in hac re intelligendus sit Aristoteles, vbicunque de hac materia loquitur. Illud superesse videtur, quo tota hæc materia planior fiat, & simul etiam quia graues Philosophi, & Theologi de ea re disputant, vt disquiramus, quænam sit radix, & origo contingentiæ.

Quænam sit radix contingentiæ.

QVÆST. III.

Varia sententia in hac quæstione, & vnde sint orta.

SECTIO I.

9. Met. ca. 9. tex. 17. & lib. 12. c. 6 tex. 30. & 2. de Cœlo c. 3. tex. 17.

Vnde orta sit præsens quæstio.

EX ea sententia, qua Aristoteles putauit, Deum agere ex necessitate naturæ, qua ille statuenda, aut potius significanda multa turbauit in Philosophia, (non parua enim est in hac de re eius iudicio controuersia) orta est proposita quæstio. Nam cum eius sectatores ita sartam, & tectam esse vellent rerum contingentiam, vt etiamsi Deus ageret ex naturæ necessitate, nihilominus eam futuram assererent; dubium erat, qua nam ratione id fieri posset, Deo ex naturæ necessitate agente. Hinc enim quæri cœptum est, quænam esset contingentiæ radix, & ori-

& origo, quæ simul cum necessitate actionis diuinæ cohærere posset.

Prima sententia biceps.

Hanc difficultatem cum quidam Peripatetici viderent, nec tamen negare possent multa contingenter euenire, totam radicem contingentiæ rerum, quæ apud nos cernitur, non ad Deum, sed ad defectum causarum secundarum retulerunt: quo pacto contingens immaturitas frumenti mense Augusto non ad solem, qui ex se ipso necessitate naturæ sufficientem calorem eo tempore frugibus suppeditat, sed ad in dispositionem ipsarum frugum, propter frequentiam imbrium refertur. Itaque alii materiam horum inferiorum radicem contingentiæ dixerunt: quod natura quædam sit omnium imperfectissima: & facilime agentium omnium impressionem admittat, quibus sæpe superiorum agentium effecta impediuntur. Alii cum hæc impedimenta non ad materiam horum inferiorum, quæ per se nulli agenti resistit, sed ad contrarietatem agentium referrent, in ipsa potius secundorum agentium contrarietate, aut imbecillitate, quod alia ab aliis vicissim superentur, radicem contingentiæ posuerunt.

Improbatur. & vera statuitur.

Verum partim quia hi in assignanda contingentiæ radice reliquerunt præcipuum contingentiæ genus, quod in effectibus liberi arbitrii cernitur, & ad causas naturales referri non potest: partim quia videntur asserere isto modo contingentiam effectorum naturalium esse præter intentionem primi agentis, simulque quia non animaduerterunt imbecillitatem, & contrarietatem sublunarium agentium ad varias dispositiones, & motus cœlestium corporum reduci oportere, vt superius diximus: (*q.2. sect. 5.*) demum quia dispositiones, motusque varii corporum cœlestium a primo disponente, & ordinante per intellectum, & statuente per voluntatem necessario pendent, vt eodem loco probatum est; sapienter Theologi nostri in vna diuina voluntate totam, aut certe primam contingentiæ radicem sitam esse censuerunt. Neque in hac re vlla est (*vt esse putatur*) inter Scotum, & Diuum Thomam dissensio, nisi quod Diuus Thomas diuinam voluntatem ratione summæ eius efficaciæ contingentiæ radicem facit; Scotus vero ratione eius libertatis.

In quo differant D. Tho. 1 p. q. 19 ar 8 & de Veri. q. 23. ar. 5 & 1. contra Gen. c. 85 & Scot. in 1. d. 2. & d. 8. q. 5. & d. 39 q. 3. & in 2 d. 1. q. 3. Sententia D. Tho. fundam. Caiet. 1. p. q. 14. ar. 13. Ferrar. 3. contr. Gen. c. 67. Cap. in 3. d. 38. q. 1.

Diuus enim Thomas, vt defendendi Aristotelis, quoad fieri potest, studiosus, quia conatus est defendere, (vt eius quidem sectatores illum interpretantur) etsi Deus ageret ex necessitate naturæ, fore tamen, vt adhuc effecta, quæ nunc cõtingenter eueniunt, tunc etiam contingenter euenirent; noluit in libertate diuina contingentiæ radicem constituere, sed in sola diuinæ voluntatis summa efficacia, qua; tanquam causa nullo modo impedibilis, facere potest, & quicquid vult: & quocunque modo illud esse vult: præsertim cum nihil impossibile, aut inordinatum velle possit. Hinc enim videtur sequi, siue diuina voluntas libere, siue non libere, sed ex naturæ necessitate ageret, non defuturum tamen fuisse huic vniuerso vllum rerum genus, vllumve earum essendi modum.

Itaque eorum ratio sic extrui potest: Etsi Deus naturæ necessitate ageret, adhuc tamen essent effecta contingentia: igitur non in libertate voluntatis diuinæ, sed in eius summa in agendo efficacia ponenda est radix, & origo contingentiæ. Consequutio apta est: antecedens probatur, quia si Deus ageret necessitate naturæ, non aliter ageret generali suo concursu, quam modo libere agit concursu quasi naturali, vtpote naturæ cuiusq; rei accommodato.

Aliam rationem addit Caietanus in hunc modum: (*1. p. q. 19. ar. 3*) Si modus hic, qualis nunc est, ex seipso existeret, neque a Deo esset factus, adhuc tamen darentur contingentia; adhuc enim fulmen deorsum expulsum casu hominem occideret, & ita in cæteris: non est igitur prima radix contingentiæ libertas diuinæ voluntatis.

Sententia Sco. fundam. In 2. d. 1. q. 3.

Scotus vero vsque adeo sibi persuasit, si Deus ageret ex necessitate naturæ, nullam fore contingentiam, vt dixerit Philosophos, qui vtrumque coniunxerunt, latenter pugnantia admisisse: proinde duobus potissimum argumentis suam sententiam ostendere nititur. Vnum (*quod iam superius tetigimus*) huiusmodi est: causa mouens inquantum mota, si necessario mouetur necessario mouet; sed omnis causa secunda mouet in quantum mota a prima, quia non mouet nisi eius virtute: igitur si necessario moueretur, necessario moueret: sicq; nullus effectus esset contingens, sed omnes necessarii, si Deus necessitate naturæ ageret. Alterum est: prima causa prius natura respicit effectum, quam causa secunda: ergo, si necessitate naturæ ageret, omnis effectus ab ea pendens haberet in illo priori necessariam habitudinem ad illam, ac proinde a nulla causa secunda posset habere contingentiam: quia habitudo necessarii, & contingentis non possunt eidem effectui conuenire, etiam respectu diuersarum causarum.

Vera

Vera explicatio quæstionis.

SECT. II.

VT igitur, quid hac in re dicendum sit, melius perspiciatur, animaduertendum est, non deesse, qui inter effecta contingentia numerent ea, quæ per se fiunt a causis naturalibus nullo modo impeditis: vt cum equus integer, & non mutilus ab equo generatur. Id quod ex eo probant, quia hæc etsi fiunt a causis non impeditis, cum integra, & non imperfecta gignantur; fiunt tamen a causis impedibilibus, a quibus possent non prouenire: aut certe non integra, & perfecta in suis speciebus: quod satis esse putant, vt numerentur inter effecta contingentia. Sed hæc sententia non placet: tum quia hæc eueniunt per se, ac necessario necessitate naturali, quæ non excludit impedimenta in paucioribus: tum etiam, quia ea sola vtcumque dicuntur euenire contingenter, siue non necessario in naturalibus, quæ præter intentionem particularium agentium eueniunt: qualia non sunt proposita effecta.

Bannes 1. p. q.19. ar.8.

Effecta naturalia orta à causis impedibilibus, sed non impeditis non esse contingentia

Repetita ergo ex initio superioris quæstionis tripartita illa contingentium diuisione, in ea, quæ propterea dicuntur contingentia, quia præter intentionem eueniunt: & in ea, quæ dicuntur contingentia in essendo: & in ea, quæ appellauimus in eueniendo, tribus conclusionibus quæstio expedietur, misso tantisper primo genere, & ad tertiam conclusionem reiecto.

Sect. 1.

Prima conclusio sit. Si contingentia sumantur pro contingentibus in essendo, nulla radix alia, siue causa eorum contingentiæ quærenda est, quam ipsæ rerum contingentium naturæ. Ratio vero est, quia contingentia hoc pacto sumpta generaliter quidem est essentialis quidam essendi modus rerum omnium infra Deum, quemadmodum opposita necessitas est essentialis modus essendi Dei: speciali autem ratione idem est, quod corruptibilitas: quemadmodum necessitas illa quam cœlis, materiæ primæ, & substantiis immaterialibus tribuimus, idem est, quod incorruptibilitas: qui sunt puri modi essendi rebus corruptibilibus, & incorruptibilibus necessario conuenientes. Semper enim corruptibilia, & incorruptibilia fuerunt, & erunt talia, neque vnquam, cum talia non essent, per aliquam immutationem euaserunt talia. Nam neque homines transituri ex mortali statu immortalem assequentur, vt non sint natura sua corruptibiles: sed tantum, vt dono Dei interire nequeant. Quod autem specialis hæc contingentia, & opposita incorruptibilitas sint puri essendi modi, & non entitates rebus sic contingentibus, & necessariis additæ, vt diximus superiori libro, ex eo patet: quia res, quibus conueniunt in suis quæque prædicamentis, non autem per entitates aliorum prædamentorum, sunt hoc pacto contingentes: suoq; modo necessariæ: neq; etiam per aliquod earum commune genus, cui primo hæc prædicata conueniant.

Prima concl. de radice contingentiæ in essendo.

c.6.q.5.sec.2

Secunda conclusio. Si contingentia sumãtur pro contingentibus in eueniendo, prima radix eorum contingentiæ dicenda est ipsa Dei voluntas, non tantum, vt summe efficax est, sed etiam, vt libera. Probatio est, quia posita simul vtraque conditione diuinæ voluntatis, dari potest huiusmodi contingentia, vt patet, omnesque fatentur, alterutra autẽ sublata dari non potest. Nam si diuina voluntas non esset summe efficax, non esset vtique prima causa & omnium rerum, & omnium modorum essendi, & existendi, & eueniendi. Aut enim eius vis nõ extenderetur ad omnia, quæ fieri possunt, eorumque essendi, existendi, & eueniendi modos: aut certe posset impediri ab efficienda re aliqua, aut a causando aliquo eius modo essendi, aut existendi, eueniendique. Si vero non esset libera, non esset determinare ex infinitis rebus, infinitisque essendi, & existendi modis possibilibus, quænam esset factura. Habet enim Deus infinitam potentiam tum intensiue, tum extensiue, quæ ex infinitate, seu illuminatione Essentiæ diuinæ necessario sequitur, quod Aristoteles negare non potest, vt ostendemus libro duodecimo: vnde sequitur, si voluntas diuina, quæ in Deo habet rationem potentiæ, vt diximus superiori libro, non esset libera: fore, vt cum illa sit summe efficax, aut infinita simul produceret, quod fieri nullo modo potest, aut nihil omnino produceret, quia seligere nõ posset ex infinitis rebus quæ fieri possent, quasnam potissimum faceret, sicque diuina potẽtia nulla esset potentia, quæ est aperta contradictio.

2. concl. de radice contingentiæ in eueniendo.

c.2.q.12.sec.3

Tertia conclusio. Proxima radix contingẽtiæ eiusdem generis contingentium, si de rebus quidem immediate a Deo productis, aut de iis, quæ per accidens eueniunt in reb. pure naturalibus, quæ proprie casualia dicuntur, quæstio sit, est illa ipsa summa efficacia & libertas diuinæ voluntatis, quam primam radicem omnis contingentiæ in eueniendo diximus: si vero de rebus, quæ libere & ex instituto fiunt a voluntate creata, siue ab ea immediate proueniant, siue mediate, est facultas liberi arbitrii creati, seu, quod idem est, ipsa creata voluntas: denique si de iis, quæ præter inten-

Tertia concl. de radice proxima.

intentionem huius voluntatis eueniunt, quæ proprie fortuita appellantur, aliquando quidem est increata voluntas, aliquando vero creata.

Probatur 1. conclus. pars. Prima pars huius conclusionis ex eo patet, quia quod attinet ad res, quæ immediate a Deo fiunt perspicuum est eas potuisse non fieri., cum Deus non agat ex naturæ necessitate, sed ex libertate. Quod autem attinet ad ea, quæ in rebus pure naturalibus per accidens eueniunt, seu (*quod idem est*) apud nos casu accidunt, ex eo probatur, quia omnis causa pure naturalis est ad vnum determinata: ac proinde nulla earum potest in plura simul intendere, quorum neque alterum ex altero sequatur, neque vtrumque ex eodem tertio: & ex consequenti neque in totum effectum per accidens, quod semper aggregatur ex pluribus, quæ hoc modo inter se affecta sunt, vt superius ex D. Thoma diximus: *c. 2 q. 2 sec. 4* quo fit, vt nulla effecta, quæ per accidens eueniunt in rebus pure naturalibus, reduci possunt ad aliquam causam propinquiorem, quam sit causa prima ita disponens per intellectum, & statuens per liberam voluntatem ipsum rerum naturalium ordinem, vt eiusmodi effecta ex earum occursu consequantur. Omnes enim causæ mediæ inter primam, & proximas huiusmodi effectorum, sunt naturales, vtpote ad vnum determinatæ: etiam ipsæ intelligentiæ cœlorum motrices, quę more formarum naturalium ad motus suorum orbium addictæ sunt. Possunt ergo causæ mediæ dici quasi instrumenta diuinæ voluntatis in efficiendis huiusmodi effectibus per accidēs: radix autem & origo eorum contingentiæ dici non possunt: non solum, quia nulla earum intendere potest totum effectum per accidens, vt nunc diximus, neq; etiam omnes illæ simul acceptæ, vt superius explicatum est: *c. 2. q. 1. sec. 2.* sed etiam, quia alioquin ea, quæ in hoc inferiori mundo accidunt, essent præter intentionem primi agentis, quod fieri non potest: vnde perspicuum fit, quo pacto intelligendus sit Aristoteles in primo libro de interpretatione, *cap. 8.* cum docet contingentiam rerum naturalium ad materiam referendam esse: & in secundo Physicorum, *cap. 5. & 6. Tex. 5.* ad causas efficientes proximas, cum præter intentionem aliquid faciunt, & hoc capite, in quo versamur, ad imbecillitatem causarum, quæ aliquando, licet minori ex parte impediri possunt: sunt enim hæc omnia veluti instrumenta, quib. diuina voluntas vtitur ad contingentiam huiusmodi effectorum exequendam: non eius radix, & origo: quo pacto, si quis pictor data opera eligat imperfectos colores ad depingēdam minus perfectam imaginem, non ad colorum imperfectionem, sed ad electionem pictoris, tanquam ad proximam radicem referendū est, quod imago minus perfecta exeat.

Probatur 2. pars. Secunda vero pars ex eo probatur, quia etsi actiones & opera, quæ libere fiunt a voluntate creata, pendent primo a summa efficacia, & libertate diuinæ volūtatis, vt cætera omnia creata, & ex ea primum habent, quod possent non esse: tamen proxime oriuntur a facultate liberi arbitrii creati, quod ipsum natura sua est indifferens ad opposita, seq; ad eorum alterum, vel ad neutrum determinat, posito generali, & quasi naturali Dei concursu.

Probatur 3. Tertia demum pars inde colligitur, quia si altera ex causis efficientibus eorum euentuum, qui proprie dicuntur fortuiti, sit naturalis, altera libera: (semper enim ad quemlibet duæ causæ debent occurrere) proxima radix eorum contingentiæ erit voluntas increata: vt si quis arborem plantans inueniat venam auri, aut aquæ, quam venam naturæ autor ibi procreare voluit. Si vero vtraque sit agens liberum, fieri poterit, vt proxima radix sit vel creata voluntas, vel increata: creata quidem, vt si quis, cum thesaurum defossa terra abscondisset, postea rusticum, qui thesauro quærendo nihil cogitabat, loco eodem arborem plantare iussit eo instituto, vt ille inscius, imprudensque thesaurum inueniret: increata vero, vt si, cum alius thesaurum abscondisset, alius iniussus, nihilque de thesauro cogitans sponte ibi plantet arborem; vbi thesaurus erat repositus. In hoc enim posteriori euentu ad solam diuinam voluntatem, quæ vtriusque voluntatem ad eum effectum coniunxit, aut ex instituto, ac determinate coniungi permisit, referenda est tanquam ad proximam radicem eiusmodi contingentia: veluti etiam, cum Deus (*quod credere fas est*) Pontificatum gerente Gregorio Decimotertio pauperi cuidam Romano inspirauit, vt certo loco in Ecclesia sanctorum Martyrum Cosmæ, & Damiani thesaurum effoderet: is autem credens se inuenturum auri, aut argenti magnam copiam, inuenit longe excellentiorem thesaurum, corpora videlicet sanctorum Martyrum Felicis Secūdi Papæ, Abundi Presbyteri, & Abundantii Diaconi, olim eo loco abscondita: *Inuentio corporum sanctorum Felicis Abundi & Abundantij.* sola enim diuina voluntas coniunxisse videtur concursum abscondentium, & inuenientium ad eūdem effectum, qui per accidens fortuitoque euenit comparatione causarum particularium: nisi forte a beato aliquo spiritu id factum sit, in quo proinde ponenda erit proxima eius contingentiæ radix. Ita patet, quænam sit tum prima, tum proxima radix cuiusvis contingentiæ.

Animaduertendum est tamen ita intelligẽdum esse in hac disputatione, voluntatem siue increatam, siue creatam esse radicem vel primam, vel proximam contingentiæ, vt non excludatur intellectus. Qui enim melius hac de re sentiunt, ac loquuntur, dicere solent, intellectum esse radicem libertatis, vt patebit libro nono: libertas autem Dei est origo omnis contingentiæ, seu non necessitatis in creaturis. Non sola ergo voluntas, sed etiam intellectus est radix cõtingentiæ: verum intellectus incompleta, voluntas autem completa. Nam etsi indifferentia intellectus ad opposita inquirenda, conferenda inter ipsa, & iudicanda, necessaria est ad libere, seu non necessario agendum: non est tamen ad id satis, nisi accedat electio, quæ est voluntatis propria. Itaque voluntas præeunte intellectu est completa radix contingentiæ, quia nihil amplius requiritur ad libere, seu non necessario agendum, vt eodem libro patebit.

Intellectum etiam radicem esse contingentiæ.

Solutio argumentorum, quatenus proposita resolutioni aduersantur.

Sectio III.

Sed antequam dissoluamus argumenta ea, quæ pro vtraque sententia D. Thomæ, & Scoti proposita sunt, quatenus cum iis, quæ conclusimus, videbuntur pugnare, animaduertendum est, nec D. Thomam intelligere nomine summæ efficaciæ diuinæ voluntatis conditionem aliquam voluntatis diuinæ, sed formaliter ipsam diuinam voluntatem summe efficacem; neque item Scotum intelligere nomine libertatis vllam eiusdem voluntatis conditionem, sed formaliter ipsam voluntatem liberam: proinde argumentum, quo Caietanus obiicit Scoto, libertatem diuinæ voluntatis non posse esse radicem contingentiæ, quia non est formaliter volitio diuina, sed modus, seu conditio volitionis, æque pugnaturum cum Diuo Thoma, si vterque nominibus efficaciæ, & libertatis non ipsam diuinam volitionem formaliter, sed eius modos, conditionesve intellexissent: at cum Scotus ad argumentum propositum respondere teneatur, se nomine libertatis intellexisse formaliter ipsam voluntatem liberam, vterque sane eo modo, quem explicauimus, necessario intelligendus est.

Quid nomine summæ efficacia intelligat D. Tho. & libertatis Scotus.

1. p. q. 19. ar. 3

Hanc vero esse Diuæ Thomæ sententiam, cum aliis ex locis, tum expressius ex vigesima tertia quæstione de Veritate art. 5. plane intelliges, vbi ille, supposita libertate diuinæ voluntatis, ad eius summam efficaciam refert, quod in rerum natura sint euentus contingentes, hoc est, ad eius voluntatem non solum summe liberam, sed etiam summe efficacem. Vnde illud est natum, quod ipse sæpe ait, ideo Deum effectibus necessariis causas in agendo necessarias præparasse, & contingentibus contingentes, aut liberas, vt in necessario, & hi contingenter euenirent: sic enim motibus cœlestibus, quos necessarios esse voluit ad inferioris mundi administrationem, causas aptauit necessarias, hoc est, quæ impediri non possent in eis efficiendis; rebus autem sublunaribus, quas ortus, & interitus, variorumque accidentium, & euentorum capaces esse voluit, eas præparauit causas, quæ impediri aliquando, aut etiam pro suo arbitratu hoc, vel illud agere, vel ab actione abstinere possent. Quod cum Diuus Thomas tam sæpe repetat, cæcus pene sit, qui non videat illum non ad solam efficaciam diuinæ voluntatis, sed etiam ad eius libertatem contingentiam rerum tanquam ad primam radicem retulisse: vt nemo dubitare debeat, quin senserit liberam efficaciam, aut efficacẽ libertatem diuinæ voluntatis esse primam omnis contingentiæ radicem. Pro qua etiam re conferendus est vltimus articulus quæstionis centesimæ decimæquintæ primæ partis cum primo quæstionis centesimæ decimæsextæ.

Libertatem non excludi à D. Thom.

1. p. q. 19. art. 8. & de Veri. q. 23. ar. 1.

Ad primum igitur argumentum pro sententia Diui Thomæ, seu potius pro ea, quam illi eius sectatores tribuũt, dicendum est, nullibi videri ab eo expresse scriptum, si Deus ita ageret ex necessitate naturæ, vt nullo modo libere ageret, aut egisset, fore adhuc, vt darẽtur euentus contingentes in reru natura: hoc enim tantum videtur ille asserere: etsi Deus in administratione seu gubernatione huius vniuersi sic ageret ex necessitate naturæ, quomodo nũc generali suo cõcursu libere agit, secluso nimirum quocunque alio eius particulari concursu; adhuc fore, vt omnia, quæ nunc cõtingenter eueniunt, tunc quoque contingenter euenirent: quod verissimum est. Adhuc enim darentur effecta voluntaria, seu libera, vt modo dantur, agente Deo libero suo concursu generali, sed more naturalium agentium, vt sæpe dictum est: & quemadmodum nunc in pure naturalibus dantur effecta, quæ etsi non sunt contingentia simpliciter supposito huius vniuersi ordine, sunt tamen secundum quid, nempe comparatione quarundam causarum particularium præcise sumptarum, præter quarũ intentionem eueniunt: ita & tunc darentur. At si Deus nec libere ageret in administratione rerum, nec libere egisset

Explicatur mens D. Th.

Quo pacto agente Deo ex necessitate natura adhuc daretur contingentia.

A gisset in earum dispositione, sed ex necessitate naturæ hunc eundem rerum ordinem constituisset, & constitutum gubernaret, non existimat Diuus Thomas fore, vt omnia, quæ nunc contingenter eueniunt, tunc quoque contingenter euenirent. Nunc enim, si absolute loquamur, nec ordinem huius vniuersi supponamus, omnia præter Deum contingenter, seu non necessario existunt: tunc autem omnia quæ immediate a Deo, aut per

B causas naturales facta essent, necessario existerent, idque necessitate absoluta, vt patet. Vt igitur omnia infra Deum contingenter existerent, (quo pacto re vera nunc existunt, si absolute loquendum est, & non supposito hoc vniuersi ordine) necesse fuit præcessisse (*quod paulo ante diximus*) liberam Dei voluntatem, quæ ex infinitate possibilium rerum, & modorum essendi, ac existendi, eas res, eosq; essendi, ac existendi modos esse vellet, eumq;

C earum ordinem, ac dispositionem eligeret, ex quibus hæc rerum vniuersitas constituta est: nec certe D. Thomas aliter sentire potuit.

Satisfit arg. pro D. Tho. sententia proposito.

Ad argumentum igitur quod eius sectatores communiter pro eo extruunt, distinguendum est antecedens, & in eo tantum sensu concedendum, in quo Deus poneretur agere ex necessitate naturæ in sola administratione mundi eo mundo dispositi, quo nunc dispositus est, ita nimirum, vt eum libere sic condere

D voluisset. In hoc autem sensu, etsi recte probatum est antecedens, perspicuum est negãdam esse consequentiam. Quod si Deus poneretur nullo modo libere nunc agere, nec vero libere egisse, cum mundum condidit, sed ex necessitate naturæ, negandum plane est antecedens: in quo sensu illud non recte probatur, nec cohæret cum doctrina Diu. Thom. vt ex dictis patet.

Diluitur argum. Caiet.

E Ad argumentum vero Caietani dicẽdum: Si mundus hic hoc eodem modo procedens ex se ipso extitisset, neque a Deo conditus esset, (*quod intelligendum est quoad substantias separatas, cœlos, & elementa, a quibus, & ex quibus cætera fiunt*) etsi adhuc euenirent ea contingẽtia, quæ nunc eueniunt: non omnia tamen infra Deum contingenter existerent, vt nunc existunt, si absolute loquendum est: omnia enim, quæ ex seipsis existerent, aut ab eis ne-

F cessario fierent, absoluta necessitate existerent, aut fierent.

Deo necessario agente non dari contingentia in naturalibus.

Quod vero ad Scotum attinet, non dubium est, quin recte dixerit, Philosophos latenter sibi ipsis repugnasse, si a Deo abstulerunt omnimodam agendi libertatem, & tamen cõfessi sunt dari in rebus pure naturalibus simpliciter, & absolute euentus contingentes. Si enim Deus neque in gubernatione rerum liber esset, neque in earum productione liber fuisset, sed ex naturæ necessitate omnia ea fecisset, ac faciat, quæ nunc facta esse, ac fieri cernimus: nihil omnino simpliciter & absolute in rebus pure naturalibus contingenter eueniret: sed tantum respectu huius, aut illius causæ particularis præter cuius intentionem fieret: namque omnia, quæ sunt infra Deum, in rebus quidem naturalibus vel facta essent, ac fierent immediate ab eo, vel per causas naturales necessario euenissent, ac euenirent. Quo fit, vt sibi repugnauerint Philosophi, si negata prorsus Deo agendi libertate contingentiam absolutam in rebus pure naturalibus admiserunt. Cæterum in voluntariis, seu liberis euentibus non recte sentit Scotus, si de iis etiam intelligi voluit, vt nonnulli existimant. Neque enim actus voluntatis creatæ minus liberi tunc essent, vt qui simpliciter & absolute possent æque esse ac non esse, atque nunc, libere nimirum Deo agente. Nam vt in hoc rerum statu Deus non determinat vllam voluntatem creatam ad alteram oppositionis partem, sed permittit omnibus, vt iuxta propriam libertatis conditionem se ipsas determinent: ita omnino tunc accideret.

Adhuc tamen daretur in liberis.

Quid recte aut non recte hac in re senserit Scot.

Quamquam ergo Scotus recte sensit de prima radice contingentiæ, quam posuit in libertate diuinæ voluntatis, non exclusa tamen, sed potius inclusa eius summa efficacia, quam expresserat Diu. Thom. inclusa libertate, vti diximus: tamen, si euentus etiam liberos complecti voluit, duabus in rebus non recte philosophatus est: vna in eo, quod illam ipsam diuinæ voluntatis libertatem putauit esse proximam radicem contingentiæ actuũ voluntatis creatæ, cum re vera proxima sit ipsa huius libertas, qua sese ad opposita determinat: altera in eo, quod vniuerse de rebus infra Deum pronuntiauit, omnes necessario euenturas, si Deus ageret ex necessitate naturæ: siquidem etiam tunc actus voluntatis creatæ essent liberi.

Diluitur 2. eius argum.

Ad primum igitur argumentum eorum quibus hoc pronuntiandum probat, dicendũ est, neutram sumptionem esse veram, si in vtraque intellexit omnem causam mediam prius, saltem natura, moueri a prima, seu accipere aliquid ab illa, quo ipsa actionem suam exerceat: hoc enim, etsi verum est in instrumentis opificum, & aliquando accidat in causis mediis, quæ actionibus interdum præuiis excitantur ad agendum: (*quo pacto oculi per lumen externum, & per species impressas ab obiectis excitantur ad videndum*) tamen in causis principalibus, & in multis etiam instrumentalibus minus pro-

 prie

q. 9. sect. 2. & 3.

prædictis, non necessarium, vt superiori libro explicauimus. A Quod si sic intelligendus sit Scotus, vt nihil aliud velit, quam causam mediam non operari, nisi cooperante prima, atque hoc esse agere virtute primæ; sensus quidem verus est, eumque licet apud illum colligere cum aliis locis, tum vero perspicue ad calcem quæstionis primæ in quartum Sententiarum: sed ex eo non efficitur conclusio. Nam etsi prima causa ageret ex necessitate naturæ cum voluntate creata, adhuc ta- B men voluntatis creatæ actiones essent, vt dictum est, liberæ, nisi omnes essent ab ipsa prima causa ex necessitate naturæ prædefinitæ, ac determinatæ: quo pacto Scotus intelligi debet, vt apte concludat haud veram conclusionem, sed tamen, quæ illi forsitan vera esse videbatur.

Diluitur secundum.

Ad secundum dices: si prius respicere effectum idem sit eo loco apud Scotum, atq; priori aliquo actu illum attingere, falsum est, C prius natura causam primam respicere effectum, quam secundam: vtraque enim vna, & eadem actione secundæ causæ illum attingit: quo fit, vt nihil in eo sensu concludatur. Quod si sensus antecedentis sit, ex determinatione primæ causæ pendere omnem executionem effectus, sic quidem, cum Scotus ponere credatur omnem effectum prædefiniri, ac prædeterminari a prima causa, dicatque Deo agente ex necessitate naturæ omnia effecta neces- D sario euentura, apte quidem concludi, prius natura effecta omnia habitura tunc necessitatem a prima causa, a qua essent prædefinita, quam haberent contingentiam a secunda, a qua executioni quasi mandarentur: verum eiusmodi contingentia non foret cõtingentia simpliciter, & absolute, hoc est, omnibus spectatis, sed solum secũdum quid, nempe respectu alicuius causæ mediæ, præter cuius intentionem effecta euenirent: quæ contingen- E tia simul cohærere potest cum necessitate simpliciter respectu totius ordinis vniuersi, vt dictum est.

[illegible]

Ex his, quæ hactenus dicta sunt de contingentia in eueniendo, habes, hanc contingentiam, de qua præcipue disputatum est, supposito hoc vniuersi ordine, simpliciter quidem in solis actibus liberis, & in rebus quæ ab eis pendent, reperiri: non simpliciter autem, siue omnibus inspectis, sed respectu media- F rum causarum tantum, reperiri etiam in pure naturalibus.

Habes etiam primam, & generalem huius contingentiæ radicem esse efficacissimam libertatem increatæ voluntatis: proximam vero, in naturalibus quidem esse eandem; in liberis autem, partim increatam, partim creatam: cætera vero quæ ad hanc contingentiam exequendam concurrunt, esse veluti instrumenta increatæ voluntatis, aut creatæ: in naturalibus quidem, materiam priuationi obnoxiam, contrarias formas, agentia contraria, & quocunque modo defectibilia, aut impedibilia, in voluntariis autem ea omnia tam naturalia, quam libera, quibus siue increata, siue creata voluntas vtitur ad aliquid agendum libere.

Ad quod genus causæ reducenda sit contingentia tex. 5. & 8.

** Tum alibi, tum 8. Phys. cap. 6. tex. 52. & 51.*

† 1. de interp. cap. 8. & 2. Phys. c. 4. 5. & 6. & hoc lib. c. 2. tex. 9. 7. & 8.

Ex quibus patet, ad quod genus causæ reducenda sit omnis contingentia, tanquam ad primam eius radicem, & originem: de qua re Aristoteles in hoc capite propterea valde dubitauit, neq; vllibi quicquam definiuit, quod in eam salebram incidisset, a qua se expedire non posset, dum videlicet asseruit necessitatem agendi * diuinæ naturæ, & simul omnem rerum † contingentiam seruare voluit. Nam etsi certum est illum reuocasse contingentiam humanarum actionum ad libertatem humanam tanquam ad proximam radicem, vt patebit ex libro nono; tamen primam originem contingentiæ casualis, quam in rebus pure naturalibus animaduerterat, & fortuitæ multorum euentuum, quam notauerat in liberis, propterea inuenire nequiuit, quod de conditione diuinæ voluntatis aut non recte sensit, aut certe dubitauit: quam tamen quatenus summæ efficaciæ, summæq; libertatis est, esse primam radicem omnis contingentiæ, de qua est quæstio, idque in genere causæ efficientis, necesse omnino est fateri.

Quare, cum supposito huius vniuersi ordine in rebus pure naturalibus non reperiatur huiusmodi contingentia simpliciter, sed secundum quid; sola contingentia liberorum actuum nobis per se notissima deinceps defendenda est, partim a nõnullis Ethnicis Philosophis, partim a quibusdã Hæreticis, quod illis nostri arbitrii libertas non videatur cohærere cum certa Dei præsentia, & prouidentia futurorum euentuum.

Num Dei præscientia imponat necessitatem omnibus futuris euentibus.

QVÆST. IV.

Esse in Deo futurorum omnium præscientiam.

SECTIO I.

Quid sit præscientia.

PRAESCIENTIA idem est, quod præcedens scientia: vnde præscientia futurorum euen-

q. 1 sect. 1. euentuum, nihil est aliud, quam rerum futurarum, antequam eueniant, scientia. Etsi autem scientia, quæ in præscientia includitur, idem sit, quod certa, & euidens cognitio, vt patet ex iis, quæ ad primum caput disputata sunt: nobis tamen in hac quæstione satis est prior conditio, quia vel cum sola eius certitudine, seu infallibilitate videtur pugnare contingentia futurorum euentuum. *Sensus quæstionis.* Itaque sensus quæstionis est: Vtrum ex eo, quod Deus certa, siue infallibili cognitione ex o- B mni æternitate nouit omnia, quæ futura erant, sequatur, ea omnia fuisse, aut esse adhuc necessario euentura? Qua in quæstione, cum supponatur esse in Deo rerum omnium futurorum præscientiam, hoc ipsum primo loco stabiliendum est, propositis ac refutatis rationibus iis, quæ ex per se nota contingentia liberorum actuum contra afferri solent: tum videndum, vnde certitudo diuinæ præscientiæ sumatur: postremo, num ex hac cer- C titudine sequatur futurorum omnium euentuum necessitas, etiam eorum, quæ verissime supponuntur contingenter, siue non necessario euenire.

Negatiuæ partis argumenta. Non esse igitur in Deo certam cognitionem omnium futurorum euentuum, ex eo primum probatur, quia si esset, omnia futura essent certa: neque enim maior potest esse certitudo in cognitione, quam in obiecto, præsertim cum certitudo cognitionis ex certitu- D dine obiecti desumatur, vt superius diximus: *c. 1. q. 1 sect. 3.* atqui non omnia ea, quæ in futuro eueniunt, sunt certa, cum per se notum sit, ea, quæ ex libero arbitrio pendet, vt euenire, ita & non euenire posse: ergo non habet Deus certam cognitionem omnium futurorum euentuum.

Loco citato. Deinde, quia omne, quod scitur, debet esse necessarium aut simpliciter, aut ex suppositione, vt superius quoque dictum est: atqui non omnia futura sunt necessaria simpliciter, aut E ex suppositione: quandoquidem ea, quæ a libero arbitrio pendent, etiam supposito hoc vniuersi ordine, non necessario eueniunt, vt eueniunt pure naturalia: imo nec quacunque *c. 2. q. 2. sect. 1 & q. 3.* alia circumstantiarum suppositione facta, vt etiam superius diximus: ergo, & cætera.

Postremo, quia si Deus sciret certo omnes futuros euentus non modo naturales, sed etiam liberos; aut cognosceret eos in eis ipsis, aut in eorum effectis, aut in eorũ causis, præ- F cipuis vero in determinatione suæ ipsius voluntatis de eis efficiendis, (*quandoquidem nihil fieri potest, nisi Deo effectiue concurrente*) aut in futuris causarum circumstantiis, aut in rationibus rerum, seu ideis, quas ipse habet in se: at nihil horum dici potest de omnibus euentibus quia non de liberis. Nam quod eos non

A cognoscat in eis ipsis, perspicuum est, cum illi, dum adhuc futuri sunt, nondum existant in rerum natura: quod non in eorum effectis, probatur, quia effecta non existunt ante suas causas; (*loquimur enim de efficientibus*;) quod non in eorum causis particularibus, patet, quia voluntas in se est indeterminata ad omnes actus liberos, siue elicitos, siue imperatos: quod neque in vniuersalibus, ex eo constat, quia causæ vniuersales non agunt effe- B cta particularium causarum, nisi per ipsas particulares causas: quod vero neque indeterminatione suæ voluntatis de eis efficiendis, ea ratione intelligitur, quia multi euentus futuri sunt peccata, ad quæ, vt patrentur, diuina voluntas determinari non potest, cum Deus nõ possit esse peccati vllius autor: quod autem ne in circumstantiis quidem causarum futuris, ea ratione intelligitur, quia circumstantiæ ipsæ futurorum (*saltem plures*) futuræ C etiam sunt, cum euentus adhuc sunt futuri, præsertim cum, quibuscunque earum suppositis, adhuc intelligi non possit, num, & quales euentus futuri sint. Demum, quod neque in rationibus, siue ideis rerum, quæ in Deo sunt: eo argumento conficitur, quia res non videntur repræsentari in ideis vt futuræ, sed vt possibiles: ex possibilitate autem rerum non concluditur earum futura existentia. Ita nulla ratio se offert, qua videantur Deo tribuẽda cer- D ta, & infallibilis cognitio omnium futurorum euentuum.

In hac re grauissime errauit Cicero in secundo libro de Diuinatione, qui cum hæc, aut similia argumenta dissoluere nequiret, nec negare posset multa apud nos accidere præter intentionem agentium, ac proinde contingenter: maluit negare in Deo eorum præscientiam, quam vocat præsensionem, quam illa inficiari: putabat enim vtraque E cohærere inter se non posse: sic enim scribit. *Cicero. error.* *Nihil est tam contrarium rationi, & constantiæ, quam fortuna, vt mihi ne in Deum quidem cadere videatur, vt sciat quid casu & fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eueniet. Si certe eueniet: nulla fortuna est: est autem fortuna: rerum igitur fortuitarum nulla est præsensio.* Contra quem errorem disputat Augustinus libro quinto de ciuitate Dei, *cap. 9.* arguens Ciceronem hac in re impietatis quod dum homines facere vellet liberos, fecisset sacrilegos: neganda F videlicet Deo futurorum præsensione, quæ maxime propria est diuinæ naturæ. Merito enim intellexit Augustinus pari ratione Ciceronem negare in Deo præsensionem liberorum actuum futurorum, etsi non per accidens, & præter intentionẽ voluntatis euẽturi sint, sed per se, & ex intentione suorum agentium:

tium: eo quod eadem ratio sit in vtrisq;: imo A vero multo maior in liberis, quam in naturalibus euentibus, quos certo sciri posse naturaliter superius diximus.

c.2 q.1 sect.2 Negari non posse Deo praescientiam futurorum.

Dicendum igitur, non posse vlla ratione negari esse in Deo futurorum omnium praescientiam, atque, vt Augustinus eo loco ait apertissimam insaniam esse confiteri Deum, & negari illum esse futurorum praesciū. Id, quod in primis manifestissimis rationibus patet. Primum, quia, cum Deus praesentia cognoscat, si, antequam illa essent, ea ignorabat, B certe mutatus est, vtpote factus ex non sciente sciens. Deinde, profecit in cognitione, nec semper fuit summa sapientia. Tum etiam, non est actus purus, cum sit etiam hodie isto modo in potentia ad cognitionem crastini euentus. Non potest quoque habere certam prouidentiam in decernendis ante praemiis, & suppliciis singulorum hominum pro futuris operibus: sed expectat futura tempora, vt C postquam humana opera fieri, aut etiam facta esse intellexerit, tum demum statuat, quae quibus praemia, aut supplicia danda sint. Adde, quemadmodum diuina potentia extenditur ad omnia factibilia, ita diuinum intellectū extendi ad omnia intelligibilia: at ea, quae aliquando futura sunt, quatenus futura sunt, intelligibilia esse, etiamsi natura sua sint contingentia. Cum enim haec, quando iam sunt, vera sint; quicquid autem aliquando verum D est, semper ex aeternitate vere dici potuerit futurum esse: necessario efficitur, vt si, quatenus postea sunt, vera sunt; quatenus etiam futura erant, vera etiam essent. Ita fit, vt nulla futura contingentia subterfugere possint diuinam cognitionem.

Accedit communis hominum conceptio, & consensus: omnes enim natura ipsa duce ponunt in diuina natura omnium euentuum non tantum naturalium, sed etiam li- E berorum, praescientiam: vnde fit, vt omnes vbique nationes ad diuina oracula suo quaeque modo pro quibusvis futuris euentibus recurrant. Idem docet Plato ex communi hominum sententia, cum scribit semper apud omnes fuisse certum diuinitatis signum futura praenoscere: & Plutarchus in libro de Theologia Aegyptiorum, cum ait, hanc esse Dei beatitudinem, vt scientia praeoccupet, quaecunque fiunt. F

De fide esse Deum futura praescire.

Denique hoc adeo certum est, vt sit etiam de fide, quod ex plurimis diuinae scripturae locis constat, quale est illud Regii Prophetae:

Psal. 138.

Intellexisti cogitationes meas de longe; semitam meam, & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas praeuidisti. & illud Esaiae: *Annunciate, quae ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij*

Esai. 41.

estis vos. & illud Danielis: *Domine, qui nosti omnia, priusquam fiant.* & illud Ecclesiastici: *Domino enim DEO, antequam crearentur, omnia sunt agnita.* & rursus: *Opera omnis carnis coram illo, & non est quicquam absconditum ab oculis eius: à seculo, & vsque in seculum respicit.* Itaque tam saepe in diuinis scripturis asseritur diuina futurorum omnium praenotio, vt recte dixerit Tertullian. secundo libro contra Marcionem, Praescientiam Dei tot habere testes, quot fecit Prophetas.

Dan. 13.

Ecc. 23. & 37.

Diluuntur opposita arg.

Ad primum igitur argumentum pro parte opposita dicendum est omnia vere futura, quaecunque illa sint esse certo, & infallibiliter euentura, aut simpliciter; (*posito duntaxat hoc vniuersi ordine*) aut addita aliqua suppositione: naturalia quidem, simpliciter, voluntaria autem ex sola suppositione suae existentiae futurae.

Omnia vere futura esse infallibiliter euentura.

Posito enim, quod haec pars contradictionis futura sit, certum, & infallibile est eam esse euenturam: quemadmodum & in praesentibus accidit: inde enim certum, & infallibile est, Socratem nunc sedere, quia ipsa existentia sessionis, seu Socratis sedentis habet vim suppositionis cuiusdam non fictae, sed verae; qua posita certum est, & infallibile Socratem sedere, imo & necessarium, vt ait Aristoteles: hoc enim pacto intelligendum est id, quod ille ait in priori libro de interpretatione, *Omne quod est, quando est, necesse est esse.* Neque enim satis est dicere, *Quando est*, nisi quid aliud subintelligatur, cum voluntaria, quando sunt, non necessario sint: quandoquidem spectata liberi arbitrii facultate etiam tunc possent non esse; imo vero nunquam contingenter sint, nisi quando sunt: quod non accidit in naturalibus, quia eorum causae sunt determinatae ad certa effecta. Oportet ergo ita sententiam Aristotelis interpretari, quasi dicat, *Omne quod est, quando est*, ex eo quod ponitur esse, (*reali nimirum suppositione*) *necesse est esse.* Quod idem accipit in praeteritis: posito enim, quod fuerint, (*quod iam reipsa factum est*) necesse est ea fuisse.

Ad secundum eodem modo respondendum est: siquidem certum, siue infallibile idem est, quod necessarium in commune, quod complectitur necessarium simpliciter, & ex suppositione. Quanquam vero ea, quae pendent a libero arbitrio, non sint in futurum necessaria ex sola suppositione ordinis vniuersi; imo neque ex suppositione cuiuscunque alterius additae circumstantiae, vt loci, temporis, & aliarum, quae dici solent in moralibus; quia semper quibuscunque positis voluntas libera est ad opposita: sunt tamen necessaria ex suppositione suae ipsorum futurae

Quo pacto quae pendent a libero arb. sint in futurum necessaria.

futuræ existentiæ, quæ est necessitas secundũ quid, & non excludit contingentiam simpliciter: vt etiam in præteritis, & præsentib. quæ simpliciter, & absolute contingenter & extiterunt, & existunt.

Falsa nominalium sententia circa libertatem voluntatis quando oper. Ocham. in 1. d. 38. q. vnica & quodl. 1. q. 16. Gab. in 1. ibi. & in 2. d. 25. & aliorum.

Hinc manifeste deprehenditur deceptio quorundam Theologorum, qui contendunt voluntatem in nullo instanti esse liberam, vt in eo aliquid velit, & non velit, etiam in sensu diuiso: sed si in eo aliquid vult non habere potestatem illud nolendi, siue non volendi in eodem; si autem non vult, non habere potestatem idem volendi in illo: posse tamen dici libere in quolibet instanti velle aliquid, aut non velle, si immediate ante illud fuit libera ad idem volendum, & non volendum, habens tunc potentiam ad vtrumque pro instanti sequenti: eodemque modo posse dici liberam in quolibet instanti pro tempore immediate sequenti, quia in instanti præsenti habet potentiam volendi, & non volendi rem eandem in tempore immediate sequenti. Falluntur igitur, quia ex hac sententia sequitur actus liberos non elici libere, quando sunt; nec elicitos fuisse libere, quãdo fuerunt; nec eliciendos libere, quando erunt: quia cum eliciuntur, aut eliciabantur, aut elicientur à voluntate, non est, aut non erat, aut non erit in ea potestas ad eos non eliciendos: quod quidem re vera est tollere omnem eorum contingentiam, seu non necessitatem: quandoquidem nihil contingenter esse potest, nisi quando est. Nec vero satis est addere hos actus dici posse contingenter esse, cum sunt propter potentiam præcedentem non natura tãtum, sed etiam tempore, ad opposita: isto enim modo nec Angeli in primo instanti sui esse, nec ipse Deus Opt. Maxim. in sua indiuisibili æternitate libere potuerunt operari: quorum alterum contra communem *Theologorum sententiam est, alterum blasphemia.

**Scot. in 2. d. 5. q. 2. Gre. q. 1. artic. 2. Maior q. 5. Mars. q. 3. ar. 2. concl. 3. Gab. d. 4. q. vn. ar. 3. Och. quodl. 2. q. 6. Caiet. ad 1. p. q. 63. ar. 5. & Ferr. 3. contr. Gent. c. 10. & 4. c. 95.*

Voluntas in quolibet instanti habet potestatem ad opposita.

Non est igitur negandum, voluntatem esse liberam in aliquo instanti, pro illo eodem præcise; nec dicendum (*quod idem est*) deesse illi potentiam ad oppositos actus in eo exercendos; aut vt velit, & non velit rem eandem: semper enim voluntas potentiam habet ad opposita, seu potius ipsa est quædam potentia ad opposita exercenda, etiam pro eodem instanti: alioquin præter ea incommoda, quæ tacta sunt, in quolibet instanti amitteret illa potentiam aliquam, quam antea habuisset. Sed animaduertendum est, in eodem instanti temporis consideranda esse ad minimum duo instantia naturæ, seu distinctionem prioris, & posterioris naturæ: quo pacto in momentanea generatione cuiusque

Distinctio instantiũ temporis in eadem natura.

substantiæ datur primum instans naturæ, in quo introducitur forma substantialis, quasi nuda in eo naturæ ordine, datur etiam secundum, in quo proprietates emanant ab essentia rei genitæ. Eodem igitur modo in eo instanti temporis, in quo volũtas creata aliquid vult, distinguere oportet eadem naturæ instantia, in quorum primo voluntas sit indeterminata ad opposita; in secundo autem iam determinata sit a seipsa ad eorum alterum: quandoquidem ad vtrumque simul determinari non potest, neque vlla etiam est potentia ad vtrumque simul, vt Aristoteles docet libro nono ad calcem quinti capitis; sed ad eorum alterum indifferenter, seu, vt dici solet, non potest determinari ad vtrumque in sensu composito, (quod est simul) sed in sensu diuiso, quod est ad eorum alterum, quod maluerit. Diximus autem hæc consideranda esse in voluntate creata, quia in increata huiusmodi instantia naturæ non sunt actu, sed virtute: & consideratione nostra.

Non dari potentiam ad vtrunq; simul, explicatur.

In modo tamen loquendi obseruandum est, etsi possumus dicere sine incommodo voluntatem in eodem instanti temporis posse velle, & non velle rem eandem; imo & in eodem illo priori instanti naturæ, quia in eo etiam habet potentiam ad vtrumque oppositum: non tamen possumus sine vitio asserere, in eodem instanti, in quo voluntas determinata est ad aliquid volendum, posse illud non velle. Quanquam enim id modo aliquo referri potest ad idem instans temporis, aut etiam ad prius instans naturæ, quod in eo continetur: proprie tamen non refertur, nisi ad instans determinationis, quod est posterius instans naturæ, quod quidem cum iam sit occupatum vno ex oppositis, alterum admittere non potest: nec certe ibi datur tertium instans naturæ, quod alterum oppositum occupare possit, quia opposita omnia, cum sibi mutuo repugnent, immediatum sibi vendicant naturæ ordinem respectu potentiæ. Recte tamen, ac sine vllo vitio dicemus: In eodẽ instanti temporis, in quo voluntas aliquid vult, seu in quo determinata est ad aliquid volendum, posset illud non velle, vel potuit illud non velle: siquidẽ illa verba [*posset*] vel [*potuit*] significant aliud instans naturæ in eodem instanti temporis determinationem voluntatis præcessisse, in quo voluntas ad neutrum oppositorum erat determinata. Quam loquẽdi, & intelligendi rationem, si præfati authores aduertissent, forsitan ad prioritatem temporis non diuertissent. Ita patet solutio secundi argumenti.

Quis modus loquendi hac in re seruandus sit.

In tertio argumento tota est difficultas, cum videatur omnem rationem certitudinis

Tertii argu. difficultas.

nis diuinæ cognitionis circa futura contingētia de medio tollere. Quanquam vero respōderi posset, nihil referre, si nesciamus, quonā modo, & ratione futura omnia contingentia a Deo certo, & infallibili notitia cognoscātur; satisq; nobis esse, si intelligamus, imo etiam demonstremus eam esse certam, & infallibilem: (*nam & in rebus naturalibus multa demonstramus esse, quonā autē modo, & ratione sint, in hac vita intelligere non possumus:*) enitēdum est tamen, vt modum, & rationem aliquam inueniamus, qua illa ab eo certa cognitione ex æternitate percepta sint.

Res omnes, quæ sunt, fuerunt, ac erunt, cognosci à Deo ex æternitate intuitiua cognitione secundum earum reales, & actuales existentias.

SECTIO II.

PRIMVM igitur illud est expendendum, cognoscatne Deus ab æterno res omnes, quæ sunt, fuerunt, ac erunt, intuitiua cognitione, qua illi nimirum præsentes sint secundum proprias ipsarum existentias, reales nimirum, actualesque. Est enim id valde controuersum apud Theologos: quod idem expendere ad primum etiam Philosophum spectat.

Scotus, D. Bonauentura, Ochamus, Durandus, Gabriel, & alii complures partem negatiuam amplectuntur his potissimum argumentis. Primum, quia, quæ nondum existunt in se ipsis, aut iam existere desierunt, nulli rei coexistunt: futura autem nondum in se existunt, sed in suis tantum causis: præterita vero iam existere desierunt: non igitur ita coexistunt Deo, vt intuitiue ab æterno cognosci potuerint.

Pars negatiua Scot. in 1. d. 39. q. vnic. parag. aliter, Bonau. ar. 2. q. 3. Ocham. d. 38. q. vnic. Dur. quæ. 3. Gab. q. vnic. ar. 2. Alen. 1. p. q. 2? memb. 4. ar. 3. Greg. in 1. d. 39. p. 2 ar. 2.

Deinde, quia, quæ non coexistunt inter se, nō coexistunt eidem tertio: præterita autem, & futura non coexistunt inter se, neq; etiam præsentibus, vt patet: non ita igitur coexistūt Deo, vt ab eo ex æternitate intuitiue cognoscantur.

Tertia, quia, vt æternitas complectitur omnia tempora, ita localis immensitas loca omnia: atqui Deus non fuit in hoc mundo, nisi postquam mundus extitit: ergo nec coexistit huic rei, vt illi nisi postquam res ipsa existit; ac proinde nec res altera ex parte coexistunt Deo, nisi cum ipsæ actu existunt: vnde sequitur eas non potuisse ab eo ex æternitate intuitiue cognosci.

Quarto, quia, si omnia a Deo ex æternitate intuitiue cognita essent, quemadmodum illi coextitissent ab æterno, ita & eorum opposita, vt Adamum esse, & Adamum non esse; Adamum vigilare, & Adamum non vigilare: at hæc simul vera esse non possunt.

Quinto, quia, si ea, quæ successiue sunt in tempore, essent Deo intuitiue simul ab æterno præsentia; sequeretur, ea, quæ prius producuntur, quam sint producta, simul produci & producta esse: quandoquidem vtrumque verum esset apud Deum: quod tamen nemo ferat.

Sexto, quia, quorum non est communis mensura durationis, eorum non est communis mensura existentiæ, ac proinde nec coexistentiæ: at durationis Dei, & creaturæ nulla potest esse communis mensura, cum altera æterna sit, altera temporaria: non coexistunt igitur simul, ac proinde neque a Deo ex æternitate intuitiue cognoscuntur.

Postremo. Si futura ea ratione intuitiue cognoscerentur a Deo, quia eius æterna cognitio complectitur omnia tempora: Angeli quoque futura omnia intuerentur, quod eorum æuiterna cognitio comprehendat tempora futura: at hoc erroneum esse non dubium est, cum CHRISTVS Dominus dicat, vniuersalem iudicii diem neq; Angelis in cœlo notum esse.

Matth. 24.

Addunt eorum nonnulli quædam ex scripturis sacris, quibus partem hanc confirmari existimant, vt illud Regii Prophetæ: *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis à sæculo & vsque in sæculum tu es*: & illud Prouerbiorum de diuina Sapientia: *Nondum erant abyssi & ego iam concepta eram.* Afferunt etiam ex prima Nicena synodo damnatam in ea fuisse illam Arii blasphemiam, qua de verbo diuino dicebat: *Erat, quando non erat*: significabat enim Arius fuisse aliquando tempus, in quo non esset verbum Dei: quod ea ratione damnatum est, quia proprium id esset creaturarum.

Psalm. 8[illegible]. Prouerb. 8. In symbol. apud Niceph. l. 9. c. 17.

Partem vero affirmatiuam perspicue amplectitur præter alios Patres D. Augustinus pluribus * locis, præcipue vero libro vndecimo de ciuitate Dei, cap. 21. & in secundo ad Simplicianum, quæstione secunda, Eucherius libro primo in libros Regum capit. 14. Beda in libro variarum quæstionum, quæstione 13. Boetius quinto libro de consolatione Philosophica, prosa vltima, & alii infra citandi: D. Thomas 1. p. quæst. 14. articul. 13. & aliis locis compluribus, ac Thomistæ omnes præter vnum, aut alterum ex recentioribus. Adde Richardum, Marsilium, & alios complures graues autores in eadem opinione esse: quæ etiam nobis magis probatur his argumentis.

*Pars affirmans, & amplectenda. * Vt 11. conf. c. 19. & in Psalm. 49. Vt ead. 1. p. q. 57. ar. 3. de verit. q. 2. ar. 12. & 1. cont. Gent. c. 66. & seq. & ibi. Ferr. Capr. in 1. d. 36. q. 1. ar. 1. d. 38. q. 1. ar. 1. & Caiet. in loc. cit. 1. p. Rich. in 1 d. 38. q. 3. & 39. ar. 1. q. 2. Mars. 40. q. ar. 2. parag. ad rationes.*

† Rationibus probatur.

Primum. Æternitas est † duratio quædam non solum indiuisibilis in se, seu tota simul; sed etiam perfectissima, præhabens, & comprehendens infinitam temporum successionem ex vtraque parte: ergo æterna Dei cognitio æque præsentem sibi habet quamlibet differentiam temporis, & quamlibet rem in ea existentem: quare nulla vnquam creatura fuit, est, aut erit, quam Deus ab æterno intuitiue sibi præsentem non cognoscat. Antecedens patet ex ipsa æternitatis definitione, quam tradit Boetius in loco citato, cum ait, *Æternitatem esse interminabilis vitæ totam simul, & perfectam possessionem.* Prior consequentia ex eo constat, quia cognitio, quæ hoc pacto indiuisibilis est, neque vllo modo successioni subiecta, (*quo pacto æuiterna subiecta est, quod & breuiari, vt ita dicam, & extendi potest cum ipsa æuiternorum existentia*) non potest vllo modo expectare, aut retro relinquere vllam temporis differentiam, vllumve obiectum in ea cognitum. Posterior vero consequentia ex eo probatur, quia quæcunque suis existentiis præsentia sunt cognoscenti, intuitiue ab eo cognoscuntur, vt patet ex communi intuitiuæ cognitionis explicatione.

Si Deus aliter cognosceret futura, atq; præsentia mutaretur.

Deinde. Si Deus more nostro (vt Diuus Augustinus locis citatis argumentatur) aliter cognosceret præsentia, aliter præterita, & futura (*præsentia videlicet cognitione intuitiua, præterita vero, & futura cognitione abstractiua*) mutaretur vtique: prius enim cognosceret futura abstractiue, quam intuitiue; contraque prius cognouisset præterita intuitiue, quam abstractiue. Cum igitur in diuinam naturam nulla omnino cadat mutatio, necessario efficitur, vt semper Deus nouerit præterita, præsentia, & futura eodem cognitionis modo: atis modus alius esse non potest, nisi intuitiuæ cognitionis, quo necesse est, vt præsentia cognoscantur: fit igitur necessario, vt Deus omnia, quæ nobis præterita præsentia, & futura sunt, vt suæ æternæ cognitioni vere præsentia contueatur. Hoc idem argumentum, quod Eucherius in loco citato non minus accurate persequitur, ducitur ex illo communi Patrum pronunciato, *Non alio modo cognocita Deo facienda, quam facta*: qui modus alius esse non potest, quam intuitiuæ cognitionis.

Vt Aug. 10. de ciu. c. 12. & Hier. in c. 1. epist. ad Eph.

Quorundã responsio.

Sed respondent nonnulli, cognitionem intuitiuam, etsi in creaturis perfectior est, quam abstractiua; in Deo tamen non esse perfectiorem: alioquin cognitio, quam Deus habet de creaturis, quæ nunquam fuerunt, aut erunt, minus perfecta esset, quam ea, quam habet de iis, quæ aliquando fuerunt, aut erunt: proinde, etsi Deus prius cognoscat res futuras notitia abstractiua, quam intuitiua; contraque prius cognouerit præteritas intuitiua, quam abstractiua, non ideo tamen sequi, illum esse mutatum: verum hi nihil efficiunt.

Diluitur

Nam neque actus, quo Deus vult creaturam aliquam esse in Deo, perfectior est eo, quo vult aliam non esse: & tamen, si Deus prius vellet rem hanc, vel illam esse in aliquo certo tempore, aut instanti, & postea vellet eandem non esse in eodem; aut contra prius nollet eam esse, & postea esse vellet, plane mutaretur, vt omnes fatentur, hoc & libro septimo confirmabitur; hoc autem non ea sola ratione verum est, quia id esset indicium mutationis consilii, sed etiam, quia esset vera mutatio voluntatis, vt voluntas est. Nulla enim ratio est, cur non sit vera mutatio voluntatis, vt est voluntas, velle prius rem aliquam esse pro hoc instanti, & postea nolle eandem esse pro eodem, vndecunque id proueniat, vt eodem loco fusius, & accuratius explicabitur. Sic igitur dicendum est, etsi notitia intuitiua Dei non est perfectior, quam abstractiua; tamen si Deus rem aliquam prius abstractiue cognosceret, & postea intuitiue, aut contra, non dubium fore, quin mutaretur, vt Augustinus in locis citatis rectissime sentit: transiret enim, vt ait, ab vno modo cognoscendi rem eandem in alium, nec solum mutatio cerneretur in re obiecta, quæ prius non esset, & postea esset, aut contra; sed etiam in ipso intellectu, qui prius eam non intueretur, & postea intueretur, aut prius intueretur, & postea sola memoria teneret, qui sunt oppositi intelligendi modi: etiamsi in Deo ea successio non proueniret nisi ex mutatione rerum obiectarum; quæ tamen apud nos sæpe cernitur non mutatis rebus, sed quia nos in eas præsentes non intendimus.

Obiectio.

Quod si quis obiciat, cognitionem intuitiuam, & abstractiuam in Deo non distingui actu, nisi per relationes quasdam ad res existentes, & non existentes: proinde nihil esse incommodi, si eadem cognitio diuina, quæ antea erat abstractiua, postea sit intuitiua; & quæ intuitiua, abstractiua: occurrendum est,

Responsio.

eandem esse rationem in actibus volendi, & nolendi diuinæ voluntatis, qui non distinguuntur distinctione actuali, (*vt interim virtualem mittamus*) nisi per relationes rationis ad res obiectas: cum tamen fieri non possit, vt diuina voluntas transeat ab actu volendi rem aliquam esse pro aliqua temporis differentia, in actum nolendi eandem esse pro eadem; quia mutaretur diuina voluntas, vt dictum est, etiamsi actus volendi, & nolendi in

O Deo

Deo non distinguantur actu, nisi per relatio- A
nes rationis.

Quapropter illud pro certo haberi debet, quemadmodum id, quod Deus esse vult pro aliqua differentia temporis, semper ab æterno pro eadem esse voluit; & quod non vult, semper pro eadem esse noluit: ita quicquid pro aliqua temporis differentia intuitiue cognoscit, semper ab æterno pro eadem intuitiue cognouisse, & quicquid abstractiue nunc cognoscit, semper ab æterno abstractiue in- B
tellexisse.

Deum quicquid in tempore intuitiue cognoscit, id ab æterno intuitiue cognouisse.

Quanquã enim hi diuini actus liberi sunt, possentq; ex ratione sua, hoc est, quatenus liberi in Deo non esse; tamen postquam Deus more considerandi nostro ad eorum alterum se ab æterno determinauit respectu alicuius temporis differẽtiæ, semper eodem modo per eum ad illam se habuit, ac habebit. Alia ratio est de actibus diuinæ volũtatis, & intellectus, quatenus sunt virtute transeuntes ad extra, vt C
in creatione, & gubernatione rerũ si etsi enim ab æterno sunt in Deo, non tamen ab æterno transeunt in res, quę ab eo fiunt, aut gubernãtur; sed iis tantum temporibus, aut monumentis, in quibus Deus ad extra operari decreuit.

Cur Patres negent dari proprie in Deo præscientiam.

Tertio probatur assertio ex communi Patrum sententia, cum negant dari proprie in Deo præscientiam: si enim Deus prius abstra- D
ctiue cognosceret futura, postea vero intuitiue, non vtique negare possent dari proprie in eo præscientiam, cum scientia futurorum abstractiua sit proprie præscientia: præcedit enim existentias rerum futurarum, quę postea intuitiue cognoscuntur. Sentiunt ergo plane Deum ab æterno omnia, quę aliquando sunt, intuitiue cognouisse, quod proprie non est ea præsciuisse, sed scientia visionis aspexisse. Lege Augustinum in loco citato ad Simplicia-
num, vbi fuse hanc quęstionem discutit: *Quid* E
est, inquit *præscientia, nisi scientia futurorũ? quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim in scientia res ipsas habet, non sunt ei futura, sed præsentia: ac per hoc non iam præscientia, sed tantum scientia dici potest. Si autem, sicut in ordine temporalium creaturarum, ita & apud eum nondum sunt, quæ futura sunt, sed ea præuenit sciendo: bis ergo ea sentit, vno quidem modo secundum futurorum præscientiam; altero vero mo-*
do secundum præsentium scientiam: aliquid ergo F
temporaliter accedit scientia Dei, quod absurdissimum atque falsissimum est. Hæc Augustinus. Quam eandem sententiam aliis sexcentis locis non modo tangit, sed etiam persequitur. Vide Eucherium eadem de re loco citato pulchre disputantem: lege item Gregorium Magnum vigesimo libro Moralium sæpius eodẽ

lib. 2 q. 2.

modo id explicantem; &* Anselmum de concordia liberi arbitrii, & de casu † Diaboli, Hugonem de Sancto * Victore in summa sententiarum tractatu primo, & Boetium in loco citato de Consolatione philosophica idem docentem: vbi etiam notat hanc eandem ob causam diuinam nostrorum futurorũ cognitionem prouidentiam potius, quam præuidentiam appellari. Nam etsi respectu nostri modo aliquo præscientia dici potest, quod Deus per illam ea, quæ nobis futura sunt, cognoscat; tamen erroris vitandi causa (*vtpote ne quis crederet aliquid esse in Dei cognitione futurum*) melius existimat dici potuisse prouidentiam, quod procul a rebus infimis constituta quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat. Lõgissimum esset ostendere, quam multa in hãc sententiam scripta sint a Patribus.

c. 23. Vide etiam illum li. 9. c. 26.
** cap. 2.*
† cap. 21.
** cap. 12.*

Postremo. Eadem assertio probatur ex diuinis scripturis, quæ sæpe dicunt omnia & quæ sunt, & quæ fuerunt, & quæ futura sunt, esse coram Deo, esseque illi præsentia, & ab eo respici: quale est illud Ecclesiastici trigesimo nono: *Opera omnis carnis coram illo, & non est quicquam absconditum ab oculis eius, à seculo, & vsque in seculum respicit*: & alia similia, quæ Patres vbique de vera, & reali præsentia rerum æterno Dei conspectui intelligenda esse volunt: neque Scholastici ad Diuum Thomam vsque, qui luculentius Patrum sententiam explicauit, oppositum ferme censuerunt.

Probatur eãdem sententia ex sacris lit.

Quo pacto recentiores quidam nitantur Patrum dicta, locaque scripturæ sacræ in alium sensum interpretari, & ipsum quoq; D. Th. in suam sententiam trahere.

SECTIO III.

NOn desunt tamen ex recentioribus, qui Patrum dicta, & loca scripturæ sacræ, quæ hac de re citari solent, aliter interpretentur, & ipsum etiam Diuum Thomam in suã, hoc est, oppositam sententiam trahere nitantur. Primum enim, quod Patres aiunt, in Deo non dari proprie præscientiam, ita exponunt ipsi vt velint nihil aliud ab eis significari, quam quod præscientia non sit in Deo, qualis est in nobis, incerta nimirum, & confusa. Deinde, quod Patres dicunt, res omnes quæ sunt, fuerunt, ac erunt, esse Deo ab æterno præsentes, de præsentia obiectiua tantum, non de obiectiua reali intelligendum esse volunt. Denique Diuum Thomam, qui perspicue docuit necessariam esse realem earũ præsentiam

1. p. q. 14. ar. 9.

Quo pacto velint Patres negare in Deo proprie dictam præscientiam.
Quo item asserere omnia ipsi ab æterno esse præsentia.

sentiam æterno Dei conspectui, vt ab eo in se A ipsis, siue extra suas cognoscantur, ad obiectiuam puram detorquent.

Improbatur 1. expositio. Sed quam aliena sit eorum prima expositio a vera Patrum sententia, ex eo patet, quia ne ipsi quidem, si extra hanc controuersiam rogarentur, dicere auderent, ea negari posse de Deo, quæ nõ eodem modo in eo sunt, quo sunt in nobis: si enim hoc licitum esset, cum nihil eodem modo sit in Deo, quo est in creaturis, liceret quoque de Deo negare scien- B tiam, quia non eodem modo est in eo, quo in nobis: & tamen Patres, cum dicunt præscientiam non proprie dici de Deo, affirmant dici proprie scientiam. Deinde præscientia futurorum ex ratione sua non includit incertitudinem, aut confusionem, etiam quatenus est in nobis: si enim est futurorum necessario euenientium, etiam in nobis est certa, & distincta, vt quæ habetur de Solis, & Lunæ defectibus: si autem est de contingenter seu non ne- C cessario euenientibus, non est vtique in nobis sed in solo Deo. Neque enim nos certo, & distincte ea cognoscimus, sed ad summum aliqua probabili ratione, quæ cognitio non est præscientia, sed coniectatio: præscientia enim est certa, & distincta, imo etiam euidens futurorum scientia.

Dubij solutio Quod si petant, cur ergo Patres negent in Deo proprie præscientiam, non modo contingentium, sed etiam eorum, quæ necessa- D rio eueniunt, si omnia, quę futura sunt, certo, & distincte, euidenterque ab eo prænoscuntur? respondendum est, quia futura, etsi nobis futura sunt, non sunt tamen eius obtutui futura, sed præsentia: nec ille sibi ea præscit, qui indiuisibili, & simultaneo intuitu omnia contuetur; sed nobis, qui successiue in ordine temporis continemur.

Impugnatur 2. Quod etiã non recte dicant, nomine præsentiæ rerum futurarum non realem respe- E ctu Dei, sed obiectiuam tantum esse intelligendam, ex eo primum patet: quia abutuntur visitata distinctione præsentiæ realis, & obiectiuæ. Præsentia enim pure obiectiua rerum verarum non dicitur simpliciter, & absolute præsentia illarum, sed diminute, & secundum quid: qua de causa semper opponi solet præsentiæ reali, quæ est solius rei actu existentis in rerum natura. Vnde nõ dicimus simpliciter, & absolute generalis iudicii diem F esse iam nunc nobis præsentem, sed obiectiue præsentem; cum tamen Patres simpliciter, & absolute dicant res omnes, quæ aliquando existunt, esse ex æternitate Deo præsentes. Quid etiam mirum dixissent: si obiectiue tãtum illi præsentes esse intellexissent: & tamen mirãtur multi eorum sententiam, quia re vera de præsentia reali plane loqui videntur. Deinde Patribus aperte repugnant, qui res in ipso earum decursu nobis realiter futuras, asserunt esse Deo præsentes; futuras autem negant, vtentes in tota hac copulatiua eadem significatione præsentiæ; & futuritionis nempe realis; nisi eos æquiuoce, & inepte loqui velint. Postremo. Omnes cum Patres, tum Scholastici appellant cognitionem diuinam eorum, quæ nobis futura sunt visionem: at visio non est nisi rerum reali, & actuali existentia præsentium: hinc enim certum est nomen hoc ductum fuisse.

Nec nobis obiiciant visionem Prophetarum, qui, cum olim dicerentur Videntes, tamen res, quas prædicabãt, non erant illis præsentes reali existentia, sed obiectiua tantum, quia adhuc erant futuræ. *Obiectio.* Nihil enim hoc refert, quandoquidem non proprie, sed metaphorice dicebantur Videntes, ea nimirum de causa, quod ita certa esset eorum prædictio, ac si re vera eas viderent præsentes: vnde factum videtur, vt mutatum sit nomen Videntium in Prophetarum, vt clarius significaretur eos non intuitiue, sed abstractiue duntaxat res cognoscere, cum futurum aliquid prædicunt. *Responsio.* Qua etiam de causa Baptista Ioannes dictus est à Domino & Propheta, & plusquam Propheta, quia non solum prædixerat eum venturum ad baptizandum in Spiritu sancto, sed etiam illum digito re ipsa præsentem monstrauerat. *Matth. 11.*

At dicunt eorum nonnulli, non esse supra Dei virtutem efficere, vt ea intuitiue videamus, quæ non existunt realiter, vt si me vidente Paulum Deus conseruet in mea potentia visiua speciem illius illo annihilato, quod fieri posse non est dubium. *Obiectio.* Quod si hoc fieri potest, multo magis id concedendum est intellectui diuino, in cuius essentia tanquam in perfectissima specie intelligibili repræsentantur res nondum apud nos existentes, aut iam extinctæ. Quin etiam hoc idem volunt hi naturaliter accidere, vt cum solem directo aspicimus, deinde oculos auertimus specie in oculis tantisper conseruata: nec enim dubitant, quin aliquo temporis spatio eundem intueamur, quem nihilominus ea morula intueremur, si nobis auertentibus oculos Deus in nihilum solem redigeret.

Diluitur. Sed nec obiectio hæc quicquam efficit, cum ad notitiam intuitiuam, veramque visionem non satis sit conseruatio speciei visibilis in potentia, vt etiam diuina virtute conseruari posset in lapide; (*supplente nimirum Deo per lapidem vim conseruatiuam illius, quæ erat in subiecto, quod illam sustentabat, & per se ipsum illam, quæ erat in subiecto visi-*

Non posse dari notitiam intuitiuam nisi rei existentis.

bili, quod illam impresserunt) sed opus est prætere- A a, vt potentia visiua per eam tendat in obiectum, & ad illud re ipsa terminetur: quam terminationem Deus per seipsum supplere non potest, quia nihil terminat visionē, nisi quod videtur. Quod si quis putet posse illam a Deo suppleri per aliud obiectum iam eiusmodi supplementum non erit verum supplementum, quia visio iam non erit eiusdem obiecti, sed alterius in locum eius substituti, etiamsi illud diuina virtute per eandem speciem vi- B deri possit, aut posset. Multo autem minus id naturaliter id accidere in exemplo solis monstrari potest. Nam qualitas, quæ in oculis relinquitur ex directo solis intuitu, non est vera eius species, sed qualitas alia ex vehementia sensibilis impressa, quæ occasionem præbet internis potentiis, vt solem videri iudicent, cum tamen re vera non videatur.

Discrimen inter rem absentem & non existentē quoad cognitionem intuitiuam.

Ex his patet longe diuersam esse rationem apud nos inter præsentiam secundum locum, C & existētiam rei, vt res ipsa intuitiue cognoscatur. Nam etsi res longissime distet secundum locum à potētia visiua, nempe extra eius naturalem sentiendi sphæram; potest tamen diuina virtute videri concurrente Deo extraordinario concursu & cum potentia & cum obiecto: cum obiecto quidem, vt extra videndi naturalem sphæram terminet visionem, cū potentia vero, vt vi sua attingat illud. At si res non existat in rerum natura, dum potentia D exercet actum cognoscendi circa illam, nullo modo intuitiue ab ea cognosci potest, quia quod non existit in rerum natura, non potest reali præsentia terminare cognitionem, etiam virtute diuina, vt ostensum est. Adde, quod si ad notitiam intuitiuam satis est, si intellectus proprio & distincto conceptu feratur in rem abstractam ab existētia reali actuali, quæ futura sit: ergo Astrologus non abstractiue, vt omnes dicunt, sed intuitiue cognoscit futu- E rum Solis, aut Lunæ defectum, quem ex sua causa distincte demōstrat reali, & actuali existentia futurum, & pari ratione præteritum, quem ex aliquo eius effectu demonstrat reali, & actuali existentia præteriisse: quæ nemo dixerit, præsertim cum cognitio rerum non in se ipsis, sed in earum causis, aut effectibus, abstractiua sit, non intuitiua, vt est commune Philosophorum, & Theologorum dogma. Accedit, quod ad cognitionem intuitiuam F non satis est cōceptus proprius, & distinctus, qui simpliciter simplex sit, & nullo modo cōplexus verbali complexione, vt est conceptus Socratis, aut Antichristi, quo ne virtute quidem quicquam affirmamus, aut negamus, sed debet esse saltem virtute affirmatiuus, existentiæ rei obiectæ, quo non concipimus rem abstrahendo illam ab existentia, sed vt existentem, veluti hominem, cum quo loquimur, aut serpentem, quem fugimus: quod oppositæ sententiæ auctores non animaduertunt.

Incomplexus conceptus est virtute saltem affirmatiuus existentia rei.

Exemplum ad intuitiuam Dei cognit. adumbrandam.

Itaque perinde quodammodo cogitandum est de scientia, seu notitia visionis diuinæ rerum nobis futurarum, (*quam Patres volunt respectu Dei non proprie appellari præscientiam*) atque de visione eius, qui est in suprema fenestra præaltæ turris in latissime patenti campo sitæ, qua in vtramque partem patet longissima via frequenti transeuntium agmine. Vt enim is & venientes, & sub fenestram transeuntes, & inde recedentes sibi re ipsa præsentes intuetur, tametsi alios in aliis partibus eiusdem viæ cernat: ita de Deo in summa suæ æternitatis specula sedente cogitandum est, vt res omnes secundum earum existentiam realem sibi præsentes in suo quamque loco, non in alieno simul videat, hoc est, in sua cuiusque temporis differētia: easq; solas intuitiue non cognoscat, quæ eandem viam omnes temporum differentias complectentem non percurrunt, nec percurrerunt, nec percurrent; sed sola abstractiua quadam notitia, id est, in ipsa diuina essentia duntaxat, tanquam in earum suprema causa eminentissima realitate existentes intelligat. Quam similitudinem huic rei valde appositam à * Boetio in libris de consolatione philosophica præclare expressam desumpsit Diuus Thomas pluribus in locis, aliique ex grauioribus Theologis. Nos vero humi repentes, (*vt omnes vocat Augustinus*) cum nimirum ex terrenis ad cœlestia & supramundana non assurgimus, non mirum est, si non plene capiamus, nisi quę in nostro temporis infirmo ordine ante oculos habemus, quorum nulla intuemur, nisi quæ angustissima nostri intuitus mensura continentur: imo etiam videmur in rebus propriis nostris, hoc est, in humanis, seu liberis operibus, dum hoc temporis curriculum conficimus, conuersis retrorsum vestigiis incedentes præsentia, & præterita nosse, futura ignorare.

** l.5.pros.6.*

Vt 1.p.q.14. art.13. & de Ver.q.2.a.12.

Quid plane senserit in hac materia D.Th.

Denique de eo, quod asserunt, Diu. Thomam non esse locutum hac in re de præsentia reali ab æterno, sed de obiectiua tantum, iure mirari possent antiquiores Thomistæ, præsertim fideliores, & oculatiores eius interpretes, quod luce clarius, vt ita dicam, sit, illum de reali præsentia vbique locutum esse, vbicunque de hac re disputatio incidisset. Vt hoc autem ex vno, aut altero loco plane constet, legendus est citatus articulus decimustertius quæstionis decimæquartæ primæ partis, vbi cum dixisset, Deum scire omnia, non

solum

solum, quæ actu sunt, sed etiam, quæ sunt in potentia sua, vel creaturæ, addidissetque eorum quędam esse contingentia futura, proinde etiam ea certa notitia a Deo cognosci: ostendere deinde volens, quo pacto a Deo sciantur (*nam de iis, quæ per causas necessarias sunt futura, nullum erat dubium, cum a nobis etiam per easdem certo cognosci possint*) duobus modis ait illa posse considerari: vno in se ipsis, secundum quod iam sunt in actu, atque hoc pacto iam non considerari vt futura, sed vt præsentia, neque vt indifferentia in vtramq; partem, sed vt determinata ad vnum; sicque infallibiliter cognosci posse etiam à nobis, vt Socratem sedere, cum sedet: alio modo posse considerari, vt adhuc sunt in suis causis nondum determinatis ad vnum; atque eo pacto nulla notitia (*etiam diuinam intellige*) certo cognosci posse, sed tantum coniecturali. Quare, cum Deus cognoscat omnia contingentia futura, non solum in suis causis nondum determinatis ad vnum, sed etiam, prout sunt actu in se ipsis, (*quia nimirum eius cognitio, quemadmodum & eius esse, mensuratur æternitate, quæ tota simul existens ambit omne tempus*) consequens esse, vt omnia, quæ successiue existunt in tempore, fuerint ex æternitate Deo præsentia: *Non solum ea ratione*, inquit, *qua habet rationes rerum apud se præsentes*; (quod ait quosdam dixisse, & inferius commodiori loco explicabitur) *sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate*: nec enim dicit (vt à quibusdam male citatur locus) *ac si essent præsentes*; quod etiam nullibi (quod sciā) ab eo dictum est, sed, *vt sunt in sua* (ipsarum scilicet) *præsentialitate*, seu vt re vera præsentes. Denique ex his concludens, qua ratione Deus certa, & infallibili notitia illa cognoscat, sic ait. *Vnde manifestum est, quod contingentia à Deo cognoscuntur, in quantum subduntur diuino conspectui secundum suam præsentialitatem, & tamen sunt futura contingentia suis causis comparata*: quibus omnibus nihil pene clarius dici potuisset ad ostendendum illa esse Deo ab æterno præsentia, non obiectiue tantum, sed secundum suas reales, & actuales existentias. Cui loco adiungenda sunt, quæ idem docet articulo nono eiusdem quæstionis, & primo contra gentes, capite sexagesimosexto, ac demum id, quod dilucide admodum scribit secunda quæstione de Veritate, articulo duodecimo his verbis: *Ex quo patet, contingens, vt futurum est, per nullam cognitionem sciri, cui falsitas subesse non possit. Vnde cum diuinæ scientiæ non subsit falsitas, nec subesse possit, impossibile esset, quod de contingentibus futuris scientiam haberet Deus, si ea cognosceret, vt futura sunt.* Reddens autem huius rei rationem subdit: *Tunc autem aliquid cognoscitur, vt futurum est, quando inter cognitionem cognoscentis, & rei euentum inuenitur ordo præteriti, & futuri: hic autem ordo non potest inueniri inter cognitionem diuinam, & quamcunque rem contingentem, sed semper ordo diuinæ cognitionis ad rem quamcunq; est sicut ordo præsentis ad præsens.* Hæc ille non minus sapienter, quā perspicue ad explicationem propriæ sentētiæ.

Quando cognoscatur quippiam vt futurum.

Adde, quod Diuus Thomas nec in locis citatis, nec alibi vnquam ex eo reddit rationem cur futura contingentia à Deo certa notitia cognoscantur, quod obiiciantur eius intellectui, sed quia sunt in se ipsis, siue extra suas causas illi præsentia secundum suam realem, & actualem existentiam, quam vocat eorum pręsentialitatem, vt eam distinguat à potentialitate, quam antea habebant in suis causis. Quin etiam si diceret Deum ea certo cognoscere, quia obiiciūtur eius intellectui, aut peteret principiū in hac ratione reddenda, sumpto verbo [*obiici*] pro eo, quod est obiici certo, & infallibiliter; (*de hoc enim erat quæstio*) aut quærendum restaret, satisne esset ad eam certitudinem obiici illa quocunque modo: (*quod omnes negamus*) an vero necesse esset obiici tāquam realiter præsentia, & ex consequenti vere existentia extra suas causas, sub ipsa scilicet mensura eiusdem omnino cognitionis? quod illi negant, nos autem cum D. Thoma, Patribusque affirmamus. Ita patet nulla ratione dici posse Diu. Thomam nomine præsentiæ in hac re solam obiectiuam sine reali actuali intellexisse. Cur autem dicat, si Deus ea cognosceret vt futura, impossibile fore, vt ea certo cognosceret, sequenti disputatione examinandum est.

Solutio argumentorum partis oppositæ.

SECTIO IV.

PRo solutione igitur primi argumenti partis oppositæ, illud iam patet ex dictis, vt DEVS æterna cognitione intuitiua cognoscat res, quas creare, aut quouis alio modo facere, aut permittere potest, non esse necesse, vt illę ab æterno existant; (*quo pacto nonnulli impugnatores sententiæ Diui Thomæ dicuntur à Caietano eius opinionem interpretari, quod ipse Diuus Thomas, vt ait, ne somniauit quidem*) sed satis esse, si existant in sua quæque temporis differentia. Ipsa enim indiuisibilitas, & omnimoda inuariabilitas cognitionis Diuinæ omnia, quæ in quauis differentia temporis existunt, sibi æque facit præsentia non ex meritis (*vt ita dicam*) rerum cognitarum, quæ succes-

Successui, & varietati subiectæ sunt, sed ex altitudine, & eminentia ipsius diuinæ notitiæ, quæ omnium existentias indiuisibiliter, & eminentissime supergreditur, & infinite superat. Hinc enim fit, vt fallamur, cum more nostro, vt Augustinus ait, de diuina cognitione iudicamus, cui non minus præsentia sunt, quę apud nos futura, aut præterita sunt, quam quę hodie apud nos existunt. A

11. de Ciuit. cap. 21.

Qui modus loquendi sit in hac re vsurpandus.

Illud etiam animaduertendum, quod attinet ad modum loquendi de his rebus, non B solum hanc propositionem esse veram [*Deus in suo illo Nunc æternitatis intuitiue cognoscit omnia, quæ facit, fecit, & facturus est*] sed etiam has [*Deus hodie, vel in hoc instanti eadem omnia intuetur; Deus heri, vel cras, vel ante mundi constitutionem, vel post mundi finem intuitiue cognouit, ac cogniturus est eadem omnia*] Cum enim dico exempli causa [*Nunc Deus intuetur Adamum, aut Antichristum*] non significo Adamũ, vel Antichristum nunc existere, sed nunc existere C cognitionem, qua Deus Adamum, & Antichristum intuetur, quæ sunt verissima; quemadmodum & Deum vtrumque intuitum esse in omnibus retro temporibus, & fore, vt intueatur in futuris. Alia enim est ratio in cognitione Dei, alia in existentia rerum infra Deum. Nam etsi vere dicimus, Deum & in sua æternitate, & in qualibet temporis differentia, omnia quæ sunt, fuerunt, ac erunt, intueri, & intuitum esse, ac fore, vt intueatur, D quia eius cognitio est indiuisibiliter æterna; tamen, cum de existentia rerum infra Deum loquimur, quanquam vere dicimus vnamquamque earum esse reali sua existentia Deo præsentem ab æterno, non vere dicemus, aliquam earum existere, aut coexistere siue Deo siue alicui rei alteri in alia temporis differentia, quam in sua propria, & peculiari; siquidẽ coexistentia, supponit existẽtiam, quam nulla res temporalis habet extra propriam temporis differentiam. E

Res secundum realem existentiam esse ab æterno Deo præsentes non tamen illi coexistere.

Ad argu.

Ad primum igitur argumentum dicendum, ea, quæ nondum existunt in se ipsis, aut iam existere desierunt, nulli rei coexistere pro ea differentia temporis, in qua non existunt, sed pro ea, qua existunt, existent, aut extiterunt: veruntamen cum hac veritate cohærere illam, vt secundum eam realem & actualem existentiam, quam habent, habebunt, aut habuerunt, & hodie intuitiue F a Deo cognoscantur, & ab æterno cognita sint, & in æternum sint cognoscenda: non quasi hodiernum spatium sit mensura intuitus diuini; sed quia & in hoc, quemadmodum & in infinitis præcedentibus, & sequentibus, Deus omnia intuitus est, ac intuebitur. Satis est enim ad intuitiuam cognitionem, quam Deus habet de rebus extra se, si res existant in mensura ipsius cognitionis diuinæ, tametsi excedente mensuram existentiæ cuiuslibet earum.

Ad secundum negandum est ea, quæ non coexistunt inter se, non coexistere eidem tertio, cum tertium in sua duratione est inadæquatum vtrique per se sumpto: huiusmodi autem est æternitas comparationem cuiuscumque temporis differentiæ.

Ad tertium concedendum est, Deum non coexistere rebus creatis, nec res creatas Deo, nisi iis temporum differentiis, quibus ipsæ existunt: verum non inde effici, vt secundum easdem reales existentias, quibus existunt, non sint intuitiue, ac proinde realiter præsentes Deo ab æterno, & in æternum. Id enim propter immutabilem, & inuariabilem mutabilium, & variabilium rerum, ac proinde ineffabilem diuinæ naturæ cognitionem accidit.

Ad quartum negandum est, quod assumitur de contradicentibus simul veris. Neque enim contradictio est, cum vna contradicentium adsignificat vnam temporis differentiam, altera vero aliam.

Ad quintũ dico, ea quæ successiue fiunt, quemadmodum prius apud nos fiunt, quam facta sint; ita etiam intuitiue cognosci a Deo prius fieri, quam sint facta, & absoluta; sed tamen non prius cognosci fieri, quam cognoscantur facta.

Ad sextum dicendum est, cum res inter se inadæquate coexistũt, non oportere quærere communem aliquam earum durationis mensuram, vt perspicuum est.

Ad vltimum respondent nonnulli, etsi Angelorum substantia mensuratur æuo, tamen eorum cognitionem, præsertim rerum aliarum ab ipsis, mensurari tempore discreto, proinde non esse inde colligendum posse eos futura intuitiue cognoscere. Verum solutio hæc non est satis, quia etsi in tempore discreto datur successio instantium, tamen sæpe vnum eius instans complectitur per coexistentiam longum aliquod tempus nostrum: proinde aliter respondendum. Pro qua re illud animaduertendum est, non solum cognitionem Angelicam, (*etiam illam æternam, qua Angeli semper se ipsos intuentur,*) sed etiam ipsam Angelorum substantiam ita ex se esse defectibilem per potentiam diuinam, qua continenter conseruantur, vt neutra ex se sibi vendicet vllum quantumcunque breue tempus futurum, qui coexistant, sed ex sola Dei largitate, qua vtramque conseruare potest: quod tamen alienissimum est a diuina natura, & cognitione, quæ ex se, & essentialiter sibi vendi-

Discrimen inter durationem cognitionis Angelicæ & humanæ.

cant,

tant omnium temporum comprehensionem. Cum ergo ita res habeat, omnisque Angelorum cognitio tam intuitiua æuiterna, quam temporalia limitata sit, & conclusa præsenti momento temporis imaginarii, neque vlterius excurrat, nisi futuro Dei beneficio: satis apertum est, quid ad argumentum sit respondendum. Neganda est enim consequentia, quia non vt æterna Dei cognitio ex se cōplectitur tempora omnia, sic quoq; cognitio Angelica comprehendit vllum futurum tempus, sed solo futuro Dei auxilio, & concursu id obtinere potest.

Ad ea vero, quæ afferuntur ex diuinis literis, & prima Nicena synodo, dicendum est, credendum non esse vel Scotum, vel aliquem alium ex grauioribus autoribus sibi persuasisse, Diuum Thomam sensisse res, quæ aliquando fuerūt, aut futuræ sunt, modo aliquo secundum realem existentiam ab æterno fuisse, vt à Deo ex æternitate intuitiue cognosci possent, sed alios inferioris notæ, qui ad impugnandam eius sententiam citatis locis vtuntur, aut id sibi persuasisse, *(quod etiam vix credi potest,)* aut facilius impugnandi causa finxisse. Nunc autem, cum ex dictis constet Diuum Thomam non sic intelligendum esse, perspicuum est eorum argumentum nullius momenti esse.

Ita patet omnia, quæ aliquando in rerum natura sunt, esse Deo intuitiue præsentia secundum suas ipsorum reales existentias, quas in suis quæque temporum differentiis aliquādo habent. Verum, an Deus hac ratione sola certo cognoscat ea, quæ nobis contingenter futura sunt: an vero sit etiam in eo alius modus ea certo, & infallibiliter cognoscendi, hoc deinceps videndum.

Futura contingentia certo cognosci a Deo non solum intuitiue in se ipsis, sed etiam abstractiue in aliquo actu diuinæ voluntatis.

SECTIO V.

Ferrar. 1. contra Gent. ca. 67. Capr. in 1. d. 36. q. vn. ar. 2. & d. 38. ar. 2. concl. 1. & Cathar. in opusc. de præscient.

NOnnulli Diui Thomæ sectatores existimant, Deum non aliter eius sententia certo cognoscere futura contingentia, quam intuitiue, seu quod idem est, secundum eorū actuales existentias sibi ex æternitate realiter præsentes: loquuntur autem præcipue de cōtingentib. quæ pendent à libero arbitrio creato, & non à sola diuina voluntate, vt pendet creatio. Id vero ex illius doctrina his fere* argumentis probant. Primum, quia futura vt paulo superius relatum est, duobus tantum modis cognosci possunt: vno in [illegible] ro, vt adhuc continentur in suis [illegible] ergo huiusmodi contingentia n[illegible]abeant esse determinatum in suis causis, [illegible], vt nec à creatura vlla neque ab ipso etiam Deo certo cognosci possint, nisi in se ipsis, siue secundum proprias, actualesq; ipsorum existētias, secūdum quas (quia ab æterno sunt Deo præsentes) prius ab eo, quam apud nos sunt, certa, & intuitiua notitia cognoscuntur: quia vero nobis non sunt præsentia, nisi cum actu existunt, ideo nobis antequam eueniant occulta sunt. Atque † hac ratione videtur vti D. Thomas, vbicunq; de hac re disputat.

** Arg. probantium Dei [illegible] intuitiue certo cognoscere futura contingentia.*

† Vt 1. p. q. 14. ar. 13. de Ver. q. 2. ar. 12. in 1. d. 38. q. vni. ar. 5. & 1. contra Gent. ca. 66.

Deinde, quia iuxta eiusdē Doctoris * sancti doctrinam propria, & germana ratio, cur Angeli non possint natura sua certo cognoscere futura contingentia, Deus autem possit, ea est: quia nulla creatura est ex se æterna, vt ex natura sua necessario sit futura, sed pendet in futurum a libera Dei cōseruatione, vt paulo ante dictum est: Deus autem solus ex se, & natura sua vtraq; ex parte est æternus: at hoc non alia de causa asseritur, nisi quia futura contingentia certo cognosci non possunt, nisi cum obiiciuntur intellectui secundum proprias ipsorum reales, & actuales existentias: ergo non aliter certo cognoscuntur, nisi quatenus actu existunt.

** 1. p. q. 57. ar. 3.*

Tertio, quia Diu. Thom. non alia ratione conciliat liberum arbitrium cum diuina præscientia, nisi quia quemadmodum nos, cum videmus Socratem sedentem, nullam imponimus necessitatem eius sessioni, quia illa supponitur a visione nostra: ita Deus intuens ab æterno omnia, quæ nobis contingenter futura sunt, vt sibi præsentia secundum reales eorum existentias, nullam eis necessitatem imponit, quia eius intuitus eorum existentias supponit.

Vt 1. contra Gent. c. 67. & de Veri. q. 2. ar. 12. ad 7.

Sed obiici solet, Diu. Thom. plane asserere in 1. p. q. 14. artic. 13. Deum alia quoque ratione certo cognoscere futura cōtingentia, cum sic ait: *Vnde omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, vt quidam dicunt, sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate.* Cui obiectioni non omnes eius sectatores eodem modo respondent.

Videtur Diu. Th. admittere duos modos ea certo cognoscendi.

Sunt, qui dicant, non ita intelligendum esse Diuum Thomam, quasi velle duobus modis Deum certo cognoscere futura contingentia: vno in rationibus rerum, siue ideis, quas apud se habeat: altero in eis ipsis rebus secundum reales ipsarum existentias, sibi ab æterno præsentes: sed eo pacto, vt vtrumque asserat esse necessarium ad illa certo cognoscenda

Trahitur in contrarium a Caiet. ad eund. eorum.

gnoscenda: idque ex eo, quod nec ideæ sine ipsa rerum contingentium existentia, neque ipsa earum existentia sine ideis satis sint, vt illa certo cognoscantur: quemadmodum in Angelis nec species intelligibiles sufficiunt per sese ad cognoscenda indiuidua, sine ipsa eorum existentia, neque etiam eorum existẽtia sufficeret, si in Angelis non essent species intelligibiles: quo etiam modo neque in nobis satis sunt intelligibiles species sine phantasmatibus rerum singularium ad hanc, vel illam intelligendam, nec phantasmata sine speciebus. Verum hæc responsio non videtur recipienda, quia nullum erat dubium, quin necesse sit in quauis opinione fateri necessarias esse rationes rerum, siue ideas ad cognoscenda futura contingentia, quemadmodum ad cognoscenda ea, quæ necessitate naturali eueniunt: & tamen Diuus Thomas addit verba illa, *Vt quidam dicunt*, vt significet rẽ esse dubiam. Accedit, quod ipsa loquendi forma duas videtur admittere certo cognoscendi rationes, non vnam ex duabus quasi integratam.

Impugnatur

Alii ea ratione volunt Diuum Thomam in hac re mentionem fecisse idearum, vt intelligeretur loqui de cognitione omnium futurorum, tam necessariorum necessitate naturali, quam contingentium, vt cognitio certa in ideis referatur ad necessaria: in ipsis vero rebus existentibus ad contingentia. Sed neque huiusmodi expositio placet, quia iuxta hanc explicationem non oportebat addere, *Vt quidam dicunt*: ea enim, quæ naturali necessitate eueniunt posito hoc vniuersi ordine, nemo dubitat, quin certo vel in solis ideis futura esse cognoscantur.

Trahitur ab alijs.

Impugnatur

Potius ergo crediderim Diuum Thomam duas eo loco tradidisse rationes certo cognoscendi futura contingentia, vnam in æternis rerum rationibus, quæ apud Deum sunt, alteram in ipsa præsentia rerum contingentium secundum reales earum existentias ab æterno obiectas diuino intellectui. Quod autem addit in priori ratione cognoscendi, *Vt quidam dicunt*, quasi non placeat ei eorum sentẽtia, sic accipiendum esse existimo à principio totius periodi, ac si diceret: *Vnde omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non tantum, quia habet rationes rerum apud se, vt quidam dicunt, (erant enim iam tunc, qui sentirent ea cognosci tantum in diuinis ideis, non extra causas suas, vt videtur sensisse Alensis Alexander, cuius ipse aliquando auditor fuerat.) sed etiam, quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua* (ipsarum scilicet) *præsentialitate*. Non igitur addit, *Vt quidam dicunt*, quia ei displiceat cognosci etiam res futuras a Deo priori modo: sed quia displicet, quod illi tradant illo modo duntaxat eas à Deo certa notitia cognosci. Verum quo pacto Diuus Thomas intelligat eas cognosci à Deo in rationibus æternis, inferius explicandum est. Quocirca id, quod paulo ante ex quæstionibus de veritate retulimus, nempe impossibile fore, vt Deus haberet scientiam de contingentibus futuris, si ea, vt futura sunt, cognosceret, hunc sensum habet quoad posterius membrum, [Si ea non alia ratione, nisi quatenus futura sunt, cognosceret] vt illi putabant. Si enim ea non cognosceret vt præsentia æterno suo conspectui comprehendenti indiuisibili omnino mensura sua omne tempus: non ea quoque cognosceret vt futura in tempore: quia quod nunquam est, & ex consequenti nunquam cognoscitur vt præsens, non potest vnquam cognosci vt re vera futurum.

Plane admitti ab eo duos illos modos.

1.p.q.23 ar.2 & 3.

Sect. 5.

Missa ergo interim cognitione contingentium in rationibus æternis, siue ideis, de qua inferius agendum est, dicendum, illa certo cognosci a Deo non solum intuitiue in seipsis secundum suam realem, & actualem existentiam, qua ab æterno sunt diuino conspectui realiter præsentia, vt ostensum erat: sed etiam abstractiue in aliquo actu absoluto, ac determinato diuinæ voluntatis, quo Deus ab æterno (*post conditionatam tamen præscientiam*) decreuit, vt fierent, ac proinde efficaciter voluit ad eorum futuram existentiam concurrere: futuram, inquam, non respectu æterni Dei conceptus, sed comparatione præcedentium temporum. Quod iam probabimus.

Assertio.

Cognosci futura abstractiue à Deo in aliquo suæ voluntatis actu.

Primum igitur argumentum est, quia scientia intuitiua Dei supponit realem existentiam earum rerum, quas ille intuetur, vt patet ex definitione intuitiuæ scientiæ, quæ dicitur, *Certa cognitio rerum præsentium, vt præsentes sunt*. Hæc enim definitio intelligi non potest, nisi de reali præsentia, quæ semper realem existentiam includit: alioquin realis præsentia non distingueretur à pure obiectiua: atqui existentia rerum nobis contingenter futurarum supponit actum diuinæ voluntatis absolutum, & determinatum, vel ad eas immediate producendas, si à solo Deo producendæ sunt: vel ad concurrendum cum voluntatibus creatis, si ab eis sunt efficiendæ: ergo cum is actus diuinæ voluntatis sit Deo certo, & infallibiliter, imo & euidenter notus, perspicuum est eas certo, & infallibiliter cognosci à Deo non solum intuitiue in se ipsis, quatenus ei realiter præsentes sunt, vt probatum erat: sed etiam in eo actu diuinæ voluntatis tanquam in earum causa determinata,

minata, ac proinde abstractiue: omnis enim A cognitio effectus, vt est in sua causa, abstractiua est. Deinde, quia Deus cognoscit omnia eo modo, quo sunt: futura autem contingentia sunt in actu, quatenus sunt Deo præsentia secundum suas reales existentias: in potentia vero, quatenus nobis sunt futura secundum easdem existentias: ergo cognoscuntur à Deo non solum intuitiue in se ipsis, quatenus sunt ei realiter præsentia: sed etiam abstractiue, quatenus sunt potentia, seu potius B virtute in aliquo actu voluntatis diuinæ determinato ad ea immediate producenda, aut ad concurrendum cum voluntatib. creatis ad ea efficienda.

Postremo, quia hunc ipsum nostræ considerationis ordinem exprimit diuina scriptura initio lib. Gen. cum ait: *Dixitque Deus: Fiat lux, & facta est lux: & vidit Deus lucem, quod esset bona, &c.* Significat enim Moyses Deum prius nostro intelligendi modo considerasse C lucem in potentia, ac proinde vt futuram, quam actu existentem: & prius actu existentem, quam illam intuitiue vidisset, & vt bonam probasset. Cum ergo illud imperium, quo Deus dixit, *Fiat lux*, non in tempore, sed ab æterno pronuntiatum esset, vt Augustinus ait, & similiter ea visio, & approbatio lucis in tempore faciendæ ab æterno fuisset: sequitur, Deum prius consideratione nostra *De ciuit. l. II c. I. & l. I. de Gen. ad liter. c. 9.* in eo voluntatis actu, quo lucem facere de- D creuerat, illam in tempore futuram abstractiue cognouisse, quam suo conspectui intuitiue præsentem vidisset: siquidem differentiæ temporum, in quibus illa erat futura, priores fuerunt, quam ea, in qua ipsa facta fuit: Deus autem ea, quæ ordine temporis priora sunt, prius etiam modo intelligendi nostro considerat.

Occurritur obiectioni. Quod si quis hinc colligat, ergo immerito Patres negasse dari proprie in Deo præ- E scientiam, si ille prius consideratione nostra nouit lucem futuram in tempore, quam sibi videret præsentem in æternitate, iam ex dictis constat respondendum esse, illos non negasse in Deo proprie præscientiam futurorũ nobis, sed futurorum ipsi, cum Deo nulla sint futura, neque esse possint. Adde, quod præcognitio eorum, quæ reuera futura sunt in tempore, est incompleta, si intellectus in ea sistat: cum ergo Deus in ea non sistat, sed illa F quoque videat sibi præsentia: (*qua cognitio iam non abstractiua, sed intuitiua, non incompleta, sed completa est*) merito Patres hac etiam ratione *Quo sensu Patres in Deo negarint proprie dictam præscientiam.* dixerunt non esse in Deo proprie præscientiam, quasi nondum completam futurorum notitiam, qualis est in nobis, cum ea, quæ necessario futura sunt, solum abstractiue, & incomplete cognoscimus.

Sed contra principalem assertionem mox *Obiectio.* occurrit huiusmodi obiectio. Cum hic non agatur, nisi de contingentibus liberis, eaque omnia vel sint bona moraliter, vel moraliter mala, vel indifferentia: etsi bona, & indifferentia sub determinatione diuinæ voluntatis cadere possunt, tamen moraliter mala nõ videntur posse cadere: nõ potest igitur Deus præscire omnia futura contingentia in determinatione suæ voluntatis. Huic obiectioni *Diluitur.* occurrendum est, aliud esse velle, vt sint mala moraliter, seu peccata: aliud velle concurrere generali occursu, indifferentique ad omnia opera liberi arbitrii, etiamsi mala futura sint: illud enim non potest cadere sub determinationem, decretumve diuinæ voluntatis: hoc autem maxime: cum enim Deus sit prima causa efficiens rerum omnium, cuius proinde concursus necessarius est ad operationem cuiusq; causæ secundæ, quemadmodum nulla secunda causa operari potest sine concursu primæ: ita nec sine determinatione voluntatis primæ ad concurrendum cum illa, accommodato videlicet concursu ad propriam cuiusque rei naturam. Sed, cum iam hic implicentur multa dubia, quæ suis locis commodius expedienda sunt: restat, vt argumentis pro parte opposita ex D. Tho. desumptis respondeamus.

Solutio arg. Ad primum dicendum est, futura contingentia cognosci à Deo non solum in se ipsis certa & infallibili cognitione, & in suis causis nondum determinatis cognitione, vt ait D. Thomas, coniecturali: (*neq; enim docet, cum in solis eiusmodi causis cognoscuntur, aliter intelligi posse*) sed etiam certa simul, & infallibili cognitione hoc tertio modo, qui nunc explicatus est, hoc est, in actu determinato suæ voluntatis ad concurrendum cum causis eorum particularibus, & forsitan alio, aut aliis modis, de quibus post agetur: nec D. Thomam ponendis illis duobus hunc tertium exclusisse. *I. p. q. 14. a. 13.* Nam cũ in ea diuisione locutus est de cognitione futurorum contingentium in suis causis, non intellexit nomine causarum causas iam determinatas, qualis est actus absolutus, & determinatus diuinæ voluntatis ad concurrendum cum particularibus eorum causis: sed intellexit causas nondum determinatas, vt perspicuum est apud illum loco eodem cuiusmodi sunt volũtates creatæ respectu liberorum actuum prius tempore, aut natura, quam operentur.

Ad secundum dicendum, Etsi ratio illa satis sit ad ostendendum, cur Angeli natura

sua non cognoscant certo, & infallibiliter futura contingentia; (satis enim patebat non posse illos ea certo nosse in actibus suarum voluntatum circa futura ab eorum libertate pendentia, quod ii actus sint obnoxii pluribus defectibus, & impedimentis) tamen non esse satis ad ostendendum non posse Deum aliter illa certo cognoscere, quam secundum eorum realem præsentiam in æternitate: cũ actus diuinæ voluntatis, etiam circa futura, sint efficacissimi, & quorum effectum nihil omnino impediri potest.

† Vt Aug. 3. de liber arb. c. 4. Boet. 5. de consolat. prosa. 6. Beda tom. 8. in l. q. q. 13. Dama. in Dial. contra Manich. & alij.

Ad tertium dicendum, Etsi ea conciliandi ratio perspicua est, & popularis, & qua aliquando cum † Patres, tum ipse quoque D. Thomas vtitur; aliam tamen esse potiorem, vt patebit inferius, ad quam intelligendam hæc ipsa non parum iuuat.

Actus diuinæ voluntatis, in quibus Deus certo præscit futura contingentia, etsi sunt determinati ad concurrendum cum voluntatibus creatis, non esse tamen determinatiuos earum, sed approbatiuos, aut permissiuos actuum illarum.

Sectio VI.

Sed quærat aliquis, quales nam sint ii actus diuinę voluntatis circa vere contingentia futura, in quibus illa certo, & infallibiliter à Deo cognoscuntur: num determinati duntaxat ad concurrendum cum volũtatibus creatis ad certos, & determinatos earum actus; an etiam determinatiui earum in tempore.

Scotus sentit esse determinatiuos d. 39 q. vnic. & d. 41. & 47. & quodl. 14.

Ad quam dubitationem respondet Scotus *in primum sententiarum ad distinctionem 39. & aliis quibusdam locis*, Deum in solis actibus suę voluntatis determinatiuis causarum secundarum ad sua effecta certo scire omnia futura, vt futura sunt: quod ex eo probat, quia nulla causa secunda operatur quicquam, nisi determinetur à prima ad certum effectum, cum non moueat nisi mota, vt docet Aristoteles, nec (*quod perinde est*) quicquam agat, nisi agatur.

1. Phys. c. 1. & l. 8 c. 5.

Itaque intelligit Scotus nomine actuũ diuinæ voluntatis eos actus, quibus Deus non solum se ab æterno determinauit ad concurrendum cum omnibus causis secundis ad effecta earum futura; sed etiam ad eas determinãdas in tempore ad eiusmodi effecta: & quidem cum voluntatibus creatis ad bonos actus quoad eorum substantiam, & bonitatẽ; ad malos autem quoad eorum substantiam, non quoad eorum malitiam.

Non recte illum sentire circa actus liberos.

Dicendum est tamen, etsi Scotus recte loquitur de actibus diuinæ voluntatis determinatiuis causarum naturaliter agentium, (*omnes enim effectiue determinantur à Deo in tempore, cum primum ab eo esse accipiunt*) de actibus tamen determinatiuis creatarum voluntatum ad actus liberos adeo nõ recte sentire, vt dum putat hac ratione eorum cõtingentiam seruare, eos faciat necessarios, ac proinde contingentes, & non contingentes, multaque alia incommoda, & absurda admittere cogatur.

Primum, quia necessarium, seu necessario eueniens, (*de hoc enim necessario loquimur, quia opponitur contingenter euenienti*) hoc, inquam, necessarium est illud, quod etsi forsitan aliter euenire posset, tamen omnibus spectatis non potest non euenire: huiusmodi autem erunt omnes actus liberi creatarum voluntatum, si hæ determinentur à diuina ad alteram oppositionis partem; ac proinde erunt liberi, ac non liberi.

Deinde, quia si ita res habet, aut in voluntatibus creatis nõ relinquitur potestas ad opposita, quod dici nullo modo potest, cum voluntas huius potestatis ratione sit libera; aut certe relinquitur omnino ligata, & impedita, ne exeat in alium actum, quam in illum, ad quem voluntas diuina illam determinat: hoc autem perinde est: hinc enim sequitur, neminem esse dominum suarum actionum, sed solam diuinam voluntatem posse libere vti creatis voluntatibus.

** 1. d. 38. q. vnic. † Ibid. q. 2. ar. 2.*

Tertio, quia, vt recte * Ochamus, & † Gregorius argumentantur, aut voluntas creata necessario sequitur actum determinatiuum voluntatis diuinæ, aut minime: si necessario: igitur nihil differt in agendo à causis naturalibus, quæ omnes sunt ad vnum determinatæ; nisi quod naturales semper sunt determinatæ ad vnum tantum; voluntas autem creata iuxta hãc sententiam determinatur à Deo modo ad hoc, modo ad illud: quo fit, vt quẽadmodum causæ naturales non possunt aliter agere, quam quo pacto agunt; ita nec voluntas creata. Si vero non necessario sequitur eum diuinæ voluntatis actum, eo etiam posito potest oppositum agere: ergo non potest Deus eo actu voluntatis suæ certo scire, in quem actum creata voluntas proditura sit. Quod si quis pro Scoto respondeat, voluntatem creatam necessario sequi eius actus determinationem; veruntamen eam necessitatem non esse necessitatem absolutam, sed ex suppositione talis determinationis; præsto est illa quorundam irrefragibilis instantia, qua vrgent eam suppositionem diuinæ determinationis, si tolli non potest, (*vt certe non potest, si datur*) tantam inducere necessi-

necessitatem, seu seruitutem in voluntatem A creatam, quanta cum vera, & actuali eius libertate stare non potest.

Quarto, quia si diuina voluntas per suum actum sic determinatum determinat in tempore voluntatem creatam ad omnes actus liberos, non in voluntatem creatam, sed in increatam reiicienda est culpa peccatorum omnium: aut certe nulla est culpa, quæ in eis reprehendenda, aut punienda sit. Nam quod dicunt, DEVM non determinare volun- B tatem creatam ad culpam ipsam; seu malitiam malorum actuum, sed ad actus ipsos in esse naturali spectatos, nihil omnino efficit, cum ad esse naturale talium actuum necessario in voluntate creata sequatur malitia: quo fit, vt vel homo non peccet, cum actum ipsum committit efficaciter à Deo inductus in illum: vel Deus, qui illum inducit, sit autor peccati.

Hoc idem argumentum valet in actibus C moraliter bonis, vt similiter ex hac sententia sequatur, nullam revera in eis bonitatem, aut meritum relinqui: aut si aliqua cernitur bonitas, eius laudem soli diuinæ voluntati tribuendam esse: meritum autem nullum ponendum in voluntate creata, vt quæ non agat nisi quæ non potest non agere.

Postremo (*vt alia complura incommoda, & absurda omittamus*) non solum perspicue pugnat hæc sententia cum principiis veræ Phi- D losophiæ: sed etiam pugnare videtur cum decretis fidei, & Patrum communi doctrina. Est enim Philosophiæ moralis firmissimum principium ab Aristotele libro nono huius operis, capite quinto constitutum voluntatem nostram se ipsam determinare ad omnes actus liberos, atq; in hac re positam esse formaliter totam libertatis rationem: nullamq; potentiam, quę vel per essentiam, vel per participationem rationalis non sit, liberum a- E ctum exercere, nisi id, quod dominatur, hoc est, ipsa voluntas indifferentiam suam, sibique subiectarum virium ad alterum oppositorum siue contrarie, siue contradictorie determinet. Quod si voluntas se ipsam, & cæteras potentias quovis modo rationales ad actus liberos determinat: ergo non indiget alia determinatione ad eosdem actus, sed tantum, vt Deus generali suo influxu sic cum ea concurrat, vt ipsa se actu determi- F nare possit, sine quo determinare se ipsam non posset, vt libro eodem ex instituto docebimus, & inferius in hoc aliquanto distinctius exponemus.

Senten. Scoti cum Philosophia, & Pat. pugnare.

tex. 10. Voluntatem creatam se ipsam ad liberos actus determinare

Est item dogma orthodoxæ fidei cum in aliis conciliis generalibus, tum postremo in synodo Tridentina constitutum, voluntatem nostram, etiam præuentam, & excitatā à Deo, vt diuinæ voluntati obsequatur, posse ab ea dissentire. Quod si non obstante nouo diuinæ gratiæ impulsu voluntas creata ita libera relinquitur, vt oppositū agere possit: cur non magis id possit, si in pure naturali statu spectetur, quo pacto à Philoso. consideratur.

Seff. 6. cap. 5. can. 4.

Non est igitur verum, neque etiam tutum asserere, voluntatem creatam effectiue determinari ab increata, vt Scotus existimat, nisi se ipse alibi correxit: sed potius, si ab ea determinaretur, non essent eius actus contingenter, seu libere ab ea eliciti.

Quod vero pro defensione huius sententiæ & à Scoti sectatorib. & à quibusdam doctrinæ D. Thomæ studiosis afferri solet de sensu composito & diuiso: nimirum etsi in sensu composito voluntas nostra à Deo determinata non possit oppositū agere, tamen in sensu diuiso posse, nulla ratione cohęret cū Scoti sententia. Nam sensus diuisus in hac re est, si voluntas nostra non ponatur determinari à Deo: hoc autem pacto nihil ea posset agere ex opinione Scoti, nisi fortasse actum moraliter malum: quanquam ne hoc quidem posset, nisi Deus eiusdem sententia illam ad substantiam operis determinaret: vnde sequeretur Deum esse autorem peccati. Ita patet opinionem hanc magnam habere affinitatem cum sententia eorum, qui omnia fatali necessitate euenire censuerūt, nisi eo modo exponatur, vt vsum humanorum actuum nobis liberum relinquat: quod eorum multi cōtendunt ostendere, nec tamen hactenus quisquā videtur plane assecutus. Quanquam nobis valde verisimile est Scotum, re melius expensa, in commentariis secundi sententiarum ad distinctionem trigesimamseptimam mutasse hanc opinionem, quam tenuerat in locis citatis, reuersumque fuisse ad veram sententiā, quam ante in transcursu quodam ipsa veritate compellente probauerat ad distinctionē octauam primi libri, eamque tandem ad primam distinctionem quarti confirmasse: de qua re commodiori loco inferius agendum est.

Ineptam esse hanc responsionem de sensu composito & diuiso.

Scot. mutasse sententiam. q. 2. parag. Ad solut.

q. 5. parag. ad arg. ad opin. Philos. q. 1. ad ult.

Ita patet actus diuinæ voluntatis, in quib. futura cōtingentia certo, & infallibiliter prę noscuntur, non esse determinatiuos creatarum voluntatum ad actus liberos, de qua determinatione sermo erat. Id quod etiam, cū de diuina prouidentia disputabimus, accuratius explicabitur. Nam ad argumentum Scoti, in quo assumit causas secundas non moueri, nec omnino agere, nisi à prima moueātur & agantur, vt concludat voluntates creatas à Deo determinari ad actus etiam liberos, iam superius responsum est.

q.3.sect.3.

Cum ergo ex dictis constet, eos actus diuinæ voluntatis, in quibus cognitis Deus prænoscit futura contingentia, non esse determinatiuos voluntatum creatarum ad alteram oppositionis partem, sed eam determinationem esse propriam ipsarum voluntatum, quæ libere operaturæ sunt; (*quod quidem est scire de iis actibus diuinis, quales non sint*) facile inde colligi potest, quales sint. Nam si creatæ voluntates suæ libertati relictæ bene operaturę sunt, aut etiam indifferenter, actus diuinæ voluntatis, quibus Deus ab æterno decreuit ad eas operationes cōcurrere, erunt approbatiui; sin autem male sunt operaturæ, erunt permissiui. Nam omnia, quæ moraliter bona sunt, aut indifferentia, (*si qua indifferentia in particulari dantur*) Deus approbat, seque eorum concursu suo auctorem facit: quæ autem sunt moraliter mala, ea Deus, cum non impedit, sed concursu suo liberæ naturæ suo modo debito fieri sinit, dicitur permittere.

Cuiusmodi sint hi actus, in quibus Deus futura prænoscit.

A B C

Contingentia, quæ re vera aliquando futura sunt, si in statu quidem absoluto sumantur, etsi in ideis præcognoscuntur à Deo, non præcognosci tamē, nisi præcognito actu approbatiuo, aut permissiuo diuinæ voluntatis.

SECTIO VII.

Contraria opinio videtur esse D. Bonau. in 1. d.39. ar.2.q.3. Caiet. ad 1. p.q.14.ar.13. Capr. in 1. d.36.

SVnt tamen, qui dicant, *Deum præscire futura contingentia non solum in actibus approbatiuis, aut permissiuis suæ voluntatis, sed etiam in ipsis ideis, quæ omnem actum diuinæ voluntatis nostro intelligendi more antecedunt; si modo illa non in statu conditionato, sed absoluto sumantur.*

Duplex status eorum conting. quæ futura erunt.

Quod vt planius intelligatur, aduertendū est ea contingentia; quæ re vera futura sunt, in his duobus statibus considerari posse, absoluto scilicet, & conditionato: in absoluto quidem, cum considerantur fore, *veluti cum Antichristus consideratur re vera futurus*; in cōditionato autem, cum nondum considerantur fore, sed si hoc aut illud fiat: *quo pacto considerabatur victoria, quæ, de Turcis Pio V. Pontifice bello nauali obtinenda erat, sub ea conditione, si Christiani Principes sanctæ illius vnionis fœdere expeditionem susciperent.* Perspicuum est enim vtroq; modo certitudinem futurorum quæri solere, & simpliciter, An futura sint? & ex hypothesi, si hoc, vel illud fiat.

Hoc, si demas idearum nomen, plane verum.

Si ergo contingentia; quæ re vera futura sunt, in actu absoluto spectentur, dicunt illi, ea certo sciri à Deo ante omnem actum diuinæ voluntatis non solum nostro intelligendi more elicitum, sed etiam (*vt ipsi videntur existimare*) ante omnem eum actum cognitum. Id quod his pene argumentis ostendere conantur.

Ocham in 1. d.38.q. vnic. Gabriel a.2 & Greg.q. 2.ar.2.

Argumenta pro hac sententia.

D E F

Primum, quia quicquid re vera futurum est, ab æterno etiam verum fuit esse futurum; neque id solum in quocunq; instanti, siue signo temporis imaginarii præcedentis, sed etiam in quovis signo considerationis: ea nimirum de causa, quia re vera futurum est. Verbi gratia, quoniam Adamus re vera peccaturus erat, ab æterno etiam, atque adeo in quocunq; considerationis signo verum fuerat illum peccaturum, etiam antequam cōsideremus Deum voluisse permittere illum peccare, aut etiam eum velle condere. Quod ex eo probant, quia altera pars contradictionis de futuro contingenti est determinate vera, ante quodcunque tempus, & considerationem: & licet nos ignoremus, vtra illarum vera sit, Deus tamen iam tunc eam certo nouit, vt superius ostensum est.

c.2.q.1.sect. 7.§7.

Deinde, quia, etsi Deus nihil faceret, nec fecisset, nec facturus esset, atque adeo per impossibile voluntatem non haberet, & nihilominus haberet totam scientiam, quam habet, adhuc sciret certo, quæ contingentia absolute essent futura, si contingentia danda essent in rerum natura: potest igitur Deus habere certam scientiam de futuris contingentibus, quæ nostro considerandi more omnem actum suæ voluntatis, etiam cognitum, vt videntur sentire, præcedat.

Postremo, quia pro certo haberi debet, ideas repræsentare omnia vera, non modo simplicia, sed etiam complexa; nec tantum necessaria, sed etiam contingentia; nec modo in esse possibili, sed etiam in esse futuro: alioqui aut nunquam ea repræsentarent, aut proficerent in eis repræsentandis, quia fortasse repræsentarent successu temporis ea, quæ ante non repræsentassent; quorum neutrum est dicendum: atqui Deus ante omnem actū suæ voluntatis circa res futuras certo scit, quidquid in ideis repræsentatur; ergo ante omnem actum suæ voluntatis circa futura contingentia præscit Deus certo, quænam sint futura; idque in statu absoluto, de quo est sermo.

Vera sententia.

Dicendum est tamen: Deum certo quidem præcognoscere in ideis huiusmodi contingentia in statu absoluto spectata; non aliter tamen, quam præcognito actu approbatiuo, aut permissiuo suæ voluntatis. Primum, quia enuntiationes de futuris contingentibus etsi ab æterno sunt determinate veræ, aut determinate falsæ, vt supra ostensum

sum est; tamen non sunt tales, nisi Deus velit, aut permittat hoc aut illud contingens fore: quia enim res est, aut non est, oratio est vera aut falsa; id quod de omnibus differentiis temporum dictum esse intelligēdum est; vt etiam quia res fuit; aut erit, propositio de ea præterita, aut futura vera sit: vt igitur Deus certo sciat, quid cōtingenter euenturum sit, necesse est, vt intelligat actum volūtatis suæ, ex cuius concursu illud pendebit. A

Arist. in prædicam. c. de modis prioris

Deinde, quia etsi ideæ ab æterno repræsentant omnia vera non tantum simplicia, vt Scotus vult, sed etiam complexa, nec sola necessaria, sed etiam contingentia; nec modo contingentia in esse possibili, sed etiam in esse futuro, vt oppositæ sententiæ auctores recte probant; tamen, cum necessario repræsentent necessaria, & cōtingentia in esse possibili; non necessario autem contingentia in esse futuro, sed contingenter, quia sunt de rebus, quæ pendent à libero arbitrio, ac proinde à libera Dei voluntate approbatiua, aut permissiua: necesse est fateri eorum contingentium repræsentationem, quemadmodum & eorum esse, pendere obiectiue ab aliquo libero actu diuinæ voluntatis, qui actus in posteriori considerationis signo quasi eliciendus est à voluntate diuina: & ex cōsequenti non posse à Deo certa notitia cognosci contingentia vt futura, nisi cognito diuinæ voluntatis actu eorum approbatiuo, aut permissiuo. B C D

In 1 d. 39. q. vnica.

Tertio, quia si Deus certo sciret aliquid contingens fore, aut non fore, antequam sciret se in posteriori considerationis signo id determinate approbaturum, voliturumque aut non voliturum, sed permissurum; nulli fundamento veritatis de scientia inniteretur: quod de diuina scientia sentire absurdissimum est. Consequentia vero ex eo patet, quia libera Dei voluntas est prima radix, & causa omnis contingentiæ, seu non necessitatis in rebus creatis, vt supra ostensum est. Atque hoc argumento complentur duo superiora. Quod autem Deus prius consideratione nostra cognoscere possit, quid ipse libere voliturus sit, quam eum actum volendi quasi eliciat, (*de hac enim re aliquis dubitare potest*) inferius patebit. E

Hoc c. q. 3. sect. 2.

Quare ad primū oppositæ sententiæ concedendum, quicquid re vera futurum est, id omnino in quocunque puncto siue temporis, siue considerationis præcedente verum fuisse ea ipsa ratione, quia re vera futurum est, neque vnquam cœpit esse futurum: non tamen inde sequitur, in quocunque considerationis signo illud certo sciri à Deo ante cognitionem actuum liberorum suæ voluntatis, qui in alio posteriori considerationis signo sunt quasi eliciendi. Nam in eo instanti considerationis, in quo actus intellectus diuini præcedunt omnem cognitionem actuum liberorum diuinæ voluntatis, nondum se offert diuino intellectui prima radix contingentiæ, quæ posita est in liberis actibus diuinæ voluntatis, à quibus quemadmodum ipsa futura pendent, ita & eorum certa cognitio. F

Ad argum. opposita.

Quapropter diligenter notandum est non esse negandum, futura contingentia certo præsciri à Deo in priori signo considerationis, quam fit illud, in quo voluntas diuina se determinat ad hæc, vel illa efficienda; hoc enim non dicimus: sed quod asserimus, huiusmodi est; non prius Deum considerari, vt scientem futura contingentia, quatenus futura sunt; quam consideretur scire suam voluntatem de eis approbandis, aut permittendis, libere se determinaturam ad alteram oppositionis partem: quę voluntas si in posteriori considerationis signo, in quo se determinat, non esset libere determinanda, neque in priori illo talia contingentia à diuino intellectu certo scirentur futura. Quod ideo notandum diximus, quia facile est hac in re hallucinari.

Declaratur magis resolutio tradita.

Ad secundum eodem modo negandum est, Deum prius consideratione nostra scire aliquid contingenter futurum, quam se id voliturum certo cognoscat, vt ex dictis patet. Aduerte tamen non ideo scientiam Dei aliquando considerari à nobis vt imperfectā, quod spectari possit, vt nondum cognoscens ea, quæ contingenter futura sunt. Nam etsi Deus in aliquo signo considerationis nondum perfecte concipitur vt sciens, ea tamen imperfectio non tribuitur scientiæ Dei, sed cognitioni nostræ, quæ nondum completa, & perfecta est, quia nimirum in eo signo cōsiderationis, in quo Deum concipimus vt scientem necessaria, & possibilia, quatenus possibilia sunt, nondum illum consideramus vt scientem ea, quæ sunt libera: cuiusmodi sunt non modo ea, quæ sunt libera: cuiusmodi sunt nō modo ea, quæ re vera sunt futura, sed etiam ipsa determinatio diuinæ voluntatis ad alteram oppositionis partem, quæ concipitur quasi futura in alio considerationis signo. Nā & in ipsis actibus diuini intellectus designari possunt varia cōsiderationis signa, quorum alia à nobis vt priora sumantur, alia vt posteriora, dum ex aliis ad alia progredimur, vt diuini intellectus cognitio complete (*more tamen nostro*) à nobis habeatur.

Imperfectio considerationis nostræ circa diuina.

Ad tertium dicendum, etsi suppositiones impossibilium obnoxiæ sunt multis pericu-

Aristote. 1. Phys. c. 2. tex. 10. & 1. de cælo, cap. 12. tex. 19.

lis in disputãdo, quia ex impossibilibus, vt dici solet, sequuntur quælibet; & in hoc etiam argumento supponuntur plura impossibilia; nihilominus, si aliquid præter Deum condidisset, ac gubernaret mundum, (*quod sine intellectu, & voluntate facere non posset*) adhuc necesse foret, vt Deus prius consideratione nostra intelligeret eius conditoris, & gubernatoris voluntatem determinatam ad ea cõtingentia, de quibus loquimur, approbanda, aut permittenda, quam illa, quatenus futura essent, certo futura esse intelligeret.

In ideis diuinis omnia repræsentari.

Ad vltimum eodem modo dicendum est, in ideis repræsentari quidẽ omnia, quæ sunt, fuerũt, ac erũt, siue ea necessaria sint, siue cõtingentia; nec solum repræsentari simplices terminos, siue extrema; sed omnes etiam cõplexiones, quia in eis repræsentantur omnes veritates, seu potius omnia vera non modo simplicia, sed etiam cõplexa, vt iam confessi sumus, magisq; inferius patebit. Sed tamen addendum, contingentia, quæ in ideis repręsentãtur, nõ certo cognosci a Deo cognitione absoluta ante cognitionem liberorum actuum diuinæ voluntatis; tametsi vt dictum est, ipsi actus voluntatis diuinæ posteriores sint consideratione nostra, quam actus intellectus.

Superiori sect.

Atque ex his patet, nihil efficere argumenta ea, quibus Scotus in locis superius citatis contendit, futura cõtingentia non posse certo cognosci in ideis, quaten⁹ futura sunt quod illæ nostro intelligendi more præcedant omnem diuinæ voluntatis actum. Neq; enim dubium esse debet, quin ideæ repræsentent contingentia, vt futura sunt, supposito actu liberæ diuinæ voluntatis circa eorum futurã existentiam: at is actus, etsi posterior est nostro intelligendi modo, quatenus elicitus, nõ tamen quatenus cognitus veluti eliciendus. Nam & ipsas diuinas personas docent Theologi prius consideratione nostra in ipsa diuina essentia concipi vt producendas, quam vt productas.

Possunt tamẽ propositæ duæ sententiæ facile conciliari, si vtraq; intelligatur de certa futurorum contingentium cognitione supposito actu approbatiuo aut permissiuo diuinæ voluntatis circa illa: sed tamen in hoc distinguãtur inter se, quod prior asserat ea certo cognosci, antequam more intelligẽdi nostro is actus diuinæ voluntatis eliciatur; posterior autem neget ea certo cognosci, antequam is actus quasi eliciendus cognoscatur: quæ duo non pugnant inter se, sed potius apprime consentiunt. Quod si hoc pacto conciliari volunt, omnia cohærent, vtilisq; euasit pro vtraque parte de tanta re proposita contentio, cum hac ratione dissidentes in ea (*vt videbantur*) opiniones percommode componantur.

An detur in Deo cognitio contingentium, quæ actuum diuinæ voluntatis cognitionem non supponat.

Num autem ante hanc certam cognitionem futurorum cõtingentium in statu absoluto detur alia certa eorũ cognitio, quæ nullam supponat cognitionem liberorum actuũ diuinæ voluntatis circa hæc aut illa, & quænam sit ea cognitio, opus omnino est, vt explicemus, est enim hac de re non mediocris, nec vulgaris dubitatio. Nã si datur alia prior, quæ necessario erit conditionata, (*namq; absolutam priorem nullam aliam dari ex dictis intelligi potest*) non satis apparet, quonam pacto illa possit esse certa circa liberos actus voluntatis creatæ, & cætera, quæ ex illis pendent, quæ sola diximus contingenter, seu non necessario euenire supposito huius vniuersi ordine. Quotcunq; enim circumstantię sub cõditione ponantur futuræ, semper creata voluntas libere poterit vtramvis partem oppositionis eligere, vt nullus intellectus, etiam diuinus, certo scire posse videatur, quam in partem eis positis illa se vertet. Si vero dicamus, nullam dari priorem cõditionatam, sed primam futurorum certam cognitionem esse absolutam, & quæ solis decretis diuinæ voluntatis de huiusmodi euentibus innitatur; certe videmur relabi in sententiam Scoto attributam, & quorundam recentiorum Thomistarum propriam, de actibus volũtatis diuinæ determinatiuis liberorum actuum creatarum voluntatum: quæ sententia, nisi aliter quam vt sonat, intelligatur, nullo modo est admittenda. Nam si omnis certitudo huiusmodi futurorum actuum ex solis decretis diuinæ voluntatis pendet; qui fieri potest, vt ea decreta non necessitent creatas voluntates ad omnes, quoscunq; elicient? Adde, quod permissio circa malos actus nullam certitudinẽ afferre potest diuinæ cognitioni, nisi supponat certam illorum conditionatam cognitionem præcedentem, ita vt à Deo certo præsciantur futuri, si hæ aut illæ occasiones peccaturis offerantur; nec tamen Deus maioribus auxiliis eis subuenire velit, quam quibus illi poterunt, si velint, peccata vitare; sed quib. tamen certo scit eos illa non vitaturos. Nam permissio generalis ad bona & mala opera nullam affert certam cognitionem futuri operis, vt etiam superius diximus. Quid igitur in hac præcipua totius huius materiæ difficultate dicendum videatur, Deo, vt speramus, fautore, paucis pro materiæ difficultate ac dignitate exponendum est.

Omnia

Omnia vere futura prius nostro considerandi more certo sciri a Deo tam in statu conditionato, quam in absoluto.

SECTIO VIII.

ANte annos triginta, quam hæc scriberemus, (*scribimus autem anno Domini nonagesimo sexto supra millesimum & quingentesimũ*) cum materiam de prouidentia diuina, & prædestinatione in publicis lectionibus essemus ingressi; multæque, ac graues difficultates; quæ in ea occurrunt, se nobis obiicerent, nulla faciliori via, & ratione putabamus explicari omnes posse, quam constituenda ea distinctione, quam paulo ante fecimus duplicis status eorum contingentium, quæ re vera futura sunt, absoluti scilicet, & conditionati, asserendaque certitudine diuinæ cognitionis circa illa in vtroq; statu; prius quidem in conditionato, deinde vero in absoluto. Quæ distinctio & vtriusque certitudinis confirmatio, ita nobis omnium pene obiectarum difficultatum tenebras depellebant, vt noua quædam lux nostræ mentis oculis oborta videretur. Ea enim distinctione hac in re vsurpanda, & cum veritate sacrorum voluminum cohærere videbantur omnia, & cum veræ Philosophiæ dogmatis de arbitrii libertate mirifice consentire, & non mediocre solatium anxiis mentibus afferre, dum nosse percupiunt, quanam faciliori ratione infallibilis Dei præscientiæ, ac prouidentiæ certitudo nullam creatis voluntatibus in agendo necessitatem afferre intelligatur: eas enim semper nobis persuasimus non ab alio physice, (*hoc est, vera, & reali actione,* sed à se ipsis ad actus liberos determinari, ad operationes quidem naturæ, cum cõcursu Dei generali; ad operationes autem gratiæ, cum cõcursu eiusdem speciali. Vnum illud scrupulum iniiciebat, ne hac ratione nouum aliquid fortasse induceretur, quod non omni ex parte cum communi Patrum doctrina, aut diligenti Scholasticorum examine, & accurata lima conueniret. Neque enim quisquã erat, qui hoc pacto libertatem arbitrii nostri cum diuinæ præscientia, aut prouidentia aperte, & (*vt dicitur*) in terminis conciliasset. Sed cum re bene perpensa omnia eorum dicta hoc pacto melius & explicari, & conciliari viderentur; nihil antiquius habuimus, quam vt prædictam distinctionem futurorũ persequeremur, & diuinæ cognitionis in vtroque eorum statu certitudinem confirmaremus.

Vtilitas inuenta distinctionis contingentium, quæ re vera euenient, in absoluta & conditionata

Conditionatus rerum status.

Itaq; rem hunc in modum habere credebamus, vt quemadmodum ii, qui sapienter magnum opus aliquod moliuntur, prius apud se cogitant, quid ex eo consequuturum sit, quã absolute, ac determinate illud facere decernant; ita Deum Optimum Maximum more intelligendi nostro, priusquam absoluta, determinataque voluntate vellet mundum condere, quasi apud se deliberantem cogitasse, quid esset sequuturũ, si cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis continentur, hoc ipso modo, & ordine, quo ea disposuit, constitueret. Atque hic status rerum futurarum adhuc conditionatus erat, cum nondum absoluta voluntas faciendi quicquam accessisset. In hoc autem rerum futurarum statu facile fuit certo cognoscere, quid euenturum esset ex causis naturalibus, si hoc ordine, ac modo, quo dispositæ sunt, constituerentur; cum omnes naturæ necessitate determinatæ sint ad certa, & definita effecta. Ex causis autem liberis, hoc est, ex Angelorum, & hominũ voluntatibus, etsi spectata earum indifferentia ad opposita effecta, ad agendumq; & non agendum, nihil certi colligi poterat; tamen ex altitudine scientiæ, ac sapientiæ Dei; cuius iudicia incomprehẽsibilia sunt, certo etiam cognosci potuisse cogitabamus, quid esset euenturum, si hæ, aut illæ agendi, aut non agendi occasiones, tum Angelis, tum etiam hominibus offerrentur, quod negari non posse suo loco ostẽdedum est. Tum vero cœpisse statum rerum futurarum absolutum, cum Deus more cogitandi nostro quædam ex iis, de quibus quasi deliberauerat, approbatiuo actu suæ voluntatis fieri voluit, vt moraliter bona, & naturalia omnia; exceptis quibusdam extraordinariis, ac miraculosis operibus, quib. in naturalium etiam rerum genere suam agendi, & non agendi libertatem nobis commendare voluit, vt supra diximus, cum de fato ageremus: quædam autem voluit permittere, nempe moraliter mala, quib. tamen faciendis generalem, & quasi naturalem suum concursum omnibus rebus iuxta cuiusq; naturam concessum noluit denegare; & multos ex iis hominibus, quos in statu conditionato perditũ iri intelligebat, saluos facere decreuit; alios in sua quemq; obduratione relinquere. Atq; in hac voluntate absoluta, & determinata putabamus, Deum more cogitãdi nostro absolutam habere cœpisse cognitionẽ eorum omnium, quæ re vera futura erant, quam in priori illo conditionato rerum statu non habuisset; ob eamque rationem cœpisse ideas eodẽ modo cogitandi nostro ea repræsentare absolute futura, quæ prius non nisi conditionate repræsentabant.

Conditionata Dei cognitio.

Absoluta Dei cognitio.

Vnde

Illam concipi à nobis vt hac priorem

Vnde aperte colligebamus, Deum ante A omnimodam futurorum præscientiam non prædefiniuisse ab æterno, quid voluntates creatæ acturæ, aut non acturæ essent: sed prius modo cogitandi nostro eas seipsas libere vel ad bonum, vel ad malum determinandas conditionata scientia cognouisse; tũ vero absoluta voluntate bonos earum actus futuros determinate approbasse, eorumque autorem & esse, & haberi voluisse; malos autem non approbasse, sed propter alia maiora B bona, quam ipsa essent mala, permittere decreuisse.

Hæc eam eo tempore dictare cœpissemus, & quod supererat, quibusdam ex auditorib. nostris verbotenus communicaremus; haud grauate tulimus, quod aliis deinde rebus occupati ea absoluere possemus, dum ratio hæc conciliandæ voluntatis creatæ cum diuina præscientia, ac prouidentia sola specie quibusdam noua paulatim emolliretur. Nec nos C certe nostra fefellit opinio, cum eam hodie ita bene quasi subactam à multis videamus, vt pauca nobis ex iis, quę in ea obseruauimus necesse sit adiungere.

Vt à Molin. in concord. & 1 p. ad q. 14. deinde a Suario 3. p. q. 1. & in peculiari tract. a Vasq. 1. p. ad q. 14. a Mendo. in quodlibetis, & ab aliis compluribus.

Illud igitur in primis animaduertendum est, ideas diuinas omnia diuino intellectui repræsentare, quæcunque Deus fecit, facturus est, ac facere potest, vt libro septimo patebit: † sed quemadmodum in rebus aliæ sunt communiora, alia minus communia; alia ne- D cessario inter se cohærent, alia contingenter; alia denique aut re, aut ratione in naturis rerum fundata priora sunt, alia posteriora: ita etiam modo considerandi nostro alia prius, alia posterius in ideis repręsentari. Nam quia res non repræsentantur in ideis, vt sunt eminenter vnitæ in Deo, sed vt sunt formaliter distinctæ inter se; & quia ordine quodam generationis, & compositionis accipiunt esse à E Deo, isque ordo à communioribus ad minus communia, & à necessariis ad non necessaria, & ab iis, quæ in conditione posita sunt, ad ea, quæ absolute conueniunt, descendit; inde efficitur, vt alia prius nostro intelligendi more, alia posterius ordine quodam in ideis repræsententur. Quo fit, vt cum nihil sit communius in rebus factibilibus à Deo, quam quod sint possibiles, siue entia, (*quo in attributo formaliter, sed analogice primum cum Deo con-* F *ueniunt*) hoc ipsum, quatenus ad factibilia pertinet, dicendum sit, more cogitãdi nostro primum in ideis repræsentari. Deinde istud in omnibus exprimi, quod res eædem sint contingentes in essendo; quod iam attributum Deo non conuenit, cum solus ipse sit ens necessarium. Tertio repræsentari peculiares earundem rerum essentias ordine maioris, & minoris communitatis suorum generum, specierum, & indiuiduorum. Quarto iam loco repræsentari connexiones earũ inter se tum necessarias, tum contingentes, in esse tantum possibili: neque enim id fit per alias ideas, sed per easdem ipsas, quibus repræsentantur ipsarum connexionum extrema. Quinto repræsentari connexiones conditionatas, vt hoc, vel illud futurum esse, si hoc, vel illud sit, vel fiat. Sexto repræsentari connexiones contingentes re vera futuras, non iam in statu conditionato, sed absoluto, eo quod repræsententur de re ipsa fore: quo in repręsentationis gradu iam supponitur diuina voluntas determinate factura, aut permissura, quicquid ab æterno futurũ erat. Demum septimo loco repræsentari omnia cum facta, tum facienda, vt actu existentia in sua quæq; temporis differentia: qua ratione sunt ab æterno intuitiue Deo præsentia: atq; hanc esse omnium repræsentationum vltimam.

† Omnia quidem, sed alia prius, alia posterius nostro concipiendi modo a diuinis ideis repræsentari.

Deinde animaduertendum est iuxta hos considerationis nostræ gradus in repræsentatione idearum spectatos, considerandos esse gradus diuinæ scientiæ, quæ in seipsa simplicissima est. Namque omnia, quæ Deus de creaturis cognoscit, in earum ideis intelligit: quo fit, vt prior sit consideratione nostra in Deo scientia simplicis intelligentiæ, qua res factibiles à Deo cognoscuntur, antequam intuitiue videantur, quam hæc ipsa scientia visionis. Propterea enim prior illa dicitur simplicis intelligentiæ, quia non supponit visionem rerum, sed ab ea quasi abstrahit res, quæ per eam cognoscuntur; vnde etiam scientia abstractiua dici solet: hæc autem posterior, quæ quasi duplicis intelligentiæ est, ideo dicitur intuitiua, quia, cum supponat simplicis intelligentiæ scientiam, addit intuitum rerum earudem, quas more concipi nostro quasi abstractas ab existentia cognouerat. Hac igitur ratione scientia simplicis intelligentiæ respondęt sex prioribus gradibus repræsentationis idearum; scientia autem visionis soli vltimo gradui: tametsi non pauci sunt, qui improprie scientiæ visionis nomen vsurpent in sexto repræsentationis gradu, quod res per eum determinate repræsententur futuræ; non animaduertentes eam repræsentationem adhuc esse abstractiuam, quia non est futurorum, vt iam præsentia sunt, sed vt adhuc futura.

Scientia simplicis intelligentia & visionis.

Alia vero ratione distinguitur Dei sciẽtia in scientiam naturalem, & liberam, ac quodammodo mistam: eo quod Deus quædam sciat, quæ non potest non scire, cuiusmodi sunt ea omnia, quæ primis quatuor quasi gradibus repræsentationis idearum exprimuntur;

Distinctio scientia Dei in naturalẽ liberam, & quodammodo mistam.

tur: quædam vero sciat, quæ posset quidem non scire, si vellet; sed cum semel scire voluit, nō potest ea non scire, nempe ea, quæ vltimis duobus gradibus repræsentantur: quædam denique etsi posset non scire, quia voluntates creatæ pro sua libertate aliter sese determinare possent, quam determinat; tamen Deus non potest non scire, quo pacto illæ sese determinabunt, quibuscunq; in occasionibus ponantur: atq; hac quasi mista scietia cognoscuntur ea, quæ quinto repræsentationis gradu in ideis diuino intellectui obiiciuntur,

Quæ cadant sub conditionatam Dei scientiam.

Tertio loco animaduertendum est, hanc quasi mistam sententiam, quam conditionatam appellauimus, (*de hac enim tota est difficultas*) pertinere non solum ad ea, quæ re vera futura sunt, sed etiā ad ea, quæ futura essent, si Deus alium ordinem, dispositionemve in rebus instituisset, vt si alium mundum creasset, aliisve occasionib. creatas voluntates posuisset, quæ tamen nunquam in rerum natura erūt. Vnde nascitur quędam distinctio huius scientiæ conditionatæ, vt alia dici possit conditionata futurorum, alia pure conditionata, vtpote eorum, quæ re vera futura non sunt, qualis erat ea, qua Christus Dominus affirmabat Tyrios & Sidonios pœnitentiam acturos, si apud eos ea signa facta essent, quæ ipse in Corozaino, & Bethsaida fecisset.

Matth. 11. Luc. 10.

Ex quibus colligitur, vtramq; conditionatam scientiam esse quasi mediam inter naturalem, & liberam, vt iam hodie à multis dicitur. Nam cognitio eorum, quæ quatuor primis gradibus repræsentationis idearum exprimuntur, necessaria omnino est: quæ autem vltimis duobus respondet, est omnino libera: at conditionata, quæ respondet quinto gradui, vtramque participat, quatenus neque in Deo deesse potuit, neq; ita affirmatiua est vnius oppositi his, aut illis conditionibus positis, vt non affirmaret alterum, si alterum euenturum esset.

Sed cum eadem sit difficultas in ostendenda certitudine vtriusq; scientiæ conditionatæ, (*quæ enim re vera futura sunt, si ante determinationem diuinæ voluntatis de eis approbandis, aut permittendis spectentur, perinde nullam certitudinem videntur habere, atq; ea, quæ nunquam erunt*) hoc à nobis superest examinandum, antequam quæstioni initio propositæ respōdeamus, Num scilicet vtraq; conditionata contingentium scientia sit in Deo certa, & cui falsum subesse non possit.

Deum certo cognoscere non solum vere futura in statu conditionato, sed etiam pure conditionata.

SECTIO IX.

Rationes pro parte negatiua.

Partem negatiuam multa, & grauia argumenta suadent. Primum, quia nulla conditionalis propositio est vera, determinate videlicet, ac certo, nisi sit necessaria, vt Dialectici tradunt. Cum igitur conditionatæ, de quibus est sermo, nō sint necessariæ (*neq; enim hic sermo est, nisi de iis, quæ à libero pendent arbitrio*) efficitur, vt nulla earum determinate vera sit, ac proinde nec certa.

Deinde, quia nullæ occasiones, aut circumstantiæ futuræ satis sunt, vt eis cognitis certo cognosci possit, quam in partem voluntas libere inclinabit: quippe cum in hoc sita sit tota libertatis ratio, vt quibusque circumstantiis positis voluntas pro suo arbitratu hoc, vel illud amplectatur, aut reiiciat, aut etiam omni actu abstineat.

Tertio, quia si Deus, antequam more cōsiderandi nostro aliquid determinate fieri voluit, aut permittere, certo sciuisset, quid voluntas creata in hac, vel illa occasione esset factura; non esset vtique liber ad volendum, & permittendum oppositum eius, quod voluntas creata facit: tum quia velle non posset oppositum eius, quod certo futurum esse sciuisset; tum etiam, quia si posset, iam ea certa scientia non esset certa, vt quæ posset variari: at Deus est maxime liber, antequam more considerandi nostro se ipse ad hanc, vel illam partem oppositionis determinet, (*nam & hoc cuique libero agenti in suo gradu libertatis concedimus*) eiusque scientia est omnium certissima: non igitur Deus certo quicquam scit scientia huiusmodi conditionata, antequam se aliquid facturum, aut permissurum decernat.

Quarto, quia si Deus certo sciret, quid creata voluntas in hac, vel illa occasione esset factura, potiori ratione sciret, quid ipse quaque etiam occasione obiecta facturus esset, cum non minus certo sciat sua, quam aliena: atqui hoc derogat diuinæ libertati: siquidem hoc pacto non libere, sed necessario creasset mundum in tali instanti, quem antequam creare vellet, certo sciret à se in eo esse creandum; neque item libere prædestinasset eos homines, aut Angelos, quos antequam more cogitandi nostro prædestinasset, certo sciret se prædestinaturum, electurumque: impossibile est enim volūtatem cuiusquam conari in oppositum eius, quod ipse certo scit esse futurum.

Postremo, quia etsi quis concedat, ea, quæ revera futura sunt, posse conditionata cognitione certo præsciri, antequam Deus more consi-

considerandi nostro ea fieri velit, aut permittere, idque ea ipsa ratione, quia re vera sunt futura; non apparet tamen ratio vlla, cur ea, quæ futura nunquam sunt, sub præscientiam cadant. Id quod etiam multorum Patrũ sententia videtur confirmari posse, vt Augustin. *primo libro de Prædestinatione Sanctorum cap.* 14. Prosperi Aquitanici *epistola quadam ad eũdem Damascen. in libro contra Manichæos*, & aliorũ complurium, qui plane affirmant ea, quæ nec sunt, neque vnquam fuerunt, aut futura sunt, sub præscientiam diuinam cadere non potuisse.

Patrum, & scripturæ autoritas ad id confirmandum.

Ansel. in 1. de concord. præ. & lib. arb. & Hug. lib. 1. de Sacram. c. 16

Accedit Authoritas diuinarum scripturarum, quæ cum loquuntur de iis actionibus liberis, quę nunquam erunt, sed tamen forent, si hoc, aut illud accidisset, adhibere solẽt particulam, *Forte*, aut aliam similem, vt significent non esse rem omnino certam, veluti Genes. 3. cum de Adamo dicitur: *Ne forte mittat manum suam*, &c. & Matthæ. 11. de Sodomis: *Forte permansissent vsq; adhuc*. Quin etiã Exod. quarto adduntur dubitationes aliæ aliis, cum dicitur: *Si non audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis: quod si nec duobus his signis crediderint*, &c. *Sume aquam*, & quæ sequuntur: vbi nulla certitudinis constãtia videtur cerni. Quod idem videre licet in aliis locis quamplurimis.

Atque hanc quæstionis huius partem recentiores quidam sibi persuadent, non aliam tribuentes Deo cognitionem huiusmodi cõditionalium, quam conjecturalem, tametsi multo certiorem, quam nos, atque Angeli cognitionem earum habeamus. Sed affirmatiuam esse omnino amplectendam, cum ex iis, quæ superius dicta & ostensa sunt, tum ex aliis magni momenti rationibus, Patrumq; communi sententia, & diuinæ scripturæ locis patebit.

Affirmatiuæ partis, quæ vera est, fundamenta.

Prima ratio sit: Prius saltem consideratione nostra Deus certo sciuit, quinam actus liberi creandarum voluntatum futuri essent, quam eos intuitiue cognosceret: (*omnes enim Theologi hodie id concedunt, imo & magna eorum pars existimat prius, non solum consideratione nostra, sed etiam tempore id sciuisse*) aut igitur id certo sciuit, quia ab æterno ante omnem præscientiam prædefiniuit, quæ voluntas in quos actus proditura esset: aut quia, cum intellexisset hanc in hos, & illã in illos esse prodituram, si mundum hoc ipso ordine, quo dispositus est constituisset, eum sic constituere decreuit: atqui ex dictis plane colligi potest, & infra euidentius ostendetur, Deum non prædefiniuisse ab æterno ante omnem præscientiam, quænam voluntates in quo actus proditurae essent; alioqui actus earum liberi non essent liberi: ergo ea ratione id certo sciuit, quia intellexit, si mundũ hoc pacto constitueret, creandęque voluntates has, vel illas occasiones haberent, fore, vt in hos, vel illos actus liberos prodirent: quæ scientia conditionata est, non absoluta.

In 1. d. 38. & 39. itemq; ad 1. p. D. Th. q. 14. ar. 13.

Secunda ratio. Ad imperfectionem autoris cuiusque operis spectat, si non certo intelligat, quid ex opere à se conficiendo sequuturum sit, in iis præsertim, quæ sunt maioris momenti; alioquin aut temere aggrederetur opus, cuius non omnem exitum exploratum haberet; aut dubius in eo conficiendo progrederetur: atqui agentia libera, eorumque boni actus sunt à Deo præcipue intenta in huius vniuersi opere conficiendo, vt perspicuum est: igitur ad eius imperfectionem aliquam spectaret, si more considerandi nostro non prius certo sciret, quinam liberi actus ab agentibus liberis proditurи essent, si essent, si hunc mundum conderet, & in eo has agendi occasiones liberas agentib. offerret, quam illum condere decerneret. Quod si obiicias id non esse scibile, ac proinde ad nullius agẽtis imperfectionem spectare, quod non certo sciatur: recte quidem diceres, si sermo esset de intellectu creato, cuius cognitioni non subest omnis veritas: at de increato, cui omne verum quandocunque, & quomodocunque verum sit, perspectum ab æterno esse debet, id dici non potest: quod euidentius ex dicendis patebit.

Tertia ratio sit. Eadem difficultas est de contingentibus absolute futuris in statu cõditionato sumptis quod ad certitudinem eorum cognitionis attinet, atque de pure conditionatis; cum vtraque videantur æque incerta ante omnem determinationem diuinæ voluntatis de eis approbandis, aut permittendis, vt paulò ante diximus: atqui de absolute futuris in statu conditionato propterea tandem plurimi Theologi fatentur haberi posse a Deo certam cognitionem ante omnẽ determinationem voluntatis diuinæ de eorum futura existentia, quia illa in hac, vel illa occasione re vera futura sunt, etiamsi nos id ignoremus: ergo & de pure conditionatis propterea fateri debent haberi posse ab eo certam cognitionem ante omnem eiusmodi determinationem, quia alterum ex oppositis re vera futurum esset, aut fuisset, si hæ vel illæ occasiones se obtulissent: quorum oppositorum Deus ex æternitate certo scit, quodnam eueniret, aut euenisset. Quid enim interest ad certitudinem, vtrum dicas, Si hæc occasio se obtulerit, illud eueniet; an, Si hæc occasio se offerret, aut obtulisset, illud eueniret, aut euenisset? Æque enim certum esse, si

In his sunt Ocham in 1. d. 38. q. vnic. Gab. ar. 2. Greg. q. 2.

set, si Christus Dominus dixisset Petro post A resurrectionem suam, Si nocte illa me derelicto extra vrbem mansisses, non me negasses: (*qua propositio est pure conditionata, quia Petrus nec mansit extra vrbem, nec Dominum negare desiuit*) ac certum fuit, quod illi dixerat ante passionem, *In hac nocte (in vrbem videlicet ingressus, & in atrio Pontificis militib. adiunctus) me negabis*: ex qua propositione absoluta, hæc conditionata de futuro euentu formari tunc posset, Si in hac nocte atrium Pō- B tificis ingressus militibus te adiunxeris, me negabis.

Conuenientia & discrimen inter scientiam & omnipotentiam diuin.

Quarta. Quemadmodum ad perfectionem diuinæ potentiæ pertinet, vt facere possit quicquid possibile est fieri: ita & ad perfectionem diuinæ scientiæ, vt scire possit quicquid possibile est sciri: nisi quod Deus omnia simul scire potest, etiamsi infinita sint, quia scientia Dei augeri non potest; nec tamen omnia simul facere, ne infinita simul in C rerum natura dentur, quæ dari nequeunt; & diuina item potentia exhauriatur, quę exhauriri nullo modo potest: atqui huiusmodi conditionata, etiam re vera non futura, certo sciri possunt: certo igitur à Deo sciuntur. Assumptio ex eo probatur, quia omne verum certo cognosci à Deo nullo modo dubitari potest: vt autem * in contingentibus absolutis altera contradictionis pars determinate vera est, altera determinate falsa: *si modo veritas, & falsitas non sumantur ex causis, sed ex euentibus, vt superius ostendimus*) ita & in D conditionatis; siquidem & in conditionatis danturre vera contradicentes, in quibus necesse est, quemadmodū & in aliis quibuscunque, eandem regulam veritatis, & falsitatis seruari. Verbi causa, si Ionas, cum cœpit Niniuitis prædicare dixisset, [*Si pœnitentiam non egerit, Niniue subuertetur*;] alius vero ex aduerso dixisset, [*Non, si pœnitentiam non egerit, Niniue subuertetur*;] constituta profecto esset E contradictio: eodemque modo si post quadraginta dies dicente Iona, [*Si pœnitentiam non egisset, Niniue subuersa esset*,] alius è contrario diceret, [*Non, si pœnitentiam non egisset, Niniue subuersa esset*;] constituta similiter esset contradictio: cum igitur hæ duæ affirmatiuæ determinate veræ fuerint, & oppositæ negatiuæ determinate falsæ, vt patet ex oraculi Prophetici explicatione; & vtraque affirmatiua sit pure conditionata, quia nec Ni- F niuitæ pœnitentiam neglexerunt, nec Niniue subuersa est: manifestum relinquitur in omnibus conditionatis posse reperiri determinatam veritatem, cum reperiatur in iis etiam, quæ pure conditionatæ sunt; ac proinde

† Etiam in propositionib. de futuris cōditionatis alteram contradictionis partem esse veram determinate, alteram falsam. q. 2 sect. 7.

certo sciri eas posse, atque adeo ex æternitate certo scitas esse. Neque obiicias, *Subuersionem illius vrbis à Deo solo pependisse, in cuius voluntate sciebat ipse, quidnam de ea futurum esset; satis enim est, quod pœnitentia, qua pro ratione seruanda vrbis à Propheta spectabatur, à libera etiam voluntate ciuium pendebat, & euentus certo sciri à Deo nequiret, si in hac materia pure conditionata enuntiationes nec vera essent, nec sub scientiam cadere possent: quod tamen nonnulli parum considerate ex eo videntur comminisci, quod eis re vera nihil absolute futurum respondeat.*

Obiectio.

Solutio.

Quinta. Nisi Deus hac scientia conditionata præsciret futuros euentus liberos, non esset certa, & infallibilis diuina prouidentia, quæ certis mediis, accommodatis tamen ad rerum ipsarum naturas vtitur ad propositos fines suarum actionum ad effectum perducendos, iuxta illud Sapientiæ septimo, *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*: at diuinam prouidentiam non esse certam, sed falli posse, impium omnino, & impossibile esse palam est: ergo, &c. Sequela ex eo probatur, quia multa intendit Deus absolute efficere interuentu liberorum actuum creatarum voluntatum. Primum enim in naturalibus multæ sunt rerum species, quæ sine humana opera, & industria per causas naturales dari non possent, quæ tamen ad perfectionem vniuersi pertinent; vt multæ arborū species, quæ inserendi arte procreantur; multa, quæ ad degendam vitam necessaria, & incommoda sunt, & à libera hominum voluntate pendent: vt ad diuinam prouidentiam pertineat certo præsciuisse, quinam, & quibus temporibus futuri essent mechanicarum artium inuentores, & excultores, quorum industria, & labore indiga hominum natura foueretur. Deinde in moralibus multa sunt tēporum successu regna, & aliæ Respublicæ, quas Deus certo, ac determinate esse voluit, & in quibus certos reges ac præsides constituere decreuit; vt præsciuisse oportuerit, quinam, & quibus temporibus futuri essent & Rerumpublicarum autores, legumque conditores, & liberalium artium, scientiarumq; inuentores, & professores, antequā huic quasi deliberationi de hac rerū vniuersitate condēda absoluta eius voluntas quasi accederet. De quibus tamen omnibus Deus Opt. Max. ambigeret, possetne ea ad exitum perducere, nisi prius more cogitandi nostro certo intelligeret, fore, vt certorum hominum voluntates propositis sibi opportune earum rerum vtilitatib. aut dignitatibus sibi essent obsecundaturæ. Denique (*quod maxime vrget, & ad altiorem*

Incerta foret diuina prouidentia, nisi Deus euentus liberos per scientiā conditionatam præsciret.

tiorem prouidentiam spectat) incertus esset Deo prædestinatorum numerus, nisi Deus certo præsciret eos, de quibus ex æternitate more intelligendi nostro ad cœlestem beatitudinem eligendis quasi deliberabat, esse ad finẽ vsque in eius gratia liberis omnino actibus perseueraturos.

Reiicitur quadam responsio.

Nam quod ad hæc omnia dicunt nonnulli Deum certo scire potuisse huiusmodi fines suæ gubernationis tandem euenturos, quia simul ab æterno decernebat ita progredi in huius vniuersi administratione, vt, si quædam media non succederent, alia atque alia subinde adhiberet; donec fines intenti obtinerentur: hoc, inquam, præterquam quod indignum est de diuina sapientia, ac prouidentia sentire, (*facit enim Deum quasi dubitabundum de singulis medijs, efficacia ne futura esset, an inefficacia*) non satis quoq; est ad certitudinem euentus, nisi, qui sic respondent, fateantur inter ea media, quæ Deus sibi ab æterno proposuit, aliqua concepisse, de quibus ipse nil dubitabat exitum habitura, quod certo sciret in particulari ea à creatis voluntatibus, si certæ occasiones occurrerent, admittenda fore: atque iccirco ea, vtpote efficacia inter alia, quæ inefficacia fore præsciebat, absoluta voluntate illis præparasse. Illa enim confusa cognitio nunquam satis est ad tollendam omnem incertitudinẽ & ineuidentiam, cum non excedat terminos probabilitatis.

Omnem cognitionem diuinam esse certam, & euidentem.

Quo loco aduerte omnem cognitionem diuinam esse certam, & euidentem; quia omnis alia cognitio est imperfecta: vnde cum dicimus, in causa libera secundum se sumpta, & nondum determinata, ne à Deo quidem posse certo cognosci futurum effectum; verum id quidem est: neque enim in ea sic accepta effectus cognoscitur, nisi vt possibilis, sed tamen certo, & euidenter possibilis. Probabilis autem cognitio, quantumcunque magna sit, etsi aliquando est sine formidine, vt supra diximus, nunquam tamen est sine aliqua incertitudine, & ineuidentia: quo fit, vt in Deum cadere non possit. Exempli causa, hæc propositio probabilis, [*Omnis mater diligit filium*] (quod idem de cæteris huiusmodi enuntiationibus intellige) etsi apud nos non est sine aliqua incertitudine, & ineuidentia quoad particulares matres; certa vero, & euidens spectata earum communi natura, quod omnes naturali propensione ad amorem prolis inclinent; tamen translata in Deum, vtroque modo est certa, & euidens, tam in veritate, quam in falsitate. Nam, vt Deo est certum, & euidens, omnes matres natura sua (*nisi quid obstet*) diligere prolem;

c.1.q.1.sec.4.

sic ei est certum, & euidens, quænam particulares diligant filios suos, quę vero habeant odio: cum tamen apud nos id nec euidens, nec certum sit; tametsi verisimilius iudicemus eas maiori ex parte esse ad amorem illorum, quam ad odium propensiores. Quare, si Deus non aliter cognouisset, quænam media in hac, vel illa occasione liberis agentibus offerenda habitura essent effectum, nisi quia aliqua tandem essent efficacia futura, sine designatione huius medii, aut illius; confusa profecto esset ea cognitio, nec omnino careret incertitudine, & ineuidentia, neque etiam repugnaret ei cognitioni, præsertim si vitæ spatium alicuius hominis breue admodum futurum esset, nullum mediũ, quod in ordinariis occasionibus illi offerendum esset, verbi causa ad pœnitentiam agendam habiturum esse effectum, nisi Deus certo sciret, quid ille in quaque occasione esset facturus. Itaque, vt Deus habeat certam, & euidentem cognitionem huiusmodi futurorũ euentuum ante determinationem suæ volũtatis, necesse est, vt determinate cognoscat, in quam partem quæq; volũtas creata in hac, vel illa occasione se determinatura sit.

Occurritur obiectioni.

Quod si quis velit, de obiecto incerto, & ineuidenti posse haberi à Deo certam, & euidentem cognitionem, idque ea ratione, quia certitudo, & euidentia diuinæ cognitionis non pendet ex certitudine, & euidentia obiecti secundarii, qualia sunt omnia obiecta extra Deum: ergo non esse necesse, vt cognitio diuina certa, & euidens sit de obiecto certo, & euidenti: dicendum est, id quidem nostræ sententiæ magis fauere, cum hoc modo semper cognitio diuina ponatur certa, & euidens, etiamsi obiectum sit incertum, & ineuidens; sed tamen id nec verum esse, nec recte probari. Nam, etsi certitudo & euidentia diuinæ cognitionis non pendent ex obiectis secundariis, tamen vtramque exigunt in obiecto: nullo enim modo fieri potest, vt certa & euidens sit cognitio, nisi etiam obiectũ eo modo, quo illi obiicitur, sit certum, & euidens vel simpliciter, vel ex suppositione, vt initio diximus.

Diuinam cognitionem exigere certitudinem, & euidentiam in obiecto, licet ab eo non dependeat.

c.1.q.1.sect.3.

Patrum sententiis & scriptura testimoniis ostenditur propositaveritas.

Sexto loco probari potest eadem assertio ex communi Patrum sententia, & sacrarum literarum testimoniis, vt ea illi interpretantur. Namque in primis Augustinus partim agens de contingentibus pure conditionatis, partim de absolutis in statu conditionato plane ait in libro de corruptione, & gratia exponens illud Sapientiæ 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, &c.* non nisi peruersissime, atq; insanissime dici vel Deum nõ potuisse bonos de medio vitæ cursu rapere, ne ma-

Cap.8.

ne mali fierent; vel mala eorum futura, si diu A viuerent, non præsciuisse. Ecce præscientiam contingentium pure conditionatorum; re enim vera ea mala non erant futura. Quod idem docet in libro de gratia, & libero arbitrio, & aliis plerisque locis, in quibus etiam pœnitentiam Tyriorum & Sidoniorũ, quæ futura non erat, sed futura fuisset, si Christus Dominus apud eos prædicasset, (*vt patet apud Matthæum capite vndecimo, & apud Lucam capite decimo*) certo præscitam, non probabiliter B tantum fuisse affirmat. De præscientia vero absolutorum contingentium in statu conditionato perspicue ait in secundo de Nuptiis, & concupiscentiis, *Deum non ideo Dæmonem creare voluisse, quia malũ esse præsciuit*: quo loco priorem in Deo consideratione nostra fuisse docet præscientiam peccati futuri, quam voluntatem creandi. In quo eodem sensu intelligenda sunt, quæ scribit contra Cresconium, cum ait, Christum Dominum non solum iis C prædicasse, (*subaudiendum enim est, atq; adeo prædicare voluisse*, quos credituros esse præsciebat, sed etiã iis, quos nouerat repugnaturos. Vbi simpliciter præscientia præcedit consideratione nostra prædicandi voluntatem Christi Domini. Infinita pene sunt loca, in quibus vtramque conditionatam præscientiam de liberis actibus futuris non solum Augustinus, sed etiam alii Patres asserunt, quę non opus est hoc loco referre: vsq; adeo res in to- D ta antiquitate perspicua erat, magisque comperta nunc fuisset, si veteres Scholastici eorum dicta attentius perpendissent, & ad propositam quæstionem expressius applicassent. Nec solum vtraque præscientia plane astruitur à Patribus, sed eam præcedere omne diuinæ voluntatis decretum perspicue traditur: idque non solum explicandis prædictis scripturæ locis cum Sapientiæ de raptis ante expletam vitæ periodũ, tum Matthæi, & Lucæ E de Tyriis & Sidoniis; sed etiam aliis cõpluribus, qualis est Deuteronomii septimo, cum dicitur, *Quia seducet filium tuum*: & primo Regum vigesimotertio de Ceilitis, à quibus tradendus erat Dauid, & tertio Regum vndecimo, vbi est illud, *Certissime enim auertent corda vestra*: & Ioannis quinto, cum Dominus dicit, *Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*: & eiusdem Euangelistæ 6. cum ait, *Quia venturi erant, vt raperent eum, & facerent eum Re-* F *gem*. Itaq; Patres sic hos, & alios locos similes exponunt, vt neutram conditionalem præscientiam in Deo coniecturalem prænotionem esse velint; sed certam, infallibilem, & euidentem: vt mirum sit non deesse ex recentioribus, qui conentur eius certitudinem, & euidentiam eleuare; tam multorumque, ac

Cap. 23. & l. 1. ad Simp. q. 2. & l. 2. de bono perseuerant. ca. 9. & 10.

Cap. 16.

Lib. 1. c. 8.

Vt Gregor. l. 8. sua Ph l. c. v. . & in l. d. in, qui prematuri abripiũtur. Cyril. l. 3. cont. Iul. Amb. de Parad. c. 9 Hier. l. 3. contra Pelag. Gregor. Naz. orat. 2. de Pascha, & alij. Vide etiam eos, qui citãtur sect. seq. quod negent particulam, Forte & similes sonare in scriptura sacra dubitationem.

tantorum Patrum sententiam, & sacræ paginæ interpretationem ad solam coniecturam, & sagacitatem quandam diuinæ cognitionis futurorum traducere, quam vel Ciceronis impia temeritas non negaret, sed & hæc omnia argumentorum solutione magis explicabuntur, & confirmabuntur.

Is enim in li. de Diuinat. Deum fecit futurorum, ignarum.

Hanc vero sententiam, quæ omnibus certa, & indubitata esse debet, non confirmamus ex Scholasticorum tractatibus, non solum, quia expresse quæstionem hanc non discusserũt; sed etiam, quia ex inferius dicendis patebit, quam sæpe eam obiter attactam, aut suppositam probauerint.

Soluuntur oppositæ partis argumenta, simulque discutitur, an Deus liberam suam voluntatis determinationem certo prœcognouerit.

SECTIO X.

PRo solutione igitur primi oppositæ partis argumenti aduertendum est enuntiationes, quas hoc loco conditionatas appellauimus, non esse ex iis, quæ vulgo apud Dialecticos in quotidianis disputationibus vsurpantur; sed esse quoddam genus innominatarum, quarum veritas non pendet ex cõsequutione seu necessaria, seu probabili, vt priorum illarum, sed ex successu, qui tandem aliquis futurus est, aut esset data certa occasione, aut circumstantiarum coniunctione. His enim spectatis, etsi intellectus creatus non potest esse certus, in quam partem inclinabit voluntas: tamen intellectus diuinus, in cuius rationibus æternis omnis veritas rei, quę futura est, aut esset, aut fuisset positis his, aut illis circumstantiis, certissime repræsentatur, certissime quoque intelligit, quid futurum sit, aut esset, aut fuisset. Estque simile hoc genus enuntiationum iis, quæ promissoriæ dicuntur; (*vt recte quidam animaduertunt*) ea tamen ex parte, qua ex successu, non ex consequutione veritas ipsarum pendet, vt si quis dicat, Si hoc feceris, faciam hoc, aut illud: etenim qualis erit successus adimpletæ promissionis, aut non adimpletæ talis erit veritas, aut falsitas annuntiationis promissoriæ.

Quæ hoc loco enuntiationes conditionata appellentur.

Non desunt ex recentioribus, qui dicant, vt conditionales etiam hæ, de quibus in præsentia loquimur, sint veræ, opus esse, vt pars consequens ratione rei significatæ cohæreat cum parte antecedente; alioquin, si disparatum aliquid significauerit, semper tota conditio-

An in conditionatis partes inter se cohærere debeant.

ditionalē forte falsam: vt si quis dicat, Si cras equitauero, tonabit, aut (*vt clarius apparere videtur falsitas*) de præterito dicat, Si heri equitaui, tonuit. Sed non omnino recte sentiunt, si nomine cohærentiæ consequentiam vllam intelligant. Nam quamvis ratione consequentiæ vel necessariæ, vel probabilis posterioris partis ex priori, quæ in hoc enuntiationum genere non necessario spectanda est, id requiratur: tamen si habeatur ratio solius euentus, siue successus, qui solus distinguit has conditionales ab iis, quibus frequenter Dialectici vtuntur, quique demum in alteram partem infallibiliter futurus est, aut iam forte fuit; certe etiamsi posterior pars disparatum aliquid, siue inconsequens significet respectu prioris, (*imo quantumcunque partes pro ratione rerum significatarum nullo inter se ordine, causalitateue cohæreant*) poterunt totæ conditionales esse determinate veræ, aut determinate falsæ, vt in propositis exemplis videre licet, si ita explicentur, ac si sensum habeant harum enuntiationum temporalium, Cum cras equitauero tonabit: Cum heri equitaui, tonuit, seclusa nimirum ratione omni consequutionis, & retenta sola ratione eiusdem temporis, in quo vtrique illi euentus de futuro, ac præterito concurrant, aut non. Nam si futurum re vera est, vt cum cras equitauero, tonet, aut iam fortasse contigit, vt me heri equitante tonuerit, veræ profecto erunt illæ conditionales prædicto modo explicatæ: sin autem secus accidat, falsæ. Nec mirum est, quod interdum propositiones conditionales per temporales exponantur, cum & ipsæ temporales ad conditionales in Dialectica reuocari soleant.

l.3. Inst. Dialect. c.15.

Ad quid conducat connexio consequutiua rerum significatarum in conditionalibus propositioni

Itaque connexio consequutiua rerum ad necessitatem quidem, aut probabilitatem propositionum conditionalium facere potest: ad certam vero, & infallibilem earum veritatem, quæ necessaria non sit, est omnino impertinens, satisque ad eam est concursus obiectorum vtriusq; partis enuntiationis in aliquod tertiū, vt in designatum tempus veluti diei crastini, aut hesterni, vt dictum est: vel in veritatem promissionis infallibilis, cuiusmodi est diuina: aut certitudinem diuini oraculi, quantumcunque obiecta ipsa disparata inter se, & nullo modo vnum ex altero consequens, significentur euentura, aut quæ euentura essent, vel fuissent cum his, aut illis circumstantiis, &c. Sic enim verum fuit, quod dixit Elias Elisæo, *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petisti*, nempe duplex spiritus magistri: vbi sola infallibilis veritas promissionis diuinæ obiecta illa disparata coniunxit. Et illud, quod Elisæus dixit Ioæ Regi, *Si percussisses* (iaculo videlicet terram) *quinquies, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad consummationem*. Quo etiam in exemplo sola diuini oraculi certitudo obiecta adeo discrepantia connexuit.

4. Reg. 2.

4. Reg. 3.

Argumenta soluuntur.

Ad primum igitur argumentum patet solutio: nec enim in conditionalibus, quarum veritas ex solo successu pendet, cuiusmodi sunt eæ, de quibus argumentum procedit, verum est illud, quod ex Dialecticorum documentis afferebatur. Porro ex dictis intelliges coniunctionem, Si in iisdem conditionalib. non significare connexionem illatiuam consequentis ex antecedente, sed solum obiectiuam, qua nimirum res ipsæ significatæ, quæ in illis continentur, simul forte coincidant vel in idem tempus, vel aliqua alia certa ratione.

Ad secundum dicendum, etsi quibuscunque circumstantiis positis semper voluntas libera relinquitur, re tamen vera semper eam in qualibet occasione aliquid amplecti, aut reiicere, aut certe ab omni actu se cohibere: quod qualecunque sit, Deum latere non potest.

Scientiam conditionatam nihil diuinæ libertati derogare.

Ad tertium dicendum est, Deum scientia sua conditionata non solum ante omne decretum suæ voluntatis, sed etiam antequam sciret, quid decreturus esset circa creaturas, certo sciuisse, quid quæque voluntas creata in hac, vel illa occasione esset factura, vt ostensum est: nec tamen inde sequi huiusmodi scientiam illi quicquam libertatis ademisse ad volendum, aut permittendum oppositum eius, quod voluntas creata facit. Sciuit enim etiam certo, illam, si in quibusdam aliis occasionibus poneretur, oppositum esse facturam, at postquam per scientiam conditionatam intellexit, quid illa in his, vel illis circumstantiis collocata factura esset, idque absoluta voluntate fieri, aut permittere voluit, iam repugnaret hypothesi oppositum velle fieri, aut permittere: alioqui in Dei voluntate mutatio admitteretur.

An Deus in priori considerationis signo nouerit; quid in posteriori esset libere decreturus.

Quartum argumentum eam ingerit dubitationem, num quemadmodum dicimus Deum certo scire, quid quæque creata voluntas in qualibet occasione sit electura, facturaque, ita admittamus illum ab omni æternitate in illa quasi deliberatione operandi ad extra, quam fecit, antequam more considerandi nostro quicquam facere decerneret, certo sciuisse, quid voliturus ipse in posteriori considerationis signo, quidque in tempore facturus esset, in qualibet occasione ex iis omnibus, quas iam tum mente concipiebat? Sunt enim, qui illud concipiunt:

Rationes pro parte negatiua.

dant; hoc vero in primis propterea negent, quod libertatem diuinam videatur lædere, non modo in creatione mundi, aliisque actionibus transeuntibus, sed etiam in ipso interno actu eligendi prædestinatos, & aliis huius generis immanentibus. Si enim Deus ante omnem liberum suæ voluntatis actum circa creaturas certo sciuit, quid in posteriori considerationis signo circa illas voliturus erat, aut transeunte actione facturus: ergo non libere, sed necessario videtur voluisse, quicquid voluit, & fecisse, quicquid fecit, & facere, quicquid facit, & facturus quicquid faciet: quandoquidem non aliud velle, aut facere potuit, aut potest, quam quod certo sciebat se voliturum, facturumque: alioqui posset scientiam suam fallacem reddere.

Præterea, cum scientia diuina, quæ more considerandi nostro omnem actum liberum diuinæ voluntatis præcedit, dicatur naturalis & necessaria, vt Theologi tradunt, si Deus id certo sciuisset, quod voliturus circa creaturas, facturusque erat, non dubium foret, quin naturaliter, & necessario vellet, ac faceret, quicquid circa eas & vult & facit: alioqui ea scientia non esset certa. Postremo, cū ea ratione sola videatur Deus certo scire, in quam partem flectendæ sunt creatæ voluntates, quia eius scientia infinito excessu superat quodlibet scibile creatum, ac proinde quamlibet creatam voluntatem; certe cum diuina scientia nullo excessu superet vllum scibile diuinum, ac proinde nec diuinam voluntatem; sed scientia, & voluntas diuina sint infinitæ, & omnino adæquatæ inter se; non potuit Deus certo scire, quid ipse in posteriori considerationis signo voliturus esset, & in tempore accommodate ad eam voluntatem facturus: sed opus fuit, vt prius nostro considerandi modo vellet facere hoc, vel illud, quam certo sciret se id facturum.

Affirmatiua pars amplectenda.

Non video tamen, cur Deus non eodem modo certo sciuerit, quid ipse voliturus, & facturus erat in qualibet sibi oblata occasione, quo certo sciuit, quid creatæ voluntates erant in singulis opportunitatibus volituræ, atq; facturæ. Nam quemadmodum diuina voluntas libera est respectu cuiuscunque occasionis; ita in suo gradu voluntas creata, vt vel de vtraque diuinus intellectus scire potuerit, quid in vnaquaque occasione volituræ essent, vel de neutra: nisi quod facilius quodammodo videtur Deus scire potuisse, quid ipse voliturus esset, facturusq; in hac, vel illa occasione, quam quid voluntas creata: nos enim facilius scimus, quid futurum sit, vt ipsi velimus in hac, vel illa opportunitate, aut faciamus, quam quid alii. Itaque ratio, cur Deus non minus suam, quam creatam voluntatem ita penetret, vt certo sciat, quid vtraque in qualibet occasione amplectetur, aut reiiciet, eadē est vtrobique: nempe quia intellectus diuinus, cum infinitæ scientiæ sit, certo & euidenter cognoscit omne verum: non dubium est autem, quin omnis voluntas, seu creata, seu increata, in singulis occasionibus se ad alterum oppositorum determinet, quod vtiq; ante omnem actum liberum diuinæ voluntatis intellectui diuino repræsentatur. Quo fit, vt ante omnem huiusmodi actum voluntatis diuinæ certo sciri ab eo possit, quid vtraque volitura sit: scientia quidem absoluta, antequam nostro intelligendi modo is actus voluntatis eliciatur, sed non antequam eliciendus intelligatur; scientia vero conditionata, ante vtrumque, eo quod ipsa sit prima cuiusque euentus cōtingentis, seu non necessarii cognitio.

Cur Deus certo nouerit in quam partem inclinatura sit, vel esset qualibet voluntas.

Accedit hæc ratio ex effectu. Deus antequam more considerandi nostro eliceret absolutum suæ voluntatis actum circa creaturas, cognouit certo & euidenter, quid vnaquæque voluntas creanda in hac, vel illa occasione electura, aut reiectura esset, si in ea poneretur, vt probatum est: voluntas autem creata nihil velle potest, aut reiicere, nisi volente, aut permittente Deo, vt constat: ergo, quemadmodum Deus ante actum absolutū suæ voluntatis id conditionate cognouit ab æterno de voluntatib. creandis, ita & de sua ipsius voluntate.

Soluuntur rationes partis negatiuæ.

Nec vero prima ratio oppositæ sententiæ vllam vim habet. Nam, etsi Deus certo sciens se creaturum mundum non potuit illum in sensu composito non creare; potuit tamen in diuiso: eodemque modo, etsi sciens se electurum hos prædestinatos, non potuit in sensu composito illos non eligere; potuit tamen in diuiso: at libertas non tollitur, si quid fieri nequeat in sensu composito repugnantium sententiarum; sed si absolute, & in diuiso. Quod vt luculentius intelligas, aduerte, cum sic argumentamur, [*Christus Dominus sciebat Petrum peccaturum: ergo Petrus non potuit non peccare*,] addimusque consequutionem esse aptam in sensu: composito, non item in diuiso; non sic in ea esse intelligendum sensum compositum, quasi scientia Christi Domini aliquam ademisset Petro potestatem non peccandi. Æque enim ille integram habebat potestatem ad peccandū, & non peccandum, atque si Christus illum peccaturum non præsciuisset, alioqui Petrus negando Christum non peccasset, quia iam propter Christi Domini scientiā non haberet:

Necessitas consecutionis in sensu composito non tollit libertatem.

beret potestatem non peccandi. Sed sic intelligendus est in ea sensus compositus, vt hæc duo pronuntiata tunc dicerentur simul vera [*Christus Dominus scit Petrum peccaturum*] & [*Petrus non peccabit:*] neque enim hæc duo simul cohærere tunc poterant propter certitudinem scientiæ Christi Domini, vt patet. Sic ergo dicendum est rem se habuisse in creatione mundi, & electione prædestinatorum. Nam etsi hæc duo cohærere non poterāt [*Deus certo scit se creaturum mundum*] & , *Deus non creabit mundum* :] tamen vtrumque horum per se verum esse poterat, quia certa Dei scientia nihil ei adimebat potestatis ad illum creandum, & non creandum. Nam & id certo scire poterat, quia poterat facere : & poterat non scire se facturum, quia poterat non facere: vnde quemadmodum id actu sciebat, quia actu erat facturus: ita, si non esset facturus, neque etiam se facturum sciret: idemque dicendum est de actu volendi facere, qui est immanens, quod de actu faciēdi, qui est transiens. Quod item in electione prædestinatorum obseruandum esse facile intelliges. Hoc solum addendum hic est, cum hoc genus scientiæ diuinæ pendeat nostro intelligendi modo ab actibus diuinæ voluntatis quasi futuris, semper argumentationem esse à priori, cum argumentamur ab actibus voluntatis ad actus huiusmodi scientiæ: à posteriori autem, cum contra facimus. Quo pacto si dicamus [*Deus erat creaturus mundum : ergo sciebat se illum creaturum*] argumentatio erat à priori: si vero contra [*Sciebat se creaturum : ergo creaturus erat*] argumentatio erit à posteriori: & similiter si dicamus [*Erat electurus Paulum: ergo sciebat se illum electurum*] argumentabimur à priori: sin autem dicamus [*Sciebat se illum electurum: ergo electurus erat*] procedemus à posteriori.

Quæ argumentationes sint à priori hac in re.

Neq; item altera ratio quicquam efficit: nam, cum Theologi asserunt scientiam diuinam, quæ omnem actū liberum diuinæ voluntatis more considerandi nostro præcedit esse naturalem, & necessariam, intelligendū id est de scientia, quæ & naturalis est, & omni ex parte necessaria, seu necessaria simpliciter, non de ea, quæ aliqua tantū ex parte necessaria est, cuiusmodi est hæc conditionata scientia, vt ex supra dictis patet.

An Deus semper occasione aliqua supposita nouerit, in quā partem sua se determi-

Sed quæret aliquis, num, quemadmodum Deus supposita semper aliqua occasione, quæ nostræ voluntati se offerat, scit, quam in partem illa se determinabit: sic etiam cogitare oporteat de diuina voluntate, vt semper occasione aliqua supposita intellexerit Deus quam in partem se eius voluntas determinatura esset, vt libere aliquid vellet, aut nollet? Dico autem [*aut nouet*] non autem [*aut non vellet*] quia in Deo non datur purum non velle, siue suspensio actus voluntatis circa vllum obiectum, quemadmodum datur in voluntatib. creatis: sed circa omnia extra se habuit ab æterno positiuum actum volendi, aut nolendi, vt alibi patebit.

Erunt fortasse, qui dicant non esse necesse vt semper cōsideremus occasionem aliquam qua posita Deus nouerit, quam in partem ipsius voluntas se determinatura esset, veluti circa mundi creationē. Nihil enim eam præcesserat, quod Deo occasio esse potuerit creandi mundum, ac proinde volendi illum creare: nisi quis dicat eius bonitatem, aliud ve attributum in ea inclusum, veluti eius liberalitatem, aut magnificentiam ei occasionē fuisse, vt se extra se communicare vellet. Sed cum aliud sit causa, aliud occasio: bonitas autem diuina non proprie dicatur occasio, sed vera causa, propter quam se Deus extra se communicauit, & communicaturus est, potius dicendum videtur, etiam in Deo semper nostro considerandi modo supponendā esse aliquam occasionem, qua obiecta diuino intellectui, & voluntati, nouit ipse, vtram in partem se diuina ipsius voluntas determinatura esset: occasio enim (si proprie loquendum est) significat externarum circumstantiarum aggregationem, vt actio aliqua exerceatur. Et quanquam occasionis nomen sæpius vsurpatur pro sola commoda circumstantiarū coniunctione, vnde est illud Poetę *Post hac occasio calua*, & Arripere occasionem, de sola commoda intelligitur, quę etiam opportunitas appellatur: tamen generaliter & pro commoda & pro incommoda sæpe sumitur: quo fit, vt aliquando dicamus cōmodam occasionem nos inuenisse, aliquando in incommodum incidisse.

Pars affirmatiua vera.

Quid sit occasio.

Quapropter aduertendum est, omnem occasionem duas circumstantias necessario complecti, nempe loci, & temporis: omnis enim actio, etiam diuina, ac proinde omnis agendi voluntas locum, & tempus agendi postulant, quia nihil omnino fieri potest, nisi in loco certo, & certo tempore, aut momento, aliave duratione, cui certum tempus, certūve momētum coexistat: modo nomine loci, & temporis intelligatur aut verus locus, verumque tempus, quo esse cœperunt in creatione mundi: aut imaginarius locus, & imaginarium tempus, quæ duo sunt spatia illa, extensiuum nimirum, & successiuum, quæ libro quinto diximus esse necessaria simpliciter, & suo modo ab æterno extitisse. Præter has autem circumstantias, quas omnis agendi

c.13.q.7.sect.1.&q.11.sect.2.

gendi occasio, cum minimum, complectitur, sæpe iunguntur aliæ complures, vt præsentia, siue assistentia harum, vel illarum personarũ, beneficij, aut iniuriæ acceptæ commemoratio, & aliæ huiusmodi commoditates, aut incommoditates aliquid faciendi.

Probatur proxima solutio.

Cum igitur omnis libera Dei seu volitio, seu nolitio, terminetur ad rem aliquam ad extra, (*vt vocant*) cui Deus aliquod esse communicare velit, aut nolit (*nam circa ea, quæ dicuntur ad intra, nullus actus diuinus est liber, sed necessarius, seu naturalis*) nullæ autem res ad extra possint accipere vllum verum esse, nisi in loco aliquo, & tempore: sequitur Deum prius consideratione nostra conspexisse infinita temporum, & locorum spatia, in quibus rebus possibilibus huiusmodi esse communicare posset, quam illud absolute communicare vellet, aut nollet: (*is enim conspectus est necessarius, hæc autem volitio, aut nolitio libera*) & ex consequenti ipsa loca & tempora conspecta ei occasionem fuisse quasi deliberandi, quo loco, & quo tempore rem quamque facturus esset, si ei tale aliquod esse communicare vellet. Vnde perspicuum relinquitur intellectum diuinum, quem non latebat determinatio quasi futura diuinæ voluntatis, non nisi supposita prædicta occasione, eam determinationem nostro intelligendi modo præsciuisse: veluti se conditurum mundum in hac ipsa parte spatij extensiui, & in illo ipso momento spatij successiui, in quo re vera illum erat conditurus.

Quod si hæc prima (*vt ita dicam*) libera Dei volitio præcognita fuit à Deo supposita vera, & propria occasione, antequam more considerandi nostro eliceretur, non dubium, quin de cæteris idem dicendum sit, nullam videlicet esse, quæ non aliqua supposita occasione præcognita fuerit, antequam quasi eliceretur: veluti suppositis realibus locis, & temporibus, quæ cum mundo esse cœperunt, & alijs circumstantijs, quæ illis adiungendæ diuino intellectui se ab æterno obtulerunt: qualis fuit circumstantia miseriæ, in quam futurum erat, vt genus humanum per peccatum primorum parentum incideret, qua conspecta Verbum diuinum voluit eius reparandi causa humanam naturam in statu passibili assumere: & circumstantia desolationis viduæ illius, quæ egressura erat extra portam ciuitatis Naini, qua ab æterno eidem oblata decreuit eius filium à mortuis excitare: & aliæ infinitæ, quæ circumstantijs realium locorum, & temporum additæ sunt, & in posterum addentur. Itaque quemadmodum liberi actus, non solum creatarum volun-

A tatum, sed etiam increatæ, ex eo probantur esse liberi, quia non respectu diuersarum occasionum, sed vnius, & eiusdem possunt indifferenter se habere ad opposita, vt patebit libro nono, ita semper supposita eadem occasione (*saltem loci, & temporis*) prius consideratione nostra sciuntur à Deo actus liberi eliciendi à creatis voluntatibus in illa, aut quasi eliciendi ab increata circa illam, quam eliciantur, aut quasi eliciantur: eademque ratione

B eliciendos esse, aut fuisse à creatis, si in ea ponerentur, aut positæ fuissent: & similiter ab increata quasi eliciendos esse, aut fuisse, si se illi in eadem occasione aliæ circumstantiæ offerrent, aut obtulissent.

Demum nec tertia ratio quicquam efficit. Nam quod Deus certo sciat, in quam partem quæque voluntas in singulis occasionibus inclinatura sit, non ad infinitum excessum scientiæ supra voluntatem, sed ad eius infinita-

C tem in se ipsa referendum est: etiamsi voluntas infinita, vt est scibile infinitum, non excedatur à scientia infinita: satis enim est infinita perfectio scientiæ diuinæ, vt omnes modos sciendi, omniaque quocunque modo scibilia comprehendat: qualia sunt omnia vera, quocunque tandem modo sint vera.

Ad vltimum vero principale argumentum non desunt, qui eo pacto conditionatorum contingentium præscientiam admit-

Och. in 1. dist. 39. q. vnic. Gabr. ar. 3. Greg. q. 1. ar. 2.

D tant, vt rem ipsam fateantur: sed tamen rationem, & modum, quo ea detur, cognosci in hac vita non posse existiment: habereque videntur pro se patronum August. qui in lib. de bono perseuer. sic ait: *Nunquid ideo negandum est, quod apertum est: quia comprehendi non potest, quod occultum est?* Et in Psalm. 49. *Apud quem summa potestas est, summa & secreta cognitio: & tribuamus hoc Deo laudantes Deum: non audeamus dicere, Quomodo nouit Deus. Ne*

cap. 14.

E *forte hoc à me fratres expectetis, vt explicem vobis, quomodo cognoscat Deus: hoc solum dico, Non sic cognoscit, vt homo: non sic cognoscit, vt Angelus: & quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam & scire non possum.* Verum quia enitendum esse diximus, vt rationem aliquam inueniremus, qua res explicaretur: eaque nobis visa est potissima, si in ratione omnis veri cognoscendi, & ideatum omnimoda expressione positam esse diceremus:

F respondendum est, in ijs, quæ vera sunt, dari gradus, vt alia sint alijs veriora. Proinde etsi ea, quæ nunquam erunt, minus participent rationem veri, quam quæ aliquando futura sunt: tamen quatenus in his, vel illis occasionibus essent, aut fuissent, aliquam veri rationem, quemadmodũ & entis, habere, vt suo modo sub certam Dei cogni-

Futura pure conditionata aliquã entis, & veri rationem habent.

R tionem

tionem cadant, nempe pure conditionatam quæ cognitio præscientia quoque eorum appellari potest, quatenus in hac, vel illa occasione essent, vel fuissent.

Quo sensu negent Patres pure conditionata cadere sub præscientiam diuinam.

Ad id autem, quod ex Patribus objicitur, sæpe ab eis dici, ea, quæ non sunt, neque vnquam fuerunt, nec futura sunt, sub præscientiam cadere non potuisse, respondendum est, id apud eos aliquando intelligendum esse de præscientia simpliciter dicta, quæ est sola præscientia vere futurorum, non eorum, quæ essent, vel fuissent futura, si hoc aut illud esset, aut fuisset, vt superius diximus: aliquando autem de præscientia eorum, pro quibus præmium, aut pœna debeatur. Hac enim præscientiæ significatione vsi sunt sæpe Augustinus, Prosper, & alij nonnulli contra Massilienses, qui dicebant, propterea quosdam infantes allecutos beatitudinem, quod Deus præsciuisset eos, si vixissent, gratia baptismi bene vsuros fuisse; alios contra exclusos a regno cœlorum, quod Deus præsciuisset, si vixissent, fore, vt illi extra Dei gratiam vitam finirent. Itaque non negant Deum præsciuisse, quid cuique euenturum fuisset, si vixisset; quidque in his, aut illis occasionibus eorum quisque facturus fuisset: sed solum negant, eam præscientiam satis esse potuisse, vt pro ijs, quæ nunquam facturi erant, alij bearentur, alij à regno cœlorum excluderentur: de qua præscientia erat Catholicorum cum Pelagianis, & Semipelagianis Massiliensibus contentio.

Sect. 2.

Tum alibi, tum latius in argumento citatis.

Particulam [Forte] & similes quam vim habeant in Scripturis.

Ad id denique, quod ex diuinis scripturis objicitur, dicendum particulam [*Forte*] & alias similes non significare ijs locis vllam in diuino, aut etiam humano Christi intellectu dubitationem, incertitudinem, aut ineuidentiam: quod communi consensu Patres omnes affirmant, & Scholastici Doctores in tertio sententiarum distinct. 14. & 17. cum de scientia animæ Christi agunt, ex instituto ostendunt. Etsi enim Deus in sacris literis more nostro loquitur, non tamen more nostro intelligit: proinde non raro vtitur verbis dubitationem, incertitudinem, & ineuidentiam aliquam ex vsu nostro importantibus, vt significet, ea quæ dicuntur, non sic esse intelligenda, quasi certitudo diuinorum oraculorum nostri arbitrij libertatem impediat, quod semper ex se indifferens est ad opposita: atque hæc est communis † Patrum expositio. Vnde neque illud Domini ad Moysem, *Si non audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis*, & quæ sequuntur, vllam incertitudinem cognitionis Dei continent, qui omnia, quæ in ea re futura erant, certa & euidenti cognitione præsciebat; sed futuram libertatem gentis Israeliticæ in adhibenda fide ijs, quæ a Moyse referenda erant, significabant.

† Ita Hieron. in Ezech. 2. & Hierem. 5. & 26. iisdem locis Theodor. D. Amb. lib. 2. de pœnitent. cap. 5. D. Greg. hom. 9. in Ezech. Chrysost. super Matt. homil. 78. Aug. Psal. 2. & sup. Ioan. tract. 37. Euseb. lib. 6. de Præp. Euang. cap. 9.

A

Quod si quis objiciat, sæpe D. Thomam, & alios Theologos asserere, Deum non cognoscere certo futura contingentia in suis causis: ergo probabili tantum, & opinatiua cognitione: quandoquidem non dubium videtur, quin ea modo aliquo in eorum causis cognoscat: † neganda est consequentia. Nam

D. Th. 1. p. q. 14. ar. 13. Ferrar. 1. contra Gent. c. 66. & 67. Capr. in 1. d. 38. q. 1. & d. 38. q. 1. ar. 2. Marsil. q. 40. ar. 2.

† Quomodo Deus cognoscat in suis causis futura.

B cognitio diuina non sistit in causa euentus contingentis, dum adhuc temporis, aut naturæ ordine indifferens est ad opposita, nec magis eo pacto sumpta ad vnum, quam ad alterum determinate propendet: vnde sic accepta causa sæpe ne probabilem quidem cuiusquam effectus cognitionem parit. Quod autem addita vna, aut pluribus circumstantijs coniecturam aliquam in nobis alicuius effectus facere potest, non habet locum in in-

C tellectu diuino, qui cum omnem veritatem futuram certa, & euidenti cognitione perspiciat, non eam ex circumstantijs (*etiam omnibus simul*) more nostro colligit; sed in æterna repræsentatione ipsius futuri successus, aut qui futurus esset, aut fuisset, infinita diuinæ scientiæ altitudine, & perfectione cognoscit. Itaque scit Deus certo & euidenter, quænam in se probabilia, & opinabilia sint, quemadmodum & quæ incerta, & ineuidentia, atque

D etiam dubia; & quæ nobis sint talia: ac demum, ex quibus causis, aut effectis, aut circumstantijs, & opportunitatibus ea sint talia: sed ipse tamen nihil probabiliter cognoscit, aut opinatur, &c. quia non sistit in ipsis causis, aut circumstantijs, sed ad ipsum successum penetrat: vnde fit, vt nulla omnino sit consequentia hæc, Non ea cognoscit certa, & euidenti notitia in earum causis, aut circumstantijs: (*quod libenter damus*) ergo cognoscit ea

E incerta, aut ineuidenti notitia.

Præscientiam diuinam nullam futuris euentibus necessitatem imponere.

SECTIO XI.

Resolutio initio propositæ quæst.

EX ijs, quæ hactenus in hac quæstione disputata sunt, plane colligitur eius resolutio, nempe diuinam præscientiam nullam futuris euentibus necessitatem impo-

F nere, hoc est, non esse in causa, vt illi necessario eueniant. Quod vt ostendatur, remouenda sunt ab hac consideratione contingentia pure conditionata: nam cum hæc nunquam futura sint, aut fuerint, sed tantum essent, aut fuissent, si hoc aut illud esset, aut fuisset, nihil vtilitatis afferret, si disquiramus, essent ne illa, aut fuissent necessario futura, quia certa:

certa notitia cognoscantur à Deo futura esse, aut fuisse, si hoc aut illud esset, aut fuisset: præsertim cum & hoc ex ijs, quæ de contingentibus absolutis dicentur, facile intelligi possit.

Diuinam præscient. quocunq; modo sumatur imponere futuris rebus necessitatem consequentiæ non consequentis. Sect. 2.

Quod igitur diuina præscientia nullam necessitatem futuris euētibus imponat, hunc in modum colligi potest. Si nomine diuinæ præscientiæ intelligatur cognitio intuitiua rerum, quatenus coexistunt æternæ Dei cognitioni, quam non proprie futurorum præscientiam esse diximus, sed præsentium intuitum, vt Patres loquuntur: cum is intuitus pure speculatiuus sit, & futurarum nobis rerum existentiam in sua ipsius mente à illi realiter obiectam supponat: perspicuum est huiusmodi rerum præscientiam nullam eis necessitatem afferre posse; nisi consequentiæ. Neque enim propterea Socrates necessario sedet, quia aliquis eum certo, & euidenter sedere videt: licet hæc consequentia sit necessaria [*Plato videt Socratem sedere, ergo Socrates sedet*] qui tamen contingenter, seu libere sedet. Atque in hac conclusione, rationeque nulla est controuersia in sententia Patrum, quam sequimur, de intuitiua cognitione rerum nobis futurarum, quam in Deo ab æterno ponunt.

Si vero præscientia sumatur pro cognitione absolutorum contingentium, vt futura sunt, & more considerandi nostro nondum præsentia diuino conspectui suis actualibus existentijs, siue ea in statu absoluto sumantur, siue in conditionato, etsi illa vtroque modo eis affert necessitatem consequentiæ, vt dictum est de intuitiua Dei cognitione præsentium sibi omnium ab æterno rerum: neutro tamen modo illis imponit necessitatem consequentis, vt nimirum ipsa in se spectata propterea necessario eueniant, quia sic præsciuntur fore.

Prior pars huius conclusionis, quæ admittit necessitatem consequentiæ, perspicua est: quia perinde necessario colligitur certus euentus futurus ex certa prænotione abstractiua futurorum, vt futura sunt, atque certus euentus præsens ex certa eius intuitiua cognitione, vt perspicuum est.

Diuinā præscient. non esse causam cōtingentium absolutè futurorum.

Posterior pars, quæ loquitur de necessitate consequentis, ex eo primum probatur, quia contingentia futura si in statu absoluto sumantur non causantur à diuina præscientia: quod si ab ea non causantur, ergo nec necessario causantur, vt patet. Antecedens ex eo ostenditur, quia contingentia futura non propterea futura sunt, quia præsciuntur fore: sed ideo præsciuntur fore, quia sunt futura, vt Patres communi consensu docent.

Vt Iustin. in ar. ad q. 18. Gentilium, Orig. in epist. ad Rom. 8. Theod. ibid. Chrys. hom. 60. supra Matth. Cyrill. lib. 9. super Ioan. c. 10. Damasc. in Dial. contra Manich. Hier. Ezech. 2. Aug. lib. 5. de ciuit. c. 10. Leo Magnus serm. 16. Beda to. 8. q. 3. Ansel. de concord. prædest. & c. cap. 1. Hugo Vict. lib. 1. de sacr. p. 2. c. 18. & alij passim.

A Ratio vero huius rei est, quia eorum esse pendet ab arte diuina, diuinaque voluntate, quæ complet rationem primæ causæ efficientis rerum omnium: & à suis etiam particularibus causis, si quas habent infra diuinam voluntatem: quæ causæ, cum sufficientes sint, vt illa eueniant, nulla alia ad eorum esse requiritur: vnde, si ad eorum esse concurrant, euenient: si non concurrant, non euenient. Quin etiam, etsi per impossibile, nulla esset
B in Deo contingentium futurorum præscientia, modo in eo esset ars, & voluntas, qua determinaretur ars, & applicaretur ad effectum, adhuc illa esse possent: quo pacto multa à nobis contingenter, seu non necessario fiunt, quorum nos, antequam fiant, nullam certam prænotionem habemus: at si contingentia non essent futura, nulla eorum neque apud nos, neque apud Deum foret absoluta præscientia, vt est luce clarius. Ita pa-
C tet, diuinam præscientiam neque esse causam, nec rationem, cur futura contingentia eueniant: sed potius ipsa contingentia, quæ euentura sunt, esse rationem, cur Deus eorum habeat præscientiam: veram enim eius causam ea esse non posse perspicuum est. Atque hoc pacto intelligendi sunt Patres, cum aiunt, *Non quia Deus præscit futura, iccirco illa futura esse: sed contra, quia illa futura sunt, iccirco Deum ea præscire*: ita vt in priori pronun-
D tiato non solum negent diuinam præscientiam esse veram causam, sed etiam rationem futuri euentus: in posteriori autē alterū tantum asserant nempe futurum euentum esse rationem diuinæ præscientiæ, non item causam. Nihil autem est aliud futurum euentum esse rationem, cur Deus illius præscientiam habeat, quam esse obiectum, quod supponitur præscientiæ: tale autem obiectum pendet in suo esse à diuina voluntate, & ab
E alijs causis, quæ concurrent ad futurum euentum, & præcedit consideratione ipsam diuinam præscientiam, quæ ad illud obiectum terminatur.

Quod si contingentia futura sumantur in statu conditionato, multo clarius est, ea non causari à diuina præscientia: nam cum præscientia conditionata præcedat absolutam, si absoluta non est causa futuri euentus, minus erit conditionata.

F Deinde probatur eadem conclusio ex ratione eorum euentuum, quorum Deus non potest esse causa, sed sola peruersa voluntas. Si enim præscientia Dei, seu diuina futuri euentus notitia eiusmodi euentui necessitatē imponeret, certe culpa creatæ voluntatis Deo tribuenda esset.

Postremo probatur ex ipsa ratione contingen-

tingentiæ: nam si diuina præscientia futuris contingentibus necessitatem imponeret, iam illa non essent contingentia in eueniendo, sed necessaria: sicque contingentia, & non contingentia, necessaria, & non necessaria.

Obiectio ex D. Aug. cap. 13. eand. sent. habet lib. 6. cap. 10. & D. Greg. 20 Mor. c. 23. Soluitur.

Augustinus tamen huic conclusioni fortassis aduersari videbitur: ait enim decimo quinto de Trinitate, creaturas tam spirituales, quam corporales, non quia sunt, ideo notas esse Deo, sed ideo esse, quia illi sunt notæ: vnde videtur colligi eius sententiam esse, quia Deus nouit, seu præscit futura, ideo illa esse. Verum Augustinus non intelligit eo loco notitiæ vocabulo præscientiam, sed scientiam. Quanquam enim diuina præscientia futurorum euentuum, quæ libera est, & posset in Deo non esse, si ipse nullam creaturam esse vellet, non est eorum causa, vt probatum est, tamen diuina scientia practica, quæ necessaria est, & naturalis in Deo, est omnium rerum factibilium vera, & propria causa, accedente tamen diuina voluntate, qua illa determinatur ad hoc vel illud, & hoc aut illo modo efficiendum, ad ipsumq; opus applicatur: sensus ergo loci est, creaturas omnes non iccirco sciri a Deo, quia Deus ab eis ipsis scientiam earum accipiat, vt nos accipimus: sed iccirco esse in rerum natura, quia Deus earum scientiam effectiuam habet, per quam accedente voluntate, vt dictum est, omnes ab eo suum esse accipiunt.

Ita patet, etsi scientia Dei est causa rerum omnium, accedenteque voluntate multis earum potest necessitatem imponere, si Deus velit, vt aliæ ab alijs necessario eueniant; tamen eius præscientiam, seu notitiam futuri euentus, (*etiam necessarii*) quemadmodum nullius futuri euentus est causa, ita nulli eorum necessitatem imponere. Num autem diuina prouidentia, quæ, si proprie loquendum est, & scientiam practicam, siue artem diuinam supponit, & voluntatem adiungit, omnibus futuris euentibus necessitatem imponat, hoc deinceps videndum.

Num diuina prouidentia omnibus futuris euentibus necessitatem imponat.

QVÆST. V.

Quo pacto prouidentia à prudentia, & arte distinguatur; quis etiam propositæ quæstionis sensus sit; & quæ in re posita sit eius difficultas.

SECTIO I.

A PROVIDENTIAM ex ratione sua esse partem prudentiæ, ea ratione patet, quia versatur circa futura: cum tamen prudentia contineat non solum considerationem futurorum, sed etiam præsentium, & præteritorum. Cum autem prudentiæ proprium sit esse ex consideratione finis, mediorum electricem; prouidentia vt quæ in eo versetur necesse est, vt omnia disponat, ac ordinet ad futuram finis consequutionem. B Quocirca ad executionem diuinæ prouidentiæ modo aliquo pertinebit, non tantum gubernatio, siue administratio rerum, sed etiam earum productio, & conseruatio: hæc enim omnia ad assecutionem eorum finium spectant, quos omnia infra Deum sibi vendicant, vel ex natura sua, vel ex ordine diuinæ sapientiæ: Sed cũ duplex sit ordo rerum, quæ in finem aliquem diriguntur: alter pertinens ad earum esse, cõ- C seruationem que qualis est ordo partium domus, aut nauis, aut exercitus, aut vrbis, aut etiam orbis; (*seu illa ordine loci, seu dignitatis, seu quocumque alio disponantur*) alter spectans ad earum vsum, qualis est ordo ædium ad habitationem, nauis ad nauigationem, & exercitus ad pugnam, & victoriã; prouidentia vtriq; diuina, quatenus ad priorẽ ordinẽ creaturarũ spectat, artis vocabulo magis dicitur, quam prouidentiæ: quatenus vero eis vtitur, easve D gubernat, vt debitos fines assequantur, vsurpatius prouidentiæ nomen retinet. Atq; hac ratione diximus paulo ante, prouidentiam, si more considerandi nostro loquamur, scientiam Dei practicam, artemve diuinam supponere: nec tamen impropria locutio erit, si interdum promiscue his vocabulis vtamur, cum Deus re vera & prouidentia sua effectioni rerum incumbat, & arte etiam in earum administratione versetur.

Prouidentiæ munus.

In quo diuina ab arte etiam diuina differat.

E Sed cum duplex sit more considerandi nostro diuina prouidentia; vna, qua Deus, vt est auctor naturæ, omnia ad suos fines ordinat; quam prouidentiam Philosophi naturali lumine vtcunque agnouerunt; de qua re libro duodecimo agendum est; altera, qua, vt est auctor gratiæ, naturam beatitudinis capacem ad supernaturalem finem dirigit; quæ prouidentia sola diuina reuelatione nobis innotuit: ex vtraque autem desumantur argu- F menta, quibus induci videatur necessitas omnium futurorum euentuum: de vtraque necesse est intelligatur, & discutiatur proposita quæstio, vt nostri arbitrij libertas a calumnia & Gentilium, & Hæreticorum omnium vindicetur.

Duplex prouidentia.

Tota igitur huius quæstionis difficultas in eo posita est, qui fieri possit, vt cum prouidentia

Quæstionis difficultas.

scientia futurorum ex ipsa ratione sua supponat voluntatem prouidentis de eligendis mediis, ordinandis, ac per ea promouendis rebus ad suos fines: diuinaq; prouidentia hac ratione differat à quauis prouidentia creata, quod sit certissima, siue omnino infallibilis, & maxime vniuersalis, ita vt nihil quantumcunque particulare seu magni seu parui momenti sit, eam subterfugere possit, quo minus sub eius procurationem cadat: qui fieri, inquam, possit, vt non omnia futura necessario eueniant? Neque enim diuina prouidētia eiusdem conditionis est, atque præscientia, de qua hactenus loquuti sumus. Præscientia enim ea, quæ futura sunt, supponit, non causat; prouidentia vero est vera causa rerum omnium futurarum, eaque efficacissima, & cui resistere nihil potest: vnde videntur effici nihil eorum, quæ sub eam cadunt, posse non euenire. Hæc autem cum de vtraque prouidentia, & qua Deus est auctor naturæ, & qua est auctor gratiæ, sentienda videantur; illud peculiare oracula diuina de posteriori pronuntiant, ita certum esse numerum eorum, quos Deus ex æternitate ad summam illam gratiam cœlestis beatitudinis præordinauit, vt nullus eorum possit consequutione illius frustrari.

Vt ad Rom. 8. & 2. ad Tim. 2.

Quæ sint in hac quæst. tractanda.

Hæc igitur vt dissoluantur, expendendum est in primis, ad intellectum ne, an ad voluntatem prouidentia præcipue pertineat? Deinde, num, & quo pacto omnia prorsus diuinæ prouidentiæ subiecta sint? tum, sitne illa in omnibus certa, & infallibilis? (*quo loco intelligetur, an includatur in diuina prouidentia exequutione assequutio eorum finium, ad quos ipsa cuncta præordinat, nec ne?*) postea vero, sint ne omnes actus liberi creatarum volūtatum à Deo prædefiniti ex æternitate, an non? His enim positis facile propositæ quæstioni respondebitur. Ac tandē explicabimus, quonam pacto Deus progressus fuisse videatur apud se in actibus æternæ suæ præscientiæ, ac prouidentiæ.

Ad intellectum ne, an ad voluntatem prouidentia præcipue pertineat?

SECTIO II.

Prouidētiam ad voluntatē simul & intellectum spectare.

PROVIDENTIAM & ad intellectum, & ad voluntatem modo aliquo spectare, nemo dubitat. Nam nec cognitio mediorum in ordine ad propositos fines complet rationem prouidentiæ, vt patet in iis, qui eam cognitionem habent; nec tamen vel se, vel alios, quibus præsunt, ad eiusmodi finium assequutionem dirigere volunt: neque etiam huiusmodi directio, quæ iam ad voluntatem spectat, aut voluntatis actum supponit, dari vere quam potest sine intelligentia ordinis talium mediorum ad finem. Atque hactenus in re hac omnes conueniunt.

Verum alii, hoc concesso cum Scoto, Bonauentura, & fere nominalibus, existimant, prouidentiam præcipue ad voluntatem spectare, quasi in voluntatis actu formaliter cōsistat. D. autem * Thomas cum Alensi, quos sequitur Durandus, Marsilius, & alii complures, sentiunt, illam præcipue spectare ad intellectum, eo quod actum voluntatis potius supponat in dirigendis rebus ad suos fines, quam formaliter significet. Atque hęc posterior sententia nobis magis placet.

Sco. in 1. d. 40 q. vn. Bonau. ib. art. 1. q. 1. Greg. Arim. q. 1. art. 1. Gab. q. vn. dum id de prædestinatione asserūt, sancti. Damasc. 2. fidei. c. 29.

† Primum, quia vel nomen ipsum & Græcum τῆς προνοίας, & Latinum prouidentiæ notitiam magis procul intelligentis, & videntis, quam voluntatis actum declarat. Deinde, quia prouidentia, vt iam diximus, est pars prudentiæ: at omnes actus prudentiæ ad intellectum pertinent, etsi aliquem voluntatis actum supponant, eum saltem, quo finis intenditur: ipsa enim non circa finem proprie, sed circa media versatur. Tertio, quia dirigere res ad suos fines per media conuenientia opus intelligentiæ est, supposito aliquo voluntatis actu, à quo finis appetatur. Postremo, quia gubernatio, quæ est prouidentiæ exequutio, præcipue ad intellectum pertinet: voluntatis enim magis est mouere intellectum, vt pręscribat, quid faciendum sit, ipsamque gubernationem exequi, quam gubernare. Atque in hanc sententiam definit * Boetius diuinam prouidentiam: *Prouidentia*, inquit, *est ipsa illa diuina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit*; * hoc est, apud se ad suos quæque fines ordinat. Quocirca cum Gregorius Nyssenus ait, prouidentiam esse Dei circa ea, quæ facta sunt, procurationem, & alii, quos Nyssenus refert, & Damascenus sequutus est, prouidentiam esse Dei voluntatem, per quam omnia, quæ sunt, conuenientem διεξαγωγήν, hoc est, bene se habendi rationem, suscipiūt: eo descriptiones hæ pertinent, vt diuinam prouidētiam declarēt, partim ex effectu executioneve illius, quæ est procuratio, & promotio rerū, vt suos fines consequantur; partim ex ipsa simul prouidentiæ quasi radice, quæ est diuina voluntas, cuius proprium est ex intentione finis conuenientia media eligere. Atque hac de causa etiam D. Thomas aliquando prouidentiam voluntati attribuit, imperiumque, quod in prouidentia præcipuus est actus, actum voluntatis esse nonnunquam scribit: (*qua in re Augustinum alicubi sequitur*) quod à voluntate tota mouendi, & agendi vis, in diuina præsertim gubernatione, proueniat.

** D. Tho. 1. p. q. 22. ar. 1. Caiet. q. 23. ar. 1. Alens. 1. p. q. 28. m. 1. ar. 2. Dur. in 1. d. 39. q. 3. art. 1. & d. 41. q. 1. Marsi. in 1. q. 41. ar. 1. Cap. d. 40. q. 1. ar. 1. conclus. 1.*

† Sed præcipue ad intellectum.

Varia prouidentia descript.

** 4. de consol. pros. 6.*

Lib. 8. suæ philos. c. 1.

2. fidei, c. 29.

8. confess. c. 9.

R 5 Num

Actus interni prouidentiæ quinam sint.

Num autem actus ipsi interni prouidentiæ sint apprehensiui, an iudicatiui, an vero imperatiui, quibus intellectus diuinus præcedente nostro intelligendi more actu aliquo voluntatis dicitur ab æterno rebus prouidisse; non prætereunda quęstio est. Ad quam breuiter dicendum, non solum apprehensiones, & iudicia, sed præcipue etiam imperia interiora ad prouidentiam pertinere: nam postquam diuinus intellectus nostro intelligendi more in quarto illo considerationis signo à nobis superius notato apprehendit omnes necessarias rerum connexiones, & omnes possibiles, vt possibiles; in quinto autem secum quasi disquisiuit, quid euenturum esset, si hunc vel illum rerum ordinem, hoc est, hunc mundum, aut alium quemuis ex infinitis, quos condere poterat, in rerum natura produceret, & omnes procedendi modos, quos in eis seruari posse intelligeret: tum electo ex omnibus hoc ipso mundo, quem incolimus, cum eo procedendi modo, qui in eo seruatur, illum in sexto considerationis signo absolute ex imperio suo futurum esse cognouit.

Rerum ordo. q.4. sect.6.

In quibus considerationibus plane cernis, prius nostro cogitandi more Deum concepisse simplici conceptu hunc mundum, quem conditurus erat; deinde illum ex omnibus elegisse; tertio loco pręcepisse, vt certo tempore, ac loco existeret. Atque hic completi sunt interiores actus diuinæ prouidentiæ. Tum accesserunt suo tempore tres actus illi practici: quorum primus fuit creatio, & quæuis alia rerum creabilium productio & effectio; secundus earum conseruatio; tertius gubernatio: tametsi, vt paulo ante diximus, creatio, & conseruatio non tam diuinæ prouidentiæ, quam diuinæ arti tribuantur: gubernatio autem proprie ad prouidentiam spectare dicatur: id quod etiam ex definitionibus à Gregorio Nyss. & Damasceno vsurpatus intelligitur. & à D. Th. nonnunquam dicitur. Ratio vero est, quia cùm res quælibet creatur, aut conseruatur, si ipsa sola spectetur, nulli rei per eam prouidetur: (*neque enim Deus per eam sibi prouidet, neque etiam ipsi rei per ipsam*) at cum ea gubernatur, iam promouetur, quantum est ex parte Dei, ad proprium finem. Potest tamen creatio, & conseruatio rerũ prouidentiæ diuinæ attribui duabus rationibus: prior est, quia si aliæ res cum aliis conferantur, per alias Deus aliis prouidet, cum nulla omnino sit, quæ alicui alteri vtilis esse non possit: posterior, quia nunquam Deus rem vllà producit sine peculiarib. proprietatibus, & naturæ suæ accommodatis accidentibus; vt vere dicere possimus, in singulis rebus producendis cerni & vim effectiuam diuinæ prouidentiæ & conseruatiuam, & directiuam cuiusque ad suum finem.

Tres illius actus practici.

Sect. 2.

De verit. q.5. ar.1. ad 9.

Sed vt ad internos prouidentiæ actus redeamus, ad eam primum spectat ordinata apprehensio earum rerum, quæ producendæ, conseruandæ, gubernandæ sunt; vt apprehensio totius ordinis Angelici, machinæ cœlestis, mundi elementaris, generis humani, & cæterarum tum simul tum sigillatim. Deinde iudicium de eis eligendis inter alias infinitas, quæ intellectui diuino se offerunt. Postremo imperium, quo illæ quasi vocantur, & veluti cõparere, astare, & in suis actionibus, ac vsibus obedire iubentur: vnde est illud Pauli: *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.* & illud Baruch Prophetæ de Stellis: *Vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* & illud de Sole & Luna in Genesi: *Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem:* & cætera huiusmodi diuina imperia. Horum vero actuum duo priores, apprehensiuus, & iudicatiuus, pure immanentes sunt; tertius autem, qui imperatiuus est, etsi natura est immanens, est tamen virtute transiens: quia habet totam suam exequutionem in rebus ad extra seu producendis, seu conseruandis, seu administrandis. Nam etsi in nobis dantur actus immanentes imperatiui respectu aliorum immanentium, tamen in Deo dari non possunt, nisi respectu rerum ad extra: siquidem actus imperatiui dominatum habent in ea, quibus imperant, id quod in actibus intellectus diuini respectu diuinæ voluntatis locum habere non potest. Quo fit, vt de hoc solo actu diuinæ prouidentiæ, qui dicitur imperium, & virtute fertur in ea, quæ extra Deum sunt, intelligenda sit hæc Theologorum controuersia, Num prouidentia diuina ad intellectum, an ad voluntatem pertineat? Quæ quęstio inde ortum habet, quod alii putant, imperium in genere esse actum volũtatis, alii actum intellectus: quod nos magis probamus; & verum esse, vtcunq; ostendimus; tametsi de tota re ad librum nonum fusius disputabimus.

Ad Rom. 4. cap. 3. Genes. 1.

Imperandi actus in Deo semper est virtute transiens.

Sed contra hæc si aliquis obiiciet, tres tantum esse operationes intellectus, simplicem apprehensionem, compositionem, & diuisionem, ac discursum, imperium autem ad nullam earum pertinere: ergo cum prouidentia in imperandi actu præcipue consistat, non esse dicendum, prouidentiam ad intellectum pertinere, sed ad voluntatem. Huic obiectioni occurrendum est, imperium reuocari ad compositionem, & diuisionem: cum enim quis imperat, aliquid affirmatiue, aut negatiue præcipit, vt, Fac hoc, Ne facias: in qua præce-

Obiectio.

Resp. imperiũ reuocari ad cõpositionem & diuisionẽ.

præceptione, siue affirmatiua illa sit, siue negatiua, nō simpliciter, & nude declaratur voluntas imperantis, vt cum per modum iudicatiuum explicatur; sed intimatur etiam, & applicatur ad opus exequendum, aut impediendum: omnis autem declaratio, siue simplex sit, & iudicatiua tantum, siue intimatiua, & quæ ad executionem spectet, actus intellectus est, cum verbis interioribus fit; actus autem potentiæ motiuæ, cum fit verbis exterioribus, quibus interior locutio intellectus exterius exprimitur: habentque ambæ locutiones efficaciam ad executionem, & ab intellectu, qui imperat, & à volūtate, quæ in nobis intellectum ad imperandum mouet, & inferioribus facultatibus ad executionem operis vtitur: in Deo autem more mouentis intellectum se habet, & opus exequitur.

Discrimen inter agentia naturalia & agentia per intellectum.

Quod, vt melius intelligatur, mandandum memoriæ est discrimen hoc inter agentia naturalia, & quæ agunt per intellectum, & voluntatem: quod agentia naturalia ab ipsa forma naturali habent & rationem agendi, vt effectus sit huius speciei, aut illius, & ipsam vim agendi; at agentia per intellectum, & voluntatem, à forma intelligibili, siue conceptu rei habent rationem agendi, vt effectus sit talis, qualis concipitur; à voluntate autem, & appetitu sensitiuo, potentiisque motiuis, quæ voluntati ad nutum obediunt, habent ipsam agendi vim. Nam à formis naturalibus oriuntur naturales vires, quibus agentia naturalia sibi similia secundum naturam efficiunt; agentia vero per intellectum, & voluntatem non habent à forma intelligibili, siue conceptu vires vllas, vt exeant in externum opus simile conceptui agentis, sed à voluntate, eique subiectis facultatibus appetitiuis, & motiuis ipsam vim agendi expectant: vnde si hæ vires desint, vel quia voluntas se ad agendum non applicat, vel quia inferiores facultates resistunt, aut impeditæ sunt, nihil operis conficitur. Cum igitur imperium & formam intelligibilem, & actum voluntatis exprimat, ac intimet, (*Quod verbum in materia imperandi familiare est*) nihil ei iam deest ex parte vtriusque potentiæ ad agendum, semperque effectus sequetur, si ex parte inferiorum facultatum sit omnimoda obedientia, neque vllum eis impedimentum obiiciatur. Ita perspicuum relinquitur, quo pacto imperium diuinum, ac proinde diuina prouidentia ad intellectum formaliter, & præcipue pertineat; totamque rationem agendi à forma intelligibili, seu diuino conceptu habeat; ipsam autem agendi vim ab actu diuinæ voluntatis.

Omnia omnino diuinæ prouidentiæ immediate subiecta esse.

SECTIO III.

Arg. pro parte negatiua.

NVNC autem omnia, seu magni, seu parui momenti, siue bona etiam, siue mala, diuinæ prouidentię subiecta sint, nec ne, iam videndum est. Nam quod Deus non omnia videatur curare, ex eo primum suaderi potest, quia quo Principes superiores sunt, eo plura relinquunt prouidenda inferioribus potestatibus, & ministris.

Deinde, quia si omnia omnino curaret, nihil casu, aut fortuna eueniret: quæ enim prouidentia præcedente fiunt, ea ex instituto eueniunt, non præter intentionem agentium.

Tertio, quia si omnia subiecta essent diuinæ prouidentiæ, non tam multa essent in rebus inutilia, & noxia, nec tot, tantaque hominum scelera: quippe cum prouidi Principes, quam maxime possunt, hæc omnia remoueant; nec dubium sit, quin Deus omnia, quæ huiusmodi sunt, remouere possit.

Quarto, quia cum homines suo arbitratu propriis rebus prospiciant, vt qui relinquuntur à Deo in manu consilii sui, non videtur Dei prouidentia ad eorum opera se extendere.

Postremo, quia neque ea, quæ apud nos liberum arbitrium non habent, vt se ipsa ratione dirigere ad suos fines possint, videntur diuinæ prouidentiæ subiecta, cum Paulus dicat non esse Deo de bobus curam: quod idem de cæteris rebus, quæ apud nos ratione carent, dici eodem modo potest. *1. Cor. 9.*

Quam multi errores hac in materia fuerint apud Ethnicos, longiori narratione indiget, cuius rei proprius locus est ad duodecimum librum, vbi de prouidentia diuina fusius disputabitur. Nunc illud tantum videndum, ad quænam re vera extendatur diuina prouidentia, vt intelligi possit, num omnibus futuris euentibus necessitatem imponat, de qua re præsens controuersia instituta est.

Omnia diuinæ prouid. subdi.

Ad hanc igitur dubitationem breuiter dicendum, nihil omnino esse infra Deum, quod diuinæ prouidentiæ non subdatur: quod quidem non tantum fidei dogma est, iuxta illud Sapientiæ, *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*: sed etiam facile hunc in modum ostenditur. Ea omnia prouidentiæ alicuius agentis subduntur, quæ ab eo ex instituto fiunt, aut ex instituto permittuntur, vt patet, nihil est autem, seu magni, seu parui momenti, siue etiā bonum, siue malum, *cap. 8.*

Lege D. Aug. de hac re pulchre disputã. tem lib. 5. de ciu. à c. 11. & lib. item 5 de Gen. ad litteram, c. 21. & seqq. Ambr. 1. off. c. 13. & 14. Gre. Nyss. li. 8. suæ phil. c. 3. & 4. Theodor. lib. 5. diuin. decret. c. de prouid. D. Th. 1. p. q. 22. d. 2. Alens. 1. p. q. 26. m. 4. & alios Doctores in 1. d. 39.

lum, quod à Deo ex instituto non fiat, aut permittatur: (*est enim primum agens, sine cuius concursu nihil omnino fit; itemque agens per intellectum, vt nihil eorum, quæ fiunt, eum latere valeat; ac demum ita potens, vt quemadmodum bona omnia facere, ita posset mala omnia impedire*) nihil igitur omnino infra Deum est, quod eius prouidentiam subterfugiat. Præterea, ea omnia subiiciuntur prouidentiæ agentis per intellectum, quæ bono aliquo indigent, quod eius ope assequi possint: (*quod etiam est perspicuum*) atqui res omnes infra Deum indigent bono aliquo, quod nisi ope diuina assequi non possunt: vt enim nulla earum ex se habet esse, aut per se satis est ad sui conseruationem, vel ad aliquid agendum, aut accipiendum; ita sine Dei voluntate, atque concursu hæc habere, aut præstare non potest: nihil igitur omnino infra Deum esse potest, quod non cadat sub diuinam prouidentiam.

Immediatene, an mediate.

Quo autem pacto illa diuinæ prouidentiæ subiecta sint, mediatene, an immediate facile est intelligere. Si enim de ipsa diuina prouidentia in se spectata dubitatio intelligatur, certum est, omnia illi immediate subdi, quandoquidem diuina prouidentia in se considerata nihil est aliud, quam ratio, seu dispositio rerum omnium in mente diuina existens, qua illæ in suos fines destinantur: at huiusmodi ratio, & dispositio in nulla creatura esse potest, vt Deus creati alicuius intellectus interuentu de rebus disponat, perinde ac Principes illiterati doctorum hominum consilio multa disponunt, ac ordinant. Quod si de prouidentia quoad eius exequutionem sit sermo, non dubium est, quin plurima faciat causarum secundarum ministerio: nam etsi immediate per se solum dat esse rebus immaterialibus, & aliis incorruptibilibus, easque per se ipse conseruat; tamen in aliis producendis, & conseruandis vtitur causis secundis, & insuper ad omnium rerum operationes cum illis ipsis simul concurrit.

Soluuntur contraria argum.

Ad primum igitur argumentum in oppositum dicendum, Principes propter limitationem intellectus, & imbecillitatem organorum corporis multa committere inferioribus ministris, non solum quoad executionem eorum, quæ in administratione suarum rerum facienda sunt, sed etiam quoad ipsam dispositionem earum in mente: Deus autem, etsi multa administrat per causas secundas; (*non excluso tamen vnquam concursu*) id tamen non facit propter defectum suæ virtutis, sed vt largitate bonitatis suæ dignitatem causandi, auctoritatemq; aliquam creaturis impertiatur: cum interim primam illam dispositionem rerum, quam apud se facit, nulli omnino causæ secundæ, etiam in parte, committat, quod nulla creatura eius sit capax: tametsi agentibus per intellectum peculiarem aliquam, dependentemque ab ipso rerum ad illa pertinentium dispositionem concedat.

Ad secundum iam ex supra dictis patet, nihil casu, aut fortuna euenire respectu Dei, sed solum respectu causarum secundarum, præter quarum propensionem, aut intentionem aliqua eueniunt. *quæst. 2.*

Nihil esse omnino inutile.

Ad tertium dicendum, etsi multa sunt in rebus, quæ comparatione quarundam inutilia sint, & sæpe noxia, tamen nihil esse, quod in tota rerum vniuersitate aliquam vtilitatem non habeat, & sæpe maiorem multo, quam sit inutilitas, aut etiam damnum, quod in eis quarundam rerum habitudine cernitur. Videmus enim, corruptiones quarundam rerum esse aliarum generationes, & singularum interim generationibus seruari vniuersas generabilium, & corruptibilium species; neque vllam omnino rem ita vilem esse, & abiectam, in qua mirandum aliquid non sit, & considerationе dignum, vt ait Aristoteles primo libro de partibus animalium. *cap. 5.*

Quod autem ad hominum peccata attinet, etsi particularibus ministris, quibus incumbit peculiari ratione certa delicta, ne fiant, impedire, aut commissa vindicare, non liceat vlla permittere; Principes tamen, ex quorum vniuersali prouidentia totius reipublicæ administratio pendet, vitandi alicuius maioris mali causa, aut ne bonum aliquod magni momenti impediatur, licite possunt quædam mala permittere. Quis autem dubitat, defuturum maximum bonum naturæ in hac rerum vniuersitate, si homines à Deo impedirentur, ne libertate sibi à natura ad bonum & malum concessa vti possent?

Prouidentiã humanam sub diuina contineri.

Ad quartum dicito, prouidentiam, qua homines rebus suis prospiciunt, sub diuina prouidentia contineri: siquidem ad diuinam spectat humana opera pro meritis remunerare, aut punire: quod cum ita sit, necesse est Deum ab æterno prouidentia sua decreuisse, quæ quibus præmia, aut supplicia daturus erat; ac erit in tempore, ne nouum iudicium & propositum diuino intellectui, & voluntati posset accedere. Qua vero ratione Deus iuste punire possit eas peccatorum actiones, ad quas ipse concurrit, ex eo intelliges, quia concursus diuinus ad eas actiones generalis est, & in morem naturæ concessus, quod supra dictum est, vt homo propria libertate vti possit: ita vt quemadmodum ipsa humana voluntas indifferens est ad omnia huma-

Praeoccupatur obiectio. *quæst. 2.*

na

na opera, ita & diuinus concursus sit indifferens. Nam quod Deus neque æterna prouidentia sua prædefiniat opera voluntatis creatæ ante eorum præscientiam, neque ipsam voluntatem in tempore ad vllum opus determinet, quod liberum dici possit; (*tametsi ad bona praparet*) sed ipsa se determinat suffulta diuino cōcursu, tum vniuersali, tum aliquando speciali, partim ex superius dictis intelligi potest, partim luculentius paulo inferius explicabitur.

Neq; etiã res expertes rationis negligi à Deo.

Ad vltimum dicendum, ex aliis quamplurimis diuinæ scripturæ locis constare prouidentiam diuinam etiam res, quæ apud nos rationis expertes sunt, non negligere: alioquin in nihilum omnes redigerentur. Hinc enim est illud Domini apud Lucam: *Nonne quinque passeres veneunt dipondio, & vnus eorum non est in obliuione coram Deo? &* (quod Matthæus addit) *vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?* & rursus apud Lucam: *Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Quod autem Paulus ait, non esse Deo curam de bobus, intelligendum est de cura pascendi, & alendi eiusmodi animalia, quæ in sacra scriptura tradatur, quasi Deus ea de causa iubeat non esse os alligandum bobus in area, aut quid simile: cum ea omnia potius dicantur figura quadam ad significandum aliquid, quod in hominibus fieri debeat.

cap. 12. *cap. 10.* *cap. 12.*

Diuinam prouidentiam in omnibus rebus esse certam, & infallibilem.

SECTIO IV.

Argumenta pro parte negatiua.

ILLVD deinde examinandum est, sitne diuina prouidentia in omnibus rebus certa, & infallibilis? Quod enim negatiua pars sit vera, ex eo primum probari potest, quia cum prouidentia diuina sit ordo rerum ad suos fines in mente diuina existens cum proposito illum exequendi, eius vtique certitudo in assecutione eorum finium consistere videtur: at multi fines rerum intenduntur à Deo in sua administratione, quibus tamen frustrantur eæ res, quæ ad illos præordinantur: non est igitur in omnibus rebus certa, & infallibilis. Minor probatur, quia agentia naturalia præordinata sunt ad integra, & absoluta effecta, quæ tamen sæpe eueniunt imperfecta, & interdum mutila, vt patet in monstris, & in aliis animalibus, quæ nascuntur exigua, debilitata, & aliis modis inepta ad exercendas proprias functiones: agentia vero libera præordinata sunt ad naturalem finem virtutum moralium, & intellectualium, in quo perfecta

A beatitudo naturalis posita est; cum tamen paucissimi homines eam assequantur, vt fere dici possit; totum genus humanum eo fine frustrari. Denique eadem agentia præordinata etiam sunt ad finem donorum gratiæ, qui est beatitudo supernaturalis claræ, & apertæ visionis diuinæ essentiæ. Vnde est illud Pauli ad Timotheum, velle Deum omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; cum tamen maior pars hominum excidat ab B eo fine, iuxta illud Domini: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* *1. Tim. 2.* *Matth. 20.*

Quod si ad hæc respondeatur, cum Deus dicitur intendere huiusmodi fines, eosque velle obtineri a rebus, quarum sunt fines, figuratam, & interpretatiuam esse locutionem, significariq; ea loquendi forma, Deum velle dare rebus omnibus media, quæ satis sint, vt illæ eiusmodi fines assequantur, certumque esse, & infallibile, ea omnibus conferri: obiici potest secundo loco in hunc modum. C Quod quidem attinet ad media naturalia, sæpe ea deesse rebus naturalibus, vt cibum ad nutritionem, & accretionem; medicamenta ad sanitatem; dispositionem materiæ ad generationem, similia; idque, quia ipsa diuina prouidētia disposuit, vt aliæ causæ naturales alias impedirent. Quod etiam attinet ad media moralia, sæpe item deesse hominib. occasiones, aut etiam vires ad exercendas actiones virtutum, quod multi non habeant D vel materiam, vel complexionem idoneam ad eas exercendas: adeo, vt de quibusdam hominibus dicat Aristoteles, fieri non posse, vt naturalem beatitudinem assequantur. Quod demum attinet ad media supernaturalia, ea quoque, etsi nullo adulto negarentur, infantibus tamen in vteris maternis decedentibus non conferri; neque omnibus adultis videri concedi, cum ne ipsa quidem prædicatio, quæ E ianua fidei est, ad omnes perueniat. Ita fit, vt prouidentia diuina nec ratione finium, nec ratione mediorum certa videatur, & infallibilis in rebus omnibus.

Varii dicendi modi.

Sunt, qui dicant, prouidentiam diuinam esse certam, & infallibilem in iis omnibus, quæ per causas necessario agentes administrantur, vt in motibus cœlestium corporum: in eis autem, quæ administrantur per causas, quæ cōtingenter, & impedibiliter agunt, non F esse necesse, vt sit certa, & infallibilis, quod Deus sic mundum disposuerit, vt ea, quæ sic euenirent, non essent omnino certa, qualis est maturitas frugum in æstiuo tempore, & alia huiusmodi.

Sylueſt. in conſ. 1. p. q. 22. a. 1.

Alii dicunt, esse certam, & infallibilem quoad assecutionem finium generalium; non item omnium specialium: est enim certa, &

infallibilis in rebus naturalibus quoad ordinem totius vniuersi, qui ordo postulat quarundam rerum varietatem, & inconstantiam: in his autem inferioribus est certa, & infallibilis quoad perpetuitatem generationum, quæ nunquam deesse potest naturaliter: ita apte omnia, & conuenienter ad eam di posita sunt: non item quoad ipsas particulares generationes, quæ sæpe impediuntur naturaliter, vt res hæc aut illa, quæ gignenda erat, non gignatur, vel non perfecte, aut accommodate ad naturam gignatur. Denique in supernaturalibus est certa, & infallibilis quoad generalem finem gloriæ Dei, qui finis semper obtinetur in omnibus tam iustis præmio afficiendis per largitatem, & misericordiam, quam peccatoribus per iustam criminum punitionem: non item in omnibus quoad finem specialem beatitudinis æternæ, & ostensionem largitatis Dei in ea tandem communicanda, quod multi eam beatitudinem non assequantur.

Ferr. 3. contr. Gent. c. 94. cui fauet D. Th. de verit. q. 6. ar. 1. in 1. d. 4. art. 2.

Alii, vt omnino generaliter loquantur, omnem certitudinem, & infallibilitatem diuinæ prouidentiæ referunt ad media, vt nimirum propterea dicatur certa, & infallibilis, quod quemadmodū Deus superuacanea non instituit, ita nec desit in necessariis: quod si fines non obtineātur à liberis agentibus, eorum negligentiæ imputandum esse, quod necessariis, & sufficientibus mediis non vtantur, effectusque completus diuinæ prouidentiæ in eis frustretur. Nam in agentibus naturalibus, si ad totum cœlum respiciamus, nunquam in eis frustrari finem à Deo intentum.

*Vera assertio. Ita D. Tho. 1. p. q. 22. art. 2. ad 1. ar. 4. ad 2. q. 3. ar. 6. q. 103. ar. 7. 3. contr. Gent. c. 94. Caie. 1. p. q. 22. art. 1. Eod. modo loquitur Aug. 5. de ciu. c. 10. & lib. 83. qq. q. 27. Boet. 4. de consolat. prof. 6. * Sap. 9.*

Dicendum est tamen, diuinam prouidentiam in rebus omnibus, & ratione finium, & ratione mediorum esse certam, & infallibilem, nefasque esse vel hac, vel illa ex parte vllam incertitudinem illi attribuere. Primum, quia vel ipsa diuina scriptura hac ratione distinguit prouidentiam humanam à diuina, quod humana incerta sit; diuina autem certa: *Cogitationes mortalium* (inquit * Sapiens) *timidæ, & incerta prouidentia nostra*: vt nimirum intelligamus diuinam esse omnino certam, & frustrari nullo modo posse. Deinde, quia prouidentia Dei includit eius præscientiam, & voluntatem absolutam exequendi id, quod præordinatum est: neutra autem ex parte fieri potest, vt illa sit incerta. Tertio, quia diuina prouidentia aut consideratur respectu rerum naturalium, aut comparatione agentium liberorum: si respectu rerum naturalium, cum illæ agant ex necessitate naturæ, nisi impediantur; impedimenta vero, quæ naturaliter quibusdam obiiciuntur ab ipsa eadem diuina prouidentia sunt præordinata; non dubium est, quin ea ratione sit omnino certa: si vero comparatione agentium liberorum, hoc est, hominum, & Angelorum, cum hi partim prædestinati sint, partim reprobati; nec prædestinati vnquam reprobandi sint, aut reprobati prædestinandi; certa quoque omnino est circa eorum vltimum finem diuina prouidentia: quod si incerta in eis est assecutio aliorum finium, à quibus illi sæpe frustrantur, ea incertitudo cadit in ipsorum peculiarem prouidentiam, quæ incerta est, & à diuino corrigitur certo, & infallibiliter, remunerandis iustis, & puniendis iniustis. Accedit, quod etiam ratione aliorum finium, qui vltimo subordinati sunt, & mediorum omnium, quæ ad eos obtinendos assumuntur, certa, & infallibilis est diuina prouidentia respectu liberorum agentium propter certitudinem approbationis bonorum operum, & permissionis malorum, quæ à Deo infallibiliter ex æternitate futura præsciuntur: neque enim alia vlla opera liberorum agentium exercentur in tempore, quam quæ Deus ab æterno præscita ipsa sua prouidentia vel approbauit, vel permittere decreuit.

*Fatū & diuina proui. quo pacto sint idē. * q. 2. sect. 5. † D. Aug. 5. de ciui. c. 1. & 9. & libr. 2. contr. Fausc. c. 5. D. Th. 1. p. q. 116. ar. 2.*

Postremo ex eo probatur assertio, quod vera fati significatio actiue sumpta, vt supra* diximus, in diuinam prouidentiam conuenit, vt cum † Augustino D. Thom. & alii Theologi affirmant: modo a fati nomine propter vsum quorundam Ethnicorum, & Hæreticorum abstineatur: at fatum apud omnes significat quidpiam omnino certum, & infallibile; licet apud eos, qui non recte de eo sentiunt, sumatur passiue, non solum pro effectu infallibili, sed etiam ineuitabili: quod verbum necessitatem significat, quam nos non vniuerse effectibus diuinæ prouidentiæ tribuimus, sed iis tantum, quos illa statuit, vt necessario euenirent.

Humana & diuina differentia.

Vnde patet, etsi in ratione prouidentiæ humanæ non includatur certa finis assecutio; sed satis sit ad rationem vere prouidi, siue principis, siue ducis, siue medici, siue cuiuslibet alterius artificis, si omnia media adhibeat, quæ humana industria, & diligentia adhiberi possunt, siue ad quietem Reipublicæ assequendam, siue ad victoriam comparandam, siue ad sanitatem inducendam, & sic in cæteris, ita vt ipsa finis assecutio non sit omnino certa, sed probabilis: tamen ad rationem diuinæ prouidentiæ necessarium esse, vt & finis assecutio, & media, quibus obtinendus est, sint certa, & infallibilia: alioquin diuinum propositum frustrari posset. Qua* in re præferenda est sententia Caietani opinioni Capreoli, & quorundam aliorum

** Mens D. Th. hac in re. Caiet. 1. p. q. 22. ar. 1. Cap. in 1. d. 40. q. 1. a. 1. concl. 2. Ferr. 3. contr. Gen. c. 64. & 94. & alii.*

rum Thomistarum, qui credunt, D. Thomam vbique sensisse, assecutionem finis non includi in ratione prouidentiæ diuinæ, vt dixerat in quæstionibus † de Veritate: cum probabilius sit, eum in ea re sententiam mutasse in prima parte, cum de prouidentia diuina, & prædestinatione disputaret, *Vt Caietanus ait*. Possent tamen hi authores ea ratione conciliari, quod Caietanus nomine finis intelligat finem absolutum, & sine vlla conditione; prouidentiamque diuinam accipiat iuxta completam eius considerationem: cæteri vero intelligant qualemcunque finem, & prouidentiam iuxta communem eius acceptionem: sic enim nulla erit inter eos dissensio, vt iam patebit in solutione oppositæ partis argumentorum.

† *q. 6. art. 1.*

Solut. 1. arg. Ad primum enim dicendum est, fines agentium pure naturalium, ad quos diuina prouidentia illa destinauit, in plurimis eorum sub ea conditione intelligendos esse, si modo adsit materia disposita, & impedimenta remoueantur: quo pacto certa est, & infallibilis in eis diuina prouidentia, quia semper hoc pacto accepti obtinentur. Quod si absolute, & sine vlla conditione sumantur, etsi in eorum quibusdam certa est, & infallibilis diuina prouidentia, vt in motibus cœlestium corporum, & in naturali perpetuitate vicissitudinis generationum, & corruptionum; in aliis tamen particularibus non semper esse certam, si ea sumatur non secundum completam prouidentiæ diuinæ rationem, hoc est, non quatenus intelligitur cum præscientia omnium omnino circumstantiarum, sed quatenus refertur ad solas ipsas naturas agentium: nam si sumatur, vt per eam prouidetur toti huic vniuerso iuxta ordinem à Deo institutum, nunquam omnino agentia naturalia frustrabuntur iis effectibus, quos poscit vniuersalis rerum ordo, cum omnibus simul circumstantiis concurrentib. ad actionem. Atque ea est completa consideratio diuinæ prouidentiæ, ob quam dicitur, attingere à fine vsque ad finem fortiter, & disponere omnia suauiter. A summo enim fine diuinæ gloriæ ad infimos vsque rerum omnium, eorumque circumstantias omnia disponit, ac ordinat, iuxta quarumlibet rerum conditiones. Vnde fit, vt quamuis res naturales non semper assequantur fines, ad quos earum naturæ propensæ sunt, semper tamen assequantur finem totius vniuersi, ad quem diuina prouidentia hoc pacto considerata eas præordinauit.

Agentia pure naturalia semper consequi fines vniuersales, licet à particulari sæpe deficient.

Agentia libera destinata esse ad finem beatitudinis naturalis cōditionatè. Ad id autem, quod dicitur de agentibus liberis, quatenus illa præordinata sunt ad finem naturalis beatitudinis, respondendum est diuinam prouidentiam destinasse quidem omnes homines ad eum finem, sed tamen ea lege, ac conditione, si eum ipsi assequi vellent: quare non esse, cur incerta dicatur diuina prouidentia, si pauci admodum eum finem assequantur, quod pro eo obtinendo laborare nolint.

Duplex consideratur in Deo volūtas, antecedēs & consequens. Ad id vero, quod additur de eisdem agentibus, qua ratione ad supernaturalem felicitatem præordinata sunt, dicendum est, duplicem esse more intelligendi nostro Dei voluntatem, vt * ait Damascenus in secundo Orthodoxæ fidei: vnam antecedentem, nempe qua ille, non quasi à nobis impulsus, sed velut à bonitate sua permotus omnia nobis fausta cupit; atque hac voluntate velle Deum omnes homines saluos facere, cœlestique beatitudine donare; illa tamen eadem lege, si ipsi salui esse velint, nec propriæ saluti, assequendæque cœlesti beatitudini obicem ponant: alteram vero consequentem, hoc est, ex factorum nostrorum occasione ortam; non tamen bonorum, quod illa ad antecedentem pertineat; sed malorum, cuiusmodi sunt labores, calamitates, morsque ipsa, & sempiterna damnatio, iuxta illud Oseæ decimotertio, *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum*. & illud Sapientiæ primo, *Quoniam*, inquit, *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum*. & post pauca: *impii autem manibus, & verbis accersierunt illam*: & illud Ezechielis decimooctauo: *Nunquid voluntatis mea est mors impii, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat?* cum igitur voluntas illa, qua Deus vult omnes homines saluos fieri, sit conditionata, vt libere operari possint, æternamque felicitatem promereri, nihil obest diuinæ prouidentiæ certitudini, si non omnes salui fiant. Nam nec finis ille absolute intelligitur, sed sub explicata conditione, quæ non in omnibus impletur: nec prouidentia diuina in ea generali præordinatione spectata complete consideratur; sed tum demum, cum singulorum hominum facta præsciri, & pro meritis præordinari concipiuntur, quo pacto spectata Dei voluntate certissimus est euentus diuinæ prouidentiæ.

* *cap. 29.*

Solut. 2. arg. Ad secundum argumentum de figurata, & impetratiua locutione, qua aliquid ab aliquo intendi intelligitur, cum media ad illud obtinendum sufficienter adhibentur, dicendum est, vsurpatam quidem eam esse; quo pacto parentes intelliguntur velle, vt filii docti sint, si eis abunde libros & alia necessaria suppeditent, vt literarum studia sequantur: sed cum venitur ad media naturalia, occurrēdum, etsi sæpe illa desunt ad consecutionem

Nunquā deesse media naturalia ad cōsecutionem fin. vniuersi.

finium particularium causarum; nunquam tamen deesse ad consequutionem finium omnium causarum simul concurrentium ex totius vniuersi ordine: quia defectus mediorum causarum naturalium subseruit effectibus, & finibus vniuersalium.

Nec moralia ad consequutionem vltimi.

Quod autem attinet ad media moralia, certum quoque est, Deum omnibus dedisse media, quibus vltimum finem ex parte virtutum moralium assequi vtcunque possent: satis enim est ad qualemcunque beatitudinem naturalem, aliquem progressum in virtutibus morum fecisse: quod & Aristoteles fatetur, cum docet, quantum quisque virtutis & prudentiæ habet, tantum habere, seu potius participare felicitatis: ad hoc autem non desunt sufficientes occasiones, & materia in humana vita, præsertim cum eæ virtutes actibus interioribus, vbi materia deest, vtcunque exerceri possint. Nam quod Aristoteles scribit, quosdam ad beatitudinem acquirendam esse ineptos, ad difficultatem significandam spectat; non ad impossibilitatem omnimodam; nisi referatur ad contemplatiuam beatitudinem in iis, qui propter ineptam omnino corporis complexionem ad eam peruenire nequeunt.

7. Polit. c. 1.

Etiã in paruulis decedẽtibus in originali non deesse diuinam prouid.

Denique, quod infantibus in vteris maternis decedentibus desunt media, quibus cœlestem beatitudinem assequantur, non efficit incertam executionem diuinæ prouidentiæ. Nam cum Paulus ait, velle Deum omnes homines saluos fieri, Theologique hanc exceptionem addendam volunt, [*si ipsi velint, neque obicem ponant*] intelligenda est pro paruulis nondum rationis vsum habentibus, industria parentum, & aliorum, quos parentum loco habent. Vult enim Deus eos quoq; saluos fieri, si per parentes eorum salus procuretur, quandoquidem illi sibi consulere non possunt. Quocirca, cum initio pro omnibus & paruulis, & adultis datum esset primis parentibus generale medium originalis iustitiæ ad omnium salutem; quod donum si ipsi conseruassent, nemo esset morti obnoxius, sed ex hac vita ad supernaturalem beatitudinem transisset: eo amisso soli industriæ particularium parentum, aliorumque curatorum relicta est paruulorum salutis procuratio; nisi quando Deus extraordinario aliquo salutis medio alicui subuenit, de qua re mira quædam narrari solent. Hinc fit, vt aliquando paruuli salutem non assequantur, quod vel parentum incuria in vteris maternis obeant, vel parentes illis iam natis sa'utis media ante eorum obitum non conquirant; aliquando vero nulla parentum culpa, sed sola causarum naturalium dispositione absque salutis remedio diem claudant: quod posterius, cum accidit, non defectui diuinæ prouidentiæ, sed inobedientiæ primorum parentum ascribenda est causa, qui pro se, totaque posteritate donum illud incorruptionis non seruarunt: quod si seruassent, omnes paruuli, cum adoleuissent, de procuranda cœlesti beatitudine sibi consulere possent. Ex quibus collige pronuntiatum illud Pauli vel intelligendum esse de solis adultis; id quod eius verba omnia, & loci institutum satis indicant; quo pacto nullam vim habet argumentum: vel si de paruulis etiam intelligendum est, referendum esse simul ad vtrumque statum & innocentiæ, & naturæ lapsæ; ne si referatur ad posteriorem tantum, colligi possit, Deum non velle, sed nolle potius absolute saluos fieri eos paruulos, qui sine vlla parentum culpa decedunt, quod ipse eo pacto naturales causas disposuerit, vt illi non habeant vllum sufficiens salutis obtinendæ adminiculum: quod pugnat cum ipso D. Pauli pronuntiato, si vniuerse pro omnibus intelligendum est. Quamuis enim Deus propter originale peccatum omnibus paruulis in eo decedentibus iuste negare posset supernaturalia subsidia, eosque regno cœlesti ob præuaricationem læsæ maiestatis diuinæ à protoparentibus excludere, vel etiam quibusdam pro suo arbitratu ea dona iuste negare, aliis misericorditer concedere: si tamen ex se, bonitateve sua vult omnes homines (*etiam paruulos*) originali peccato infectos saluos fieri, opus est, vt omnibus quoque velit, donetque sufficientia auxilia ad salutem: quorum nullum habuerant ii paruuli, qui sine vlla parentum culpa, sed sola naturalium causarum dispositione à Deo instituta, cum originali decedunt. Velle enim cuipiam id, quod nisi nobis auxiliantibus fieri nõ potest, deceptorium velle est, nisi ei sufficiens auxilium ad id efficiendum conferamus. Quod autem non omnibus adultis fides Christi prædicatur, non satis est, vt vere dici possit, deesse alicui sufficiencientia media ad salutem: nam si quis eius explicatam cognitionem inuincibiliter non habet, satis ei est cognitio legis naturæ mentibus omnium impressa, adiunctis inspirationibus, & illustrationibus diuinis, quæ nulli negantur, vt se ad veram fidem, & diuinam gratiam possit disponere.

Explicatio loci difficilis Pauli.

Neq; etiã iis, quibus fides non prædicatur.

Summa doctrinæ traditæ.

Ita patet, diuinam prouidentiam, etsi imperfecte adhuc concepta non includit certam omnino, & infallibilem assecutionem quorundam finium, idque quia ii fines non sumuntur absolute, sed sub cõditione aliqua; tamen complete consideratam certam omnino

mnino, & infallibilem continere assecutionẽ eorum, ad quos absoluta voluntate rem quãque præordinauit; certaq; & infallibilia media respicere quibus illi obtineantur. Ex cuius quæstionis resolutione intelligitur, quid dicendum sit ad eam, qua quæri solet, Num voluntas Dei semper impleatur? est enim eodem modo respondendum, etsi conditionata non semper impletur, quia nec Deus semper eam impleri absolute vult, tamen absolutam semper impleri: quorum vtrumque oracula diuina perspicue declarant. Sæpe enim conqueritur Deus, quod nolint homines eius voluntati parere: vt cum in Prouerbijs cap. 1. ait, *Vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret*: & apud Matthæum cap. 23. *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Alijs autem locis contra asserit, suam voluntatem non posse non impleri, vt apud Esaiam cap. 46. cum ait: *Omnis voluntas mea fiet*: quod & Esther cap. 13. suæ historiæ cum Deo loquens profitetur: *Non est*, inquit, *qui possit tuæ resistere voluntati.*

Voluntatem Dei absolutam semper impleri, non ita conditionatam.

Sed quia difficile est intelligere, quo pacto diuina prouidentia complete considerata, & (*quod eodem redit*) voluntas Dei absoluta infallibiliter in omnibus euentibus impleatur; nec tamen omnes actus boni creatarum voluntatum ab æterno prædefiniti sint, & ipsæ creatæ voluntates in tempore à diuina determinentur, cum ex se indeterminatæ sint; pressius expendendum est, num res ita habeat. Nam etsi superius ad confirmandam certitudinem præscientiæ diuinæ id satis explicatum videri potest, cum determinatio creatarum voluntatum à diuina, quæ Scoto attribuitur tractaretur; aliud tamen eo loco erat institutum, neque etiam ibi necesse fuit rem hanc ad liquidum omnino resoluere.

Argumenta, quibus omnes actus liberi, saltem boni, videntur à Deo ab æterno prædefiniti, & creatæ voluntates ab eo in tempore determinari.

SECTIO V.

PARS igitur affirmatiua, quod attinet ad prædefinitionem æternam, ex eo primum ostendi videtur, quia alioquin actus liberi futuri non euenirent certo, & infallibiliter ratione diuinæ prouidentiæ, quæ includit voluntatem; sed fortasse ratione diuinæ præscientiæ, quæ speculatiue tantum versatur circa futura, & cum absoluta est, supponit eorum futuram existentiam.

Probatur æterna prædefinitio.

A Deinde, quia Patres ita distinguunt actus creatarum voluntatum inter se, vt dicant bonos omnes esse prædestinatos, hoc est, prædefinitos, malos autem esse præscitos. Lege inter multos Augustinum sexto Hypognosticon, & Leonem IX. in epistola quadam decretali ad Petrum Antiochenum. Non loquuntur autem de actibus indifferentibus, vel quia nulli dantur indifferentes in particulari, vt est

B * D. Thomæ, & aliorum complurium doctorum sententia: vel quia parui admodum momenti sunt, vt alij volunt.

Tertio, quia si huiusmodi actus non essent à Deo prædefiniti, euenirent vtique fortuito, & præter intentionem Dei, nec caderent sub prouidentiam diuinam complete consideratam, aut (*quod eodem redit*) sub voluntatem Dei absolutam, sed conditionatam, & inefficacem: quod videtur dici nullo modo posse.

C Quarto, quia voluntas Dei conditionata, cum non sit determinata in se, non potest quicquam efficere: oportet igitur, vt sit absoluta, & determinata, etiam circa futuros actus creatarum voluntatum, eosque ab æterno prædefiniuerit, præordinauerit futuros in particulari.

Quinto, quia ad ea omnia se extendit diuina prædefinitio, & præordinatio, ad quæ se extendit diuina efficientia: (*auctoritatiua nimirum, & non permissiua tantum*) quo pacto

D intelligendus est D. Thomas quæstione prima de potentia, art. 5. cum æquat prædefinitionem efficientiæ: Deus enim nihil efficit tanquam auctor, cui opus attribuendum sit, nisi prædefinitum à se, & præordinatum: atqui Deus concurrit tanquam auctor ad omnes bonos actus creatarum voluntatum: omnes igitur fuerunt ab eo ex æternitate prædefiniti.

E Sexto, quia aut Deus potest prædefinire aliquem actum liberum, seruata eius libertate, aut nullum: si enim prædefinitio repugnet vni, repugnabit omnibus, si ex parte libertatis est repugnantia: dicere autem, non potuisse Deum ab æterno prædefiniri vel vnum actum liberum creatæ alicuius voluntatis, absurdum admodum videtur; cum præsertim omnia, quæ in particulari absolute præcipit, videatur ab æterno prædefiniuisse, vt ea, quæ

F confirmatis in gratia iniunxit, veluti Paulo Euangelij prædicationem, & actum subeundi pro nobis crucis patibulum, quem Christo Domino ex obedientia imposuit.

Septimo, quia si actus boni, quibus prædestinati beatitudinem assequuntur, non essent prædefiniti, non esset certus numerus ipsorum prædestinatorum ex vi prædestinatio-

c. 25. & 6. item lib. de præd. sanct. c. 10. Angel. de cõcord. prædest. & lib. arbit. c. 2. Prosp. ad obiect. Gallorum resp. 15. & sententia 15.

** D. Th. 1. 2. q. 18. a. 9. Alb. in 2. d. 40. a. 4. Richard. a. 2. q. 3. Durand. 1. Maior q. 2. concl. 5. Argent. q. 1 art 2. Æg. q. 3. Capr. q. vnica, Greg. in 1. d. 1. q. 1. a. 1.*

nis, sed forsitan ex vi præscientiæ, quæ illam more considerandi nostro præcedit, vt de ipsis actibus iam obiecimus: quod permagnum absurdum videtur esse.

Postremo, quia Deus prædefiniuit ab æterno omnes rationales animas, quas creaturus erat in tempore: (omnia enim, quæ solus ipse facit in tempore, ab æterno à se facienda prædefiniuit) at animarum creatio post duas illas primorum parentum pendet ex libera voluntate ipsorum parentum disponentium materiam ad infusionem earum in filiorum corpora: prædefiniuit ergo Deus eas parentum liberas voluntates, quibus ad generationem conueniunt. Atque hæc de prædefinione liberorum actuum creatarum voluntatum ab æterno.

Voluntatem creatam determinari à Deo in tempore.

Quod vero attinet ad determinationem ipsarum voluntatum in tempore, ex eo primũ probatur, eam fieri à Deo: quia cum voluntas quælibet creata subiecta sit Deo effectiue, non solum quatenus aliquando naturaliter fertur in obiectum, veluti in motibus omnino primis, & in clara diuinæ essentiæ cõtemplatione; sed etiam quatenus libere aliquid amplectitur, aut reijcit, veluti in actibus virtutum deliberatis: necesse est, vt etiam tum, cum sic operatur, effectiue subijciatur Deo, ac proinde a Deo effectiue determinetur.

Deinde, quia, cum Deus prius natura cõcurrat ad effectum causæ secundæ, quam ipsa causa secunda, vt traditur in libro de causis efficitur, vt prius natura determinet voluntatem creatam, quam ipsa se determinet: determinatio enim voluntatis creatæ est communis effectus Dei, & ipsius voluntatis, quia voluntas nihil efficere potest nisi concurrente Deo. Quod si Deus prius natura determinet voluntatem creatam; quam ipsa se determinet: ergo non iam ipsa vere se determinat, cum prius natura sit à Deo determinata.

Tertio, quia prima causa est in agendo efficacissima, cum nullum impedimentum ei afferri possit: (*iam enim ipsa se ipsam impediret, cum omnium impedientium actiones ab ea pendeant*) non esset autem (*vt videtur*) omnium efficacissima, nisi quemadmodum determinat agentia naturalia ad actiones necessarias: ita determinaret libera ad actiones liberas.

Quarto, quia necessario, & libere agere, sunt primæ differentiæ actionum: ergo quẽadmodum prior cadere potest sub determinationem diuinam, ita & posterior.

Quinto, quia, etsi quis concedat voluntatem creatam se ipsam determinare ad actus, quos exercere potest cum solo concursu generali, quo Deus indifferenter concurrit ad

A omnes illius actus, etiam malos: tamen ad actus supernaturales, quos exercere non potest sine concursu Dei speciali, & supernaturali, nullo modo videtur se ipsam determinare posse.

Sexto, quia ex ijs auxilijs, quibus Deus mouet voluntatem creatam ad actus supernaturales, quædam dicuntur apud Theologos sufficientia, sed non efficacia, vt quæ repudiari possint: alia efficacia, quia semper habent

B effectum: quanquam igitur voluntas priori genere auxiliorum mota seipsam determinaret ad opus supernaturale, tamen mota auxilijs posterioris generis, nullo modo fieri posse videtur, quin à Deo determinetur.

Septimo, quia si Deus non determinaret saltem vltimos actus prædestinatorum in hac vita, periculum foret, ne prædestinatio esset cassa, & sine effectu: (*fieri enim posset, vt prædestinati, qui tunc in peccato lethali essent, nollent*

C *pro sua libertate conuerti, vt re vera possent*) aut certe cogeretur Deus eorum vitam tamdiu prorogare, donec illi libere resipiscerent, ac pœnitentiam agerent, eamque ipse solicitus, imo & incertus expectaret, ne æternæ à se factæ electionis propositũ frustraretur, quod dici nullo modo potest.

D

Idem suadetur ex diuinis literis, multisque Augustini, & quibusdam D. Thomæ locis.

SECTIO VI.

Loca sacræ Scripturæ.

ACCEDVNT multa diuinæ scripturæ loca, quibus pars hæc confirmari videatur cuiusmodi est illud Prouerbiorum 21. *Cor Regis in manu domini, quocunque voluerit, inclinabit illud*: & illud Hieremiæ 10. *Non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet gressus suos*:

E & illud Domini apud Ioannem capite 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eum*: & illud Pauli ad Ephesios 2. *Deus operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate*, nempe sua: & alia plurima in hanc sententiam, quæ nullo modo videntur intelligi posse, nisi voluntates nostræ a Deo ab æterno prædefinitæ sint, & in tempore determinentur.

Testimonia D. August.

Ex Patribus vero Augustinus ita partem

F hanc suadendam suscepisse videtur in ijs, quæ ad opera gratiæ spectant, vt nihil pene commendatius à quibusdam credatur in hac materia scriptum reliquisse: quem proinde vnum pro eius singulari ingenio, & studio nobis hoc loco pro omnibus satis esse existimare debemus.

Primum enim in libro de prædestinatione

† san-

Prima. eorū classis. † *cap. 8.*

† sanctorum sic ait: *Hæc gratia, quæ occulte humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur: ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur.* Et rursus eodem loco, *Vbi est*, inquit, *quod ei dicitur, Domine tu conuertens viuificabis nos? aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, &c. quid ergo oramus pro nolentibus credere, nisi vt Deus in illis operetur & velle?* Addit etiam: *Etsi faciunt*, inquit, *homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, vt illi faciant, quæ præcepit: non illi faciunt, vt ille faciat, quod promisit: alioqui, vt Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate.* Denique inferius eodem libro sic scribit: *Scriptura teste probauimus, cum Deus vult fieri, quod non volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda, vt hoc velint.* Ex quibus locis aperte videtur colligi sensisse Augustinum voluntatem nostram ad bona opera æternæ beatitudini proportionata effectiue à Deo determinari. *cap. 10.* *cap. 20.*

Secunda. Deinde in libro de bono perseuerantiæ sic ait: *Illis, qui veritatis exhortationem obedienter audiunt, ipsum donum Dei datum est, hoc est, obedienter audire: illis autem, qui non sic audiunt, non est datum.* Et rursus eodem libro non solum ait Deum, quos dignatur, vocare; sed etiam addit ex Ambrosio, quem vult, religiosum facere: *& si voluisset*, inquit, *ex indeuotis fecisset deuotos.* Ergo si Augustinus credit Deū donare nobis, vt obediamus, & efficere, vt simus religiosi, existimat plane voluntates nostras ad huiusmodi opera ab eo effectiue determinari. *cap. 19.*

Tertia. *cap. 16.* Tertio loco afferri potest id, quod ait in libro de gratia & libero arbitrio: *Certum est*, inquit, *nos facere, cum facimus; sed ille facit, vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati.* Quo etiam pertinent ea, quæ docet in libro de correptione, & gratia: *Tantum*, inquit, *Spiritu sancto accenditur voluntas eorum* (qui conuertuntur scilicet) *vt ideo possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur, vt velint.* Et paulo inferius, *Incrementum*, inquit, *dat Deus, cui volenti saluum facere nullum hominis resistit arbitrium.* Et rursus ait, habere Deum humanorum cordium, sine dubio quo placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Denique subdit, magis habere Deum in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi habeant suas. Nō dubium ergo videtur, quin senserit Augustinus, Deum efficere in nobis, vt ipsi faciamus, quod ipse vult: sicque voluntates nostras ab eo non solum efficaciter, (*quocunque modo verbum hoc intelligatur*) sed etiam efficienter, seu physice determinari. *cap. 12.* *cap. 14.* *Eodem cap.*

A

Quarta. *Ioan. 6.* Quarto loco se offerunt ea, quibus Augustinus vrget illud Christi Domini apud Ioannem, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Distinguit enim libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, & alibi sæpe, tractum à ductu: vt ductus sit eius, qui ante volebat; tractus vero eius, qui nolebat. *Trahitur ergo*, inquit, *miris modis, vt velit, ab illo, qui nouit intus in hominum cordibus operari.* Ecce operationem Patris, qua Augustinus ait, voluntatem hominis ante nolentis trahi ad Filium: quod quid aliud est, quam voluntatem nolentis venire, efficienter a Deo determinari, vt veniat? Eodem pertinet similitudo illa iumenti, & sessoris, qua vtitur tertio Hypognosticon ad significandam liberi arbitrij subiectionem, & gratiæ in illud efficacem efficientiam. *cap. 19.* *Tractus, & ductus qui distinguātur.* *cap. 11.*

B

C

Quinta. Quinto accedunt ea, quibus ille contendit, eos, qui Deo vocanti, mouenti, & dirigenti obediunt, sibi tribuere non debere, quod obediant, seque à non obedientibus eadem causa discernere, eisque se præferre, quod diuinæ vocationi, ductuique Spiritus sancti parendo, sibi ipsis salutem, & progressum in via Domini pepererint: quale est illud libro secundo contra duas epistolas Pelagianorum: *Quis enim*, inquit, *te discernit? ait Apostolus homini tanquam de semetipso, & de suo proprio bono glorianti. Quis enim te discernit? vtique ab ira vasis, à massa perditionis?* Et tanquam respondisset: *Discernit me fides mea, propositum meum, meritum meum: Quid enim habes*, inquit, *quod non accepisti? si autem & accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? hoc est, quasi de tuo sit, vnde discerneris: ergo ille discernit, qui vnde discerneris, impertit.* Ecce Augustinum tribuentem Deo ipsam voluntatis nostræ determinationem, qua illi vocanti & regenti obedimus, non ipsi voluntati, quasi se ipsa ad opera æternæ salutis determinet. Quod idem argumentum fuse persequitur libro primo ad Simplicianum, & alijs locis compluribus. *cap. 7.* *quæst. 2.*

D

E

Sexta. *cap. 34.* Sexto loco occurrunt frequentes illæ Augustini admirationes incomprehensibilium Dei iudiciorum de alijs trahendis ad salutem, alijs non trahendis: qualis est illa in libro de spiritu, & litera: *Iam si ad illam*, inquit, *profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, vt persuadeatur; illi autem non ita? duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat: O altitudo diuitiarum: &, Nunquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores; sed caueat, ne inueniat præsumptores.* Et tract. vigesimo sexto in Ioannē, *Magna*, inquit, *gratia commendatio. Nemo venit ad me nisi tractus: quem trahat, &*

F

quem

quem non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat: noli velle iudicare, si non vis errare. Nulla autem esset admirationis ratio, si verũ esset Deum trahere hunc, & non illum, quia hic obedit vocanti, il e renuit venire.

Vltima classis. Postremo. Nota sunt ea, quibus ille tradit duplex esse auxilium Dei vocantis ad salutem: vnum efficax, & quod semper effectum habeat imo etiam sine quo salus haberi non possit: alterum non efficax, & quod nunquam effectum sortiatur. Qua distinctione illud plane videtur docere, auxilio efficaci nostras voluntates ad opera salutis determinari: non efficaci autem non determinari, sed earum determinationem nobis ipsis liberam relinqui. Huiusmodi est illud, quod scribit in libro de prædestinatione Sanctorum: *Quid est,* inquit, *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me, nisi, Nullus est, qui audiat, & discat à Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit: profecto omnis, qui non venit, non audiuit à Patre, nec didicit. Valde remota est à sensibus carnis hac schola, in qua Pater auditur, & docet, vt veniatur ad Filiũ, &c.* Item eodem loco, *Cum Euangelium*, inquit, *prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt: sed qui credunt prædicatore forinsecus insonante, intus à Patre audiunt, atq; discunt: qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neq; discunt, &c. Hoc est, illis datur, vt credant, illis non datur: quia nemo, inquit, venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Hæc Augustinus. In libro etiam de correptione, & gratia, postquam fuse egit de auxilijs, quæ homini in statu innocentiæ data sunt, & quæ nunc dantur, sic ait: *Ipsa adiutoria distinguenda sunt. Aliud est adiutorium, sine quo aliquid non fit: & aliud est adiutorium, quo aliquid fit. Primo itaq; homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret, vt perseueraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset.* Ecce auxilium non efficax, sufficiens tamen. Tunc addit: *Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adiutorium perseuerantiæ datur sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur.* Ecce auxilium efficax. In libro quoque secundo de peccatorum meritis, & remissione hæc scribit: *Cur illum Deus adiuuet, illum non adiuuet: illum tantum, illum autem non tantum: istum illo, illum isto modo: penes ipsum est & æquitatis tam secreta ratio, & excellentia potestatis.* Quo loco Augustinus non dixisset, illum adiuuari à Deo, illum non adiuuari, & eos qui adiuuantur, tam varie adiuuari: nisi loqueretur de solo adiutorio efficaci: sufficiens enim alicui denegare quis asserat?

cap. 8.

cap. 12.

cap. 5.

A Hæc eadem Augustinus tam multis alijs locis inculcat, vt nihil clarius docuisse videatur, quam quod Deus vocatione efficaci voluntates quorundam vocatorum effectiue, seu physice determinet, aliorum vero non determinet.

Denique ex Scholasticis multi creduntur eandem sententiam sequuti, & quod ad æternam prædefinitionẽ attinet, & quod ad temporalem determinationem nostrarum voluntatum. B Ex quibus nobis vnus etiam hoc loco satis erit D. Thom. cuius præcipua est authoritas, vt alios quosdam, qui se eius doctrinam sequi existimant, & nonnullos aliarum classium Scholasticos omittamus. Sic enim scribit in 1. p. q. 25. art. 5. *Non potest esse, quod Deus aliqua faciat, quæ non præsciuerit, & præordinauerit se facturum* Et 1. 2. q. 9. art. 6. *Interdum Deus specialiter mouet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in ijs,* C *quos mouet per gratiam.* Et q. 10. art. 4. *Quod si Deus,* inquit, *mouet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moueatur.* Quod idem alijs in locis scriptum reliquit.

Quo pacto actus liberi non sint ab æterno prædefiniti, & quo pacto sint?

SECTIO VII.

D SIT igitur pro solutione huius difficultatis prima conclusio. Ante omnem præscientiam actuum liberorum nullus eorum fuit ab æterno prædefinitus. Hæc primum ex eo probatur, quia id, quod impedimento est, ne voluntas creata in vtramuis partem se in tempore determinare possit; tollit eius libertatem: huiusmodi autem esset æterna prædefinitio diuina futurorum actuum creatæ voluntatis, si more considerandi nostro E omnem Dei præscientiam præcederet. Talis enim prædefinitio, seu præordinatio includit absolutam Dei voluntatem, vt volunt ij, qui eam ponunt ante omnem Dei præscientiam: voluntas autem Dei absoluta non potest non impleri, vt ex superioribus patet, & omnes Theologi volunt: quo fit, vt tali prædefinitione stante ante omnem præscientiam liberi vsus voluntatis creatæ, non possit F se creata voluntas vtramuis in partem determinare, hoc est, sua libertate vti. *Prima conclus.*

Quod si quis respondeat, *prædefinitionem diuinam, quæ ponitur præcedere omnem præscientiam futuri vsus liberi arbitrij voluntatis creatæ, non tollere naturam ipsius voluntatis, quæ ex se indifferens est ad vtramuis oppositionis partem: sed tantum tollere, ne de facto se de-* *Refellitur quædam responsio.*

se determinet ad eam, quæ opposita est ei, quam Deus præordinauit ab æterno: facile est intelligere, quam friuola sit responsio. Nos enim in tota hac disputatione de contingentibus, & liberis, non agimus de ijs, quæ natura sua sunt contingentia, & libera: sed de ijs, quæ contingenter, & libere eueniunt. Quid autem prodest voluntati, quod natura sua sit libera, si stante tali prædefinitione diuina non potest ipsa de facto sese in vtramuis partem determinare.

Prædefinitio ante præscientiam facta libertatem tolleret.

Deinde probatur conclusio hac illa ratione. Quia, si aliquis actus liber ante omnem Dei præscientiam esset prædefinitus ab æterno, seu præordinatus, vt esset in hac, vel illa temporis differentia: non aliter ea prædefinitio, & præordinatio certo, & infallibiliter impleri posset, nisi determinante Deo in ea temporis differentia voluntatem creatam ad talem actum: hoc autem fieri non posset per vllam circumstantiam illius, & quoduis externum auxilium: imo nec per omnia externa, & interna simul: quia ijs omnibus positis, & relicta ipsa voluntatis vi cum intimo Dei concursu, adhuc actus omitti potest, si est liber: ergo Deus per seipsum intime, seu (*vt dici solet*) physice illam determinaret: quandoquidem, vt nihil intime agit cum voluntate creata ad eius actum eliciendum, nisi solus Deus: ita solus ipse eam determinare potest, si seipsa non determinat. Cum igitur determinatio voluntatis, si à Deo fiat in tempore, plane tollat libertatem actus, quæ libertas tota consistit in eo, quod voluntas sese determinet ad alteram contradictionis, aut contrarietatis partem, vt patebit libro nono: dicendum nequaquam est, vllum actum liberũ futurum in tempore, esse ex æternitate à Deo prædefinitum ante omnem eius præscientiã. Sunt autem hæ duæ rationes adeo efficaces vt non sit necesse tertiam adiungere. Accedit Patrum communis sententia, quæ pro tertia conclusione affertur, quod eorum dicta modo ad hanc primam conclusionem, modo ad secundam, modo ad vtramq; confirmandam valeant.

Secunda concl.

Secunda conclusio. Vt nostro intelligendi more loquamur, post præscientiam futurorum actuum liberorum in statu conditionato boni tantum sunt à Deo prædefiniti, seu præordinati ab æterno; mali autem etsi non sunt prædefiniti, est tamen prædefinita eorum permissio in tempore futura. Hæc conclusio quoad priorem partem ex eo primum probatur, quia possibilis, ac vera prædefinitio liberorum actuum futurorum nihil est aliud, quam approbatiuum decretum diuinæ voluntatis, quo Deus absolute vult, vt sint

Probatur prior pars.

A futuri: etsi autem omnes particulares actus liberi, qui futuri sunt, præsciuntur a Deo in statu conditionato, vt ex supra dictis patet; soli tamen boni (*& si qui sunt in particulari indifferentes*) approbantur, & decernuntur fore, vt est luce clarius. *q. 4. sec. 4. 6. & 7.*

Deinde, quia conditionata scientia secundum se sumpta nullius rei est effectiua: siquidem conditio, quemadmodum in præsenti tempore nihil ponit in re, nec posuit in præ-

B terito; ita nec ponit in futuro: si ergo Deus per eam scientiam aliquorum actuum liberorum est futurus auctor, necesse est, vt decreto suæ voluntatis bonos tantum, aut indifferentes eligat, quos esse velit in hac, vel illa temporis differentia.

Tertio, quia hac ratione merito dicitur Deus suauiter, & iuxta voluntatis naturam concurrere cum creatis voluntatibus: quia prius more considerationis nostræ obserua-

C uit, quid illæ in his, vel illis occasionibus acturæ essent, si in eis ponerentur; tum deinde, quos actus ea scientia bonos, vel etiam indifferentes (*si places*) fore præsciuit, eos tantum futuros esse decreuit, easque occasiones illis præparauit, ad quos actus, & cum quibus circumstantijs sciebat creatas voluntates à se seipsis determinandas: alioqui, si ante hanc præscientiam eos futuros esse statueret, non suaui, sed rigido, vt ita dicam, & ne-

D cessitante concursu eorum auctorem se faceret: quod etsi Deus facere potest, tamen vix vnquam id facere credendus est; & cum facit, non vtitur voluntate ad eos eliciendos, vt voluntas est, sed vt natura, neque ij liberi esse possunt, sed necessarij.

Posterior pars ea ratione probatur, quia sine concursu diuinæ voluntatis, quæ omniũ rerum prima causa est, nihil omnino seu bonum, seu malum fieri potest: cum autem ma- *Probatur posterior.*

E lum, seu peccatum, nec quoad id, quod formale est, nec quoad id, quod materiale, ad quod sequatur peccati formalitas, possit à Deo approbari; & tamen peccatorum permissio propter alia bona, quæ sæpe eorum occasione fiunt, sit bona, & approbari possit; necesse fuit, vt si qua mala permittenda erant in mundo propter alia maiora bona, eorum futura permissio approbaretur à Deo, eiusq; ipse author esse & haberi vellet. Est autem permissio diui- *Permissio diuina quid sit.*

F na particularis (*de hac enim sola hic loquimur*) nihil aliud, quam negatio impedimenti eius mali, quod certo futurum est in particulari & tamen alioqui posset à Deo impediri: differtq; ab humana permissione, quod humana sæpe est de malo, quod in particulari non certo, sed probabiliter scitur futurum esse; diuina autem semper est de eo, quod certum *Quo differat ab humana.*

est esse futurum. Decernunt enim principes non impedituros se quædam peccata, quæ non certo, sed probabiliter sciunt committenda in particulari, nempe ab hoc, vel ab illo, ne alia maiora fiant: at Deus decernit non impediturum se illa ipsa in particulari, quæ præscientia sua certo, & infallibiliter scit ab hoc, vel illo committenda, si in hac, vel illa occasione ponatur. Ita perspicuum relinquitur, quo pacto liberi actus futuri non sint à Deo prædefiniti ab æterno: & quo pacto, & quales dici possint prædefiniti.

Respondetur cuidam obiectioni.

Quod si quis contra hæc objiciat, omnia vere mala, seu peccata etiam in particulari cadere sub prouidentiam diuinam: prouidentiam autem idem esse, atque præordinationem: ergo peccata esse à Deo præordinata, & prædefinita: hoc modo respondendum est: Etiam peccata suo modo cadere sub diuinam prouidentiam, non quidem, vt fint, sed vt post quam nostro intelligendi modo certo præsciuntur futura per scientiam conditionatam permittantur, (*etiam in particulari*) & ad punitionem præordinentur. Itaque non sunt præordinata secundum se, ac simpliciter, (*sic enim essent approbata*) sed ad diuinæ iustitiæ manifestationem permissa, ac deinde ad pœnam præordinata.

Voluntates creatas non determinari à Deo in tempore ad actus liberos, sed seipsas determinare.

SECTIO VIII.

Tertia concl.

TERTIA conclusio. Voluntates creatæ non determinãtur à Deo in tempore ad actus liberos, sed se ipsæ ad alteram oppositionis partẽ determinant: tametsi Deus prius natura concurrit cum illis ad omnem earum temporalem determinationem.

Probatur prima pars.

Prima pars huius conclusionis probatur primum ex ipsa libertatis natura. Si enim Deus eo concursu, quo effectiue concurrit ad actum liberum creatæ voluntatis, (*de hoc enim concursu est sermo, non de concursu in alio genere causæ*) illam ad alteram partem oppositionis determinaret: iam voluntati sic determinatæ non esset integrum alteram amplecti: quo fieret, vt is actus non esset liber respectu voluntatis, sed solius Dei eam determinantis, vt supra quoque dictum est. Sequela ex eo patet, quia libertas in eo posita est, vt voluntas eius, qui libere agit, suppositis ijs omnibus, quæ requiruntur ad actionem liberam, possit æque vnam oppositionis partem, atque alteram eligere: at concursus, quo Deus intime concurrit ad actum liberum voluntatis

¶ 4. sect. 6.

A creatæ, est vnum ex ijs, quæ requiruntur ad actionem liberam, atq; adeo præcipuum. Deinde probatur eadẽ pars ex ratione ipsius concursus diuini. Aut enim est generalis, quo cum rebus omnibus concurrit, vt author naturæ: aut specialis, quo concurrit cum creaturis intellectualibus, vt author gratiæ in ordine ad supernaturalem beatitudinem: at generalis concursus indifferens est ad omnes actus voluntatis creatæ, etiam malos: cum

B voluntas creata nihil omnino possit agere, nisi concurrente Deo ad eius actionem: specialis autem, etsi ad bonos tantum, supernaturalique beatitudine proportionatos conceditur: non impedit tamen, quominus creata voluntas oppositos actus cum generali concursu libere exerceat: *neque enim gratia naturam destruit, sed potius perficit*) nullo igitur modo Deus concursu effectiuo determinat voluntatem vllam creatam ad actus

C liberos.

Tertio hac ratione. Si necesse est, vt voluntas creata per concursum effectiuum primæ causæ ad alteram oppositionis partem determinetur, saltem ad actus bonos, aut indifferentes: (ad hos enim solos authores ij, pro parte opposita consideratius loquuntur, dicunt necessario voluntatem nostram à Deo determinari) vel ea necessitas nascitur ex imbecillitate voluntatis nostræ, ob quam

D fortasse indiget, vt efficaci motu ab eo effectiue trahatur ad bonos actus exercendos, potissimum vero ad supernaturales: vel certe nascitur ex dignitate ipsius diuini concursus, quem videtur fas non esse, cogitare non esse efficacẽ: at neutrum est dicendum: non est igitur, cur opus sit volũtates creatas efficaciter determinari à Deo huiusmodi concursu. Prior assumptionis pars (*neque enim de propositione quisquam dubitabit*) ex eo proba-

E tur, quia nemo iure dicet voluntatem nostram, vt se determinet, saltem ad bona moralia non difficilia, qualia sunt gratificari benemerenti, dirigere in biuio errantem, & similia, esse insufficientem; vt interim mittamus moralia difficilia, & omnia supernaturalia, de quibus dicetur commodius in solutione argumentorum partis oppositæ. Posterior pars ex eo patet, quia non solum fas est, sed etiam maxime decet diuinum concursum

F ita rebus applicari, vt earum naturas, propriasque operationes non lædat: læderet autem libertatem creatæ voluntatis, si illam efficienter ad alteram oppositionis partem determinaret, nec integrum ei relinqueret, vt ipsa vtramuis eligeret.

Probatur 2.

Secunda verò pars conclusionis his argumentis probatur. Primum, quia cum ad a-

ctus

ctus voluntatis creatæ nihil effectiue concurrat, nisi Deus, & intellectus, ac voluntas ipsa, vt patebit libro nono: Deus autem dum concurrit ad actus eius liberos, non eam effectiue determinet, vt probatum est: neq; etiam intellectus, vt libro nono intelligetur: efficitur, vt ipsa se in eis omnibus determinet. Deinde quia experientia ipsa non minus perse notum est nobis voluntatem nostram seipsam determinare ad alteram oppositionis partẽ, quam nos esse liberos.

Quod argumentum, nisi summa protervia, aut delusione, inficiari nemo potest. Tertio, quia voluntatem sese determinare nihil est aliud, quam alteram oppositionis partem eligere: nullus autem actus liber est magis proprius voluntatis, vt libera est, quam electio. Quarto, quia sola voluntas inter omnes potentias est domina oppositorum actuum, agendique, & non agendi, vt Aristoteles tradit libro nono, vbi hæc res magis confirmabitur: non potest autem hic dominatus intelligi, nisi ipsa ad actus liberos sese determinet: tametsi, vt id facere possit, indigeat Dei concursu, generali quidem ad actus naturales: speciali autem ad supernaturales, & quosdam naturales valde difficiles: superuacaneum est igitur addere particularem efficientiam, qua Deus eam determinet: *(vt demus id esse possibile seruata libertate voluntatis)* cum tamen Deus & natura, quod est commune Philosophorum proloquium, nihil frustra faciant. Postremo, quia voluntates creatæ natura sua non minus propensæ sunt *(ne dicam magis)* ad bonum, quam ad malum: tametsi in nobis propter naturæ corruptionem maior sit ad actus virtutum, quam vitiorum difficultas: at illæ sese determinant ad actus vitiorum solo concursu Dei generali suffultæ: igitur & ad actus virtutum, suffultæ tamen ad eos, qui supernaturales sunt, aut ex naturalibus admodum difficiles, concursu etiam Dei speciali. Nec certe difficultas maior ad opera virtutum, quam ad vitia, quicquam obest: nam difficultas non tollit facultatem: quemadmodum difficultas videndi propter imbecillitatem oculorum non tollit facultatem videndi sed vt hic sæpe opus est externo conspiciliorum adminiculo, ita illic subsidio diuinæ gratiæ. Adde, quod difficilius determinatur voluntas humana ad quædam maxima flagitia, veluti ad parricidia, ad prædonum latrocinia, & ad alia huiusmodi, quã ad quædam opera moraliter bona: nec tamẽ quisquam negare potest illam sese ad ea flagitia determinare, ne in eam blasphemiam incurrat, vt propterea dicat necesse esse, vt à Deo ad illa committenda determinetur.

c. 5. text. 10.

Ex Arist. 1. de Coelo. c. 4. text. 33.

Difficultas tollit facultatem.

A Tertia pars ex eo constat, quia voluntas creata est causa secunda: nulla autem secunda causa potest quicquam agere, nisi concurrente prima ad eius actionem: cum igitur prima causa prius natura concurrat ad actionem secundæ, quam ipsa secunda, vt traditur in libro primo de causis efficitur, vt Deus, etsi non determinat voluntatem creatam ad actus liberos, sed ipsa se ad eos determinat, vt probatum est: tamen prius naturà ad
B eius determinationem concurrat, quam ipsa voluntas

Probatur tertia.

Quo loco animaduertendum est, non ideo primam causam dici prius natura ad actionem secundæ concurrere, quam ipsam secundam, quia prius aut tempore, aut naturà efficiat aliquid in effectu, ad quod secunda non concurrat: nihil enim est in effectu, siue ex ratione sua commune, siue particulare, ad quod vtraque non concurrat: sed dua-
C bus potissimum rationibus id dici solet. Vna, quia causa prima agit independenter, seu virtute, & efficacia ab alio non accepta: secunda autem non agit, nisi ea virtute, & efficacia, quam à prima accepit. Altera, quia effectus proprius, & adæquatus primæ causæ, & qui nulli secundæ adæquate respondere potest, est ipsum esse rerum, siue essentiæ, siue existentiæ, quod commune est omnibus effectis adæquatis causarum secundarum:
D tametsi prima causa, cum per secundas aliquid agit, eis largiatur, vt etiam illud commune, & cætera intermedia secum efficiant. Quo pacto non solum Deus, sed etiam ignis, equus, & homo, cum concurrunt ad generationem ignis, equi, & hominis, non solum hæc effecta producunt secundum eorum speciales rationes, sed etiam secundum omnes communes, vt rerum naturalium, substantiarum, & entium: tametsi solus Deus ea
E producit per se, quatenus entia sunt, ignis autem, equus, & homo, participatione quadam diuini concursus, seu *(quod idem est)* quatenus assumuntur à Deo ad eiusmodi effecta producenda.

Quid sit, Deum prius natura, quã causam secundam ad eius actionem concurrere.

Quo autem modo fieri possit, vt Deus prius natura concurrat ad determinationem voluntatis creatæ ad actus liberos quam ipsa creata voluntas: nec tamen illam determinet. *(hoc enim argumento oppositæ partis authores ex tertia huius conclusionis parte impugnant*
F *secundam)* perspicue ostendetur in solutione argumentorum.

Quarta conclusio. Creatæ voluntates, etsi non determinantur à Deo in tempore ad actus liberos, præparantur tamen ad bonos: ad malos autem nec determinantur, nec præparantur. Prima pars huius conclusionis ex

Quarta concl.

T 2 dictis

Duplicem esse præparationem creatarum voluntatum à Deo.

Æterna.

dictis perspicua relinquitur. Pro secunda vero illud intelligendum est, duplicem esse præparationem creatarum voluntatum à Deo; vnam æternam, alteram temporalem. Æterna est, qua ille nobis aliquid ante tempora parauit: qualis est illa, de qua Paulus priori epistola ad Corinthios cap. 2. ait: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.* Et illa de bonis operibus, de qua idem scribit in epistola ad Ephesios cap. 2. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*: hæc enim præparatio in ijs, quæ ad salutem æternam ordinantur, nihil est aliud, quam æterna prædestinatio, quæ ab Augustino in libro de bono perseuerantiæ definitur *Præscientia, & præparatio beneficiorũ Dei, quibus certissime liberantur, quicunq; liberantur.* Temporalis vero est ea, qua Deus in tempore disponit creatas voluntates ad bonum libere amplectendum, veluti ad primam gratiam, vel ad opera, quæ ex gratia, & charitate procedunt: de qua præparatione, quod attinet ad internas motiones, dictum est illud, quod habetur in Psalmo nono: *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Intelligenda est enim nomine præparationis ea, quam Deus facit, vt ex fonte Hebræo adnotauit doctissimus Præsul Genebrardus, quasi dicat Propheta, Præparationem internam, quam tu fecisti, &c. Quod vero attinet ad externas causas, & circumstantias, quas Deus præparat ad creatas voluntates disponendas, perspicuum est illud apud Ionam cap. 4 *Et præparauit Dominus, piscem grandem, vt deglutiret Ionam*; nempe ad pœnitentiam: & illud capite quarto: *Et præparauit Dominus hederam, & ascendit super caput Ionæ*, ad solatium scil. gratiarumq; actionem post laborem prædicationis: & illud ibidem: *Et parauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit*: vt nimirum ea similitudine vinceret Ionas tentationem inordinati zeli, qua laborabat pro auctoritate propheticæ prædicationis. Denique tota hæc præparatio interna, & externa, quãdocunque est ad primam gratiam, intelligitur nomine conuersionis apud Hieremiam Threnorum 5. cum ait, *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*: priori enim loco conuersio accipienda est pro præparatione à Deo facta, quasi dicat Prophæta, Præpara voluntates nostras, vt ex toto corde ad te redeamus: hac enim ratione conuerti possumus, si diuina præueniente gratia ad veram, & plenam conuersionem præparemur, ac disponamur, iuxta illud * Prosperi Aquitanici, *Sine gratia non curritur ad gratiam.*

cap. 14.

Temporalis.

* *Ad obiect. Gallor. respons. 8. & lib. de ingratis cap. 25.*

A Probatur ergo secunda pars conclusionis: quia cum Deus more considerandi nostro post præscientiam conditionatam prædefinierit omnes actus bonos creatarum voluntatum, hoc est, eos fore decreuerit, necesse est, vt ipse ex vitalis prædefinitionis, seu decreti, eas occasiones externas, internasq; motiones pro tempore vnicuiq; eo fine adhibeat, vt tandem ij actus libere eueniant. Est enim ea diuina voluntas, non iam conditionata, B sed absoluta, quæ semper implenda est: neque etiam permissiua, sed approbatiua, vt quicquid à Deo pro ea implenda fit, vere, ac proprie rationem præparationis habeat.

Probatur secunda pars.

Tertia pars ex eo perspicua fit, quia, etsi Deus ab æterno statuit dare agentibus liberis adminicula omnia, quibus libere operari possent, seu bene, seu male, pro eorum libertatis arbitrio, tamen non eo proposito, & instituto id fecit, vt eis ad mala opera abuterentur C cum ea potius auersetur, & præceptis naturalibus, ac positiuis legum diuinarum, & humanarum prohibeat. Vnde fit, vt voluntates nostras ad talia opera per externas occasiones aliasve circumstantias, aut per internum, generalemq; concursum non solum non determinet, verum ne præparet quidem; sed solum ea fieri permittat, hoc est, non impediat: quo pacto, qui honestum conuiuium adornat, nõ illud eo instituto præparat, vt quisquam ine- D brietur, sed vt omnes sobrie eo vtantur; tametsi non impedit, quominus conuiuæ sobrietatis modum excedant.

Probatur tertia.

Eadem conclusiones confirmantur ex diuinis literis, & Augustini sententia.

SECTIO IX.

POSSVNT etiam propositæ conclusiones E ex diuinis literis, & communi Patrum, & Scholasticorum authoritate confirmari; tertia præsertim, in qua pene tota huius quæstionis difficultas posita est, & ex qua ad cæteras confirmatio redundat. Nam loca omnia diuinæ scripturæ, in quibus æqua libertas ponitur in nobis ad bonum, atque ad malum, (vt quod dicitur Ecclesiastici 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui*, &c. & illud Deuterono- F mij 30. *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum*: & alia similia) plane significant dari cuilibet optionẽ, vt æque in hanc, atque illam partem se ipse determinet. Loca etiam, in quibus ad bonum aliquid inuitamur, vt illud Matthæi 10. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: Si vis perfectus esse, vade, & vende*

Voluntatem creatam se ipsam ad actus liberos determinare, probatur ex sacris literis.

Vendi omnia, &c. aliaque plurima in hanc sententiam, aperte declarant nos esse, qui nosmet ipsos ad bonas actiones communibus, & specialibus auxiliis determinare possumus. Denique loca, in quibus reprehendimur, quod non sequamur bona, vel quod sectemur mala, quæ passim in sacris literis repeviuntur, perspicue ponunt in nobis totam voluntatum nostrarum determinationem; quasi donata nobis communi libertatis portione, quæ nos contingit, totius male actæ vitæ nostræ culpam in nos reiiciat summus paterfamilias Euangelicus.

Item ex August.

Iam ex Patribus Augustinus, qui minus in hac sententia fuisse videri potest, quod contra Pelagianos scribens totam liberi arbitrii determinationem Dei concursu tribuere videatur, aperte id sentit; sic enim ait quinto de ciuitate Dei, capite 9. *Sicut omnium naturarum creator est Deus, ita omnium potestatum dator, sed non voluntatum*, hoc est, actuum voluntatis. Id quod ea de causa dicit, quia cum Deus generali concursu nobiscum indifferenter ad omnes actus voluntatis concurrat; nec speciali etiam nobis quicquam libertatis adimat: nobis ipsis relinquit, vt in hanc vel illam partem nosmet determinemus. Neque obest, quod alicui videri potest, Augustinum his verbis non negare voluntates nostras à Deo determinari ad bonum, sed ad malum, cum subdat: *Malæ quippe voluntates ab illo non sunt*: re enim vera de omnibus tam bonis, quam malis voluntatibus loquitur; tametsi ex maiori, & euidentiori malarum voluntatum absurditate rem confirmat. Quocirca animaduertendum est, Augustinum toto eo capite ostendere, nullas creatarum voluntatum actiones, seu malas, seu bonas, fato subiectas esse, vt fati quidem nomen à quibusdam Ethnicis Astrologis, & Philosophis vsurpabatur: putabant enim, eo modo, quo naturales facultates à prima causa determinate proueniunt, ita prouenire determinate omnes earum actiones: quod etsi verum est in actionibus naturalium facultatum; non tamen in actionibus earum, quas dicimus liberas. Sensus ergo Augustini est, non vt Deus omnium rerum naturis in earum productione determinatas, ac certas facultates effectiue indidit; sic omnibus facultatibus effectiue præscribere certas, & determinatas huius, vel illius speciei actiones, quandocunque illæ agunt. Neq; enim id sentiendum est, inquit, de actionibus creatarum voluntatum: alioqui perinde essent à Deo malæ actiones, atque ipsarum voluntatum facultates, quæ effectiue, ac determinate à Deo intellectualibus creaturis datæ sunt. Quod iam vides æque valere in bonis actionibus, atque in malis: tametsi, vt dixi, euidentius absurdum est Deum effectiue determinare voluntatem creatam ad actiones malas, quam ad bonas: quia etsi vtrumque arguit creatarum voluntatum seruitutem, easque vt omnis meriti, ac culpæ expertes facit, sic & omnis libertatis: tamen quod Deus malarum actionum sit vere, ac proprie auctor, in maximam, & apertissimam cedit diuinæ naturæ iniuriam. Itaque non oportet sensum mutare, cum Augustinus transit ab affirmatione dandi potestates, seu facultates ad negationem dandi voluntatum actiones, quod obiectio facit; sed quemadmodum in affirmatione, sic in negatione idem sensus retinendus est, ne quis vitium æquiuocationis incurrat, institutumque Augustini negligat: etiamsi alia ratione bonas voluntates à Deo dari certissimum sit, vt postea explicabitur. Quæ qui non animaduerterint, in loco Augustini citato facile hallucinari poterunt.

Impugnatur quædam responsio.

Idem patet ex capite 30. septimi libri eiusdem operis, vbi hæc scribit: *Sic itaque administrat Deus omnia, quæ creauit, vt etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat.* Nam, cum proprius actus voluntatis, vt voluntas est, sit, sese libere in hanc vel illam partem vertere, plane sentit Augustinus, voluntatem nostram, vt libere quid amplectitur, aut reiicit, non à Deo determinari, sed à se ipsa. Ex qua sententia colligit, libro 12. capite 6. è duobus eadem tentatione pulsatis, eisdem naturæ præsidiis munitis, eisdemq; in occasionibus, & circumstantiis positis, quod vnus tentationi succumbat, alter resistat, æque in eorum voluntate positum esse. Neq; obiicias, Augustinum eo loco non agere de æqualitate internæ lucis, & commotionis diuinæ ad victoriam, sed præsidiorum naturæ, tentationum, occasionũ, & circumstantiarũ præcedentium vtriusque consensum, & dissensum, quia putet, gratuitas inspirationes semper esse inæquales in quibuslibet duobus, quorum alter conuertitur, alter minime. Nam si recte attendas, non omnino ibi prætermisit Augustinus internarum inspirationum auxilia, cum de tentatione vtriusque loquutus sit, cum qua Deus semper facit prouentum, (*quod ait Paulus*) vt tentati sustinere possint: præsertim, cum eo loco non solum agat de alterius casu, sed etiam (*vt videre ibidem licet*) de alterius victoria, quæ auxilio internæ inspirationis obtinetur. Itaque loquitur Augustinus de æquali etiam internæ lucis, & commotionis auxilio præueniẽte consensum vnius, & dissensum alterius; excepto, quod Deus alteri eadem inspiratione subuenit eo tempo-

Diluitur quædam obiectio.

1. Cor. 10.

re, quo præscit illum tentationi restiturum, quæ magna gratia est, & in ea semper superatur is, qui tentationi succumbit, vt inferius patebit: quod tamen non tollit, quominus ipsæ internæ inspirationes, & externa præsidia in se spectata possint esse æqualia. Quod idem plane intelligitur ex libro de prædestinatione, & gratia, cap. 15. vbi Augustinus confert Pharaonem, qui flagellis à Deo inflictis induratus est, cum Nabuchodonosore, qui flagellatus pœnitentiam egit: quorum tamen vterque æque fuerat flagellis clementer admonitus, vt ait, hoc est, clementi flagellorum interiori admonitione adiutus. Cui loco non alia ratione oppositæ sententiæ authores vlla admittendæ responsionis specie occurrunt, nisi excludendo eo libro ex Augustini operibus: quo tamen alias sæpissime in hac materia vtuntur, & ex quo Prosper Aquitanicus fidus Augustini sectator multa desumit; nec certe stylus, aut sententiarum grauitas, & ingenii acumen alium sibi vendicare possunt eius operis authorem.

Librum de prædest. & gratia esse Augustini.

Sed quo pacto verum sit, vt & vocatio Dei erga electos ad æternam beatitudinem cassa non sit, & nihilominus in eorum libertate sit positum, vt se ipsi in hanc, vel illam partem determinent, vocationique obediant, aut resistant, plane, & dilucide Augustinus explicat in primo libro ad Simplicianum, quæstione 2. ostendens, hæc duo propterea non pugnare inter se, quia Deus ea vocatione vocat electos, qua præscit eos vocationi obedituros. Sic enim scribit: *Si vocatio ista ita est effectrix bonæ voluntatis, vt omnis eam vocatus sequatur, quomodo verum erit: Multi vocati, pauci electi? Quod si verum est, & non consequenter vocationi vocatus obtemperat, atque vt obtemperet, in eius est positum voluntate, recte etiam dici potest: Igitur non miserentis Dei, sed volentis, atque currentis est hominis: quia misericordia vocantis non sufficit, nisi vocati obedientia consequatur.* Hactenus difficultatem proponit Augustinus; tum respondet, *An forte illi, qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, vt & illud verum sit: Multi vocati, pauci electi? vt quamuis multi vno modo vocati sint, tamen, quia non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, & illud non minus verum sit: Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem. Ad alios autem vocatio quidem peruenit: sed quia talis fuit, qua moueri non possent,* (hoc est, ad quam sequendam dispositi non erant, quod mox exponitur, cum dicitur) *vt eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi: & non iam similiter verum est: Igitur non miserentis Dei, sed volentis, atque currentis est hominis: quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit: quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, vt & mouerentur, & intelligerent, & sequerentur. Verum est ergo: Multi vocati, pauci vero electi: illi enim electi, qui congruenter vocati.* Hæc Augustinus. Vbi perspicue vides eam vocationem ab Augustino appellari effectricem bonæ voluntatis, qua eo modo homines vocatur, quo certum est eos accommodaturos fidei voluntatem, hoc est, vocationi obedituros. Tales autem eos esse ait, qui eo modo affecti sunt, vt sequantur vocationē, & qui ad eam reperiuntur idonei, hoc est, ita affecti, vt si certo modo vocentur, infallibili notitia præsciantur vocationem sequuturi; ac demum, qui eo modo vocantur, quo illis aptum est vt moueantur, & intelligant, & sequantur. Quid autem est, *Quo illis aptum est, vt moueantur*, &c. nisi qui modus talis sit, vt sit eorum dispositioni accommodatus, nempe, quo non dubium sit, quin pro loco, tempore, & aliis circumstantiis, & auxiliis vocatio sit sequenda?

Idem ostendit Augustinus vltimis verbis citati loci, cum vocationem electorum, cōgruentem vocationem appellandam esse concludit: quam eandem vocationis appellationem sæpe alibi vsurpat & ex ea complura soluit dubia. Neque enim eam vocationem censet esse congruam, quæ necessitatem vllam voluntati vocatorum afferat, vt natura sua reiici non possit; sed quæ eo pacto, & in ea occasione fiat, in qua præsciatur iuxta vocatorum præsentem dispositionem libenter amplectenda.

Idem quoque docet in libro 83. quæstionum, vbi sic ait: *Ad illam cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt; neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt; quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam, vt venirent vocati, erat in libera* (scilicet eorum) *voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea etsi quisquam sibi tribuit, quod venit vocatus, non sibi potest tribuere, quod vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmii, vt vocaretur; sic inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire neglexerit.* Quo loco vides Augustinum confitentem posse eum, qui venit, sibi aliqua ex parte tribuere, quod vocatus venerit, hoc est, quod vocationi obtemperauerit; non tamen, quod vocatus fuerit: hoc enim solius

quæst. 68.

An liceat cuiq; de bono opere gloriari.

solius gratiæ munus fuit; illud autem gratiæ simul, & liberæ voluntatis eius, qui vocatus est, qui in eo, quod vocatus libere obediuit, id fecit, vnde aliqua ex parte gloriari possit Veritatem enim dicet, qui sic gloriabitur, vt sibi aliquid tribuat, quod Paulus docet secunda ad Corinthios capite duodecimo, tametsi id non expediat, ne quis sibi plus inde assumat, quam sibi debeatur. Quantulum enim debeatur homini pauperrimo, qui magnam eleemosynam libera voluntate accepit, quod eam posset imprudenter reiicere? Quocirca Chrysostomus, & Ambrosius eum Pauli locum sic intelligunt, vt dicant, non esse mendacem eum, qui glorietur, si quid boni agat, in eo quod libere agit; si tamen taceat, melius illum & prudentius facere, vt faciebat Paulus. Quod si vocatus sibi aliquid tribuere potest, quod vocanti obedierit, cũ posset, quemadmodum & alter, non obedire: ergo vocatio ipsa non ex se, & natura sua illius voluntatem physice determinauit, sed se ipse libere cum gratiæ cooperantis concursu determinauit. Neque obiicias verba illa: *Vocatio ergo ante meritum (hoc est, ante consensum) voluntatem operatur*, quasi operationis vocabulo significet Augustinus vocationem ipsam, quæ consensum præcedit, effectiue operari voluntatis vocatorum determinationem: hoc enim est, de quo est controuersia, quænam sit ea operatio, physicane, an moralis, siue inuitatoria. Nam & Paulus perspicue ait, Deum operari & velle nostrum, & perficere: & Dominus apud Ezechielem se effecturum pollicetur, vt eius mandata custodiamus: & tamen de eo operandi, & faciendi modo, quo pacto intelligendus sit seruata nostratum voluntatum libertate, tota huius quæstionis Theologorum difficultas est.

Chrysostom. homil. 26.

Ad Philip. 2.

cap. 36.

Idem planius exponit in libro de spiritu & litera, capite 34. *Suasionibus*, inquit, *agit Deus, vt velimus, & vt credamus*, &c. *Neque enim*, inquit, *credere potest quodlibet liberum arbitrium, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat: profecto & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est*. Vbi vides, sic ab Augustino intelligi Deum præueniente gratia operari nostrum velle, hoc est, nostræ voluntatis consensum, quo suasiones probabiles, cum proponuntur, operantur persuasionem, accedente tamen ad æternam suasionem aliquo interiori affectu eius, qui persuadendus est: eiusmodi enim suasiones aliis persuadent, aliis minime, vt experientia constat. Vnde plane concludit, propriæ voluntatis esse ipsum consensum, vel dissensum;

A quod nimirum ipsa se voluntas determinet, vt vocationem sequatur, aut reiiciat, præueniente tamẽ gratia commota, & in ipso etiam assensu concurrente ea, quæ concomitans, & cooperans est.

serm. 235.

Denique in sermone quodam de tempore, cum quæsisset, cur Deus aliquos deserat, *Respondet tibi*, inquit, *Dominus Deus tuus: Quia bonum non denegaui*. Quasi dicat: Quia vocaui, & obtuli, quicquid necessarium erat
B ad bonum consequendum: tu vero restitisti vocationi, & abiecisti hanc gratiam tibi oblatam. Vbi iam rogo, an Deus, cum significat se obtulisse, quicquid necessarium erat, intelligat quicquid etiam erat satis? Non dubium, quin hoc intelligat: neque enim aliter dici potest, dari quicquid necessarium est ad aliquid consequendum, nisi detur id, quod est satis. Si enim ea, quæ dantur, non sunt satis, adhuc aliquid aliud est necessarium: quo etiam
C fit, vt conqueri possitis, qui non venit, quod non satis sint ea, quæ sibi dantur, vt veniat. Quod si omnia, quæ non modo necessaria sunt, sed etiam satis, æque dantur ei, qui venit, & ei, qui non venit, tametsi plura, & maiora fortasse vni dentur, quam alteri: æque igitur vterque venire potest, & non venire, etiamsi alter forte facilius, alter minus facile: auxilia enim, quæ vtrique dantur, natura sua satis sunt, vt ambo veniant.

Refelluntur nonnullorũ responsiones.

D Sed mira est quorundam responsio. Satis sunt, inquiunt, natura sua, vt vterque venire possit; non tamen, vt vterque veniat: quo pacto primis parentibus data sunt auxilia, quibus perseuerare possent; non tamen, quibus perseuerarent, (*quod Augustinus ait, & superius relatum est*) quia re vera non perseuerarunt. Quæro igitur, (*vt alia mittam incommoda*) si vtriusque auxilia satis sunt natura sua, vt vterque venire possit, vnde pro-
E ueniat, vt auxilia vnius sint satis, vt ille veniat; alterius autem non sint satis, vt ipse etiam veniat? Respondent, quia auxilia eius, qui venit, sunt efficacia; eius autem, qui non venit, non sunt efficacia, quæ est auxiliorum diuisio ab omnibus Scholasticis recepta. Recte quidem; sed rogo iterum, quid sit auxilium efficax, quid non efficax? Dicunt, efficax esse, quod natura sua semper habet effectum, vtpote cui voluntas creata resistere non po-
F test; non efficax autem, (*ne dicatur inefficax, quasi insufficiens*) quod natura sua nunquam habet effectũ. Illuditur ergo is, qui posteriori genere auxiliorum vocatur, & immerito reprehenditur, quod vocatus non veniat, cum ei non dentur alia auxilia, nisi quæ nunquam habent effectum, idque natura ipsa sua; vt dicunt. Quo ergo pacto sunt sufficientia,

vt voca-

vt vocati venire possint, quæ natura sua nunquam habent effectum?

Omnia diuina auxilia esse natura sua sufficientia, vt voluntas veniat ad Deum.

Dicimus ergo, omnia diuina auxilia, quæ vocatis conferuntur esse natura sua sufficientia, non solum, vt illi venire possint, sed etiam vt veniant. Ridiculum est enim asserere, esse illa natura sua sufficientia, vt venire possint, non tamen, vt veniant, cum potentiæ ab actibus suis naturam, & distinctionem accipiant: eos autem, qui huiusmodi auxiliis adiuti non B veniunt, sibi tribuere debere, non auxiliorum naturæ, aut vocanti, eaque conferenti, quod non veniant, vt Augustinus superius dixit. Sed tamen addendum, etsi omnia natura sua sunt satis, vt vocati non solum venire possint, sed etiam vt veniant; (*præsertim cum multi veniant minoribus natura sua adiuti, quam alii maioribus*) tamen non omnia dari à Deo absoluta voluntate, vt veniant, sed iis tantum, qui secundum propositum, hoc est, absolute omnino, & sine vlla conditione vocantur. Id C quod Augustinus declarat in primis parentibus, quia etsi sunt inuitati, vt perseuerare possent in statu innocentiæ, non sunt tamen eo proposito commoti, & incitati, vt perseuerarent. Quia etsi Deo conditionata voluntate placebat, vt perseuerarent, nempe, si ipsi vellent; tamen non absolute statuerat, vt perseuerarent: quod si decreuisset, eis vtique dedisset auxilia, quibus certo præsciret eos perseueraturos: non quod ea, quæ illis data sunt, D non essent satis, vt perseuerarent; sed quia in prima illa tentatione, qua perseuerantiam amiserunt, priori illi Dei voluntati sufficienter eos iuuanti non se accommodarunt. Patet igitur, Augustinum longe esse alienum ab eorum sententia, qui volunt, creatas voluntates in operibus gratiæ effectiue, seu physice à Deo determinari, tametsi velit eas à Deo congruentibus vocationibus præparari, quibus nimirum præscit eos, qui vocati venturi E sunt, vocationi obtemperaturos. Patet etiam, ea sola auxilia, quibus hi vocantur, esse efficacia, quia semper habent effectum, idque ex ipso proposito diuinæ voluntatis congruam vocationē præparantis; cætera vero non esse efficacia, quia vocatorum voluntates non se illis accommodant, cum alioqui natura sua nonnunquam sint æque, aut etiam magis sufficientia: quanquam hac vocationis gratia F semper vincuntur non venientes à venientibus, quod horum vocatio semper fit eo tempore, quo præsciuntur venturi; illorum autem minime.

Non tamen omnia à Deo dari hominibus absoluta voluntate, vt veniant.

Eadem conclusiones confirmantur ex aliis Patribus, & Scholasticis.

SECTIO X.

EANDEM sententiam & ante, & post Augustinum sequuti sunt alii Patres. Ac primum Clemens Romanus libro tertio recognitionum facit D. Petrum respondentem Simoni Mago, qui primus post Christi ascensionem libertatem arbitrii necessitati diuinæ determinationis subiecit, aperte dixisse, Deū non statuisse, quid homines agerent, sed pro actibus & voluntatibus suis statuisse præmia, aut pœnas, quod de statuto ante omnem præscientiam nostræ determinationis ad bonum, aut malum planissime intelligitur.

Dionysius Areopagita in libro de Diuinis nominibus idem docet, cum ait, Deum non violare naturam, sed conseruare, mouereque rem quamlibet iuxta modum, & exigentiam illius, atque idcirco prouidere creaturis rationalibus, vt libero agant arbitrio. Quod cum ipse, tum alii Patres sic explicant, vt velint, cæteras creaturas determinari à Deo ad certas specie actiones; rationales autem præceptis, consiliis, illustrationibus, ac inspirationibus ad bonum induci. Id quod Cyrillus Alexandrinus in Ioannem fuse, ac perspicue declarat, itemque libro octauo contra Iulianum: & optime Methodius de libero arbitrio à nostro Turriano relatus, & è Græco conuersus, quarto libro contra Magdeburgenses. *cap. 4.* *Tum alibi, tum li. 4. c. 7.* *cap. 2.*

Origenes etiam in Epistolam ad Romanos ait, Deum tanquam bonum dispensatorem prænoscentem vniuscuiusque propositum vti nostris voluntatibus ad ea perficienda, quæ vniuscuiusque animus, & voluntas eligit. Quod idem tradit Gregorius Nazianzenus in illud Domini, quod est apud † Matthæum, *Non omnes capiunt verbum, sed quibus datum est.* Idem docet Hieronymus in epistola ad * Edibiam: item Theodoretus † libro quinto diuinorum decretorum: & Anselmus in * libro de concordia gratiæ, & liberi arbitrii. *in cap. 9.* *Orat. 3. item Or. 2. de Pasc. & Or. de Natiuit. Dom.* *† cap. 9.* ** quæst 10.* *† c de pronid.* ** cap. 2.*

Hanc eandem sententiam vsque adeo amplectuntur alii Patres, vt † alter eius ætatis Gregorius Nyssæ Episcopus, & Magni Basilii frater libro * septimo Philosophiæ, qui est de libero arbitrio, & libro † octauo, qui est de prouidentia, duplicem prouidentiam ponat, vnam diuinam, quam absolute prouidentiam appellat; alteram humanam: resque naturales, quæ respectu particularium causarum casu accidunt, diuinæ prouidentiæ subiiciat; quæ vero in nostra potestate sunt, nostræ prouidentiæ subdat. Quanquam enim ait, omnia subesse diuinæ prouidentiæ tanquam primæ causæ liberæ omnium rerum, quæ possunt esse, & non esse, vt sine qua *† Duplex prouid. ex Greg. Nyss.* ** cap. 2.* *† cap. 8.*

nihil

nihil esse potest, & quæ proxime disponit omnia pure naturalia, & ea, quæ casu apud nos eueniunt: docet tamen ea, quæ in nostra potestate sunt, à nobis ipsis tanquam secundis, ac proximis causis libere disponi, nosque diuina prouidentia adiutos ea ordinare, ac determinare. Vnde posteriori loco refutans errorem Euripidis, & Menandri, sic ait: *Sed intellectus* (scilicet noster) *eorum, quæ in nobis sunt* (hoc est, in nostra potestate) *est prouisor, aut agibilium, aut artium, aut contemplationis. Prouidentia vero* (nimirum diuina) *eorum est, quæ non sunt in nobis*, (siue in nostra potestate) *vt naturalis complexionis, & cæterorum huiusmodi.* Quam eandem doctrinam Damascenus sequutus ad finem libri secundi orthodoxæ fidei, vt planius declaret, in eo sitam esse nostræ prouidentiæ rationem, quod ipsi nosmet determinemus in iis, quæ libere agimus; perspicue docet, diuinam prouidentiam non prædefinire nostras humanas operationes: sic enim scribit: *Opera pretium est cognoscere, omnia præscire Deum, non autem omnia prædefinire: præscit enim ea, quæ sunt in nobis*; (id est, in potestate nostra) *hæc autem non prædefinit. Neque enim vult prauitatem fieri, nec virtuti vim affert*, hoc est, nec necessitat quenquam ad opera virtutis. Vbi vides, Damascenum perspicue negare in Deo prædefinitionem eorum, quæ nos libere agimus, eamque nobis ipsis, nostræque prouidentiæ ascribere, siue vt male agamus, siue vt recte operemur: quod intelligendum est ante præscientiam conditionatam nostrorum operum: siquidem post hanc iam superius ostensum in conclusionibus, Deum approbatiua voluntate prædefinire bona, vt fiant, & remunerentur; mala autem determinate, & absolute velle permittere, ac punire. Idem tradit Damascenus sub finem libri contra Manichæos iisdem pene verbis.

cap. 30.

Sect. 7. conclus. 2.

Homil. 12. Chrysostomus quoque in Paulum ad Hebræos perspicue ait, Deum non antecedere voluntates nostras, ne liberum lædatur arbitrium. Quod æque intelligi potest de æterna prædefinitione, vt non credatur præcedere nostro intelligendi more præscientiam conditionatam nostri vsus, atque de temporali determinatione, vt nemo putet voluntatem expectare, vt à Deo determinetur: præsertim cum hæc duo connexa sint necessario, vt si Deus non determinat in tempore voluntates nostras, sed vnicuique relinquit suæ voluntatis plenum dominatum, neq; etiam earum actus ab æterno ante eorum præscientiam conditionatam prædefinierit. Quod si ante prædefiniuisset, quam præsciuisset,

A in tempore quoque nostram determinationem ad bene agendum non expectaret. Si quis autem dicat, hæc vera esse de Deo, vt est author naturæ, non vt est author gratiæ; & de voluntatibus nostris in esse naturæ, non vt subduntur gratiæ; id sane absque vllo fundamento dicetur, cum Patres de vtraque prouidentia, & de omni libertate voluntatis loquantur, idque Chrysostomus homilia quarta de laudibus Pauli in operibus gratiæ declaret. *Non cogit*, inquit, *Deus homines vocando*, hoc est, non necessitat: (de coactione enim proprie dicta nemo dubitabat) *sed post vocationem quoque permittit eos propriarum esse dominos voluntatum.* Quo loco notanda sunt verba, *post vocationem*: significant enim plane sensum compositum, vt supposita enim vocatione diuina possit vnusquisque vocationem reiicere. Et homilia vigesima secunda in Genesin, *Manifestum*, inquit, *est sua quemque voluntate vel malitiam, vel virtutem eligere: nam nisi ita esset, neque illos puniri, neque istos virtutum retributionem accipere oportebat. Verum quia in nostra voluntate totum post gratiam derelictum est, ideo & peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retributiones. Post gratiam*, inquit Chrysostomus, quia supposita gratia vocationis de facto mouente quemlibet ante liberum eius consensum, aut dissensum. Quocirca nulla ratione tantus Ecclesiæ Doctor eius erroris insimulandus est, (*quod nonnulli faciunt*) de quo Cassianus eius olim discipulus notatus fuit, postquam rediit in Galliam, cum diceret: Aliquando nos à nobis ipsis disponi ad gratiam per bona liberi arbitrii opera: quandoquidem Chrysostomus his locis non agit de dispositione ante vocationem, de qua re reprehensus est Cassianus. Cætera autem loca, in quibus ille videri potest idem, quod Cassianus, sensisse, pie & salubriter à piis, & doctis viris intelliguntur, & explicantur.

Absoluitur Chrysost. à calumnia.

Vide Sixtum Senens. lib. 5. annot. 101.

Hæc denique, & alia his coniuncta luculenter explicauit Prosper Aquitanicus doctrinæ Augustini studiosissimus, libro secundo de vocatione Gentium, capite vigesimo sexto, *Gratia Dei*, inquit, *in omnibus iustificationibus principaliter præminet, suadendo exhortationibus, mouendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: sed etiam voluntas hominis subiungitur ei, atque coniungitur quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, vt diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium. De sua habet mutabilitate, si*

V deficit:

deficit: de gratia opitulatione, si proficit, quæ opitulatio per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos, omnibus adhibetur: & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitia; quod autem à multis suscipitur, & gratia est diuinæ, & voluntatis humanæ. Siue igitur initia, & progressus fidelium, siue vsque ad finem perseuerantium cogitemus genus, nulla species cuiusquam virtutis occurrit, quæ vel sine dono diuinæ gratiæ, vel sine consensu nostræ voluntatis adhibeatur: ipsa enim gratia hoc omni genere medendi, atque auxiliandi agit, vt in eo, quem vocat primam sibi receptricem, & famulam donorum suorum præparet voluntatem: nam virtus nolentium nulla est; nec potest asseri, vel fidem, vel spem, vel charitatem eis inesse, quorum ab iis bonis consensus alienus est. Hactenus Prosper. In quam sententiam Patres omnes conspirasse, diuinasque scripturas intellexisse, signum est certum illud Tridentini concilii decretum ex sessione sexta * superius citatum, quo tanta libertas diuino illo sacri senatus lumine in nostra voluntate agnoscitur, vt illa gratiæ Dei præuenienti possit resistere, eamque iam excitantem & mouentem ad præstandum consensum plane repudiare.

c.5. & can.4.
** q.4. sect.6.*

Idem sensisse D. Thom.

Porro ex Scholasticis D. Thomas, quem nonnulli eius sectatores in contrariam partem trahere conantur, non Deo, sed nobis ascribit voluntatum nostrarum, siue in operibus naturę, siue gratię liberam determinationem. Nam 1. 2. quæst. 9. art. 6. sic scribit: *Deus mouet voluntatem hominis sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum: & sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum.* Quo nihil clarius dici potuit. Nam quod mox adiungit his verbis, *Sed tamen interdum specialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in illis, quos mouet per gratiam,* quod idem pro parte opposita superius obiectum est, nihil traditæ veritati repugnat. Aliud est enim Deum mouere voluntatem creatam, aliud eam determinare: namque eam mouere (*si proprie loquendum est*) est illam effectiue inclinare, quod soli Deo conuenit: eam autem determinare est, non morali, sed physica actione efficere, vt consentiat aut dissentiat: quod Deo non conuenit, nisi quando illam necessitat ad aliquem talem actum; alias enim semper eius determinationem eidem relinquit.

Deum volũtatem mouere, & determinare differunt.

Deum dupliciter eam mouere.

Duobus autem modis dicitur Deus proprie illam mouere, seu effectiue inclinare: vno, quatenus eam inclinat ad amplectendum bonum in commune, quod est obiectum voluntatis, aut beatitudinem, in qua omne bonum creaturæ intellectualis comprehenditur. Cum enim voluntas nostra concipit bonum vt bonum, & beatitudinem vt beatitudinem, seu vt summum bonum nostrum formale, propterea Deus dicitur illam mouere quoad specificationem, hoc est, ad solum actum amplectendi, quia illi dedit naturalem propensionem ad amplectenda hæc obiecta, ita vt non possit ea reiicere, aut opposita amplecti, malum scilicet, vt malum est, vel miseriam, vt miseria est. Altero modo eam dicitur mouere, quatenus eam effectiue inclinat ad affectus quosdam, quibus eam disponit ad ipsum consensum, aut dissensum, cohibitionemve, aut suspensionem actus, in quibus affectibus à Deo effectiue causatis simul ipsa cum Deo effectiue concurrit: & licet sponte id faciat, (*quod nonnulli vocant libere libertate spontanei, siue libere à coactione, quæ omnino voluntati repugnat*) non tamen libere libertate contrarietatis amplectendi, vel refutandi hoc vel illud, aut contradictionis amplectendi, vel non amplectendi aliquid, refutandive, vel non refutandi: in qua contradictione præcipue libertas cernitur, vt patebit libro nono.

Explicatur locus D. Tho.

Cur ergo D. Thomas ait, Deum vt vniuersalem motorem mouere voluntatem hominis ad bonum, & sine hac motione nihil hominem posse velle, ad illam efficientiam referendum est, qua Deus in ipsa creatione animæ ei contulit voluntatem propensam ad bonum, vt bonum est, & quod consequens est, multo propensiorem ad bonum felicitatis, in quo comprehenditur omne eius formale, & peculiare bonum. Quo fere modo grauia & leuia dicuntur moueri à generante, ea nimirum ipsa actione, qua illa genuerunt, grauitatemque, & leuitatem illis ad motum dederunt. Quo fit, vt ea diuina motio non sit referenda ad particulares voluntatis determinationes, quas Deus integre ei relinquit, vt sese per rationem determinet, vt ait Diuus Thomas: (*non excluso tamen suo generali concursu*) sed referenda est ad illam generalem, qua facta est necessitate quadam naturali propensa ad solum bonum. Cum autem addit, nihilominus Deum interdum specialiter mouere aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, iam loquitur de speciali effectione, non qua determinet eorum voluntates ad aliquid volendum, aut refutandum, sed qua eas excitat, & inclinat, vt seipsæ determinent ad certum aliquod ac determinatum bonum. Dixit autem, *Si ut in illis, quos mouet per gratiam*, non autem, *In illis tantum*, quia Deus non solum vt author gratiæ,

tiæ, sed etiam vt author naturæ: interdum A vtitur huiusmodi specialib. motionibus, quas Aristoteles ad calcem lib. 7. moralium Eudemiorum in Deo, vt author est naturæ, summo ingenio agnouit: docet enim, interdum homines præueniri, & excitari à Deo ad magnū aliquod bonum amplectendum, aut malum declinandum, attribuens quorundam bonam fortunam Dei instinctui, & inspirationi: tametsi feliciores esse ait eos, qui hac ratione magna adipiscuntur bona, quam qui magna mala declinant. B Itaque etiam tum mouet Deus voluntates nostras effectiue, sed non eas effectiue determinat.

Mirum autem mihi admodum videri solet, quod non desint, qui Diui Thomæ audeant oppositam sententiam ascribere. Nam si Deus in æterna illa sua deliberatione, nulla quasi spectata conditionali notitia futuræ determinationis creatarum voluntatum à se ipsis illa statuit determinare in tempore ad a- C ctus bonos, cur D. Thomas non retul t certitudinem diuinæ præcognitionis futurorum actuum illarum ad cognitionem actus suæ ipsius voluntatis, quo statuerat (*vt ipsi volunt*) se illas determinaturum ad eiusmodi actus? Quanquam enim hi non possunt cognosci in solis voluntatibus creatis, quod eæ sint ex se indeterminatæ: nonne certissime cognosci possent in voluntate increata, à qua Deus certissime sciebat illas iuxta hanc sen- D tentiam esse determinandas? Multo enim certius id cognouisset in actu suæ voluntatis determinatiuo illarum, quam in approbatiuo, aut permissiuo eorundem actuum, ad quos secundum veram sententiam præsciebat eas à se ipsis determinandas, vt nos supra concessimus, & probauimus, cum de præscientia disputaremus. Mitto, quam sit præter rationem, & naturam creatarum voluntatum, posse illas se determinare ad actus malos, non item E ad bonos, & alia multa absurda, & incongrua in opposita opinione, quæ ex supra dictis perspicua relinquuntur. Itaque plane aduersantur sancto Doctori, qui creatas voluntates eius sententia determinari à Deo putant ad actus liberos, vel bonos etiam.

1.p.q.26. memb.4.art. 3. & 7. & q. 40.memb.4. ad 3.

Idem sentit D. Thomæ præceptor Alensis Alexander, dum asserit, Deum non esse causam determinatiuam actuum liberorum voluntatis creatę & cum Damasceno & aliis Pa- F tribus, quos Damascenum sequi diximus non esse circa actus humanos in Deo prouidentiam determinationis, sed concessionis; quod libero arbitrio creato permittatur, vt quicquid vult, faciat, siue bonum, siue malum.

Ostenditur eadē veritas ex doctrina Scoti.

Eandem sententiam re bene expensa sequitur Scotus pluribus locis: nam etsi in primo sententiarum d. 39. q. 3. & in secundo d. 1. q. 3. existimauit, si Deus ex necessitate naturæ ageret, fore, vt nihil contingenter eueniret, eo quod causæ necessario agerent, si à prima necessario agerentur; (qua in re, quo pacto non recte senserit, quo etiam recte sentire potuerit, superius ostensum est) tamen extra eam suppositionem plane docuit, tum in primo d. 8. quæst. 5. tum in secundo d. 37. q. 1. ac demum in quarto d. 1. q. 1. voluntatem creatam in actibus liberis à se ipsa, non à Deo determinari.

§. Ad arg. pro opin. Philos.

Primo enim loco, cum docuisset, Dei voluntatem secundum se, & ex natura sua esse indeterminatam ad contradictoria, determinarique ad hoc potius, quam ad illud ex suæ libertate, hæc addidit: *Ea voluntas*, inquit, *nostra est indeterminata hoc modo indeterminatione virtutis actiuæ ad vtrumlibet contradictoriorum, & ex se potest determinari ad hoc, vel ad illud*. Vnde patet, Scotum sensisse, quemadmodum diuina voluntas à se ipsa determinatur, sic voluntatem nostram à se ipsa vere, & effectiue determinari, concurrente tamen (*quod subintelligitur*) voluntate diuina. Id quod etiam confirmatur ex iis, quæ subiicit: cum enim inquireret, quare voluntas diuina ad hoc potius determinetur, quam ad illud, respondet, parum sapientis esse hoc quærere, cum constet, nullam aliam causam aptiorem dari posse huius rei, quam si dicamus hanc esse voluntatis naturam. Alioqui si determinare se ad hoc non posset, voluntas vtique non esset. *Itaque huius quæstionis*, inquit, *Quare voluntas voluit hoc? nulla est causa, nisi quia voluntas est voluntas: sicut huius, Quare calor est calefactiuus? nulla est causa, nisi quia calor*. Quæ omnia sapienter annotauit Scotus.

§. Ad solutionem.

Secundo autem loco hæc scribit: *Sicuti in vno instanti naturæ materia materiat, & efficiens efficit: ita duæ causæ efficientes ordinatæ in vno instanti naturæ causant effectum communem, ita quod neutra tunc causat sine altera: sed quod effectus non rectus causetur, hoc non est tunc propter causam priorem, quæ quantum est ex se, recte causaret, si secunda causaret: sed propter defectum causæ secundæ, quæ in potestate sua habet concausare causæ primæ, vel non concausare: & si non concausat: ideo, vt tenetur, non est rectitudo in effectu communi ambarum*. Ex quibus apertum est, Scotum eo loco tria sensisse: Vnum est, omnes causas diuersorum generum, sed tamen eiusdem ordinis, vt materiam, formam, efficiens proximum, & proximum finem, simul natura concurrere ad eundem effectum: quod verissimum est, quia effectus pendet ab omnibus huiusmodi causis, & nulla earum in suo causandi genere pendet ab alia.

Quæ causæ concurrant, aut non concurrāt simul natura cum effectu.

V 2 Alterum

Alterum est, causas eiusdem generis, sed tamen non eiusdem ordinis, vt primam causam efficientem, & quamlibet secundam, simul etiam natura concurrere ad effectum secundæ, quod proprie loquendo admittendum non est, vt inferius patebit. Tertium vero, causam secundam determinate actionem primæ, & cuiuscunque intermediæ: quod etsi proprie non est dicendum de causis secundis naturalibus respectu primæ, quia revera omnes huiusmodi causæ à primo agente determinantur, seu potius iam inde ab ipsarum productione determinatæ sunt, vt etiam patebit inferius, tamen in causis liberis, de quibus eo loco præcipue disputat Scotus, verum omnino est: non quasi creatæ voluntates aliquid causent in voluntate diuina, sed quia diuina suo concursu illas indifferenter vti sinit: atque hac ratione tam culpa operis, quam meritum secundo agenti, tanquam deficienti, aut cum primo agente se conformanti tribuitur.

Sect. 13. ad 2. — *Ibidem.*

Denique tertio loco corrigens, vt videtur, eam sententiam, quam alibi tenuerat, nempe omnes causas secundas etiam liberas determinandas fuisse à prima, si prima ageret ex necessitate naturæ: docet aliam esse rationem in causis proprie instrumentalibus, aliam in causis secundis principalibus. Nam etsi instrumentales determinantur à principalibus ad talem, vel talem effectum, quia non mouent, nisi moueantur à principalibus: tamen secundas principales non determinari à prima, quia non mouentur à prima, vt ipsæ moueant. Quod quidem verissimum est, cum non loquatur de motione præterita, sed de præsenti: etenim non solum causæ liberæ non mouentur actu à prima, cum operantur, sed ne naturales quidem: tametsi ex hoc posteriori genere quædam dicuntur moueri, & operari motæ antiqua motione ab iis, à quibus sunt productæ: id quod dicimus de grauibus, & leuibus, cum mouentur ad sua loca naturalia, aut reducuntur ad natiuas qualitates proprias: quod etiam dici posse de causis liberis, si creata voluntas conferatur cum bono in commune, aut cum summo bono, ex paulo ante dictis patet.

Ad vltimum.

Eandem sententiam tenent † Bonauentura, Abulensis, Ochamus, Gregorius, Marsilius, Gabriel, & alii quamplurimi Scholastici, quos longum esset recensere: omnesq; ferme, qui * contra Hæreticos huius temporis scripserunt, è quibus Bellarminus † noster in omni & Patrum doctrina, & assidua Hæreticorum lectione, & impugnatione versatus, ita perspicue refutat sententiam eorum, qui dicunt voluntates nostras effectiue, seu physice à Deo determinari, & inde esse, quod auxilia Dei sint efficacia, vt asserat, eam opinionem aut nihil, aut parum à Caluini, & aliorum Lutheranorum errore discrepare.

*† Bonauent. in 2. d. 26. q. 6. Abul. in c. 11. Iosu. q. 76. & in c. 18. Mat. q. 36. Ocham in 1. d. 38. q. 1. Greg. q. 2. ar. 2. & in 2. d. 28. q. 1. art. 3. ad 12. & d. 37. q. 1. art. 3. Mars. in 2. q. 16. a. 4. Gab. in 1. d. 38. q. 1. ar. 1. & in 2. d. 37. q. 1. a. 1. Henr. quodl. 9. q. 5. & alii. * Vual. 1. doctri. fid. c. 25. Castr. aduer. hæres. li. 9. V. Libertas, hæresi 1. Turria. libr. 4. contra Magdeburg. c. 2. Dried. de capti. & red. tr. 5. c. 4. Stat. 1. de nat. & grat. cap. 16. Ruar. ad a. 7. † tom. 3. li. 1. de gra. & lib. arbit. c. 11. & lib. 4. c. 14.*

Solutio argumentorum, quibus suadebatur æterna prædefinitio nostrorum actuum ante omnem præscientiam.

SECTIO XI.

AD primum igitur oppositæ partis argumentum, quo æterna prædefinitio nostrorum actuum ante omnem præscientiam suadebatur, dicendum est, etiam ratione diuinæ prouidentiæ certum, & infallibilem esse eorum euentum sine eiusmodi prædefinitione præcedente. Nam voluntas diuina, quæ nostro intelligendi more posterior est eorum præscientia conditionata, & ex illis statuit, quos futuros esse vult, & quos etiam permittere, nullo modo frustrari potest, cum sit voluntas absoluta.

Ratione diuinæ prouid. actus nostros certos esse absq; prædefinitione omnem præscientiam præcedente.

Ad secundum dicendum, eam prædestinationem, seu prædefinitionem actuum bonorum, quam Patres ponunt, non præcedere nostro intelligendi more omnem diuinam præscientiam, sed esse posteriorem conditionata: sicque eorum sententiam omnino intelligendam esse ex dictis perspicuum est: quo etiam modo voluntas permittendi malos actus in particulari non est prior, sed posterior, quam eorum præscientia conditionata.

Quã Patres ponant bonorum actuum prædefinitionem.

Ad tertium dicito, si neque actus boni vllo modo essent prædefiniti, neque etiam malorum permissio vlla ratione prædefinita, tum demum futurum fuisse, vt vtrique fortuito euenirent, & præter intentionem Dei volentis, aut permittentis, vt essent: ex quo fieret, vt non caderent sub diuinam prouidentiam complete cõsideratam, voluntatemque eius absolutam. At cum post præsciẽtiam omnium conditionatam alii prædefiniti sint, aliorum autem permissio sit prædefinita: non est, cur oppositæ partis autores præter intentionem Dei, ex nostra sententia, eos euenire contendant.

Sublata omni præfinitione actuum ipsos fortuitos fore.

Ad quartum (*quod intelligitur de solis bonis actibus*) dicendum est, æternam Dei voluntatem conditionatam de omnium hominum & Angelorum futura beatitudine (*nempe, si vellent se ipsi ad eam disponere*) fuisse voluntatem antecedentem ex sola Dei bonitate quasi ortam: eam vero, vt non fuit absoluta, ita nihil efficere potuisse, nisi postquam Deus habita cognitione conditionata futurorum euen-

Volũtas Dei antecedẽs de omniũ beatitudine.

euentuum absolute statuit, quosnam se au- ctore futuros esse vellet. Vnde patet eorum prædefinitionem non præcessisse omnem ipsorum præscientiam, sed posteriorem fuisse notitia eorum conditionata.

Ad quintum iam patet dicendum esse, prædefinitos quidem fuisse omnes actus bonos, verum non ante eorum omnem præscientiam, sed post conditionatam: & quamquam hæc prædefinitio postdefinitio potius, quam prædefinitio dici possit, si referatur ad huiusmodi præscientiam; recte tamen dicitur prædefinitio relata ad futuros actus creatarum voluntatum, qui fiunt in tempore.

Ad sextum negandum est, potuisse vllum actum liberum seruata eius libertate ab æterno prædefiniri ante omnem eius præscientiam: talis enim prædefinitio præcedens impediret eius actus libertatem, vt ex supra dictis patet: prædefinitio autem quæ nostro intelligendi more posterior est, quam præscientia conditionata, cum supposuerit notitiam liberi consensus voluntatis creatæ, non potuit libertati futurorum eius actuum impedimento esse; sed potius executioni eorum libertatis quasi fundamentum posuit.

Præcepta, vt præcepta sunt, non præfinire actus volūtatis creatæ.

Cur à confirmatis in gratia non prætereantur.

Quod vero attinet ad id, quod additur de præceptis, dicendum est, præcepta, vt præcepta sunt; non prædefinire actus voluntatis creatæ, cum non solum præteriri, atque adeo contemni possint, sed etiam sæpe prætereantur, & contemnantur. Quod autem non prætereantur à confirmatis in gratia, aliunde prouenit, non ex vi præceptorum ipsorum, aut ex vlla prædefinitione futurorum actuū, quæ omnem præscientiam præcedat; sed ex diuino proposito, quo ab æterno decreuit non concurrere cum confirmatis ad actum peccati; lethalis quidem cum omnibus, venialis autem cum sola beatissima Virgine matre. Atque hoc quidem, quod attinet ad peccata commissionis, facile intelligitur, cum sine Dei generali, & quasi naturali concursu committi non possint. Quod vero attinet ad peccata omissionis, in quæ incurrere possent sine actu nolendi obedire, (vt cum quis culpabiliter obliuiscitur præcepti, aut non aduertit ad illud, aut non adhibet diligentiam debitam, vt eius notitiam habeat) cum illa incurri possint, & per actum nolendi obedire, (*quod tunc fieri potest, cum quis memor est præcepti*) & quia is qui peccat, culpabiliter diuertitur per aliquem actum ab eius notitia vel procuranda, vel in memoriam reducenda, vel animaduertenda: ad huiusmodi quoque actum statuit Deus non cōcurrere cum confirmatis, ne ignorent, aut

A obliuiscantur, aut non attendant ad ea, quæ ex præcepto acturi sunt.

Obiectio.

Quod si quis vrgeat, eos, etiam cum memores sunt præceptorum, & attendunt ad illa, posse per puram negationem cohibere se ab actibus iniunctis, neque ab ea cohibitione, seu suspensione impedire posse: respondendum est, Deum nihil absoluta voluntate præcipere confirmatis in gratia, nisi quæ conditionali notitia præscit eos, suppositis B certis occasionibus, & auxilijs, impleturos: proinde eas occasiones, motionesque præuenientis gratiæ illis præparare, quibus certo scit illos obedituros. Quod vero attinet ad præcepta, quæ non sunt imposita voluntate Dei absoluta, vt impleantur, qualia sunt præcepta legis naturalis, quæ simul cum ipsa natura voluntate Dei conditionata quasi promulgantur, quemadmodum & plurima positiua, quæ æque obseruaturis, atque C non obseruaturis proponuntur; eadem ratione scit Deus certo à confirmatis implenda esse, quia ab æterno statuit illos ex eo tempore, quo confirmantur, in ijs occasionibus constituere, ijsque internis motionibus disponere, quibus scientia conditionata præscit eos illa obseruaturos. Itaque confirmati omnes in hac vita libere omnino implent præcepta, possentque simpliciter ea non implere, nisi Deus sua gratia eos sic præueniret, & eas D occasiones, & auxilia eis præpararet, quibus infallibili notitia præscisset, eos nunquam post confirmationem à sua amicitia recessuros. Quo fit, vt confirmatio nihil eis necessitatis afferat, nisi consequentiæ, (*quæ libertati non obstat*) aut meriti quicquam detrahat. Dixi autem [*In hac vita*] quia confirmati in termino vitæ, etsi liberi adhuc sunt, tamen ratione status nec male agere, nec bonis actibus mereri possunt: de qua re nihil opus E est hoc loco agere.

Responsio.

Confirmatos in gratia libere implere præcepta.

Quod si quis contra hæc, quæ de confirmatis in hac vita dicta sunt, obijciat, non videri rationi consentaneum, vt Deus vnquam suum generalem cōcursum eis deneget; tum quia generalis est, & quasi naturaliter omnibus creaturis impenditur; tum etiam quia ea negatione subtraherentur illis multæ merendi occasiones: hoc pacto breuiter respondendum. Nunquam Deum illis subtrahere suum F concursum in occasionibus merendi, sed certo, & infallibiliter peccandi; hoc est, non in ijs, in quibus conditionata scientia nouit fore, vt bene operentur, sed in ijs, in quibus certo scit eos præceptum aliquod non impleturos, si eis ad illud opus, aut operis voluntatem generalis concursus non subtrahatur. Quare, etsi is concursus est omnibus crea-

Quando illis Deus subtrahat concursum generalem.

 turis.

turis in qualibet occasione quasi debitus, ex illa nimirum libera, sed veluti naturali lege Dei, cuius sæpius meminimus; cum tamen aliquando non modo confirmatis, sed etiam alijs quibusdam, vt non peccent, ex aliquo speciali priuilegio subtrahi. Nam & in bonorum gratiam nonnunquam ille subtrahitur rebus naturalibus, ne iuxta proprias naturas agant, vt subtractus est igni, ne lædere tres pueros in fornace Babylonica. De Christo Domino difficilior est quæstio, an eius opera, quæ in vita mortali gessit, fuerint ante omnem præscientiam eius actuum futurorum prædefinita: quæ proinde seorsim post reliquorum argumentorum solutionem discutienda est.

Dan. 3.

Prædestinationis certitudo quoad numerum prædestinatorum, & eius ordo.

Ad septimum dicendum est, non fuisse necessariam actuum liberorum prædefinitionem ante eorum conditionatam præscientiam, vt Deus certo sciret prædestinatorum numerum, non solum ratione præscientiæ, sed etiam ipsius prædestinationis. Deus enim cum more considerandi nostro sibi proposuisset huius vniuersitatis opus conficiendum, vt se in tempore creaturis in honorem, & gloriam suam communicaret; ac deinde quasi deliberans expendisset, quænam euentura essent, si illud conficeret; neque id tantum in rebus naturalibus, sed etiam in liberis agentibus, iuxta occasiones, quæ occurrerent, & vsum auxiliorum tam generalis, & quasi naturalis, quo ipse cum rebus omnibus concurrit; quam specialium, quibus vt auctor gratiæ ordinarie, vel extraordinarie concurrit cum liberis agentibus; postremoque certissima, & infallibili notitia intellexisset, quinam ex Angelis sibi obedituri essent in statu viæ, qui etiam ex hominibus saltem in fine mortalis vitæ, si mundum hunc hoc pacto vtrisque auxilijs suffultum condidisset: tum demum decreuit & illum condere, & eos siue Angelos, siue homines ad æternam beatitudinem supernaturalem dirigere, quos conditionali illa notitia præsciebat diuinæ directioni obsequuturos: in quorum tamen numerum plurimos ex hominibus asciuit, quos præsciebat perituros, nisi eos extraordinarijs auxilijs iuuaret; nulla interim facta alijs iniuria, quibus decreuit dare ea omnia, quibus, si vellent, salui esse possent. Quod cum ita sit, perspicuum est prædestinatorum numerum non ex sola præscientia, quæ more intelligendi nostro hunc delectum antecessit; sed ex decreto diuinæ voluntatis, quo statuit, quosnam, & quibus medijs prouecturus esset in eam beatitudinem accepisse certitudinem. Vt enim ante huiusmodi decretum nullus erat prædestinatus: *tametsi iam intelligeba-*

A *tur, quinam futuri essent prædestinati, si absoluta voluntas prædestinandi accederet*) ita nec certus prædestinatorum numerus. Quod si non de præscientia conditionata, sed absoluta, quæ iam determinatam, & absolutam cognitionem quasi futuræ voluntatis diuinæ supponit, sit sermo: multo clarius est, prædestinatorum numerum non ante cognitionem huius decreti certum fuisse, cum prædestinatio in eo faciendo posita fuerit.

B Itaque numerus prædestinatorum non habet certitudinem à sola diuina præscientia, tametsi hæc falli nequeat; sed à decreto diuinæ voluntatis; quod frustrari, irritumve esse non potest.

Rationales animas certo numero præfinitas esse à Deo.

Ad vltimum dicendum est, rationales animas prædefinitas quidem omnes esse à Deo ex æternitate, & certo numero comprehensas, tanquam præcipuas partes ad mundum corporeum pertinentes, & propter quas

C mundus ipse corporeus conditus est, quo substantiæ omnino separatæ non indigebant: recteque probari in argumento eas esse hoc modo prædefinitas: neque tamen quicquam obesse, quod illæ occasione liberæ voluntatis humanæ corporibus infundantur, quasi, quia liberi actus hominum non sunt prædefiniti, ideo neque animæ corporibus infundendæ prædefinitæ dici possint. Nam præterquam quod ex accidenti est, quod homi-

D nes ad generationem libere concurrant, (*præsertim cum amentes etiam prolem suscipiant*) cum ordinem considerari oportet in animarum creatione, ac infusione, (simul enim fiunt, & infunduntur) vt prius more intelligendi nostro Deus præsciat corpora ab his vel illis disponenda, quam illis has vel illas animas ex numero prædefinitarum velit infundere. Indifferenter enim se illæ ex seipsis habent ad corpora, tametsi decreto diuinæ voluntatis

E hæ ab æterno his corporibus, & illæ illis sint applicatæ. Sed ad opera Christi Domini, quæ huc reiecimus, reuertamur.

Præcipua difficultas in hac materia, num omnia Christi opera ante omnem eorum præscientiam fuerint prædefinita.

SECTIO XII.

Quæ probare videantur partem affirmatiuam.

Luc 22.

F IN hac præcipua difficultate, quam ex solutione sexti argumenti in hunc locum distulimus, illud pro parte affirmatiua valde vrget, quod Christus Dominus de morte sua dixit, *Veruntamen filius hominis secundum quod definitum est, vadit*: quod etiam de alijs suis operibus sæpe idem videtur significasse,

casse, vt cum dixit: *Cibus meus est, vt faciam voluntatem Patris mei, vt perficiam eius opus*: quasi tota ei moralis vita, quemadmodum & mors, prædefinita fuisset, antequam vllo modo præscita esset. Tum etiam, quia non opus erat, vt Deus conditionali scientia prius quasi disquireret apud se, quibusnam circumstantijs, ac occasionibus, & gratiæ præuenientis motionibus eius voluntas obeditura esset diuinis iussionibus, quippe qui vt peccare nullo modo poterat, ita nec præceptum vllum transilire. Altera vero ex parte si eius opera omnia prædefinita sunt ante omnem præscientiam eius voluntatis libere obediturae, aut saltem illud vltimum opus offerendi vitam pro salute generis humani: quonam pacto eius opera, aut certe eius passio meritoria fuit salutis nostræ, cum illi non fuerit integrum iniuncta opera non facere: Non præteriuimus autem hoc dubium, quia nullum est argumentum, quo magis prædefinitio liberorum actuum creatarum voluntatum statui videatur: est enim apertissimum omnia Christi opera & summæ libertatis humanæ, & summi, imo & infiniti meriti fuisse: quæ si prædefinita sunt ante omnem eorum præscientiam, non est, cur diximus, prædefinitionem liberorum actuum ante omnem eorum præscientiam ipsorum libertati repugnare.

Qua negatiuam.

Quanti momenti sit hoc dubium in hac materia.

Huic difficultati respondetur à multis, si CHRISTVS Dominus nullo modo potuit præcepta transilire, non libere illa impleuisse, quod ei ca ea isto modo non habuerit libertatem contradictionis. Proinde Durandus & alij nonnulli existimant illum, etiam vt particularem hominem simpliciter, & absolute peccare potuisse: sicque quemadmodum ea simpliciter transilire potuit eorum sententia, ita libere, & meritorie illa impleuisse. Alij autem, etsi supponunt non potuisse in illum, etiam sic consideratum, peccatum vllum cadere, quod ei ratione vnionis hypostaticæ omne peccatum repugnaret: (*quæ est * D. Thomæ & communis Theologorum sententia*) addunt tamen eum non libere, sed † necessario præcepta impleuisse, & (*quod inde sequitur*) in operibus iniunctis nihil meruisse, sed in ijs, quæ libere addebat, nempe in alijs actibus, & modis faciendi ea, quæ illi præcepta erant: veluti in actibus voluntatis, quibus se ad illa implenda disponebat: aut in intentione, & perfectione operum non iniuncta, sed supererogata, aut in complacentia faciendorum, vel factorum operum. Quocirca, si quis actus ei præceptus esset cum omnibus præparatorijs voluntatis actibus, omnibusque modis faciendi, & complacentijs tum faciendi operis, tum etiam facti, in eo vtique implendo nihil eum mereri potuisse, quia non poterat eo pacto præceptum eiusmodi non implere.

Duplex modus enodandi hanc difficultatem.
Prior.
Durand. in 3 d. 12. q. 2.
Scot. q. 1.
Bassol. & Lychet. ibid.
Posterior.

** D. Th. in 3. d. 12. q. 2. 1.*
Mag. ead. d.
Albert. ar. 4.
Argent. ar 2.
Capr. q. 1.
Palud. q. 2.
Mai. q. 1.
† Hisfauet D. Th. in 3. d. 18. q. 1. a. 2. ad 5. & Gab. q. vni. ar. 3.

A

Verum, quia prior sententia periculosa est, & piarum aurium offensiua: posterior vero priuat merito omnes Christi Domini operationes, si omnes cum omnibus præparato ijs voluntatis actibus, & modis faciendi complacentijsque illi iniunctæ sunt: (*vt eius authores existimant fieri potuisse*) aut certe priuat eam operationem, quæ sic iniuncta esset, qualis credi fortasse posset eius passio, quam tamen omni merito destituere impium esset, ac erroneum: aliter omnino sentiendum, ac dicendum est. Primum quidem, Christum Dominum, quatenus singularis quidam homo est, nulla omnino ratione peccare potuisse: quia quatenus hic homo est, & à cæteris distinctus, necessario includit personalitatem diuinam, neque vllo modo sumi potest vt purus homo: multo etiam minus, vt merum denominatiuum à natura illa humana singulari: quia sic non esset prima substantia, sed accidentarium quippiam, quorum vtrumque ostendimus libro quinto: proinde non potuisse in se admittere vllum peccatum. Quicquid enim in suam personam admisit, id ad tantam dignitatem eleuauit, ad tantumque consortium suæ diuinitatis euexit; vt illud deificaret: etiam labores, molestias, & mortis suæ ignominias: quod tamen de peccato, quod solum habet odio, dici nullo modo potest. Vt enim nihil odiuit eorum, quæ fecit: ita nihil odio habet, nisi peccatum: odio enim est Deo impius, & impietas eius, & non Deus volens iniquitatem est.

B

C

D

Vtrumque vt absurdum reijcitur.

Christus quà singularis quidam homo nullo modo peccare potuit.

c. 8. q. 7. sect. 5.

Sap. 14.
Psal. 5.

Vnde, etsi voluntas naturæ assumptæ ipsa per se indifferens erat ad transgredienda præcepta, & ipse etiam CHRISTVS Dominus, non quatenus singularis homo, sed quatenus homo, seu habens naturam humanam, admittere peccatum poterat: tamen nec voluntas, vt erat in eo singulari homine, neque ipse singularis homo peccatum potuit admittere: neque id solum propter gratiam habitualem, & alia dona collata naturæ assumptæ, protectionemque diuinam, quæ illam agebat, quemadmodum puri homines in gratia confirmati: sed etiam præcipue propter ipsam vnionem naturæ assumptæ cum Verbo diuino, cuius ratione fiebat, vt quatenus singularis homo erat, Deus etiam esset. Quod si humanitas assumpta dimitteretur à Verbo, quemadmodum eius voluntas iam esset pec-

E

F

Quid, quà homo est absolute.

Quid, si humanitas dimitteretur à Verbo.

cati

eati capax; sic etiam homo is singularis, qui ex dimissione resultaret, alia persona esset, non ea, quæ ante fuisset: idque propter nouam personalitatem humanam, quæ à natura sibi relicta tanquam naturalis eius terminus quasi oriretur; essetque is iam purus homo.

Quocirca non recte sentiunt, qui dicunt, Christum Dominum, etsi in sensu composito peccare non potuit, potuisse tamen in diuiso. Nam si sensum compositũ hac in re appellãt eum, in quo Christus Dominus sumitur simul cum gratia habituali, & donis supernaturalibus, ipsaque diuina protectione, ac regimine, seclusa tantum gratia vnionis hypostaticæ; (*hoc enim sufficit, vt in eo sensu peccare non possit*) sensum autem diuisum intelligunt eum, quo ille sumitur cum sola gratia hypostaticæ vnionis; (*vt etiam reuera est sumendus*) falsa est eorum sententia: quia si hoc modo vtrumque sensum exponant, non solum in composito peccare non potuit, vt puri homines in gratia confirmati, sed neque in diuiso: quandoquidem sic consideratus in diuiso, adhuc spectatur vt Deus, & homo propter hypostaticam vnionem in eo relictam. Si vero in sensu composito includant ipsam etiam hypostaticæ vnionis gratiam, in diuiso autem illam excludant; iam nomine Christi in sensu diuiso non intelligunt eandem personam, sed vel ipsam solam singularem humanitatem per intellectum abstractam: quo pacto vt illa non potest existere in rerum natura, vt libro quinto diximus; ita nec operari, nec iam Christi nomine, aut etiam hominis appellari: vel certe intelligunt aliam personam, alia nimirum personalitate resultante constitutam. Quo fit, vt si in sensu diuiso idem numero suppositum intelligendum est, eademque persona, (*vt intelligi debet*) nequaquam in eo sensu excludenda sit vnio hypostatica; ac proinde non modo in sensu composito, vtrouis modo ille sumatur, sed etiam in diuiso necessario includente vnionem hypostaticam Christus Dominus peccare non potuerit. Qua in re aperte diuersa est ratio Christi Domini & confirmatorum in gratia, quos dicimus in sensu composito peccare non posse, in diuiso autem posse: semper enim eadem supposita remanent, cum à sensu composito includente gratiam habitualem cum cæteris donis, & protectione diuina, transitur ad sensum diuisum relinquentem in ijs personas ipsas duntaxat consideratione nostra donis omnibus supernaturalibus, & protectione diuina spoliatas.

Male quidã admittunt, Christum in sensu diuiso peccare potuisse.

c.8.q.6.sect.5 ad 4. Scot.

Discrimen hac in re inter eum, & confirmatos in gratia.

Obiectio.

Quod si quis contra hæc obijciat, humanam Christi Domini naturam per vnionem A hypostaticam neque accepisse quicquam, per quod ei posset repugnare peccatum; neque etiam amisisse vllam potentiam, per quam peccatum in nobis committitur; ac proinde Christum Dominum in sensu etiam diuiso, relicta in eo (quod necesse est) sola gratia vnionis potuisse peccare: hoc modo respondendum est. Etsi humanitas illa nihil per vnionem hypostaticam accepit in se ipsa, quo ei repugnaret peccatum, tamen ipsam huma- B nitatem acceptam fuisse, siue assumptam ab eo supposito, cui peccatum repugnat. Itemque etsi nullam potentiam naturalem amisit, per quam peccatum in nobis committitur; tamen id amisisse, sed potius reliquisse, sine quo peccatum non committitur, nempe personalitatem creatam.

Responsio.

Deinde illud considerandum, etsi non opus erat, vt Deus conditionali scientia præsciret, quibusnam occasionibus voluntas C Christi obeditura esset diuinis præceptis, antequam absoluta voluntate ea illi imponeret. (*certum enim erat illum omnibus omnino esse obtemperaturum, cum ne in sensu quidem diuiso peccare posset*) tamen eam præscientiam consideratione nostra propterea fuisse priorem, quia natura sua præcedit absolutam de rebus futuris non modo contingentibus, seu non necessarijs, de quibus loquimur, sed etiam necessarijs: ea nimirum ratione, quia ad sum- D mi molitoris, & moderatoris perfectionem spectat omnia præscire, quæ ex suo opere sequutura sint, antequam more considerandi nostro absoluta voluntate aliquid velit facere, vt supra diximus: quod si prius consideratione nostra præscita est à Deo Christi Domini futura obedientia, non absoluta, sed conditionali scientia, quam vllum ei imponeretur præceptum: ergo eius iniuncta opera non fuerunt prædefinita ante omnem eorum E præscientiam, sed solum post conditionalem scientiam, qua Deus illum obediturum esse certo præsciebat, si illi iniuncta essent: tametsi, vt dictum est, certitudo eius obedientiæ futuræ illo quasi examine conditionalis scientiæ non indigebat.

Cur nõ prius Christi opera fuerint à Deo præfinita, quam præscita conditionata scientia.

Postremo loco ad propositam difficultatem dicendum est, definitionem illam, seu prædefinitionem, qua Christus Dominus dixit, sibi fuisse definitum ab æterno illud ge- F nus mortis, ad quod se offerebat, non esse intelligendam ante omnem præscientiam futuræ ipsius obedientiæ, sed post conditionalem eius operis notitiam; sicque intelligendum esse quodcunque aliud opus ex præcepto illi iniunctum: tametsi non est rationi cõsentaneum existimare omnia, quæcunque Christus Dominus in mortali vita gessit, ex particu-

Non omnia Christum egisse ex particular. præceptis.

particularibus præceptis gesta fuisse, sed fortasse solum opus humanæ redemptionis, eo modo, quo per Prophetas significata erat Dei voluntas, vt illud exequeretur, veluti per venditionem, per flagella, per crucem perque alias quasdam passiones, & actiones. Nam cum Apostolis non omnia, quæ facturi erant, fuerint præcepta, quale est illud Pauli, vt sine sumptu audientium Euangelium prædicaret, & omnia, quæ ex consilio, aut etiam voto cum ipse, tum alij omnes obseruauerunt: absurdum est existimare, nullum opus sine præcepto Christo Domino relictum esse. Multo etiam magis, si quis credat, omnes quoque eius operum circumstantias sub præcepto illi iniunctas fuisse: maior enim filijs, (*tali præsertim*) quam seruis, libertas conceditur.

1. Cor. 9.

Qua ratione qua egit ex præcepto, meritoria fuerint.

Sed illud superest in hac difficultate præcipuum, quonam modo acta Christi Domini, quæ ex præcepto gesta dicuntur, meritoria fuerint, cum non videantur fuisse ex libertate gesta, neque enim circa illa habuisse videtur libertatem contradictionis, si non solum in sensu composito, sed etiam in diuiso peccare non potuit, vt ostensum est. Dicere autem, ea nec fuisse, nec esse potuisse ex præcepto gesta, sed ex mandato non obligante, vt est quorundam opinio, cum communi Theologorum sententia pugnat: omnes enim fere docent, Christum Dominum veram, & proprie dictam obedientiam habuisse, quæ tamen nulla est, vt obligatio imponi non potest: si non coactiua, quæ non habet locum, nisi in eos, qui repugnare, ac puniri possunt, certe directiua, quæ cadit in eos omnes, qui ratione aliqua vere subiecti sunt.

Re vera habuisse præceptum obligans.

Scot. in 3. d. 10. §. Tunc ad q. Gab. ar. 3. dub. 1.

Primus modus respondendi ad quæstionem.

Sunt, qui ad hæc componenda dicant, libertatem voluntatis creatæ nec tolli per vllum præceptum, vt dictum est, quia præceptum non necessitat voluntatem subditi: neque etiam per hoc, quod voluntas creata subsistat in diuino supposito, eo quod diuinum suppositum non impediat perfectionem vllam voluntatis naturæ assumptæ, qualis est libertas: sed tantum tolli posse duobus modis: vno per obiectum, quod contineat in se omne bonum clare conspectum, quo pacto voluntas beatorum necessitatur ad actum diuini amoris: quod tamen non habebat locum in Christo, quatenus erat viator, quia clara visio summi boni, quæ in illo erat, non redundabat, salutis nostræ procurandæ causa, in humanam Christi voluntatem, quatenus viatoris opera exercebat: altero per hoc, quod Deus effectiue determinet voluntatem creatam ad alteram oppositionis partem, quod etiam non habet locum in actibus liberis vllius creatæ voluntatis. Quare, cum neutro ex his modis sit sublata libertas à Christi voluntate, non dubium esse volunt, quin libera fuerit ad seruanda præcepta.

Non satisfacit.

Verum hæc non satisfaciunt, cum adhuc non sit solutum dubium illud: Quonam pacto Christi Domini voluntas ad præcepta seruanda libera fuerit, si præterire illa non poterat? Quod si quis recurrat ad conditionatam Dei præscientiam, qua nostro intelligendi modo præcedente sentiat non alia præcepta fuisse Christo imposita, nisi quæ præsciebantur libere ab eo esse implenda, petet omnino (vt dicitur) principium. Neque enim aliter Christo obedientia præscita est, nisi quo pacto futura erat: quare si Christus necessario, & non libere impleuit præcepta, (*de qua difficultate hic vertitur quæstio*) non libere, sed necessario Christum illa impleturum præscitum erat.

Reijcitur alius dicendi modus.

Minus etiam satisfacient, qui dixerint propterea intelligi Christum Dominum libere ea impleuisse, quia diuina prouidentia eo modo naturam assumptam regebat, protegebatque, qui ei debebatur ratione vnionis cum diuino supposito. Nam si nomine debiti intelligant debitum decentiæ, (*ita scilicet, vt absolute aliter fieri potuerit*) iam admittent simpliciter, & absolute Christum Dominum potuisse præcepta transilire: sin intelligant debitum necessitatis: ita nimirum, vt diuina prouidentia, supposita vnione naturæ humanæ cum Verbo diuino, permittere non potuerit, vt voluntas humana Christi præceptum vllum præteriret, ostendere oporteret, cur id permittere non potuerit, si voluntas humana Christi, supposita etiam vnione hypostatica, libera erat ad præcepta transgredienda: quod si potuit permittere, quia id contradictionem non implicaret, ergo Christus peccare potuit.

Vera resolutio.

Cum igitur nullo ex his modis hic nodus dissoluatur, alia ratione eius solutio quærenda est. Dicendum ergo videtur, Christum Dominum & præcepta omnia libere seruasse, & omnem eorum obseruationem meritoriam, imo & infiniti meriti fuisse. Ratio vero hæc videtur esse: quia, etsi Christus Dominus circa præcepta non habuit omnem omnino libertatem, nempe vt ea non solum multis modis seruare posset, sed etiam transilire, quam libertatem nos habemus: habuit tamen omnem perfectam libertatem, hoc est, non ad ea prætereunda, sed pluribus modis seruanda. Omnia enim præcepta, quæ illi imposita sunt, altero saltem è duobus modis perfecta libertate, hoc est, non obnoxia peri-

Duo modi obtemperandi præcepto.

culo seruitutis peccati, seruare potuit quantumcunque restricto, & limitate penes circumstantias, & agendi modos, obediendique rationes, seu motiua illi essent imposita: vno, quia tenebatur ea seruare; altero vel ea sola ratione, quia continebant diuini beneplaciti significationem: quæ est perfectior præceptorum implendorum ratio. Nam etsi nulla imperfectio obedientiæ est, sed quædam potius eius perfectio, parere subditum, quia tenetur, seu obligatur præcepto sui superioris; perfectius tamen obedit is, qui vel ea sola ratione paret præcepto, quia illud declarat præcipientis voluntatem: quod commune est non solum omni præcepto proprie dicto, id est, obliganti: sed etiam omni exhortatorio mandato relinquenti liberum subdito, vt faciat, quod malit. Ratio vero huius rei duplex est: vna, quia qui paucioribus rationibus, seu inductiuis indiget, vt præceptum impleat, is perfectius obedit, vt ex se patet: altera, quia qui posteriori modo paret præcepto, adeo propenso animo obedit præcipienti, vt etiamsi præceptum nullam obligationem importaret, nihilominus illud exequeretur: qui autem obedit priori modo, eo affectu (*tametsi absque vllo vitio*) esse potest, vt si non teneretur præcepto, oppositum fortasse faceret.

Lege D. Th. 2. 2. q. 104. a. 2.

Cur sit perfectius obedire, quia præceptum superioris voluntatem declarat, quam quia obligat.

Vtroque autem modo Christus Dominus potuit implere diuina præcepta. Verbi gratia, si ille, cum duodecim esset annorum, præceptum habuit subtrahendi se in templo a beatissima Virgine, & Iosepho remanendique in Hierusalem, non dubium, quin potuerit illud implere, vel quia tenebatur; eoque animo, vt si non teneretur, potius cum matre simul, ac nutritio rediret in patriam; vel quia sibi satis erat ad illud implendum sola significatio diuini beneplaciti in præcepto inclusa, vt etiamsi nullam obligationem secum afferret, illud impleret. Et quanquam fortasse Christus Dominus semper hoc posteriori modo tanquam perfectiori præcepta diuina seruauit, quod verisimiliter colligi potest ex eo, quod dixit, *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper:* tamen integrum illi fuit ea vtrouis modo seruare. Nam etsi opera eius omnia erant infinitæ perfectionis, & meriti ex parte suppositi operantis; tamen ex parte naturæ humanæ, qua operabatur, non erat necesse, vt omnia essent æque perfecta, & æqua is meriti.

Integrum fuisse Christo vtrouis modo præcepta seruare.

Luc. 2.

Ioan. 6.

Obiectio. Quod si quis obijciat, sæpe prælatos, intuitu maioris meriti subditorum, illis præcepta imponere in virtute obedientiæ, vt exequantur ea, quæ facere possent sola suæ voluntatis significatione: ergo perfectius esse implere præcepta, quia obligant, quam ea ratione sola, quia declarant præcipientis voluntatem:

A *Responsio.* respondendum est, duabus de causis id à prælatis fieri: vna propter difficultatem, quæ in natura lapsa est ad implenda ea, quæ cum obligatione præcipiuntur, (*nitimur enim in vetitum*) in qua proinde superanda difficultate plus sæpe meremur, quam cum nostra sponte eadem facimus: altera, ne prætereantur ea, quæ prælati fieri volunt, subditique eorum merito priuentur. Neutram vero causam in Christo locum habere potuisse, vt ei præcepta maioris meriti causa imponerentur, perspicuum est. Nam neque vlla erat in eo difficultas subijciendi se præceptis, neque etiam vllum periculum, ne illa præteriret. Quo fit, vt non ratione maioris meriti sunt illi imposita, sed vt in eis libere implendis omnem perfectæ obedientiæ formam daret. Quod vtique fecit libere adimplendis ijs, quæ sibi imposita erant, hac saltem indifferentia obediendi rationum spectata, vel quia tenebatur ea seruare, vel quia continebant diuini beneplaciti significationem, vt etiamsi non teneretur ea implere, hoc vnum satis foret, vt ea impleret.

B *Non fuisse Christo imposita præcepta ratione maioris meriti.*

C

Quanquam igitur in Christi Domini voluntate respectu præceptorum non fuit omnis omnino libertas, quæ in nostra est; quia non fuit libertas ad malum inobedientiæ: tamen fuit omnis perfectio libertatis ad bonum in obediendo. Nam & in diuina voluntate non est libertas ad bonum, & malum, sed ad bonum tantum: tametsi hæc libertas est in diuina voluntate per essentiam, in Christi autem Domini humana voluntate per participationem diuinæ subsistentiæ. Quanquam enim libertas ad malum mala non est, nec formaliter seruitus, sed potius quidam dominatus; est tamen imperfecta, & occasio seruitutis peccati, quæ est maxima seruitus. Satis autem fuit libertas ad bonum tantum in Christo Domino, vt libere seruaret omnia præcepta, tam naturalia, quam positiua; tam negatiua etiam, quam affirmatiua; nec tantum, vt perfecte seruaret, sed etiam perfectissime. Nam ad seruanda negatiua nullo opus erat actu, seu libero, seu necessario, cum nihil agendo seruari possint: vnde fit, vt cum hoc pacto seruantur, nullum in obseruante fit meritum, nisi præcedat aliquis actus voluntatis, quo ea libere seruare velit: vt autem meritorie seruarentur à Christo, satis patet libere illum elicere potuisse actum voluntatis, quo se ad ea seruanda offerret.

Vide August. de Prædest. sanctorum, cap. 15.

D *Etsi in eo non fuit libertas ad malum, tamen fuit omnis perfectio libertatis.*

E

Quomodo libere, & meritorie seruarit præcepta negatiua.

F

Cum autem affirmatiua præcepta sæpe diuersis temporibus, & locis, varijsque modis, veluti intensius, aut minus intense, ob diuersas etiam rationes, seu motiua, eaque plura, vel

Quo item negatiua.

vel pauciora seruari possint, perspicuum quoque est ea libere ab eo seruari potuisse hoc vel illo tempore, aut loco, in quo iudicaret congruentius seruari posse, hoc etiam, vel illo modo, quem conuenientiorem putaret: ob has item, vel illas rationes, seu motiua, prout illi videretur. Quod si omnia, quæ in mortali vita gessit illi præcepta fuissent, nec tantum quoad substantiam operum, sed etiam quoad omnes circumstantias, cum quibus agenda erant; aut saltem præcipua opera, veluti sacræ illius passionis: quanquam in his maxime contenditur à recentioribus, quanam ratione ea libere operatus sit: quo etiam pacto in eis exercendis meruerit, si nullo modo ea præterire, aut alio modo exequi potuit: nobis tamen posita illa duplici implendorum præceptorum ratione, qua generaliter diximus cerni libertatem in actibus obedientiæ Christi Domini, nihil difficultas hæc negotij exhibet.

Christi opera non fuisse à Deo quoad omnes circumstantias præcepta.

Non putamus tamen vlla probabilitate dici posse, omnia opera Christi Domini hoc pacto illi fuisse iniuncta, nullumque omnino ei liberum relictum esse, vt superius quoque ex Apostolorum libertate probauimus. Quin etiam credimus, ne vllum quidem opus sic circumscripte illi fuisse præceptum, vt nullo intensiori affectu illud exequi posset: neque enim id perfectioni operum Christi vllo modo congrueret. Adde, quod verba scripturæ sacræ, ex quibus præceptum aliquod Christo Domino impositum colligitur exponenda sunt eo modo, quo similia intelligi, & explicari solent: atqui præcepta cœteris hominibus, & Angelis etiam imposita non sic intelliguntur, aut explicantur, vt cum certis, & præscriptis omnium generum circumstãtijs, & motiuis imperata credantur: (*essent enim diuina præcepta si talia essent, aut esse possent, nimiũ seuera*) ergo neque in Christo Domino sic exponenda sunt.

Denique dato, & nullo modo concesso, vel omnia eius opera, vel saltem aliqua iniuncta illi fuisse ex præcepto, non solum quoad substantiam operum, & eorum circumstantias, sed etiam quoad omnes modos faciendi, vt intensionis, aut celeritatis, & similes: tamen semper ei relicta fuisset ea libertas ad maiorem, vel minorem perfectionem operum, quam explicauimus, vt nimirum ea implere posset, vel quia tenebatur ex præcepto, vel ea duntaxat ratione, quod præcepta sibi imposita includerent in se diuini beneplaciti significationem. Nam etsi hoc ipsum ei præceptum esset, vt hac posteriori ratione illa impleret, adhuc tamen integrum illi fuisset; vt huiusmodi præceptum, vel ex priori

A motiuo, vel ex posteriori exequeretur. Semper enim voluntas eo modo eleuare potest opus sibi iniunctum, (*quibuscunque circumstantiis, & motiuis affectum sit*) vt non illud exequatur, quia cum ijs circumstantijs, & motiuis obligat: (quæ est inferior obediendi ratio) sed quia quod sic iniungitur, est gratum præcipienti: quæ ratio parendi est libera creatura dignior, & in se nobilior, & meriti locupletior.

Christum addidisse votũ præceptis diuinis, tenent aliqui recentiores, quibus fauet D. Basilius, & Theodor. dum in Ps. 118 quem & ipsi & reliqui Patres de Christo interpretantur verba illa [Vota mea, &c. exponunt, Promissiones.† Psal. 118.

B Adde, quod non desunt, quibus verisimile videatur, Christum Dominum in eo momento, in quo naturam nostram assumpsit, addidisse votum præceptis diuinis sibi impositis, vt circumstantiam ad virtutem religionis pertinentem operibus obedientiæ adiungeret, quam Regius Propheta adiunxisset, si cum † ait, iurasse se iudicia iustitiæ Dei, hoc est, mandata diuina seruaturum, proprie iurandi verbum vsurpasset. Quod si Christus C Dominus eiusmodi votum emisit, non dubium est, quin libere ea opera nouæ illius circumstantiæ additione perfecerit: quemadmodum & alia quædam minime iniuncta, quæ ad perfectionem pertinebant, vt in se ipso formam daret ijs, qui acquirendæ perfectionis statum erant sequuturi: quæ est pia quorundam, nec parum probabilis opinio. Pluribus ergo modis præscitum erat à Deo conditionali scientia, Christum Dominum D libere impleturum omnia præcepta, quæ illi imponenda erant, antequam nostro iure ligendi more vllum ei absolute imponeretur: tametsi certissimum esset eum illa transilire non posse, etiam in sensu diuiso: quod maxime singulare in eo fuisse non dubium est.

Solutio obiectionis, & summa doctrinæ traditæ.

Si quis autem contra hæc omnia, quæ de Christi Domini merito, & libertate constituta sunt, obijciat, colligi quidem ex dictis illum libere impleuisse præcepta quoad di- E uersos operandi modos, diuersaque motiua: non tamen quoad ipsam operum substantiam, vt æque ab eo possent non fieri, atque fieri: vbi autem non est libertas quoad substantiam operum, non videri vllum meritum reperiri posse: hoc pacto respondendum est. Primũ quidem nec præcepta impleri posse quoad substantiam operum, nisi sub modo aliquo operandi: neq; etiam (ac multo minus) vllum operandi modum, aut motiuum exe- F cutioni posse mandari, nisi simul cum ipsa operis substantia, vt est perspicuum: proinde necesse esse, vt libertas circa diuersos operandi modos, & ex hoc, aut illo motiuo in ipsam quoque operis substantiam redundet. Deinde libertatem implendi præcepta quoad substantiam operum, non in eo tantum consistere, vt opera iniuncta æque possint non fieri

Libertatem circa modos operandi redundare in substantiam operis.

Perfecta libertas in quo consistat.

atque fieri: ea enim implendi libertas imperfecta est, & obnoxia peccandi periculo, quæ libertas in Christo Domino esse non potuit: sed in eo sitam esse, (*si vtraque est comprehendenda*) vt opera, quæ præcipiuntur, non sub vno modo tantum, neque ex vno tantũ motiuo impleri possint, quod est commune perfectæ, atque imperfectæ libertati. Nam operandi semper eodem modo, & ex appetitu eiusdem finis, non est ratio operandi libere, sed naturaliter: cum primum autem ex ea determinatione ad vnum descenditur, seu potius ascenditur ad indifferentiam diuersorum operandi modorum, & ex appetitu diuersorum finium, statim agentia in libertatis quasi altiorem regionem ingrediuntur; siue indifferenter bene vel male operari possint, siue diuersis tantum modis, & ex diuersis motiuis.

Non est opus ad meritum libertas ad non implenda præcepta.

Ex quibus duabus considerationibus hæc tertia resultat, vt meritum reperiri possit non solum vbi opera iniuncta æque possunt non fieri, atque fieri; sed etiam, vbi possunt pluribus modis, & ex pluribus motiuis fieri; dummodo fiant à persona meriti capace, qualis erat Christus Dominus, quatenus Viator, seu (*quod idem est*) quatenus nondum omnino erat in termino viæ, hoc est, in statu præmij. Omnis enim Viator, quatenus libere operatur, meretur præmium boni operis, quocunque modo, & ex quocunque motiuo illud exequatur. Vnde & nos ipsi, in quibus imperfecte libertas est, non solum ex eo meremur, quia iniuncta opera æque non facere, atque facere possumus; sed etiam nouum meritum adiungimus, si meliori modo, & ex potiori motiuo ea facimus. Plus enim & apud Deum, & apud homines meretur is, qui citius, quam qui tardius intra tempus constitutum pecuniam creditoribus restituit: & qui præcepta Decalogi ex voto diuini cultus causa addito, quam qui ex sola præcepti obedientia, implet.

Solutio argumentorum, quibus suadebatur temporalem voluntatum creatarum determinationem non ab ipsis voluntatibus; sed à Deo fieri.

SECTIO XIII.

Voluntatem creatam, etiam cum libere agit, subiectum esse Deo.

QVOD vero attinet ad primum argumentũ eorum, quibus suadebatur, temporalem determinationem creatarum voluntatum non ab ipsis voluntatibus creatis, sed à Deo fieri; credendum est quidem, quamlibet creatam voluntatem subiectam esse Deo, non solum cum per modum naturæ determinate fertur in obiectum sibi propositum, sed etiam cum libere. Verum hanc subiectionem non sic esse intelligendam, vt, quemadmodum voluntas, cum per modum naturæ operatur, determinatur à Deo, à quo accepit eam determinatam propensionem; ita fiat, cum fertur in obiectum libere: tunc enim determinatio non potest Deo attribui tanquam auctori naturæ, quia Deus non dedit voluntati determinatam propensionem, nisi ad bonum in commune, & ad beatitudinem, quæ est summum bonum: idque quoad specificationem duntaxat, ita vt exercitium circa ea obiecta ei liberum relinquatur, nisi cum supernaturalis beatitudinis obiectum perspicue, & in se ipso cognoscitur. Quare ea sola ratione dicere fortasse aliquis posset voluntatem libere agentem determinari à Deo in tempore, quatenus Deus eas occasiones, circumstantias, & auxilia ei affert, quibus certo scit, voluntatem acturam id, quod ipse absolute fieri vult: at hoc non est re vera determinare voluntatem ad opus, sed eam præparare, vt ipsa se libere ad illud determinet, ad quod præscitur se determinatura. Neque enim alio modo suauiter cum illa concurreret diuina prouidentia, vt eam libere traheret ad sui beneplaciti executionem, vt supra dictum est, sed vero quodam necessitatis vinculo.

Quo pacto ie vtcunq; dici possit eam determinare.

An ad eius determinationem prius natura quã ipse Deus concurrat.

Ad secundum non desunt recentiores, qui negent antecedens, nempe, prius natura Deum influere, siue concurrere ad determinationem voluntatis creatæ, quam ipsa concurrat: alij quidem, quia è contrario putant, prius natura voluntatem concurrere ad eam determinationem, quam Deum; alij autem, quia simul natura cum Deo. Priores ea ratione ducuntur, quod existiment aliam esse actionem transeuntem Dei concurrentis, aliam creatæ voluntatis, & vtramque in ipso effectu existentem: sed ita tamen, vt actio voluntatis creatæ sit ratio, cur Deus suam actionem ad eam determinationem adhibeat, ita nimirum, vt dicere liceat: Non quia Deus concurrit ad actum voluntatis creatæ, ideo voluntas concurrit; sed quia voluntas concurrit, ideo Deus concurrit; idque ob eam quasi legem, quia Deus statuit se concursurum cum voluntate ad omnes actus, ad quos ipsa concurreret.

Duplex sentent. pro parte negat. & priorũ fundamentum.

Posterioris argumenta.

Posteriores autem duplici argumento vtuntur: vno, quia quemadmodum causa secunda nihil agere potest, nisi concurrente prima, ita nec prima concurrere ad effectum secundæ, nisi concurrente secunda: hinc enim concludunt vtramque concurrere simul natura tanquam duas causas partiales eiusdem effectus. Altero, quia quandocunque prima, & se-

& secunda causa concurrunt ad vnum & eundem effectum, vna tantum, & eadem est vtriusque actio, quemadmodum vnus, atque idem est effectus, cum quo actio re ipsa identificatur; etsi, quatenus illa est à prima causa, sit actio primæ, quatenus vero à secunda, sit actio secundæ.

Vtraque impugnatur. Sed contra vtrosque illud inprimis est, quod negant illud celebre admodum, & valde vsurpatum in Philosophia pronuntiatum, ex libro de causis desumptum: aut si alias in eo sensu illud concedunt, *Sect. 8.* in quo superius à nobis explicatum, & probatum est; tamen hac in re diuertunt ad vsum improprium, aut etiam falsum prioritatis, & simultatis, vt ita dicam, naturæ. *Diluitur prioris fundamentum.* Nam quod priores dicunt, ideo Deum concurrere cum voluntate creata ad actus eius liberos, quia voluntas concurrit, non autem contra, verum est quidem; sed sensus est, concursum voluntatis creatæ esse rationem, seu potius occasionem, non causam, cur Deus concurrat cum voluntate ad eam oppositionis partẽ, ad quam se ipsa determinat: at voluntatem creatam prius natura, quam Deum, concurrere vt alteram causam, significat causalitatem voluntatis creatæ priorem esse, minusque dependentem, quam sit causalitas Dei, aut etiam omnino independentem: quod dici nullo modo potest. *Item posterioris prius arg.* Posteriores autem, dum admittunt actionem illam vnicam esse simul actionem primæ causæ, vt est à prima, & secundæ, vt est à secunda, non recte negant eam prius natura prouenire à prima, quam à secunda. Nam etsi ad effectum causæ secundæ, nec secunda concurrere potest sine prima, nec prima sine secunda; (quæ est prior eorum ratio) non tamen, sicut concursus secundæ est dependens à concursu primæ, & in illo innititur; ita concursus primæ pendet à concursu secũdæ, quasi ab illo vim aliquam accipiat. Neque ad hoc quicquam refert, sintne huiusmodi concursus duæ actiones in effectu existentes, vt priores volunt; an vero vna tantum, vt posteriores: modo diuersa sit eius ratio, quatenus est à prima, & quatenus à secunda. *Posterioris solutio. Quo sensu dici possit Deũ & voluntatẽ simul concurrere.* Vnde etiam horum posterior argumentatio nihil conficit: tametsi in eo sensu dici potest, Deum, & voluntatem simul natura concurrere ad vnum, & eundem voluntatis actum, quia in eo distingui non potest, quid à solo Deo, & quid à Deo, & à voluntate proueniat, cum tota eius entitas, & quicquid in eo vel sola consideratione designari potest, ab vtroque producatur. Hac enim significatione simultatis naturæ, licet minus propria, aliquando vtitur* Scotus, & alii nonnulli auctores.

** Scot. in 4. d. 1. q. 1. ad vlt. Gab. in 2. d. 1. q. 2. a. 2. cõcl. 4. & art. 3. dub. 5. ad 1.*

A Accedit contra vtrosque, quod huiusmodi concursus, seu actiui influxus non existunt re vera in effectu; nec sunt plures entitates ab illo distinctæ, vt priores volunt, vel vna tantum, vt posteriores: cum neutri vnquam satis ostendant, aut valeant ostendere, quo pacto is concursus primæ causæ in effectu existens sit indifferens ad tam varios effectus, concursusque causarum secundarum: *Alia impug.* sed sunt in ipsis causis concurrentibus, vt o-

B stendimus libro quinto, quemadmodum & concursus aliarum causarum in eis ipsis, *c. 2. q. 15. & q. 18.* quarum sunt concursus. Itaque concursus causarum efficientium non distinguuntur à principiis earum formalibus, nisi modali distinctione; virtuali quidem in Deo, actuali autem in efficientibus creatis, vt eodem libro diximus. *Quid sint, & in quo sint actiui causarum influxus.* Cum igitur actus practicus diuinæ voluntatis sit principium formale, quo Deus omnia efficit, actioque ipsa formaliter immanens, & virtute transiens, vt ex

C D. Thoma, & aliis ibidem ostendimus; ille vtique actus est actiuus concursus, siue influxus Dei tam generalis, quam specialis: *Dei influxus generalis, & specialis.* generalis, quatenus Deus per illum generaliter ad omnia effecta concurrit: specialis autem ex Theologorum vsu, quatenus concurrit ad ea effecta, quæ sunt proportionata ad supernaturalem creaturæ intellectualis beatitudinem, vel iuxta communiorem signi-

D ficationem, ad omnia extraordinaria. In effectis autem ipsis, quatenus dependent à prima causa, & ab aliis causis mediis, si quæ sunt interiectæ; nulla est alia entitas absoluta, nisi ipsius effectus; habens tamen tam multas dependentias à suis causis, quam multæ sunt ipsæ causæ, quæ ad illud concurrunt: quæ dependentiæ non sunt diuersæ entitates, sed diuersi modi se habendi ad illas. Atque hæc est plana, & sincera, faci-

E lis, & expedita grauium Philosophorum, & Theologorum philosophandi ratio, ad quam tandem volentes nolentes recurrunt prædicti auctores, cum ab eis quæritur, quonam pacto generalis Dei concursus sit indifferens ad omnia effecta causarum secundarum. Dicunt enim, esse indifferentem ex decreto diuinæ voluntatis statuentis concurrere cum rebus omnibus ad proprias earum actiones: non autem, quia vlla ea-

F rum actionum formaliter transeuntium, quas ponunt in ipsis effectis, sit indifferens ad omnia effecta secundarum. Hoc igitur modo, quem explicauimus, est indifferens generalis Dei concursus ad omnia effecta causarum secundarum, per identitatem scilicet cum illo generali decreto: specialis autem per identitatem cum speciali decreto ad ea tan-

tum se extendit, quæ supernaturaliter conducunt ad æternam beatitudinem, eamve complent; & per eum Deus immediate concurrit cum voluntatibus creatis ad effectus, & actus earum supernaturales, habitusq; supernaturales infundit, vel per se tantum, vel sacramentorum ministerio, nullis aliis entitatibus actionum transeuntium interuenientibus: de qua re fusius agendum lib. 7.

ad c. 7. p. 8.

Quo differãt ab eius auxiliis.

Differunt autem concursus Dei, tam generalis, quam specialis ab eius auxiliis generali, & speciali, quod concursus ipsi sunt in Deo, sicut in causa concurrente, vt dictum est; auxilia vero in creaturis, quibus auxilia præstantur; aut in aliis rebus externis, quibus Deus sæpe nobis auxiliatur. Auxilium enim ex communi vsu dicitur id, quod præbetur alicui rei, vt suas functiones obire possit: vnde & vitę subsidium, quod indigenti homini honestæ alicuius familiæ donatur, auxilium expensarum vulgo dici solet: prædicti vero auctores, quia concursus & auxilii nomina confundunt, concursum Dei immerito ponunt in ipsis creaturis, in quibus tamen recte ponunt eius auxilia: tametsi in eo non recte sentiunt, quod ea faciunt entitates diuersas ab iis effectis, quæ a creaturis vel solo, vel cum causis secundis fiunt: ipsa enim, quæ fiunt, quatenus à Deo ad aliquid agendum, aut accipiendum donantur, auxilia diuina dicuntur.

Ad argum.

Ad argumentum igitur secundum, cuius causa hæc præmissa sunt, concedendum omnino est illud antecedens, [*Deus prius natura concurrit ad effectum causæ secundæ, quam ipsa causa secunda,*] quia videlicet concurrit independenter, & generaliter; causa autem secunda dependenter, & particulari ratione: sed neganda est illa consequentia, [*Ergo Deus prius natura, determinat voluntatem creatam, quam ipsa se determinet.*] Ratio vero est, quia non idem sunt hæc duo, concurrere causam primam cum secunda, atque determinare secundam, vt ex eo, quod prima causa prius natura concurrit, colligi possit, illam quoque prius natura determinare secundam, quam secunda se determinet. Nam etsi recte sequitur, primam determinare secundas, cum concurrit cum illis ad actus necessarios, quo pacto Deus concurrit cum causis naturaliter agentibus, & cum ipsa etiam voluntate creata, vt natura est, hoc est, vt naturaliter, ac necessario fertur in obiectum; tamen non recte id sequitur, cum prima concurrit cum voluntatibus creatis ad actus liberos, de quibus tamen solis hic est sermo. Vnde si Deus concursu suo voluntatem creatam necessitet, ita vt illa sponte, non tamen libere operetur, iam Deus eo concursu illam determinabit ad eam oppositionis partem, ad quam illam adegerit, neque ipsa se determinabit, tametsi ad sui determinationem concurret. At cum eam non necessitat, sed suos motus agere sinit, etsi cum ea concurrit, atque adeo prius natura, seu independenter, & generali ratione: tamen non solum non prius natura illam determinat; verum ne determinat quidem: sed illa sola determinat, non solitudine, vt ita dicam, concurrentis, sed solitudine determinantis. Hoc idem cernere licet in aliis rebus quamplurimis. Vt enim dicimus, Deum concurrere cum deambulante, & comedente ad deambulandum, & comedendum, nec tamen ipsum deambulare, aut comedere, quia hi actus sunt proprii deambulantis, & comedentis, nec superiores causas denominare possunt: ita necessario dicendum est, Deum concurrere ad determinationem voluntatis creatæ ad actus liberos, nec tamen illam determinare, quia determinatio ad actus liberos est actus proprius, & peculiaris eius ipsius voluntatis, quæ ad eiusmodi actus determinatur, nec superiori voluntati attribui potest. Res magis perspicua est in electione, quæ idem omnino est, atque determinatio voluntatis ad actus liberos circa eligibilia. Dicimus enim, Deum concurrere ad electiones nostras, nec tamen eo ipso, quod nobiscum ad eas concurrit, eligere, quæ nos eligimus. Sunt autem hæc valde consentanea iis, quæ superius tradita sunt de radice contingentiæ, seu non necessitatis: vbi ostendimus, etsi diuina voluntas est prima radix omnis contingentiæ; (*quia scilicet, nisi Deus libere vellet omnia condere, conseruare, & cum causis agentibus concurrere, nihil eorum omnino in rerum natura esset, aut ageret.*) proximam tamen eius contingentiæ, quæ est in actibus liberis creatæ voluntatis, esse ipsam voluntatem creatam sese libere determinantem ad opposita.

Libera determinatio voluntatis est actus proprius ipsius, nec potest Deum denominare.

Ex his patet, minus recte sentire eos, qui volunt, hominem non esse principale agens in omnibus operibus liberis, sed in iis tantum, quæ operatur ex naturæ viribus: in iis autem, quæ operatur ex gratia, non esse nisi tantum instrumentale: improprie enim (*cum minimum*) loquuntur, nec satis accommodate ad veram intelligẽtiam naturæ liberi arbitrii, tutioremq; impugnationem nostræ ætatis Hæreticorum. Primum, quia causa illa propriissime dici debet in suo genere principalis, vt ab instrumentali distinguitur, quæ sese determinat ad suas operationes; instrumentalis autem, quæ determinatur à principali

In his sunt Gre. & Cap. in 2. d. 28. q. 1.

Hominem & in iis, q̃ libere operatur ex gratia, principalem causam dici debere, vt ab instrumentali distinguitur.

A pali, vt patet in operationibus artium: at homo (*quod etiam de Angelo, & anima separata dictum intellige*) sese determinat ad omnes suas operationes liberas: ad eas quidem, quæ viribus naturæ fiunt, supposito generali Dei concursu; ad supernaturales autem, supposito eius concursu speciali, vt ex dictis constat. Dixi [*propriissime principalis*] propter eas causas secundas naturales, quæ principales etiam appellantur; cuiusmodi sunt ignis in **B** comburendo, & equus in generando: siquidem hæ cum liberis comparatæ minus proprie, quam illæ dicendæ sunt principales, cum potius agi, quam agere apud Philosophos, & Theologos dici soleant: quia determinantur à Deo in ipsarum productione ad certas operationum species; cum tamen agentia libera sibi ipsis relinquantur, vt se ipsa ad has vel illas determinent. Quod si causæ secundæ naturales nihilominus dicuntur prin- **C** cipales in ordine secundarum, cum tamen se ipsæ non determinent, sed à prima determinentur; cur non potius homo, cum libere agit, dicatur principale agens inter secundas causas, si supposito vtroque concursu se ipse in vtroque genere operationum ad opposita determinat? Deinde idem probatur ex vero, & proprio dominatu, quem habemus nostrorum actuum, etiam gratuitorum: verus enim dominus suorum actuum principalis v- **D** tique effectiua eorum causa est, etsi nō sit prima. Tertio probatur ex effectu merendi: causa enim mere instrumentalis, etsi actum liberum exequatur, vt manus, vel pes, non est tamen meriti capax: quo fit, vt nec ministri, qui iussu magistratus, aut ducis aliquid faciunt, negari debeant in hoc sensu, quem tractamus, esse agētia principalia, etiamsi sint mancipia: (*improprie enim sunt illorum instrumenta, cum se ipsi determinent ad ea volenda, & exequen-* **E** *da, quæ ipsis imperantur*) & ea de causa sint meriti capaces, si in bonis operibus ministrent; tametsi in exteriori foro aliquando censeantur causæ mere instrumentales. Quarto, quia consilium, & prouidentia non est agentium instrumentaliū, sed principalium: Deus autem etiam in operibus gratuitis supposito speciali auxilio, relinquit hominem in manu consilii sui, vt docet Sapiens, eumque suę particulari prouidentiæ immediate committit, **F** quod tradunt Damascenus, & alii Patres, vt superius dictum est. Postremo, quia si quis dicat, nos in operibus gratiæ esse proprie causas instrumentales, quocunque modo id interpretari velit, videbitur conniueri nostri temporis Hæreticis, qui id affirmant in significatione propria, & germana causæ instrumentalis: si vero dicat, non esse nos proprie instrumentales; ergo necesse est nobiscum sentiat, qui dicimus esse proprie principales, vt ab instrumentalibus distinguuntur: neque enim in eodem operationum genere possumus esse simul causæ proprie principales, & proprie instrumentales.

Etiam qui iussi agunt, agentia principalia esse.

Eccles. 15.

Sect. 10.

In operib. moraliter malis hominem esse & principalē & primam causam.

Dicendum igitur est, nos in operibus moraliter malis, vt mala sunt, non solum esse principales causas, sed etiam primas: quia malum culpæ non potest reduci in Deum; sed reducitur in defectum proprii cuiusque peccantis arbitrii: in operibus autem tum bonis, tum indifferentibus; (*si qua dantur in particulari*) siue solis naturæ viribus fiant, siue concurrente Deo speciali concursu; etsi non sumus causæ primæ, tamen esse causas proprie, atque adeo propriissime principales secundas, non autem proprie instrumentales.

Occurritur obiectionibus quibusdam.

Nec satis in partem oppositam sunt ea, quæ contra obiiciuntur in hunc modum. Liberum arbitrium creatum esse inferioris ordinis respectu supernaturalium operationum. Neque item habere ad eas potentiam naturalem, sed obedientialem: alioqui fore, vt deberetur ei concursus Dei supernaturalis, & gratuitus; sicque iam diuina gratia non esset gratia, sed res nostræ naturæ debita. Denique liberum arbitrium nostrum non efficere quicquam in iis operationibus, nisi eleuatum à Deo per gratiam, & diuinæ cooperationi coniunctum. Non satis, inquam, hæc sunt, vt liberum arbitrium creatum instrumentalis causæ proprie, non principalis in operationibus supernaturalibus esse concludatur. Quanquam enim in se spectatum inferioris ordinis est respectu earum operationum; nec sine speciali Dei concursu eas exercere potest; neque etiam habet ad illas potentiam naturalem, sed obedientialem: tamen vt iam eleuatum, & coniunctum Deo cooperanti, cum libere, & non necessario eas exerceat, propriissime dicendum est principale agens Deo subordinatum, non proprie instrumentale. Namque etsi ferrum, & aqua naturarum suarum viribus calefacere non possunt; accepto tamen aliunde calore, vt iam calida sunt, calefaciunt tanquam vere agentia principalia; tametsi minus proprie, vt diximus, quia non agunt libere. Hac enim ratione omnia agentia naturalia modo aliquo dici possunt instrumenta Dei, qui ab eo determinantur, & effectiue applicantur ad suas, hoc est, certas, & determinatas operationes: liberum autem arbitrium etsi potest à Deo applicari ad bonas operationes per illustrationem intellectus, & commotionem voluntatis; tamen non ab eo determinatur ad illas, sed finitur, vt ipsum se de-

se de-

se determinet, siue ad has, siue ad oppositas, siue etiam ad nullas. Vnde fit, vt nullo modo proprie dici possit causa instrumentalis.

Cur Patres negēt aliquādo nostrū arbitrium esse principale agens in operibus gratiæ, & illum appellent instrumentum.

Quod si nonnunquam Patres appellant liberum nostrum arbitrium, instrumentum diuinæ gratiæ, propterea id faciūt, quia considerant illud, quatenus eleuatur ad supernaturales operationes, quas suis viribus exercere nequit, non autem quatenus iam sic eleuatum operatur. Non raro etiam negant illud esse principale agens in nostræ salutis negotio; verum in sensu longe alio, quam in quo causa principalis confertur cum instrumentali. Nihil enim aliud eo pronuntiato significant, quam nos non esse nostræ salutis principales authores, quasi nostris viribus attribuenda sit nostra salus; sed attribuendam esse Deo, qui gratuito suo concursu, & aliis donis supernaturalibus nostram iustificationem & inchoat, & perficit.

Ad 3. argum.

Ad tertium dicendum, potius ex eo colligi potuisse Dei voluntatem non fore efficacissimam, si non alio modo posset concurrere ad determinationem agētium liberorum, quam quo concurrit ad determinationem agētium naturalium, ea videlicet determinando: illo enim modo non haberet diuina voluntas efficaciam ad facienda agentia libera, sed omnia faceret agentia naturalia. Nunc autem, cum ita concurrat cum agentibus liberis, vt nihilominus ipsa se determinent ad hanc vel illam actionem, vel ad agendum & non agendum, quod concessum non est agentibus naturalibus; summam, imo & infinitam in hac re sui efficaciam ostendit, quatenus generali, & quasi naturali suo concursu agens libertatis suæ participationem quibusdam agentibus impertit.

Summa efficacia voluntatis diuinæ est concurrere cum creatis, quia eas determinet.

Ad quartum ex eodem fundamento neganda est consequentia. Nam etsi ex eo antecedente sequitur, vtramque differentiam necessario, & libere agendi cadere sub diuinam prouidentiam, vt vtraque, vel neutra dari possit in rebus creatis; tamen non sequitur vtramque cadere sub diuinam determinationem: cum sola naturaliter agentia determinari possint à diuina prouidentia, ad alteram scilicet oppositionis partem; quæ autem libere agunt, salua eorum libertate, determinari non possint ab eadem prouidentia; sed tantum à prouidentia creata ipsorum liberorum agentium.

Ad quintum dicendum est, concursum supernaturalem, specialemve, necessarium quidē esse ad actus supernaturales, ita vt volūtas nec inchoare possit, nec perficere vllum tale opus, nisi Deo huiusmodi concursu concurrente; sed tamen eum concursum nihil libertatis adimere voluntati, quominus illa eo excitata, atque adiuta sese determinare possit ad obedientiam Deo præstandam.

Ad sextum quoque ex dictis respondendum est, nullum esse auxilium supernaturale præueniens voluntatem ad liberum consensum, quod ex ipsa vocationis substantia, & natura sit efficax, detrectarique non possit, vt in sacra synodo Tridentina decernitur: sed illud idem præueniens, quod natura sua est sufficiens, vt vocatus consensum supernaturalem præbeat, esse efficax in iis, qui vocationi diuinæ consentiunt; non quia præstitus consensus faciat illud efficax, sed quia iam ante consensum est efficax, non ex natura sua, sed ex diuina applicatione; quia nimirum eo tempore, in iisque occasionibus adhibetur, in quibus præscitur effectum habiturum: de qua applicatione paulo post agendum est. Itaque nullum auxilium præueniens, siue sufficiens sit, & non efficax, siue sufficiens & efficax, determinat voluntatem creatam: (*nisi si quando Deus eam necessitaret, quod fieri non potest in ipso actu consentiendi libere*) tametsi determinare illam potest ad effectus quosdam, quibus excitatur ad consensum præstandum, vt timoris, spei, amoris, & alios huiusmodi, vt dictum est: in quibus effectibus ita voluntas, vt natura est, cum Deo concurrit, vt non liberum, sed solum spontaneum actum eliciat; neque illo quicquam mereatur, sed more instrumenti à Deo, vitali tamen motu excitetur, vt assensum vocanti, & excitanti præbeat.

Sess. 6. c. 5. & Can. 4.

Vnde habeat supernaturale auxilium, vt sit efficax.

Ad quæ determinetur voluntas à Deo.

Ad septimum dicendum, si in Deo non esset conditionalis illa futurorum præscientia, quam veluti basim totius resolutionis huius difficultatis, & omnium similium constituimus, tum demum fore, vt illud magnam vim haberet. Nunc autem nullam omnino habet, quia nullus, siue homo, siue Angelus prædestinatus fuit, antequam Deus certo præsciuisset, quid quisque libere facturus esset in quauis occasione, si in ea poneretur; nullusve electus ad supernaturalem beatitudinem destinatus est, antequam conditionata scientia certo nouisset illum bene vsurum & naturalibus & supernaturalibus auxiliis ad eam obtinendam: tametsi nullus prædestinatus, & electus est, quia bene vsurus erat vtrisque auxiliis, sed vt bene illis vteretur, & eius boni vsus merito beatitudinem supernaturalem consequeretur.

Prædestinatio supponit conditionatā præsciētiam.

* *
*

Solutio

Solutio vltimi argumenti, quatenus ex diuinis scripturis, & Augustini dictis perperam intellectis extruebatur.

SECTIO XIV.

AD vltimum, quod ducebatur ex diuinis literis, & ex quibusdam Augustini, ac D. Thomæ dictis, respondendum in primis est, omnia loca scripturæ sacræ, in quibus significatur, Deum de hominum voluntatibus facere, quicquid vult, semper in bonam partem exponenda esse, vt ille non ad malum, sed ad bonum hominum voluntates flectere intelligatur. Deinde cum agitur de liberis actibus, vt agi solet, (*fortasse enim nullus reperietur locus, quem de actibus necessariis opus sit interpretari, ad quos Deus voluntatem creatam adigat*) semper actio Dei ad flectendas voluntates intelligēda est moraliter, hoc est, suadendo rationibus, alliciendo commodis, terrendo periculis, erigendo spe consequutionis, comprimendis prauis affectibus, & aliis huiusmodi auxiliis, quibus ipse scit certo, vt summus omnium bonorum autor, summæque sapientiæ rector, voluntatem permouendam: non autem pure efficienter, hoc est, sola efficientia interna, quam physicam appellant: quod ea efficientia, si determinatiua sit absoluti consensus voluntatis, & nō motiua tantum per modum affectus, cuique actui libere eliciendo repugnet. Denique sic intelligendum esse illud Prouerbiorum de inclinando corde Regis, & alia similia. Locus vero Hieremiæ, in quo videtur negari voluntati humani suorum actuum regimen, & alij eiusdem sententiæ, qui plurimi sunt, de actionibus proportionatis, siue accommodatis ad salutem æternam obtinendā exponendi sunt, ad quas actiones exercendas humana industria non est satis, vt ei necesse sit diuino regimini & protectioni magna summissione se committere.

Generalis solutio pro iis sacra scriptura locis, in quib. Deus dicitur nostras flectere voluntates.

Alia solutio pro iis, in quibus priuari videmur regimine nostrorū actuum.

Illud etiam Domini apud Ioannem, *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, de tractu non modo spontaneo, sed etiam libero, & cui resisti possit (tametsi non ei resistatur) intelligitur. *Quisquis enim ad salutem trahitur, non modo libera voluntate, sed etiam voluptate trahitur*, vt ipse Augustinus ait in eius loci explanatione. Quod non aliter fieri potest, nisi ponendis hominibus in iis occasionibus, illisq; iis auxiliis instruendis, confortandis, & commouendis, quibus Deus conditionata præscientia certissime nouit eos omnino promouendos, & ad regimen, ducatumque diuinum trahendos.

Exponitur locus Ioannis.

A Ad loca vero Augustini ex libro de prædestinatione sanctorum allata dicendū est, gratiam vocationis congruæ, quæ pro tempore, loco, & aliis circumstantiis contemperatur libero arbitrio, etsi à quolibet duro corde ex natura sua respui possit, à nullo tamen de facto respui. Non respuitur autem, quia hoc vocationis genere ita emollitur cor durum, vt eius durities ante consensum, vel tempore, vel naturæ ordine, auferatur. Quod vero B addit, Deum operari, aut velimus, vel facere, vt faciamus, ipse exponit, cum ait libro eodē, Deum inclinare corda hominū, nempe suaui illa, quæ explicata est, motione, sed ita certa, vt irrita nunquam sit: cum Deus, quandocunque illa est cōgrua, (*qualis semper est, cum Deus absoluta voluntate vult, vt aliquid faciamus*) conditionata scientia præsciat nosmet à nobis ipsis determinandas: alioqui, (*vt recte dixerat*) si in nostra esset potestate, vt sine vocatio- C ne diuina impleremus ea, quę Deus præcipit, in nostra quoq; potestate essent ea quæ ille pro iis implendis promisit; nosque ex nobis ipsis eum faceremus æternorum bonorum debitorem. Cum deniq; oramus pro nolentibus credere, vt eos Deus volentes faciat, nihil aliud facimus, quam quod precamur, vt eos à vocatione inuitet, qua præscit eos, si sic ad fidem vocentur, consensuros.

Ad loca D. Aug. prima classis.

Cur voluntas cōgruam vocationē nunquā respuat.

D Eodem modo respondendum est ad ea, quæ proposita sunt ex libro de bono perseuerantiæ. Nam quandocunq; vocatione illa congrua, & nobis accommodata vocamur, magnum nobis donum donatur, quippe cum alia vocatione vocari possemus, quæ etsi sufficiens esset, vt vocanti obediremus; talis tamē esse posset, vt præsciret Deus nos minime illa permouēdos. Vnde illud etiam verissimū est, Deum quemcunq; vult, religiosum facere, eo faciendi modo, qui explicatus est: & si voluis- E set, deuotos ex indeuotis eodem modo fecisset, nulla prorsus actione physica, seu reali eos ad consensum trahendo.

Ad secunda.

Ad ea vero exponenda, quæ relata sunt ex libris tum de libero arbitrio, tum etiā de correptione, & gratia, nihil iam difficultatis est, cum eodem modo intelligenda sint. Vocat autem eas vires, quæ libero arbitrio dantur, efficacissimas, quia dantur vt voluntas tam sublimia opera, quā sint supernaturalia, cum F ipsa simul gratia operetur. Id ipsum quoque significat, cum ait, tantū accendi Spiritu sancto voluntates nostras, &c. Quod totum vocationi cōgruæ attribuit, cum ait: *Quia Deus operatur, vt velint.* Atq; ob hanc etiam vocationem ait, Deum habere inclinandorū cordium omnipotentissimam potestatem. Maior enim potestas est ex parte effectorum sic

Ad tertia.

Ex parte effectus maius est Deum facere, vt libere velimus, quā si necessario vellemus.

Deum ad actus liberos concurrere posse, vt nihilominus libere fiant, quam si fierent necessario: hæc autem tanta Dei potestas per solam vocationem cōgruam huiusmodi opera conficit. Vnde & potestas hæc maiorem quoque ex parte rerum præscitarum præscietiam arguit, quam potestas circa ea, quę per causas naturaliter agentes fiunt: quandoquidem ad harum effecta præscienda non opus erat conditionalem scientiam nostro intelligēdi modo ita profundam, mirabilemque præcedere, sed satis esset ea præscientia, quæ habetur per causas determinatas ad vnum, qua etiam Angelica natura cognoscit futura rerum naturalium effecta, vt supra diximus.

quæst. 2. sect. 6.

Denique, quod ait, magis habere Deum in potestate sua hominum voluntates, quam ipsi habeant suas, nō propterea dicitur, quod illæ à Deo determinentur, dum ipsi libere agunt; cum id re vera contradictionem inuoluat: sed quia Deus potest inuenire modum, quo eos omnino permoueat nullo modo læsa eorum libertate, vt etiamsi pertinaciter cōuerti nolint, atq; adeo dicant, se nullo modo sibi persuadere id posse, nullove pacto adduci, vt cōuertantur, eos tamen in cōtrarium affectum, & voluntatem facilime, seruata eorum libertate, congrua aliqua, & accommodata eorum ingeniis vocatione mutare possit, qua præsciat illos esse obedituros.

Ad quartæ classis loca.

Iam ad ea, quæ quarto loco proposita sunt, patet solutio ex iis, quæ superius in expositione citati ex Ioanne loci diximus, quæ magis etiam confirmantur ex iis verbis, quæ ex Augustino afferuntur. Quid enim est aliud trahi hominem miris modis ab illo, qui intus nouit in hominum cordibus operari, quam trahi vocatione ita accommodata, & attemperata eius ingenio, vt nihilominus libere velit, quod ante nolebat, & fortasse pertinacissime nolebat? Mirus enim est huiusmodi tractus, præsertim cum certissimus sit, & omnino infallibilis. Quod si Deus hominem nolentem ad volendum effectiua, seu physica determinatione traheret; (*vt etiam dămus id posse fieri seruata hominis libertate*) quid quæso id mirum esset? quid etiam opus esset Deum quasi disquirere inter modos trahendi infinitos, quibus potest hominem vocare, vt inueniret aliquem, qui tum maxime esset accommodatus ad illum persuadendum, & permouendum? Certe satis esset illum quacunque in occasione, & quacunq; vocatione permissa, imo etiam nulla præmissa vocatione ex nolente volentem facere. Nunc autem cum homines præuenienti gratia vocentur, vt vocationi libere obediant, (*quod opposita sententia autores non negabunt*) vana omnino est illa

Quam sit mirum à Deo hominē trahi, sed libere.

A physica determinatio, quam ponunt longeq; remota ab Augustini sententia. Deniq; illud de equo, & sessore (*si liber ille Augustini est*) ea tantum ratione in similitudinem adducitur, quatenus equus per se ipsum quædam efficere non potest, quæ sessoris gubernatione efficit (*vt venire in quem locum velit sessor*) tametsi alioqui effectiue determinatur à sessore ad ea efficienda.

Ad quintum.

Ad illud autem, quod quinto loco propo-B situm est de eo, qui se discernit ab alio, quasi solus ipse naturali auxilio innixus consensu suo libero, posita diuina vocatione, sibi salutem, & progressum in via Domini pepererit; dicendum est, aliud esse, an is possit aliqua ex parte gloriari, sibique aliquo modo tribuere, quod cōsensum vocanti dederit, quod alter non fecit; aliud vero, an simpliciter, & absolute possit gloriari, sibique assumere, quod vocationi consenserit, cum alter id fa-C cere noluerit. Nam quod priori modo licite gloriari possit, iam superius ostensum est ex ipso Apostolo Paulo, vt eum interpretantur Ambrosius, & Chrysostomus; sed tamen non sine periculo id fieri, ne sibi, plusquam par est, attribuat: simpliciter autem gloriari de suo consensu, eumque simpliciter, & absolute sibi tribuere, seque ob eam causam à non consentiente tanquam obedientem, iustumque discernere, diuinæ gratiæ iniurium est.

An possit quis gloriari, quod gratiæ consenserit.

D Quod enim obediuit, & multo magis, quod iustus est, soli Deo vocanti, & post vocationē cooperanti, & iustificanti est tribuendum. Nam & solus Deus vocationem libere operatus est, cum posset non vocare; (*etsi enim is, qui vocatus est, ad vocationem sponte concurrit, quia vitali actu concurrit; tamen non libere concurrit*) & solus etiam Deus illum libere iustificauit, infundendo nimirum in eum habitualem E gratiam in eo instanti, in quo cum illo libere consentiente cooperanti gratia concurrit. Vnde neque ipsum obediendi actum sibi tribuere quisque potest, cum supernaturalis sit propter supernaturalem gratiæ cooperantis concursum; neq; in eo quicquam reperitur, quod sit à natura, & non simul à gratia. Id quod Bernardus in libro de gratia, & libero arbitrio his verbis docet, *Non partim liberum arbitrium, sed totum* (scilicet consen-F sum) *singula*, (hoc est, gratia, & liberum arbitrium) *opere indiuiduo peragunt.* Quin etiam Augustin⁹ in libro de gratia, & libero arbitrio soli Deo conuersionem tribuit peccatoris, *Vt Apostolus*, inquit, *Paulus tam magna, & efficacissima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola.* Quod propter vocationem dixit, & gratiæ habitualis infusionem: nam consentiendi actus à Deo simul, & Paulo libere operante

cap.17.

rante fuit. Et inferius libro eodem iungens cum gratia vocationis gratiam concursus in libero hominis consensu, sic ait: *Vt velimus, sine nobis operatur:* (ipsam nimirum vocationem) *cum autem volumus, & sic volumus, vt faciamus,* (nempe cum consentimus, & post cōsensum iam iustificati operamur) *nobiscum cooperatur.* Quod fit, vt ipse etiam consensus noster gratiæ vocationis, & cooperationis ad consentiendum tribuendus sit, & ratione etiam illius consensus dici possit ei, qui conuersus est, *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

Ad sextum.

Quod autem obiicitur de frequentibus illis Augustini admirationibus, facile explicatur. Si enim diceremus hunc trahi, & illum non trahi, quia hic suis viribus vocationi consentit, ille non consentit, nihil esset, cur adderemus, merito Paulum ea in re tantopere extollere iudiciorum Dei profunditatem: nunc autem, cum neminem dicamus viribus suis consentire vocationi, sed præuenienti gratia permotum, & cooperante illi Deo in ipso consensu: illud superest magna admiratione dignum, Cur, cum Deus vtrumque vocet, alterum tamen trahat, alterū non trahat In hoc enim magnum est errandi periculum, ne quis vel existimet deesse Deo scientiam, aut potentiam, vt nolentem volentem faciat, sicque illum libertate eius seruata trahere aut nesciat, aut non possit; vel esse apud illum personarum acceptionem, quod cum possit vtrumque sic trahere, alterum tamen quasi vocatione delusum reiiciat, vel deniq; eum, qui trahitur, mereri, vt trahatur, alterum minime; atq; ita trahendi gratiā iam non esse gratiam, sed ex meritis fieri: quod vltimum erat Pelagianorum, & suo modo Semipelagianorum error: ob quem Augustinus docebat eum, qui in hac difficultate contentus non esset eius admiratione, pro respōsione quærere ad respondendum doctiores; sed caueret, ne inueniret præsumptores, hoc est, qui de nostris meritis ante gratiam gloriari nos posse dicerent. Causa igitur, cur tam sæpe admiretur Augustinus, quod vnus trahatur, alter non trahatur, est, quia duo mirabilia in ea disparitate cernuntur. Alterum est, quo pacto Deus nolentem facere possit volentem, seruata eius libertate, & ab æterno præsciat illum vocationi consensurum: alterum, cur ad vnum vocandum vtatur vocatione, qua certo scit illum venturum; ad alterum vero vocatione, qua certo etiam scit illum non venturum: quando præsertim vterque eodem modo affectus est, cum apud Deum nulla sit iniquitas, aut personarum acceptio. Hæc autem admiratio non minor est

Quam mirū sit à vocatis hunc trahi, illum non trahi.

A ex eo, quod dicimus, Deum non determinare hominum voluntates, sed alio modo infallibiliter de illis facere, quod vult; quam si eas determinaret, cum potius illud, quam hoc sit multo mirabilius.

Ad vltima classis.

Ad vltimum vero de auxilio efficaci, & non efficaci, permittendum est facile esse intelligere, omnia Dei necessaria auxilia (qualia ad vitam æternam sunt ea, quæ specialia dicuntur) esse ex se sufficientia: alioqui Deus

Quod specialia auxilia non sortiātur effectum, ex nobis esse.

B deficeret in necessariis. Vnde, quod ex specialibus, de quibus loquimur, quædam non sunt efficacia, hoc est, non sortiantur effectum, non ex ipsorum natura, sed ex nostro defectu prouenit: neque hac de re vllus Catholicus ambigit. Verum vnde proueniat, vt alia sint efficacia, alia non item, magna semper fuit quæstio, à temporibus potissimum Pelagij, & Massiliensium, qui Semipelagiani dicti sunt *Pelagius enim nimium

Ad quod vel sint, vel non sint efficacia, vndenam habent.

*Pelagij error.

C tribuens nostri arbitrij libertati efficaciam diuinæ vocationis nostræ voluntatis libero consensui attribuebat, asserens eum, qui diuinæ vocationi consentit, efficere, vt huiusmodi auxilium sit efficax. Contra quos Augustinus, & alij eius ætatis sancti Patres acerrime decertarunt, ostendentes ex diuinis literis nō ad liberi nostri arbitrij libertatem, sed ad ipsam diuinæ vocationis gratiam referendam esse eius auxilij efficaciam. Lutherani vero

Lutheranorum item.

D asserentes Deum ita proprie esse malorum operum, atque bonorum autorem, è contrario dicunt efficaciam diuinæ vocationis nullum nostri arbitrij consensum requirere; sed vocatorum voluntates aut mere passiue se ad vocationem habere, vt quidam eorum sentiunt, aut (*vt alii volunt*) non libero consensu, sed solum spontaneo tractu duci se sinere. Catholici autem medium iter, rectumque tenentes ita fatentur contra Pelagianos effica-

Catholica sententia.

E ciam diuinæ vocationis ipsi vocationi adscribendā esse, vt dicant contra Lutheranos eam nostræ voluntatis liberum consensum requirere, nisi quod ij, qui putant voluntatem nostram physice à Deo vocante determinari, insimulant oppositæ, veræq; sententiæ autores cuiusdam veluti conniuentiæ in Pelagianos; hi vero metuunt, ne illi in Caluinismum minime id aduertentes nōnihil inclinent: quod vtrique, vt par est credere, pio timore ducti

F faciunt.

In quo re difficultas consistat.

Crediderim ergo totam hanc difficultatem in eo positam esse, quod non satis dilucide explicatur diuinæ vocationis formalis ratio, & substantia: quæ si plane perspiciatur, omnem timorem depel et reductis omnibus ad veram huius rei intelligentiam. Quocirca distinguenda nobis videtur iuxta ea diuinæ

Distinctio inter substātiā vocationis diuinæ, & eius applicationē.

uinæ vocationis ab eius applicatione, non ab ea quidem, quam ponit Gregorius Ariminensis in secundo sententiarum d. 28 quæstio. 1. (*ait enim eo loco inter vocationem diuinam, & consensum nostrum mediam esse applicationem, qua Deus applicat voluntatem nostram efficaciter ad consentiendum vocationi: hac, enim applicatio non potest esse nisi Physica, qua satis iam à nobis expugnata est*) sed ab ea, qua Deus applicat ipsam vocationem iis, qui vocantur. Distinguuntur enim duo hæc non obscura, vt arbitror, distinctione. Vocatio enim diuina ex formali ratione sua solum includit illustrationem intellectus tantum, tantamque voluntatis commotionem à Deo speciali vocationis auxilio factam, quanta satis est, vt nisi stet per eum, qui vocatur, sufficiens sit, vt illum permoueat.

Formalis ratio vocationis & quid ad eam requiritur.

Nam cœtera, quæ extrinsecus adhibentur, vt publica prædicatio, cohortationes, & consilia priuata, exempla virtutum conspecta, piorum librorum lectio, & meditatio, præmia quæ bonis, pœnæ quæ malis proponuntur, miseriæ, & calamitates huius vitæ, & alia huiusmodi, omnia ad illa duo capita illustrationis intellectus, & commotionis voluntatis reuocantur. Si enim in his duobus non est completa vocationis diuinæ ratio, & substantia, sed vlterius requiritur, vt vocatio sit ita congrua, & accommodata ei qui vocatur, vt certo obediturus sit, aliquid deerit de vocationis substantia, & ratione iis vocationibus, quibus non persuadentur, nec permouentur iis qui non veniunt, quod dici non potest. Applicatio autem vocationis hoc modo duntaxat considerata nihil est aliud, quam executio diuinæ dispositionis, qua Deus absoluta voluntate ab æterno decreuit hunc vocandum in hac occasione, illum in illa, & sic de cœteris: quæ applicatio cum ex decreto, & proposito diuino fiat (*neque enim Deus sine consilio voluntatis sua aliquid absolute facere decreuit*) si vocatio quidem congrua vocatis fuerit, hoc est, effectum in eis sortitura, ad gratiam quoque præuenientem, quemadmodum & ipsa vocationis substantia, pertinebit: magna enim gratia fiet ei, qui in ea occasione vocatur, in qua præscitur obediturus: sin autem congrua non fuerit, vt quæ non sortitura sit effectum, ipsa quidem vocationis substantia ad præuenientem gratiam spectabit, non tamen huiusmodi applicatio; sed ad communem prouidentiam referenda erit, qua Deus non omnibus æqualia tribuit, satisque habet, si ea cuique conferat, quæ, nisi ille sibi deesse velit, ipsi sufficiant ad salutem.

Quid sit eius applicatio.

A Dicendum igitur, efficaciam diuinæ vocationis neque à libero nostro voluntatis consensu prouenire, vt probatum erat; neque ab ipsa diuinæ vocationis substantia, vt nunc ostensum est; cum hæc renuentibus etiam venire non denegetur: sed prouenire ab ea diuinæ applicationis gratia, qua vocatio in ea occasione offertur, qua vocatus præscitur persuadendus, ac promouendus. Neque enim id fit casu, aut fortuito, sed ex B consilio, vt dictum est, diuinæ voluntatis, vt merito Paulus ad Romanos sic applicatam vocationem appellet. *Secundum propositum*, cum ait: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Cum enim Deus omnes vocet, vt sancti sint; non omnes tamen ad id vocat secundum propositum, seu absolutam voluntatem, sed si velint ipsi sancti esse: iis vero, quos vocat secundum propositum, C eam vocationem sic applicat, vt certus sit, omnia ad quæ inuitantur, seu facilia illa sint, seu laboriosa, in salutem illis prouentura. Quanquam enim omnia, quæ ad substantiam vocationis spectant, aliquando sint paria in eo, qui vocatus venit, & in eo, qui vocatus venire renuit; imo vero, etsi in eo, qui non venit, maior interdum sit mentis illustratio interior, maiorq; affectus commotio ad veniendum: eo tamen solo, quod talis vo- D catio in ea occasione applicatur ei, qui venturus est, qua præscitur obediturus: ei autem, qui venturus non est, in ea, qua præscitur repugnaturus, (*tametsi alia vocari posset, qua obediturus præsciretur*) illius vocatio est efficax huius autem non efficax: qua de causa illam, qua vocatus venit, merito Diuus Augustinus in loco citato appellat altam secretam, longe remotam à sensibus nostris, excellentis potestatis, pertinentem ad eam E scholam, qua Pater docet, & auditur, vt veniatur ad Filium. His enim titulis ea ratione illam extollit, quia quantumcunq; æqualia sint cœtera munera, aut etiam maiora in iis, qui non persuadentur, nec permouentur; tamen secreta illa argumenta, & incitamenta certo nosse, quibus vocati persuadendi sint, & libere permouendi sint, eaque in omni euentu, & occasione sic applicare posse, vt irrita non sint, altissimæ sapientiæ, & F magisterij æterni Patris est summæque eius potentiæ.

Vnde proueniat efficacia diuinæ vocationis.

Ad Rom. 8.

Ex quibus, apertissime colligi potest vera explicatio illius quæstionis, possitne ex duobus hominibus æquali omnino gratia vocatis vnus conuerti, alter non conuerti? Patet enim dicendum esse, si sola vocationis substantia spectetur, id fieri posse; sin autem & substan-

An ex duob. æquali gratia vocatis possit vnus cōuerti, alter nō cōuerti.

substantia, & applicatio simul considerentur, fieri non posse. Nam & illustratio intellectus, & commotio voluntatis non solum possunt esse æqualia in vtroque sed etiam maiora in eo, qui non conuertitur, quam in eo, qui conuertitur, vt dictum est. Cum autem applicatio non congrua non sit specialis gratia, sed à communi prouidentia profecta, vt etiam est dictum, necessario efficitur, vt hac ex parte semper is, qui non conuertitur, minori gratia vocetur, quam qui conuertitur.

Aliorum responsio. Alij hoc modo quæstioni respondent, In genere quidem rei æqualem vocationis gratiam dari posse in eo, qui vocationi nō obedit atque in eo, qui vocationi paret, imo etiā maiorem: nunquam tamen in genere beneficij æqualem esse in vtroque, aut maiorem in eo, qui non obedit, sed semper minorem. Sēper enim maius beneficium est in ea occasione vocari aliquem, in qua præscitur obediturus, quam in qua præscitur repugnaturus: etsi res ipsa, hoc est, illustratio intellectus, & commotio voluntatis, sit æqualis in vtroque, aut etiam maior in eo, qui est repugnaturus. Quę responsio, vt exhauriat totam difficultatem, ex priori distinctione vim habet. Supponit enim vocationis substantiam in illustratione intellectus, & commotione voluntatis sitam esse, ad quas duas excitationes diuinas omnes externæ excitationes reuocantur, vt diximus: atque has solas duas excitationes diuinas videtur significare: huiusmodi responsio nomine gratiæ vocationis in genere rei. Si enim hac appellatione ipsam quoque applicationem, siue occasionem complecterentur, qui hoc modo respondendi vtuntur, non rectè dicerent posse gratiam vocationis in genere rei esse æqualem, aut maiorem in eo, qui vocationi resistit, atque in eo, qui obtemperat; cum semper vocatio obedientis includat congruam applicationem, seu occasionem vocationis, quam non includit vocatio resistentis. Itaque nisi ante distinguatur gratia vocationis in eius substātiam, quæ sola intelligatur nomine vocationis in genere rei; & in eius occasionem, quam appellauimus applicationem, non potest hac responsione satisfieri propositæ difficultati.

Sitne aliqua vocationis gratia per se efficax, alia per se nō efficax. Eodem modo colligi potest ex priori distinctione solutio eius dubii, quo quæri solet, sitne aliqua vocationis gratia per se efficax, alia vero per se non efficax? Perspicuum est enim respondendum esse negatiue ad vtrumque membrum si sola vocationis ratio & substantia spectetur: cum ea, quæ hoc pacto æqualis omnino sit, possit in vno esse efficax, si congrue applicetur, in alio non efficax, si non applicetur congrue. Quod si vocationis substantia simul cum applicatione sumatur, aperte constat aliquam vocationem sic consideratam esse per se efficacem, aliquam per se non efficacem: quia congrua vocatio, vt congrua est, non solum non potest non sortiri effectum, sed ne cogitari quidem talis, vt illum possit non sortiri: quandoquidem in conceptu congruæ vocationis includitur obedientia futura vocati, cum is conceptus supponat obedientiæ futuræ præscientiam: non congrua vero, vt congrua non est, non solum non potest effectum sortiri, sed nec cogitari talis, vt nullum sortiri possit, quia in proprio eius conceptu clauditur inobedientia futura vocati, cum eius præscientiam supponat.

Corollaria quædam, & summa tradita doctrina. Hæc si oppositarum sententiarum auctores Catholici considerent, nulla iam erit inter eos dissensio: constat enim ex dictis omnē efficaciam diuinæ vocationis à gratia hoc pacto prouenire, non à libero arbitrio: constat nihilominus eam liberi arbitrij consensuri præscientiam requirere. Constat etiam nullam tantam esse posse vocationis gratiā, si sola eius ratio, & substantia spectetur, vt à vocatis reiici non possit, si non congrue vocatis applicetur: contraque nullam tam exiguam, quæ si applicetur congrue, repudietur. Cōstat denique gratiam vocationis, siue absque applicatione consideretur, siue cum ipsa simul applicatione, nequaquam vere effectiue, seu physice determinare vocatorum voluntates ad obediendum, sed morali tantum ratione excitare vocatorum mentes, positis nimirum duntaxat rationibus ad persuadendū intellectum, adhibitisque incitamentis ad alliciendam voluntatem, eaque occasione quęrenda pro iis, qui secundum propositum vocantur, qua illi vocationi consensuri præsciātur: quam vocationis rationem pertinax omnino sit, qui non videat, nullam includere physicam à Deo voluntatum nostrarum determinationem.

Ad vlt. locū August. Quo pacto efficacia auxilij à gratia cōgrua vocationis proueniat. Quibus præmissis, ad vltimum Augustini locum de auxilio efficaci, & nō efficaci satis patet, respondendum esse, efficaciam eius auxilij, quo vocati ad veniendum persuadentur, & permouentur, à gratia quidem congruæ vocationis prouenire: verum non ex eo, quod ea vocatio physice determinet venientium voluntates, non venientium autem voluntatibus integrum relinquat, vt ipsæ se sic determinent: sed ex eo, quod congrua vocatio includit gratiam congruæ applicationis, quæ supponit præscientiam liberi concursus futuri eorum, qui venturi sunt, quam non

supponit applicatio vocationis non cõgruæ: quæ applicatio non est effectus gratiæ, sed communis prouidentiæ, vt dictum est.

Duplex vocatio congrua.

Prior ad gratiam iustificationis.

Quo loco aduerte duplicem esse vocationem congruam, siue secundum propositum, seu (*quod idem est*) secundum absolutam Dei voluntatem, quæ semper impletur: vnam ad communem gratiam, qua vocantur & prædestinati, & reprobi, qui aliquãdo sunt in statu gratiæ, alteram ad perseuerantiam, quæ est prædestinatorum propria. Nam & ipsum diuinum propositum, quemadmodum & absoluta Dei voluntas, duplex est: vnum, quo Deus absolute vult donare alicui iustificationis gratiam, quod propositum diuinum significat Paulus quarto ad Romanos, cum ait: fidem reputari nobis ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei: quasi dicat, vnumquemque nostrum, cum ex iniusto fit iustus, iustificari ex proposito, absolutaque Dei voluntate, non ex propriis viribus, de qua tamen iustificationis gratia multi excidunt, vt ii, quibus idem Apostolus ait 5. ad Galatas: *Euacuati estis à Christo, à gratia excidistis.* Alterũ diuinum propositum est, quo Deus absolute vult donare alicui perseuerantiam, & consequenter beatitudinem; de quo proposito intelligitur id, quod idem ad Romanos octauo scribit: *Diligentibus*, inquit, *Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti*; hoc est, ad permanentem sanctitatem, non ad eam tantum, quæ præsentis iustitiæ appellatur. His enim omnia, tam prospera, quam aduersa, cedunt in æternum bonorum cumulum, quia ex vtrisque rerum successibus vtilitatem capiunt: imo etiam ex ipsis peccatis, tum grauibus, quæ ante perseuerantiam committerunt, tum etiam leuibus, in quæ post acceptam perseuerantiam aliquando labuntur: quod ex grauibus cautius resurgant, & ex leuibus feruentius operandi occasionem accipiant: quæ est Diui Thomæ, & fere communis sententia. Cæteris autem, qui ad tempus tantum diligunt Deum, ipsa etiam vocationis, & iustificationis dona ex eorum abusu illis vertuntur in damna: vnde fit, vt cum Christus Dominus de Iuda proditore dixit, *Melius erat ei, si natus non fuisset*, dicere quoque posset: Si ad iustificationis gratiam, ipsumque Apostolatus donũ vocatus, & cooptatus non fuisset.

Posterior ad beatitudinẽ.

Prædestinatio etiam ipsa peccata cooperari in bonum.

Solutio eiusdem vltimi argumenti, quatenus nitebatur autoritate Diui Thomæ non recte explicata; & refutatio cuiusdam loquendi modi in hac materia.

Sectio XV.

Ad loca D. Thom.

Ad ea vero, quæ ex D. Thoma proposita sunt, iam ex supra dictis patet, quid respondendum sit. Illa enim præordinatio, de qua in prima parte loquitur, non antecedit præscientiam conditionatam, sed more considerandi nostro posterior est: qua ratione videtur ille præmisisse præsciendi verbum, cum dixit, *Qua non præsciuerit, & præordinauerit se facturum.* Quo autem pacto intelligatur ab eo motio, qua Deus mouet voluntatem ad bonum in commune, & ad quædam specialia bona, de qua in priori loco primæ secundæ loquitur, superius etiam iuxta nostram, veramque sententiam expositum est. Quod denique ex posteriori loco eius partis obiecimus, alio modo est intelligendum: neque enim D. Thomas ibi loquitur de motione inclinatiua, vt ita dicam, quæ est proprie dicta, sed concursiua: quo pacto sæpe Aristoteles, & Scholastici Doctores loquuntur, cum dicunt causas essentialiter, seu per se subordinatas non mouere nisi motas à superioribus, hoc est, nisi concurrentibus causis superioribus, quibus subordinatæ sunt: sic enim eam loquendi formam necessario intelligendam esse diximus libro quinto, cum disputaremus de causarum subordinatione. Hoc autem modo verissimum est, concurrente Deo ad aliquem actum liberum creatæ voluntatis, necessario necessitate consequentiæ concurrere voluntatem creatam ad eundem actum, non tamen necessario necessitate consequentis, seu necessario simpliciter: quia si seipsa non determinaret ad eum actum, (*quod poterat*) neque etiam Deus ad illum concurreret.

Sect. 10. §. Duobus autem.

7. Phys. t. 1. & lib. 8. c. 5.

c. 2. q. 5. sect. 2 & 3.

Operæpretium est tamen hoc loco pro iis, quæ paulo ante dicta sunt, quorundam loquendi modum, qui in hac materia non est vsurpandus, seorsim examinare. Dicunt enim, quandocunque voluntas nostra aliquid de facto complectitur, semper intellectum efficacius illud considerasse vt amplectendum, quam oppositum, prius nimirum vel tempore, vel natura. Ex quo pronuntiato duo consectaria colligunt. Alterum, fieri non posse, vt intellectu æque efficaciter nobis proponente duas res quaslibet vt amplectendas, seu eligibiles, voluntas alteram amplectatur, alteram reiiciat, tametsi possit ab electione facienda se cohibere, sicque neutram amplectĩ, aut refutare. Alterum, si intellectus æque efficaciter proponat duobus hominibus idem obiectum vt amplectendum, impossibile esse, vt alter illud amplectatur, alter vero reiiciat: tametsi vterque possit ab actu illud siue amplectendi, siue reiiciendi se cohibere-

Recentiorũ assertio, cum voluntas aliquid amplectitur, semper intellectum id efficacius, quàm oppositum considerasse.

Consectariũ.

Alterum consect.

bere. Quam sententiam tribus argumentis confirmant.

Eorum arg.

Primo, quia experientia quotidiana, vt aiunt, compertum est, quandocunq; duæ res se nobis offerunt vt ex æquo eligibiles, semper voluntatem hęrere, nec se ad alteram eligendam determinare.

Altero, quia, si voluntas ex se sola, absq; diuersitate vlla cognitionis oppositorum, quæ ex parte eligibilia, vel refutabilia sunt, alterũ plena cognitione amplecteretur, alterum refutaret non semper præcederet in intellectu, defectus aliquis ignorantiæ, aut inconsiderationis, cum voluntas amplectitur opus vitiosum neglecta operatione virtutis: quod pugnat cum Aristotelis, grauiorumque Theologorum, ac Philosophorum sententia, asserentium nunquam dari peccatum in voluntate, quin pręcedat in intellectu aliqua ignorantia, aut inconsideratio.

Tertio, quia, cum semper intellectus concurrat cum voluntate ad actum eligendi, seu determinandi se ad alterum oppositorum: (quocunque modo id fiat) voluntas autem vnum tantum ex oppositis sit electura: necesse est, vt ea consideratio, qua intellectus iudicat illud esse amplectendum, semper sit efficacior, quam consideratio, seu iudicium de opposito amplectendo.

Impugnatur assertio in primo sensu, quem præferunt.

Verum, quod non recte loquantur, ex eo patet, quia, si efficacius aliquid considerari vt amplectendum, idem apud eos significat, atque considerari vt melius, non est vera eorum sententia. Nam vt aliquid amplectamur, satis est, si illud consideremus vt bonum, siue propter se, siue propter aliud: neque enim obiectum adæquatum voluntatis est melius, sed bonum. Vnde cum nobis proponuntur duæ res vt æque bonæ, libera relinquitur voluntas, vt vtramlibet indifferenter amplectatur: imo vero liberior, quam cum proponuntur, vt non æque bonæ. Cum enim indifferentia intellectus sit radix libertatis in voluntate, non dubium, quin maior indifferētia siue indeterminatio in intellectu viam aperiat ad vsum maioris libertatis in voluntate.

Posse voluntatem amplecti quod vt æque bonũ repræsentatur.

Adde, quod si voluntas potest amplecti minus bonum cognitum vt tale, non tamen illud eligere vt minus bonum (sic enim habet rationem mali) sed vt bonum: cur non poterit eligere æque bonum repræsentatum vt tale est? tametsi illud non amplectatur vt æque bonum, (*si ita placet*) sed vt bonum: veluti alterum è duobus iumentis æque commodis ad iter faciendum: vel alterum è duobus panibus æqualis magnitudinis, & similis [illegible] qualitatum ad sedandam famem. Inopinabile igitur videtur, quod hi dicunt, stante scilicet ea æqualitate rerum, & cognitionis, etsi voluntas potest neutrum eligere, non posse tamen eligere alterutrum.

Solutio primi arg.

Neque vero experientia, quã in primo argumento afferunt, vera semper est, sed solum cum proponuntur duæ res æque eligibiles, dum adhuc non clare, & expresse cognoscuntur vt æque tales: hinc enim fit, vt sæpe sortibus dubium tollamus, ne quis ægre ferat, si ei res minus bona obtingat. Quod si sublata iã est omnis dubitatio, liberrime fit electio, quia vtraque res æque commoda esse cognoscitur ad finem electioni propositum, vt vtralibet, si non vt æque commoda, certe vt commoda ad illum obtinendum eligi possit. Neq; eadem ratio est in brutis animantibus, siquãdo ad eiusmodi iudicii æquilibrium veniũt, cum libertate careant, & ad alteram partem à prima causa in eo aduentu determinentur, vt superius ostensum est.

Impugnatur in secundo sensu.

Si vero, efficacius aliquid cõsiderari, idem esse volunt, atque intensius, vel clarius, seu expressius, distinctiusve, aut ex maiori conatu intellectus, vel maiori affectu voluntatis: (*neque enim alius comparatiuus sensus horum verborum occurrit diuersus ab eo, qui iam exclusus est, de consideratione maioris bonitatis rei eligendæ*) non est etiam hoc pacto verum eorum pronuntiatum. Nam quod ad maiorem intensionem considerationis attinet, ipsi etiam plane fatentur nõ esse necesse, vt intellectus intensius id considerauerit, quod de facto eligimus. Et merito quidem, cum sæpe eligamus ea, quorum opposita ex valde intenso habitu iudicabamus esse eligenda: vt patet in iis, qui peccant repugnantes iudicio prudentiæ, longa virtutum consuetudine acquisito.

Non esse opus, vt intensius consideretur id quod voluntas eligit.

Quod autem idem dicendum sit de maiori claritate, siue expressione, distinctioneue considerationis, ex eo patet, quia nihil repugnat æque clare, seu expresse, seu distincte (*idem enim ista hoc loco significant*) vtramque rem propositam considerari: siue vtraque sit æque bona, seu conducens ad finem propositum: siue altera melior, altera minus bona: siue altera simpliciter (*hoc est omnibus inspectis*) bona, & amplectẽda, vt opus virtutis: altera simpliciter mala, & reiicienda, vt opus vitiosum. Stante autem hac æquali cõsiderationis claritate, nihil est, cur voluntas indifferenter alteram amplecti non possit, alteram reiicere: adhuc enim in vtraque, vel in alterutra inuenire potest aliquam rationem boni, seu conducibilis ad finem propositum, ob quam alteram amplectatur, alterã prætereat: in vtrali-

Neq; clarius.

bet

bet quidem, si vtraque sit æque bona & conducibilis: in alterutra vero, si altera sit melior, altera deterior. vel altera simpliciter bona altera simpliciter mala: neq; enim in rerũ natura datur aliquod malum, in quo non reperiatur aliqua ratio boni. Itaq; intellectu æque clare considerante malitiam, ac reatum peccati, & honestatem, ac præstantiam actus virtutis, potest voluntas eligere peccatum, & negligere actum virtutis: vt patet in Angelis, cum essent viatores: & in primo parente Adamo, qui deceptus in præuaricatione non fuit, vt Paulus ait: & nunc etiam in natura lapsa idem contingere potest, cum quis pro cõsuetudine exercitatos habet sensus, id est, mẽtem, ad discretionem boni, & mali, & passionibus vacuus est.

Ad Heb. 5.

Neq; vt maiori conatu intellectus aut affectu voluntatis.

Quod vero non sit necesse, vt quis maiori conatu intellectus, aut affectu voluntatis iudicauerit eam rem esse magis eligibilem, quã voluntas de facto eligit: ex eo patet; quia sæpe vice versa contingit, vt in coniugijs parum voluntariis, & in aliis plerisque vitæ institutis, ad quæ multi se addicunt repugnantes conatui intellectus, & affectui voluntatis inclinantium in opposita. Neque obscurum est sæpe intellectum ex imperio voluntatis pugnare cum suamet propensione ad reprobãdum oppositum: & ipsam etiam voluntatem cum suo ipsius affectu ad oppositum propendente: vt minus mirandum sit, si intellectu sæpissime ex æquali conatu suo, vel æquali affectu voluntatis iudicante duas res, inter quas facienda est electio, esse æque eligibiles, voluntas nihilominus alterutram indifferenter amplectatur: vt cum alicui proponuntur duæ viuendi rationes, ad quas ille æque affectus est & iudicio, & voluntate: vel certe ad quas nullam habet repugnantiam, veluti militia bonorum gratia, & mercatura diuitiarum causa.

Efficacior impugnatio.

Adde pro impugnatione totius huius posterioris sensus comparatiui, quod nihil eorum, quæ antecedunt determinationem voluntatis, siue illa in intellectu sint, siue in ipsa voluntate, impedit, quominus voluntas se vertere possit in vtramlibet oppositionis partẽ, vt patebit libro nono: hinc enim fit, vt nec maior considerationis claritas, nec maior conatus intellectus, nec maior etiam affectus voluntatis pro parte vna, impedimento sit, ne ipsa voluntas libere oppositam amplectatur.

Sol. 2. arg.

Vnde, quod altero argumento proponebatur, si intellectus posset plena cognitione considerare malitiam peccati, fore, vt non semper præcederet peccatum ignorantia, aut inconsideratio, concedendum quidem est, si de ignorantia, & inconsideratione formali, siue expressa, sit sermo: sed negandum, si de interpretatiua etiam sit quæstio: quo pacto intelligendum esse Aristotelem, & exponendos eos veteres, qui contra videntur sensisse, libro nono patebit.

Impugnatur assertio in 3. sensu.

Si denique accipiunt efficaciorem considerationem non iam comparatiue, sed absolute nempe pro ea sola, quæ habitura est effectum; vt illud iudicium de eligenda re dicatur efficacius, quod voluntas de facto sequutura est: primum quidem non sibi constant: si enim eam considerationem intelligunt esse efficaciorem, quam futurum est, vt voluntas sequatur, quomodo intellectus potest æque efficaciter illi proponere duo opposita vt æque amplectenda, cum futurum non sit, vt vtrumque amplectatur, sed alterum tantum? Quo etiam pacto fieri potest, vt voluntas in eo euentu neutrum oppositorum de facto amplectatur, si vtriusque consideratio in hoc sensu supponitur esse æque efficax? Qua etiã ratione fieri potest, vt intellectu æque efficaciter proponente duobus hominibus idem obiectum vt eligendum, neuter illud amplectatur.

Deinde, si illi notam æquiuocationis minime veriti sumunt cõsectaria in sensu comparatiuo, accepto pronuntiato in absoluto, neutrum etiam consectarium eo modo veritatem continet. Quanquam enim intellectus æque efficaciter in alterutro duorum comparatiuorum sensuum proponat eidem homini opposita obiecta vt æque amplectenda, aut idem obiectum diuersis, vt æque ab vtroq; amplectendum: non dubium, quin idem homo possit vtrumuis oppositorum indifferenter amplecti: & ex duobus alter idem amplecti, alter refutare, vt ex dictis patet.

Soluitur 3 arg.

Quapropter ad tertium argumentũ, quod huic absoluto sensui innitebatur, dicendum est, neutram considerationem oppositorum, quatenus præcedit determinationem voluntatis, esse ex se absolute efficacem, sed fieri efficacem per ipsam voluntatis determinationem ad alteram oppositionis partem: posse tamen ex se esse efficacem comparatiue in altero priorum sensuum, si magis inclinet voluntatem in vnam partem, quam in alteram, ratione scilicet maioris bonitatis rei propositæ; aut maioris intensionis, vel claritatis iudicii, conatusue ipsius intellectus, aut affectus voluntatis: verum plurima eligi à voluntate, quæ non sunt his modis efficacius considerata vt eligibilia: sed vel æque efficaciter, vel minus etiam, quam quod reiicitur, vel denique quæ sunt iudicata simpliciter non eligibilia, idque quatenus in eis aliqua bonitatis seu

seu conducibilitatis ratio cernitur in ordine ad finem intentum, & patet ex dictis, & plenius patebit libro nono.

Ex quibus perspicuum relinquitur, nihil esse non solum in causis, & circunstantiis externis, sed neq; in ipso intellectu, aut voluntate, etiam per diuinam inspirationem ante liberam voluntatis determinationem, quod absolute efficax sit ad eam determinandam in operibus liberis ad alteram oppositionis partem: siue illud sit consideratio maioris bonitatis rei eligendæ, siue maior intensio, aut claritas iudicij de ea eligenda: siue maior conatus, nisusque intellectus in iudicio ferendo: siue maior affectus voluntatis in ea applicando ad ita iudicandum: sed comparatiue tantum dici posse eam considerationem esse efficaciorem, quæ magis inclinat volũtatem ad hanc, quam ad illam partem amplectendam: etiamsi tandem voluntas oppositam, aut neutram amplectatur: vt idem sit intellectum efficacius rem considerare, atque magis inuitare voluntatem ad hoc, vel illud eligendum: neque hoc in actibus pure naturalibus duntaxat asserendum esse, sed etiam in supernaturalibus. Itaq; omnis absoluta efficacia auxiliorũ, siue naturalium, siue sup naturalium ad actus liberos, supponit scientiam conditionatam futuræ determinationis voluntatis concursu naturali, aut supernaturali adiutæ: & addit decretum diuinum de præparandis illi, aut permittendis iis occasionibus, quibus Deus ea scientia præscit illam esse consensuram, si conditiones impleantur.

Diuinam prouidentiam non omnibus futuris euentib. necessitatem imponere, & alia quadam ad pleniorem quæstionis resolutionem.

SECTIO XVI.

EX iis, quæ de diuina prouidentia dicta sunt, perspicue colligi potest, quid ad propositam iam dudum quæstionem respondendum sit. Quærebatur enim, Num diuina prouidentia omnibus futuris eueutibus necessitatem imponeret? Cuius quæstionis difficultas in eo tota posita erat, qui fieri posset, vt cum diuina prouidentia esset vera rerũm omnium causa eaque certissima, & efficacissima, & cui resistere nihil omnino posset propter absolutam Dei volũtatem, quam supponit, si complete intelligatur: nihilo tamen minus complura essent, quæ ea posita non necessario euenirent. Itaque non erat dubium de re ipsa, cum in nobis experiamur plurima euenire non necessario, cuiusmodi

Quæstionis initio propositæ difficultas.

A sunt omnes actus nostri deliberati, & ea opera, quæ libere à nobis fiunt, & ædificia, & cætera, quæ arte, aut ingenio conficiuntur: sed dubitabatur de causa, seu ratione connexionis euentuum non necessariorum cum certitudine diuinæ prouidentiæ, à qua omnes pẽdent: cuius causæ ignoratione alij maluerunt per se notã in nobis libertatem negare quam diuinæ prouidentiæ certitudini (vt illis videbatur) repugnare: alij, ne arbitrij libertatem B negarent, impij in diuinam prouidentiam extiterunt.

De his q. 2. sect. 5. V. de q. 4. sect. 1.

Causa ergo huius rei ea est, quam D. Thomas ad calcem quæstionis vigesimæ secundæ primæ † partis sapienter hunc fere in modum affert. Diuinæ prouidentiæ non est naturas rerum corrumpere, (vt Areopagita Dionysius * ait) hoc est, propriorum finium assecutione fraudare: est enim prouidentiæ munus ordinare, ac promouere, quantum in ipsa C est, res omnes ad suos fines, qua ordinatione, promotioneque res optime seruantur. Cum autem generalis finis rerum omnium creatarum duplex sit: vnus extra seu potius supra earum vniuersitatem, qui est ipse Deus Opt. Max. propter quem sunt cætera omnia: alter in ipsa earum communitate, qui est perfectus ordo, & continuitas graduum omnium naturarum vniuersi: ad diuinam D prouidentiam pertinet, ne quis gradus essendi huic rerum vniuersitati desit. Cum ergo necessitas essendi ex causis, seu (quod idem est) necessitas eueniendi, & opposita contingentia, sed non necessitas eueniendi, sint duæ maxime generales cõditiones creatarum rerum, quatenus à suis proueniunt: necesse fuit, vt diuina prouidentia præpararet rebus prioris generis causas necessario agentes, vt ex necessitate euenirent: rebus autem poste-E rioris nullum agens præpararet, à quo prouenirent necessario: sed agentia, à quibus vt euenire, ita & nõ euenire possent: alioqui diuina prouidentia, cuius perfecta sunt opera, aut non bene consuluisset rebus iis, quas oportebat necessario euenire, si nullam causam necessario agentem illis præparasset: aut iis: quas oportebat non euenire necessario, si solas eas causas instituisset, quæ solum ex necessitate agerent.

Causa cur diuina prouidẽtia rerum cõtingentia nõ obsit.

† art. Vlt. arg. sed contra.

** c. 4. de diuin. nomin.*

F Itaque ratio, cur contingentia, seu non necessitas euentuum cohæreat cum certitudine diuinæ prouidentiæ, est, quia ad diuinam prouidentiam pertinet efficere, vt alia necessario eueniant ex suis causis, alia non necessario: tantum abest, vt inter euentus non necessarios, & certitudinem diuinæ prouidentiæ vlla sit repugnantia.

Qua in re operæ pretium est considerare

Consideratio vniuersalis dispositionis diuinæ prouidentiæ.

vniuersalem dispositionem diuinæ prouidentiæ in iis omnibus, quæ in hac rerum vniuersitate fiunt. Quædam enim ab ea proueniunt per causas necessario agentes, & non impedibiles naturaliter, vt motus cœlorum, solisq; ac lunæ defectus: & hæc necessario eueniunt naturali necessitate. Alia per causas necessario agentes, & impedibiles, sed non impeditas in agendo, vt generatio perfecti æqui, aut leonis: & hæc etiam necessario eueniunt naturaliter, sed minori necessitate; quia poterant alioqui non euenire: tametsi absolute, aut simpliciter necessario eueniunt, quod intelligitur sublatis suarum causarum impedimentis. Alia proueniunt per causas necessario agentes, non solum impedibiles, sed etiam impeditas, vt monstrosus equus, aut leo: atque hæc, etsi necessario eueniunt respectu causarum omnium simul concurrentium; (*quod est necessario simpliciter, siue omnibus consideratis*) eueniunt tamen contingenter respectu proximæ causæ, quia præter eius intentionem, quod est contingenter non simpliciter, sed secundum quid, hoc est, non omnibus consideratis, sed sola natura causæ proximæ, vt superius ostensum est. Denique alia proueniunt ab eadem diuina prouidentia per causas liberas: atque hæc nullo modo ex necessitate eueniunt, vt actus humani, & opera, quæ ex iis pendent: hæc enim sola simpliciter, & absolute sunt effecta contingentia, seu non necessaria, vt superius etiam constitit. Vnde patet, prouidentiam diuinam his solis nullam imponere necessitatem, cœteris autem tantum necessitatis imposuisse, quantum ea subiecit causis necessario agentibus: proinde omnibus tribus prioribus generibus euentuum præparasse causas, quæ necessario agerent; solis autem euenientibus quarti generis eas, quæ non necessario.

c.2.q 2 sect.4

Opinio Caietani.

Caietanus tamen in commentariis eiusdem loci D. Thomæ valde vrget difficultatem huius rei, quasi eius resolutio superficietenus sit à D. Thoma tradita, haud penetrata intrinsecus præcipua dubitatione, quæ sub hac generali, vera tamẽ explicatione latebat: quam dubitationem ait se nunquam vidisse motam à D. Thom. tantumque ipsum in hac materia effecisse, vt nihil obstante certissima Dei prouidentia, seruaret contingentiam rerum, eamque ab impugnantibus defenderet: nec vero ab aliis Doctoribus alia ratione dubitationem esse resolutam, nisi distinctione sensus compositi & diuisi, necessitatisq; consequentiæ & consequentis, & aliis quibusdam considerationibus, quæ punctum ipsum non attingant.

A Dubitatio vero est, cum diuina prouidentia sit causa vniuersalis rerum omnium, & modorum essendi, etsi cum ea posita non solum nihil repugnet, sed maxime etiam cohæreat præparatio causarum necessario agentium, & agentium contingenter, vt ab eis omnes gradus entium euenire possint, vt est probatum: tamen si veniatur ad ipsos actus contingentes, seu non necessarios in particulari, ad quos se illa de facto ex æternitate de-B terminauit; maximam repugnantiam inter eos, & ipsam diuinam prouidentiam videri reperiri. Si enim sunt prouisi, inquit, ergo videntur re vera ineuitabiles: quia stante diuina prouidentia, quæ absolutam Dei voluntatem includit, vitari nullo modo possũt: quod si hoc pacto sunt euitabiles, ergo non contingenter, sed necessario eueniunt, quantumcunque natura sua, & spectatis caussis proximis contingenter eueniant, nempe vt à tali-C bus causis proueniunt. Quid enim hæc, inquit, iuuat, si tandem de facto vitari non possunt? nihilo enim minus hac ratione omnes actus morales carebunt omni laude, omnique merito, ac si non essent natura sua liberi; eque etiam nullus relinquitur locus consultationi de rebus futuris, perindeq; vana erit omnis exhortatio ad virtutum opera, ac si voluntas nostra ex necessitate naturæ operaretur.

Argum. quo difficultatem auget.

D Sed cum ille nihilominus recte sibi persuadeat non esse admittendam illam consequentiam de actibus liberis [*sunt prouisi, ergo ineuitabiles*] ne eadem absurda inde sequantur, quæ sequerentur, si essent necessarij, ex altera vero parte constet hanc esse vitiosam collectionem [*sunt prouisi, ergo euitabiles*] cum multa prouisa sunt ineuitabilia, vt dies hodiernus, aut crastina lunæ defectio: in eam sententiam se inducendum putauit, vt E crederet, euentus omnes prouisos à Deo, etiam in particulari quatenus prouisi sunt, neque esse euitabiles, neque ineuitabiles; sed aliquid eis, quatenus prouisi sunt, conuenire, cui altitudine, & eminentia rationis suæ nec euitabilitas, nec ineuitabilitas formaliter conueniat. Id quod ex altitudine rationis causandi diuinæ prouidentiæ colligit. Est enim Deus, inquit, per suam prouidentiam nec formaliter causa necessaria, nec formali-F ter causa contingens, sed eminenter præhabens vtramq; differentiam necessario, & contingenter causandi, vnde oportere existimat eãdem conditionem tribuere rebus prouisis, quatenus passiue respondent diuinæ prouidentiæ. Fatetur tamen se ignorare, quid tandem id sit; imo etiam vehementer suspicatur, illud, quale sit, humano ingenio capi non

Eiusdem consolatio.

non posse, esseque vnum ex iis à quibus scrutandis Sapiens nos monet abstinendum esse cum ait: *Altiora te ne quæsieris*: proinde malle se suam ignorantiam fateri, quam pugnantia dicere, quæ ille sibi persuadet admitti à torrente Doctorum, cum aiunt, omnia prouisa à Deo esse infallibilia Putat enim idem esse hac in re infallibile esse, atque ineuitabile, quod plane repugnat contingenti. Itaque concludit, suum intellectum sub hac sola caligine hac in re quietem inuenire: quemadmodum in materia de Trinitate diuinarum personarum, in qua certi sumus per fidem cohærere simul earum realem distinctionem cum omnimoda essentiæ vnitate, nec tamen, quo pacto id fit, humano ingenio capere possumus. Quocirca cum de prædestinatione, quæ præcipua prouidentiæ pars est, sermo incidit, salubre consilium esse ait, si à nobis ipsis inchoemus, dicamusque certum esse actus nostros, quos experimur esse liberos, euitari à nobis posse: quo autem pacto eorum libertas cum certitudine diuinæ prouidentiæ, ac prædestinationis cohæret, id intelligere ne laboremus, sed ea in re Ecclesiæ Catholicæ dogmatis instructi credamus hæc duo optime inter se conuenire.

Eccl. 3.

Theologorũ esse rationib. defendere nihil eorũ quæ fidei sunt, esse impossibile.

Quanquam vero saluberrimum consilium est in huiusmodi fidei difficultatibus ad Ecclesiæ doctrinam recurrere, quæ * columna, firmamentumque veritatis est: Theologis tamen ex officio incumbit ex principiis luminis naturalis defendere nihil eorum, quæ ad fidem spectant, esse impossibile, etsi ostendere non possint, qua ratione ea sint vera: quod quidem in proposita difficultate necessarium est, cum proponuntur argumenta, quæ probare videntur non posse libertatem nostram cum certitudine diuinæ prouidentiæ cohærere.

1. Tim. 3.

Vera quæstionis resolutio.

Dicendum igitur cum communi Theologorum sententia, illud quod commune est omnibus euentibus & necessariis, & contingentibus, quatenus cadunt sub diuinam prouidentiam: non solum capi posse ab humano intellectu, sed etiam esse plane perspectum apud Doctores. Neque enim est illud, quod Caietanus suspicatur latere sub illis duabus negationibus [*nec euitabile, nec ineuitabile*] commune, inquam, per abnegationem euitabilitatis, & ineuitabilitatis, quasi præhabens vtramque negationem altitudine, & eminentia suæ conditionis: id enim non modo humano ingenio capi non potest, sed ne angelico quidem, aut etiam vllo, cum nihil tale sit, aut esse possit: sed est commune quiddam per abstractionem ab

A euitabili & ineuitabili, quod in suis particularibus aut euitabile est & contingenter eueniens, aut ineuitabile & eueniens necessario. Quo pacto animal in commune acceptum non negatur esse rationale, & irrationale, quasi præhabeat negationem vtriusque differentiæ altitudine & eminentia naturæ suæ: quam eminentiam re vera non habet comparatione differentiarum rationalis, & irrationalis: B sed dicitur in commune sumptum nec rationale esse, nec irrationale, quia ab vtraque differentia abstrahit: cum in suis particularibus, aut rationale sit solum, aut solum irrationale, quia oppositarum differentiarum repugnantia in particularibus vim habet contradictionis. Est autem re vera commune illud nihil aliud, quam infallibile esse, & (*quod addere, & vtcunque nominare liceat*) infrustrabile. Id enim, quod C sub prouidentiam diuinam cadit, quatenus tale in commune est, nec fallere potest diuinam cognitionem, quæ in diuina prouidentia includitur: nec frustrare, seu irritam facere diuinæ decretum voluntatis, sine quibus diuinæ prouidentiæ ratio non completur: in suis autem particularibus, hoc est, in hoc, aut illo, euitabile est tantum, aut tantum ineuitabile. Neque argumentum Caietani, quo ex altitudine, & eminentia diui- D næ prouidentiæ eandem conditionem colligit in rebus prouisis, quatenus prouisæ sunt, vllam vim habet. Alia enim ratio est in causis altioris ordinis, & naturæ quam sint earum effecta: alia in ipsis earum effectis: cum in effectis distributa sint ea, quæ in huiusmodi causis anticipatione quadam naturæ præhabentur.

Commune est omnib. euentibus & necessariis & contingentibus prout cadunt sub diuinam prouidentiam, esse infrustrabile.

Ratio vero, cur Caietanus hac in re de communi via deflexerit, ea videtur esse, quia pu- E tauit idem significare, infallibile esse, atq; ineuitabile, vt ipse eo loco affirmat Vnde cum vidisset, ineuitabile esse non posse conuenire omnib. euentibus, idem credidit sentiendum de infallibili, & fortasse etiam (*si ei in mentem venit*) de infrustrabili: cum tamen planum esset discrimen inter infallibile, & ineuitabile: eo quod infallibile solam certitudinem cognitionis significet, ineuitabile autem necessitatem quandam ratione alicuius causæ non F impedibilis, vt monuimus, cum de fato disputaremus.

1.2.q.2.sect.5

Male Caiet. negat D. Th. hanc quæstionem enodasse.

Quod autem Caietanus ait, D. Thomam non tractasse præcipuam huius rei difficultatem, siue in loco citato, siue in alio, quem ipse viderit, negandum est. Nam vt alia prætereantur loca, in quibus ille fusius de hac ipsa difficultate disputat, vel ex allata ratione, iuncta solutione argumentorum con-

satis illum dissoluisse eum nodum, quem Caietanus præcipuum esse affirmat. Docet enim ipso corpore articuli omnia, quæcunque in rerum natura eueniunt per causas secundas, (*quorum nomine præcipue intelligenda sunt particularia: in his enim diuina prouidentia executio potissimum exercetur*) tam quoad esse, quā quoad modos eueniendi, nempe vel necessario, vel contingenter, cadere sub diuinam prouidentiam. Tum vero in solutiotionibus argumentorum addit, omnibus commune esse, quod infallibiliter eueniant, hoc est, certo & respectu diuinæ cognitionis, & respectu diuinæ voluntatis: vtrumque enim nomine infallibilitatis, & certitudinis intellexit, quemadmodum ferme reliqui Doctores. Vnde patet Diuum Thomam etiam in loco citato plane docuisse, cur contingentia euentuum non solum non repugnet certitudini diuinæ prouidentiæ, sed etiam maxime cum ea congruat; neque id tantum spectatis ipsis euentibus in commune, sed etiam in particulari. Quæ si vera sunt, soluta relinquitur dubitatio Caietani. Quamquam enim ea, quæ contingenter eueniunt, possent non euenire; tamen, quia pro libertate suorum agentium de facto eueniunt, Deusque eorum præscius ad concurrendum cum eorum causis se determinauit, iccirco neque ex eorum contingentia potest colligi diuinæ prouidentiæ incertitudo, neque ex certitudine diuinæ prouidentiæ eorum necessitas, seu ineuitabilitas.

Soluitur arg. Caiet. & præcipua huius materiæ difficultati.

Ad rationem autem, quam Caietanus contra affert ex efficacia diuinæ voluntatis absolutæ, quæ de facto se ab æterno determinauit ad concurrendum cum creatis voluntatibus exituris in eos actus, quos diuina scientia conditionata futuros esse præsciebat, (*in qua ratione nos etiam totam huius quæstionis difficultatem positam esse diximus*) hoc modo respondendum est. Triplicem esse nostro intelligendi modo absolutam Dei voluntatem, qua cum causis secund s agit, determinatiuam, approbatiuam, & permissiuam. Determinatiua est, qua concurrit cum causis naturaliter agētibus, quas omnes ad vnum determinat per naturales propensiones, & facultates ad certum, & determinatum effectum: atque omnia, & sola ea, quæ hoc pacto eueniunt, necessario eueniunt. Approbatiua est, qua concurrit cum voluntatibus creatis ad omnes actus, quos ab æterno præsciuit fore moraliter bonos, aut etiam indifferentes, si vlli dantur in particulari: atq; hi omnes contingentes, siue non necessarij. Permissiua denique est, qua cum eisdem voluntatibus concurrit ad actus, quos ab æterno præsciuit fore

Sect. 1.

Dei Volūtas determinatiua.

Approbatiua

Permissiua.

A moraliter malos, vtpote non eos impediendo, cum possit, ne modo vllo lædatur liberum arbitrium, vt Patres loquuntur; sed suaui procedendi modo ipsis voluntatibus, iuxta earum naturam, suum generalem cōcursum non negando: atque hi etiam actus sunt contingentes, seu nō necessarij: & ea ex parte magis contingentes, quam boni, & indifferentes, quod sunt præter antecedentem, & conditionatam voluntatem, qua Deus vellet eos

Vide Hier. in c. 26. Hiere. Theod. in Deut q. 37. Chrys. in epi. ad Hebr. homil. 12. & alibi sæpe.

B non esse; sed non præter eius volūtatem consequentem, & absolutam, qua absolute eos permittit, ad eosq; generaliter, & quasi naturaliter concurrit.

Quanquam ergo ex ea voluntate, qua Deus determinatiue concurrit cum qualibet causa secunda, sequatur omnes euentus futuros, qui hoc modo sub diuinam prouidentiam cadunt, euenire necessario, vt patet: tamen

Actus qui sequuntur voluntatē Dei determinatiuā, necessarios esse: nō itē, qui approbatiuam, aut permissiuā.

C non sequitur eos, qui sub eam cadunt concurrente Deo volūtate approbatiua, aut permissiua, cum creatis voluntatibus sese determinantibus, necessario euenire; sed contingenter, seu non necessario, quod est libere. Ea enim, quæ primo modo eueniunt, ideo eueniunt, quia diuina voluntas determinat, ac proinde necessitat causas secundas ad earum effecta: quæ autem secundo, aut tertio modo eueniunt, non ideo eueniunt, quod Deus creatas voluntates ad earum effecta determi-

D net: sed contra, quia ipsæ se ad illa determinant, iccirco diuina volūtas cum eis in agendo concurrit. Ita fit, vt nō solum diuina præscientia nullam imponat necessitatem futuris euentibus, quia speculatiua est, nihilque ipsa per se in rebus efficit; sed neque ipsa prouidentia diuina ratione voluntatis absolutæ, quam supponit, vllam imponat creatis voluntatibus, cum libere agunt, sed solis agentibus pure naturalibus.

E

Quonam pacto Deus progressus videatur apud se in actibus æternæ suæ præscientiæ, ac prouidentiæ.

QVÆSTIO VI.

Generalis quidam typus diuinæ præscientiæ, & prouidentiæ.

F

SECTIO I.

VT tamen generalem quasi progressum, quem Deus videtur tenuisse in hac rerum vniuersitate apud se ab æterno disponēda, vt eam in tempore conderet, conseruaret, ac gu-

ac gubernaret, sub vnum aspectum ponamus, A illud ex superius dictis memoria repetendum est: etsi nulla distinctio est siue realis, siue ex natura rei in actibus intellectus, & voluntatis, quibus Deus omnia disposuit, atque administrat; eos tamen à nobis, qui diuina, vt in se sunt, percipere non possumus, nostro intelligendi modo distingui, ratione videlicet distinctionis obiectarum rerum. Neque id quidem absque ratione, sed fundamento in re ipsa inuento propter eminentissimam per- B fectionem diuinæ naturæ, quæ omnium rerum perfectiones semota omni earum imperfectione, complectitur, & quamlibet infinite superat. Qua ratione alii concipiuntur à nobis vt priores, alii vt posteriores, non tantum collatis iis, qui ad intellectum pertinẽt, cum iis, qui ad voluntatem, sed etiam comparatione facta aliorum cum aliis in eodem quasi genere. Nam quemadmodum apud nos operationes intellectus & ex natura rei, & re C etiam ipsa præcedunt operationes voluntatis, quia nihil volumus, nisi quod alio actu re ipsa priori cognoscimus: ita & in Deo operationes intellectus tanquam priores operationibus voluntatis merito concipimus, quia ne Deus quidem quicquam velle potest, quin ipsi sit cognitum, tametsi non alio actu vel re ipsa, vel ex natura rei priori. Inter ipsos vero actus intellectus, quemadmodum apud nos ii priores sunt, qui versantur circa ea, ex qui- D bus, vel post quæ aliquid intelligimus; ii autem posteriores, qui versantur circa ea, quæ ex aliis, vel post alia percipimus: (*modo ea, quæ post alia intelligimus, aliquam dependentiam habeant ab iis, quæ prius intelleximus*) ita & in Deo tales quosdam priores, tales etiam alios posteriores nostrorum similitudine esse concipimus: quasi Deus alia ex aliis more nostro, aut post alia concipiat, quia ex parte obiectorum alia sunt apta, vt ex aliis, aut post alia E cognoscantur. Quo pacto dicimus in Deo etiam cognitionem causarum nostro intelligendi modo esse priorem cognitione effectorum; & vniuersalium notitiam notitia particularium; earumq; rerum, quæ prius in tempore acciderunt, notitia earum, quæ postea ordine alicuius dependentiæ sequutæ sunt. Denique in actibus voluntatis quemadmodum apud nos vel re ipsa, vel natura priores sunt ii, qui tendunt in obiecta, ad quę alia or- F dinãtur, siue ex merito, vt ita dicam, ipsarum rerum, siue ex sola voluntate ordinantis; eos autem posteriores, qui tendunt in obiecta, quæ altero ex his modis ordinantur in alia: ita & in Deo alios eodem modo vt priores, alios vt posteriores esse non sine fundamento cogitamus. Quo enim pacto apud nos prior est actus, quo sanitatem expetimus, quã quo eius consequendæ causa medicamentum eligimus; sic apud priorem dicimus illum, quo vult æternam hominum salutem, quam quo eos gratuita vocatione ad eam procurandam excitandos, & commouendos esse decernit.

Actus intellectus, & voluntatis diuina à nobis considerari vt distinctos, & alios vt alius priores.

Qui actus intellectus in Deo, vt alii priores concipiantur.

Qui item voluntatis.

Hac distinctione, atque ordine in actibus intellectus, & voluntatis diuinæ constitutis, haud difficile est intelligere, quo pacto Deus in rebus futuris ab æterno præsciendis, disponendisque nostro intelligendi more progressus sit; aut certe quam probabilissima ratione progressus esse videatur. Notabimus enim consideratione nostra in mente diuina duodecim quasi signa, quorum etsi primum, & vltimum non pertinent ad præscientiam, aut prouidentiam, sed ad scientiam, eiusque velut complementum, alia tamen decem, quæ inter hæc extrema continẽtur, totum progressum diuinæ præscientiæ, atque prouidentiæ complectuntur, ea potissimum ratione, qua circa intellectuales creaturas versantur. Quibus signis explicandis non parum luminis accipient ea omnia, quæ in duabus proxime superioribus quæstionibus de præscientia, & prouidentia discussa sunt. Illud interim aduertendum, non esse in hac disputatione sermonem de prouidentia quoad complementum, formalemve eius actum, qui ad intellectum pertinet; sed quoad actum voluntatis, quem ille supponit, & ex quo tota prouidentiæ absoluta ordinatio, & imperium quasi ex radice oritur.

Duodecim posse considerari in progressu diuinæ præscientiæ, & prouidentiæ signa.

Quo pacto de prouidentia hic sermo fit.

In primo igitur signo illud certissimũ est, Deum suam ipsius essentiam tanquam vere summum ens, summumque bonum contemplatum fuisse, eamque summo amore cõplexum, quod illa esset primum, ac summum intelligibile, primumque, ac summum amabile. Cumque simul concepisset omnia, quæ aliquod esse ab ea participare possent, cætera, inquam, omnia possibilia, non vt quæ iam esse haberent, aut habitura essent, sed vt quæ illud habere poterant: (*quod nimirum virtute in infinita eius potestate continerentur*) ea sic spectata quodam complacentiæ affectu amasse, tanquam in quibus eo possibili essendi modo aliqua diuinæ bonitatis participatio eluceret. Quo pacto obiecta sunt Deo infinita rerum possibilium, modorumque essendi genera, eorumque omnium infiniti ordines, siue coagmentationes, quas mundos appellamus. Et quãquam hi duo primi actus intellectus, & voluntatis diuinæ ea consideratione nostra, qua primo terminãtur ad diuinam essentiam, secundaria vero ratione ad creaturas, in duo signa distribui possent,

In primo signo cognouisse Deum se ipsum, & creaturas in esse possibili.

vtrumq; tamen in vnum, & idem redegimus, A quia vterque est penitus necessarius, & omnino absolutus: neuter enim vllum futurum euentum siue absolutum, siue conditionatum supponit.

In secundo futura conditionata.

In secundo autem signo quasi cœpit Deus sub conditione intelligere, quid futurum esset, si has res, aut illas produceret; hocve, aut illud alia ratione eueniret; aut ipse hanc, vel illam circumstantiam rei agendæ spectaret: hunc denique, aut illum mundum conderet. Atq; hic sciendi modus, qui primus præsciēdi fuit, etsi adhuc ex parte Dei erat necessarius, quia Deus necessario scit, quidquid euenturum est, aut esset, sub quacunque conditione ponatur, aut poneretur euenturum: tamen neque erat necessarius ratione obiectorum, quia erat de non necessariis; nec etiam absolutus, quia Deus nihil per eum sciebat absolute futurum; sed ex suppositione duntaxat futuri euentus, aut qui futurus esse posset.

In tertio signo, nostro intelligendi modo cœperunt exerceri actus diuinæ prouidentiæ. Cum enim Deus in primo signo intellexisset infinita rerum, modorumque essendi genera, eorumque infinitas coordinationes à se posse produci; in secundo autem, quidam ex quolibet opere, quodcunque faceret, euenturum esset: tum primum nostro cogitandi more quasi deliberans, pluresne, an vnam huiusmodi coordinationum producturus esset? (*neque enim decebat res inter se dissolutas, ac minime connexas, & à solo Deo pendentes producere*) vnam tantum, eamque perfectam se conditurum absoluta voluntate decreuit: neque enim omnes simul condi poterant, cum essent infinitæ; & vna tantum absoluta, & perfecta satis erat ad complectendā omnia rerum & modorum essendi genera communia omnesq; modos communicationum diuinæ bonitatis, naturæ, inquam, gratiæ, & diuinæ subsistentiæ, quæ tertia communicatio est omnium suprema, & ad quam priores duæ tanquam ad finem natura sua diriguntur. Itaq; in eo signo hunc solum rerum ordinem, siue mundum, quem incolimus, delegit, coagmētatum videlicet ex tribus communibus rerū generibus, ex pure incorporeis, quales sunt Angeli, & animæ rationis participes; ex pure corporeis, vt sunt cœlestia corpora, elementa, & mixta ea, quæ ex formis materialibus composita sunt; & ex iis, quæ ex vtroq; genere constant, cuiusmodi sunt soli homines, propterea quod eorū immateriales formæ incompletæ naturæ sunt, & compositionem cum corporibus natura sua corruptibilibus suapte propensione desiderant. Verum, quia necesse erat determinate statuere numerum primarum partium huius creandæ vniuersitatis; designatus est certus numerus Angelorum, qui simul creandi erant cum hac mundi machina tanquam eius administri; & certus item numerus animarum rationis capacium, non simul tamen, sed successu temporis creandarum, certus etiam numerus corporum cœlestium, quæ futura erant natura sua incorruptibilia; certus quoque numerus elementorum, quæ secundum se tota B non corrumperentur, sed per partes; nec non certus numerus primorum mixtorum, quæ ex formis materialibus constarent, ex quibus elementis, & mixtis cœtera deinceps gignerentur; ac demum certus numerus hominum ex quibus totum humanum genus propagari posset. Hos autem primos duos tantum esse voluit, masculum, & fœminam, vt esset inter omnes posteros non solum naturæ, sed etiam necessitudinis cuiusdam maior coniun- C ctio: nondum tamen decernente Deo, nostro intelligendi more, num eos laboribus, mortiq; obnoxios iuxta eorum naturam facturus esset, an peculiari beneficio ab his miseriis immunes.

In tertio hūc mundum à Deo delectū.

Quarum rerum in hoc signo designatus sit certus numerus.

Quo pacto natura ordo gratiæ ordinē antecesserit.

Tota vero hæc dispositio pertinebat ad primum modum communicationis diuinæ bonitatis, quam diximus naturæ. Qua ratione verum est, ordinem naturæ antecessisse ordinem gratiæ, ac diuinæ substantiæ; non D autem quo pacto Caietanus id intelligit, cum ait etiam peccata pertinere ad ordinem naturæ: de qua re merito ab omnibus fere Theologis reprehenditur. Nulla enim peccata in hoc signo absolute præcognita erant, & multa etiam eorum supponūt ordinem gratiæ, quem peruertunt, de quo tamen ordine, quo pacto in Angelis, & hominibus in particulari disponendus esset, nondum in hoc si- E gno agebatur.

Ad 3. p. q. 1. a. 3.

In vltimo signo statutum, vt Angelica & humana natura gratia donarentur.

Quod autem attinet ad reliquas duas communicationes diuinæ bonitatis, gratiæ nimirum, & diuinæ substantiæ, (*quibus complenda erat in hoc signo huius mundi à Deo concepta, & intenta perfectio*) duo quoque alia in eodem decreta sunt: vnum, vt tam Angelica, quam humana natura suo tempore, ac modo gratia donarentur, depēdantur tamen à communicatione diuinæ substantiæ, qua F complendus erat internus finis huius vniuersi. Vtraque enim natura capax erat supernaturalis beatitudinis, ad quam tamen obtinendam totus naturæ ordo non erat satis. Alterum, vt ipsa diuina substantia (*quæ cum decentia diuinæ maiestatis soli naturæ intellectu præditæ communicari poterat*) non Angelicæ naturæ, sed humanæ communicaretur; cum ob alias causas, quæ in thesauro diuinæ sa-

pientiæ

plentiæ reconduntur; tum etiam, vt Deus sibi deuinciret, & in se ipso modo aliquo nobilitaret omnia rerum genera, spiritualium, & corporalium, ex quibus natura humana constat: in vno, inquam, & eodem supposito, quod Deus simul esset, & homo; & per illud, quatenus expedire videretur, ea omnia, iuxta cuiusque naturam repararet, si à prima suæ conditionis dignitate decidissent. Decreuit autem simul, vt huiusmodi suppositum esset Verbum diuinum, secunda videlicet persona in diuina Triade, vt quemadmodum ad tantam excellentiam euehendum erat medium genus rerum, ex spirituali, & corporali naturis conflatum: (*licet à nobis tertio loco claritatis causa numeratum sit*) ita suppositum diuinæ, & humanæ naturæ esset medium inter primam, & tertiam diuinarum personarum.

Cum autem ex assumptione humanæ naturæ ad diuinam subsistentiam futurum esset, vt communicaretur naturæ assumptæ omnis gratiæ plenitudo, quę illi debebatur propter infinitam dignitatem diuinæ personæ; ac proinde non solum gratia inchoata cum omnibus virtutibus, & donis, quæ nullum vitium supponunt; sed etiam consummata perclaram diuinæ essentiæ visionem, & fruitionem: inde colligitur, hanc quoq; gratiæ plenitudinem consecutiue cum ipsa diuina subsistentia in eo considerationis signo naturæ assumptæ decretam ac prædestinatam fuisse.

In eodem tertio signo prædestinatū Dominum vt caput omnium prædestinandorum.

Itaq; in hoc signo prædestinatus est Christus Dominus futurus Deus, & homo, ante prædestinationē Angelorum, & hominum, vt qui futurus erat omnium aliorum prædestinatorum exemplar, & causa meritoria: neq; erat æquum, vt tantum bonum penderet nostro considerādi modo ex absoluta præscientia futurorum successuū, sed potius vt omnia bona gratiæ futura ab illo penderent. Vnde fit, vt prædestinatus sit non tantum vt vnus ex prædestinādis, sed etiam vt caput cœterorum prædestinandorū, iuxta diuinam electionem in signis sequentibus faciendam. Denique in hoc signo concipimus vsum fuisse Deum primo actu libero suæ voluntatis, quem secutus est primus actus absolutæ ipsius præscientiæ, qua nihil præscitur à Deo, nisi in aliquo actu suæ voluntatis libero.

In quarto signo actum de modo communicandi gratiam Angelis, & boni prædestinati à Deo.

In quarto signo actum est de tempore, ac modo, quo gratia communicanda esset naturæ Angelicæ. Nam cum Angeli creandi essent simul cum ipsa mundi machina, vt dictum est; homines autem essent formandi sexto mundi die, in quo totum creationis opus complendum erat; ratio in primis postulabat, vt prius de communicanda in particu-

A lari Angelis gratia, quàm de communicanda hominibus ageretur. Itaq; in eo signo decreuit Deus, omnes Angelos in ipsa statim eorum creatione gratia cum omnibus eius prærogatiuis donare; nondum tamen completa: vt futura erat in Christo Domino ab ipso incarnationis momento, sed inchoata. Vt enim indecens erat, Christum Dominum in gratia proficere; sic Angelis honorificum bonis operibus complemētum eius promereri. Quan-

B quam vero Deus eos omnes sufficienti gratia donandos; supernaturali beatitudine beare vellet: nisi per eos staret, quominus in gratia perseuerarent: non omnes tamen in eo signo prædestinauit: sed eos tantum, quos conditionata scientia præsciebat ex futuris Christi Domini meritis in inchoata perseueraturos: verum, non quia eo pacto id præsciebat, illos prædestinauit: sed quia decernebat ea gratiæ auxilia eis donare, quibus perseueraturos es-

C se prænouerat: cum tamen absque eorum iniuria velle posset auxilia eis donare ad perseuerandum sufficientia, quibus eadem conditionata scientia præsciebat fore, vt non perseuerarent.

Nominem in hoc signo à Deo reprobatum.

Nondum tamen in hoc signo quemquam illorum reprobauit, quos eadem cōditionata scientia præsciebat non esse perseueraturos: quia nondum more intelligendi nostro absoluta notitia id nouerat: sed tantum permi-

D sit, seu potius se permissurum decreuit, vt caderent, & in sua obstinatione persisterent: siue (*quod idem est*) statuit neque eos præseruare à casu, nec si caderent, ad statum gratiæ erigere. Etsi enim vtrumq; poterat, tamen quia in eo signo decernebat se daturum omnibus in ipsa eorum creatione sufficientia gratiæ auxilia ad perseuerandum cum promissione beandi omnes, qui perseuerarent, æquum erat, & diuinæ prouidentiæ consentaneum, vt

E eos, si nollent esse obedientes, labi, & iacere etiam sua sponte sineret.

In quinto signo malos Angelos à Deo propter eorum demerita reprobatos.

In quinto vero signo, cum Deus iam absolute præscire posset, in eo videlicet permissiuo decreto, quod in superiori signo fecerat, obstinationem cœterorum Angelorum futuram; simulatq; nostro intelligendi more id absolute præsciuit, eos omnes ipsorum futuræ obstinationis demerito reprobauit, hoc est, à futura beatitudine exclusit, & ad alias i-

F psorum inobedientia, obstinationeq; dignas pœnas destinauit. Ratio autem distinctionis huius signi à superiori est, quia, etsi liberalissimæ Dei beneficentiæ consentaneum erat, vt præuia sola conditionata præscientia perseuerantiæ bonorum illos prædestinaret (præsertim, cum id fieri nō posset post absolutam præscientiā eorū præseruantiæ, siquidē hæc ex ipsa

ex ipsorum prædestinatione pendebat) non erat tamen æquum, nec diuinæ bonitati consentaneum, vt quenquam eorum reprobaret, nisi quem absoluta iam scientia præsciret in culpa committenda pertinacem futurum.

In sexto decreuisse Deũ hominem creare, donoque originalis iustitiæ afficere.

In sexto signo, cum Deus deliberaret de tempore, ac modo donandæ gratiæ puris hominibus, (*quod diuina* * *scriptura post Angelorum reprobationem, & eorum inuidiam in totum genus humanum à gratia donata excidisse tradunt*) velletque omnes, quemadmodum & Angelos, æterna beatitudine donare, nisi per eos staret, quo minus eam assequerentur: vtrumque protoparentem in gratia inchoata condere decreuit, adiunctis cæteris virtutibus, & donis, quæ nullum præcedens peccatum supponunt; *mittamus enim pœnitentiæ virtutem, & alia dona huiusmodi, quæ in eo statu necessaria non erant*) adiuncto etiam cæteris virtutib ipso virtuti perseuerantiæ habitu infuso; præparatisque sufficientibus auxiliis ad eorum actualem perseuerantiam necessariis; ac demum collato eis simul dono originalis iustitiæ pro ipsis, & pro tota eorum posteritate, cum quo, si vellent, facilime perseuerare possent, & statum illum facilem euitatis omnibus huius vitę miseriis ad posteros transmittere; ac demum adiuncta cum ipsa virtute spei promissione supernaturalis beatitudinis iis omnibus, qui à statu gratiæ non caderent. Neutrum tamen, aut vllum ex eorum posteris, in eo signo prędestinasse, aut reprobasse, ex Augustini, & aliorum quorundam veriori Patrum sententia colligitur, qui omnes puros homines prædestinatos, & reprobatos esse dicunt, præcognita (*neque aliter, quam absolute futura*) humanæ naturæ infectione per peccatum, quam Deus nondum in eo signo absoluta notitia futuram esse præsciebat, cum nondum in eo decerneret, permittere eorum casum, quem sola conditionata scientia eatenus futurum esse nouerat.

* *Genes. 3. & Sapient. 2.*

In Enchirid. c. 94. & seq. epist. 105. & 106. & aliis locis.

Permissionem peccati primorum parentum, totius humani generis lapsus in septimo signo fuisse decretam.

In septimo signo decreuit Deus se permissurum non solum, vt primi parentes exciderent à gratia, in qua condēdi erāt, sed etiam, vt omnes eorum posteri naturali generatione progignendi, quatenus in ęis erant futuri; in eis quoque debitum, seu potius naturalem necessitatem peccati originalis cōtraherent, & cum huiusmodi necessitate huius quoque vitæ laboribus, & ærumnis, ipsique morti obnoxii fierent: vnde Paulus edoctus est, vt ceret ad Roman. 5. per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines mortem pertransisse, in quo omnes peccassent: quod nihil aliud fuerat, quam Adamo peccante omnes, in eo naturalem necessitatem incidendi in originale contraxisse. Nondum tamen in eo signo Deus quemquam prædestinauit, aut reprobauit, quia nondum in eo agebat de efficaci directione hominum in beatitudinē, nec de permissione peccatorum omnium, sed solum de permittendo casu primorum parentum & naturali necessitate quoad eorum posteros originalis peccati contrahendi; retenta sola antecedente voluntate erigendi & beandi omnes eos, qui sufficiētibus auxiliis adiuti diuinæ gratiæ non repugnarent.

In octauo decretum est, vt Christus veniret in carne passibili Redemptor.

In octauo signo quasi deliberauit Deus, num Christus Dominus futurus esset redemptor generis humani, quod iam ex decreto permissiuo, quod in superiori signo fecerat, absolute præsciebat esse ruiturum, & eam gratiam, in qua erat condendum, statumque originalis iustitiæ amissurum. Decretum vero est, vt veniret redemptor, idque in carne passibili, quo redemptio esset non solum diuinæ misericordiæ, sed etiam diuinæ iustitiæ accommodatior. Quia enim ex tertio signo constabat illum futurum sanctificatorem, & quatenus expedire videretur, reparatorem Angelorum, & hominum, suoque modo cæterarum rerum, si à primæ conditionis suæ dignitate exciderent, ex quarto autem intelligebatur non expedire, vt apostatæ Angeli ab eo malitiæ barathro, in quod pertinaciter se præcipites daturi erant, educerentur; (*tametsi æquum erat, vt eorum ruina in gratiam bonorum Angelorum modo aliquo restauraretur*) denique quia ex decreto septimi signi permittendum erat, vt primi parentes a primo illo felici statu in peccatum sua sponte exciderēt, atque (*vt erat consequens*) tota eorum naturalis posteritas necessitati originalis peccati, & occasioni actualium, atque in eorum pœnam laboribus & asperitatibus huius vitæ, mortique ipsi obnoxia fieret, reliquum erat, vt diuina sapientia deliberaret, num Verbum diuinum assumpturum esset carnem humanam in statu passibili, quem ipsa natura sua sibi vendicat; an à passionibus liberam, vt re vera futura erat, ac fuit in primis parentibus, quamdiu in statu innocentię perstiterunt, eique ex diuina vnione futura debitū erat. Ideo autem decretum est, vt eam assumeret in statu passibili, quia etsi Christus Dominus, quatenus futurus erat Deus, & homo ex omni iustitiæ rigore absque vllo labore naturæ assumendæ mereri poterat, non solum omnem bonorum Angelorum sanctitatem, & beatitudinem, eiusque ordinis ruinæ reparationem; sed etiam omnium peccatorum humani generis veniam, perfectamque iustificationem, & glorificationem; tamen eius aduētus in car-

Modum, quo Christus homines redemit, conuenientissimum fuisse.

in carne passibili accommodatior futurus erat demonstrando affectui summæ eius dilectionis erga genus humanum, quod redimere decernebat, & vicissim trahendis hominibus ad amorem diuinæ bonitatis, cuius concessu ipse tot, & talia pro eorum salute perpeti dignaretur. Atque in hoc decreto tanquam in causa determinata cœpit Deus nostro intelligendi modo absolute præscire, quicquid Christus Dominus tanquam Viator pro redemptione generis humani facturus, & passurus erat. Quod peculiare beneficium fuit naturæ humanæ in gratiam prædestinandorũ hominum collatum: Angeli enim, qui iam in quarto signo prædestinati erant quemadmodum antequam bearentur, non erant peccaturi, ita redemptore à peccati captiuitate, in qua futuri non erant, non indigebant, minus etiam redemptore, qui pro venia, & satisfactione peccatorum laboribus, & ignominiosæ morti semet ipsum offerret.

In signo nono prædestinatos fuisse homines.

Vt 2. ad Tim. 1.

In nono signo, constituto iam Christo Domino redemptore humani generis, fieri potuit hominum prædestinatio ex futuris eius meritis, vt re vera facta est, quod Paulus ad Ephes. & aliis locis tradit. Cum enim Deus iam inde à secundo considerationis signo cõditionali scientia præsciuisset, si mundus hic conderetur, resque hoc ipso modo, quo procedunt, disponerentur, fore, vt quidam solis actualibus peccatis essent inficiendi, ipsi nimirum soli primi parentes; alii solo originali, vt paruuli ante vsum rationis morituri; alii denique & originali, & actualibus, vt cæteri, qui ex Adamo naturali generatione gignendi erat, excepta beatissima Virgine Matre, quæ speciali Christi Domini meritorum priuilegio nec actuali vllo, nec etiam originali infecta est, etsi in Adamo, quatenus fuerat in illo, quemadmodum cæteri, naturalem necessitatem incidendi in originale contraxerat: cum hæc, inquam, ita se haberent; quoscunque quidem Deus conditionali scientia præsciebat ad finem vsque naturalis periodi vitæ cum sufficientibus auxiliis diuinę gratiæ ex Christi meritis donandis in Dei amicitia perseueraturos, eos omnes prædestinauit: ex iis autem, quos eadem conditionata scientia præsciebat non perseueraturos, si suam quisque naturalem vitæ periodum confecisset quosdam prædestinauit, vel decernens eos è medio vitæ cursu tollere, dum adhuc essent in gratia; (vnde est illud Sapientis, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*) vel extraordinario fauore eis ante mortem præparans, vt in gratia vitam finirent ex quibus fortasse fuit Magdalena, è qua septem dæmonia eiecta sunt, & latro in cruce con-

Sapient. 4.

A uersus: cœteros autem, quos eadem conditionali scientia præsciebat extra Dei gratiam decessuros, etsi in eo signo non reprobauit, quia nondum absoluta scientia nouerat eos in peccato morituros; tamen eis maioribus gratiæ auxiliis decreuit non subuenire: hoc autem nihil aliud fuit, quam decernere se in tempore permissurum, vt extra statum gratiæ decederent.

In eodem signo decreuisse Deum permittere, vt non prædestinati extra statum gratia decederent.

In decimo autem signo, cum iam Deus in B superiori decreuisset permittere, vt hi extra statum gratiæ sua sponte vita excederent, & in eo decreto absolute præscire posset; cum primum in hoc signo id præsciuit, eos omnes, etiam paruulos cum solo originali decessuros, à participatione supernaturalis beatitudinis exclusit; (*quæ exclusio dicitur pœna damni*) eos autem, qui in actualibus peccatis morituri erant, ad alias quoque pœnas, quas vocant sensus, destinauit. Cuius vltimi de- C creti vltimam etiam executiuam sententiam Christus Dominus in fine generalis iudicii concludet his verbis: *Discedite à me*, &c. Atque ad hæc duo signa pertinet tota dispositio futuræ executionis erga prædestinatos, & reprobatos vsque ad finem præsentis seculi, dum prædestinatorum numerus colligitur. Ad quam dispositionem spectat decretum de vocatione omnium, & reliquis gratiæ auxiliis, quibus Viatores iuuantur ad æternam D beatitudinem, inter quæ etiã numerandi sunt extraordinarii euentus per causas naturales à Deo præordinati ad excitandam in nobis admirationem diuinæ potentiæ, sapientiæ, libertatisque in agendo supra vires totius naturæ ad eundem supernaturalem finem. Nam ordinarius progressus causarum, effectorumque naturalium, gignendis, conseruandis, iuuandisque hominibus ad vitam commode, & cum virtute morali traducẽdam necessarius, E iam in tertio signo præordinatus erat, cum ipsarum naturalium causarum ordo constitueretur; nisi quatenus ex absoluta præscientia de statu humanæ naturæ post lapsum futuro, (quæ præsciẽtia nondum in eo signo habebatur) mirandi illi euentus extraordinarii nostræ salutis causa excipiendi viderentur.

In decimo reprobasse Deum omnes in æternum damnandos.

Aliquos effectus extraordinarios per causas naturales à Deo præordinatos ad executionem prædestinationis.

In vndecimo signo egit Deus de futuro mundi statu post vltimum generalis iudicii diem, cum Christus Dominus omnia sibi ple- F ne subiiciet, regnumq; Deo, & Patri tradet, vt Deus sit omnia in omnibus, quod Paulus ait *1. ad Cor. 15.* Decreuit autem, vt deinceps motus cœlorum cessaret, nec amplius esset tempus extrinsecum illud, ac generale, quod nunc in primo mobili ponere consueuimus; sed omnia, quæ in mundo sublunari sunt, ab omni generatione, ac corruptione quiescerent, re-

In vndecimo actu à Deo de statu mundi post vltimum iudicii diem.

Aa solutis

solutis mixtis corporibus in elementa pura; purificatisque, & clarificatis omnibus, quæ supra locum reprobatorum sunt, in perpetuum Beatorum triumphum.

In duodecimo signo cognouisse Deum intuitiue quidquid per totam æternitatem futurum erat.

Denique in duodecimo signo cognouit Deus intuitiue, sed scientia visionis, non solum quidquid vnquam futurum erat in tempore reali ac communi, quod cum generalis iudicii die concludetur, sed etiam in tota deinceps æternitate. Nam cum ipsius æternæ dispositioni suis temporibus successerit, & successura sit efficacissima diuinæ voluntatis executio, cum qua ipsa realis exiſtētia rerum incipit; perspicue hinc colligitur intuitiuam Dei scientiam, etsi ex natura rei æterna est, & nunquam cœpit; posteriorem tamen esse nostro intelligendi modo omni futurorum præscientia. Omnis enim cognitio futurorum, vt futura sunt, vel est conditionata, vel absoluta: si conditionata, non solum nihil supponit esse, sed ne futurum esse: si absoluta, supponit quidem aliquid esse futurum; sed futurum esse, in rebus, quæ non semper sunt, prius est, quam esse (*prius enim huiusmodi res sunt in suis causis, quam extra illas, siue in se ipsis.*) Prius ergo nostro intelligendi modo cognoscit Deus futura in voluntate sua absoluta, factiua scilicet, aut permissiua, quam vt tandem sunt in se ipsis. Ac proinde hæc est vltima eorum cognitio, complementumque, vt ita dicam, scientiæ diuinæ circa res, quæ aliquando sunt, vtpote succedens nostro intelligendi modo omnibus (*vt ita loquar*) gradibus præscientiæ, & prouidentiæ diuinæ, quæ non sunt, nisi futurorum, vt futura sunt; licet ipsa eorum intuitiua cognitio in se sit æterna.

Opposita quadam sententia, pia etiam, sed minus probabilis, de signo, in quo decretum fuit, vt Verbum diuinum humanam naturam assumeret.

SECTIO II.

SVNT tamen quædam diuinarum scripturarum loca, & sacrorum Conciliorum decreta, adde etiam complura Patrum dicta, & humanæ rationis argumēta, ex quibus colligi videtur non prius decretum fuisse, vt Verbum diuinum naturam humanam ad suam subsistētiam assumeret, quam humani generis lapsus absoluta notitia præcognitus esset, sicque diuinam incarnationem non fuisse decretam in tertio signo, sed in octauo.

Prima huius opinionis probatio ducta ex fine Incarnationis.

Quod enim id recte colligatur ex fine incarnationis, videtur primum constare, nempe ex ipsa redemptione generis humani, quam multi volunt fuisse causam adæqua-

A tam, cur Verbum diuinum humanam naturam assumpserit: idq; probant, quia Christus Dominus Lucæ 19. & aliis compluribus locis ait, venisse se quærere, & saluum facere, quod perierat: quibus locis non aliam causam reddit suæ incarnationis, nisi redemptionem humani generis, cognito nimirum absolute peccato primorum parētum. Et Paul. ad Rom. 5. ait, vbi abundauit delictum, superabundasse & gratiam: quæ autem maior gratia, maiusq; B donum, quam communicationis diuinę subsistentiæ in incarnatione? quæ communicatio si propter abundantiam delicti delendam præordinata est, non fuit certe incarnatio Verbi diuini, nisi absolute præcognitio primorum parentum peccato, quod in totum genus humanum redundauit.

Ex sacris lit. Matth. 18. & Ioan. 3.

Ex Conciliis.

In Nicæna quoque synodo, & aliarum posteriorum decretis concepta sunt verba illa, quæ habentur in Symbolo: *Qui propter nos* C *homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Qua confessione non solum videtur excludi Angelica natura à fructu diuinæ incarnationis, quam nos in tertio signo præordinatam diximus; sed etiam tota eius causa humanæ redemptioni ascribi, quam in octauo præparatam fecimus.

Ex Patribus.

Patres etiam sæpe asserunt eadem de causa venisse ad nos Dei filium, & (*quod magis vrget*) aliquando addunt, non alia de causa D eum venisse, quam vt hominem perditum saluum faceret, quale est tritum illud Augustini serm. 8. & 9. de verbis Apostoli, nullam causam fuisse veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere: quod idem alii non pauci asserunt.

Ita Nazianz. orat. 4. de Theologia, & Ambr. de Incarn. Dominica Sacr. c. 6.

** Ex Ecclesiæ elogio.*

Accedit, quod * Ecclesia aperte canit felicem esse culpam, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem, hoc est, cuius delendæ causa talis, ac tantus redemptor natu- E ram humanam suscepit.

Alia probatio ex effectibus.

Idem quoque videtur colligi ex effectibus incarnationis. Primum, quia ea de causa videtur Deus Angelicam naturam non assumpsisse, quia noluit eam eius partem, quæ lapsa est in se ipsa, reparare, vt voluit naturam humanam peccato infectam.

Deinde, quia omnia, quæ Christus Dominus in carne gessit, accommodata erant ad satisfactionem pro peccato, & ad naturam la- F psam veluti è cœno leuandam, & ad diuina excitandam, atq; ad normam in se ipso dandam earum virtutum, quæ à nobis propter peccati fomitem difficile exercentur.

Tum etiam, quia diuina bonitas magis elucere videtur in operibus misericordiæ, quā libertatis, & magnificentiæ: nulla autem esset proprie dictæ misericordiæ commendatio,

A tio, si nulla humanæ naturæ miseria præcessisset, cuius remouendæ causa ille carnem assumeret.

His argumentis plane videtur concludi incarnationem diuini Verbi non fuisse decretam in tertio signo, in quo nondum absolute præcognitus erat lapsus humanæ naturæ; sed in octauo, in quo Christus Dominus prӕordinatus est redemptor generis humani. Quę est sententia D. Thom. & eorũ, qui eius doctrinã profitentur; itemq; * Bonauenturæ, Richardi, Marsilii, & aliorum quorundam non ignoti nominis autorum, quam eisdem fere autoritatibus, & rationibus probant. Colliguntque ex ea hoc consectarium, si homo non peccasset, futurum fuisse, vt Verbum diuinum humanam naturam non assumeret; siquidem sublata adæquata causa tolleretur effectus. Quod etiam consectarium quidam Patres aperte tradunt, veluti Augustinus serm. 8. de verbis Apostoli, cum ait: *Si homo non periisset, filius hominis* (Christus scilicet) *non venisset*. Et Leo Papa serm. 3. in festum Pentecostes, cum inquit: *Si homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus in sua honore natura mansisset, creator mundi creatura non fieret, neq; æternus temporalitatem subiret.* Gregorius item Magnus initio libri quarti in libros Regum, cum scribit: *Nisi Adam peccaret, redemptorem nostrum carnem suscipere nostram nõ oporteret:* non ait [*pati non oporteret*] sed *Carnem suscipere.* Quod idem alii complures Sancti scriptum reliquerunt.

Quibus autoribus hæc opinio placeat.
D.Th.3.p.q.1. art.3. Caie. ibid. Capr. in 3. d. 1. Ferr. 4. contra Gent. c. 55.
** In 3. sent. d. 1. Argent. ead. dist.*
Consectarium propositæ sententiæ.
Probatur autoritatibus Patrum.
Vt Iren. lib. 5. c. 14. & Athan. serm. 3. contra Arian.
Rationes validiores pro eodem.

Sunt etiam pro eodem consectario priuatim nonnullæ rationes, quæ videntur magni momenti: vna, quia incarnatio diuini Verbi fuit omnium miraculorum maximum: Deus autem miracula non facit, nisi vrgente necessitate aliqua, aut noua occasione: at perseuerante illo felici statu innocentiæ nulla vrgeret necessitas, nulla noua occasio se offerret, ob quam Verbum diuinum ita nouum, & stupendum miraculum faceret.

Altera, quia si filius Dei, siue peccante homine, siue non peccãte, assumpturus esset humanam naturam, non ostendisset Deus in opere incarnationis, quantum misertus fuerit huius secundi status nostri, quantoque odio peccatum habeat, vt qui nihilominus filium suum ad nos missurus fuisset, quamuis genus humanum in hanc calamitatem non incidisset: at omnes summopere magnificant Dei misericordiam in assumptione humanæ carnis, vt nos ab hac miseria eriperet.

Tertia, quia, si quis dicat propterea non peccante homine Verbum diuinum assumpturum fuisse humanam carnem, quod in ea assumenda primo intẽderit absolute id, quod est excellentissimum bonum factibile, nempe communicationem diuinę subsistentiæ, hinc nouum argumentum pro hac sententia in hunc modum sumi potest. Hæc communicatio maius bonum est coniuncta cum passione Domini, cum sacramentis, cum pretiosa Martyrum, & aliorum Sanctorum morte, aliarumq; magnarum virtutum actibus, qui post peccatum exerciti sunt, quam fuisset ipsa incarnatio per se sine his bonis: cum ergo cer- B tum sit incarnationem non fuisse futuram in statu innocentiæ cum his bonis coniunctam, non fuisset quoque ipsa per se facta: siquidem iam illa non esset excellentissimum bonum factibile, si coniuncta non esset cum huiusmodi bonis.

Sed vt constet sententiam hanc, etsi pia est, & graues habet patronos, minus esse probabilem, quatuor assertionibus id ostendendum est. Prima assertio. Adæquatus finis incarna- C tionis Christi Domini, quatenus facta est in carne passibili, fuit redemptio generis humani. Hęc facile probatur, quia Christus Dominus nulla alia de causa venit in carne passibili, nisi vt satis faceret pro peccatis hominum, eisque, qui sibi obtemperarent, fieret per passionem, & mortem suam causa salutis æternæ. Si enim genus humanum in accepta gratia perseuerasset; nihil attinebat illum laboribus, & diræ morti subiici, vt pro hominibus D satisfaceret, eosq; redimeret, qui satisfactione, ac redemptione non indiguissent. Atq; in hoc sensu recte ab iis autoribus infertur consectarium illud; Si homo non peccasset, fore, vt Verbum diuinum humanam naturam non assumpsisset, nempe in statu passibili: at illi non limitate; sed absolute inferunt, existimantes futurum fuisse, vt nullo modo humanam carnem sibi vnirent.

Prima assertio.

Secunda assertio. Post gloriam Dei adæ- E quatus finis non modo incarnationis diuinæ, sed etiam omnium operum, quæ à Deo facta sunt, ac fiet, fuit gloria Christi Domini, vt homo est, hoc est, vt talis homo (*sic enim accipiemus Christum Dominum hoc loco, cum de eo vt homine loquemur, nõ vt præcise consideratur, vt homo, seu ex parte solius humanæ naturæ*) Dixi [*post gloriã Dei*] quia nullũ opus Dei est, quod ipse non modo non faciat propter se, iuxta illud Sapientis Prou. 16. *Vniuersa propter semet* F *ipsum operatus est Dominus*; sed nec possit propter se non facere. Vt enim negare non potest se esse summum bonum, ita nec potest sibi denegare suorum operum gloriam. Et quidẽ quod attinet ad opera, quæ à Deo facta sunt, ac fiet per Christum Dominum, assertio perspicua est: quidquid enim per nos recte fit in gloriam vtiq; nostram cedit. Quod vero attinet

Secunda assertio.
Nullum opus Deus facere potest non propter se.

Omnia Dei opera propter Christum facta esse.

tinet ad reliqua Dei opera, ac proinde ad omnia, quæ fecit, ac facturus est, ex compluribus diuinæ scripturæ locis probari potest, quorum fere insigniora hæc sunt. Paulus ad Hebræos 2. de eo vt homine perspicue loquens ait, Deum illi subiecisse omnia: tum explicans; quod dixerat, addit: *In eo enim, quod omnia ei subiecit nihil, dimisit non subiectum ei.* Quod etiam clarius primæ ad Corinthios decimo quinto exponit his verbis: *Cum autem dicat, Omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia*, hoc est, præter ipsum Deum. Eôdemque pertinet id, quod priore loco adiungit: *Decebat*, inquit, *eum, propter quem omnia & per quem omnia*, id est, Propter quem omnia facta sunt, ac fient (*idcirco enim nullam differentiam temporis adiunxit*) ad suum finem reducta sunt; ac reducentur. Et illud Ioannis 13. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*: vbi significat omnia ei prorsus reliquisse Patrem regenda, & administranda. Ex quibus, & aliis similibus locis constat Christi Domini gloriam esse supremum finem rerum omnium proxime subordinatum gloriæ Dei, ac proinde ipsius etiam diuinæ incarnationis, quæ fuit, atque erit maximum Dei opus.

Tertia assert.

Tertia assertio. Post gloriam Christi Domini adæquatus finis diuinæ incarnationis fuit tota gratia, quæ ad mensuram danda erat, seu (*quod idem est*) quæ danda erat puris creaturis. Soli enim Christo Domino data est gratia non ad mensuram, iuxta illud, quod Baptista Ioannes ait cap. 3. Ioannis Euangelistæ, *Non enim ad mensuram dat Deus spiritũ*, nempe Filio, vt omnes fere exponunt: sumit autem spiritum pro vniuersis donis gratiæ. Probatur vero assertio primum ex eo, quia nulla gratia ad mensuram danda erat, quæ per Christum data, vel danda non esset, vt idem Baptista eodem loco eiusdem Euangelistæ addit, cum subdit: *Et omnia dedit in manu eius*: loquebatur autem de spiritu, seu gratia, quam totam inter omnia dona peculiari ratione in manu eius tanquam filii, & vniuersalis sanctificatoris constituit. Quod idem confirmatur ex cap. 1. eiusdem Euangelistæ, cum de Christo Domino ait: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus*: quod D. Thomas in eundem locum merito de Angelis quoque dictum intelligit, cum in genere gratiæ nulla sit distinctio inter nos, & Angelos, etiamsi non parua sit in genere naturæ. Vnde fit, vt multo potiori ratione intelligatur de gratia accepta à primis parentibus in statu innocentiæ. Deinde probatur assertio, quia Christus Dominus est causa meritoria, & exemplaris prædestinationis aliorum omnium prædestinatorum. Meritoria, quia cœteri omnes in ipso electi, & prædestinati sunt, vt Paulus ait initio epistolarum ad Ephesios, & 2. ad Timotheum, hoc est, eius respectu, siue propter eius merita futura ab æterno præcognita. Exemplaris, quia omnes prædestinati sunt, vt conformes fierent imaginis filii Dei, quod idem scribit ad Roman. 8. nempe tanquam præstantissimæ prædestinationis formæ. Nec enim iis locis Angeli excludendi sunt, cum Paulus de prędestinatis ex ipsa prædestinationis ratione loquatur; tametsi ea, quæ eisdem locis tradit, hominibus accommodet. Cum igitur omnis gratia, quæ ad mensuram danda erat, ex prædestinatione electorum in Christo penderet, (quæcunque enim est data, ac danda reprobis, in aliquam prædestinatorum vtilitatem data, ac danda est) efficitur, vt nulla gratia ad mensuram danda esset ab æterno, quæ ex Christo Domino non prouenerit, aut prouentura sit. Tertio, quia Christus Dominus, vt homo, est caput non solum militantis Ecclesiæ, sed triumphantis etiam; nec tantum hominum, sed & Angelorum, vt patet ex citato loco ad Ephesios: id quod potissimum quoad gratiam intelligendum est; licet quatenus est homo, sic etiam vniuersalis dominus, potestatemque acceperit dominandi in cœlo, & in terra. Cum igitur omnis motus animalis à capite descendat, efficitur, vt omnis motus gratiæ per Christum Dominum communicetur, & communicandus sit, non solum omnibus hominibus, qui vnquam gratiam habuerunt, aut habituri sunt, sed etiam omnibus Angelis.

Soli Christo datam esse gratiã non ad mensuram.

Vt Aug. Chrys. Cyril. Beda, Theoph. Euthym. Rupert. ad eund. locum, Eucherius in qq. in Ioan. & plures alii.

Christum Dominum causam esse meritoriam, & exemplarem omnium prædestinatorum.

Christum esse caput militantis, & triumphantis Eccles. in membraque omnia gratiam ab ipso vt fonte deriuari.

Quarto idem de hominibus priuatim hac ratione probari potest: quia ad idem principium colligendum est pertinere formationem, ad quod pertinet perfecta reformatio, vt patet in naturalibus, veluti in perfecta restitutione caloris, & cœterarum huiusmodi qualitatum: Christus autem Dominus, vt homo, reformauit primos parentes iam deformatos, quandoquidem in fide ipsius gratiam recuperarunt, atq; adeo perfectiorem, vtpote gratiam non solum iustitiæ, sed etiam perseuerantiæ: ergo & in fide eius, saltem implicita, quam in primo momento habuerunt, formati erant in gratia ex eius futuris meritis. Id quod etiam Paulus ad Romanos 5. docet, cum ait: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. In omnes*, inquit, nullumque excipit. Quinto, quia & Angeli in primo instanti sui esse, & Adamus in sopore illo ecstatico, quem passus est, cum ex eius costa forma-

Angelos, cũ primũ creati sunt, & Adamum in ecstasi Christũ cognouisse.

formata est socia mulier, Christum Dominum, vt hominem, explicite cognouerunt tanquam sponsum, & caput futurum Ecclesiæ cœlestis, & terrestris, vt quidam Patres docent, & colligi videtur ex Paulo ad Hebræos 1. & ad Ephesios 5. Angelique ipsum adorare iussi sunt, vt hominem: quod etiam Adamo iniunctum esse in ea ecstasi verisimile est: credendum igitur est, Deum voluisse, vt omnis gratia ad mensuram danda Christo Domino accepta referretur. Postremo, quia cum hoc possibile fuerit, & maxime decens, non est, cur quisquam factum esse negare debeat: tribuendum est enim Christo Domino, in quo vt homine Patri ab æterno bene complacuit, quidquid dignius, & honorabilius est.

De Angelis id docet August. lib. 5 de Gen. ad liter. c. 19. De Adamo D. Th. 2.2. q. 2. ar. 4. Fauentq; Hieronym. in caput 5. epist. ad Eph. Aug. lib. 9. de Gen. ad liter. c. 19. Prosper. lib. 1. de promiss. & prædict. Dei part. 1. c. 1. & alii Patres.

Diluitur quædam obiectio.

Obiiciunt contra hæc nonnulli. Si Angeli gratiam habuissent ex meritis Christi, futurum fuisse, vt non coronarentur gloria ante illum, cum indecens sit milites ante ducem coronari. Hac enim ratione iusti legis naturæ, & scriptæ expectabant illum in Limbo, vt non sine illo, & aliis pertinentibus ad nouam legem consummarentur, vt ait Paulus ad Hebr. 11. Sed respondendum est, pluribus de causis factum videri, vt boni Angeli quamprimum post suam creationem bearentur. Vna, quia eorum via iuxta ipsorum naturam breuissima erat. Altera, quia nullus eorum peccauerat, vt peccauerant ii, qui in Limbo detinebantur. Tertia, quia omnes erant futuri administratorii spiritus in ministerium mittendi propter eos, qui hæreditatem caperent salutis, vt idem Paulus cap. 1. eiusdem epistolæ scribit; conueniensq; erat, vt à facie Domini clare perspecta ad eam rem imperium acciperent. Postrema, quia valde probabile est bonos Angelos pro ipsa Christi Domini persona, qua ratione humanam naturam assumptura erat, cõtra Angelos apostatas pugnasse, quod hi adorare eum renuerent, cum ille omnibus reuelatus est futurus omnium caput. Nec etiã insuetum, aut indecens est, vt duces, & imperatores ante generalem victoriam, & triumphum aliquos milites coronari velint, siquid strenue in bello gesserint.

Merito Angelos paulo post suam creationem beatos fuisse: non ita homines.

Obiectio alia.

Obiici quoque potest, non videri collationem, distributionemque vniuersæ gratiæ ad mensuram dandæ, fuisse finem incarnationis diuinæ, seu (quod eòdem redit) finem Christi Domini, vt hominis, cum potius ipse Christus Dominus, vt homo, fuerit finis omnis eius gratiæ collationis, & distributionis, quemadmodum & omnium aliorum operum Dei, vt patet ex secunda assertione. Sed respondendum est, hæc duo secum non pugnare: etsi enim donatio, & distributio huiusmodi gratiæ fuit finis incarnationis diuinæ, ipsiusque Christi Domini vt hominis; tamen fuit finis subordinatus eidem vt homini, tanquam in cuius gloriam ea donatio, & distributio facienda erat. Quo pacto, & pascere oues est finis pastoris, (etiam eius, cuius sunt oues propriæ) & ipse etiam pastor est finis pascendarum omnium. Verum finis huiusmodi pastoris in pascendis ouibus est subordinatus ipsi pastori, quia simpliciter, & absolute non ipse est propter oues, sed oues propter ipsum.

Dissoluitur.

Quarta assertio. Si incarnatio diuini Verbi sumatur, quatenus facta est in carne passibili, non oportuit illam eo modo præordinatam fuisse ante absolutam præscientiam lapsus humanæ naturæ, sed post illã in octauo considerationis signo: si autem sumatur absolute, quatenus fuit assumptio humanæ naturæ, nondum videlicet determinante Deo more intelligendi nostro statum, in quo assumenda esset, passibilisne, an impassibilis esset futurus; non dubium, quin præcesserit absolutam præscientiam lapsus humanæ naturę, in tertio nimirum cõsiderationis signo. Prior Pars ex eo probatur, quia incarnatio Verbi diuini in carne passibili non fuit necessaria, nec etiam decenter fieret, nisi propter redemptionem à peccato: at si Deus ex se, & nondum absolute præscito peccato intendisset absolute redemptionem ab illo, cum redemptio à peccato, supponat peccatum, aliquid voluisset Deus ex se, efficacique voluntate, quod sine peccato impleri non posset. Cum igitur hoc alienum sit à diuina bonitate, dicendum non est Deum præordinasse incarnationem in carne passibili ante præscitum lapsum humanæ naturæ; proinde illam hoc pacto in octauo signo non in alio præcedente factam fuisse. Posterior pars ea ratione patet, quia, cum satis esset ad præordinandam vnionem naturæ humanæ cum diuina, concipere humanam absolute, nondum decernendo, vter status ei dãdus esset, passibilisne, an impassibilis, necesse est fateri, in tertio signo, in quo præordinatum est vniuersum in omni genere diuinæ bonitatis perfectum, constitutum fuisse, vt Verbum diuinum naturam humanam absolute assumeret, quasi dilata determinatione status naturæ assumendæ in posteriora considerationis signa.

Quarta assertio.

Atque hæc est grauium quoque Scholasticorum sententia: inter quos sunt Albertus Magnus, Alexander Alensis, Scotus, & alii complures, præsertim ex recentioribus, qui quæstionem hanc pressius tractauerunt. Quam etiam ex posterioribus Patribus ex insti-

Albert. in 3. d. 20. ar. 4. Alens. 3. p. q. 2. Memb. 19. Scot. in 3. d. 7. q. 3. Vega lib. 7. in Conc. c. 19 &

20. Pighius lib. 8. de lib. arb. c. 1. & 2. Galatinus lib. 3. de arcanis à cap 3.

† lib. 12. & de gloria Trinitatis lib. 3. c. 20.

instituto tradiderat Rupertus Abbas in libris A † de gloria, & honore Filii Dei, & aliis locis, qui diligentius videtur rimatus præcipua, magisque generalia diuinæ incarnationis fundamenta. Quod ad priores etiam Patres attinet, etsi alii vt redemptionis mysterium extollerent, simulq; vt deuotius inhærerent iis rationibus, quibus multo frequentius Euangelica doctrina causam reddit aduentus Christi Domini ad nos sæpe solam redemptionem vt eius finem assignauerunt; B præsertim dum loquerentur de aduentu in carne passibili: alii tamen, cum ex altera parte animaduertissent ipsam quoque redemptionem humani generis ad ipsius Christi Domini exaltationem præordinatã fuisse tanquam ad gloriam capitis totius sanctitatis, generaliter locuti sunt de toto fine incarnationis, ac proinde non ad solam redemptionem generis humani incarnationis causam retulerunt; sed ad gloriam Dei primum, C deinde ad gloriam Christi Domini, vt hominis; postremo ad vniuersam sanctificationẽ, siue à principio datam, siue redemptionis opere recuperatam; idque siue secundum præsentem iustitiam, siue secundum æternam prædestinationem.

Vide Cyrill. lib. 5. Thesauri cap. 8.

Vnde patet, multo minus probabilem esse oppositam sententiam, quatenus ait, decretum de vnione naturæ humanæ absolute consideratæ cum diuino Verbo non fuisse D factum, nisi habita absoluta præscientia lapsus eiusdem naturæ; multo etiam minus certum esse eius consectarium, quam oppositum: quod apertius ex solutionibus argumentorum intelligetur.

Diluuntur argumenta superioris sententiæ.

SECTIO III.

Respondetur ad probationem ductam ex fine.

QVARI ad priorem eius sententiæ pro- E bationem, quæ ex fine ducebatur, negandum est, finem proximum, & adæquatum incarnationis fuisse redemptionem generis humani; cum potius fuerit vniuersa gratia, quæ ad mensuram danda erat; siue illa obtinenda esset per opera redemptionis humani generis, siue per quascunque alias Christi Domini actiones. Ad quam gratiam pertinent beneficia, quæ in Angelos initio mundi, & in homines in statu innocentiæ ex F meritis eius præcognitis collata sunt. Ad eandem quoque reducuntur immediate omnia beneficia naturæ, vt ipsa mundi creatio, conseruatio, & gubernatio; mediate autem, sed principalius ad gloriã Christi Domini, vt hominis; mediatius autẽ, sed primo, & ante omnia ad gloriam diuinæ maiestatis.

Explicantur loca Euangelii.

Ad locum autem Euangelii citatum, & ad alia similia dicendum est, quod quidẽ Christus Dominus venerit in carne passibili quærere, & saluum facere, quod perierat, non arguere ea sola de causa illum venisse; sed ad summum, ea de causa euidentius. Vnde, cum ab oppositæ sententiæ Scholasticis obiicitur, in diuinis scripturis, vbi redditur ratio diuinæ incarnationis, nullam aliam assignari, quam redemptionem generis humani, ergo non aliam esse fingendam: respondendum est, etsi in iis locis, quos citant, alia ratio expresse non reddatur, satis tamen esse, si ex nonnullis eorum colligatur, & in aliis etiam (*si quis diligenter attendat*) expresse tradatur, quorum nonnulli à nobis attacti sunt. Sic enim in Genesi, vbi de creatione rerum agitur, nulla fit expressa mentio creationis Angelorum; quæ tamen & ex eo libro satis colligitur, & in aliis diuinæ scripturæ locis aperte traditur.

Declaratur locus Pauli.

Ad locum vero Pauli dicendum, abundantiam delicti eo loco significare multitudinem peccatorum, quæ à principio mundi, ac tandem occasione legis Mosaicæ (nitebantur enim Hebræi in vetitum, vt fieri solet) commissa erant: superabundantiam autem gratiæ significare vim nouæ legis, quæ veteri successit; quod lex vetus non deleret peccata, quorũ occasio erat; noua autem haberet vim delendi omnia. Quanquam illud etiam simul est verum, cum delicta in toto mũdo ad maximum cumulum excreuissent, partim ex humana corruptione, partim apud Hebræos occasione legis veteris, tunc venisse Christum Dominum cum omni gratiarũ abundantia; non quasi multitudo delendorum peccatorum fuerit præcisa ratio vel datæ nouæ legis, vel aduentus Christi Domini eius legislatoris. Itaque de tempore aduentus Christi Domini, deque magnitudine gratiæ concessæ humano generi, ibi sermo est, non de præcisa ratione incarnationis.

Symboli verba explicantur.

Ad illud Symboli dicendum est, verba illa, *Qui propter nos homines*, non cõiungi proxime cum illis, *descendit de cœlis*: sed prius explicari per inserta illa, *& propter nostram salutem*, vt intelligamus sermonem esse de aduentu Christi Domini, vt Saluatoris, non absolute de eius aduentu: vnde & post pauca referuntur ea, quæ spectant ad eius passionem. Quare nullum verbum ibi est, quod Angelos excludat à fructu aduentus Domini, sed à saluatione, seu redemptione, qua illi non indigebant. Vel dicendum, duo illa membra, *Qui propter nos homines, & propter nostrã salutem*, significare duplex motiuum incarnationis: vnum generale, in quo nos homi-

nes

nes cum Angelis conuenimus, quatenus propter nostram sanctificationem descendit de cœlis, alterum particulare, quatenus propter nostram salutem, seu liberationem à peccato descendit.

Satisfit dictis Patrum.

Ad ea vero, quæ Patres dicunt (*etiam ad id, quod quidam eorum adiungunt, non alia de causa venisse Christum Dominum, nisi ad delenda peccata*) respondendum est, eos loquutos esse de aduentu eius eo modo, quo venit.

Et Ecclesiæ.

Illud autem, quod Ecclesia canit, felicem culpam, quæ talem, ac tantum habuerit, redemptorem, negandum est, arguere venisse Verbum Dei ad nos solius redemptionis causa. Perinde enim id accipiendum est, ac si quis propter grauia delicta vinctus in carcere, adueniente Rege in vrbem beneficia magna omnibus ciuibus, etiam sontibus, collaturo, eius beneuolentia, & gratia non solum à vinculis liberaretur: sed magnis etiam honoribus afficeretur. Nec enim, si is diceret felicia esse sua delicta, quod tantum sortita essent liberatorem, ideo colligendum esset illum asserere, Regẽ venisse in vrbem sui solius liberandi causa.

Ad primum argumentũ ex effectibus.

Ad probationem autem ex effectibus, primumque argumentum ex ratione ductum, occurrendum est non ea tantum de causa Verbum diuinum præteriisse angelicam naturam, & humanam assumpsisse, quia nolebat lapsam Angelorum partem reparare: sed præcipue, quia in assumenda humana, & arctius se in homine communicare volebat toti mundo, qui in homine veluti in summa quadam breui collectus est: (vnde & paruus mundus dicitur) & plura etiam in eo diuinæ largitatis munera ostendi poterant: inter quæ fuerunt expressiora illa amoris, & commiserationis signa, quæ in passibili carne ostendit, quod amor vehemens quasi spreta maiestate se valde demittere soleat, vt eo, quem plus amat, fruatur, eiq; maioribus expensis subueniat.

Cur à diuino Verbo humana natura non angelica sit assumpta.

Ad secundum.

Ad secundum dicendum opera Christi Domini accommodata fuisse non solum ad satisfaciendum pro peccato, excitandamque nostram naturam lapsam, & fragilem ad strenuas virtutis operationes: sed etiam ad promerendam gratiam omnibus, & alia dona supernaturalia, eaq; submissioribus officiis petenda, & impetranda. Quanquã ergo nostri causa venit, vt pro nobis ex rigore iustitiæ satisfaceret: tamen pro Angelis etiam venit, vt eis promereretur gratiam, vt quæ esset supra ipsorum etiam naturam. Omnia enim supernaturalia eis donata sunt propter futura merita Christi Domini, tanquam capitis vtriusque Ecclesiæ militantis, & triumphantis, vt dictum est: satisque fuisset ad promerendam Angelis gratiã præscitus ille actus quo Christus Dominus in instanti suæ incarnationis gratias egit Patri pro iis donis supernaturalibus, quibus angelicam naturam ornauerat: siue humanã assumpsisset in statu passibili, siue in impassibili, nullisque laboribus subiecto.

Christum etiã Angelis gratiã promeruisse.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum est, etsi in omnibus Dei operibus cernitur aliquid misericordiæ, iuxta illud Regii Prophetæ, *Vniuersæ viæ Domini misericordia* (*quatenus nimirum aliqua indigentia, & quasi miseria creaturæ in quolibet diuino opere suppletur*) tamen quemadmodum peccati miseria est omnium miserarium maxima, ita & misericordiam illam esse præcipuam, qua misero peccatori parcitur: & multo maximam, qua pro eo satisfit diuinæ iustitiæ. Eodemque modo etsi Deus dicitur patienter ferre ea, quæ contra diuinam maiestatem committuntur peccata, quanquã ipse in diuina natura nihil pati possit: tamen eas iniurias tulisse in natura passibili pro nobis suscepta, propriissime dictam patientiam fuisse. Quod ergo magis eluxerit, seque commendauerit diuina bonitas in his operibus misericordiæ, ac patientiæ, quæ in Christo Domino laboriosis sui cordis internis affectibus, & externe illatis iniuriis, aut susceptis à se operibus exercita sunt, quam si homine non peccante sine vllo labore non solum hominibus, sed etiam Angelis promeruisset omnes supernaturales gratias: non arguit incarnationem diuini Verbi factam fuisse solius redemptionis causa. Quanquam enim ex parte Dei omnia opera æque perfecta sunt, & ex parte ipsorum alia aliis præstantiora: tamen, quæ supponunt in creatura peccatum: siue vt illud iuste vindicetur, siue vt misericorditer remittatur, minus cordi sunt diuinæ bonitati, quam quæ Deus à se quasi motus fieri vult. Nisi enim more intelligendi nostro præcedat in Deo permissio peccati nunquam ab eo huiusmodi opera misericordiæ, aut iustitiæ exercentur. Quod ex eo satis liquet, quia DEVS mallet ex se omnes esse innocentes, quam pœnitentes, aut iuste punitos. Et quamquam multi pœnitentes gratiores sunt Deo; quam complures innocentes, vt patet in Magdalena, & multis castis adolescentulis cum illa collatis: tamen simpliciter totus ordo innocentium superior, & gratior est Deo, quam totus ordo pœnitentium.

Psal. 24.

Quæ sit maxima Dei misericord. erga peccatores.

Ad consectariũ.

Ad consectarium denique quod huius opinionis autores ex sua ipsorum assertione colligunt, si homo, inquam, non peccasset,

set, futurum fuisse, vt Verbum diuinum naturam humanam non assumeret: & ad apertam sententiam eorum Patrum, qui eandem scriptam reliquerunt, respondendum est, nec fundamentum, quo huiusmodi Scholastici nituntur, esse firmum, nec eos Patres assertiue id dixisse, sed coniectura quadam probabili, cui aliam probabiliorem videntur opponere ii, qui contrariam sententiam magis probant. Eorum fundamentum erat; redemptionem generis humani de facto fuisse adæquatum motiuum incarnationis, quod fundamentum iam euersum est. Quod autem ex eo dato, & non concesso, non inferatur eorum consectarium, nisi coniectura quadam, eaq; minus probabili, quam sit verisimilitudo contrariæ sententiæ, hinc intelligere licebit.

Dupliciter potuisse primos hominum parentes non peccare.

Duobus modis potuissent primi parentes non peccare: vno, si se determinassent ad obedientiam Deo præstandam sub eo auxilio gratiæ, quod illis concessum est, & in ea occasione, quam habuerunt; quod quidem facere poterant, cum dato illis eo auxilio, eisque in ea occasione positis, ipsi essent liberi ad peccandum, & obediendum Deo. Hoc autem pacto perspicuum est futurum fuisse, vt Deus etiam in conditionali scientia non præsciuisset illos esse peccaturos cum eo auxilio, & circumstantiis, quia id præscire non poterat: nisi essent peccaturi: neq; enim Deus in hac materia præscire potest, nisi quod futurum est, aut esset, sub his aut illis auxiliis, & in his aut illis occasionibus. Altero modo possent non peccare, si se determinaturi essent ad obediendum Deo sub alio maiori gratiæ auxilio, aut in alia commodiori occasione: quo pacto necesse esset fateri, Deũ præsciuisse quidem scientia cõditionali illos peccaturos sub eodem auxilio gratiæ quod de facto habuerunt, & in ea occasione, in qua fuerunt positi: sed tamen absoluta præscientia cognouisse illos obedituros diuino præcepto sub alio gratiæ auxilio, & in alia occasione. Quanquam ergo adæquatum motiuum diuinæ incarnationis eo modo, quo illa re vera facta est, fuisset redemptio generis humani, cuius oppositum iam ostendimus: ex neutro tamen modo obediendi primorum parentum certo colligi posset, num Verbum diuinum in vtrouis euentu carnem humanam assumpturum fuisset: esset enim id totum positum in Dei libertate, qua stante colligere certo non possumus, quid decreturus fuisset, etsi coniectari velimus id fuisse ab eo decernendum, quod natura sua melius, seu perfectius esset: nec enim ex maiori: præstãtia motiuorum, seu finium particularium in se consideratorum, concludere possumus Deum determinaturum se fuisse ad hoc, aut illud, cum non semper ea faciat, quæ ex natura sua meliora sunt, sed quæ ipsi magis placent, cum interim omne eius opus decentissimum sit, semperq; id quod facit, consilio voluntatis suæ faciat, vt interpres ille cœlestis Paulus docet ad Eph. 1. Quare cum id totum in coniectura nostra positum sit, non autẽ in notitia certa, & explorata, credendum non est eos Patres, qui negatiuam partem huius dubitationis sequuti sunt, assertiuue, firmaue adhæsione id sensisse, sed ex verisimili aliqua ratione, cuiusmodi sunt tres illæ, quas pro eorum sententia subiecimus: quibus tamen dissoluendis aliæ apparebunt, quæ fortasse probabiliores videbuntur.

Ad autoritates Patrum pro consectario adductas.

Ad 1. rationem factam pro eod. Non omnia miracula fieri vrgente necessitate, aut noua occasione magna vtilitat.

Ad primam enim negandum est, omnia miracula fieri vrgente necessitate aliqua, aut noua occasione, alicuius nimirum magnæ vtilitatis occurrẽtis: possunt enim fieri ex sola æterna Dei libera voluntate vt creatio mundi, quæ fuit ingens miraculum post infinita secula, quæ præterierant. Sic ergo probabile est ex infinita Dei largitate decretum ab æterno fuisse, vt siue peccante homine, siue non peccante, diuina bonitas altissimo illo modo vnionis naturæ humanæ cum diuina se communicaret, nec alio, quam sapientissimo voluntatis suæ consilio, certe dignissimo diuina magnificentia, & honorificentissimo in totam rerum vniuersitatem. Illud autem, quod dici solet de necessitate, aut occasione spectanda in miraculis, regula quædam est ad noua, & parum confirmata non facile approbanda, & recipienda.

Ad secundam.

Ad secundam dicendum, etsi homine non peccante Verbum diuinum humanã naturã assumpsisset, maximam tamen fuisse clementiam, & misericordiam, quod non obstante præscientia peccati generis humani, vt nobis subueniret, fieri homo voluerit: alioqui si noluisset assumere naturã humanam, nisi prius illa se peccato infecisset, non admodum decens id esse videretur.

Ad tertiam. Quid Deus intenderit communicare mundo per incarnationem.

Ad tertiam dicendum, intendisse quidem Deum in assumenda natura humana communicare mundo excellentissimum bonum factibile, sed tamen ex primaria, vt ita dicam, voluntate non intendisse quodcunque bonum excellentissimum ex factibilibus, sed illud, quod non supponeret vllum peccatum: hæc enim bona sunt, quæ Deus ex seipso magis approbat, vt dictum iam est. At incarnatio cum his bonis, quæ illi adiuncta fuerunt ex præscientia peccati, maius quidem bonum est, quam ipsa per se sola: verum hæc adiuncta bona maxima ex parte supponunt pecca-

Etiamsi homo nō peccasset, tria videri futura fuisse sacramenta.

peccatum; quæ autem illud supponunt, non A fuissent in statu innocentiæ. Nihil tamen repugnat, sed valde etiam rationi consentaneum est, vt tunc essent tria sacramenta, quæ ex se peccatum non supponunt; sacra, inquam, Eucharistia ad spirituale augmentum gratiæ, virtutumque; sacerdotium ad consecrandum; & matrimonium ad benedictionem prolis, sanctioremque conuictum. Adde, quod sacra Eucharistia peculiari ratione ad exercendas virtutes fidei, & religionis in B veneratione tanti sacramenti (*quæ veneratio tunc esset maxima*) summæ fidelibus consolationi foret, dum Christus Dominus visibiliter præsens non esset. Nec certe tunc deessent merita Martyrum meritis æqualia, & multo etiam maiora, tot & tantarū virtutum continuata exercitatione: quando & in hoc statu naturæ lapsæ plurimos Confessores multorum Martyrum merita superare nemo dubitat. Deniq; hoc pacto multo citius fie- C ret expectatissima diuini Verbi incarnatio: multo etiam breuiori tempore, quam nunc, colligeretur prædestinatorū numerus; multoque apertius cerneretur veritas illius sententiæ Christi Domini de inferno igne: *Qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*: non hominibus videlicet, nisi quatenus homines solis Dæmonibus prius consideratione nostra absolute præparatum, proprium etiam sui supplicii locum fecerunt.

Multo probabilius esse fore, vt Deus incarnaretur, etiamsi homo non peccasset.

D Ex quibus patet, etsi vtraque sententia de eo quod in consectario colligebatur, probabilis est, & pia; tamen eam, quam nos in disponendis signis secuti sumus, multo esse probabiliorem; eo vel maxime, quod non facit prædestinationem Christi Domini posteriorem prædestinatione Angelorum; nec decreto de conferenda gratia primis parentibus in eorum procreatione, vt facit contraria opinio; nec denique ortam ex occasione absolutæ præscientiæ peccati, vt illa; sed ex sola diuinæ bonitatis largitate, & peculiari beneuolentia in naturam humanam; quam multo etiam verisimilius est Deum non fuisse despecturum, si illam in primæua gratia perseueraturam præsciuisset, quando constat, illi etiam infectæ se consanguineum fecisse.

Duo præcipua fundamenta veræ contingentiæ futurorum.

Itaque vt finem de vera rerum contingentia faciamus, duo sunt quasi cardines, in quibus facillime voluitur tota hæc contingentium machina: vnus ex parte diuinæ prouidentiæ; alter ex parte creatarum voluntatum: quorum si vel alter negetur, ne validissimi quidem vectes sufficiant ad eam expediendam. Ex parte quidem diuinæ prouidentiæ scientia futurorum conditionata: in quo cardine sic voluuntur diuinæ prouidentiæ decreta, vt eis non obstantibus suauiter omnia administrentur. Ex parte vero creatarum voluntatum propria, & peculiaris earum à se ipsis determinatio: in quo etiam cardine ea facilitate vertitur liberum arbitrium, vt nihil obstante, sed potius concurrente diuino influxu, ipsæ creatæ voluntates libere omnino agant: nisi necessitentur præsentia summi boni clare conspecti; aut Deus ipse velit eas ad alteram oppositionis partem determinare; aut ipsæ omnino indeliberate agant. Ita patet nihil timendum esse veræ doctrinæ de contingentia futurorū euentuum, quam Aristoteles in hoc capite stabiliuit, ne argumentis ex præscientia, aut prouidentia diuina ductis vel ab Ethnicis, vel ab Hæreticis labefactari possit.

***

FINIS LIBRI SEXTI.

COMMENTARII. PETRI FONSECÆ SOCIETATIS IESV.

IN SEPTIMVM LIBRVM METAPHYSICORVM ARISTOTELIS.

Procœmium.

Institutum Aristot. in libris sequentibus.

DOCVIT *Aristoteles superiori libro, quo pacto primus Philosophus agat de ente, reiecitque ab eius consideratione entia per accidens, & entia rationis: nunc agere incipit de ente per se, ac reali. Quod eo ordine præstat, vt in his quinque prioribus libris de solis entibus materialibus edisserat; (nisi quis obiter de immaterialibus sermo incidat) in duodecimo autem, & sequentibus de immaterialibus. Cum autem ens per se, ac reale primum diuidatur in prædicamenta, deinde per actum, & potentiam: agit Aristoteles in his duobus primis de ente, vt diuiditur in prædicamenta, in tertio autem, hoc est, in nono de eodem, vt diuiditur in actum, & potentiam: quem librum recte sequitur decimus, in quo explicato iam ente, quod veteribus notum erat, agitur de primis entium affectionibus: cui apte succedit vndecimus, in quo Aristoteles colligens præcipua quæque ex iis, quæ de materialibus entibus vnquam dixerat, ad materiam duodecimi se accingit.*

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΤΩΝ μετὰ τὰ φυσικὰ τὸ Ζ.

ΚΕΦ. Α.

ΤΟ a ὂν λέγεται πολλαχῶς, καθάπερ διειλόμεθα πρότερον ἐν τοῖς περὶ τοῦ ποσαχῶς. σημαίνει γὰρ τὸ μὲν τί ἐστι, καὶ τόδε τι: τὸ δὲ, ὅτι ποιὸν, ἢ ποσὸν, ἢ τῶν ἄλλων ἕκαστον τῶν οὕτω κατηγορουμένων. τοσαυταχῶς δὲ λεγομένου τοῦ ὄντος, φανερὸν, ὅτι τούτων πρῶτον ὂν, τὸ τί ἐστιν, ὅπερ σημαίνει τὴν οὐσίαν. ὅταν b μὲν γὰρ εἴπωμεν ποιόν τι τόδε, ἢ ἀγαθὸν λέγομεν, ἢ κακὸν, ἀλλ' οὐ τρίπηχυ, ἢ ἄνθρωπον: ὅταν δὲ τί ἐστιν, οὐ λευκὸν, οὐδὲ θερμὸν, οὐδὲ τρίπηχυ, ἀλλὰ ἄνθρωπον ἢ Θεόν.

LIBER SEPTIMVS METAPHYSICORUM Aristotelis.

CAPVT I.

ENS a *multis modis dicitur, quemadmodũ prius exposuimus, cum quot modis quidque dicitur, traderemus. Significat. n. partim quod quid est, & hoc aliqd: partim quod quale, aut quãtum, aut aliorũ quodq;, quæ hoc pacto prædicantur. Cum autẽ ens tot modis dicatur, perspicuũ est horum primũ ens esse, quod quid est, quod vtiq; substantiã significat. Nam* b *cum dicimus, quale quid est hoc, aut bonũ dicimus, aut malũ: non item tricubitum, aut hominem: quãdo autem, quid sit, exponimus, non album, non calidum, non tricubitum, sed hominem, aut Deum pra-*

CAPITIS PRIMI EXPLANATIO.

ENS a *multis modis.*] Initio huius capitis repetita diuisione entis per se, ac realis in prædicamenta ostendit Aristoteles, etsi ens per se, ac reale in decem genera diuidatur, tamen se maxime, ac præcipue, ac pene tantum de genere substantiæ disputaturum. Quod vt in fine capitis concludat, docet prius, Substantiam esse primum, ac præcipuum genus huiusmodi entium. Quo loco aduerte, ideo substantiam vocari, Quid est, & hoc aliquid, hoc est, quiditatem, & suppositum, quia substantia diuidi solet in primam, quæ est suppositum, & in secundam, quæ totam quiditatem, seu naturam definibilem primarum continet.

Cur substantia dicatur Quid est, & hoc aliquid.

Prior ratio cur substantia sit primum ens.

b *Nam cum dicimus.*] Duabus rationibus probat substantiam esse primum ens. Prior ratio est, quia sola substantia redditur ad quæstionem, qua quæritur, Quid est hoc, aut illud: cœtera

vera enim non redduntur, nisi cum quæritur, quantum est, aut quale, &c. Neque obstat, quod accidentia quoque reddantur ad quæstionem, qua quæritur, Quid est hoc accidens, aut illud: nomine enim subiecti, de quo quæritur, quid sit, non est intelligendum hoc loco quodlibet subiectum, sed primum subiectum, quod est sola substantia singularis, vt hic homo, hic lapis. Annotarunt autem Auerroes, Alensis, & vt videtur Albertus, non probari ab Aristotele hoc loco singulares substantias esse priores indiuiduis accidentibus, quia id per se notum erat; sed quiditatem substantiarum esse priorem quiditatibus accidentium. Vniuersalia enim prædicata sunt, quæ de primis subiectis, hoc est, primis, & singularibus substantiis dicuntur; & de his potissimum agunt Philosophi.

Θεόν. τὰ c δ' ἄλλα λέγεται ὄντα, τῷ τοῦ οὕτως ὄντος, τὰ μὲν ποσότητας εἶναι, τὰ δὲ ποιότητας, τὰ δὲ πάθη, τὰ δὲ ἄλλο τι τοιοῦτον.

Διὸ καὶ ἀπορήσειέ τις, πότερον τὸ βαδίζειν καὶ τὸ ὑγιαίνειν καὶ τὸ καθῆσθαι ἕκαστον αὐτῶν ὄν, ἢ μὴ ὄν; ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὁτουοῦν τῶν τοιούτων. οὐδὲν γὰρ αὐτῶν ἐστιν, οὔτε καθ' αὑτὸ πεφυκός, οὔτε χωρίζεσθαι δυνατὸν τῆς οὐσίας, ἀλλὰ μᾶλλον εἴπερ d τὸ βαδίζον τῶν ὄντων τι, καὶ τὸ καθήμενον, καὶ τὸ ὑγιαῖνον. ταῦτα δὲ μᾶλλον φαίνεται ὄντα, διότι ἐστί τι τὸ ὑποκείμενον αὐτοῖς ὡρισμένον: τοῦτο δ' ἐστὶν ἡ οὐσία καὶ τὸ καθ' ἕκαστον, ὅπερ ἐμφαίνεται ἐν τῇ κατηγορίᾳ τῇ τοιαύτῃ: τὸ ἀγαθὸν γὰρ ἢ τὸ καθήμενον, οὐκ ἄνευ τούτου λέγεται. δῆλον οὖν ὅτι διὰ ταύτην, κἀκεῖνων ἕκαστόν ἐστιν. ὥστε τὸ πρώτως ὄν, καὶ e οὐ τὶ ὄν, ἀλλ' ὂν ἁπλῶς, ἡ οὐσία ἂν εἴη.

Πολ-

pronuntiamus. Cætera c vero ea ratione dicuntur entia, quod huiusmodi entis partim quantitates sint, partim qualitates, partim passiones, aut aliquid aliud tale.

Quocirca quærat aliquis, nũ ipsum ambulare, valere, sedere, vnumquodq; videlicet ipsorũ, aliorumq; similiũ sit ens, an non ens? nihil.n. eorũ aut per se natura aptũ est esse, aut à substantia separari potest, sed magis (si d quod genus entiũ sunt) & ambulãs, & sedens, & valens in entib. numerari debent. Atq; hæc iccirco magis videntur entia, quod definitum aliquid sit id, quod eis subiectũ est: hoc autẽ est substantia, & singulare quiddam, quod in eiusmodi prædicatione cernitur: bonum.n. & sedens sine hoc non dicuntur. Patet igitur propter hanc illorum quodq; esse: atq; adeo substantiam esse id, quod primo est ens, & e non quoddam ens, sed simpliciter ens.

Ac

c *Cætera vero.*] Posterior ratio est, quia sola substantia est ens ratione sui: nam cœtera ea ratione dicuntur entia quia sunt substantiæ affectiones. Quod autem cœtera dicantur entia ratione substantiæ, ex eo suadet, quia accidentia, quæ non innuunt substantiam subiectam, de qua dici possint, vt ambulatio, & ambulare, valetudo, & valere, aut non sunt entia, cum nullum accidens existat abstractum, & separatum à subiecto; aut certe, si sunt entia, minus entia esse videntur, quam quæ subiectam substantiam innuunt, ac de ea dici possunt, vt ambulans & valens, quippe cum hæc in subiectis, cum quibus concipiuntur, & de quibus dicuntur, cohæreant. Innititur autem hæc ratio illi Aristotelico, communique pronuntiato, Propter quod vnumquodq; tale est, illud magis est tale; vel illi, Quod causa cæterorum est in aliquo genere, id primum est in eo genere.

Posterior ratio. *Tex. 1.* *Tex. 2.* *1 Post cap. 2. tex. 5. & 2. metaph. c. 1. tex. 4.*

d *Si quod genus entium sunt.*] In Græco solum est verbum εἴπερ: verum quia sententia reddenda est sententiæ, hoc pacto ex adiunctis vere oportuit. Aut enim verbum aliquod ex contextu excidit, aut Aristoteles summa breuitate vsus, illud τῶν ὄντων τι coniungendum mente voluit & cum verbo εἴπερ, & cum verbis, τὸ βαδίζον, & sequentibus, vt contextus sic habeat: Ἀλλὰ μᾶλλον (εἴπερ τῶν ὄντων τι) τὸ βαδίζον καὶ τὸ ὑγιαῖνον, nempe sunt τῶν ὄντων τι, quem sensum in versione expressimus. Non dubitat autem Aristoteles his verbis, num accidentia in abstracto sumpta sint entia, licet abstracte non existant: quemadmodum non dubitat, an figuræ mathematicæ sint entia, etiamsi non eo pacto existant, quo á Mathematico concipiuntur: sed vtitur hac loquendi forma, vt significet ea quatenus abstracta sunt, in rerum natura naturaliter esse non posse: quo pacto alibi scribit, entia mathematica nõ esse entia quatenus considerantur à qualitatibus sensibilib. seiuncta. Ens.n. nihil est aliud, quam quod potest existere: accidentia vero, vt seiuncta à subiectis, veluti mathematica quatenus separata à sensibilib. qualitatibus, existere nõ possunt naturaliter: quo pacto hoc loco de existẽtia accidentium sermo est.

An accidentia abstracte sumpta sint entia? *Tex. 3.* *Tex. 4.*

e *Et non quoddam ens.*] Hoc est, & non quoddammodo ens, siue (*vt dicitur*) secundũ quid. Id quod ex eo patet, quia cum aliquid incipit esse album, aut affectum alio accidente, non dicitur incipere esse simpliciter: sed tum solum, cum eius substantia esse incipit.

Quando quid simpliciter incipiat.

f *At multis quidem modis.*] Antequam ex consuetudine philosophandi eandẽ conclusionem confirmet, videlicet substantiam esse primum ens, exponit, quo pacto conclusionem intelligat: multis enim modis primum dicitur, vt patet ex initio libri 5. Ait igitur substantiam esse primum ens tribus modis, ratione, cognitione, & tempore. Nam quod quidã contextus habẽt

Tribus modis substantia est prior accidentibus.

 [Et

Tempore.

[*Et natura*] videtur adiectitium, cum à nullo veterum, quod sciam, exponatur. Ideo autem substantia dicitur prior tempore accidentibus, quia cum accidentia à substantia separari nequeant, ipsa tamen substantia ab accidentibus separari potest. Quod duobus modis potest intelligi: vno, quia datur naturaliter substantia sine accidentibus, vtpote Deus, & Aristotelis sententia, vt multi volunt, substantiæ separatæ; non dantur autem accidentia sine substantia: altero, quia cum nullum accidens possit separari à subiecto, in quo est, & existere in alio; ipsum tamen subiectum potest separari à quamplurimis accidentibus, & existere sub aliis, atque aliis: atque hoc pacto videtur substantia proprie dici prior tempore accidentibus. Cur autem substantia dicatur prior ratione, ac cognitione accidentibus, perspicue exponitur in contextu: quo ex loco duæ celebres sententiæ Aristotelis colliguntur: vna, Non posse vllum accidens existere sine substantia, aut ex subiecta substantia in aliam substantiam migrare; quod verum est naturaliter: altera, Non posse accidens definiri absque definitione substantiæ; quod intelligendum est de definitione omnino resoluta, siue explicita: alioquin satis est, si substantia ponatur in definitione accidentium, nec est opus, vt ponatur eius definitio.

Ratione, & cognitione.
Non posse accidens extra substantiam existere.
Nec sine illius definitione finiri.

πολλαχῶς f μὲν οὖν λέγεται τὸ πρῶτον· ὅμως δὲ πάντων ἡ οὐσία πρῶτον καὶ λόγῳ, καὶ γνώσει, καὶ χρόνῳ. τῶν μὲν γὰρ ἄλλων κατηγορημάτων, οὐδὲν χωριστόν: αὕτη δὲ μόνη. καὶ τῷ λόγῳ δὲ τοῦτο πρῶτον: ἀνάγκη γὰρ ἐν τῷ ἑκάστου λόγῳ, τὸν τῆς οὐσίας λόγον ἐνυπάρχειν, καὶ εἰδέναι δὲ τότε οἰόμεθα ἕκαστον g μάλιστα, ὅταν τί ἐστιν ὁ ἄνθρωπος γνῶμεν, ἢ h τὸ πῦρ, μᾶλλον ἢ τὸ ποιόν, ἢ τὸ ποσόν, ἢ τὸ ποῦ: ἐπεὶ καὶ αὐτῶν i τούτων, τότε ἕκαστον ἴσμεν, ὅταν τί ἐστι τὸ ποσόν, ἢ τὸ ποιόν, ἴδωμεν. καὶ l δὴ καὶ τὸ πάλαι τε καὶ νῦν καὶ ἀεὶ ζητούμενον καὶ ἀεὶ ἀπορούμενον, τί τὸ ὄν, τοῦτό ἐστι, ἢ τίς οὐσία. τοῦτο γὰρ οἱ μὲν ἓν εἶναί φασιν, οἱ δὲ πλείω ἢ ἕν: καὶ οἱ μὲν πεπερασμένα, οἱ δὲ ἄπειρα. διὸ m καὶ ἡμῖν καὶ μάλιστα, καὶ πρῶτον, καὶ μόνον, ὡς εἰπεῖν, περὶ τοῦ οὕτως ὄντος θεωρητέον τί ἐστι.

Ac f multis quidem modis Primum dicitur: sed tamen primum omnium & ratione & cognitione, & tempore substantia est: aliorum.n. attributorum nullũ est separabile: ipsa vero sola separari potest. Est autem & hoc ratione primũ, quia in cuiuscunq; ratione substantia rationem inesse necesse est. Scire quoq; tum demum rem g quamq; putamus maxime, cum quid sit homo, aut h ignis, cognoscimus: magisq; quã, cũ quale sit aut quantũ, aut vbi intelligimus: quandoquidẽ & horũ i ipsorũ tunc vnũquodq; scimus, cũ, quid sit ipsum quantũ, aut quale cognoscimus. Atq; l hoc ipsum, q & olim, & nunc, & semper quæri, dubitariq; solet, quid, inquã, sit id, q est, nihil est aliud, quam quanã substantia sit: hoc enim quidã vnũ esse aiunt, alii plura vno; & alii finita, alii infinita. Quapropter m & nobis tũ maxime, tum etiã solum (pene dicã) de eo, quod hoc pacto est ens, quidnam sit, considerandum est.

g *Rem quamque*] Hoc est, suppositum, seu primum subiectum, quod quidem primum occurrit tanquam principale quid, & in quo cœtera existunt.

h *Aut ignis.*] Ad exprimendam sententiam necessario supplenda sunt hæc verba [Aut quid simile] aliave, quæ idem valeant.

i *Horum ipsorum.*] Accidentium videlicet: habent enim & ipsa accidentia suo modo quiditatem, & definitionem; pendentem tamen à quiditate, & definitione substantiæ; vt dictum est: quod cap 4. planius explicabitur.

l *Atque hoc ipsum.*] Confirmat eandem conclusionem ex consuetudine philosophandi tum veterum, tum recentiorum. Cum enim inuestigatur entitas, siue essentia rerum, (*huic enim rei omnium Philosophorum, qui contemplationi rerum operam dederunt, ingenium desudauit*) nihil aliud quæritur, quam essentia earum, quæ per se cohærent, quæ quidem est substantia. Id quod patet ex opinionibus, quæ de principiis rerum traditæ sunt: neque enim Philosophi curauerunt principia earum, quæ existunt in aliis sed earum, quæ existunt per sese. Harum enim Thales Milesius, & alii veteres naturales vnum principium esse dixerunt; harum Empedocles vno plura, sed finita esse asseruit; harum Anaxagoras, & Democritus infinita; eodemque modo cœteri: neque alia sane de causa, nisi quia substantia est primum, ac præcipuum ens, & ex cuius cognitione cœterorum omnium tum esse, tum perfecta cognitio pendet.

Philosophi tantum curarunt principia, & essentias rerum per se existentium lib. 1. ad cap. 7. q. 2.

m *Quapropter & nobis.*] Ex conclusione hactenus probata, quod videlicet substantia sit primum ens, idque & ratione, & cognitione, & tempore, colligit Aristoteles præcipuam conclusionem huius capitis, nempe se maxime, & præcipue, & pene solum de substantia disputaturum. Quæ quam apte colligatur, non est difficile videre, cum cœtera omnia attributione quadam ad ipsam, seu (*quod idem est*) quatenus sunt affectiones illius, intelligantur; & ideo dixit, Maxime, siue præcipue & pene solum: neq; enim omnino negliguntur accidentia, vt patebit ex progressu.

Vtrum

Vtrum inhærentia sit de essentia accidentis?

QVÆST. I.

Argumenta pro vtraq; parte.

SECTIO I.

NON esse facile definire, quid hac in re dicendum sit, ex argumentis quæ pro vtraque parte se offerunt, intelligi potest. Negatiua enim multis videtur concludi.

Rationes pro parte negatiua.

Primum, quia quæ non sunt de formali conceptu rerum, non sunt de earum essentia, quandoquidem essentiæ rerum conceptibus formalibus earum respondent: multa autem accientia sunt, quæ formaliter sine vlla inhærentia concipiantur, hoc est nullo concepto subiecto, cui inhæreant, vt quantitates, de quibus Geometræ, & Arithmetici disserunt: itemq; omnia propria accidentia, antequam demonstrentur de suis subiectis: hoc enim est quod demonstratur, quibus nam subiectis inhæreant.

Deinde, quia accidentia propria non sunt de essentia rerum earum, quarũ sunt propria, cum ab ea oriantur, & quasi fluant: inhærere autẽ alicui subiecto non minus videtur proprium accidentium, quam substantiæ per se existere: quod quidem inter substantiæ proprietates primo loco numerari solet.

Tertio, quia vel inhærentia est absolutum aliquid, vel relatiuum: si absolutum, ergo vel relationes non sunt accidentia: vel non inhærent subiectis: quandoquidem constat, relationes non esse entia essentialiter absoluta: si vero est aliquid relatiuũ, ergo eadem ratione dicendũ est, aut nihil absolutum esse accidẽs, aut nullum accidens absolutũ inhærere subiecto: vt enim nullum ens absolutum est essentialiter relatiuum: ita nullum relatiuũ est essentialiter absolutum: alioqui sursum deorsum omnia confunderentur, nec distincta essent inter se rerum genera.

Quarto, quia si inhærentia essentialiter diceretur de omnibus accidentibus, aut de illis prædicaretur in quæstione quid est, aut in quæstione quale est: quo fit, vt cum illa videatur eadem ratione dici de omnibus accidentibus, aut esset eorum omnium genus, aut differentia: sicq; quantitas, & cætera, quæ dicuntur prima genera accidentium, non essent suprema genera.

Quinto, quia si quis dicat, inhærentiã non esse entitatem accidentium, sed purum quẽdam eorum essendi modum, multo clarius apparet non esse illã de essentia accidentium: tum quia modus essendi, quicunq; ille sit, posterior est ea re, cuius est modus: tum etiam, quia puri essendi modi, cum non sint entitates, nullam entitatem, ac proinde nullam essentiam accidentibus dare possunt.

Postremo, quia quædam accidentia sunt, quæ subiectis, hoc est, substantiis inhærere nequeunt: (*sumitur enim ab omnibus in hac quæstione subiectum pro sola substantia*) huiusmodi autem sunt punctus, (*si accidens est*) linea, & superficies: nam punctus, & linea, vt superiori libro diximus, non possunt existere in re vlla naturali: cum tamen solius substantiæ dici possint accidentia. *c. 13. q. 6. sect. 3.* Neque enim sunt in ea, nisi potentia quadam, quæ non potest reduci ad actum, nisi linea terminata producatur extra subiectum, vt eius termini sint puncta: & similiter superficies terminata extra corpus, vt eius terminus sit linea, qua circundetur. De superficie quoque, etsi illa in corpore existit actu, tamen idem ea ratione probari potest, quia etsi inhæret moli corporeæ, tamen non videtur inhærere ipsi substantiæ: aut enim tota inhæreret toti substantiæ, & tota cuilibet eius parti: quod aperte falsum est, cum non inhæreat partibus interioribus: aut tota toti, & partes partibus, quo pacto inhæret moles ipsa corporea: quod etiam falsum est, cum superficies, vt nunc diximus, non inhæreat partibus interioribus. Ita videtur effici, non solum nõ esse de essentia accidentium, quod substantiæ inhæreant: sed aliqua etiam esse accidentia, quæ illi inhærere non possint.

Quod autem affirmatiua pars sit vera, probatur primum ex communi illo Philosophorum pronuntiato, *Accidentis esse est inesse*: quod desumunt ex Aristotele hoc ipso capite, cum ait, accidentia non esse entia, nisi quia entis. *Tex. 2.*

Deinde, quia accidentia, cum perfecte eorum essentia declaratur, necessario definiuntur per subiectam substantiam: neq; alia ratione, nisi quia ab ea essentialiter pendent, vt per quam, & in qua habent esse, quod idem Aristoteles mox subiicit, cum ait: *Necesse est enim in cuiusq;* (nempe accidentis) *ratione esse rationem substantiæ.* *Tex. 4.*

Tertio, quia ita se habet esse in alio, siue in subiecto, ad accidens, vt se habet esse per se, siue non in subiecto, ad substantiam: cum igitur nulla potentia fieri possit, vt substantia non per se existat, sed subiecto inhæreat: (*iam enim non esset substantia*) pari ratione nulla potentia fieri potest, vt accidens non sit in subiecto, sed per se existat: iam enim non essent accidens. Hæc autem non alia de caussa vera sunt, nisi quia, vt per se existere

re vera est de essentia substantiæ; ita inhærere subiecto est de essentia accidentis.

Quarto, quia vel inhærentia in subiecto est idem omnino ex natura rei cum accidente, vel aliquid aliud: si omnino idem, ergo nō est negandum dici essentialiter de accidente; si aliud, ergo cum illud etiam debeat inesse subiecto (*neq; enim substantia esse poterit*) rursus quærendum erit, num eius inhærentia sit de eius essentia, nec ne, & sic deinceps in infinitum: quod cum admittendum non sit, dicendum potius erat à principio, inhærentiam accidentis esse de eius essentia, aut potius esse eius essentiam.

Quinto, quia si inhærentia v. g. albedinis non est idem essentialiter, quod albedo ipsa; sed aliquid superadditum albedini; ipsa quoque inhærebit albedini, vt albedo per eam inhæreat subiecto corpori: aut certe duplex inhærentia erit necessaria, vt albedo corpori inhæreat; vna, qua inhærentia ipsa inhæreat albedini; altera, qua albedo corpori: cum igitur vtrumque sit superuacaneum, si albedo per se ipsam formaliter, & non per quicquam aliud corpori inhæret, potius dicendum est, inhærentiam albedinis non esse aliud essentialiter ac formaliter ab ipsa albedine.

1. Met. cap. 7. tex. 30. Postremo accedunt ea, quæ sæpe Aristoteles ait de accidentibus, vt illud, Si accidentia vniuersalia, iuxta Platonis sententiam de ideis, essent separata à subiectis, fore, vt iam non essent accidentia, sed substantiæ: & illud, Intellectum quærentem, siue enitentem separare *1. phys. cap. 4. tex. 30.* passiones, siue affectiones à subiectis, impossibilia conari. Quod si Aristoteles sentit, intellectu etiam impossibile esse separare affectiones, siue accidentia à subiectis inhæsionis, nedum reipsa, sentit igitur inhærentiam accidentium esse de eorum essentia.

Quotuplex sit inhærentia, & de qua intelligenda sit quæstio?

SECTIO II.

DIFFICULTAS hæc distinctione inhærentiæ non difficile explicabitur; ex qua intelligetur, de qua inhærentia præsens quæstio præcipue proposita sit.

Duplex inhærētia, actualis & aptitudinalis. Inhærentia duplex est, actualis vna, altera aptitudinalis: sic enim à † Scholasticis distinguuntur. Actualis est, qua accidentia actu inhærent subiectis: aptitudinalis, qua propensa sunt ad inhærendum. Quam inhærentiæ distinctionem nullus * Philosophorum aut inuenit aut approbauit, nisi postquam fide constitit accidentia sacræ Eucharistiæ non existere in substantia, vt ante consecrationem inerant. Omnes enim, antequam mysterium

† Alens. ad hunc locum q. 3. Scot. q. 1. & in 4 d. 12. q. 1. Caiet. de ente & essent. c. 7. q. 15. & aliis.

** Hanc inhærētia distinct. Ethnicis ignotā.*

A hoc diuinitus reuelaretur, existimabant nullam esse aliam inhærentiam, nisi actualem: atque adeo implicare contradictionem accidenti ita separari posse à subiectis substantiis, quibus actu inhærent, vt separata existerent in rerum natura: proinde sic intelligebant commune illud proloquium, *Accidentis esse est inesse*, quasi apertius declaret accidentis essentiam esse ipsam eius actualem non quidem existentiam, (neque enim ignorasse videntur accidentium essentias ab eorum existentiis distingui) sed inhærentiam: alioquin B credebant fore, vt accidens non esset accidens, si videlicet sine subiecto existeret.

Sunt etiam inter Caholicos nonnulli, qui existiment, etsi quantitas separari potest à subiecta substantia cum qualitatibus, quæ in ea inhærent, ita vt post separationem cohæreāt in rerum natura, quod fit in sacra Eucharistia; tamen qualitates corporales non posse C separari à quantitate. Id quod ex eo probant, *Eorum fundam.* quia cum quantitas, vt credunt, indiuiduetur per se ipsam; (*loquuntur autem de quantitate continua permanente*) qualitates autem corporales per quantitatem; quantitas quidem si separetur à substātia, cui inerat, adhuc remanebit indiuidua, potensq; in rerum natura separatim existere diuina potestate; qualitates vero corporales si à quantitate separentur, fore, vt iam non remanerēt indiuiduæ, siue sin- D gulares, sed vniuersales: quod cum absolute etiam Dei potestate fieri nequeat, colligunt non esse concedendum, posse eas separari à quantitate aut à substantia subiecta, in qua interuentu quantitatis inhærent.

Verum hi præterquam quod non sibi con- *Falsum eos opinari, & ex falso fundamento.* stant, cum alias dicant posse albedinem existere extra substantiam, & quantitatem: non tamen vt hanc qualitatem sensibilem, (*quod etiam vix intelligi potest, nisi velint, eam* E *posse separatim existere, nec tamen eo modo existentem cerni*) falso etiam innituntur fundamento de principio indiuiduationis: nam nec quantitas indiuiduatur formaliter per se *Vide lib. 5. c. 6. quæst. 4.* ipsam, aut per substantiam subiectam; nec qualitates per quantitatem, aut substantiam, sed occasionaliter, vt ita dicam, quia recipi nō possunt vel in substantia, vel in quātitate, nisi contractæ per internas, ac proprias differentias indiuiduales; sicque intelligendus est D. *4. contra gent. cap. 64. & quodlib. 7. ar. 10.* F Thomas, quem in ea re sequi se existimant. Deniq; parum abest, quin isto modo cum Ethnicis Philosophis existiment essentiam corporalium qualitatum esse ipsam earū actualem inhærentiam, si propterea existimant eas à quantitate separari non posse, quia si separarentur, singulares non essent.

Quocirca vniuerse de omnibus acciden- *Actualē inhær. non esse de essentia accidentiū.* tibus

Ita Scotus in 4. d.12.q.2.Dur. q.1.Palud.q.2. Marſ.q.9.Capr. q.1. Ferr.4.contra gent.c.65.

† Omnia abſoluta poſſe ſeparari. c.13.q.2.ſect.3.

tibus ſentiendum eſt, eorum eſſentiam non eſſe ipſam eorum actualem inhæretiam, poſſeq; ea, quæ † abſoluta ſunt, diuina poteſtate ſeparari, ſiue à quantitate, in qua recipiuntur; ſiue à ſubſtantia, cui inhærent, ſine detrimento eorum ſingularitatis, ſi à Deo conſeruentur ſiue extenſa, totaq; in toto ſpatio, & tota in qualibet eius parte; ſiue etiã in puncto ſpatii duntaxat: ſic enim diximus lib.5. ſubſtantiam corpoream poſſe conſeruari ſine quantitate.

Quæſt. eſſe de ſola inhær. aptitudinali.

Quoniam igitur conſtat, actualem inhærentiã accidẽtium non eſſe eorum eſſentiam, aut de eorum eſſentia, cum abſoluta omnia à ſubiectis ſeiuncta conſeruari poſſint; reliquum eſt, vt quæſtio propoſita de ſola aptitudinali inhærentia intelligi debeat. Qua in controuerſia, quę inter ſolos Catholicos Doctores vertitur, (*nam & ex Hæreticis nonnulli Ethnicis Philoſophis conſentire videntur, admittentes in ſacra Euchariſtia ſimul cum Chriſti corpore ſubſtantiam panis, in qua huiuſmodi accidentia inhæreant*) nobis adiumento erunt ipſa ab Ethnicis admiſſa principia, quibus perſpectis ne ipſi quidem negarent, quæ nos contra eorum ſententiã concludemus, ſi diuinæ reuelationis lumine circa ſacræ Euchariſtiæ myſterium eſſent illuſtrati.

Quæſtionis vera explicatio.

SECTIO III.

Inhær. aptitudinal. eſſe de eſſentia accidentium negat Scot. in 4. d.12. q.1. & hoc lib.q.1.

† Prior eius ratio.

** Poſterior.*

DE ſola igitur aptitudinali inhærentia cum inter noſtros diſputetur, Scotus negatiuam partem quæſtionis tuetur, quam duabus potiſſimum rationibus probat. * Vna, quia aptitudinalis inhærentia, ſiue aptitudo ad inhærendum eſt (vt exiſtimat) proprietas accidentis conſequens eius eſſentiam, non conſtituens, vt iam retulimus. * Altera, quia talis aptitudo, ſiue ordo ad ſubſtantiam eſt relatio prædicamentalis; relatio autem non poteſt eſſe de eſſentia abſoluti: cum igitur cætera accidentium prædicamenta ponantur abſoluta fieri non poſſe colligit, vt aptitudinalis inhærentia pertineat ad eorum eſſentiam: imo vero nec ad eſſentiam ipſarum prędicamentalium relationum, quia prædicamentalis relatio, vt relatio eſt, non dicit ordinem ad ſubiectum, cui inhæret, ſed ad terminum, quem reſpicit. Scotum autem ſequuntur nõ modo eius doctrinæ alumni, ſed etiam alii quidam nullius diſciplinæ addicti, atque adeo ex ſchola D. Thomæ Paulus Soncinas credens ſe ſancti Doctoris opinionem ſequi.

Zimara theor. 3.Ant.And.hoc lib.q.1.Flandr. q.2.Sonc.q.1.

Omnino affirmandum cum Alenſ. ad hunc locum quæſt.3.

Oppoſita nihilominus ſententia nobis omnino probatur. Primum, quia modi eſſendi quibus ens reale finitum contrahitur ad ſub-

A ſtantiam, & accidens non poſſunt eſſe accidẽtia realia; iam enim ſubſtãtia contineretur ſub accidẽte, hoc eſt, vnum membrum diuiſionis ſub altero, quod fieri nequit. Non itẽ poſſunt eſſe accidentia rationis, ſeu prædicata accidẽtalia, quæ ab operatione intellectus pendeãt: ſic enim ſubſtantia, & accidens non eſſent entia realiter diſtincta, ſed ratione ſola. Nec vero poſſunt eſſe modi eſſendi puri, hoc eſt, qui nullam entitatem formaliter dicant: neque

D. Th. in 4. d. 12.q.1.art.1.q.1. Heru. quodl.4. q.9.Caiet.de ente & eſſent.c.7. q.15.Ægid.hoc lib.q.2.Ian.q.9. Iauell.q.1.Capr. in 1.d.42 q.1. ar.3.ad 1.contra 5.& 6.concluſ.

B enim hoc pacto diſtinguerentur ſubſtantia, & accidens vt entia diuerſę eſſentiæ, entitatiſuę. Nec deniq; poſſunt eſſe differentiæ, quæ aliquam entitatẽ enti adiungant, vt conſtituant ſubſtantiam, & accidens: oporteret enim eas differentias eſſe eſſentialiter ſub ente contentas, quod fieri non poſſe pluribus rationibus oſtenſum eſt lib.4. Neceſſe eſt igitur fateri, eos modos eſſendi, quibus ens reale finitum contrahitur ad ſubſtantiã, & ad accidens eſſe

c.2.q.1.ſect.4.

C modos eſſendi non puros, ſed entitatiuos, qui ſint omnino idem eſſentialiter cum ſubſtãtia, & accidente, ſoloq; noſtro imperfecto concipiendi modo apprehendãtur quaſi differentię quædam, quæ cum ente quaſi vniuoco cõſtituant ſubſtantiã, & accidens: cum re vera ens vniuocum nõ ſit; nec modi, quibus ad ea contrahitur, ſint veræ differentiæ, ſed idem penitus ex natura rei cum ſubſtãtia, & accidente, niſi velis diſtingui ab eis virtuali quadam diſ-

D tinctione, de qua ſæpe alibi locuti ſumus. Cũ igitur modus eſſendi, quo ens contrahitur ad accidens, nõ ſit ineſſe actu in ſubiecto, vt probatũ eſt, efficitur, vt ſit, poſſe natura, & eſſentia ſua ineſſe ſubiecto, quæ eſt aptitudinalis inhærentia; ac proinde neceſſe eſt fateri, aptidinalem inhærentiam eſſe de eſſentia accidentis, imo ipſam accidentis eſſentiam.

Euertitur prior Scoti ratio.

Deinde probatur eadem aſſertio hunc in modum. Si aptitudinalis inhærentia eſt pro-

E prietas accidẽtis, vt credit Scotus, aliquid peculiare eſt in accidente, ratione cuius ab eo quaſi oriatur ea proprietas, quod non ſit in ſubſtãtia: aut igitur illud eſt entitas aliqua enti cõmuni adiuncta ad conſtitutionẽ accidentis; aut ipſa ſimplex, & nullo modo compoſita accidentis natura, quã ipſe Scotus alias vocat ſimplicẽ. Cum igitur conſtet ex dictis non eſſe entitatem enti adiunctam, erit vtiq; ipſa ſimplex, accidẽtis natura per ſumma acciden-

8.Met.q.1.

F tium genera analogice diſtributa: proinde cum illa ex ſe ſit propenſa ad inhærendũ ſubiecto, ſibiq; ſufficiens ad id munus præſtandum, ſuperuacanea eſt, quæcunq; addita proprietas ad id excogitetur.

Tertio. Ita ſe habet eſſe in ſubiecto ad accidens, vt ſe habet eſſe per ſe ad ſubſtantiam: (*quod ex ſe patet, & omnes conceɑ̃t*) atqui eſ-

ſentia ſubſtantiæ non in eo poſita eſt, vt actu cohæreat ſine ſubiecto; ſed vt ex ſe ſit apta ad ſic cohærendum: ergo & eſſentia accidentis non in eo conſiſtere dicenda eſt, vt actu inhæreat ſubiecto; ſed vt ex ſe in eo inhærere poſſit.

Quarto. Si quantitas, aut qualitas, aut etiam relatio prædicamentalis per aliquid aliud, quod nõ ſit formaliter ipſorum eſſentia eſſent apta, vt inhęreãt ſubiecto, nõ eſſent vtique per ſe, & eſſentialiter accidentia: *(quemadmodum nec ſubſtantia eſſet per ſe, & eſſentialiter ſubſtantia, ſi per aliquid aliud, quod non ſit formaliter eius eſſentia, eſſet apta, vt per ſe exiſtat)* hoc autem contradictionem implicat: ergo, &c. Neque obiicias, ignem eſſe calefactiuum, & per ſe, ſuamve eſſentiã & per calorem; eodemque modo res, alias naturales & per ſuas eſſentias eſſe actiuas aliquarum operationum, & per ſuas proprietates. Primum enim alia ratio eſt de operationibus, alia de actuali inhærentia, quæ præcedit operationem accidentis: quanquam enim ad eius operationem opus eſſet alicuius proprietatis adiunctæ adminiculo; actualis tamen inhærentia in ipſa ſolius accidentis fundamentali coniunctione cum ſubiecto conſiſtit. Deinde, etſi res naturales ſunt actiuæ per ſuas eſſentias; non ſunt tamẽ per eas complete actiuæ, ſed inchoate: cum tamen accidentia omnia per ſuas eſſentias complete ſiat inhæſiua, neque aliud expectent, vt inhærere poſſint. Mitto contra Scotum, quam ſit abſurdum, relationem genus ſummum per aliam relationem ſibi ſubiectam eſſe aptam ad inhærendum: hoc enim concedat neceſſe eſt, ſi accidens, quod in ſumma accidentium genera diſtribuitur, per inhærentiam aptitudinalem tanquam per proprietatem, quæ ſit relatio prædicamentalis, eſt propenſa ad inhærendum: iſto enim modo non erit relatio genus ſummum, accidens per ſe ipſam, ſed per aliud ſe ipſa inferius: à quo enim ſecundum ſe accepto negatur proprietas, eſſentia quoq; negetur, neceſſe eſt.

Obiectio.

Solutio.

Alia ſolutio.

Euertitur ſecunda Scoti ratio.

Poſtremo accedunt argumenta pene omnia, quæ pro eadem quæſtionis parte initio propoſita ſunt, ſi modo nonnulla exponantur, quæ in eis aut diſtinctione, aut declaratione indigent: quale eſt illud primi argumenti, vt verbum [*ineſſe*] nõ intelligatur in citato proloquio de inhærẽtia actuali, ſed aptitudinali. Et eodem modo exponantur verba illa [*quia entis*] quaſi dicat Ariſtoteles *(quia vt tale eſt, aptum eſt, vt enti inſit)* hoc eſt, ſubſtantiæ. Eodem modo explicanda ſunt verba per ſe exiſtendi, & inhærendi, in tertio argumento, vt non intelligantur de actuali,

Explicantur pro hac ſentent. argumenta initio poſita pro parte affirm.

Primum.

Secundum.

Tertium.

A ſed aptitudinali modo per ſe exiſtendi, & inhærendi: quo pacto verum eſt, quemadmodum per ſe, & eſſentialiter conuenit accidenti, aptum eſſe, vt inhæreat ſubiecto; ita conuenire ſubſtantiæ, eſſe aptam, vt per ſe exiſtat. Vnde cum nulla potentia fieri poſſit, vt ſubſtantia non ſit hoc modo apta, vt per ſe exiſtat; ita nulla poteſtate fieri poteſt, vt accidens non ſit hoc modo aptum, vt ſubiecto inhæreat: alioquin nec iam ſubſtantia eſſet ſubſtantia,

Eſſe aptam, vt per ſe exiſtat, eſt eſſentia ſubſtantia.

B nec accidens eſſet accidens. Nec vero oppoſitum euenit ex parte accidentis in ſacra Euchariſtia. Nam etſi diuina poteſtate fit, vt ſacra illa accidentia non inhæreant actu in ſubiecto; non fit tamen, nec fieri vnquam poteſt, vt non ſint per ſe eſſentialiter, & formaliter apta, vt ſubiecto inhæreant.

Sed quærunt huius argumenti occaſione Scholaſtici, num quemadmodum abſoluta Dei potentia fieri poteſt, vt accidentia exi-

An diuinitus queat ſubſtan. proprie inhærere ſubiecto?

C ſtant, nec tamen ſubiecto inhæreant: ſic etiam eadem poteſtate fieri poſſit, vt ſubſtantia in rerum natura exiſtat; nec tamen actu exiſtat per ſe, ſed inhæreat ſubiecto. Ad quam queſtionem, etſi nonnulli affirmatiue reſpondent parum conſiderata proportione naturarum ſubſtantiæ, & accidentis inter ipſas, negatiue tamen reſpondendum eſt. Nam, etſi quoad eorum peculiares aptitudines eſſendi æqua eſt inter vtramque naturam proportio,

Vt Gabr. in Can. ſect. 44.

Omnino negandum.

D non tamen quoad actum eſſendi. Natura enim accidẽtis ex ſuo peculiari eſſendi modo, quo diſtinguitur à ſubſtãtia, non habet per ſe, ac neceſſario annexã affirmationem exiſtentiæ actualis in ſubiecto; alioquin nunquam poſſet exiſtere, quin ſubiecto inhæreret: ſubſtantia vero ex proprio, & peculiari modo eſſendi, quo diſtinguitur ab accidente, habet per ſe annexam vtriuſque inhærentiæ in ſubiecto negationem, & actualis ſcilicet, & aptitudinalis.

Fundamentum.

E Quandocunque enim aptitudo ad aliquem actum contradictorie repugnat rei, neceſſe eſt, vt actus quoque eodem modo illi repugnet: cum ergo talis inhærentia aptitudinalis, qualis accidenti conuenit, ſubſtantiæ repugnet, contradictionemque inducat, vt patet ex dictis, & omnes concedere coguntur; *(iam enim ſubſtantia non eſſet ſubſtantia, ſed accidens)* neceſſario efficitur, vt ei repugnet talis inhærentia actualis, qualis conuenit ac-

F cidenti; nempe vt in ſuo proprio, & peculiari eſſe à ſubiecto inhæſionis pendeat. Poterit ergo ſubſtantia improprie inhærere ſubſtantiæ, quaſi ſubiecto, vt aurum poculo inaurato, & pigmenta ſtatuæ; propria tamen inhærentia qualis accidenti conuenit, non poterit, niſi iam non ſit ſubſtantia, & quæ per ſe abſtracta ab ea ſubſtantia, cui ſic inerat, non poſſit naturaliter

turaliter cohærere in rerum natura; sed ab ea A eo modo pendeat, quo accidens pendet à subiecto, cui inest: de hac enim actuali inhærentia est quæstio.

Obiectio sumpta ex humana Christi natura.

Sed obiiciunt oppositæ partis autores, naturam humanam esse ex se independentē ab alieno supposito, & tamen absoluta Dei potestate factam esse dependentem à supposito diuino in Christo Domino: ergo eadem ratione, etsi substantia sit independens ab alia substantia, vt à subiecto inhæsionis, posse tamen B eadem potestate fieri, vt hoc modo ab ea sit dependens. Verum similitudo hæc non est ad rem.

Responsio.

Natura enim humana à Christo Domino assumpta, etsi erat ex se independens ab alieno supposito, à nullo tamen determinate sumpto erat per se, & necessario dependens, non solum alieno, sed ne proprio quidem, siue humano; siquidem humanum à diuino (*eoque solo, vt est D. Thomæ, ac communis Theologorum sententia*) suppleri poterat, C vt suppletum est: substantia vero non solum ex se, sed etiam per se, ac necessario est independens à quacunque alia substantia tanquam à subiecto inhæsionis, vt dictum est: quo fit, vt nulla potestate fieri possit, vt more accidentis ab eiusmodi subiecto pendeat.

3.p.q.3.ar.1. Caiet.ibid. Dur.in 3.d.1. q.5. Palud.q.1. ar.2 Henr. quodl.11.q.10. & aliorum.

Quartum, & quintum arg.

In quarto, & quinto argumento nulla alia explicatione opus est, nisi vt inhærentia pro aptitudinali accipiatur.

Vltimum dissoluitur.

Postremum tantum D pro nostra sententia non est, sed pro opinione Philosophorum non distinguentium inhærentiam aptitudinalem ab actuali: sic enim concludebāt fore, vt si accidentia separarentur à substantiis subiectis, plane amitterent naturam accidentium, ac proinde eorum natura transiret in naturam substantiæ, cum omne ens per se, quod in rerum natura est, vel substantia sit, vel accidens: quare cum hoc fieri nequeat, plane sequi, intellectum etiam E ipsum, qui nititur separare affectiones à subiectis, impossibilia conari: quod intellige de intellectu perfecte accidentium naturam apprehendente: si modo in ea, vt Philosophi veteres aiebant, non distinguitur aptitudinalis inhærentia ab actuali.

Solutio argumentorum partis negatiuæ.

SECTIO IV.

HINC autem incipit solutio eorum, quæ pro parte negatiua proposita erant, adhibita distinctione hac perfectæ, & imperfectæ cognitionis primo argumento. Mathematicæ enim scientię non perfecte apprehendunt naturam accidentium, de quibus agunt, cum eorum cognitionem non resoluant in principia substantiarum, à quibus illa pendent: quo eodem modo accidentia propria, quæ per demonstrationem cognoscuntur, nō perfecte ostendūtur vt talia, nisi cum per subiectorum principia de illis demonstrantur.

Perfectam accidentium cognit. resolui in principia substantiarum.

Ad secundum dicendum, vt per se existere non dicitur proprium substantiæ, nisi in ea significatione, qua proprium dici solet, quidquid cum re conuertitur, vt patet ex Topicis; ita nec subiecto inhærere est alio modo proprium accidentis.

Quo sensu existere per se, vel in alio dicatur proprium substan. vel acciden. lib.1.c.4.

Ad tertium dicendum, vtramque inhærentiam esse modum essendi quendam: actualis enim inhærentia est modus essendi purus, hoc est, nullam significans entitatem, quæ accidenti addatur, cum subiecto inhæret; aptitudinalis vero est modus essendi essentialis, siue entitatiuus, idemque ex natura rei cum accidente, solaque operatione intellectus ab eo distinctus, quasi enti adiunctus componat accidens, quod analogice in accidentia absoluta, & relatiua distinguitur. Et quāquam actualis inhærentia contingenter conuenit accidenti, vt sine qua illud in rerum natura esse potest, nec proprie est absolutum aliquid, aut relatiuum; sed suo modo relatiuum, quatenus in aliud tendit, & est fundamentum relationis inhærentiæ: tamen inhærentia aptitudinalis necessario accidenti conuenit, & est relatiuum quoddam transscendens, quod natura sua est absolutum in absolutis, & relatiuum in relatiuis prædicamenti ad aliquid, vt patet ex iis, quæ ad librum quintum dicta sunt: tametsi in commune, seu confuse sumptum, concipitur vt absolutum quid: in quo absoluto nihil vetat, quominus & absoluta accidentia, & relatiua conueniant; quemadmodum & in ente omnia & absoluta entia, & relatiua. Analogia enim & entis, & accidentis, & rationes item tum confuse, tum distincte concipiendi, in causa sunt, vt relatiua etiam, quemadmodum in ente, ita quoque in accidente confuse concipiantur. Quo pacto nihil est incommodi, quod accidentia relatiua prædicamenti ad aliquid confuse concipiantur in accidente vt absoluta, seu absolutorum more, vt etiam in ente. Nam quod absoluta accidentia & sint relatiua transcendentia, & vt relatiua concipiantur respectu subiectorum, nihil mirum F esse debet, cum ab eis essentiali ordine pendeant, quemadmodum & in ipso prædicamento substantię materia concipitur cum respectu essentiali ad formam, & forma cum essentiali etiam ad materiam.

Quid omnino sit vtraq. inhærent.

Accidentia absoluta esse relata transcend. & ita concipi.

Ad quartum negandum est, inhærentiam aptitudinalem dici eadem ratione de omnibus

bus accidentibus; tametsi id verum sit de actuali inhærentia pro relatione inhærentiæ actualis accepta, quæ per se pertinet ad prædicamentum ad aliquid.

Relationem actualis inhær. vniuoce dici de omnibus accidentibus.

Ad quintum iam patet, quid respondendum sit: recte enim concludit, inhærentiam aptitudinalem non esse purum essendi modum; tametsi actualis inhærentia, vt sumitur pro fundamento relationis inhærentiæ actualis, purus essendi, aut potius se habendi modus sit.

An punctus habeat rationem entis. c.12.q.6.sect.4.

Ad vltimum dicendum, quod ad punctum attinet, probabilius esse illum non habere rationem entis, ac proinde neque accidentis, vt superiori libro diximus; cum satis sit ad terminationem lineæ negatio vlterioris longitudinis, quemadmodum ad terminationem qualitatis gradualis negatio vlterioris intensionis. At in linea alia ratio est cum in termino superficiei non sit satis sola negatio vlterioris latitudinis, sed requiratur etiam diuisibilitas secundum longitudinem, qua diuisibilitate habet lineam veram quantitatis permanentis, verique entis rationem. Siue autem punctus, & linea sint entia, siue sola linea; neutrum tamen per causas naturales in rerum natura esse potest, nisi quoad negationes vlterioris extensionis longitudinis, vel latitudinis, quas negationes libro superiori in rebus naturalibus esse diximus, quasque solas probatiores Philosophi in mole corporea actu esse sentiunt: quod cum ita sit, non est necesse, vt hæc habeant ordinem ad vllam substantiam ex naturalibus, cum secundum se nulli earum actu inhærere possint.

Linea habet.

Neutrum potest per naturales causas existere. c.13.q.6.sect.5.

Ad nullam natural. subst. ordinem habent.

An habeant ad aliquam supra natura ordinem. Responsio.

An vero habeant ordinem ad aliquam substantiam, quæ supra ordinem naturalem produci, aut conseruari possit, quæstio est. Dicet fortasse aliquis, habere illa ordinem aptitudinalem ad substantiam sustentatricem ipsorum esse, quæcunque illa sit; quia accidentia omnia, vt accidentia sunt, suoque modo entia, egent sustentaculo sui esse: hoc autem vel est subiectum ipsorum naturale; vel Deus, quatenus supplet eius naturalem sustentandi vim, vt in sacra Eucharistia; vel etiam (*quod aliquis probabiliter forsitan existimabit*) substantia aliqua immaterialis, quæ diuina virtute id præstare possit. Verum, quia hæc substantia, siue solus Deus sit, siue alia immaterialis substantia, non erit subiectum inhæsionis, de quo nobis est dubitatio; non est, cur hæc sententia probetur.

Non facit satis.

Alia responsio.

Alii fortasse dicant, nihil id referre. Accidentia enim etsi naturaliter subiectum inhæsionis postulant, quo pacto Aristoteles illa considerauit, cum ea in suo esse ab aliqua subiecta substantia pendere docuit; tamen simpliciter, & absolute non esse dicendum, illa habere ordinem aptitudinalem ad solum subiectum, quod importat imperfectionem aliquam, sed ad sustentaculum, quod, vt tale est, imperfectionem nullam significat. Sed neque huiusmodi sententia probanda videtur. Id enim quod ad essentiam cuiusque rei pertinet, non est iudicandum ex supernaturali rerum ordine, sed ex naturali, qui cum non satis est ad esse aliquod rei conseruandũ, tum demum opus est, vt suppleatur per ordinem aliquem supernaturalem.

Hoc cap. tex. 2. & 4.

Improbatur.

Duo priores respondendi modi. Prior.

Duobus ergo modis ad hanc dubitationem responderi potest. Vno, si dicatur, reales positiuosq; terminos quantitatum, per quantitates ipsas, quas terminant, vel terminare possunt, habere ordinẽ aptitudinalem ad substantiam tanquam ad subiectum inhæsionis accidentium; etiamsi in substantia, in qua existunt ipsæ terminatæ quantitates, per se ipsos non inhæreant. Hoc autem modo habet punctus, si vlla entitas est, ordinem ad substãtiam per lineam, linea per superficiem, & superficies per corpus: atq; horum trium terminorum sola superficies est actu in mole corporea, vt in re terminata; in substantia vero, vt in subiecto, cui inhæret, & à quo sustentatur. Quod tamen ad punctum, & lineam attinet, verius videtur nec etiam per alia, seruato ordine naturæ, inhærere posse, cum nunquam naturaliter actu existant, nisi quoad negationes paulo superius explicatas.

Quod si solutio hæc non satis esse videatur, eo quod credantur assignanda esse accidentibus, quatenus accidentia sunt subiecta, in quibus aliquando per se ipsa tanquam in subiecto inhæsionis, & sustentationis esse possint; non videtur improbabile, si dicatur, punctum, & lineam (*de quibus solis est controuersia*) habere quidem ordinem terminantiũ ad lineam, & superficiem, tanquam ad ea, quę terminantur; quemadmodum & superficies habet ad molem corpoream: verum hæc omnia alium habere ordinem ad substantiam ipsam secundum se tanquam ad subiectum inhæsionis, & sustentationis; fierique posse ex parte ipsorum, (*tametsi ex parte naturalis ordinis causarum externarum id fieri nequeat*) vt hæc omnia immediate inhæreant in substantia: quo etiam pacto animæ separatæ etsi per causas naturales iterum introduci in corpora non possunt, qua de causa non dicuntur habere naturalem potẽtiam ad ea iterum informãda; habent tamẽ ad illa aptitudinalem, essentialemq; ordinem: quemadmodum & qualitates supernaturales, quæ nunquam introduci possunt per causas naturales. Quare quemadmodum moles corporea immediate

Ex se aptitudinem habere terminos quantitatis ad inhærendum immediate substantiis.

diate inhærēt materiali ſubſtātiæ actione naturalium cauſarum; ita ſi Deus nudā ſubſtantiam quantitatis capacem, ſimilariſque, ſeu homogeneę naturæ, ponat vel in puncto imaginarii ſpatii, vel in imaginaria ſpatii linea, aut ſuperficie: *(quod diuina virtute fieri poteſt)* iam hæc poterunt per ſe ipſa ſubſtantiæ huiuſmodi tanquam ſubiecto inhæſionis, & ſuſtentationis ineſſe. Itaque ex parte ipſorum non ſolum non repugnat, ſed etiam procliue eſt, vt ſubſtantiæ inhæreant, & ab ea ſuſtentationem accipiant.

Obiectio. c. 3. q. 2. ſect. 8. Neque obeſt id, quod libro quinto diximus, ſi Deus ponat aut relinquat ſubſtantiam materialem in ſpatio ſine vlla quantitate, fore, vt tota ſit in toto ſpatio, & tota in qualibet eius parte; vnde videtur fieri non poſſe, vt ea poſita in linea, aut ſuperficie imaginaria ſpatii, tota & quælibet eius pars recipiat totam lineam, aut ſuperficiem realem: quippe cum omnis quantitas continua permanēs C ita extendat ſubſtantiam ſubiectam, vt ponat quamlibet eius partem extra quamlibet aliam. Non obſtat, inquam, quia aliud eſt loqui de ſubſtantia materiali, quæ exiſtat omni quantitate priuata, aliud de ea, ſi diuina poteſtate vel producatur, vel conſeruetur cum reali puncto, aut linea, aut ſuperficie ſibi inhærente. *Diluitur.* Nam etſi hoc dato tota ſubſtantia eſſet ſub puncto tum reali, tum imaginario, totave ſub linea, aut ſuperficie & reali, & imaginaria; non eſſet tamen tota ſub qualibet parte lineæ, aut ſuperficiei; ſed tota ſub tota linea, aut ſuperficie, & eius partes ſub earum partibus. Vnde patet non improbabiliter dici poſſe etiam punctum, *(ſi entitatem habet)* & lineam habere ordinem aptitudinalem, eſſentialemque ad ſubiectum, cui ſuapte natura inhærere poſſint; tametſi non naturalem, quaſi in ordine ad cauſam aliquam efficientem naturalem, quæ illa in ſubiectum poſſit introducere. *Summa reſponſionis.*

Num ſubſtantia ſit prior ratione, cognitione, ac tempore accidente?

QVÆSTIO II.

Qua ratione ſit prior tempore?

SECTIO I.

VT tria hæc non hoc ipſo ordine, quo ab Ariſtotele aſſerta ſunt, ſed quo ſunt probata tractemus; nō deſunt argumēta, quibus ille cōuinci videatur ſecum pugnare, cum ait, ſubſtantiam eſſe priorem tempore accidente.

A Primū quia ſiue loquitur de eā tātū ſubſtātia, quæ ſubditur tempori, quales ſunt eæ duntaxat, quæ à tempore patiuntur, vt ipſe tradit lib. 4. Phyſicorum; aperte ſibi repugnat, cum hæ omnes ex vtraq; parte ſuperentur à tempore, quod eſt accidēs: ſiue loquitur vniuerſe de ſubſtantia, id etiam eius ſententiæ aduerſatur, qua ipſe octauo libro eiuſdem operis, & alibi ſæpe docuit, totam hāc rerum vniuerſitatem & ſubſtantiarum, & accidentium ab B æterno fuiſſe. *Argumen. quæ aſtruunt Ariſt. in hoc aſſerendo ſecum pugnaſſe. c. 12. tex. 117. Maxime c. 1. 2. & 3. lib. 1. de cælo, c. 3. tex. 20. & 23. 12. Met. c. 6. tex. 30.*

Deinde, quia nihil eſt prius tempore ipſo tempore; alioqui tempus *(ſine quo non datur prius, & poſterius, vt ipſe idem docet eiſdem locis)* eſſet prius ſe ipſo, quod fieri nequit: ſi ergo nihil eſt prius ipſo tempore, cum tempus ſit quoddam accidens, nulla omnino ſubſtantia erit prior tempore omni accidente. *Vt 8. Phyſ. c. 1. tex. 10. & 12. Met. tex. 2.*

Tertio, quia ſi comparat ſubſtantiam cum accidentibus, quæ in ea exiſtunt, nulla prorſus datur, quæ tempore ſua omnia accidentia anteceſſerit; ſi vero eam confert cum accidentibus aliarum, non ad rem videtur loqui, cum contra quis dicere poſſit, ſicut ſubſtantiæ quædam ſunt priores tempore aliarum accidentibus, ita quarundam accidentia eſſe aliis ſubſtantiis priora.

Quanquam igitur Ariſtoteles, ſi ei fidei lumen affulſiſſet, nullo modo hac in re ſibi re- D pugnaſſet; *(præceſſit enim infinitis temporum ſpatiis Dei Opt. Max. ſubſtantia, in qua nullum accidens eſſe poteſt, omnes alias ſubſtantias, quæ nunquam ſine accidentibus exiſtunt)* tamen vt pateat, quo in ſenſu ille, poſita mundi huius æternitate, ſubſtantiam accidentibus tempore prætulerit, animaduertendum eſt, non omnes modo eodem illum intelligendum ſenſiſſe. *Omnino verum, ſubſtantiam eſſe tempore priorem accidentibus. Quo tamen ſenſu Ariſt. id dixerit, ne ſecum pugnet.*

Auerroes exiſtimat loqui Ariſtotelem in E hac aſſertione de ſolis ſubſtantiis, quæ gignuntur, & intereunt, deq; ſolis earum accidentibus, propoſitionem autem eſſe verā ratione materię primæ, quæ ſemper eadem perſeuerat, ſuccedentibus in ea aliis, atque aliis accidentibus, quemadmodum & aliis, atque aliis formis ſubſtantialibus: quæ ſententia, vt multis non placet, ita nec probanda eſt. Primum, quia Ariſtoteles non agit hoc loco de ſubſtantia reſtricte, ſed vt complectitur o- F mnia, quæ pertinent ad primum genus entium, quod eſt prædicamentum ſubſtantiæ. Deinde, quia quam ſubſtantiam ille ait eſſe priorem tempore accidentibus, eandem aſſerit eſſe priorem cognitione, quod ratione materiæ dictum eſſe intelligi non poteſt; præſertim cum primo Phyſicorum dixerit, materiam eſſe per ſe ignotam, & cap. 5. † huius libri *Primus ſenſus. Hoc lib. com. 4. Idem videtur approbare Æg. hic q. 1. Iandun. q. 5. Sonc. q. 10. Refellitur. c. 7. tex. 69. & hoc lib. cap. 10. tex. 35. † tex. 8.*

 dicat,

dicat, materiam neque esse quid, neq; quantum, &c. quia nimirum nullum ex se habet actum siue substantiæ, siue alicuius alterius prædicamenti: quod si nullum ex se habet actum, ergo nullo modo ex se cognosci potest. Postremo, *(quod est argumentum ad hominem)* quia saltem dimensiones interminatæ, quas Auerroes ponit coæuas materiæ primæ, non sunt tempore posteriores materia. Minus dissentanea certe esset hæc explicatio sententiæ Aristotelis hoc loco, si Auerroes admitteret resolutionem substantiarum corruptibilium vsque ad materiam primam, amissa videlicet in ipsa corruptione omni quantitate præcedente.

Lib. de substant. orbis, c. 1. & 1. Phys. com. 63. & aliis locis.

Secund. sensus.

† hoc loco q. 4.

** Sonc. q. 10. lege Ferr. 2. contra gent. c. 18. & 19. §. ad euidentiã.*

† Alensis, & *(vt multi * volunt)* D. Tho. ita exponunt Aristotelem, vt velint illum intelligendum esse de substãtia, quatenus substantia est, non de qualibet substantia; quod inter substantias aliqua reperiatur, quæ, cum sit expers omnis accidentis, *(cuiusmodi re vera est solus Deus, opinione autem quorundam non recte sentientium omnes etiam alia substãtia separata)* non modo æternitate, sed infinitis etiam temporibus imaginariis omnia accidentia præcesserit. Qui sensus, etsi veram, & Catholicam sententiam continet, non cõgruit tamen Aristotelis opinioni: tum quia putauit, mundum ex æternitate fuisse; tum etiam, quia loquitur de vero, ac reali tempore, vt patet ex probatione ipsa: ex eo enim ostendit substantiam esse priorem tempore accidentibus, quia potest ab eis separari, cum tamen nullum eorum sit ab ea separabile. Nam, vt ait Alexander locum exponens, quanquam substantia nunquam sine aliis constet, tamen quoniam illa seiunguntur ab ipsa, & alia hodie in ipsa sunt, quam heri, & cras erunt diuersa, & singulis, prope dixerim, diebus euariant, dubitari non debet, quin ipsa tempore cœteris prior habeatur. Accedit, quod Aristoteles plane intelligi debet de substantia, in qua sunt ipsa accidentia, cum quibus eam comparat: quandoquidem impertinens est eam conferre cum iis, quæ in ea non existunt, cum substantia, & accidens se inuicem possint tempore præcedere, vt initio obiectum est.

Hunc sensum nõ congruere dictis Arist.

Qua omnino fuerit eius mẽs.

Dicendum igitur, missis quibusdam aliis sensibus parum verisimilibus, propositionem Aristotelicam, iuxta veram, & germanam Alexandri expositionem, sic intelligendam esse, quasi dicat Aristoteles substantiam, quęcunque illa sit, quæ accidentium capax existat *(cuiusmodi re vera sunt ea omnes, quæ in prædicamento substantiæ ponuntur)* priorem esse tempore quibusdam *(imo etiam plurimis)* suis accidentibus; cum tamen nullum

A eorum omnino eam præcedat tempore, aut possit præcedere: quo in sensu probatio est aptissima, cum dicitur posse illam separari à multis, sibi nimirum inuicem succedentibus; cum tamen eorum nullum sit, aut esse possit, sub quo alia, & alia substantia succedat. Ita patet in hac propositione comprehẽdi omnes finitas substantias, vtpote in quibus omnibus, ac solis accidentia esse possunt, etiam ex Aristotelis sententia, vt patebit lib.

B 12. Etenim non modo in materialibus, siue corruptibiles sint, siue corruptionis expertes; sed etiam in immaterialibus datur frequens accidentium successio eadem semper substantia permanente.

Quo pacto secũdus sensus sustineri possit.

Non prohibet tamen hæc expositio, quominus iuxta secundum sensum absolute impugnatum vere dicere quis possit, substãtiam accidentium capacem posse esse modo aliquo priorem tempore omnibus suis accidẽ-

C tibus, etiam inseparabilibus; nempe duabus adiectionibus. Vna est, vt id non intelligatur de substantia accidentium capaci, vt talis substantia est; sed quatenus substantia, hoc est, secundum communem substantiæ rationem. Altera, vt id non dicatur assertiue, sed per non repugnantiam, ac si aperte dicat, nulli substantiæ accidentium capaci, quatenus substantia est, repugnare sine omni accidente existere. Quod ex eo patet verum esse,

D quia si sic ei repugnaret, nulla omnino substantia esset omnis accidentis expers, quod falsum est in substantia infinita.

Atque hæc quidem omnia sic habent, nõ spectata potentia Dei absoluta, sed ordinaria duntaxat. Quod si absoluta, siue extraordinaria spectetur, non modo per non repugnantiam, sed assertiue etiam dici potest, omnem substantiam accidentium capacem, etiam quatenus talis substantia est, posse ca-

E rere omnibus accidentibus absolutis; quia extraordinaria Dei virtute & produci potest, & conseruari sine omni accidente absoluto: tametsi *(vt multis placet)* nõ sine omni respectiuo, quod sine relatione actualis dependẽtiæ à Deo nihil omnino effici, aut conseruari possit. Ita patet, qua ratione vera sit Aristotelis propositio, & quo etiam pacto secunda eius expositio ad omnia accidentia cuiusque substantiæ accommodari possit.

Quæcunq; substantia produci potest à Deo sine accidentibus absolut. non tamen sine omni respectiuo. Vide D. Thom. quodl. 7. a. 10.

F Ad primum igitur argumentum pro parte negatiua propositum dicendum est, Aristotelem propterea non sibi repugnare, quia non confert vllam substantiam cum quouis alio accidente, sed cum iis tantum, quæ in ipsa sunt; neque id quidem vniuerse cum omnibus, sed indefinite cum aliquibus: quia in comparatione dispar est ratio ex parte altera,

Ad argumenta.

cum

eum sub nullo eodem accidente succedat alia, & alia substantia.

Ad secundum dicendum, non solam æternitatem fuisse duratione priorem tempore reali, sed etiam tempus imaginarium, quod reale ab æterno præcessit: quod autem Aristoteles ait, Prius, & posterius non reperiri nisi in tempore, intelligendum esse de differentiis realibus prioris, & posterioris, quæ neque in æternitate, neque in tempore imaginario reperiuntur: argumentum vero impertinens esse, quia substantia non confertur hoc loco cum quouis accidente, sed cum iis, quæ in ea existunt, quorum alia in tempore reali aliis succedunt. Vnde patet tertii argumenti solutio.

Tertij arg. solutio patet.

Quo pacto substantia sit prior ratione, & cognitione accidentibus?

SECTIO II.

Esse priorem definitione planũ est.

ESSE autem substantiam ratione seu definitione priorem accidentibus, quod Aristoteles secundo loco probat, ex eo patet, quia in definitione cuiusque accidentis, si omnino explicita futura est, necesse est definitionem substantiæ, rationemve ponere; nõ item in definitione substantiæ definitionem vllius accidentis. Id quod Aristoteles inferius cap. quarto, & quinto luculentius ostendit.

Ratio dubitandi, an substãtia sit cognitione prior accidente.

Esse autem priorem cognitione, quod vltimo loco probat, non satis constat, quo pacto verum sit: cum potius aut videatur esse posterior; aut idem omnino esse dicere, eam esse priorem cognitione, atque definitione, vt hoc tertium membrum superuacue additum sit. Nam si sermo est de ea cognitione, quæ prior est ordine generationis; priora vtique sunt cognitione accidentia, quibus inuestigatur interior cuiusque rei substantia: si vero de ea, quæ prior est ordine perfectionis; cum perfecta cognitio cuiusque rei per definitionem habeatur, idem omnino esse videtur dicere, substantiam esse priorem definitione, atque priorem cognitione: sicque aut falsa est Aristotelis propositio, aut vnum membrum totius pronuntiati in alterum incidit.

Sunt, qui hoc loco multa dicant de cognitione confusa, & distincta, aliasque & alias distinctiones adhibeant, quæ rem faciunt implicatiorem. Sed cum effugere non possint, quo minus concedant, confusa cognitione, seu non distincta, vel explicita, priora cognitu esse accidentia ordine generationis; reliquum est, vt concedere debeant, Aristotelem intelligendũ de distincta cognitione,

A quæ est definitiua, quo pacto idẽ est substantiam esse priorem cognitione, accidentibus, atque priorem definitione, seu ratione. * Quanquam vero eorum † quidam contendant, etiam confusa cognitione prius cognosci substantiam, quam accidentia, Aristotelemque vtroque modo asserere, substantiam esse priorem cognitione accidentibus & distincta, & cõfusa, eo quod prius imprimantur in intellectu species intelligibiles

** Quidam respõdendi modus.*
† vt Sonc. q. 13. huius lib. Iauellus. q. 3.

B substantiarum, quam accidentium, per quas vtraque cognitio habeatur; non est tamen, cur eorum sententia probetur. Re enim vera, cum substantiæ in hac vita per accidentia cognoscantur, non prius imprimi possunt in intellectu species substantiarum, quam eorum accidentium, per quæ earum cognitio comparatur; sed vel simul cum illis, vel post earum impressionem aut temporis, aut naturæ ordine. Quamquam vero simul imprimantur, prior tamen generationis ordine est

Reijcitur. Prius confuse cognosci accidentia, quã substat.

C actualis cognitio accidentium, quæ nobis sunt obuia, magisque familiaria, quam substantiarum: quo pacto diximus ad librum primum, etsi per species intelligibiles adminiculo phantasmatum concipimus & naturas vniuersales, & res singulares; prius tamen generationis ordine concipi ea singularia, quorum interuentu vniuersalium species acquirimus, quam ipsa vniuersalia.

c. 2. q. 3. sect. 7.

D Alii volunt Aristotelem sic esse intelligendum, vt cum ait, substantiam esse priorẽ cognitione accidentibus, accipiatur nomen substantiæ pro essentia, & nomen prioris pro perfectioris, quasi dicat, perfectiorẽ esse cognitionem, qua quæque res (*siue illa substantia, siue accidens*) cognoscitur per suam essentiam, quam qua cognoscitur per ea, quę illi accidunt. Sed expositio hęc etsi re ipsa veram sententiam continet: non congruit tamen cum instituto Aristotelis; tum quia Aristoteles eam substantiam probat esse priorẽ cognitione accidentibus, quam probauerat esse priorem tempore: quam plane constat esse substantiam, vt distinguitur ab accidentibus; non essentiam cuiusq; entis, vt distinguitur ab iis, quæ illi accidunt: tum etiam, quia institutum eius non erat agere de substantia pro essentia, entitateue cuiusque entis, sed primi generis entium, quod est substantia, vt distinguitur ab aliis prædicamentis, quod ex totius capitis progressu intelligitur: tum denique, quia vt ille probet substantiam in ea significatione, qua distinguitur ab accidentium prædicamentis, esse priorem cognitione, vtitur similitudine quadam proportionali ex accidentib. quæ mox explicabitur.

Alius modus respondendi.

Non congruit Arist. instituto.

E F

Quid plane dicendum cum Alex. hic q. 5. Sent. q. 3. Ant. And. q. 4.

Substantia est prior cognit. id est, ad cognoscendum illustrior accid.

Dicendum igitur, Aristotelem, postquam probauit substantiam esse priorem definitione accidentibus, in eo sensu probare illam esse priorem cognitione, quia est natura ad cognoscendum illustrior; etiamsi nobis minus sit nota ob imperfectum nostræ cognitionis modũ, quo ab exterioribus ad intima rerum penetralia ingredimur: quo pacto dixerat initio † libri primi Physicorum, nõ eadẽ esse nobis, atq; simpliciter, seu natura nota. Quod æque verum est de cognitione cõfusa, seu simplicis conceptus, atq; de distincta, seu definitiua. Vtroque enim modo substantia ex se notior est, & illustrior, quam accidens vllum; tametsi accidens sit nobis imperfecte cognoscentibus euidentius, quam substantia, si non cognitione omnino distincta, & explicata, quæ pendet ex cognitione substantiæ, certe confusa, & simplici.

† c. 1. tex. 2.

Probatio tradita resolut.

Probatio autem huius rei ducitur ex ipsa substantiæ perfectione, quatenus cum accidentibus confertur. Nam cum actus, & perfectio idem sint, omnes autem res per actum cognoscantur, vt Arist. lib. 9. docet, & omnes Philosophi asserunt; substantia vero, cum per se existat, perfectior sit, quam quælibet accidentia, cum hæc essentiali ordine à substantia pendeant, vt ex dictis patet; efficitur, vt substãtia prior, & illustrior cognitu sit, quam vlla accidentia. Quod intellige dictum de substantia actuali, (*vt patet ex ipsa probatione*) non de pure potentiali, quæ est sola materia prima. Huc autẽ tendit Aristotelis probatio. Ex eo enim rem ostendit, quem primæ substantiæ melius, seu perfectius intelliguntur, cum cognoscuntur earum prædicata quiditatiua, siue essentialia, quam cum accidentalia duntaxat; quod etiam similitudine singularium accidentium, quæ nobis notiora sunt, confirmat. Recte enim sequitur, si prædicata quiditatiua primarum substantiarum sunt priora cognitu naturę, ac perfectionis ordine, quã accidentaria, quæ ad cætera prædicamenta pertinent; cum etiam ipsæ primæ substantiæ sint naturæ, ac perfectionis ordine priores cognitu, quam accidentia singularia, quæ sensibus patent, & per quæ ad ipsas particulares naturas accidentium ingredimur; non dubium, quin naturæ communes substantiarum, de quibus & Aristoteles, & cæteri Philosophi per se ac directo agũt, sint naturæ, ac perfectionis ordine priores cognitu, q̃ quælibet accidentia. Hæc aũt tota ꝓbatio perfectioni substãtiæ actualis innititur; q̃ vt natura sua nõ pendet ab accidẽtibus, vt sit; ita neq; vt cognoscatur: tametsi apud nos à posteriori cognoscatur per accidẽtia quodam quasi manuductionis ordine.

7. tex. 20.

q. superiori, sect. 3.

Non hoc intelligi de materia prima.

Aliqua videri accidentia natura sua qualibet substantia creata, aut creabili perfectiora.

Sectio III.

Opponere se tamen huic sententiæ videntur accidentia quædam, quæ vt supernaturalia, & ordinis diuini dicuntur; (*qualia sunt lumen gloriæ, gratia, charitas, & alia qualitates supernaturales*) ita volunt pręferri perfectione sua omnibus substãtiis tum creatis, tum quæ creari possunt: quod si obtinent, perspicuum videtur, ea esse naturæ, ac perfectionis ordine cognitu priora.

Rationes adhuc probandum.

Esse autem illa qualibet creabili substantia perfectiora, ex eo primum probatur, quia tota rerum natura infra Deum ordinatur ad illa supernaturalia dona, cum propter illa & Angelis, & hominibus communicanda sit facta: neque is ordo est præposterus, aut voluntarius, sed spectata inferiori conditione naturæ, & illorum donorum sublimitate à Deo constitutus: nomine autem totius naturæ non dubium est, quin comprehendantur omnes substantiæ creatæ, ac creabiles.

Deinde, quia accidentia illa diuini ordinis pertinent ad ordinem gratiæ: substantiæ vero omnes creatæ, ac creabiles pertinent ad ordinem naturæ, cum eorum existentia naturaliter cognosci possit: at Theologi omnes pręferunt ordinem gratiæ toti naturæ ordini.

Postremo, quia substantiæ omnes infra Deum fiunt per creationem, aut generationẽ: dona autem illa excellentiori quadam communicatione diuinæ naturæ, quod D. Petrus his verbis significat, *Maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ*: longe enim præstantior est similitudo gratię, quam cum Deo habent iusti, quam quæ cum eo omnibus hominibus intercedit naturæ.

2. Petri c. 1.

Modus quidam expediendi difficultatem.

Dicat aliquis, hæc dona supernaturalia, cum sint qualitates quędam, esse quidem excellentiora substantiis omnibus tum creatis, tum creabilibus, si spectentur secundum earum specificas differentias: non item si spectentur secundum communem rationem accidentium, aut qualitatum, quo tamen pacto de accidentibus hoc capite loquitur Aristoteles: proinde nullam hac in re esse contradictionem. Verũ hæc conciliatio non est admittenda. Accidentia enim conferuntur hoc loco ab Aristotele cum iis ipsis substantiis, quibus inhærent, vt cum veris, ac proprie dictis subiectis inhæsionis, at accidentia supernaturalia, etiã secundum proprias differentias specificas, pendeant in suo esse ab huius-

modi

modi veris, & proprie dictis subiectis, cũ vere, ac proprie inhæreant formis immaterialibus, vel per se omnino subsistentib. vel informantib. quo fit, vt non sint consideranda hoc loco, quatenus ex sola communi accidentiũ, aut qualitatum ratione pendent à substantiis sed etiam ex propriis, & peculiarib. differentiis, etiamsi sint supernaturalis ordinis, neq; ipsæ eorum specificæ differentiæ à Philosophis tractentur: satis enim est, quod accidentium natura in toto suo genere à substantiis essentiali ordine tanquam à subiectis inhæsionis pendeat.

Alius modus.

Dicat fortasse alius, has supernaturales qualitates esse quidem perfectiora entia, quã sint quælibet creatæ substantiæ: posse tamen alias substantias creari adeo excellentis naturæ, vt vel ipsæ eminenter contineant huiusmodi qualitatum perfectionem, vel eas sibi naturaliter vendicent. Hoc enim modo adhuc eas perfectione propria, & essentiali superabunt: quo pacto entia naturalia perfectione sua essentiali superant omnes qualitates, quas ex natura sua sibi vendicant.

Astruitur prior pars.

Quod autem prior modus sit possibilis, videtur probari posse in lumine gloriæ, ex quo ad cæteras huiusmodi qualitates poterit probatio aptari. Nam cum intellectus beati simul cum lumine gloriæ, quo iuuatur ad eliciendum actum visionis diuinæ, habeat certam, & limitatam virtutem ad intelligendũ: Deus autem quacunque data virtute possit efficere perfectiorem in infinitum: fit, vt in creandis intellectibus perfectioribus, quam sit intellectus certi cuiusdam beati simul acceptus cum suo lumine gloriæ, peruenire possit ad intellectum adeo perfectæ naturæ, vt ipse secundum se, & naturali sua virtute intelligendi superet virtutem totius illius coniuncti ex intellectu illius beati, & luminis gloriæ, quo affectus est.

Astruitur posterior.

Quod item posterior modus nil repugnet dari, hoc argumento ostendi videtur, quia omnis accidentalis forma, quæ est supra naturam vnius rei, est naturalis alteri: id quod & inductione in reb. naturalib. & ratione patet. Inductione, quia motus circularis, qui est supra naturam ignis, est naturalis cœlo: & lux, quæ est supra naturam aeris, est naturalis solari corpori, & sic in cæteris. Ratione autem, quia omnis accidentalis forma videtur habere aptitudinalem, essentialemque ordinem ad certum subiectum inhæsionis: alioqui non esset etiam ipsa certę, & determinatæ naturæ. Cum igitur quælibet qualitas supernaturalis sit forma vere accidentalis, efficitur, vt quanquam sit supernaturalis respectu substantiarum intellectualium, quæ conditæ à Deo sunt, possint tamẽ

A aliæ excellentioris naturæ creari, cui illa sit naturalis: sicq; nihil pugnat cum Aristotelis doctrina hoc loco tradita excellentia supernaturalium qualitatum supra eas substãtias, quæ hactenus productæ sunt, cum aliis, quæ produci possunt, naturaliter conuenire hoc pacto valeant.

Non dari posse creaturam, quæ naturaliter videat Dei essentiam.

Sed nec conciliatio hæc recipienda est, tũ quia pugnat cum scriptura sacra, cõmuniq; Patrum, & Scholasticorũ doctrina, dari posse creaturam, quæ luminis glorię qualitatem
B eminenter continens in se videat naturaliter Dei essentiam, aut cum Deo consortium ad tantam communicationem ineat: tum etiam quia nulla vis est in argumentis, quibus id fieri posse probatum est.

Probatur ex scriptura sacra ex Patrib. & Scholast.

Id quod plane constat ex priori epistola Pauli ad Timotheum capite sexto, vbi ille de Deo sic ait: *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem, quem nul-*
C *lus hominum vidit, sed nec videre potest.* Hoc enim perspicue constat intelligendum esse de visione diuinæ essentiæ ex solis viribus naturæ creatæ, aut quæ creari possit, vt Patres omnes, & ferme omnes Scholastici exponunt: cum † ipsa etiam diuina scriptura sæpe clamet gloriam illam diuinæ visionis sine Dei gratia speciali obtineri non posse. Ineptum autem esset, nedum falsum, excipere eo loco substantias intellectuales perfe-
D ctiores, quas Deus creare potest, cum Paulus tanquam re vera proprium Dei pronuntiet, cum solum esse immortalem, & inuisibilem, solumque eum inhabitare lucem inaccessibilem, per vires scilicet naturæ creatæ: siue intellectualis creatura sumatur sine lumine gloriæ, siue cum eo naturaliter sibi debito, atque coniuncto: vtroque enim modo iam Dei essentia non esset simpliciter, & absolute inuisibilis ab alio intellectu, si ab
E aliqua creabili substantia intellectuali naturaliter videri posset. Quod adeo impossibile iudicat Dionysius 1. cap. de diuinis nominibus, vt dicat, *Quemadmodum res corporea, incorpoream videre non potest, ita nec creatura Deum,* tametsi in hoc est discrimen: quod supernaturali auxilio etsi sensus corporeus non potest videre rem incorpoream: tamen intellectus creatus potest videre Dei essentiam. Itaque de sententia scripturæ
F sacræ, Patrumque † omnium, & fere Scholasticorum (quos vtrosque longum esset referre) dubitari non potest, quin existiment Dei essentiam esse naturaliter inuisibilem cuilibet intellectui, seu creato, seu creabili, vtrouis modo ea visio naturalis illi esse fingatur, siue, inquam per solas vires ipsius intellectus, siue per hoc, quod lumen gloriæ ei sit naturale.

Aug. in psal. 118 concione 6. Beda, Ans. D. Th. Petrus Lombar. Caiet. & alij ad eund. locum Pauli.

† Ps. 35. & 83. Esaias c. 64. ad Rom. 6.

† Lege Aug. Epist. 111. & 112. Greg. 18 moral. c. 28. Ambr. in c. 1. Luca, Epiphan. hæresi 70. Chrys. homiliis de incomprehẽs. Dei natura D. Th. 1. p. q. 12. ar. 4. Henr. quodl. 4. q. 9. Scot. in 4 d. 49. q. 11. Richar. a. 2. q. 6.

Ratio-

Ratio ex Patrib.

A Rationem autem, cur ita res habeat, Patres quidem ex infinitate diuinæ naturæ ducere videntur, cum aiunt, repugnare creaturæ, vt natura sua increatam perspicue videat: quod de comprehensiua quidem visione non est dubium: sed de participata, cuiusmodi est ea, qua fruuntur beati, cur id fieri nequeat, non satis liquet, cum sit finita, & cuius capax videri potest creatus intellectus.

Non adæquata.

Alia ex D. Th. 1.p.q.12.a.5.

B D. Thomas hac ratione vtitur, quia cum ad eam visionem oporteat Deum coniungi intellectui creato per modum speciei intelligibilis: (*neque enim putat vllam speciem creatam posse diuinam essentiam, vt illa in se est, repræsentare*) quemadmodum Deus non est naturaliter forma intelligibilis vllius intellectus creati, vt ex D. Paulo constitit: ita nec lumen gloriæ, quod est vltima dispositio ad illam, potest ei esse naturale, vel in ipsa eius natura eminenter contentum. Naturalis enim forma, & vltima dispositio ad illam etsi valde C distent quoad proprias, & peculiares naturas: (*veluti forma ignis, & vltima dispositio ad formam ignis*) tamen sunt eiusdem ordinis quoad connaturalitatem, vt cuicunque rei altera est naturalis, alteram quoque eidem esse naturalem necesse sit: quo pacto exponit D. Thomam Caietanus ad quæstionem 12. primæ partis art. 5. Ita fit, vt nulla intellectualis creatura possit essentiam Dei videre, nisi D supra naturam suam eleuetur à Deo per gratiam, infuso videlicet eius intellectui lumine gloriæ: aut certe absoluta Dei potestate suppleto, vt ei diuina essentia per modum formæ intelligibilis coniungi possit. Atque hæc est causa, ob quam initio huius operis cum eodem sancto Doctore diximus, non esse in nobis naturalem potentiam, sed aptitudinalem ad Dei essentiam, vt ipsa in se est, videndam.

Ead. q. art. 2.

Cur lumen gloriæ nulli possit esse creaturæ naturale.

Forma, & vltima ad eam dispositio semper sunt eiusd. ordinis.

lib. 1. c. q. 2. sect. 2.

E Communis vero schola ea ratione probat fieri non posse, vt creabilis vlla substantia intellectualis per se, ac natura sua essentiam Dei videat: quia ex eo sequetur fore, vt illa per se, & natura sua sit impeccabilis: quod tamen proprium est solius diuinæ naturæ. Sequela hac ratione probatur, quia ea sola voluntas peccare potest, quæ relicto summo, & vniuersali bono aliquod particulare aut verum, aut apparens bonum eligere potest: at F nulla voluntas: quæ summũ bonum clare cõspectum possideat, qualis est voluntas cuiuscunque beati, potest bonum aliud, aut apparens bonum peccando eligere, vt perspicuum est. Quod autem solus Deus sit natura sua impeccabilis, ita vt nulla substantia intellectualis creari possit, quæ natura sua peccare

Cummunis ratio, quod iam creatura ex se esset impeccabilis.

Solum Deũ esse natura sua impeccabilem.

non possit, cum Patres omnes, tum vero Scholastici fere omnes, vno videlicet excepto, quod sciam, † Gabriele, communi quasi ore affirmant, ea ratione ducti, quod sola ea voluntas peccare nequit, seu deflectere à recte rationis regula, quæ sibi ipsi est regula omnium suarum actionum: quam quidem solam diuinam esse voluntatem, nemo est, qui ambigat. Omnis enim alia voluntas pendet à prima voluntate, tanquam à prima omnis voluntatis regula, à qua per libertatem propriam potest deflectere, si nondum summi boni possessione fruatur. Quod idem Patres omnes ex eodem loco Pauli confirmant, intelligentes nomine immortalitatis, quam ille propriam facit solius diuinæ naturę, omnimodam immutabilitatem: cum enim omnis voluntas, quæ peccare potest, mutabilis sit, vt quæ deflectere possit à rectæ actionis regula: si solus Deus natura sua est omnino immutabilis, solus idem est natura impeccabilis. Iam si omnis intellectiua substantia creabilis natura sua peccabilis est: nulla vtique potest esse diuini seu supernaturalis ordinis. † Lege August. Hieronymum, Gregorium, Damascenum, Anselmũ, & complures Patres alios vel in propriis scriptis, vel apud Scholasticos: à quibus citantur: omnes enim asserunt, quemadmodum solus Deus increatus est, & immutabilis, suaq; natura beatus ita in eum solum natura sua peccatum cadere non posse: neq; alia de causa ab eo fieri non posse vel Angelum, vel aliam intellectualem naturam impeccabilẽ, nisi quia alium Deum facere non potest, solaq; gratia sua potest voluntatem creatam in eo statu constituere, vt nullo iam modo possit obnoxia esse peccato.

D. Th. 1. p. q. 63. a. 1. in 2. d. 23. q. 1. a. 1. de Verit. q. 24. ar. 7. & 3. contra Gent. c. 109. Scot. in 2. d. 23. q. vnic. Dur. q. 1. Richar. ar. 1. q. 1. Capr. d. 22. q. vnica. ar. 1. † in 2. d. 25. q. vnica. Ratio. Ex script. & Patrib.

† Aug. lib. 3. cõtra Maxim. c. 12. & epist. 28. Hieron. dialog. 2. contra Pelag. c. 3. & vlt. Gregor. 12. Moral. c. 17. & lib. 25. c. 4 Damasc. lib. 2. fidei c. 3. Ans. Cur Deus homo lib. 2. c. 10. & in citatum locum Pauli, Ambr. lib 3. de fide ad Gratian. c. 2. Nazianz. oratione 4. contra Iulian. Bernard. in Cant. serm. 81.

Obiicit tamen Gabriel hunc in modum. Si Deus faciat voluntatem eo modo addictã ad sequendum intellectum diuinæ voluntati conformem, quo appetitus sensitiuus sequitur sensum; iam ea voluntas peccare non poterit; id autem fieri nihil repugnat; non igitur impossibile est fieri à Deo voluntatem aliquã natura sua impeccabilem. Deinde nihil repugnat fieri à Deo intellectum, qui solum iudicare possit de vtilibus, & iucundis, ita vt nihil de iustis, seu honestis iudicare possit; at voluntas: quæ illum sequetur, peccare non poterit, cum peccatum omne sit contra honestatem; potest igitur fieri, vt detur voluntas creata, quæ natura sua sit impeccabilis.

Hæc sunt ex multis præcipua Gabrielis argumenta. Sed nihil efficiunt. Non prius, quia aliud est, voluntatem posse fieri omnino conformem primæ agendi regulę per gratiam, quod concedimus: *siquidem gratia non destruit*

Soluitur prius.

Non posse volũtatem per naturam conformem esse primæ agendi regulæ.

destruit naturam) aliud per naturam, quod negamus, si non alio modo conformis fieri potest primæ agendi regulæ, quam quo appetitus sensitiuus est conformis sensui: hæc enim conformitas, cum sit sine vlla indifferentia ad opposita, sed potius cum omnimoda determinatione ad id, quod sensus iudicat, omnem libertatem voluntati adimeret; sicque voluntas hoc pacto primæ agendi regulæ conformata, non esset voluntas. Non posterius, quia intellectus, qui de honestis iudicare non poterit, intellectus non erit. Neque enim intellectus esse potest, qui rationẽ rerum non percipiat: forma autem honestatis, seu virtutis tota posita est in ratione sequenda: vnde & prudentia, quæ est virtutum norma, nihil est aliud, quam recta agendorum ratio, vt Philosophi eam definiunt. Adde, quod bruta etiam animalia vtilia sibi, & iucunda, seu delectabilia sentiunt, & in eis sentiendis sæpe hominibus antecellunt; sunt tamen irrationalia, quia solum ea sentiunt apprehendendo, & iudicando ex naturæ instinctu; non vero rationes mediorum, & finiũ percipiendo, & alia ad alia, quatenus ad illa conducunt, aut non conducunt, referendo; vt ea de causa alia sequantur, alia fugiant. Quare si intellectus illi creaturarum intellectualium impeccabilium per naturam, quę à Deo creari posse finguntur, illo priori modo de vtilibus, & iucundis iudicent, non in potentiis rationalibus, sed irrationalibus, quemadmodum & sensus, numerandi erunt sin autem posteriori modo, nihil iam ibi deest ad percipiendam veram, & germanam honestatis formam: vt iam voluntas, quæ intellectum recte iudicantem sequatur, laude digna sit; quæ vero reiiciat, vituperatione. Propriam igitur vocem (*vt dicitur*) ignorant, qui contendunt, voluntatem, quæ sibi prima agendi regula non est, posse esse natura impeccabilem.

Posterius. Intellectus, si de honestis iudicare non potest, nõ est intell.

Arist. 6. eth. c. 5. & D. Th. 22. q. 47. art. 5.

Etsi accidentia diuini ordinis nulli substantiæ possunt esse naturalia, non esse tamen ea omnibus substantiis, quæ creari possunt, perfectiora.

SECTIO IV.

DVABVS igitur conclusionibus ad ea, quæ de iis accidentibus obiecta sunt, respondendum est. Prior sit, huiusmodi accidentia, de quibus est quæstio, nulli substantię creatæ, aut creabili posse esse [illegible]uralia, [illegible] lumen gloriæ, de quo in specie disputat[illegible] est: siue quoduis aliud, quod proportione[illegible] cum illo habeat, ad illudq; dirigatur, veluti lumẽ fidei, spes Theologica, gratia, charitas, & alia Spiritus sancti dona. Quod enim in lumine gloriæ probatum est, id ad cœtera pari ratione accommodari potest. Quodcunque enim ex aliis naturale esset lumen quoq; gloriæ naturale esse argueret, quippe ex quo necessario colligeretur in ea natura esse naturalem appetitum ad visionem diuinæ essentiæ, potentiamq; naturalẽ ad eum actum, ac proinde ad lumen gloriæ, sine quo diuina essentia ab intellectu creato videri non potest.

1. concl.

Argumenta vero, quæ contendebant, dari posse substantiam intellectualem non ex iis, quæ createę sũt, sed ex iis, quæ creari possunt, cui naturale sit lumen gloriæ, atque adeo cõnaturalis etiam ipsa visio essentiæ diuinæ, facile diluuntur. Ad illud enim, quo prior modus suadebatur, dicendum est, etsi Deus quocunque dato lumine gloriæ potest efficere aliud maius, & quacunque coniunctione ex certo lumine gloriæ, & intellectu, cui illud insit, potest facere aliam coniunctionem perfectiorem: tamen effici non posse, vt intellectus vllus creatus, quantumcunque perfectus, si modo sit lumine gloriæ destitutus, adæquet proportionem eius coniunctionis, quæ fiat ex quocunque inferiori intellectu, & lumine gloriæ: semper enim is nudus intellectus remanebit in inferiori ordine respectu intellectus cum lumine gloriæ coniuncti: vnde nihil mirum erit, si essentiam diuinam videre nequeat. Quo eodem pacto nunquam creatus intellectus nudatus omni specie intelligibili, quantumcunque perfectus sit, adæquabit proportionem cuiuscunque imperfectioris intellectus, cum quauis specie intelligibili simul sumpti in ordine ad eius operationem, vt intelligere possit solus ipse per se, quod imperfectior intellectus simul cum specie intelligibili potest intelligere. Itaque intellectus creatus sine lumine gloriæ semper erit in sola potentia obedientiali, & remota ad visionem beatificam: cum tamen quisquis illo affectus est, iam sit in potentia naturali (hoc est, non excedente vim, ac proportionem totius aggregati ex intellectu creato, & lumine) & proxima ad illam, atque adeo in actu eius visionis: quia semper is actus cum ea potentia coniunctus est, quod non cernimus in intellectu specie intelligibili affecto, in quo potentia, & habitus sæpe non eliciunt actum.

Ad argumenta, quibus suaderi videbatur posse creari substantiam, quæ eminenter contineat perfectionem qualitatum supernaturalium.

Ad illud autem, quo suadebatur modus posterior negandum est, omnem formam, quæ est supra naturam vnius rei, esse naturalem alteri. Quanquam enim id detur in formis naturalibus: (*tametsi ne in his quidem omnibus id est certum*) nihil tamen cogit, vt id

Nullam creari posse substantiã, cui connaturalis sit forma aliqua supernaturalis.

vt id vniuersè confiteri sit necesse. Quod autem obiicitur de ordine aptitudinali, & essentiali, hunc in modum dissoluitur, essentialem ordinem accidentium ad subiectum inhæsionis non efficere, vt ea sint illis naturalia. Ea enim sola accidentia sunt alicui subiecto naturalia, quæ ab eo quasi oriuntur, aut ad eius conseruationem, propriamue operationem sunt necessaria. Hac enim de causa dicimus potentias esse naturales iis subiectis, quorum naturas consequuntur: & dispositiones accidentarias iis, quorum formæ earum interuentu introducuntur, & cõseruantur: speciesq; sensibiles sensibus, & intelligibiles intellectui, quod ad sentiendum, & intelligendum sint necessariæ: neq; alia reperitur naturalitatis ratio. Satis autem patet accidentia, de quibus est sermo, nullo ex his modis fore vnquam naturalia vlli substantiæ creabili: alioqui sine illis minus perfecta esset quam quæ creatæ sunt, quibus cõstat ea non esse necessaria, neque vt sint, neq; vt proprias operationes exerceant. Hoc ergo solum efficit essentialis eorum ordo ad subiectum, cui inhærent, vt sine eo naturaliter existere non possint. Cum autem obiicitur, [Habent certam, & determinatam naturam: ergo & certum, & determinatum subiectum] libenter id damus: sed tamen inde non colligitur, esse ea naturalia talibus subiectis, sed sine illis naturaliter, hoc est, sine miraculo cohærere in rerum natura non posse.

Quæ accidentia ... naturalia subiectis.

2. concl.

Posterior conclusio sit. Quanquam huiusmodi accidentia nulli substantiæ possint esse naturalia, sed semper erunt supra eorum naturam: non tamen propterea credendum est esse ea perfectiora in ratione essendi iis substantiis, quibus inhærebunt, vt naturæ, ac perfectionis essendi ordine dici possint iuxta traditam expositionem illis cognitu priora. Hæc conclusio ex eo primum patet, quia totum genus substantiarum prædicamentalium est perfectius in ratione essendi, & eo pacto illustrius, & nobilius quolibet alio toto genere, vt est cõmunis omnium sententia, imo & omnibus simul: quo fit, vt nobilissimum in genere substantiæ sit nobilius nobilissimo in quolibet alio, & in omnibus simul, iuxta regulas tertii lib. Topicorũ. Aut ergo huiusmodi accidentia sunt in ratione essendi minus perfecta, quam quæuis substantia creata, vel creabilis, quod volumus: aut sunt extra omnia prædicamentorum genera: quod merito negant Theologi. Deinde, quia accidentia quantumcunq; nobilia sint, & moraliter, vt dici solet, magni æstimentur, tamen omnia in suo esse pendent ex suis subiectis, vt ait Aristoteles, non item subiecta ab illis in suo. Deinde, quia hæc, de quibus est quæstio, sunt propter sua subiecta, tanquã propter suos fines, non subiecta propter illa, Beatitudo enim formalis, siue inhærens propter beatos est, non beati propter illam: tametsi & beati: & eorum formalis beatitudo sit propter beatitudinem obiectiuam, quæ est ipse Deus Opt. Max. Cum autem Aristoteles 2. de Cœlo ait, vnamquamque rem (*subaudi, quæ propter aliquid est*) esse propter suam operationem, alibi exponimus, sic intelligendum esse, quasi dicat [*propter se operantem*] vt enim quæque res creata in perfectiori statu est, cum propriam operationem exercet, quam cum ea caret: ita absolute sumpta semper dirigitur ad se ipsam operantem tanquam ad suum finem: quanquam ipsa operatio secundum se sumpta ad rem ipsam perficiendam dirigatur. Nam quod 2. Physicorum Aristoteles scribit, esse nos aliarum rerum, quæ sunt infra nos, quodam modo fines, (id est, alio quodam modo fines, quo ipsæ sunt fines nostri) veluti diuitiarum, honorum, & cæterarum rerum, quarum consequendarum gratia laboramus, (*vt etiam loco alio iuxta diuisionem finium ab eodem 2. de Anima traditam explicauimus*) de actionibus etiam ipsis internis intelligendum est, vt nos simus propter illas exercendas, & illæ sint propter nos perficiendos, seu potius propter nos perfectos: perfectius est enim compositum ex operatione, & operante, imo & ipsum operatiuum subiectum, ad quod operatio dirigitur, quam ipsa operatio secundum se. Ita patet, perfectiores esse substantias intellectuales & in suo esse, & in ratione finium, quam accidentia supernaturalia, seu diuini ordinis, quibus illæ euehuntur ad supernaturalem, ac diuini ordinis, statum, sublimiorum videlicet actionum. Vnde fit, vt merito dicat D. Thomas 1. 2. quæst. 110. art. 2. gratiam esse nobiliorem, quam naturam animæ, in quantum est expressio, vel participatio diuinæ bonitatis, (*tãetsi imperfecta*) non autem quantum ad modum essendi, entitatiuum intellige, siue essentialem.

c. 2. reg. 34.

hoc c. tex. 2. & 4.

Accidentia supernaturalia sunt propter subiecta, quæ perficiunt, tanquã propter fines.

c. 3. tex 17. Exponitur dictum Arist. vnamquanq; rem esse propter suam operationem.

c. 2. tex. 24.

lib. 3. c. 2. q. 10 sect. 1.

c. 4. tex. 37.

Ad argumenta vero illa, quę pro parte opposita obiecta sunt, facile occurri potest, si ad primum dicatur, totam rerum naturam infra dona gratiæ comprehensam ordinari á Deo non ad sola ipsa gratiæ dona, sed ad naturam perfectam, & absolutam per dona gratiæ idq; optimo, & congruo perfectionis ordine; vt ex dictis patet. Eodemq; modo respondendum ad secundum: ordo nanque rerum donis gratiæ perfectarum præferendus est ordini naturæ puræ.

Ad argumenta initio superioris sect. proposita.

Ad

Ad tertium dicendum, excellentiorem esse quidem communicationem similitudinis diuinæ in esse gratiæ, quam in esse naturæ: est enim quædam suo modo diuina generatio: sed tamen eam communicationem, & generationem in consortium diuinæ naturæ non terminari proprie ad ipsa dona gratiæ, sed ad subiecta grata, & iis donis perfecta: & quemadmodum in naturalibus formæ sunt propter composita, non composita, propter formas: sic in illa suo modo diuina generatione accidere: nisi quod in naturalibus forma substantialis non est propter subiectum, quia illud est pura potentia, sed subiectum propter formam: in supernaturalibus autem dona illa sunt propter subiecta, quibus donantur, & quibus ab æterno præparata sunt: tametsi cum donis naturalibus collata multo eis sint præstantiora.

ΚΕΦ. β.

Δοκεῖ δ' ἡ οὐσία ὑπάρχειν φανερώτατα μὲν τοῖς σώμασι: διὸ τά τε ζῷα, καὶ τὰ φυτὰ, καὶ τὰ μόρια αὐτῶν, οὐσίας εἶναί φαμεν: καὶ τὰ φυσικὰ σώματα; οἷον, πῦρ, καὶ ὕδωρ, καὶ γῆν, καὶ b τῶν τοιούτων ἕκαστον: καὶ ὅσα ἢ μόρια τούτων, ἢ ἐκ τούτων ἐστὶν, ἢ c μορίων, ἢ πάντων, οἷον, ὅ τε οὐρανὸς, d καὶ τὰ μόρια αὐτοῦ, ἄστρα, καὶ σελήνη, καὶ ἥλιος. πότερον δὲ αὗται μόναι οὐσίαι εἰσὶν, ἢ e καὶ ἄλλαι; ἢ f τούτων μὲν οὐδὲν; ἕτεραι δέ τινες, σκεπτέον, δοκεῖ δέ τισι τὰ τοῦ σώματος πέρατα, οἷον ἐπιφάνεια καὶ γραμμὴ καὶ στιγμὴ καὶ μονάς, εἶναι οὐσίαι, καὶ μᾶλλον ἢ τὸ σῶμα καὶ τὸ

CAPVT II.

Videtvr a autem substantia manifestissime quidē inesse corporib. quapropter animalia, & plantas, partesq; eorū substantias esse dicimus: itē naturalia corpora, vt ignē, aquam, terram, & b huiusmodi singula: & quæcunque aut horum partes sunt, aut ex his constant, siue c partibus, siue totis, vt d cœlum, & partes eius, astra, luna, sol. Num autem hæ tantum, an e & aliæ substantiæ sint: an f vero nihil horum sit substantia, sed aliæ quædam ponendæ sint, considerandum est. Sunt autem, quibus corporis fines, vt superficies, linea, punctus, & vnitas, substantiæ esse videantur, atque

CAPITIS SECVNDI EXPLANATIO.

Videtvr a *autem substantia.*] Docet hoc capite, quid præcipue de substantia in reliquo opere sit tractaturus. Cum autem duplex sit genus substantiarum; vnū sensibilium, & materialium, quæ omnib. manifestæ sunt; alterum materię expertium, quæ à paucis, nec satis apte ponebantur: relatis breuiter multorum sententiis de substantiis materiæ expertib. ad finem capitis pollicetur se de hac substantiarum distinctione disputaturum, facto disputationis exordio ab ipsa substantiæ ratione, quam initio capitis sequentis explicabimus.

b *Et huiusmodi singula.*] Vt aerem, & cœtera corpora simplicia, quæ vocat naturalia, vt orbes cœlestes. Nam quod quidam dicunt, his verbis intelligi aerem, & media quædā elementa, quæ nonnulli posuerunt inter ignē, & aerem, & inter aerē, & aquā, quod quidē attinet ad eiusmodi media, non placet: ea.n. media *(si vlla sint)* nō sunt manifesta sensib. de quib. tn̄ solis hic sermo est. Intelliguntur igitur reliqua corpora simplicia, quæ sensib. patēt, vt aer, & corpora cœlestia.

c *Siue partibus, siue totis.*] Hoc est, siue constent ex partibus simplicium corporum, vt mixta inanimata, *(de his enim hactenus non est facta mentio)* siue ex ipsis integris corporibus simplicibus, vt globus elementorum, & æther. Ille enim ex quatuor vulgatis elementis constat: hic autem ex orbibus cœlestibus.

d *Vt cœlum, & partes eius.*] Siue Cœli nomine intelligas totum mundum, vt sæpe intelligit Aristoteles: siue compagem ex omnibus orbibus cœlestibus, aut ex iis saltem, qui particulari motui vnius planetæ deseruiunt: siue etiam vnumquemque orbem, verum est, quod ait Aristoteles. Quouis enim modo non dubium est, cœlum, & partes eius aut esse partes corporum simplicium, aut ex simplicibus corporib. constare. Nec difficultatem peperit apud interpretes, nisi peruersa illa interpretatio, qua nomine corporum naturalium sola simplicia corpora corruptioni obnoxia plerîq; intelligunt: cum tamen omnia omnino simplicia intelligi debeant, vt dictum est. Quod autem ad verba attinet, Argyropilus in accusandi casu ea vertit, vt se à difficultate, quam proxime tetigimus, extricare posset, quasi dicat Aristoteles: Cœlum item & partes eius, vt stellas, lunam, & solem, substantias esse dicimus. Hæc tamen versio Græco contextui nullo modo congruit, cum verba hæc ponantur in recto. *Vide 1. lib. de Cœlo, c. 9. tex. 96.*

e *An & aliæ substantiæ.*] Separatæ nimirum, vt ponebat Plato.

f *An vero nihil horum*] Nec separatarum videlicet substantiarum, nec etiam sensibilium, sed indiuisibilia quædam mathematica in sensibilibus corporibus existentia, vt ponebant

 Pytha-

Pythagorici. Putabant enim sola eiusmodi indiuisibilia, siue terminos (*qui omnes aliqua saltem ex parte sunt indiuisibiles*) esse rerum substantias, vt ad cap. 5. libro tertio diximus.

τὸ στερεόν. ἔτι παρὰ τὰ αἰσθητά, οἱ g μὲν οὐκ οἴονται εἶναι οὐδὲν τοιοῦτον, οἱ δὲ πλείω, καὶ h μᾶλλον ὄντα ἀΐδια, ὥσπερ Πλάτων τά τε εἴδη καὶ τὰ μαθηματικά, δύο οὐσίας: τρίτην δὲ τὴν τῶν αἰσθητῶν σωμάτων οὐσίαν. Σπεύσιππος i δὲ καὶ πλείους οὐσίας ἀπὸ τοῦ ἑνὸς ἀρξάμενος, καὶ ἀρχὰς ἑκάστης οὐσίας, ἄλλην μὲν ἀριθμῶν, ἄλλην δὲ μεγεθῶν, ἔπειτα ψυχῆς: καὶ τοῦτον δὴ τὸν τρόπον ἐπεκτείνει τὰς οὐσίας. ἔνιοι l δὲ τὰ μὲν εἴδη καὶ τοὺς ἀριθμοὺς, τὴν αὐτὴν ἔχειν φασὶ φύσιν: τὰ δὲ ἄλλα ἐχόμενα, γραμμὰς, καὶ ἐπίπεδα, μέχρι m πρὸς τὴν τοῦ οὐρανοῦ οὐσίαν, καὶ n τὰ αἰσθητά.

περὶ δὴ τούτων, τί λέγεται καλῶς, ἢ μὴ καλῶς, καὶ τίνες εἰσὶν οὐσίαι, καὶ πότερον εἰσί τινες παρὰ τὰς αἰσθητὰς, ἢ οὐκ o εἰσί, καὶ αὗται πῶς εἰσι, καὶ πότερόν ἐστί τις χωριστὴ οὐσία, καὶ διὰ τί, καὶ πῶς, ἢ οὐδεμία παρὰ τὰς αἰσθητὰς, σκεπτέον, ὑποτυπωσαμένοις πρῶτον p τὴν οὐσίαν τί ἐστι.

que adeo magis, quam corpus, solidumque. Praeterea, praeter sensibilia, alii g nihil tale, alii plura esse credunt, & h magis quae sempiterna sint, velut Plato, qui formas, & mathematica duas substantias esse: tertiam vero sensibilium corporum substantiam existimat. Speusippus i vero & plures substantias facit ab vno incipiens, & principia cuiusque substantiae esse dicit, aliud quidem numerorum, aliud vero magnitudinũ, deinde animae: quo pacto substantias accumulat. Quidam l formas, & numeros eandem naturam habere, caetera vero, vtpote lineas, superficies m vsque ad coeli substantiam, resque n sensibiles secundum locum obtinere inquiunt.

De his igitur, quid recte, quid non recte dicatur: & quaenam substantiae sint; tum etiam, vtrum praeter sensibiles sint aliae, o necne, & hae quo pacto sint; sitne quoque aliqua separata substantia, & cur, & quomodo, an vero nulla existat praeter sensibiles, discutiendum est, si modo ante, quid sit substantia, quasi p figura quadam explicauerimus.

g *Alii nihil tale.*] Vt veteres naturales, qui sola materialia principia posuerunt, velut Hippon, & Epicurus, qui impii & diuinarum, immaterialiumve naturarum inficiatores extiterunt.

h *Et magis quae sempiterna sint.*] Etsi sensibilia Platonis sentẽtia sunt sempiterna per suas species, & per entia mathematica, quae etiã ille separabat à sensibilibus; tñ ipsas species, & mathematica magis sempiterna esse necesse erat, cum per se ipsae sempiternae ponerentur.

Speusippus tria genera insensibilium substantiarum ponebat.

i *Speusippus vero.*] Hic fuit Platonis ex sorore nepos, eiusq; auditor, & in Academia successor, qui cum praeter sensibiles substantias tria genera insensibilium substantiarum faceret, numerum scilicet, magnitudinẽ, & animã, siue mẽtem; & vnicuiq; generi sua principia tribueret, (*incipiens videlicet ab vnitate, quam numeri principium esse dicebat*) maiorem numerum substantiarum sensibilibus accumulabat.

Tex. 6.

Alii solas ideas, reliqua sensibilibus adnumerabant.

l *Quidam formas.*] Quinam hi fuerint, non satis constat, tametsi certum est. Platone posteriores, eiusque doctrinae aemulos fuisse: quippe qui ne tria genera substantiarum facerent, numeros separatos nihil aliud, quam species, siue Ideas esse dicebant; totum autem genus magnitudinum cum sensibilibus numerabant: quo pacto duo tantum substantiarum genera esse dicebant, species nimirum, & sensibilia; primumque dignitatis locum speciebus, secundum magnitudinibus, caeterisq; sensibilibus attribuebant.

m *Et vsque ad coeli substantiam*] Hoc est, & caetera, quae quanta sunt, numerata etiam in hoc genere ipsa coeli substantia, propterea quod sit res sensibilis.

n *Resque sensibiles.*] Quasi dicat: Et (vt vno verbo dicam) res omnes sensibiles.

o *Aliae necne.*] Nempe eo pacto, quo à Platone ponebantur siue ideae solae, siue ideae, & res mathematicae. Nam quod deinde subdit [*Sitne quoque aliqua separata substantia*] ad verã sentẽtiam de substantiis separatis, prout nimirum ab ipso ponuntur referendum est.

Quid sit rem figura declarare.

p *Quasi figura quadam.*] Notio rei tunc velut figura quadam, & primis lineamentis explicari dicitur, cum imperfecte declaratur: quo pacto substantia exponitur initio capitis sequentis, vbi explicatur definitione quadam logica, & quae ad ipsam substantiae naturam non penetrat: quod ipsum eo loco Aristoteles docebit.

ΚΕΦ. γ.

ΛΕγεται a δὴ οὐσία, εἰ b μὴ πλεοναχῶς, ἀλλ' ἐν τέτταρσί γε μάλιστα. καὶ γὰρ τὸ τί ἦν εἶναι, καὶ τὸ καθόλου, καὶ τὸ γένος, ἡ οὐσία δοκεῖ εἶναι ἑκάστου, καὶ τέταρτον τούτων τὸ ὑποκείμενον. τὸ δὲ ὑποκείμενόν ἐστι, καθ' οὗ τὰ ἄλλα λέγεται, ἐκεῖνο δὲ αὐτὸ

CAPVT III.

SVBSTANTIA a igitur, si b non pluribus, certe quatuor modis maxime dicitur. Nã & quidditas, & vniuersale, & genus substãtia cuiusq; videntur esse, & quartũ horum subiectũ. Id autẽ est subiectum, de quo caetera dicuntur, cum

αὐτὸ μηκέτι κατ' ἄλλου. διὸ c πρῶτον περὶ τούτου διοριστέον: μάλιστα d γὰρ δοκεῖ εἶναι οὐσία τὸ ὑποκείμενον πρῶτον. τοιοῦτον e δὲ τρόπον μέν τινα, ἡ ὕλη λέγεται: ἄλλον δὲ τρόπον ἡ μορφή: τρίτον δὲ, τὸ ἐκ τούτων. λέγω δὲ τὴν μὲν ὕλην, οἷον τὸν χαλκόν: τὴν δὲ μορφὴν, τὸ σχῆμα τῆς ἰδέας: τὸ δ' ἐκ τούτων, τὸν ἀνδριάντα τὸ σύνολον. ὥστε f εἰ τὸ εἶδος τῆς ὕλης πρότερον καὶ μᾶλλον ὄν, καὶ τὸ ἐξ ἀμφοῖν πρότερον ἔσται διὰ τὸν αὐτὸν λόγον.

νῦν

cum ipsum non idẽ de alio dicatur. Quapropter c de hoc primum agendũ est; quippe cũ primum subiectum maxime d videatur esse substantia. Tale e autem modo quodam dicitur materia; alio modo forma; tertium, quod ex his constat. Dico autẽ materiam, vt æs; formã vero, vt figuram speciei; quod autem ex his constat totũ, vt statuam. Quare f si forma prior est, magisque ens, quam materia, & id vtiq;, quod ex vtroque constat, eadem ratione prius erit.

Nunc

CAPITIS TERTII EXPLANATIO.

SVBSTANTIA a *igitur.*] Vbi Aristoteles docuit cap. superiore, se de distinstione substantiarum materiæ expertium à sensibilibus substantiis, tanquam de re in prima Philosophia præcipui momenti, disputaturum, tradit hoc capite, quem ordinem seruaturus sit in agendo de his duobus substantiarum generibus, & de qua sensibili substantia sit præcipue acturus. Quod vt commodius faciat, tradit initio quadripartitam substantiæ diuisionem, seu potius distinctionem eo tempore receptam, vtpote in quiditatem, siue essentiam; (quæ analogice æque late patet, atque ens, saltem commune) in vniuersale, hoc est, in speciem separatam, siue ideam iuxta Platonis sententiam, qui solas species separatas substantiam rerum sensibilium esse putabat; in genus cuiusque rei; (*nam & hoc apud plerosque dicebatur substantia, ac velut materia eius, cuius esset genus, præsertim omnium generalissimum, vt apud Platonem vnum, & ens*) & in primum subiectum, de quo cætera dicuntur, quod nos dicimus primam substantiam: quam proinde substantiam eadem definitione explicat, qua in prædicamentis. *Quatuor receptæ olim substãtiæ acceptiones.*

b *Si non pluribus.*] Hoc addit propter opinionem eorum, qui terminos corporum substantias appellabant, quorum sententiam, vt parum vsurpatam hic prætermittit.

c *Quapropter de hoc.*] Non tamen de toto, quod est res singularis, sed de parte quadam illius, nempe de forma, siue natura specifica, quæ existit in ipso toto, hoc est, in prima substantia; & ex consequenti de generibus, quæ sunt in natura specifica. De forma enim huiusmodi prius agendum est, quam de formis separatis, vt à Platone ponebantur. Nam de substantia in primo significatu, si tota eius latitudo spectetur, non est iam quæstio, cum æque late pateat, atque ens, de quo in tota sua latitudine non est deinceps disputandum, vt dictum est in primo cap. *Tex. v.*

d *Maxime videatur.*] Non dubitat, quin prima substantia sit maxime substantia, vt asseruit in prædicamentis, sed vtitur hoc loquendi modo propter Platonem, qui species substantiarum maxime substantias esse dicebat. *cap. de substantia.*

e *Tale autem modo quodam.*] Subdiuidit extremum membrum diuisionis in materiam, formam, & compositum, vt doceat, in qua significatione intellexerit, se de primo subiecto, siue prima substantia, primo loco disputaturum. Hæc tamen diuisio est analogica, cũ prima substãtia primum dicatur de ea, quæ vere est prima substãtia, nempe de substantiis singularibus separatis, & de compositis singularibus; secundo autem loco de forma; (*quo nomine intelligi debet tam ea, quæ est altera pars compositi, quam natura specifica, vt inferius patebit*) tertio vero de materia: imo vero directo, & simpliciter de sola ea, quæ vere est prima substantia; per synecdochen vero de forma, & materia, quæ continentur in ea, quæ vere est prima substantia.

f *Quare si forma.*] Confert hæc tria subdiuisionis membra in ratione entis, docetque formam & compositum esse priora, magisque entia, quam materiam; tametsi hoc ipsum nõ aperte asserit, sed sub ea conditione [si forma est prior, magisq; ens, quã materia] in quo pronũtiato aliter ipse, aliter veteres senserunt. Illi enim præferebant materiam formæ; ipse vero formam materiæ: in qua re multo verius sensit Aristoteles, vt late patebit libro 9. quo loco tradit, actum esse non solum natura, sed etiam tempore (si simpliciter loquendum est) priorem potentia: vnde liquet, forma ex suo genere esse vtroque modo priorem materia. Nihil autem expresse dixit Aristoteles de comparatione formæ cum composito, quia satis patet compositum esse prius, magisq; ens, quam formam, quæ in eo continetur: vt enim materia est propter formam, ita vtraq; propter compositum. Accedit, quod forma, quæ continetur in prima substantia, & materia, non sunt primæ substãtiæ, sed compositum, quod ex iis constat, prima autẽ substantia est maxime substantia. Quanq̃ non dubium est, quin forma ex suo genere, quod est actus, sit prior, magisq; ens, quam compositum, quippe cum dẽtur plerią; actus, qui vtroq; modo antecedunt *Forma & compositum sunt magis entia, quam materia. Tex. 8. Compositum magis ens, quã forma. Forma qua ratione sit magis ens, quam compositum.*

cedunt omne compositum, nempe actus, qui non recipiuntur in potentia, vt Deus Opt. Max. & aliæ substantiæ separatæ. Quidam codices, etiam Græci, aliter habẽt hoc loco: dicunt enim formam etiam esse priorem, & magis ens, quam compositum: id quod D. Thomas verum esse ait, quatenus compositum includit materiam, quæ est posterior, & minus ens, quam forma. Sed nos cum Alexandro, & aliis interpretibus aliam lectionem secuti sumus. Accedit Budæi correctio, qui pro [τῆς ἐξ ἀμφοῖν] substituit [τὸ ἐξ ἀμφοῖν.] Priorem lectionem secuti sunt Auerroes, & ex Latinis Albertus, Alensis & alii nonnulli, sed posteriorem esse germanam vel ex eo, quod inferius hoc ipso capite tradit Aristoteles, plane intelligitur, cũ ait, id quod separabile est, & hoc aliquid, maxime videri esse substantiam: nemo enim dubitat, quin compositum cum forma, quæ eius pars est, comparatum, magis separabile sit, hoc est, per se constans, atq; cohærens, & hoc aliquid, siue demonstrabile, quam forma ex qua est compositum.

νῦν g μὲν οὖν τύπῳ εἴρηται, τί ποτ' ἐστὶν ἡ οὐσία, ὅτι τὸ μὴ καθ' ὑποκειμένου, ἀλλὰ καθ' οὗ τὰ ἄλλα. δεῖ δὲ οὐ μόνον οὕτως: οὐ γὰρ ἱκανόν, αὐτό τε γὰρ τοῦτο ἄδηλον. καὶ ἔτι ἡ ὕλη οὐσία γίνεται: εἰ h γὰρ μὴ αὕτη οὐσία, τίς ἐστιν ἄλλη διαφεύγει. περιαιρουμένων γὰρ τῶν ἄλλων, οὐ φαίνεται οὐδὲν ὑπομένον. τὰ μὲν γὰρ ἄλλα, τῶν σωμάτων πάθη, καὶ ποιήματα, καὶ δυνάμεις: τὸ δὲ μῆκος καὶ πλάτος καὶ βάθος, ποσότητές τινες, ἀλλ' οὐκ οὐσίαι. τὸ γὰρ ποσὸν οὐκ οὐσία, ἀλλὰ μᾶλλον ᾧ ὑπάρχει ταῦτα αὐτὰ πρώτως, ἐκεῖνό ἐστιν ἡ οὐσία. ἀλλὰ μὴν ἀφαιρουμένου μήκους καὶ πλάτους καὶ βάθους, οὐδὲν ὁρῶμεν ὑπολειπόμενον, πλὴν εἴ τι ἐστὶ τὸ ὁριζόμενον ὑπὸ τούτων. ὥστε τὴν ὕλην ἀνάγκη φαίνεσθαι μόνην οὐσίαν οὕτω σκοπουμένοις. λέγω i δ' ὕλην, ἣ καθ' αὑτὴν μήτε τὶ, μήτε ποσὸν, μήτε ἄλλο μηδὲν λέγεται, οἷς ὥρισται τὸ ὄν. ἔστι γάρ τι καθ' οὗ κατηγορεῖται τούτων ἕκαστον, ᾧ τὸ εἶναι ἕτερον, καὶ τῶν κατηγοριῶν ἑκάστῃ. τὰ μὲν γὰρ ἄλλα, τῆς οὐσίας κατηγορεῖται: αὕτη δὲ, τῆς ὕλης. ὥστε τὸ ἔσχατον, καθ' αὑτὸ οὔτε τι ποσὸν, οὔτε ἄλλο οὐδέν ἐστιν. οὐδὲ

Nunc g igitur quasi figura dictum est, quidnam sit substantia, nempe, cum diximus id esse, quod de subiecto non dicitur, sed de quo dicuntur cætera. Oportet autem non ita solum dicere: neq; enim satis est, cum & hoc ipsum haud perspicuum sit. Accedit, quod & materia substantia esse colligitur: nisi h enim ipsa sit substantia, fugit nos, quanam sit alia: namq; sublatis cæteris nihil aliud videtur remanere. Etenim cætera corporum passiones & affectiones, ac potẽtia existunt; longitudo vero, latitudo, & profunditas, quantitates quædam sunt, non substantia: neque enim quantitas substantia est, sed id potius est substantia, cui hæc ipsa primo insunt. At sublata longitudine, latitudine, & profunditate, nihil videmus superesse, nisi quid est, quod ab his terminetur. Quare hoc pacto considerãtibus sola materia substantia esse necessario videbitur. Materiam autem eam dico, quæ per se ipsam neque quid, neq; quantum, neq; aliud quidquam eorum dicitur, quibus ens definitũ est. Est enim quippiam, de quo horum singula prædicantur, cuius esse ab vnoquoq; prædicamentorum diuersum est: cætera enim de substantia prædicantur, hæc vero de materia. Itaq; id, quod vltimum est, neque quid, neq; quantum, neq; aliud quicquam est per se. Neq;

g *Nunc igitur quasi figura.*] Quia videri posset satis explicata prima substantia, cum dictum est, eam esse id, quod de nullo dicitur, & de quo cætera prædicantur omnia, proindeq; non necesse esse, vt de ea longior instituatur disputatio, quam tamen Aristoteles se habiturum pollicetur, occurrit, traditam definitionem nihil aliud esse, quam adumbratam, & imperfectam substantiæ explicationem, quippe quæ non ad intimam rei naturam penetret, sed per quædam illius accidentia tradatur: id ꝙ duobus argumentis ostendit. Vno, quia qui tenet traditã definitionẽ non continuo nouit, quid sit id, cui conditiones illę conueniunt. Omnibus, inquã, subiici, & de nullo prædicari: neq; enim proposita definitio id explicat. Altero, quia ex ea *(si nihil aliud explicandum superest)* facile quis sibi persuadeat, solam materiã esse primam substantiam, atque adeo maxime substantiam, vt mox explicabit, quod tamen dici nullo modo potest.

Traditam primæ substantiæ definitionem esse imperfectam.

h *Nisi enim ipsa sit.*] Quod materia ex tradita definitione videatur esse prima substantia, ex eo probat, quia nihil aliud videtur reperiri posse, quod cæteris subiiciatur, & de quo cætera dicantur. Quæ enim dicuntur de aliquo, sunt formæ, secundum quas distinguuntur prædicamenta: id autem, quod omnibus formis subiicitur, nihil aliud est, quam materia, quippe quæ sola remanet, sublatis formis omnibus etiam quantitate ipsa; quæ etsi nunquam videatur destituere materiam, succedit tamen in ea per generationes varias alia, & alia numero; & cum non succedit, ratione propria, & peculiari ab ea separari potest, vt id quod terminat ab eo, quod terminatur.

Quid materiæ nomine intelligatur.

i *Materiam autem eam dico.*] Cum materia multis modis dicatur, *(nam & subiecta dicitur, & obiecta; quæ autem nuncupatur subiecta, in primam & secundam diuiditur)* subdit Aristoteles id, quod à se dictum est, intelligendum esse de ea materia subiecta, quæ prima est. Hæc enim est, quæ per se ipsam ad nullum prædicamentum pertinet. Nam quod ea nullam peculiarem sibi vendicet speciem prædicamentalem, ex eo patet, quia ratione diuersarum formarum ad hanc

hanc vel illam reducitur. Est enim humana per formam hominis, equina per formam equi, longa per longitudinem, candida per candorem, eodemque modo per alias, atque alias formas ad alias, atque alias species reuocatur, cum omnis specifica prædicamentorum distinctio à distinctione formarum sumatur: cum autem nullum genus prædicetur de vlla re, de qua species aliqua eius non dicatur, vt habes libro secundo Topic. capite 2. efficitur, vt materia, de qua est sermo, neque sit per se ipsam quid, hoc est, substantia neque quantum, neque quale, nec denique de ea sic dicatur vllum genus aliud ex decem primis, in quæ ens actuale, atque completum diuiditur, & quasi membris continetur. Nec solum prima genera non dicuntur per se de materia in concreto, vt dictum est, sed multo etiam minus in abstracto. Absurdius enim dixeris materiam per se ipsam esse quantitatem aut qualitatem, quā quantum quid, aut quale. Dixi autem, *Actuale*, atque completum, quia nō dubium est, quin materia per se ipsa sit genus quoddam entis potentialis, & incompleti. Aliter tamē probat Aristoteles materiam non esse per se ipsam quid, &c. nempe quia est subiectum, de quo cætera ita prædicantur, vt ad eius esse, hoc est, essentiam non pertineant, quæ sane est prædicatio denominatiua: cætera enim prædicamenta non dicuntur de substantia, nisi denominatiue; neque enim homo est quantitas, sed quantus, & ita res habet in cæteris. Substantia item prædicamentalis non aliter prædicatur de materia, quam denominatiue: neque enim materia hominis dicitur homo, sed humana; nisi denominatio sumatur ex parte materiæ, vt si dicas, Materiatum est homo, vt ait D. Thomas, & sic in cæteris speciebus substantiæ, atque etiam in genere ipso. Ita fit, vt species, & genera prædicamentorum non aliter dicantur de materia, quam denominatiue, siue propinque, vt cum dicimus, Hæc materia est humana, aut Hoc materiatum est homo; siue remote, vt si dicas, Hæc materia est alba, quia nimirum corpus, quod hac materia constat, est album.

Materia quare per se neq; est quid, neq; quantum, &c.

Ratio, qua id probat Arist.

οὐδὲ l δὴ αἱ ἀποφάσεις, καὶ γὰρ αὗται ὑπάρξουσι κατὰ συμβεβηκός. ἐκ m μὲν οὖν τούτων θεωροῦσι συμβαίνει οὐσίαν εἶναι τὴν ὕλην: ἀδύνατον δέ: καὶ γὰρ τὸ χωριστὸν καὶ τὸ τόδε τι ὑπάρχειν δοκεῖ μάλιστα τῇ οὐσίᾳ. διὸ n τὸ εἶδος, καὶ τὸ ἐξ ἀμφοῖν, οὐσία δόξειεν ἂν μᾶλλον εἶναι τῆς ὕλης. τὴν

Neque l etiam ipsa negationes, quippe cum hæ per accidens existant. Ex m his igitur, si quis ea consideret, efficitur materiam esse substantiam: at hoc esse non potest; etenim separabile esse, & hoc aliquid, maxime videntur substantia conuenire. Quocirca n tum forma, tum id, quod ex vtraq; constat, potius quam materia substantia esse videbitur. Ac

l *Neque etiam ipsa negationes.*] Videri posset materia per se ipsam esse negatio substantiæ, quantitatis, & cæterorum prædicamentorum, quandoquidem per negationem eorum explicata est. Sed occurrit Aristoteles, quemadmodum materia non est per se ipsam substantia, neque quantitas, &c. ita neque esse ipsas horum negationes: negationes enim non existunt, nisi per accidens, quia nimirum subiecta earum existunt destituta formis, quæ negantur. Nam cæcitas (*verbi gratia*) non existit existentia propria, sed ideo dicitur existere, quia oculus, in quo non est videndi facultas, existit, & ita res habet in cæteris: at materia existit per se ipsam, propria nimirum existentia, qua modo huic formæ subest, modo illi. Adde, aliud esse dicere, materiam non esse per se, verbi gratia humanam, longam, albam, quod recte ait Aristoteles, & potiori ratione dixisset, non esse per se hominem, aut longitudinem, aut albedinem; aliud vero dicere, materiam esse per se non humanam, non longam, non albam, quod falsum est; multoq; magis dicere eam esse per se negationem hominis, aut longitudinis, aut albedinis. Cuius rei ratio satis aperta est. Si enim materia esset per se talis, humana scilicet, longa, &c. semper esset talis: si vero esset per se non talis nunquam esset talis; quorum vtrumque est falsum: est igitur per accidens & talis, & non talis sumptis, prædicatis in concreto, quia vtrumque ei accidit. Atque hoc etiam modo exponi possunt verba illa [*Quippe cum per accidens hæ existant*] hoc est, per accidens materiæ conueniant.

Materiam non esse substantiæ, & cæterorum entium negationes.

Negationes quo pacto existant.

Tex. 9.

m *Ex his igitur.*] Interiecta quasi parenthesi, qua materia prima explicata est, repetit conclusionem falsam, quam ex definitione primæ substantiæ (*si nihil aliud restat explicandum*) facile quis colligeret; nempe solam materiam esse primam substantiam, & (*quod hinc sequitur*) maxime substantiam. Quam tamen hac ratione falsam, & impossibilem esse ostendit: quia duo sunt maxime propria primæ substantiæ, nempe esse separabile, hoc est, potens existere sine aliis, & hoc aliquid, hoc est, aliquid per se demonstrabile, quod ex priori attributo sequitur. Hæc autem propterea non possunt conuenire materiæ primæ, quia est pura potentia ac proinde sine forma existere non potest.

Duo maxime propria primæ substantiæ.

n *Quocirca tum forma.*] Quod compositum singulare (hoc enim solum in hoc capite nomine compositi intelligendum est) sit separabile, & hoc aliquid, satis constat. Quod autem forma

eadem

Quibus formis illa conueniant. eadem attributa sibi vendicet, non vniuersè accipiendum est. Nam nec natura specifica, nec formæ naturales, quæ educuntur de potentia materiæ, sunt hoc aliquid, sed solæ formæ completæ singulares, nempe intelligentiæ, & ex incompletis sola forma rationalis: & ideo Aristoteles ait, tum formam, tum compositum potius, quam materiam, videri primam substantiam; quia nulla materia est prima substantia, cum interim multæ formæ, & omnia composita sint primæ substantiæ. *Anima rationalis non est prima substantia.* Non est tamen forma rationalis prima substantia, quia esse separabile, & hoc aliquid, vt omnibus primis substantiis conueniunt, ita non solis conueniunt: dicuntur autem maxime propria primæ substantiæ, quia inter substantias, quæ directò ponuntur in prædicamentis, omnibus, ac solis primis conueniunt.

τὴν ο μὲν τοίνυν ἐξ ἀμφοῖν οὐσίαν (λέγω δὲ τὴν ἐκ τῆς ὕλης καὶ τῆς μορφῆς) ἀφετέον: ὑστέρα γὰρ καὶ δήλη. φανερὰ δὲ πως καὶ ἡ ὕλη. περὶ δὲ καὶ τρίτης σκεπτέον, αὕτη γὰρ ἀπορωτάτη. ὁμολογοῦνται δ' οὐσίαι εἶναι τῶν αἰσθητῶν τινες. ὥστε ἐν ταύταις ζητητέον πρῶτον.

Ac o ea quidem substantia, quæ ex vtraque constat (ex materia, inquam, & forma) omittenda est: est enim posterior, & satis nota: sed & materia quodammodo est manifesta. De tertia igitur, quæ maxime dubia est, disserendum. Sed, cum omnes fateantur quasdam esse substantias sensibiles, in his primum disputatio versabitur.

o *Ac ea quidem.*] Ex iis tribus substantiis, in quas primam substantiam distinxit, eligit formam, de qua deinceps in toto hoc opere tanquam de re præcipua edisseratur. Compositum enim non solum posterius est, quam materia, & forma, sed etiam notius, & clarius, quam vt primus Philosophus de eo præcipue disputare debeat: loquitur enim de composito singulari, & sensibili, quod est prima substantia, non de vniuersali, & intelligibili, quod est secunda, vt iam diximus. Materia item, licet sit prior composito, tamen suo modo manifesta est, nempe vt subiectum mutationis, & potentia ad omnes formas. *Cur non intelligamus perspicue materiam.* Quod enim non admodum perspicue materiã intelligamus, non tam ex eo prouenit, quod ipsa in suis effectis occulta sit, quam quia parum habet entitatis. Quapropter de sola forma, cuius ignoratio apud nos maior est, atque adeo maioris momenti, vt quæ non ex imperfectione rei, sed ex imbecillitate nostri intellectus prouenit, præcipue disputandum restat: primum quidem, hoc est, vsque ad librum decimum, de formis substantiarum sensibilium, quas omnes esse fatentur; deinde vero de formis separatis. Potest & aliter intelligi locus hic, vt dicat Aristoteles, non esse disputandum de composito, quia vel sensus ipse iudicat esse substantiam; neque item de materia, quia etsi non ita manifestum est, eam esse substantiam, tamen ratione id facile colligitur ex motu. Qua ratione apud omnes veteres Physicos nota fuit, tametsi alii aliam posuerint, quod ipsa in se occulta sit, nullumque intimum actum formalem sibi peculiarem habeat, per quem cognoscatur. Quare de forma esse differendum, quia maxime dubium est, num illa sit substantia. *In definitione primæ substantiæ intelligi etiam immateriales.* Ex his patet in definitione primæ substantiæ, non solum intelligi apud Aristotelem substantias materiales, vt quidam volunt, sed etiam immateriales. Patet etiam nomine formæ in diuisione primæ substantiæ superius posita, non solum intelligendam esse formam, quę est altera pars compositi, sed etiam naturam specificam. *Nomen formæ duo significat.* Nam de hac forma, quatenus reperitur in substantiis sensibilibus, incipit Aristoteles disputare initio capitis sequentis, appellans eã quidiatatem.

NVM FORMA SVBSTANTIALIS SIT magis ens, non modo quam materia, sed etiam quam compositum?

QVÆSTIO VNICA.

Etiam formas substantiales caducarum rerum esse in ratione entium materia præstantiores.

SECTIO I.

MATERIAM esse magis ens, quam formam non solum veteres Physici crediderunt, quod existimarent res naturales solo accidentario discrimine inter se differre, vt ex primo libro constat; *c. 3. & seqq.* sed etiam postquã inuen- A tæ sunt substantiales formæ, retinendum omnino videri potest. Adhuc enim pro materia quædam argumenta pugnant, quibus ei in ratione entis potiores partes tribuendæ videantur.

Primum, quod materia magis per se existat, quam formæ substantiales; cum hæ etsi non existunt in subiecto more accidentium, (*accidentia enim cum suo subiecto substantiale compositum non constituunt, vt substantiales formæ*) B existant nihilominus in materia tanquam in subiecto, à quo substinentur; cum tamen

men materia, vt est primum subiectum, ita à nullo alio subiecto substineri possit.

Deinde, quia entia perpetua magis sunt entia quã quæ caduca sunt, quod & ex se videtur perspicuum, & ex Aristotele libro secundo capite primo, textu quarto colligi potest, & ex aliis permultis eius doctrinæ locis: formæ autem omnes substantiales caducarum rerum caducæ etiam ipsæ sunt, vna excepta forma humanæ naturæ: quo fit, vt hac excepta cæteræ omnes minus entia plane videantur, quam materia, quæ est perpetua.

Tertio, quia materia potest separari à qualibet forma substantiali rerum corruptibilium; non item quælibet forma corruptibiliũ à materia: quis autem neget id esse magis ens, quod cum ab alio non pendeat in suo esse, aliud tamen in suo pendet ab illo?

Quarto, quia id magis ens videtur esse, quod solius Dei actione existere in rerum natura potest, quam quod actione etiam causarum naturalium; id enim excellentiam quandam eius naturæ declarat: materiam vero huius conditionis esse ex eo demonstratur, quod causæ naturales non possunt agere nisi supposita materia, quæ proinde, nisi iam à Deo solo sit facta, supponi nullo modo potest.

Postremo, quia quæ magis substantiæ sunt magis entia sunt, necesse est, vt ex ipsa analogia entis colligitur: cum ergo ea, quæ magis substant, sint magis substantiæ, vt ex libro prædicamentorum patet; materia vero maxime omnium substet, cum formis omnibus & accidentalibus, & substantialibus subiecta sit: nõ dubium videtur, quin magis ens sit, quam substantiales formæ, siue caducarum rerum, siue etiam perpetuarum.

cap. de substant.

Vera quæst. ac solutio.

Verum hæc nihil obstãt quominus omnes substantiales formas, etiam caducarum rerum, magis entia esse, quam materiam, fateamur: id quod vna, vel altera ratione patebit. Primum enim, cum ens diuiditur in actum, & potentiam, magis ens est actus, quam potentia, vt docet Aristoteles libro nono capite octauo, nono, & decimo, ergo cum ens per se existens, seu substantia diuiditur in substantiam, quæ est pura potentia, & in substãtiam, quæ est actus, hoc est, in materiam primam, & formam substantialem, magis ens per se, ac proinde magis ens erit quælibet substantialis forma, quam materia prima. Deinde, ea substantia simplex est magis ens, ex qua sumitur maioris, & minoris perfectionis substantialis distinctio: hanc autem esse formam substantialem, non materiam, haud dubium est: iccirco enim viuentia sunt perfectiores substantiæ non viuentibus; quia formæ substantiales viuentium sunt perfectiores substantialibus

A forma, non à materia, sumitur perfectionis substantial. distinctio.

A formis non viuentium, & ita in cæteris; non autem, quia in materia viuentium, & non viuentium sit vllum substantiale discrimen in his inferioribus. Quod si inter nostra viuentia, & cœlestia corpora, & inter hæc inuicem collata, datur substantiale materierum discrimen, illud etiam ex substantiali discrimine formarum prouenit. Merito igitur hoc capite sic præfert Aristoteles formam substantialem materiæ in ratione entis; vt materiam præ

Praeoccupatur obiectio.

B substantiali forma nihil pene esse velit, quod ad prædicamenta pertineat. Ait enim, non esse quid, hoc est, substantiam, quatenus nimirum per se ad nullam certam speciem prædicamenti, substantiæ spectat, sed ratione diuersarum formarum substantialium ad diuersas species reuocatur.

tex. 8.

Ad argumenta.

Ad primum igitur pro altera parte propositum argumentum negandum est, magis per se existere materiam, quam formam substantialem. Nam etsi forma substantialis modo

C aliquo sustinetur à materia in genere causæ materialis, nempe in suo esse, aut in sua informatione; tamẽ materia in suo esse continetur à forma in genere causæ formalis, cum ab ea naturaliter conseruetur. Adde, ꝙ hoc habet amplius substantialis forma, quod ei non repugnet in generali ratione formæ existere naturaliter in rebus sine materia, vt patet in forma hominis; cum tamen repugnet materiæ

D naturaliter existere sine substantiali forma.

Perpetua non semper, sed cæteris paribus sunt perfectiora caducis.

Ad secundum dicendum, si cætera sint paria, magis entia esse, quæ perpetua sunt, quam quæ caduca; sicque intelligendum esse Aristotelem, cum perpetua caducis in ratione entium anteponit. At materia est pura potentia; forma vero actus, & illi repugnat naturaliter existere sine forma; huic vero, vt actus est sine materia minime. Quanquam & comparatio eorum, quæ perpetua sunt, cum caducis, quam facit Aristoteles, de completis rebus

E proprie intelligitur. Quin, etsi nulla forma esset perpetua, non minime argueret præstantiam eius respectu materiæ, quod materia principium corruptionis est propter appetitum ad eas formas, quas non habet; forma vero principium conseruationis, quod cætera omnia, quæ in quaque re vtilia sunt, contineat ac foueat: & illa, quia nullius actiuitatis est, quibusuis accidentibus abiectis contenta sit; hæc vero quo perfectior, eo plura, & per-

Dua excellentia forma supra materiam.

F fectiora exigat, vt suarum operationum munus expleat.

Tertium haberet vim aliquam, si materia caducarum rerum posset naturaliter ab omni forma substantiali separari: nunc autem constat eam non posse ab omni, sed tantum à qualibet. Adde, falsum esse materiam earun-

Materia rerum eadē earum pendet in suo esse ab aliqua forma indefinite.

dem rerum non pendere in suo esse ab earum formis; etsi enim non pendet ab vlla certa, pendet tamen ab aliqua indefinite: siquidem ab aliqua necessario conseruanda est, si naturaliter existere debet; cum interim aliqua eius forma substantialis non pendeat in suo esse ab illa.

Materia cur à solo Deo possit produci.

Ad quartum dicendum est, etsi quædam res sunt, quæ propter suæ naturæ præstantiam à nulla causa naturali produci possunt, sed à solo Deo per creationem; tamen id euenire materiæ propter tenuitatem, & imperfectionem suæ entitatis in genere substantiæ, cum ex se neq; vllum actum habeat, ex quo, & subiecto aliquo præexistente ipsa fieri possit; neq; ipsa sit actus, qui in aliud subiectum possit induci.

Materia magis subiecta est accidentibus forma tamen magis sustinet eorum esse.

Ad vltimum dicendum, quæ magis substantiæ sunt, magis quoq; esse entia; sed non omnia, quæ quoquo modo magis substant, magis esse substantias. Quod enim dici solet, proprium quasi characterem substantiarum finitarum (*siue completæ illæ sint, siue incompletæ*) esse substare accidentibus, nō tam de substando, vt significat subiectionem accidentibus, quam vt significat sustentationem accidentium à substantia in genere causæ materialis, intelligendum est. Quanquam autem materia magis subiecta sit accidentibus materialibus, quam forma substantialis, tamen substantialis forma magis sustinet esse accidentium, quam materia: nam & ipsam quantitatem non sustinet materia, nisi ratione formæ, vt est verior eorum sententia, qui volunt in substantiarum corruptione fieri resolutionem omnium formarum & substantialium, & accidentalium vsq; ad materiam primam.

Formam substantialem, quatenus est actus, esse magis ens, quam compositum: contra vero rem habere, quatenus est forma informans.

SECTIO II.

Arg. ad probandum formam esse magis ens. Zimara Theor. 10. Niphus hic disp. 5. & alii.

DE ea vero controuersia, sitne substantialis forma magis ens, quam compositum, an contra, oppositæ videntur Philosophorum sententiæ. Sunt enim, qui multis contendant argumentis, formam esse magis ens, quam compositum. Primum, quia vetus interpres, cuius versio fidelior credi solet, plane facit Aristotelem dicentem in hoc capite formam esse magis ens, quam compositum.

Deinde, quia forma est per essentiam actus, & perfectio; compositum autem non est perfectio, sed perfectum, participatione nimirum quadam perfectionis: at perfectius,

A ac proinde magis ens est, quod est tale per essentiam, quam quod per participationem.

Tertio, quia forma minus pendet in suo esse à composito, quam compositum à forma, cum detur forma, quæ naturaliter conseruatur sine composito, non item compositum sine forma: quis autem neget, magis ens esse id, quod in suo esse minus pendet ab altero, quam alterum ab ipso?

B Quarto, quia compositum est vnum propter formam; ergo & ens: quare magis ens est forma, quā compositum iuxta illud commune pronuntiatum, *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis.*

Ex Arist. 1. Post. c. 2. tex. 5. & 2. Met. c. 1. tex. 4.

Postremo, quia si compositum esset magis ens, ac proinde perfectius, quam forma; ea maior eius perfectio à materia illi proueniret: (nihil enim habet compositum præter formam, nisi materiam) at per materiam nihil perfici potest, cum ipsa nec sit perfectio
C alicuius alterius, nec perfectionem vllam ex se habeat, vt dictum est: quare illud saltem necessario videtur dicendum, non esse compositum perfectius, quam formam: quemadmodum dicimus totam rerum vniuersitatem ex Deo & creaturis aggregatam non esse perfectiorem ipso Deo solo, eo quod nulla perfectio sit in creaturis, quæ non eminentius sit in Deo. Adde, quod Aristoteles inferius videtur docere, formam rerum naturalium
D esse totam earum quiditatem, seu essentiam: quod si est tota, ergo non magis ens est totum, quam eius forma; siquidem ens ab essentia dicitur. Atque hanc dubitationis partem videntur sibi persuasisse Græcorum pleriq; ea ratione, (*quæ quidem omnes iam dictas complectitur*) quod formæ conditiones sint compositorum conditionibus nobiliores.

c. 10. tex. 35.

Hinc videntur stare Graci, vt Alexan. hoc loco tex. 7. & Themist. 1. Phys. tex. 18.

Rationes, quæ euincunt compositum esse magis ens.

E Alii vero totidem argumentis efficacius probant compositum esse magis ens, quam formā. Primum, quia plures entitates diuersarum rationum complectitur, quam forma, actus nimirum, & potentiæ; quas vtrasq; veras esse entitates, ipsa entis diuisio in actum, & potentiam satis declarat.

Deinde, quia forma informans non est prima substantia, sed solum compositum ex forma, & materia rationem habet primæ substantiæ in rebus naturalibus: at prima sub-
F stantia, vt ait Aristoteles in prædicamentis, est maxime substantia, ac proinde maxime ens, tanquam id scilicet, quod primo, ac maxime per se subsistit.

c. de substant.

Tertio, quia compositum est id, quod primo fit, & primo intenditur, (forma enim non fit proprie, sed incipit esse occasione compositi) quod autem primo fit, & primo intenditur,

tur, id etiam præcipue intenditur, & præcipue est, ac proinde magis ens est, quam quod occasione fit, & minus præcipue intenditur.

Quarto, quia id magis ens est, atq; perfectius, cui actio propria competit; forma autem informans non est proprie agens, sed primum agendi principium, quo nimirum primo agens agit.

Postremo, quia ens, quod natura sua completum est, magis est ens, quam quod natura sua est incompletum: forma autē informans natura sua incompletum ens est, cum interim compositum natura sua sit completum, & absolutum ens. Hanc autem partem propositæ dubitationis amplectitur D. Thomas 1. p. q. 3. a. 7. Scotus * hoc loco, & Latini ferme.

Scot. q. 6. Ant. And. q. 5. Sonc. quæst. 18. Item è Græcis Simpl. 1. Phys. tex. 52. & lib. 2. tex. 4.

Deciditur quæstio.

Dicendum igitur, formam substantialem, quæ est altera pars compositi naturalis, quatenus est actus quidam, perfectius quippiam esse, magisque ens seu potius perfectioris rei, magisque entis rationem admittere, quam compositum; quatenus autem est forma informans, hoc est, secundum propriam rationem minus ens esse, & quiddam minus perfectum, quam compositum. Prior pars fere prioribus argumentis probatur, posterior posterioribus. Dico autem priorem fere prioribus probari, quia in eis nonnulla continētur, quæ aut non sunt admittenda, aut explicatione indigent: cuiusmodi est illud, quod in primo argumento ex antiqua versione sumitur; verior enim est nostra versio, vt in explanatione contextus dictum est. Tria vero sequentia recte quidem concludunt, si forma sumatur secundum rationē actus, non secundū rationē actus informatiui. Deniq; postremum argumentum non recte colligit. Nam, etsi materia non est perfectio, nec perfectionem vllam ex se habet, (*nisi transcendentem illam, quatenus nihil ei deest in suo genere*) causare tamen potest in suo causandi genere perfectionem compositi, quemadmodum &

Ad vltimum eorum.

A ipsius formæ. Quod enim dici solet, causas non conferre suis effectis ea, quæ in se ipsis non habent, de efficientibus, iisque principalibus, non de internis, aut instrumentalibus, intelligendum est, eo quod efficientes principales vel formaliter, vel eminenter, ac virtute continere debeant in se perfectiones suorum effectorum. Vnde patet non esse simile, quod affertur de aggregatione Dei, & creaturarum cum ex iis non componatur vnum aliquod

Quæ causæ possint, & quæ non item, conferre suis effectis id quod in se non habent.

B ens per se. Quod autem dicitur, Aristotelem inferius docere, formam substantialem esse totam quiditatem, seu essentiam rerum naturalium, (*quæ fuit opinio Auerrois, & aliorum quorundam*) non est probandum: constat enim, Aristotelem cap. 10. † docere materiam * vniuersalem, siue in commune acceptam, esse partem essentiæ compositorum communium; materiam vero signatam, seu particularem, esse partem compositorum singula-

Hoc lib. com. 21. & 34. Alex. 2. Met. tex. 12. Simplic. 3. de anima tex. 9. Themist. ibid. & tex. 30. Iandun. hic q. 12.

† tex. 35.

****Materiam esse partem essentiæ compositor. etiā iuxta Arist.***

C rium; neque in alio sensu significasse, formam † esse totam quiditatem compositorum, nisi accepto formæ nomine pro speciei, & compositorum pro singularium compositorum, quæ non dicuntur habere quiditates proprias, quemadmodum nec particulares definitiones, quod suo loco examinandum est: tametsi aliquando Aristoteles * vocat formam quiditatem, quia quiditatem complet. Denique nec Græci autores alia ratione vo-

† Quam formā is vocet rei quiditat.

** Vt 5. Met. c. 2. tex. 3. & 2. Physic. c. 3. tex. 22.*

Quid senserint Græci interpretes.

D lunt formas informantes esse magis entia, & perfectiora compositis, eorumque conditiones esse nobiliores compositorum conditionibus, nisi quatenus huiusmodi formæ spectantur sub communi ratione actus: siquidem actus in commune, vt actus est, non solum nobiliorem rationem entis habet, seu potius admittit, quam potētia, sed etiam, quam compositum ex actu, & potentia: quod idem dicere non possunt de actu informante, vt

E talis est, cum hoc pacto spectatus sit pars compositi.

ΚΕΦ. δ.

Ἐπεὶ a δ' ἐν ἀρχῇ διειλόμεθα, πόσοις ὁρίζομεν τὴν b οὐσίαν, καὶ τούτων ἕν τι δοκεῖ εἶναι τὸ τί ἦν εἶναι, θεωρητέον περὶ αὐτοῦ.

CAPVT IV.

Voniam a autem initio distinximus, quot modis substantiam b sumamus, atque eorum vnus videtur esse quiditas rei, de ea ipsa agendum est.

CAPITIS QVARTI EXPLANATIO.

Voniam a autem.] statuit Aristot. ad finem capitis superioris se primum di[illegible]aturum de formis, quæ reperiuntur in rebus sensibilibus: nunc antequam eius ordinis rationem reddat, exponit de quibus formis id intelligēdum sit. Nomine enim formarum, quæ sunt in rebus sensibilibus, intelliguntur non solum formæ, quæ materiam informant; sed etiam naturæ vniuersales, quę existunt in particularibus præsertim specificæ. Ait ergo, in eo sensu se acturum de formis, quæ existunt in rebus sensibilibus, quo nomē formæ sumitur pro natura specifica, quæ dicitur quiditas rei, iuxta primam substantiæ significationem initio superioris capitis propositam. Et merito quidem: nam forma, quæ est altera pars compositi, non est ens completum: tametsi de ea agendum erit suo loco ratione naturæ specificæ, quam constituit.

b *Substantiam sumamus.*] Græce est, substantiam definiamus. Verum quia definiendi verbum

hoc loco pro intelligendi, vt exponit Alexander, & quasi capiendi accipitur; potius pro eo vsi sumus verbo sumendi, quod in distinctionibus frequenter vsurpatur.

Tex. 10.

πρὸ ἔργου c γὰρ τὸ μεταβαίνειν εἰς τὸ γνωριμώτερον: ἡ γὰρ μάθησις οὕτω γίνεται πᾶσι, διὰ τῶν ἧττον γνωρίμων φύσει, εἰς τὰ γνώριμα μᾶλλον. καὶ d τοῦτο ἔργον ἐστὶν, ὥσπερ ἐν ταῖς πράξεσι, τὸ ποιῆσαι, ἐκ τῶν ἑκάστῳ ἀγαθῶν, τὰ ὅλως ἀγαθὰ, ἑκάστῳ ἀγαθὰ: οὕτως ἐκ τῶν αὑτῷ γνωριμωτέρων τὰ τῇ φύσει γνώριμα, αὑτῷ γνώριμα. τὰ e δ' ἑκάστοις γνώριμα καὶ πρῶτα, πολλάκις f ἠρέμα γνώριμα: καὶ g μικρὸν, ἢ οὐδὲν ἔχει τοῦ ὄντος. ἀλλ' ὅμως ἐκ τῶν φαύλως μὲν γνωστῶν, αὑτῷ δὲ γνωστῶν, τὰ ὅλως γνωστὰ γνῶναι πειρατέον, μεταβαίνοντας (ὥσπερ εἴρηται) διὰ τούτων αὐτῶν.

Est enim c operæpretium ad id, quod notius est, transire. Discimus enim hoc pacto omnes, cum ex minus notis natura ad ea, quæ magis nota sunt, proficiscimur. Atq; d hoc quidem opus est, vt quemadmodum in rebus agendis ex iis, quæ vnicuiq; sunt bona, ea, quæ omnino bona sunt, cuiq; bona efficiuntur: sic ex iis, quæ vnicuique notiora sunt, ea, quæ natura sunt nota, fiant eidem cognita. Quæ autē singulis e nota, primaq; sunt, sæpe f numero parum nota sunt, & parum, g aut nihil entis habent. Attamen ex iis, quæ parum nota sunt, sed cuique nota, enitendum est, vt ea, quæ omnino sunt nota, cognoscamus, per hæc nimirum ipsa ad illa transeuntes, vt diximus.

καὶ

Ac

c *Est enim operæpretium.*] Tota hæc pars contextus cum particula præcedenti poneretur aptius in fine capitis præcedentis: reddit enim hîc Aristoteles rationem non eius, quod proxime dixerat, sed eius ordinis, quem in fine superioris capitis se seruaturum proposuerat, vt videlicet prius de formis sensibilium substantiarum, quam insensibilium sibi differendum diceret. Ratio igitur ordinis hic est. Quia in omni disciplina ex iis, quę nobis nota sunt, ad ea, quę ignoramus, intelligenda, procedere oportet: res autem sensibiles sunt nobis notiores iis, quæ sensibus non patent. Quia vero inter substantias eæ, quæ nobis sunt notiores, sunt minus formales, ac proinde suapte natura minus notæ: (*forma enim est omnis cognitionis principium*) contra vero quæ nobis ignotiores sunt, cum non constent materia, sed sint actus per se subsistentes, suapte natura sint notiores: merito ait Aristoteles, operæpretium esse, vt ab eo genere substantiarum, quod suapte natura ignotius est, nobis autem notius, ad id, quod est notius natura, nobis tamē ignotius, transeatur. Quod autem subditur. [Discimus enim omnes, &c.] non ita accipiendum est, quasi in omni disciplina debeat fieri progressio à notioribus nobis ad notiora natura: (*Mathematici enim ab iis, quæ vtroque modo notiora sunt, progredi solent.*) sed quasi dicat Aristoteles, cum nota nobis, & suapte natura nota opponuntur, tum demum quemque discere, cum ex notis sibi ad ea, quæ suapte natura sunt, progreditur.

Comparatione quadam declaratur ratio huius ordinis.

d *Atq; hoc quidem opus est.*] Reddit rationem propositi ordinis ex rebus agendis. Vt enim ex punitione, quæ suapte natura bona, & optanda non est, sed tamen abutentibus honoribus, & magistratibus est bona, proceditur ad id, vt ipsi honores, & magistratus, qui suapte natura sunt boni, ac optabiles, prosint ei, qui illis abutitur, & eius exemplo aliis omnibus: sic ex iis, quæ suapte natura non sunt nota, siue illustria; sed tamen nobis nota sunt, & familiaria, procedendum est ad id, vt ea, quæ suapte natura nota sunt, & splendida, à nobis cognoscantur. Sic ferme Alexander. Simpliciori tamen expositione explicari potest comparatio Aristotelica, si nomine agendarum rerum intelligantur bonæ ciuium actiones, circa proprias personas; ex quibus fit progressus ad bonam domorum administrationem, quæ maiori virtutum perfectione indiget, & ex hac ad bonam gubernationem ciuitatis, quæ virtutes continet altioris ordinis; ex quibus etiam redundat maior perfectio in singulos ciues. Alii vniuersalius hanc similitudinem referunt ad progressum communem in actiuis, & effectiuis scientiis à cognitione particularium rerum ad vniuersalem notitiam, ex quibus tandem res ipsæ particulares melius cognoscuntur: quasi dicat Aristoteles, idem faciendum esse in contemplatiuis. Sed hæc expositio non placet: quia proposita similitudo non ex notitia rerum agendarum, sed ex earum bonitate ducitur.

In Mathematicis eadem sunt primo & nobis, & natura nota. Vt lib. 5. huius operis c. 7. tex. 14 & lib. 6. c. 2. tex. 4. & 1. post c. 2. tex. 5.

e *Singula nota, primaque sunt.*] Hoc est, primo nota sunt nobis.

f *Sæpenumero parum.*] Ait, sæpe numero, ne Mathematica comprehendere videatur, in quo genere, vti diximus, ea ipsa, quæ nobis primo sunt nota, sunt etiam primo nota secundum naturam, ac proinde simpliciter nota in eo genere. Huiusmodi sunt numeri, magnitudines, & figuræ, per quas multæ latentes proprietates demonstrantur; itemque communissima, & per se notissima principia, ex quibus mediate, vel immediate demonstrationes Mathematicæ fiunt.

g *Parum aut nihil.*] Alexander ait, nomine entis intelligi hoc loco verum, vt sæpe apud Aristotelem; quemadmodum & nomine non entis falsum, vt huius loci sententia hæc sit: Ea, quę primo cognoscimus, parum aut nihil veri, seu veritatis habent: quale est illud puerorum, cum

initio

initio viros omnes vt patres agnoſcunt,& balbutientes appellant. Habet enim id aliquid veri quatenus non equos,aut boues patres vocant:quatenus autem cunctos viros ſic appellant, nihil. Sed hæc expoſitio non placet. Primum,quia hoc loco non tam eſt ſermo de iudiciis, quam de rebus ipſis. Deinde,quia ex falſo non diſcitur verum: Ariſtoteles autem hoc ipſo loco plane docet ex iis,quæ parum aut nihil entitatis habent, (*quæ eadem dicit ſuapte natura eſſe parum nota*) enitendum eſſe cognoſcere ea,quæ omnino ſunt nota, & ſuapte natura illuſtria. Itaque non ſolum ait cognitionem illorum præcedere horum cognitionem, ſed etiam eſſe eius cauſam:quod ſane de falſis illis puerorum iudiciis dici non poteſt. Senſus igitur eſt, quem verba ipſa ſonant,ea nimirum,quæ primo cognoſcimus,parum, aut nihil entitatis habere. Cognoſcimus enim primo accidentia rerum,eaque non omnia, ſed ſenſibilia; accidentia autem parũ entitatis habent comparatione ſubſtantiarum;præſertim ſenſibilia,quæ ſunt magis materialia cognoſcimus etiam priuationes,& negationes,vt tenebras,cæcitatem, nuditatem, abſentiam huius,vel illius rei,quæ quidem nihil habent entitatis,cum ſint non entia.

Reijcitur expoſitio Alexandri.

Traditur alia.

καὶ h πρῶτον εἴπωμεν ἔνια περὶ αὐτοῦ λογικῶς. ὅτι ἐστὶ i τὸ τί ἦν εἶναι ἑκάστου, ὃ λέγεται καθ' αὑτό. οὐ γάρ ἐστι τὸ σοὶ εἶναι, τὸ μουσικῷ εἶναι· οὐ γὰρ κατὰ σαυτὸν εἶ μουσικός. ὃ ἄρα κατὰ σαυτόν: οὐ δὲ δὴ τοῦτο πᾶν. οὐ γὰρ τὸ οὕτως καθ' αὑτὸ ὡς ἐπιφάνεια λευκὴ, ὅτι οὐκ ἔστι τὸ ἐπιφανείᾳ εἶναι, τὸ λευκῷ εἶναι. ἀλλὰ l μὴν οὐδὲ τὸ ἐξ ἀμφοῖν, τὸ ἐπιφανείᾳ λευκῇ εἶναι. διὰ τί; ὅτι m πρόσεστιν αὐτό. ἐν ᾧ ἄρα μὴ ἐνέσται λόγῳ αὐτὸ, λέγοντι αὐτὸ, οὗτος ὁ λόγος τοῦ τί ἦν εἶναι ἑκάστῳ. ὥστ' εἰ τὸ ἐπιφανείᾳ λευκῇ εἶναί ἐστι, τὸ ἐπιφανείᾳ εἶναι λείᾳ, τὸ λευκῷ καὶ λείῳ εἶναι, τὸ αὐτὸ καὶ ἕν.

ἐπεὶ

Ac h *primum quædam de ea logice dicamus. Quiditas* i *cuiuſque eſt id,quod illud dicitur per ſe. Neque enim tuum eſſe eſt Muſici eſſe, quippe cum tu per te ipſum Muſicus non ſis. Quod igitur per te ipſum es: nec tamen id omne. Neque enim quod ita per ſe eſt,quo pacto ſuperficies eſt alba,quippe cum ſuperficiei eſſe non ſit ipſius albi eſſe. Sed* l *neq; id,quod ex vtroq; conſtat, eſſe, inquam, ſuperficiei alba. Quare? quia* m *hæc ipſa ineſt. Ea igitur eſt ratio quiditatis cuiuſq;, in qua dicente ipſum nõ ineſt ipſum. Quocirca, ſi ſuperficiei albæ eſſe eſt eſſe ſuperficiei læuis,albi, & læuis eſſe vnum,atque idem eſt.*

Cum

h *Ac primum quædam*]Hoc loco diſtinguit Ariſtoteles modum differendi de quiditate ſubſtantiarum ſenſibilium,quem ſequetur hoc libro,ab eo,quem tenebit libro 8. In hoc enim logice,in illo phyſice de eo diſputabit. Logicus differendi modus de naturis rerum eſt, cum ex conditionibus definitionis,& partium eius,(*quæ quidem ad Logicum,ſiue Dialecticum ſpectant*) quænam illæ ſint,expenditur:phyſicus autem,cum id fit ex conſideratione partium ipſius rei materiæ nimirum,& formæ. Quæ porro Ariſtoteles in hoc libro de quiditate, ſiue natura rerum ſenſibilium logico more tractat,hæc fere ſunt. Primum quidem, id eſt, hoc capite, & ſequenti expendit,quidnam ſit quiditas,ſiue quod quid eſt,& quarum ſit rerum. Deinde capite ſexto,ſit ne eadem,an diuerſa à rebus,quarum eſt quiditas. Tum cap. 7. & duobus ſequentibus,ſit ne opus formis,ſiue quiditatibus ſeparatis ad generationem rerum ſenſibilium. Capite autem decimo,& vndecimo,& duodecimo, ex quibus tanquam partibus conſtituatur quiditas eiuſmodi rerum. Poſtea capite decimo tertio,& tribus ſequentibus, ſint ne vniuerſalia, vt talia ſunt,quiditates illarum. Denique capite decimo ſeptimo,an quiditas, ſiue quod quid eſt ſenſibilium rerum,habeat rationem principii,& cauſæ illarum,necne.

Quid ſit more logico de naturis rerũ differere

Quid more phyſico.

Quæ poſthac tractanda ſint hoc libro.

i *Quiditas cuiuſq;.*] Quid ſit quiditas rei, tribus pronuntiatis docet. Vnum eſt,quiditatem cuiuſque rei eſſe id,quod res ipſa dicitur eſſe per ſe,ſeu (*quod eodem redit*) id quod de ea per ſe dicitur. Quod ex eo probat,quia eſſe, ſiue eſſentia rei non eſt eſſe prædicatorum eius per accidens:eſſe enim Socratis non eſt eſſe Muſici,vt perſpicuum eſt:nec alia de cauſa,niſi quia Socrates non eſt per ſe ipſum Muſicus,ſed per accidens. Alterum pronuntiatum eſt,non omne,quod res dicitur per ſe,eſſe quiditatem illius eſſe;quod ex eo probat, quia multa prædicantur per ſe de rebus,quorum eſſe non eſt eſſe illarum:cuiuſmodi ſunt omnia, quæ prædicantur ſecundo modo dicendi per ſe, vt de Socrate riſus capax: & quæ prædicantur per ſe,id eſt, tanquam de immediatis ſubiectis,&non interuentu aliorum ſubiectorum, (*ſic enim ſæpe ſumitur verbum per ſe*) veluti album de ſuperficie.

Quid ſit quiditas rei, primum pronuntiatum.

Alterum pronuntiatum.

Text. 11.

l *Sed neque id,quod ex vtroq;.*]Non ſolum eſſe ſuperficiei non eſt eſſe albi, vt dictum erat: ſed neque eſt eſſe ſuperficiei albæ. Ratio vtriuſque eſt,quia ſuperficies, quæ eſt ſubiectum vtriuſque enuntiationis,ponitur in definitione vtriuſque prædicati: ſiue enim definias album, ſiue ſuperficiem albam,neceſſe eſt,vt ſuperficiem,aut eius definitionem in definitione adhibeas, vt patet. At modus per ſe,qui hoc loco intelligitur,is eſſe debet, vt ſubiectum non ponatur in defini-

finitione prædicati, quo pacto & animal, & rationis particeps dicuntur de homine; in neutrius enim definitione ponitur homo. Ex quibus colligit tertium, ac præcipuum pronuntiatum, eam scilicet esse rationem quiditatis cuiusque, in qua dicente ipsum non est ipsum, id est, quæ ita prædicatur de eo, cuius dicitur quiditas, vt illud in sua definitione non admittat: quod quidem est proprium prædicatorum primi modi dicendi per se. Quod autem ea sola sint quiditates rerum, quæ de illis hoc pacto prædicantur, ex eo probat, quia alioquin res plane diuersæ haberent vnum, atque idem esse, vt album, & læue, quæ aliquo modo dicuntur per se de superficie, vt dictum est. Adde tu, Aut etiam risus capax, & disciplinæ capax, quæ verius dicuntur de homine secundo modo dicendi per se. Nam si esse superficiei est esse albi, & idem rursus est esse læuis; (*est enim par ratio*) profecto albi, & læuis vnum, & idem esse erit; quandoquidem esse superficiei vnum est. Similiter si esse hominis est esse risus capacis, idemque rursus pari ratione est esse disciplinæ capacis, non dubium, quin esse risus capacis, & disciplinæ capacis, vnum, atque idem sit; quandoquidem esse hominis vnum est tantum.

Tertium pronũtiatum.

Tex. 12.

Ἐπεὶ δ' ἔστι καὶ κατὰ τὰς ἄλλας κατηγορίας σύνθετα (ἔστι γάρ τι ὑποκείμενον ἑκάστῳ, οἷον τῷ ποιῷ, καὶ τῷ ποσῷ, καὶ τῷ ποτὲ, καὶ τῷ ποῦ, καὶ τῇ κινήσει) σκεπτέον, ἆρ' ἔστι λόγος τοῦ τί ἦν ἑκάστῳ εἶναι, καὶ ὑπάρχει τούτοις τὸ τί ἦν εἶναι: οἷον; λευ-

Cum n autem sint & in cæteris prædicamẽtis composita, (est enim aliquid, quod cuiq; subiectum sit, vt qualitati, & quãtitati, & Quãdo, & Vbi, & motui) considerandum est, nũ eorum quodq; & rationem quiditatis habeat, & eidẽ quiditas insit, veluti albo homini, quid, inquam,

Quid nomine quiditatis intelligat Arist.

Quo loco aduerte, quiditatem apud Aristotelem, seu (*vt ille vocat*) Quod quid erat esse, & quod quid est, nihil aliud esse, quam totam communem naturam, siue essentiam rei, quæ nimirum eius definitioni respondet. Dixi [totam] quia pars essentiæ rei non dicitur quiditas illius, quo pacto nec animal solum, nec rationale solum dicitur quiditas hominis. Dixi, [communẽ] quia natura rei ideo dicitur quiditas, quia perfecte redditur ad quæstionem, Quid est: quæstioni autem, Quid est, non satis fit perfecte, nisi per definitionem; definitio vero non est, nisi naturarum communium. Itaque licet naturæ singulares dici possint quiditates singulares; tamen simpliciter nulla natura singularis apud Aristotelem (*saltem quæ materialis sit*) dicitur quiditas, siue quod quid est. Qua de causa particularis natura Socratis non dicitur apud illum quiditas Socratis; sed natura humana, quæ omnibus hominibus communis est, dicitur quiditas, siue quod quid est, omnium hominum. Hinc sequitur quiditatem, siue quod quid est, nihil aliud esse, quam id, quod primo, & adæquate definitioni respondet: quod patet ex ipsa definitionis ratione. Dicitur enim, Oratio, quæ quiditatem rei explicat, seu, vt verbis Aristotelis vtar, Quæ quid erat esse, aut si mauis, quid est esse, significat, vt patet ex 4. cap. primi Topicorum, & aliis locis. Cur autem Aristoteles in significanda quiditate vtatur verbo, Erat, alibi explicatum est. Alexander ait hoc loco, naturam rei dici quiditatem, cum concipitur simplici conceptu; definitionem autem, cum concipitur pluribus, vtpote generis, & differentiæ. Verum id non placet, quia vtroque modo dicitur quiditas, siue quod quid est, & neutro dicitur definitio, cum definitio sit oratio, non autem res, quæ oratione explicatur.

Natura singulares non dicuntur simpliciter quiditates.

Definitionis definitio ostendit, quid sit quiditas.

m *Quia hæc ipsa inest.*] Hoc est, qa superficies inest in definitione albi, quod ponitur prædicatum per se ipsius superficiei.

n *Cum autem sint*] Postquam exposuit, quid sit quiditas, siue quod quid est, ostendit, quænam res quiditatem habeant. Supponit igitur tanquam indubitatum, substantias compositas, siue sensibiles, de quibus se primo disputaturum pollicitus est, quiditatem habere; & quærit, num composita etiam, quæ reperiuntur in aliis prædicamentis, quæ nimirum ex subiecto aliquo, & accidente constant, cuiusmodi est homo albus, definitionem, & quiditatem habeant. Quia tamen statim obiici potest, id, quod definitur, debere esse vnum quid, hominem autem album non esse rem vnam, sed duas: occurrit Aristoteles disputationis gratia, hominem album, etsi non significatur vno nomine, esse tamen vnum quoddam compositum, quod facile est vno verbo significare, veluti si dicatur Indumentum. Quo facto quæri potest, quænam sit indumẽti quiditas: non secus, atque cum quærimus, quænam sit quiditas hominis, tametsi homo alioquin duobus etiam verbis animal rationale appelletur, quemadmodum homo albus.

Vtrum composita ex subiecto & accidente habeant quiditatẽ.

o *At neque hoc ex iis.*] Respondet generaliter quæstioni propositæ; nullum compositum ex subiecto, & accidente habere definitionem, aut quiditatem, quia non est ens per se, sed per accidens.

Respondet negando.

p *An id, quod non,*] Quicquid alii dicant, videtur Aristoteles aliam responsionem inuestigantis more subiicere, quod sæpe facit in problematis, idque indicat modus ipse loquendi, An id, &c. Ait igitur fortasse dici posse duo esse genera entium per accidens. Vnum eorum quæ ideo

Alia responsio. Duo genera entiũ per accidens.

ideo dicuntur entia per accidens, quia nō per se sed additione ad aliquod extrinsecū à suo formali significato, quod quidem vt subiectum innuunt, habent esse: quo pacto album est ens per accidens. Nam etsi album quodammodo significat totum compositum ex subiecto, & qualitate, tamen formale significatum eius non existit. nisi per subiectū, quod innuit, quodq; est sibi extrinsecum, vt per hominem, aut aliquid simile. Quo fit, vt in definitione illius adhibere oporteat eiusmodi subiectū, aut eius definitionem, vt si dicas, Album esse corpus affectum tali colore, aut, Esse substantiam corpoream affectam tali colore. Atque hoc genus entium per accidens significat Aristoteles non habere definitionem, nec quiditatem. Cuius rei ratio est, quia si haberet, iam id, quod definiretur, non esset formaliter id ipsum, quod in eius definitione poneretur; (*neque enim album est formaliter id ipsum, quod corpus*) quod sane videtur absurdum. In iis enim, quæ vere habent definitionem, & quiditatem, secus accidit: siquidem dicimus hominem esse formaliter id ipsum, quod animal rationale, & sic in cæteris. Alterum genus entium per accidens est eorum, quæ non ideo talia dicuntur, quia habeant esse ex additione ad aliquid extrinsecum à suo formali significato, quod quidem extrinsecum innuant tanquam subiectum: quippe cum re vera habeant esse per se ipsa, & non adminiculo eiusmodi extrinseci, veluti homo albus, quod vno verbo appellauit indumentum. Nec enim homo albus existit per aliquod subiectum, quod non significet formaliter. Hoc igitur genus entium per accidens significat Aristoteles disputantis more habere definitionem, & quiditatem, nec alia ratione, vt videtur, nisi, quia dicuntur formaliter ea ipsi, quę in ipsorum definitionibus ponuntur: (*intellige tamen in recto*) vt homo albus id ipsum, quod animal ratione affectum colore dispartiente visum. Sed hæc pro explicatione difficilis admodum loci diuinando magis, quam exponendo dicta sint.

Prius. *Hoc non habere quiditatem.* *Posterius.* *Hoc videri quiditatem habere*

q *Aliud enim ex eo.*] Iuxta traditam expositionem hic videtur esse sensus. Ens per accidens ex additione ideo dicitur ens, (quod quidem solum definiri solet) quia est quædam entis affectio: quod satis indicat definitio albi. Necesse est enim in ea subiectum albedinis ponere, ut si definitio omnino explicita esse debet, definitionem subiecti, veluti si dicas album esse animal rationale affectum colore dispartiente visum, posito, quod solus homo sit subiectū albedinis. Ens vero per accidens non ex additione, veluti homo albus, ideo dicitur ens, quia cum constet ex subiecto, & affectione, talis est naturæ, vt non ipsum alii adiungatur quasi affectio illius: sed potius aliud adiungatur ipsi quod plane indicat definitio hominis albi, siue indumenti satis est enim, si definiatur tradita definitione albi, nullo alio commemorato subiecto, aut definitione subiecti totius illius compositionis. Quapropter etsi ens per accidens prioris generis non videatur habere veram quiditatem, quia non est formaliter totum id, quod in eius definitione ponitur, ac proinde nec veram definitionem: tamen contra videtur dicendum de ente per accidens posterioris generis, quia est formaliter totum id, quod de ipso in definitione dicitur.

Redditur horū ratio.

λευκῷ ἀνθρώπῳ τί ἦν λευκῷ ἀνθρώπῳ. ἔστω δὴ ὄνομα αὐτῷ ἱμάτιον. τί ἐστι τὸ ἱματίῳ εἶναι; ἀλλὰ οὐ μὴν οὐδὲ τῶν καθ' αὑτὸ λεγομένων οὐδὲ τοῦτο. ἢ p τὸ οὐ καθ' αὑτὸ λέγεται διχῶς, καὶ τούτου ἐστὶ τί: τὸ μὲν ἐκ προσθέσεως, τὸ δὲ οὔ, τὸ q μὲν γὰρ τῷ αὐτὸ ἄλλῳ προσκεῖσθαι λέγεται ὃ ὁρίζεται: οἷον, εἰ τὸ λευκῷ εἶναι ὁριζόμενος, λέγει λευκοῦ ἀνθρώπου λόγον. τὸ δὲ τῷ, ἄλλο αὐτῷ: οἷον, εἰ σημαίνει τὸ ἱμάτιον, λευκὸν ἄνθρωπον, ὁ δὲ ὁρίζει τὸ ἱμάτιον ὡς λευκόν. τὸ r δὲ λευκὸς ἄνθρωπος, ἔστι μὲν λευκόν, οὐ μέντοι τὸ τί ἦν εἶναι λευκῷ ἀνθρώπῳ, ἀλλὰ τῷ ἱματίῳ εἶναι.

quam, sit quiditas albi hominis. Atq; esto ei nomen indumentum. Quanam est igitur indumenti quiditas? At neq; o hoc ex iis est, quæ per se dicuntur. An p id, quod non per se est, dupliciter dicitur, & partim ex additione, partim minime? Aliud q. n. ex eo dicitur id, q definitur, quia ipsum alii additur, vt si quis albi esse definiens, albi hominis ratione dicat. Aliud autem ex eo; quia aliud ipsi adiūgitur, vt si indumentū hominē albū significet, ipsum aūt quispiā vt albū definiat. Ac r albus homo est ille quidē album, non tamen eius quiditas est esse albi, sed indumenti.

r *Ac albus homo.*] Diceret aliquis, hominem album, & album ipsum idem esse, cum eadem omnino definitione explicentur, vt dictum est: proinde, si album ipsum non habet quiditatem, nec hominem album quiditatem habere. Cui obiectioni occurrit, prædicari quidem album de homine albo: (*vere enim dicimus hominem album esse album*) sed tamen non idem prorsus esse hominem album, & album ipsum, quia esse hominis albi non est solum id, in quo formaliter consistit esse albi, sed est esse totius compositi, quod formaliter significatur nomine indumenti.

Occurritur obiectioni.

s *Est ne igitur quiditas.*] Quia secunda responsio nec perspicue proposita est, nec satis videtur vera, cum tribuat quiditatem aliquibus entibus per accidens, quæ tamen à scientiis excludi

Tex. 13.

Iterum quærit, an composita ex subiecto, & accidente habeant quiditatem?

cludi solent: quærit distinctius, an composita ex subiecto, & accidente, siue implicita sint, vt album, siue explicita, vt homo albus, (*vtraque in quæstione superius proposita intelligenda sunt, vt patet ex dictis*) re vera quiditatem habeāt, siue aliquam, hoc est, aliquo modo; siue Omnino id est, Simpliciter: significatum est enim, licet satis obscure, cōposita explicita habere quiditatem: cui quæstioni duabus responsionibus satisfacit.

εἶναι. ἆρα s ἔστι τὸ τί ἦν εἶναί τι ἢ ὅλως, ἢ t οὔ; ὅπερ γάρ τι ἦν εἶναι, ἔστι τὸ τί ἦν εἶναι· ὅταν δ' ἄλλο κατ' ἄλλου λέγηται, οὐκ ἔστιν ὅπερ τόδε τι· οἷον ὁ λευκὸς ἄνθρωπος, οὐκ ἔστιν ὅπερ τόδε τι, εἴπερ τὸ τόδε ταῖς οὐσίαις ὑπάρχει μόνον.

ὥστε u τὸ τί ἦν εἶναί ἐστιν, ὅσων ὁ λόγος ἐστὶν ὁρισμός. ὁρισμὸς δ' ἐστὶν, οὐκ ἂν ὄνομα λόγῳ ταὐτὸ σημαίνῃ (πάντες γὰρ ἂν εἶεν οἱ λόγοι ὅροι. ἔσται γὰρ ὄνομα ὁτῳοῦν λόγῳ ταὐτόν· ὥστε καὶ ἡ Ἰλιὰς ὁρισμὸς ἔσται) ἀλλ' ἐὰν πρώτου τινὸς ᾖ. τοιαῦτα δ' ἐστὶν, ὅσα λέγεται μὴ τῷ ἄλλο κατ' ἄλλου λέγεσθαι. οὐκ x ἔσται ἄρα οὐδενὶ τῶν μὴ γένους εἰδῶν ὑπάρ-

mēti. Est s ne igitur quiditas aliqua, aut omnino, an t non est? Quiditas enim est id, quod vnūquodq; est: cum autem aliud de alio dicitur, non est idem, quod hoc aliquid; veluti homo albus non est idem, quod hoc aliquid, si ipsum hoc aliquid substantiis tantum inest.

Itaq; u eorum omnium est quiditas, quorum ratio definitio est. Definitio vero est, non si nomen idem, quod oratio, significet; (omnes enim orationes definitiones essent, cum cuilibet orationi nomen idem imponi possit; atq; adeo Ilias esset definitio) sed si primi alicuius sit: talia vero sunt, quæcunq; non ex eo dicūtur, quod aliud de alio dicatur. Nulli x igitur eorum, quæ generis

Simpliciter negat.

t *An non est.*] Sunt, qui faciant hæc verba extremam quæstionis particulam; nobis tamen ea ratione videntur potius ad responsionem pertinere, quod statim sequatur ratio respōsionis, cum dicitur [*quiditas enim, &c.*] ex quibus verbis alii minus recte responsionem inchoant. Itaque sensus responsionis est, composita ex subiecto, & accidente nullam quiditatem habere, nec oportere distinguere inter Aliquam, & Omnino, sed simpliciter dicendum, nullam habere. Ratio vero est, quia quiditas est illud ipsum solum, quod quidque est, seu quæque res est, & ex consequenti hoc aliquid, & non quale aliquid: (semper enim id, quod est quale aliquid, includit, seu supponit hoc aliquid, & addit affectionem) compositum autem, siue implicitum, siue explicitum, ex subiecto, & accidente non est hoc aliquid, sed quale aliquid, quippe cum esse hoc aliquid solis substantiis conueniat.

Confirmat hanc responsionem.

Non omnis ratio, quæ cum nomine reciprocatur, est definitio.

u *Itaq; eorum omnium.*] Confirmat responsionem datam ex natura definitionis. Neque enim definitio censenda est omnis oratio, quæ cum nomine reciprocatur: hoc enim pacto, cum cuiuis orationi, seu potius rei per orationem significatæ, nomen imponi possit, quo idem implicite significetur, quod oratio explicite significat; omnis oratio, etiam longissima, vt tota Ilias Homeri esset definitio; cum tamen, si proprie de definitione loquamur, non quæuis huiusmodi oratio definitio dicenda sit, sed sola breuis, & aliis plerisque legibus astricta: quarum ea præcipua est, vt versetur in explicando aliquo primo. Quiditas enim rei primum aliquid esse debet: primum autem, vt ipse exponit, tale sit necesse est, vt de alio priori non dicatur: cuiusmodi esse solam substantiam ex primo capite huius libri patet: vel si mauis, vt non includat duo entia completa, quorum alterum de altero dicatur, cuiusmodi etiam est sola substantia. Nam omne accidens includit modo aliquo subiectum, de quo, vt de alio ente completo, dicitur.

Tex. 3. & 4.

Quæ nō habeāt veram quiditatem, & quæ habeant.

x *Nulli igitur.*] Nomine eorum, quæ non sunt species generis, intelligi possunt omnia vniuersalia, quæ non habent verum genus, siue sint genera summa, siue differentiæ, quæ interdum apud Aristotelem species entis appellantur. Itaque colligit Aristoteles ex dictis, nihil horum habere quiditatem, quæ nimirum veræ definitioni respondeat; sed sola ea, quæ sub vero genere continentur. Ratio vero est; quia sola hæc habent prædicata vniuoca, & essentialia, in quibus cum aliquo alio, aut aliis conueniant. Vniuocam prædicationem vocat eam, quæ non fit per participationem, hoc est, qua prædicatum non dicitur per prius, & posterius, seu, quod idem est, inæqualiter de subiectis: essentialem vero, quia id, quod prædicatur, non conuenit subiectis vt passio, hoc est, in secundo modo dicendi per se; neq; item per accidens. Infertur autem hoc consectarium ex iis, quæ supra dicta sunt. Dictum est enim, quiditatem cuiusque esse id, quod res ipsa dicitur esse per se; non tamen secundo modo, sed primo. Quod si hæc deductio lōgius, quam par est, videtur petita; dici potest, hoc loco Aristotelem inferre principalem cōclusionem huius prioris responsionis, nempe nulli accidenti quiditatem conuenire. sensumq; verborum esse, nulli eorum, quæ non sunt species eius generis, quod in definitione illorum adhiberi potest, habere quiditatem, quæ nimirum in definitione explicetur: cuiusmodi sunt accidentia omnia; possunt enim definiri per subiecta loco generis accepta; quorum tamen re vera species nō sunt.

Nulli accidenti quiditatem cōuenire.

ſunt. Dico autem poſſe eo pacto definiri, non autem ſemper ſic definiri; quia etſi cõcrete ſumpta definiantur per ſubiecta loco generis poſita, vt ſi dicas, Simus eſt naſus curuus, tñ cum abſtracte definiuntur non dubiũ eſt, quin ſubiecta ponantur loco differentiarũ; veluti ſi dicas, Simitas eſt curuitas naſi. Atq; hoc modo intelligi poteſt Cõmentator hoc loco, alioquin abſurde admodũ ait, accidentia eſſe formas carentes genere ſuæ naturæ; quod multis errandi occaſionẽ præbuit. Ratio vero concluſionis iuxta hanc expoſitionẽ hæc erit, quia ſolæ ſubſtantiæ non ſunt entia alicuius prioris entis, vt ſunt accidentia omnia, per participationem ſubſtantiæ; nec ſunt paſſiones, aut aliæ accidentariæ affectiones prioris entis, cum ſint prima entia, vt proxime dictum erat, & primo capite libri probatum eſt.

ὑπάρξει τὸ τί ἦν εἶναι, ἀλλὰ τούτοις μόνον. ταῦτα γὰρ δοκεῖ οὐ κατὰ μετοχὴν λέγεσθαι καὶ πάθος, οὐδ' ὡς συμβεβηκός. ἀλλὰ y λόγος μὲν ἔσται ἑκάστου καὶ τῶν ἄλλων τί σημαίνει, ἐὰν ᾖ ὄνομα; ὅτι τόδε τῷδε ὑπάρχει, ἢ ἀντὶ λόγου ἁπλοῦ ἀκριβέστερος: ὁρισμὸς δ' οὐκ ἔσται, οὐδὲ τὸ τί ἦν εἶναι.

ἢ z καὶ ὁ ὁρισμὸς, ὥσπερ καὶ τὸ τί ἐστι πλεοναχῶς λέγεται. καὶ γὰρ τὸ τί ἐστιν, ἕνα μὲν τρόπον σημαίνει τὴν οὐσίαν, καὶ τὸ τόδε τι: ἄλλον δὲ, ἕκαστον τῶν κατηγορουμένων, ποσὸν, ποιὸν, καὶ ὅσα

ris ſpecies hæ ſint, quiditas conueniet, ſed his tantum: hæc enim non per participationem, paſſionemq;, neq; vt accidens videntur dici. Sed y erit quidem oratio cuiuſcunque etiam aliorum, quæ aliquid ſignificet, (ſi nomen ſit) hoc ſcilicet huic ineſſe; aut pro oratione ſimplici accuratior; definitio vero non erit, nec quiditas.

An z & definitio, quemadmodum & quod quid eſt, multis modis dicitur? Etenim q quid eſt, vno quidẽ modo ſubſtantiã, & hoc aliquid ſignificat; alio autem vnumquodq; eorum, quæ prædicantur, quantum, quale, & quæcunque alia

y *Sed erit quidem.*] Etſi acidentia iuxta traditã reſponſionem veram definitionem, quiditatemq;, quæ veræ definitioni reſpondeat, non habent, vt dictum eſt, concedit tñ Ariſtoteles ea habere explicationem aliquam, quæ nomini reſpondeat, ſi nomine vno ſignificẽtur, vt album; aut certe expoſitionem orationis, ſi ſignificentur oratione, vt corpus album: quod totum partim explicite, partim implicite ſignificatur nomine albi. Hæc enim definitio, corpus affectum colore diſſipante viſum, reſpectu quidem albi erit explicatio nominis; reſpectu autem corporis albi erit magis accurata oratio, hoc eſt, quædam orationis expoſitio, & explanatio. Quod autem ad verba attinet, cum Ariſt. ait, orationem, hoc eſt definitionem accidentis, quod nomine vno proponitur, vt definiatur, ſignificare hoc huic ineſſe; ſumit definitionem pro tota enunciatione, quæ definitum etiam complectitur, quaſi dicat, definitionem eiuſmodi affirmare quidem aliquid de accidente, quod ei vere conueniat; ſed tamen (*vt poſt pauca verba ſubdit*) nõ eſſe veram definitionem, quemadmodum neque illa, quæ orationem exponit. Cum vero ait [pro oratione ſimplici magis accurata] vocat orationem, quæ explanatur, ſimplicem, quaſi rudem adhuc, & parum habentem perſpicuitatis eam vero, per quam, magis accuratam, quod melius, ac plenius rem declaret.

Ad tex.2.

Loco definitionis conuenire accidenti explicationem aliquã.

Tex.14.

z *An & definitio*] Hactenus ita reſpondit Ariſtoteles quæſtioni propoſitæ, vt diceret compoſita ex ſubiecto, & accidente, ſiue implicita videlicet, vt album: ſiue explicita, vt corpus album, non habere quiditatem, quæ vera definitione explicari poſſit, nec (*quod eſt conſequens*) veram definitionem. Nunc aliã reſponſionem adhibet, habere quidem veram & realẽ definitionem & quiditatem: non tamen ſimpliciter, ſed quodam modo: quemadmodum nec ſimpliciter dicuntur entia, quaſi ſint entia per ſe, ſed ſuo quodã modo entia. Græce erat, ὥσπερ γὰρ τὸ τί ἐστιν: ſed Budæus expunxit verbũ ἐστι. Placet magis lectio Beſſarionis, qui expuncta particula, τι retinuit verbũ ἐστί. Ariſtoteles enim ex eo, quod ipſum eſſe, quod verbo, Eſt, ſignificatur, ſiue ipſum ens multis modis dicitur, probat hoc loco, ipſum quod quid eſt multis etiam modis dici.

Alia reſponſio ad quæſtionem.

aa *Etenim & ipſum quale.*] Lege cap. 7. primi Topicorum, quo loco ipſum quod quid eſt, & definitio in omnibus prædicamentis reperiri dicuntur.

bb *Sed non ens*] Hoc eſt, ſed eſſe non ens, vt eſſe non ſimpliciter & abſolute dicitur de non ente, ſed cum adiectione eſſe non ens. Eodem modo verba illa [*Sed quale*] ſic exponenda ſunt [Sed quid tale.] De qua tota re nonnulla diximus lib. 4. cap. 2

Tex.15.

c c *Illud igitur conſiderare.*] Senſus eſt, illud etiam attendere quiſq; debet, quo pacto, loquatur, cum omnib. prædicamentis quiditatem, & definitionem tribuit: ne in modo loquendi à rei veritate diſcordet, quippe cum ſoli ſubſtantiæ ſimpliciter, & abſolute tribui debeant: cæteris autem cum adiectione, quemadmodum & ipſa rerum natura poſtulat.

Ad tex.2.

d d *Cum id, quod dicitur.*] Nempe ſolam ſubſtantiam habere ſimpliciter definitionem, cætera autem cum adiectione.

e e *Oportet enim*] Probat ipſum aliquid, ſiue ens dici ſimpliciter de ſubſtantia, cum adiectione ve-

Ipsum aliquid de sola substantia dici simpliciter.

ne vero de accidentibus. Vis probationis hæc est. Aut res omnes æquiuoce dicuntur entia, aut vniuoce; (*quod supplet Alexander*) aut cum adiectione, & detractione: vtpote de accidentibus cum adiectione, de substantia vero detracta adiectione, quod est simpliciter: *quo pacto tam quæ sciri possunt, quam quæ sciri nequeunt, dicuntur scibilia; illa sine adiectione, hæc cum adiectione: vt non simpliciter dicamus, non scibilia sciri posse; sed sciri posse, quod sciri non possint.*) est autem rationi consentaneum, vt non dicantur æquiuoce, quasi sola nominis societate, non item aliqua ipsarum inter se communione conueniant; nec vero eodem modo, hoc est, vniuoce, quippe cum ratio accidentium, quatenus entia sunt, includat substantiam, non item ratio substantiæ accidentia, vt patet ex capite 1. Igitur dicuntur entia cum adiectione, & detractione, quo

tex. 4. pacto homo dicitur simpliciter, sine adiectione medicus; cætera autem, quæ idem nomen participant, non nisi cum adiectione medica appellantur, vt medica herba, curatio medica, & instrumenta medica. Potest item probari tota assumptio ex eo, quia quæ dicuntur siue æquiuoce, (*intellige autem casu*) siue vniuoce, non dicuntur prius natura de vno, quam de alio: ens autem prius natura dicitur de substantia, quam de accidentibus. Atque ex hac ratione (quæ nō tota est formaliter in contextu) duci potest prior confirmatio secundæ respōsionis, de qua nunc agitur; namque ad finem capitis adhibetur alia.

ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. ὥσπερ γὰρ καὶ τὸ ἔστιν ὑπάρχει πᾶσιν, ἀλλ' οὐχ ὁμοίως, ἀλλὰ τῷ μὲν πρώτως, τοῖς δ' ἑπομένως· οὕτω καὶ τὸ τί ἐστιν, ἁπλῶς μὲν τῇ οὐσίᾳ, πὼς δὲ τοῖς ἄλλοις. καὶ aa γὰρ τὸ ποιὸν ἐροίμεθ' ἂν τί ἐστιν· ὥστε καὶ τὸ ποιόν, τῶν τί ἐστι μὲν, ἀλλ' οὐχ ἁπλῶς· ἀλλ' ὥσπερ ἐπὶ τοῦ μὴ ὄντος λογικῶς, φασί τινες εἶναι τὸ μὴ ὄν, οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ bb μὴ ὄν, οὕτω καὶ τὸ ποιόν.

Δεῖ cc μὲν οὖν σκοπεῖν καὶ τὸ πῶς δεῖ λέγειν περὶ ἑκάστου, οὐ μὴν μᾶλλόν γε, ἢ τὸ πῶς ἔχει. διὸ καὶ νῦν ἐπεὶ dd τὸ λεγόμενον φανερόν, καὶ τὸ τί ἦν εἶναι ὁμοίως ὑπάρξει, πρώτως μὲν καὶ ἁπλῶς τῇ οὐσίᾳ, εἶτα καὶ τοῖς ἄλλοις (ὥσπερ καὶ τὸ τί ἐστιν,) οὐχ ἁπλῶς τί ἦν εἶναι, ἀλλὰ ποιῷ, ἢ ποσῷ τί ἦν

alia huiusmodi. Nam vt ipsum, Est, omnibus quidem, non tamen similiter conuenit, sed cuidā primum, cætera autem deinceps; ita & ipsum, Quid est, simpliciter quidē substantiæ conuenit, cæteris autē modo quodā. Etenim aa & ipsum quale, quidnam sit, rogare possumus: quo fit, vt quale in iis etiam, de quib. ipsum quid dicitur, numeretur, nō tamen simpliciter: sed quemadmodum quidam logico more de non ente dicunt id, quod non est, esse, non simpliciter, sed bb non ens; ita & ipsum quale.

Illud cc igitur considerare etiam oportet, quo pacto de vnoquoq; dicere conueniat, nec sane magis, quam quomodo res ipsa habeat. Quapropter & nunc, cum dd id, quod dicitur, perspicuū sit, & ipsum quod quid est, similiter inerit, primum quidem, ac simpliciter substantiæ, deinde vero cæteris; (quemadmodum & id, quod aliquid est) vt non simpliciter quod quid est, sed quod quid est qualita-

ff *Aut cum adiectione.*] Sensus est, Aut potius cum adiectione, & detractione. Hoc enim membrum, quod est conclusio propositæ rationis, probatur, cum subditur [*Quandoquidem rationi & cæt.*] Itaque Aristoteles prius proposuit disiunctionem bimembrem cum approbatione posterioris partis: tum subiecit exemplum non scibilis: postremo probauit minorem à nobis propositam. Itaque non male cohæret contextus, vt quidam existimant.

Vtranq; responsionem sustineri posse.

gg *Atque hac quidem.*] Confert duas responsiones, quæ ad quæstionem redditæ sunt, inter ipsas, docetque, parum interesse, vtram sequaris, quod altera ex altera elici possit. Illud enim certum esse, quod in posteriori dictum est, definitionem, & quiditatem simpliciter quidem substantiæ conuenire, cæteris autem secundaria ratione: vnde prior etiam responsio facile deduci potest. Rebus enim, quæ habent definitionem, & quiditatem secundum quid non male negabit quis & definitionem, & quiditatem.

Posterior magis probatur.

hh *Neque enim necesse est.*] Iam expresse confirmat posteriorem responsionem huiusmodi argumentatione. Si qua esset ratio, propter quam definitio, & quiditas non essent, nisi substantiæ, ea esset maxime, quia, si accidentium quoque esset definitio, quælibet oratio, quæ cum nomine reciprocatur definitio dici posset (*hæc enim ratio insinuata est superius, cum prior responsio tractaretur*) hoc autem non necessario sequitur, si ponamus, accidentia etiam habere definitionem, & quiditatem; ergo nulla ratio est, propter quam accidentibus definitio, & quiditas negari debeat. Assumptio ex eo probatur, quia in responsione reddita non quælibet oratio, quæ conuertitur cum nomine, censeri debet definitio, sed certa quædam, nempe quæ significet vnum; non quidem ea ratione, quia continuata quadam serie procedat, vt ilias Homeri: nec quia partes illius colligatæ sint coniunctione aliqua; (*possunt enim huiusmodi orationes significare naturam non vnam*) sed quia res significata, & explicata sit vnum eo pacto, quo vnum

tex. 16.

num conuertitur cum ente per se, quod in decem prædicamenta diuiditur. Tale enim vnum non cernitur, nisi in natura vere vna, & quæ sub veram definitionem cadat: tametsi alio modo cernatur in substantia, alio in accidentibus, vt dictum est. Breuius, & clarius fieret probatio hoc pacto. Eorum est definitio, & quiditas, quæ vere sunt vnum per se, siue vnius naturæ: omnia autem, quæ ponuntur in prædicamentis sunt vnum per se, vniusve naturæ, tametsi alio & alio modo: habent igitur definitionem, & quiditatem, licet alio modo atque alio.

ὢν εἶναι. δεῖ cc γὰρ ἢ ὁμωνύμως ταῦτα φάναι εἶναι ὄντα, ἢ ff προστιθέντας καὶ ἀφαιροῦντας, ὥσπερ καὶ τὸ μὴ ἐπιστητὸν, ἐπιστητόν: ἐπεὶ τό γε ὀρθόν ἐστι, μήτε ὁμωνύμως φάναι, μήτε ὡσαύτως, ἀλλ' ὥσπερ τὸ ἰατρικὸν, τῷ πρὸς αὐτὸ μὲν, καὶ ἓν, οὐ τὸ αὐτὸ δὲ καὶ ἓν οὐ μέντοι οὐδὲ ὁμωνύμως: οὐδὲν γὰρ ἰατρικὸν σῶμα καὶ ἔργον καὶ σκεῦος λέγεται, οὔτε ὁμωνύμως, οὔτε καθ' ἓν, ἀλλὰ πρὸς ἕν.

Ταῦτα gg μὲν οὖν ὁποτέρως τις θέλει λέγειν, διαφέρει οὐδέν. ἐκεῖνο δὲ φανερὸν, ὅτι ὁ πρώτως καὶ ἁπλῶς ὁρισμὸς, καὶ τὸ τί ἦν εἶναι, τῶν οὐσιῶν ἐστιν: οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως ἐστὶ, πλὴν οὐ πρώτως. οὐ hh γὰρ ἀνάγκη, ἂν τοῦτο τιθῶμεν, τούτου ὁρισμὸν εἶναι, ὃ ἂν λόγῳ τὸ αὐτὸ σημαίνῃ, ἀλλὰ τινὶ λόγῳ: τοῦτο δ' ἐὰν ἑνὸς ᾖ, μὴ τῷ συνεχεῖ ὥσπερ ἡ Ἰλιὰς, ἢ ὅσα συνδέσμῳ, ἀλλ' ἐὰν ὁσαχῶς λέγεται τὸ ἕν: τὸ δὲ ἓν λέγεται, ὥσπερ τὸ ὄν: τὸ δὲ ὂν, τὸ μὲν τόδε τι, τὸ δὲ ποσὸν, τὸ δὲ ποιόν τι σημαίνει. διὸ καὶ ii λευκοῦ ἀνθρώπου ἔσται λόγος, καὶ ὁρισμός: ἄλλον δὲ τρόπον, καὶ τοῦ λευκοῦ, καὶ οὐσίας.

qualitatis, aut quantitatis dicatur. Oportet cc *enim hæc aut æquiuoce appellare entia, aut* ff *cum adiectione, & detractione: quo pacto & non scibile scibile dicitur: quandoquide rationi consentaneum est, vt neq; æquiuoce dicantur, neq; eodem modo, sed vt medicum, quod ad vnum, atque idem referatur, nec sit vnũ & idẽ, nec vero æquiuoce dicatur: corpus enim & opus, & vas neque æquiuoce, neq; ratione vna, sed ad vnum medica dicuntur.*

Atq; gg *hæc quidem quouismodo dicere quis velit, nihil interest. Illud perspicuum est definitionem, & quiditatem, quæ primo, & simpliciter dicuntur, substantiarum esse, cæterorum autem esse quidem similiter, sed non primo. Neque* hh *enim necesse est, si hoc ponamus eius definitionem esse, cuius nomen idem, quod oratio significet, sed quod oratio quædam: hoc autem erit, si vnius sit non continuatione, vt Ilias, aut quæuis colligatione, sed quot modis vnum dicitur: vnum autem dicitur, quemadmodum & ens, ens vero partim hoc aliquid, partim quantum, partim quale quid significat. Quo fit,* ii *vt & albi hominis sit ratio, & definitio; alio tamen modo & albi, & substantia.*

ii *Quo fit, vt & albi.*] Quo pacto hoc sequatur ex dictis, quod attinet ad hominem album, non plane video. Crediderim scriptum fuisse ab Aristotele hoc modo [*Quo fit, vt & albi, & hominis sit ratio, & definitio, & cæt.*] Sic enim scriptum fuisse declarant verba sequentia, in quibus non repetitur homo albus, sed album, & substantia hominis separatim: quo pacto omnia cohærent. Sed quia in omnibus codicibus habetur [*albi hominis*] dici potest, Aristotelem, cum ait [*Quo fit, &c.*] non inferre aliam conclusionem ex principali cõclusione, sed extendere principalem ad composita ex subiecto, & accidente formaliter sumptis: vt quemadmodum accidentia habent definitionem, & quiditatem, deficientem tamen à definitione, & quiditate substantiæ: sic dici possit, composita ex subiecto, & accidente habere suo modo definitionẽ, & quiditatem: vtpote quasi in infimo gradu: vt nimirum definitio primũ conueniat substantiis, quia non definiuntur per extrinseca: secundo loco accidentibus, quia etsi habent veras essentias, definiuntur tamen per subiecta, quæ non includuntur in ipsorum essentiis; tertio loco compositis ex substantia, & accidente, quia non habent veras essentias, quæ ex substantiæ, & accidentis coniunctione resultent; tametsi imitantur composita per se, & vnius naturæ, quatenus ex subiecto, & forma constant. Non datur autem quartus locus coniunctioni duarum formarum, vt albo dulci; quia hæc nec sunt vnum per se, vt quælibet substantia, aut accidens: nec efficiunt vnum compositum, vt coniunctiones ex substantia, & accidente sed ideo dicuntur vnum, quia accidunt alicui tertio, vtpote subiecto vtriusque. Hinc enim fit, vt apud Aristotelem secundo de interpretatione cap. 2. hæc enuntiatio, Socrates est homo albus, censeatur vna, hæc autem, Socrates est albus grammaticus, non vna, sed plures. Nec obest iis, quæ dicta sunt, quod Aristoteles superius contendebat definitionem, & quiditatẽ potius conuenire homini albo, quã albo per se; quod homo albus (*vt dicebamus*) non definiretur per extrinsecum aliquid, vt definitur album. Disputationis enim gratia id dictum fuit: re autem vera contradicendũ est. Nam album, etsi definitur per aliquid extrinsecum, est tamen vnum per se, hoc est, vnius essentię homo autem albus, etsi non definitur per extrinsecum aliquid, nõ est tamen vnum per se, vniusve essentiæ.

Declaratur mẽs Arist. in decidẽda quæstione.

ΚΕΦ. ε.

Ἔχει a δ' ἀπορίαν ἐάν τις μὴ φῇ ὁρισμὸν εἶναι τὸν ἐκ προσθέσεως λόγον τίνος ἔσται ὁρισμός; τῶν οὐχ ἁπλῶν, ἀλλὰ συνδεδυασμένων: ἐκ προσθέσεως γὰρ ἀνάγκη δηλοῦν. λέγω b δὲ οἷον, ἔστι ῥὶς, καὶ κοιλότης, καὶ σιμότης, τὸ ἐκ τοῖν δυοῖν λεγόμενον, τῷ τόδε ἐν τῷδε: καὶ οὐ συμβεβηκός γε οὔθ' c ἡ κοιλότης, οὔθ' ἡ σιμότης, πάθος τῆς ῥινὸς, ἀλλὰ καθ' αὑτήν: οὐδ' ὡς τὸ λευκὸν Καλλίᾳ, ἢ ἀνθρώπῳ, ὅτι Καλλίας λευκὸς, ᾧ συμβέβηκεν ἀνθρώπῳ εἶναι, ἀλλ' ὡς τὸ ἄρρεν τῷ ζῴῳ, καὶ τὸ ἴσον τῷ ποσῷ καὶ πάντα ὅσα λέγεται, καθ' αὑτὰ ὑπάρχειν. ταῦτα δ' ἐστὶν ἐν ὅσοις ὑπάρχει ἢ ὁ λόγος, ἢ τοὔνομα, οὗ ἐστι τοῦτο πάθος, καὶ μὴ ἐνδέχεται δηλῶσαι χωρίς: ὥσπερ τὸ λευκὸν ἄνευ τοῦ ἀνθρώπου ἐνδέχεται, ἀλλ'

οὐ τὸ

CAPVT V.

EXISTIT a *autem dubitatio, si quis non dicat definitionẽ esse eã rationẽ, quæ ex additione fit, cuius nã erit definitio? nõ quidẽ simplicium, sed coniunctorum; ex additione .n. hæc declarare necesse est. Exẽpli* b *causa est nasus, & cõcauitas, simitasq; id, quod ex vtroq; dicitur, eo quod alterũ alteri insit; nec per accidens aut* c *concauitas, aut simitas affectio est nasi, sed per se: nec vt albũ Calliæ, aut homini (quia nimirũ Callias est albus, cui accidit esse hominẽ) sed vt mas animali, & æquale quantitati cõuenit, & cætera omnia, quæ per se inesse dicuntur. Hæc autẽ sunt ea omnia, in quibus inest aut ratio, aut nomen eius, cuius est hæc affectio, quæq; seorsim declarari nequeunt; quo pacto album sine homine declarari potest, fœmina sine animali non item.*

Quæ

CAPITIS QVINTI EXPLANATIO.

Dubitatio. Nũ accidentia coniuncta habeant veram definitionem.

Non videri habere.

EXISTIT a *autem dubitatio.*] Ex iis, quæ superiori capite dicta sunt, duæ dubitationes oriuntur. Vna est, quî fieri possit, vt accidentia coniuncta, seu copulata, hoc est, quæ proprium & peculiare subiectum sibi vendicant, veram definitionem habeant? Hæc enim si vere definiuntur, vt concessum est, (*dictum est enim in posteriore responsione, non solum substantias, sed accidentia etiam omnia habere definitionem, & quidditatem*) necesse est, vt additione propriorum subiectorum declarentur, quia sine propriis subiectis intelligi nequeunt: huiusmodi autem definitiones, cum tradantur per aliquid extrinsecum definito, (*neque enim subiecta ad essentiam accidentium pertinent*) non videntur veræ definitiones; quæ quidem erat quorundam veterum sententia. Ita videtur dicendum, nullorum accidentium, non quidem simplicium, hoc est, non vendicantium proprium aliquod subiectum, cuiusmodi est album, nigrum, rectum, concauum & similia, (*de his enim alia ratio videtur esse*) sed coniunctorum, cuiusmodi sunt, simum, aquilinum, crispum, mas, fœmina, & similia, esse veram definitionem.

Quæ sint accidẽtia simplicia, coniuncta.

b *Exempli causa.*] Reddit rationem, cur accidentium alia simplicia, alia coniuncta dicantur. Ratio vero est, quia simplicia non dicuntur ex peculiari subiecto, hoc est, non respiciunt certum subiectum, extra quod non reperiantur; veluti concauitas, quæ quidem & in naso, & extra nasum cernitur: coniuncta autem semper proprium, & peculiare subiectum respiciunt; veluti simitas, quæ & ex concauitate, & ex naso dicitur, hoc est, quæ etsi est concauitas, tamen non est quæuis concauitas, sed concauitas nasi. Duo autem sunt, quæ Aristoteles hoc loco cõiunctis accidentib. attribuit. Vnũ, quod non sint affectiones per accidens, sed per se suorũ subiectorũ: alterũ, quod per sua subiecta, aut per definitiones eorum necessario definienda sint, si modo definiri pñt: in quorum vtroq; differunt à simplicib. quę vt proprium subiectum non respiciunt, ita sine proprio subiecto intelligi, ac definiri pñt. Aduerte autẽ, non omnia accidentia coniuncta ita esse affectiones per se suorũ subiectorum, vt necessario de iis dicantur. Nam etsi plurima sunt, quæ necessario subiectis conueniunt, vt homini disciplinæ capax: multa tñ sunt, quæ non conueniunt necessario, vt simũ naso. Dicuntur tñ affectiones per se, quia nunquam in aliis subiectis cernuntur, seu (*quod in idem redit*) quia etsi non vendicantur per se à propriis subiectis, tñ ipsa sibi propria subiectá vendicant. Aduerte item simplicia accidentia, etsi ex propriis rationib. suis non hñt propria, & peculiaria subiecta tñ nihil prohibere, quominus ea sibi vendicent ex communi ratione accidentis, aut quantitatis, aut qualitatis, & quorundam aliorum similium communium prędicatorum. Quo fit, vt si explicita omnino definitione explicari debeant, necessario per certum aliquod subiectum, extra quod non reperiuntur, definienda sint, quod Aristoteles ad finem capitis innuit.

Duo requirit accidens, vt sit coniunctum.

Explicatur prior conditio.

Notandum pro simplicibus accidentibus.

c *Aut concauitas, aut simitas.*] Non sumitur hic concauitas pro concauitate simplr: ea n. cum extra nasum esse possit, non est per se affectio nasi: sed sumitur pro concauitate nasi, vt sit sensus, Nec per accidens aut concauitas nasi, aut simitas (*quæ idem esse dicta est*) affectio est nasi.

Soluenda est dubitatio iuxta su

d *Quapropter aut horum.*] Soluit dubitationem ex iis, quæ superiori cap. dicta sunt, quasi dicat:

cat:

eat: Quapropter, cum definitiones accidentium coniunctorũ tradãtur per extrinseca definitis, aut dicendum est simpliciter illa non habere definitionem, & ex consequenti quiditatem, quæ definitione explicetur, vt dictum est in priori responsione ad quæstionem propositam extrema parte superioris capitis; aut certe alio modo, vt dictum est in posteriori responsione. *peridens e. doctrinam.*

ἢ τὸ δῆλον ἀνὰ ὧ ζῴου. ὥστε d τῦτ' τὸ τί ἦν εἶναι ἢ ὁ ὁρισμὸς, ἢ οὐκ ἔστιν οὐδενὸς, ἢ εἰ ἔστιν, ἄλλως καθάπερ εἰρήκαμεν.

Ἔστι e δ' ἀπορία ἑτέρα περὶ αὐτῶν. εἰ μὲν γὰρ τὸ αὐτό ἐστι καὶ σιμὴ ῥὶς καὶ κοίλη ῥὶς, τὸ αὐτὸ ἔσται τὸ σιμὸν ἢ τὸ κοῖλον: εἰ δὲ μὴ, διὰ τὸ ἀδύνατον εἶναι εἰπεῖν τὸ σιμὸν καὶ ἀνὰ τοῦ πράγματος, οὗ ἐστι πάθος καθ' αὐτὸ: καὶ ἔστι τὸ σιμὸν κοιλότης ἐν ῥινί: τὸ ῥῖνα σιμὴν εἰπεῖν, ἢ οὐκ ἔστιν, ἢ δὶς τὸ αὐτὸ ἔσται εἰρημένον, ῥὶς, ῥὶς κοίλη: ἡ γὰρ ῥὶς ἡ σιμὴ, ῥὶς κοίλη ἔσται. διὸ ἄτοπον τὸ ὑπάρχειν τοῖς τοιούτοις τὸ τί ἦν εἶναι. εἰ f δὲ μὴ, εἰς ἄπειρον εἶσι: ῥινὶ γὰρ ῥινὶ σιμῇ, ἔτι ἄλλο ἐνέσται.

Δῆλον g τοίνυν ὅτι μόνης τῆς οὐσίας ἐστὶν ὁρισμός.

εἰ γὰρ

Quapropter d aut harũ siue quiditas, siue definitio nulla est; aut si est, certe est, quo pacto diximus.

Existit etiam e de eisdem dubitatio altera. Si enim idem sunt simus nasus, & cõcauus nasus, idem erunt simũ, ac concauũ: quod si ea ratione non idem sint, quia fieri non potest, vt simũ sine ea re dicatur, cuius per se affectio, sitq; simitas nihil aliud, q̃ in naso concauitas; pfecto aut nasum simũ dicere nõ licet, aut idẽ bis dicetur, vtpote nasus, nasus cõcauus; nasus.n. simus nasus cõcauus erit. Absurdũ est igitur huiusmodi reb. quiditatẽ inesse: sin f minus in infinitũ fiet progressio: naso.n. naso simo aliud præterea inerit.

Perspicuum g est igitur solius substãtiæ definitionem esse.

Nam

e *Existit etiam.*] Proponit aliam dubitationem, quæ ex superiori nascitur. Ea vero est; si accidentia coniuncta, siue copulata definitionem, & quiditatem habent, vt dictum est superiori capite; & eorum definitio tradenda est per proprium subiectum, vt in hoc ipso additum est; aut attributa re vera distincta nullam distinctionem habebunt, aut admittenda erit necessario inanis quædam, & nugatoria repetitio eiusdem nominis, quæ sunt plane absurda. Quæro enim num idem omnino sint nasus simus, & nasus concauus? Si omnino idem: ergo idem omnino sunt simum, & concauum, & nullo modo distinguuntur: ab iis enim, quæ idem omnino sunt, si tollatur aliquid commune, idem omnino necesse est relinquatur, vt si ab indumento, & vestimento tollas manicam: nasus autem est commune quid naso simo, & naso concauo: ergo si nasum tollas, idem omnino erit, quod relinquitur, videlicet simum, & concauum: vnde falsum erit, quod verum esse supponebatur, nempe simum definiri nasum concauum, cum concauum eo pacto non definiatur, vt perspicuum est. Si vero propterea non omnino idem sunt simum, & concauum, quod simum includat in sua definitione nasum, concauum autem minime: profecto nemo sine vitio dixerit nasum simum: aut certe approbanda erit inanis, & nugatoria repetitio, quæ absurda sunt. Consecutio ex eo firma est, quia, cum loco nominis in definitione positi liceat ponere eius definitionem, si loco simi ponamus nasum concauum, nihil aliud erit dicere nasum simum, quam nasum nasum concauum. Nec vitari potest hoc incommodum, si admittatur idem esse omnino nasum simum, & nasum concauum, quæ erat prior pars dilemmatis: vt verba illa [*Nasus enim simus, &c.*] hunc sensum habeant, Alioquin nasus simus idem omnino erit, quod nasus concauus, quod iam improbatum est. Quæ cum ita sint, dicendum est potius accidentia coniuncta non habere definitionem, si ea tradenda sit per additamentum alicuius extrinseci, vt dictum est, ac proinde nec habere quiditatem. *Alia dubitatio.* *Tex. 18.* *Videri admitti in definiendis accidentib. coniunctis nugatoriã repetitionem.*

f *Sin minus in infinitum.*] Addit aliud absurdum, si accidentia coniuncta definiantur per propria subiecta, vt re vera definienda sunt, si definitionem habent. Absurdum vero est progressio in infinitum, quæ hoc pacto videtur colli. Quamuis simum, & concauum non omnino idem sunt secundum se considerata: re tamen vera idem omnino est nasus concauus, quod nasus simus: simum enim nihil adiungit naso, nisi solam concauitatem, vt patet. Si ergo, cum dico nasum simum, loco simi posuero definitionem illius, quæ est nasus concauus, vt tota oratio sit, nasus nasus concauus: potero rursus loco nasi concaui ponere nasum simum, itemq; loco simi ponere nasum concauum, vt tota oratio sit, nasus, nasus, nasus concauus, & sic deinceps in infinitum. *Item progressum in infinitum.*

g *Perspicuum est igitur*] Conclusio est obiectionis propositæ contra ea, quæ supra dicta sunt. Sed quonam pacto sequitur solius substantiæ definitionem fore, cum relinquantur adhuc accidentia simplicia, quæ non definiuntur additione proprii subiecti, cum illud *Igitur solius substantiæ esse definitionem.*

Ff 3 non

Exponitur hæc conclusio.

non habeant? An quia accidentia simplicia, etsi sunt simplicia secundum proprios conceptus, vt album, quatenus album; tamen re vera sunt coniuncta, siue copulata secundum generales, vt accidentis, quantitatis, qualitatis, & similium, ad quorum definitiones tandem resolui debent, vt diximus. An etiam *(quod consequens est)* quia etsi non sunt copulata respectu particularium, siue specialium subiectorum, sunt tamen respectu generalium? Album enim etsi non vendicat sibi vllam speciem corporis, extra quam non reperiatur; tamen vendicat sibi ipsum corpus, aut superficiem, extra quam non inuenitur: quod idem dicendum est de cæteris. Vnde patet, accidentia non dici simplicia respectu omnium subiectorum suorum, sed respectu specialium, cum generalium comparatione omnia sint copulata, siue coniuncta.

εἰ γὰρ καὶ τῶν ἄλλων κατηγοριῶν, ἀνάγκη ἐκ προσθέσεως εἶναι, οἷον, τοῦ ποιοῦ καὶ περιττοῦ: οὐ γὰρ ἄνευ ἀριθμοῦ, οὐδὲ ὁ τοῦ θήλεος ζώου. τὸ δ' ἐκ προσθέσεως λέγω, ἐν h οἷς συμβαίνει δὶς τὸ αὐτὸ λέγειν ὥσπερ ἐν τούτοις. εἰ δὲ τοῦτο ἀληθές, οὐδὲ i τῶν συνδυαζομένων ἔσται, οἷον ἀριθμοῦ περιττοῦ. ἀλλὰ l λανθάνει, ὅτι οὐκ ἀκριβῶς λέγονται οἱ λόγοι. εἰ δέ εἰσι καὶ τούτων ὅροι, ἤτοι ἄλλον τρόπον εἰσίν, ἢ καθάπερ ἐλέχθη, πολλαχῶς λεκτέον εἶναι τὸν ὁρισμὸν καὶ τὸ τί ἦν εἶναι. ὥστε ὡδὶ μὲν οὐδενὸς ἔσται ὁρισμὸς, οὐδὲ τὸ τί ἦν εἶναι οὐδενὶ ὑπάρξει, πλὴν ταῖς οὐσίαις, ὡδὶ δ' ἔσται. ὅτι μὲν οὖν ἐστιν ὁρισμὸς ὁ τοῦ τί ἦν εἶναι λόγος, καὶ τὸ τί ἦν εἶναι, ἢ μόνων τῶν οὐσιῶν ἐστιν, ἢ μάλιστα, καὶ πρώτως, καὶ ἁπλῶς, δῆλον.

Nam si aliorum quoque prædicamentorum definitio dicatur, necesse est eam ex additione esse, vt qualis, & imparis: neque enim sine numero, nec fœmina sine animali. Ex additione autem voco, in h quibus accidit, vt idem bis dicatur, quemadmodum in his ipsis. Quod si hoc verum est, neque i coniunctorum erit, veluti numeri imparis. Sed l latet non accurate dici definitiones. Quod si & ..rum definitiones sunt, aut alio modo sunt, aut quemadmodum dictum est, multipliciter dicenda est tum definitio, tum etiam quiditas. Itaque partim nullius erit definitio, nec quiditas cuiquam, præterquam substantiis, conueniet, partim erit. Patet igitur definitionem rationem esse quiditatis, ipsamque quiditatem aut substantiarum esse duntaxat, aut maxime, & primo ac simpliciter.

h *In quibus accidit.*] Hoc est, in quibus colligitur iuxta propositam argumentationem idem bis dici, quemadmodum in propositis exemplis. Itaque totum hoc ad obiectionem adhuc pertinet.

i *Neque coniunctorum.*] Alio modo videtur hic sumere coniuncta, nempe pro complexionibus, quæ expresse, & formaliter ex propriis affectionibus, & subiectis constant; cuiusmodi est hoc totum, Numerus impar. Ratio vero est, quia eadem inanis repetitio in his sequetur, quæ in implicitis; vt si definiens numerum imparem sic dicas, Numerus impar est multitudo finita, multitudo finita, quæ in duas partes æquales diuidi nequit; bis enim dicitur multitudo finita; semel ad explicationem numeri, & iterum ad explicationem imparis.

Soluitur hæc posterior dubitatio. *tex. 19.*

l *Sed latet*] Soluit propositam dubitationem ex iis, quæ dicta sunt; ac primum negat horum esse definitiones, aitque definitiones prædictorum accidentium non accurate, hoc est, non recte dici definitiones; quia in illis extrinsecum aliquid de definito prædicatur; tametsi hoc vitium, vt inquit, latet eos, qui rationem definitionis ignorant. Deinde subdit, siquis eas recte dici definitiones contenderit, *(neq; enim re vera sine additamento subiectarũ substantiarũ definiri possunt, cum ab eis essentialiter pendeant, vt patet ex iis, quæ ad primũ caput dicta sunt)* necesse esse, vt vel alio modo, hoc est, æquiuoce omnino, tum illas, tum quiditates, quas explicant, definitionis, & quiditatis nominibus comprehendat; vel potius analogice, vt supra dictum est. Quibus expositis colligit paucis, quæ extrema parte superioris capitis disseruit.

Occurritur absurdæ nugatoriæ repetitioni.

Sed quoniam Aristoteles non respondet ad incommoda, quæ obiecta sunt, occurrunt nonnulli, propositionem illam [*Loco nominis in oratione positi licere ponere eius definitionem*] intelligendam esse in substantiis, non in accidentibus, quod substantiæ per intrinseca, accidentia per extrinseca, hoc est, per subiecta definiantur. Cum autem illis obiicitur, materiam quoque definiri per formam, & formam vicissim per materiam, quæ sibi mutuo sunt extrinseca; respondent, se loqui de substantiis completis, non de incompletis, cuiusmodi sunt materia, & forma; atque hoc pacto non effici, vt cogamur idem nomen nugantium more repetere. Cæterum, quia non declarant, quam ob causam, cum res per intrinseca explicatur, non semper liceat loco nominis definitionem adhibere; potius dicendum est, semper quidem licitum esse totam definitionem loco nominis definiti substituere; verum, cum aliqua eius pars iam posita est, etiamsi ad aliud explicandum sit adhibita, non esse opus, vt iterum repetatur. Itaque cum dicimus, nasum simum, non licet loco simi totam definitionem illius

sufficere,

sufficere, eo quod nasus, qui quasi genus ad definitionem simi pertinet, iam in oratione sit expresse positus. Eodemque modo, si quis hominem marem definire velit, non est bis adhibendum animal in definitione, semel ad explicandum hominem, & iterum ad explicandum sexum: sed dicere oportet, hominem marem esse animal rationale potens in alio generare; siquidem animal semel positum satis est ad explicationem vtriusque: omnes enim differentiæ adiunctæ referuntur ad genus primo loco positum. Atque hæc est vera causa, cur non semper liceat loco nominis in oratione positi totam definitionem sufficere. Eodem modo si definias hominem, substantiam corpoream animatam, sensitiuam, rationalem, licet vnaquæque differentia per se sumpta per genus, quod proxime diuidit, describi debet; tamen si loco differentiarum velis ponere earum explicationes; non opus est, vt in eis ponas genera omnia, quæ proxime iis differentiis diuiduntur, sed solum primum, cui illæ ordine quodam adiunctæ cætera inferiora genera constituunt.

Ad obiectionem vero de infinitione, ex dictis patet responsio: semper enim licet commutare nomina simi, & concaui, quando iunguntur cum verbo, Nasus, vt idem omnino sit dicere, Nasum simum, atque nasum concauum, vt supra dictum est. Hoc tamen dato, quod Aristoteles in contextu expresse confessus est, nulla sequitur infinitio, si inanem illam repetitionem tollas, quæ priori loco obiiciebatur. *Occurritur alteri de progressu in infinitum.*

ΚΕΦ. ϛ.

ΠΟ'τερον a δὲ ταὐτό ἐστιν ἢ ἕτερον τὸ τί ἦν εἶναι, καὶ ἕκαστον σκεπτέον· ἔστι γάρ τι πρὸ ἔργου πρὸς τὴν περὶ τῆς οὐσίας σκέψιν. ἕκαστόν b τε γὰρ οὐκ ἄλλο δοκεῖ εἶναι τῆς ἑαυτοῦ οὐσίας· καὶ τὸ τί ἦν εἶναι, λέγεται εἶναι ἡ ἑκάστου οὐσία. ἐπὶ c μὲν δὴ τῶν λεγομένων κατὰ συμβεβηκός, δόξειεν ἂν ἕτερον εἶναι, οἷον λευκὸς ἄνθρωπος ἕτερον, καὶ τὸ λευκῷ ἀνθρώπῳ εἶναι. εἰ γὰρ τὸ αὐτὸ ἀνθρώπῳ εἶναι, καὶ λευκῷ ἀνθρώπῳ, τὸ αὐτό.

τὸ d

CAPVT VI.

VTrum a autem quiditas, & vnumquodque idem sint, an diuersa, expendendum est: erit enim operæpretium ad considerationem de substantia. Nam b & vnumquodque nihil aliud esse videtur, quam ipsiusmet substantia, quiditas autem substantia cuiusque esse dicitur. Ac in c iis sane, quæ per accidens dicuntur, diuersa esse videbuntur, vt albus homo, & esse albi hominis. Si namque hominis esse, & albi hominis esse, idem sunt, idem & illa erunt.

Sed d

CAPITIS SEXTI EXPLANATIO.

VTrum a *autem quiditas.*] Tractat iam in hoc capite eam quæstionem, sintne idem, an diuersa quiditas, & res, cuius est quiditas: quam quæstionem icciرco vtilem esse ait ad disputationem de substantia rerum, quia valet ad refutationem sententiæ de ideis, quas Plato cum diceret esse quiditates, ac substantias rerum sensibilium, ab iis tamen, quarum essent substantiæ, reipsa separabat, ac proinde diuersas esse censebat: quæ sententia inferius ex iis, quæ hoc loco dicentur, refutabitur. *Quæstio. Num idem sit res, & sua quiditas?*

b *Nam & vnumquodque.*] Quid statim in hac quæstione sese offerat, proponit Aristoteles. Quis enim non continuo respondeat, idem esse rem quamque, atque idipsum, quod ipsa est, hoc est, quod eius definitione explicatur? alioqui rogatus, quid homo sit, recte dixeris esse aliquid aliud ab homine diuersum, atque ita in cæteris, quo nihil absurdius. Nec certe deest ratio, qua id aperte videatur confirmari. Nam cum substantia rei idem sit, quod res ipsa; quiditas autem idem sit, quod rei substantia, non dubie videtur colligi, quiditatem rei idem esse, atque rem ipsam. *Videri idem esse*

c *Ac in iis sane.*] Respondet propositæ quæstioni duabus conclusionibus, quarum prior est, In iis, quæ sunt per accidens, non idem esse quiditatem, atque rem ipsam: verbi causa, non idem esse, hominem album, & quiditatem hominis albi. Quod ex eo probat, quia si non est absurdum concedere, esse hominis, & esse hominis albi idem esse, tum demum admitti poterit, hominem album, & quiditatem hominis albi esse idem: quare cum illud vere absurdum sit, & hoc etiam absurdum esse. Assumptio, quæ supplenda est, satis est perspicua: sed de propositione non immerito dubitari potest. Eius enim veritas huic pronuntiato innititur [*Si homo albus, & quiditas albi hominis idem sunt, idem quoque erunt esse hominis* (per se scilicet, ac separatim) *& esse hominis albi*] quod nullam videtur habere probabilitatem. Sunt, qui respondeant, nunquam adiectiuum subiici in propositione, nisi ratione substantiui, cui adiacet, atque ea de causa nec quiditatem, nec definitionem hominis albi prædicari de homine albo, nisi quia prædicatur de homine: quare si qua quiditas est idem cum homine albo *Duæ conclusiones. Prior, non esse idem in iis, quæ sunt per accidens.*

ne albo

ne albo, eandem fore idem cum homine, cuius ratione dicitur de homine albo. Hæc tamen responsio non placet. Primum, quia etsi adiectiuum nunquam subiicitur in propositione, nisi substantiuum, cui adiacet, subiiciatur eidem prædicato, tamen sæpe substantiuum subiicitur ratione adiectiui, vt si dicas, [*Animal currens mouetur*] nam quia currens, quatenus currens mouetur; ideo animal, quod dicitur currens, dicitur moueri. Deinde, quia non recte sequitur [*Adiectiuum non subiicitur, nisi ratione substantiui: ergo quiditas significati per vtrumque, est idem cum significato solius substantiui*] nunquam enim recte colligitur quiditatem totius compositi esse idem cum altera parte compositi. Postremo, quia, si responsio bona esset, ne album quidem per se, & formaliter esset idem, quod quiditas albi, cuius tamen oppositum Aristoteles docet inferius hoc ipso capite. Consecutio ex eo patet, quia album non subiicitur in propositione, nisi quia corpus subiicitur, vt aiunt. Potius igitur dicendum est, propositam rationem disputationis gratia adductam esse, quod nec ipsa conclusio firmiter asserta sit, vt patet ex ipso verborum contextu: & merito quidem, quia inferius limitatur ad certum sensum, & alia ratione probatur, quasi hæc probatio non fuerit sufficiens. Itaque intelligatur ratio hæc habere eam probabilitatem, quam prædicti autores illi tribuunt, aut aliam quamlibet; firmitatem autem minime.

tex. 20.

Quo loco cum oratio & breuissima sit, & concisa; illud τὸ αὐτὸ, quod secundo loco ponitur, conclusionem propositæ conditionalis continet; quia significatur, idem quoque esse hominem album, & quiditatem hominis albi, si nimirum antecedens eius conditionalis admittatur.

τὸ d αὐτὸ γὰρ ἄνθρωπος, καὶ λευκὸς ἄνθρωπος, ὥς φασιν: ὥστε καὶ τὸ λευκῷ ἀνθρώπῳ, καὶ τὸ ἀνθρώπῳ. ἢ οὐκ ἀνάγκη ὅσα κατὰ συμβεβηκός, εἶναι ταὐτά. οὐ γὰρ ὡσαύτως τὰ ἄκρα γίνεται ταὐτά. ἀλλ' ἐ ἴσως γ' ἐκεῖνο δόξειεν ἂν συμβαίνειν, τὰ ἄκρα γίνεσθαι ταὐτὰ κατὰ συμβεβηκός, οἷον τὸ λευκῷ εἶναι, καὶ τὸ μουσικῷ εἶναι: δοκεῖ δὲ οὔ. ἐπὶ

Sed d enim idem sunt homo, & albus homo, vt aiunt: quare albi hominis esse, & hominis esse idem erunt. An non necesse est, quæcunque sunt per accidens, eadem esse? Neque enim extrema modo eodem eadem fiunt. Illud e tamen fortasse videatur accidere, extrema fieri eadem per accidens, vt albi esse, & musici esse, at non videtur.

In

d *Sed enim idem sunt.*] Græcus contextus sic habet, [*Idem enim sunt homo, &c.*] sed quoniam Aristoteles hic argumentatur contra id, quod dixerat, vt patet ex solutione, quæ mox subiicitur; sensum potius, quam verba secuti, aliter aliquantulum vertimus. Itaque Alexandri sententia proponit Aristoteles breuissime rationem Sophistarum, quæ sic habet: Homo idem est, quod homo albus: homo autem idem est, quod esse hominis: *(quod & ex se patet, & posteriori conclusione huius capitis confirmabitur)* igitur esse hominis est idem, quod esse hominis albi, quod absurdum esse credebatur. Cui argumentationi sic occurrit Aristoteles, vt neget consecutionem. Nec enim necesse est, vt duo quælibet extrema, quorum vtrumque, aut alterum per accidens conuenit medio, concludantur esse eadem inter se eo pacto, quo res, & eius quiditas debet esse vnum, & idem. Causa vero est, quia non coniunguntur inter se modo eodem in conclusione, quo in sumptionibus coniungebantur cũ medio. Verbi gratia, etsi aliquo id videatur recte colligi, vt si dicas, Hic homo est idem, quod coloratum colore dispartiente visum; hic homo est idem, quod album; igitur album est idipsum, quod coloratum colore dispartiente visum nempe id ipsum per se, ac primo tamen non est firma consecutio, vt patet si dicas: Hic homo est idem, quod album; hic homo est idem, quod musicum; igitur musicum est idipsum, quod album, nempe per se, ac primo. Sic igitur cum in proposita Sophistarum ratione maius extremum sit idem per accidens cum medio, nempe homo albus cum homine, non recte efficitur, vt sit idem per se, ac primo, cum minori extremo, quod tamen colligendum erat.

Sophistarum argumentatio.

Solutio eius.

e *Illud tamen fortasse.*] Diceret aliquis, hoc saltem colligi ex proposita Sophistarum ratiocinatione, esse hominis esse idem per accidens cum esse hominis albi, quo pacto videtur posse colligi in secundo à nobis proposito exemplo esse albi esse idem per accidens, quod esse musici. Sed respondet Aristoteles, id non ita esse. Cuius rei ratio est, quia etsi recte colligeretur esse hominis esse idem per accidens cum homine albo, & musicum idem per accidens cum albo: *(tametsi ne hoc quidem firma consecutione colligitur, vt ex dictis patet)* tamen nullo modo colligi potest, quod esse hominis sit idem, quod esse hominis albi etiam per accidens: quemadmodum nec colligitur, quod esse musici sit per accidens idem, quod esse albi. Quæ enim per accidens sunt idem, simpliciter, & sine addito dicuntur idem, vt album esse dulce: at nemo dixerit simpliciter, & sine addito, quod esse hominis sit esse hominis albi, aut quod esse musici sit esse albi. Esse enim in huiusmodi pronuntiatis sumitur pro ratione formali: falsum est autem

Promouetur Sophistarum ratiocinatio.

Rursus eidem occurritur.

dicere

dicere, rationem formalem hominis esse rationem formalem hominis albi, & rationem formalem musici esse rationem formalem albi, siue per se id intelligas, siue per accidens: quandoquidem rationes formales non possunt dici idem, nisi per se; rationes autem eorum, quæ sunt idem per accidens, non possunt esse idem per se. Atq; hæc de priori conclusione huius capitis, quæ vt dictum est, inferius explicabitur, & firmiori ratione probabitur.

ἐπὶ f δὲ τῶν καθ' αὑτὰ λεγομένων, ἀεὶ ἀνάγκη ταὐτὰ εἶναι: οἷον, εἴ τινές εἰσιν οὐσίαι ὧν ἕτεραι μή εἰσιν οὐσίαι, μηδὲ φύσεις ἕτεραι πρότεραι, οἵας φασὶ τὰς ἰδέας εἶναί τινες. εἰ g γὰρ ἔσται ἕτερον αὐτὸ τὸ ἀγαθόν, καὶ τὸ ἀγαθῷ εἶναι: καὶ ζῷον, καὶ τὸ ζῴῳ εἶναι: καὶ τὸ ὄντι, καὶ τὸ ὄν: ἔσονται ἄλλαι τε οὐσίαι καὶ φύσεις, καὶ ἰδέαι παρὰ τὰς λεγομένας, καὶ πρότεραι οὐσίαι ἐκεῖναι, εἰ τὸ τί ἦν εἶναι οὐσίας ἐστί. καὶ εἰ h μὲν ἀπολελυμέναι ἀλλήλων, τῶν μὲν οὐκ ἔσται ἐπιστήμη, τὰ δ' οὐκ ἔσται ὄντα. λέγω i δὲ τὸ ἀπολελύσθαι, εἰ μήτε τῷ ἀγαθῷ αὐτῷ ὑπάρχει τὸ εἶναι ἀγαθῷ, μήτε τούτῳ τὸ εἶναι ἀγαθόν.

ἐπιστή-

In iis f autem, quæ per se dicuntur, semper necesse est eadem esse; vt si quæ sint substantiæ, quibus aliæ substantiæ non sint, neque naturæ aliæ priores, quales nonnulli ideas esse dicunt. Nam g si aliud fuerit ipsum bonum, & boni esse; animalque, & animalis esse; atq; etiam ens, & entis esse: erunt illæ profecto aliæ substantiæ, & naturæ, ac ideæ, præter eas, quæ ponuntur; prioresq; substantiæ si quiditas substantiæ est. Quod si h abiuncta sunt à se inuicem, aliarum quidem non erit scientia, aliæ vero non erunt entia. Abiunctas i autem esse dico, si neq; ipsi bono insit boni esse, neq; huic esse bonum.

Scien-

f *In iis autem, quæ per se.*] Addit posteriorem conclusionem, nempe in iis, quæ sunt per se, idem esse rem, & quiditatem eius. Sumit autem ens per se pro substantia separata, siue re ipsa, vt sunt substantiæ immateriales, & apud Platonem ideæ; siue ratione sola, vt species substantiarum sensibilium. *Posterior conclusio, in iis, quæ sunt per se, idem esse rem, & eius quiditatem.*

g *Nam si aliud est ipsum bonum.*] Probat propositam conclusionem. Et quia, vt quiditas, & res cuius est quiditas, sint idem, necesse est, vt non solum non sint naturæ separatę à se inuicem, sed nec etiam distinctæ. Vtrumq; probat Aristoteles, tametsi prius non esse distinctas, hoc modo. Si quiditas, & substantia, cuius est quiditas, essent naturæ distinctę cum quiditas etiam substantia sit, hoc est, ad genus substantiæ pertineat; *(loquitur enim secundum subiectam materiam de quiditate substantiarum)* dabūtur profecto aliæ substantiæ priores ideis; *(quod negabat Plato)* cum & ipsæ ideæ quiditatem habeant. Quare dabitur aliquod bonum prius ipso bono, siue idea boni, & aliquod animal prius ipso animali, & aliquod ens prius ipso ente, quæ sunt absurda. Consequentia ex eo patet, quia si quiditas est distincta ab eo, cuius est quiditas, non dubium est, quin sit suapte natura prior: erit enim causa rei, cuius est quiditas. Quo loco aduerte apud Platonem omnes ideas esse substantias, quia dicebat eas per se existere. *Rem & eius quiditatem non esse naturas distinctas.*

h *Quod si abiuncta.*] Probat quiditatem in entibus per se, de quibus loquitur, non esse separatam à re, cuius est quiditas; quod quidem prius probare debuisset. Nam si non est distincta, satis liquet non esse separatam; si tamen probatum esset non esse separatam, nondum pateret, num esset distincta; cum multa distincta coniuncta sint, vt quantitas, & qualitas in eodem subiecto, & materia, & forma in eodem composito. Probatio igitur ducit ad duo incommoda. Alterum est: Si esset separata, non haberetur scientia de speciebus; de quibus tamen solis haberi dicitur, quemadmodum & definitio. Consequentia ex eo patet, quia scientia non habetur de re, nisi per ea, quæ sunt in re ipsa. Loquitur autem de scientia simpliciter, quæ non habetur, nisi ex propriis, ac intimis rei principiis. Alterum est: Si esset separata, cum quiditas specierum sit etiam quiditas indiuiduorum, certe indiuidua non haberent in se quiditatem, quare nec existentiam: quod incommodum æque valet in bono, in vno, & in cæteris, atq; in ente, vt scilicet non sit futurum bonum, in quo non sit quiditas boni, neq; vnum, in quo non sit vnius quiditas, &c. Aduerte autem ideo Aristotelem intulisse pro incommodis, non fore scientiam specierum, & indiuidua non fore entia: non autem è contrario, species non fore entia, & indiuiduorum non fore scientiam, quia scientia non est primo, & per se, nisi de speciebus; existentia vero, à qua res dicuntur entia, indiuiduis præcipue conuenit. *Nec item esse separatas.*

i *Abiunctas autem.*] Quasi interiecta parenthesi exponit, quo pacto loquatur de separatione quiditatis à re cuius est quiditas, & ait se loqui de separatione reali, non autem rationis siue distinctione ex natura rei, de qua iam loquutus fuerat. Quo loco nomine ipsius boni intelligit speciem boni; nomine autem huius boni, singulare bonum.

 1 Scien-

ἐπιστήμη τε l γὰρ ἑκάστου αὕτη, τὸ τί ἦν ἐκείνῳ εἶναι: καὶ ἐπὶ ἀγαθοῦ καὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως ἔχει. ὥστε m εἰ μηδὲ τὸ ἀγαθῷ εἶναι ἀγαθόν, οὐδὲ τὸ ὄντι ὄν, οὐδὲ τῷ ἑνὶ ἕν. ὁμοίως δὲ πάντα ἐστίν, ἢ οὐδὲν τὰ τί ἦν εἶναι. ὥστ' εἰ n μηδὲ τὸ ὄντι ὄν, οὐδὲ τῶν ἄλλων οὐδενί. ἔτι o ᾧ μὴ ὑπάρχει ἀγαθῷ εἶναι, οὐκ ἀγαθόν. ἀνάγκη p ἄρα ἓν εἶναι τὸ ἀγαθὸν, καὶ τὸ ἀγαθῷ εἶναι: καὶ τὸ καλὸν, καὶ τὸ καλῷ εἶναι: ὅσα μὴ κατ' ἄλλο λέγεται, ἀλλὰ πρῶτα καὶ καθ' αὑτά. καὶ γὰρ τοῦτο ἱκανὸν, ἐὰν ὑπάρχῃ: κἂν μὴ ᾖ εἴδη: μᾶλλον δ' ἴσως, κἂν ᾖ εἴδη.

ἅμα q δὲ δῆλον, καὶ ὅτι εἴπερ εἰσὶν αἱ ἰδέαι οἵας τινές φασιν, οὐκ ἔσται τὸ ὑποκείμενον οὐσία: ταύτας γὰρ οὐσίας μὲν ἀναγκαῖον εἶναι, μὴ καθ' ὑποκειμένου δέ: ἔσονται γὰρ κατὰ μέθεξιν.

ἐκ r

Scientia enim l cuiusque cognitio quiditatis illius est; idque in bono, & cæteris eodem modo se habet: Quare, m si nec boni esse bonum est, nec esse entis erit ens, nec vnius esse vnum. Similiter autem aut omnia sua quiditates sunt, aut nihil. Itaque, si n neque entis esse ens est, neque aliorum vllum. Præterea o cui non inest boni esse, id bonum non est. Necesse p est igitur vnum esse ipsum bonum, & boni esse, ipsumque honestum, & honesti esse, & omnino quacunque non per aliud, sed prima, & per se dicuntur. Hoc enim satis est, si detur, etiamsi formæ nulla sint; magis autem fortasse, si formæ sint.

Simul q etiam perspicuum est, si tales sint ideæ, quales quidam esse inquiunt, non fore subiectum substantiam: has enim necesse est quidem substantias esse, de subiecto autem non dici; alioqui erunt participata.

Ex r.

Duplex scientia, altera definitiua, altera demonstratiua.

† vt 1. Metaph. c. 7. tex. 48.

l *Scientia enim.*] Obiiciat aliquis: Si scientia est cognitio quiditatis, ergo sola definitio efficit scientiam, cum quiditas sola definitione mentali cognoscatur. Sed respondendum est, duplicem esse scientiam apud † Aristotelem multis in locis; vnam definitiuam, quæ definitione comparatur; alteram demonstratiuam, quæ demonstratione. Sed quia perfecte demonstratiua ex definitiua pendet; *(neque enim perfecta habetur, nisi per definitionem subiecti)* icirco ab Aristotele dictum est, scientiam cuiusque rei esse cognitionem quiditatis illius; quasi dixerit, perfectam rerum cognitionem per definitionem haberi, etiam demonstratiuam; seu potius, sine definitione subiecti non haberi, quia hæc sola penetrat ad intima rei principia. Vnde collige, perfectiorem multo esse demonstrationem, quæ fit per definitionem subiecti, quam quæ per definitionem passionis, quæ de eo demonstratur. Quin etiam in hac sæpe peti principium, si definitio non tradatur per veram passionis causam, vt definitio defectus lunæ per terræ obiectum.

Perfecta demonstratio fit per definitionem subiecti.

Per passionis definitionem sæpe petitur principium.

m *Quare si nec boni esse.*] Docet eandem rationem esse in cæteris, atque in bono, quod proximis verbis dixerat; vt nimirum aut omnium quiditates sint seiunctæ à rebus, quarum sunt quiditates, aut nulla. Itaq; sensus est: Si quiditas boni non est reipsa coniuncta cum bono, neq; quiditas entis erit cum ente coniuncta, neque vnius cum vno, &c. ita vt verba illa [*si nec boni bonum est*] idem valeant, ac si diceret [*si natura boni non est, eadem res cum bono*] & ita de cæteris deinceps.

n *Si neq; entis esse.*] Hoc loco Græce supplendum est ex præcedentibus verbum εἶναι, quod fortasse librariorum vitio excidit, vt legatur, εἰ μηδὲ τὸ ὄντι εἶναι ὄν.

Tex. 21.

o *Praterea cui non inest.*] Iam deducit secundum incommodum sumpto in exemplum bono: est enim, vt dictum est, eadem ratio in omnibus. Deductio autem iam à nobis paulo superius explicata est.

p *Necesse est igitur.*] Infert ex dictis propositam conclusionem, cuius veritatem satis esse dicit, nempe ad scientiam habendam de speciebus, & non negandam entitatem rebus indiuiduis; quorum opposita colligebantur ex contrario pronuntiato, vt patet ex dictis. Additque, etsi hæc conclusio satis est ad ea, quę dicta sunt, non admissa opinione Platonis de formis, siue ideis; rem tamen esse magis perspicuam proposita opinione idearum. Magis enim patet, non fore scientiam de speciebus, nec indiuidua earum fore entia, si quiditates rerum sint à rebus separatæ *(quod Plato in rebus naturalibus concedit)* quam si solum sint distinctæ, vt perspicuum est.

Refelluntur ideæ Platonis.

q *Simul etiam perspicuum est.*] Obiter inuehitur in ideas Platonis ex iis, quæ dicta sunt. Nam si ideæ sunt formæ separatæ ab iis, quas dicimus primas substantias, vt idea hominis à singulis hominibus, plane sequitur ex dictis primas substantias (*quas vocat prima subiecta*) non fore substantias. Si enim ideæ sunt formæ separatæ, non erunt profecto in subiecto inhæsionis vllo, *(quod est eas esse substantias)* nec de vllo subiecto prædicationis dicentur, quippe quæ dici nequeant de indiuiduis à quibus ponuntur separatæ, nisi forte denominatione extrinseca; quod tamen non satis est, vt eiusmodi indiuidua dicantur substantiæ, vt v. c. Socrates dicatur homo, aut animal, aut viuens, aut denique substantia: sed solum, vt dicatur humanus, aut viuenti similis, aut substantiale quippiam, quod ipsum hominem separatum aut animal, aut viuens, aut substantiam imitetur. Nam vt ideæ intrinseca prædicatione de indiuiduis dicerentur,

tur,

tur, necesse foret, vt essent ab illis participatæ, hoc est, in illis existentes, quod est contra hypothesim. Alio tamen sensu conceditur alias à Platone ideas esse participatas ab indiuiduis, vt primo libro dictum est, nempe eo pacto, quo exemplaria dicuntur ab exemplis participari, id similitudinem sui illis impertiri. *c. 7. ad tex. 31. & seq.*

ἔκ r τε δὴ τούτων τῶν λόγων, ἓν καὶ ταὐτὸ οὐ κατὰ συμβεβηκὸς, αὐτὸ ἕκαστον καὶ τὸ τί ἦν εἶναι: καὶ ὅτι γε τὸ ἐπίστασθαι ἕκαστον, τοῦτό ἐστι τὸ τί ἦν εἶναι ἐπίστασθαι. ὥστε κατὰ s τὴν ἔκθεσιν ἀνάγκη ἕν τι εἶναι ἄμφω. τὸ t δὲ κατὰ συμβεβηκὸς λεγόμενον, οἷον, τὸ μουσικὸν, ἢ λευκὸν, διὰ τὸ διττὸν σημαίνειν, οὐκ ἀληθὲς εἰπεῖν, ὡς τὸ αὐτὸ τὸ τί ἦν εἶναι καὶ αὐτό: καὶ γὰρ ᾧ συμβέβηκε λευκῷ, καὶ τὸ συμβεβηκός. ὥστε ἔστι μὲν ὡς ταὐτόν: ἔστι δὲ ὡς οὐ ταὐτὸ τὸ τί ἦν εἶναι καὶ αὐτό. τῷ μὲν γὰρ ἀνθρώπῳ καὶ τῷ λευκῷ ἀνθρώπῳ οὐ τὸ αὐτὸ, τῷ πάθει δὲ τὸ αὐτό.

ἄτοπον u δ' ἂν φανείη κἂν εἴ τις ἑκάστῳ ὄνομα θεῖτο τῶν τί ἦν εἶναι: ἔσται γὰρ καὶ παρ' ἐκεῖνο ἄλλο τὸ τί ἦν εἶναι ἵππῳ. καὶ

Ex r his rationibus patet, rem ipsam, & eius quiditatem vnum, atque idem non per accidens esse; & scire vnumquodque, nihil esse aliud, quam eius quiditatem nosse. Itaq; per s expositionem necessario efficitur, vt ambo vnũ quiddam sint. Id t autem, quod per accidens dicitur, veluti musicum, aut album, quia duo significat, nemo vere dixerit ipsum, & eius quiditatem idem esse: namq; & id, cui album accidit, & id, quod accidit, significat. Itaq; partim idem est, partim non idem quiditas, atq; res ipsa: homini enim, & albo homini non idem est, affectioni autem idem.

Absurdum porro videbitur, si quis vnicuiq; quiditati nomen imponat: erit enim præter illam alia quiditas equi.

At

r *Ex his rationibus patet.*] Repetit conclusionẽ, quam paulo ante collegerat, additque, quid sit scire, hoc est, ipsam quasi radicem scientiæ nosse, quæ est definitiua cognitio rei de qua habetur scientia.

s *Per expositionẽ.*] In iis, quæ sunt idem per se primo in vno tertio, valet expositio, siue expositorius syllogismus, quo concluditur illa esse omnino eadem inter se; vt si dicas substantia hominis est idem, quod animal rationale; substantia hominis est idem, quod homo; igitur homo est idipsum, quod animal rationale; atque ita in cæteris. Non valet tamen expositio in iis; quorum vtrumque, aut alterum est idem per accidens in tertio, siue non per se primo; vt si dicas, Socrates est idem, quod homo; Socrates est idem, quod album; igitur albũ est idem quod homo. *Quando valeat syllogismus expositorius.*

t *Id autem quod per accidens.*] Quia duæ conclusiones propositæ non satis videntur confirmatæ, ac explanatæ, (*nam præterquam quod vtraque indiget maiori luce, ratio, qua prior probata est, magis videtur disputationis gratia, quam vera confirmationis adducta, vt superius dictum est; in posteriori autem confirmanda aut supponebatur opinio Platonis, quæ postea impugnata est; aut non omnino concludebatur, idem esse rem, & quiditatem eius; siquidem ex negatione separationis rerum à suis quiditatibus non recte concluditur earum identitas inter se, vti diximus*) iterum aggreditur Aristoteles vtriusq; probationem, & explicationem. Quod igitur attinet ad priorem, ideo ait in entibus per accidens non idem esse rem, & eius quiditatem, aut potius partim idem esse, partim non idem; quia ens per accidens, vt album duo significat, subiectum scilicet, & affectionem, quæ subiecto accidit. Quiditas autem, quæ per nomen significatur, in solo eius formali significato consistit: res vero, quæ significatur nomine albi, & similibus, interdum dicitur totum id, quod vocabulum quomodocunque significat, subiectum, inquam, simul cum affectione; interdum id tantum, pro quo accipitur, vt homo, aut nix, aut quid simile; interdum id solum, quod formaliter significatur, vt albedo. Cum ergo id, quod formaliter significatur nomine albi, non sit idem, quod homo, aut quoduis aliud subiectum albedinis; neq; item idem, quod homo albus, aut nix alba, aut quoduis aliud compositum ex subiecto, & accidente; efficitur, vt in albo non sit idem res significata, quod quiditas eius, nisi nomine rei significatæ intelligatur sola affectio, siue qualitas. Quo loco aduerte, merito non esse hic sermonem de ente per accidens explicito, hoc est, significato per dua vocabula, quale est corpus album, homo albus, & similia. Hæc enim aut non habent quiditatem; aut habent quiditatem duplicem propter duo significata formalia vocabulorum, quæ non sunt vna quiditas, sed duæ: at album, quia vnum quid formaliter significat, iuxta illud Aristotelis in prædicamentis, album solam qualitatem significat, seu solum quale, vt quale est: (*neq; enim formaliter significat subiectum, sed connotatiue*) merito in controuersiam venire potuit, num eius quiditas sit idem cum re significata, quod idem dicendum de cæteris similibus. *Iterum probatur prior conclusio, magisq; explicatur.* *Quid album vtrumq; significet.* *cap. 8.*

u *Absurdum porro.*] Quod attinet ad posteriorem conclusionem, duabus iterum rationibus eam confirmat; simulque explicat, quo pacto sit intelligenda. Prior ratio hæc est: Si in entibus per se, vt in homine communi, aliud esset res ipsa, aliud quiditas eius; etsi quiditas, vt à re distinguitur, duobus vt minimum vocabulis significari solet; (*vt quiditas hominis* *Duæ rationes ad probandam posteriorem conclusionem.* *Prior ratio.*

 nomi-

nominibus animalis, & rationalis) posset tamen ei vnum nomen imponi, quasi naturæ cuidam distinctæ à re, cuius est quiditas: haberet igitur natura illa propriam quiditatem distinctam à se, veluti quiditas hominis aliam quandam quiditatem; aut certe, si quis diceret, quiditatem quiditatis non esse distinctam à quiditate, pari ratione idem dicere debuisset de quiditate rei; cum quiditas rei perinde sit substantia rei, atqui quiditas quiditatis esset substantia quiditatis. Qua ratione proposita docet quiditatem & rem non solum esse vnum subiecto, vt sunt homo & album, aut vnum re, vt sunt actio & passio; sed etiam vnum, & idem ratione. Dictum est enim quiditatem, & rem, cuius est quiditas, non per accidens tantum, sed per se idem esse, imo vero per se primo, & tanquam vnam, & eandem substantiam; quod ex proxima ratione patet. Aduerte tamen non ideo rem, & quiditatem eius dici idem ratione, quod habeat communem rationem, siue definitionem (*haberet enim hoc pacto definitio definitionem, quod fieri nequit*) sed quia non habet diuersam; idque non alia de causa, nisi quia quiditas est ipsa ratio obiectiua rei, cuius est quiditas.

καί τοι τί κωλύει καὶ νῦν εἶναι x ἔνια εὐθὺς τί ἦν εἶναι, εἴπερ οὐσία τὸ τί ἦν εἶναι; ἀλλὰ μὴν οὐ μόνον ἕν, ἀλλὰ καὶ ὁ λόγος ὁ αὐτὸς αὐτῶν, ὡς δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων: οὐ γὰρ κατὰ συμβεβηκὸς ἓν τὸ ἑνὶ εἶναι, καὶ ἕν. ἔτι y εἰ ἄλλο ἔσται, εἰς ἄπειρον εἶσιν. τὸ μὲν, γὰρ ἔσται τὸ τί ἦν εἶναι τὸ ἑνὶ εἶναι, τὸ δὲ τὸ ἕν: ὥστε καὶ z ἐπ' ἐκείνων ὁ αὐτὸς ἔσται λόγος.

ὅτι μὲν οὖν ἐπὶ τῶν πρώτων καὶ καθ' αὑτὰ λεγομένων, τὸ ἑκάστῳ εἶναι καὶ ἕκαστον, τὸ αὐτὸ καὶ ἕν ἐστι, δῆλον. οἱ aa δὲ σοφιστικοὶ ἔλεγχοι πρὸς τὴν θέσιν ταύτην, φανερὸν ὅτι τῇ αὐτῇ λύονται λύσει, καὶ εἰ ταὐτὸ Σωκράτης καὶ Σωκράτει εἶναι. οὐδὲν γὰρ διαφέρει, οὔτε ἐξ ὧν ἐρωτήσειεν ἄν τις, οὔτε ἐξ ὧν λύων ἐπιτύχοι. πῶς μὲν οὖν τὸ τί ἦν εἶναι ταὐτὸ, καὶ πῶς οὐ ταὐτὸ ἑκάστῳ, εἴρηται.

At vero quid prohibet, etiam nunc quadam x esse, qua continuo sint sua ipsorum quiditates, si quiditas substantia est? quin imo non solum vnum sunt, sed ratio eorum est eadem, vt ex dictis patet: neq; enim per accidens vnum ipsum, ac vnius esse, vnum sunt. Praterea y si aliud erit, in infinitum fiet progressio: hoc enim erit quiditas vnius, illud vero vnum ipsum: quare & in z illis eadem erit ratio.

In iis igitur, qua prima, & per se dicuntur, quiditatem, & rem ipsam vnum, atq; idem esse, ex iis, qua dicta sunt, perspicuum est Sophistarum aa vero redargutiones, qua contra hanc sententiam afferri solent, qualis est illa, sintne idem Socrates, & Socratis esse, non obscurum est eadem solutione dissolui. Nihil enim interest, ex quibus rem confirmes, & ex quibus ea, qua contra obiiciuntur, diluas. Quo igitur pacto quiditas, & res quaque idem sint, & quo pacto non idem, hactenus dictum esto.

Res singulares non sunt idem, quod sua quiditates.

x *Quadam esse, qua.*] Non loquitur de omnibus rebus habentibus quiditatem; quia res materiales, & sensibiles, vtpote singulares corporatæ, non sunt idem, quod suæ quiditates, (*qua nimirum sub definitionem cadant*) vt initio capitis diximus. Num autem idem dicendum sit de rebus singularibus materiæ expertibus, & quo pacto hæc omnia intelligantur, ad finem capitis dicendum est.

Posterior ratio.

y *Praterea si aliud.*] Posterior ratio est: si quis non putet incommodum esse quiditatem rei habere suam etiam quiditatem, & eo pacto effugere velit vim superioris rationis; cogetur pari ratione concedere, secundam illam quiditatem habere aliam, quæ sit tertia, & tertiam habere quartam, sicque dari progressum in infinitum in quiditatibus actu existentibus in eadem re: quod nulla ratione admittendum est. Quod autem exemplum sumit in vno, nihil refert: vnum enim apud Platonem erat positiuum quid, atque adeo in supremo gradu rerum, vt quiditatem merito habere credi posset.

Vnum apud Platonem erat quid positiuum.

z *Et in illis.*] Hoc est, in quiditate vnius, & quiditate talis quiditatis, & ita deinceps.

Soluuntur Sophistarum cauilli.

aa *Sophistarum vero.*] Docet ex conclusionibus huius capitis, quibus soluta est quæstio initio proposita, dissolui posse captiones, quibus Sophistæ vtuntur, vt colligant non idem esse vnumquodque, & quiditatem eius: cuiusmodi est illa: Si Socrates idem est, quod Socratis esse, hoc est, quod quiditas, & natura peculiaris Socratis; cum Socrates idem sit, quod album; (*vere enim dicimus Socratem esse album*) idem erit Socratem esse Socratem, atque Socratem esse album: cum hoc igitur dici non possit, non idem erit Socrates, atque esse, siue natura Socratis. Ait ergo Aristoteles ex dictis posse dilui hunc, & alios huiusce modi cauillos: vt si propositæ captioni occurras, Socratem non esse per se idem, quod album, sed per accidens; atque idcirco non effici, vt idem sit Socratem esse Socratem, atq; Socratem esse album. Ex quibus enim recte confirmatur, & stabilitur sententia aliqua, ex iisdem optime refutantur contraria. Quo loco id, quod Græce est ἐξ ὧν ἐρωτήσειεν ἄν τις, ideo vertimus [*ex quibus rē confirmes*] quia familiare est Aristoteli, vt interrogandi verbum pro confirmandi, ac probandi accipiat: id quod ex vsu Dialecticorum desumptum est, qui nihil probant, nisi ex consensu respondentis, quem interrogationibus obtinent.

Num

Num Quod quid est sit idem cum eo, cuius est?

QVÆST. VNICA.

Argumenta, quæ ex Aristotele desumi possunt pro vtraque parte.

SECTIO I.

Tria arg. ex Arist. pro parte negatiua. SVNT quædam ab Aristotele diuersis locis conscripta, quorum alia pro parte negatiua huius quæstionis, alia pro affirmatiua plane videntur pugnare. Pro parte negatiua tria potissimum se offerunt. Vnum est, quod cap. 10. huius libri ait, formam esse quiditatem totius compositi: constat autem formam aliud esse á composito, quod ab ea simul cum materia constituitur. Alterum, quod capite 11. plane docet, in iis, quæ simul cum materia concipiuntur, aliud esse, Quod quid est, aliud id, cuius est. Tertium, quod lib. 3. de anima c. 4. perspicue scripsit, aliud esse magnitudinem, aliud magnitudinis esse, hoc est, magnitudinis quiditatem: quo eodem modo subdit, aliud esse carnem, aliud carnis esse. *tex. 35.* *tex. 41.* *tex. 9.*

Alia item tria pro affirm. *tex. 20.* Pro affirmatiua etiam totidem occurrunt. Vnum est, quod ipso initio huius capitis veluti rem per se notam ait, vnumquodque nihil aliud esse videri, quam ipsius substantiam: quiditatem autem, & substantiam cuiusque rei idem esse dici. Secundum, & tertium paulo inferius adduntur. Secundum est, quod nisi idem essent, sequeretur res vniuersales (*quas solas dicimus sub scientiam cadere*) sciri non posse, perfecta nimirum, & accurata scientia: quandoquidem nulla res hoc pacto scitur per id solum, quod est aliud ab ipsa: vnumquodque enim per suam ipsius essentiam sic cognoscitur. Tertium est, quod nisi idem essent quiditas, & res, cuius est quiditas, ita vt quiditas esset in re ipsa per identitatem cum illa, sequeretur res singulares, quas solas primo entia esse dicimus comparatione vniuersalium, non esse entia: neque enim fieri potest, vt aliquid sit formaliter ens per aliquid aliud à se. Et quamquam Aristoteles in his duobus argumentis non loquitur de alietate sola, sed de separatione, vt diximus in expositione contextus: tamen quia separatio semper secũ affert alietatem, & alietas satis est ad concludenda ea incommoda, ad quæ ille opponentẽ adigit: nec vero vtitur separatione, nisi vt Platoni aduersetur: conuenientius fuit, vt in eis proponendis sola alietate vteremur.

Quid sentiendum sit in hac quæstione.

SECTIO II.

Quid est quiditas, quid ite id cuius est quiditas? VT difficultas hæc enodetur, exponendũ est, quid intelligatur hoc loco nomine quiditatis: quid etiam nomine eius, cuius est quiditas, seu, quod idem est, nomine rei habentis quiditatem.

Quorundam sentent. *Sonc. q. 20.* Sunt, qui velint hoc loco nomine quiditatis intelligi conceptum obiectiuum definitionis, veluti nomine quiditatis hominis animal rationale, vt distincte respondet definitioni hominis: nomine autem rei, cuius est quiditas, rem ipsam definitione declarandam, vt hominem simplici adhuc conceptu apprehensum. Verum hæc sententia non placet, quod nimium astricta sit: neque hoc pacto explicata præ se ferebat vllam difficultatem: neque etiam adhuc Aristoteles loquatur de quiditate more dialectico, quod inferius faciet.

Quid potius sit quiditas. Dicendum igitur, profundius quęrendum esse sensum quæstionis propositæ. Itaque nomine quiditatis videtur intelligenda tota natura rei per se subsistentis per modum formæ totius accepta: nomine autem eius, cuius est quiditas, res ipsa per se subsistens: quo pacto humanitas est Quod quid est hominis, Lentulitas Lentuli, albedo albi, & hęc albedo huius albi. *Quæstionis sensus.* Sensus autem quęstionis est, Num quiditas sit idem ex natura rei, hoc est, sine operatione intellectus, cum eo, cuius est quiditas: an non idem, sed aliquid aliud similiter ex natura rei?

tex. 20. *Duæ concl. Arist. explicandæ.* Hac igitur explicatione præmissa, videndum est, quonam modo conclusiones ab Aristotele in hoc capite constitutæ intelligendæ sint. Priorem hanc esse diximus, in iis, quæ sunt per accidens, non idem esse quiditatem, & id, cuius est quiditas: posteriorem, in iis, quæ sunt per se, idem hæc esse. *Duplex acceptio entium per se* Sed cum duobus modis accipere possimus entia per accidẽs, vno, cum illa expresse quoad vtramque partẽ significamus, vt cum dicimus homo albus, aut nix alba: altero, cum vnam partem significamus expresse, alteram insinuatitie, pro qua illud accipimus, vt cum dicimus, album: (*exprimimus enim qualitatem, & subiectum insinuamus*) ea, quæ sunt per accidens, in priori conclusione non sunt intelligenda priori modo: cum ea ratione non pertineant formaliter ad vnum tantum prædicamentum, sed ad diuersa: nec proinde vnam quiditatem habeant: cum tamen de vna quiditate, & de vna re, non pluribus sit sermo, cum quęritur, num quiditas sit idem cum eo, cuius est quiditas? *Quo modo ea sumenda in priori concl.* Itaque nomine entis per accidens intelligendum est in priori conclusione id, quod duo aliqua continet, quorum alterum expresse significatur, alterũ insinua-

 titie.

titiæ,pro quo illud accipitur. In posteriori autem conclusione nomine eorũ, quæ sunt per se,intelligenda sunt ea,quæ nõ quomodocũque per se subsistunt:sed etiam separata ab omni materia particulari, seu signata: siue illa re ipsa separata subsistant, vt Deus,& intelligentiæ:siue sola intellectus operatione,vt homo, & quæuis alia substantia materialis in commune sumpta. Vnde fit,vt etsi primæ substantiæ materiales omnino per se subsistant, non comprehendantur tamen hoc loco nomine eorum,quæ sunt per se.

Quo item in posteriori ea, quæ sunt per se.

Primas substantias material. non dici hic entia per se.

Ex his patet vtraq; conclusio ex mente Aristotelis. Prior quidem, quia in entibus per accidens,semper natura, quæ altero nomine formaliter exprimitur,est aliud ab eo, quod innuitur,& pro quo nomen accipitur, cuius tamen ratione natura illa per se subsistit. Posterior autem, quia ex Aristotelis sententia substantiæ omnes completæ,(*de his enim loquitur*) si subsistũt separatæ à materia particulari, nihil omnino addunt suis naturis per modum formarum acceptis, hoc est, in abstracto. Putat enim idem esse ex natura rei in iis substantiis significatum abstracti, & concreti, vt quemadmodum sine operatione intellectus idem est omnino in Deo Deus, & Deitas,& in homine communi homo, & humanitas, soloque concipiendi modo hæc distinguuntur,dum quiditas,seu natura concipitur vt forma: id autem, cuius est quiditas, per modum habentis formam:ita etiã in substantiis separatis infra Deum idem sint ista, vt V.G. Michael,& propria natura Michaelis. Itaque in solis per se subsistentibus includentibus materiam particularem, nempe in solis suppositis materialibus, seu primis substantiis ex materia,& forma constantibus, existimat quiditatem esse aliud ab eo ,cuius est quiditas:idque, quia accipit in his quiditatem, seu naturam,pro natura communi specialissima:rem autem,cuius est quiditas,pro composito ex ea natura,&differentia indiuiduante illi adiuncta, quam à posteriori sæpissime significat nomine materiæ particularis, seu signatæ, certa videlicet dimensione: quod compositum vocat σύνολον, quod latine est, simul totum:& quia quælibet pars est aliud à suo toto:iccirco in his cõcedit aliud esse quiditatem,aliud id,cuius est quiditas. Quod si acciperet quiditatem cuiusq; suppositi materialis pro tota natura illius propria, vt Platonem pro Platonitate, forsitan idem de his dixisset,quod de per se subsistentibus separatis à materia particulari, idem nimirum esse ex natura rei horum quiditates peculiares ,ac proprias,atq; ea , quorum essent quiditates: sicque in omnibus substantiis, quæ sunt siue re ipsa,siue per operationẽ intellectus omnino per se subsistentes,idem esse dixisset ex natura rei. Quod quid est cuiusque, atq; id, cuius illud est proprium.

Explicantur cõcl. Arist. iuxta ipsius mentem.

Hoc lib. c. 11. tex 41. & aliis locis.

Verũ etsi Aristoteles consentanea sibi hoc pacto loqueretur:rei tamen veritas aliud habet tam in substantiis separatis infra Deum, quam in suppositis materialibus. Quapropter illud certo statuendum est, tam in Deo, quam in substantiis vniuersalibus idem esse ex natura rei Quod quid est, & id, cuius est, licet alio atq; alio modo : habet enim diuina natura ex se realem subsistentiam, neq; eam expectat vel ab vlla differentia, à qua contrahatur:vel ab vllo supposito, à quo illam accipiat:cum potius ipsa propriam subsistentiam suis suppositis cõmunicet: substantiæ autem vniuersales, siue immateriales illæ sint, siue materiales,etsi non habent ex se realem subsistentiam, sed per sua supposita subsistunt: neq; etiam habent subsistentiam obiectiuam à se,sed ab intellectu, cuius beneficio repræsentantur quasi per se subsistentes : tamen eam subsistentiam non habent per aliquid, quod ab ipsis ex natura rei distinguatur, sed per suas ipsorum naturas,cum ex se ipsis habeant,quod intellectui sic obiici possint. Ita fit,vt tam in Deo,quam in substantiis vniuersalibus idem omnino sit ex natura rei Quod quid est,cum eo,cuius est: alio tamen, & alio modo propter diuersam subsistendi rationem, realem, & obiectiuam. At in aliis substantiis separatis,& in suppositis materialibus alia ratio est. Nam si quiditas in eis sumatur pro natura communi specialissima, vt eam accipit Aristoteles, eo quod solæ naturæ communes definiri soleant, opus est adiunctis differentiis indiuiduantibus, vt illa in eis indiuiduetur, fiatque singularis: nihil enim per se omnino subsistere potest, nisi sit singulare,siue vnum numero. Si vero sumatur pro natura singulari iam constituta ex natura specialissima, & differentia indiuiduante:adhuc opus est complemento illo, quod est vltimum in constitutione suppositi creati, seu primæ substantiæ creatæ, quæ est vltimũ totum in prædicamento substantiæ. Hoc enim nos docuit diuinæ incarnationis mysterium, cum Verbum diuinum assumpserit ad suam subsistentiam non suppositum humanum, sed humanam naturam singularem præuento illo complemento suppositi humani,quod in ea natura singulari resultaret, nisi à Verbo diuino,quod illud suppleuit,præueniretur. Quod idẽ accidisset in natura angelica,si verbum diuinũ non nostram, sed Angelorum naturam apprehendisset, vt D. Paulus loquitur, vsus nomine cõcreto pro abstracto cum

Vera quæst. resolutio.

In Deo, & in substantiis vniuersalib. idẽ est ex natura rei quiditas, & id cuius est.

Aliter se res habet in aliis substantiis.

Hebr. 2.

cum ait, *Non Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*

Censura conclusionũ Arist.

Itaque ex duabus conclusionibus, quibus Aristoteles propositæ quæstioni respondet, prior absolute vera est; posterior in solo Deo quoad realem subsistentiam, & in substantiis vniuersalibus quoad obiectiuam: in aliis autem substantiis separatis infra Deum, falsa est prorsus, non solũ quia in eis suppositum, & natura distinguuntur sine operatione intellectus; sed etiam, quia in eis natura specifica non idem omnino est cum natura indiuiduali, vt Aristoteles credidit, quod impossibile esse ad lib. 12. ostendemus: quo loco patebit, etsi non sit improbabile, quod D. Thomas, & multi alii Theoligi dicunt, omnes Angelos differre inter se specie, implicare tamen contradictionem nõ posse creari plures eiusdem infimæ speciei. Quod vero Aristoteles hic admittit in suppositis materialibus aliud esse Quod quid est, aliud id cuius est, non modo est verum sumpto Quod quid est pro natura communi specialissima, sed etiam sumpto pro natura singulari; quod etsi Aristoteles forsitan negaret, vt diximus, mirum tamen id non est, cum fidei lumine minime edoctus idem negauerit in omnibus substantiis separatis, in quibus erat eadem ratio, sumpto vtrobique Quod quid est pro natura singulari.

D. Th. 1. p. q. 50. ar. 4. Abul. Parad. 4. c. 34. Capr. in 2. d. 3. q. 1. Heru. q. 2. Caiet. de Ente, & essent. c. 5. q. 9. & alii.

Quid in accidentibus? differt ne etiam quiditas ab eo cuius est.

Siquis autem extenso nomine quiditatis quiditatem abstractorum accidentium roget, num in eis idem sit Quod quid est cum eo, cuius est? *(nam & accidentium abstracta, vt albedo, apprehenduntur ab intellectu simplici conceptu, quasi per se subsistentia, quemadmodum substantiæ vniuersales)* respondendũ est affirmatiue, si cui placet distinctio illa Scotica abstractorum in vltimata, & non vltimata, quam nos lib. 5. nõ probauimus. Neque id tantum respondendum in abstractis vniuersalibus, vt in albedine: sed etiam in singularibus, vt in hac albedine. Tuto enim dicetur in iis omnibus quiditatem idem esse cum iis, quorum quiditates esse dicuntur, si præcisa omni operatione intellectus spectetur; quia alioqui albedo concipitur vt habens naturam, quam Scotus vocat albedinitatem, albedinitas autem vt eiusmodi natura. Quãquam ea abstractorum accidentium distinctio, vt eo loco diximus, inanis videtur esse, & verbotenus conficta.

c. 28. q. 13. sect. 2. & 5.

Solutio argumentorum, quæ pro vtraque parte proposita sunt.

SECTIO III.

Non dixisse pugnantia Arist. hac in re.

A AD ea igitur, quibus Aristoteles videtur in hac quæstione secum pugnare, facile est occurrere. Nam primus locus pro negatiua parte, quo probare quis posset compositum naturale in commune non esse ex natura rei suam ipsius quiditatem, dicendum est, formam ibi accipi non pro forma vnius partis, hoc est materiæ sed pro forma totius, hoc est, omnium simul, quæ est tota essentia, vel (*vt hæc intransitiue explicari* B *solent*) non pro forma, quæ est pars, sed pro forma, quæ est totum. Nam & totum reuocat Aristoteles lib. 5. ad causam formalem, respectu omnium partium, ex quibus constat, & quibus dat esse reductitium certæ speciei: tametsi aliquando alibi Aristoteles vocat quiditatem, & * rationem quiditatis, eam formam, quæ est altera pars compositi, quia quiditatem complet, vt superius † diximus: & alibi etiam per synecdochen vocat C totum, quod sit principalis pars, & cuius comparatione nihil pene sit materia, vt 9. Ethicorum libro, cum ait, mentem esse hominum quemque.

Quam formam appellet quiditatem.

c. 2. tex. 3.

5. met. cap. 2. tex. 3.

** 2. Phys. c. 3. tex. 28.*

† c. 3. q. vnica ad finem lect. 2.

Secundus etiam locus nihil repũgnat iis, quæ dicta sunt: loquitur enim Aristoteles de iis, quæ concipiuntur cum materia signata, quæ sunt primæ substantiæ materiales.

Tertius denique eodem modo intelligi- D tur: sumitur enim in eo magnitudo pro re corporea singulari, & realiter per se subsistẽte; esse autem magnitudinis pro quiditate eius vniuersali, quam eo loco Aristoteles docet à re singulari per intellectum abstrahi; eodemq; modo accipitur nomen carnis pro carne singulari, & per se realiter subsistente; esse vero carnis pro quiditate carnis vniuersali: quamquam si etiam esse magnitudinis, & carnis acciperentur pro singularibus qui- E ditatibus, adhuc aliud essent magnitudo, & caro, seu earum supposita; aliud earum esse, seu quiditates.

Ad primum vero eorum, quæ pro parte affirmatiua allata sunt, dicendum est, id intelligendum esse de rebus vniuersalibus, in quibus confessi sumus idem esse, præcisa omni operatione intellectus, res ipsas, & earum quiditates. Eodemq; modo respondendum ad secundum: scientiæ enim sunt de v- F niuersalibus, non de singularibus.

Ad tertium dices, argumentationem recte concludere posita Aristotelis sententia, nihil cogitantis de distinctione suppositi creati, seu primæ substantiæ creatæ à natura singulari, tam in materialibus, quã in materiæ expertibus, cuius cognitionem Orthodoxa fides adduxit.

CAP.

ΚΕΦ. ζ.

Τῶν a δὲ γινομένων, τὰ μὲν φύσει γίνεται, τὰ δὲ τέχνῃ, τὰ δὲ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου. πάντα δὲ τὰ γινόμενα, ὑπό τέ τινος γίνεται, καὶ ἔκ τινος, καὶ τί. τὸ δὲ τί, λέγω καθ' ἑκάστην κατηγορίαν: ἢ b γὰρ τόδε, ἢ ποσὸν, ἢ ποιὸν, ἢ πού. αἱ δὲ γενέσεις, αἱ μὲν φυσικαὶ αὗταί εἰσιν, ὧν ἡ γένεσις ἐκ c φύσεώς ἐστι. τὸ δὲ ἐξ οὗ γίγνεται, ἣν λέγομεν ὕλην. τὸ δὲ d ὑφ' οὗ, τῶν φύσει τι ὄντων. τὸ δὲ τι, ὁ ἄνθρωπος, ἢ φυτὸν, ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων, ἃ e δὴ μάλιστα λέγομεν οὐσίας εἶναι.

ἅπαντα f δὲ τὰ γινόμενα, ἢ φύσει, ἢ τέχνῃ, ἔχει ὕλην:

CAPVT VII.

Eorum a autem, quæ fiunt, alia natura, alia arte, alia casu fiunt. Omnia item, quæ fiunt, & ab aliquo, & ex aliquo, & aliquid fiunt. Aliquid vero dico iuxta rationem cuiusq; prædicamenti: aut b enim fit hoc, aut quantum, aut quale, aut alicubi. Ac generationes quidem naturales eorum sunt, quæ c á natura gignũtur. Id autem, ex quo res fit, materia dicitur. A d quo vero fit, in iis, quæ natura constant, numeratur. Deniq; ipsum Aliquid, est homo, aut planta, aut aliquid talium, quæ e quidem maxime substantias esse dicimus.

Omnia f porro, quæ siue natura, siue arte fiũt, mate-

CAPITIS SEPTIMI EXPLANATIO.

Cur aget hoc cap. Arist. de Generatione rerum.

Eorum a autem.] Ex iis, quæ capite superiori dicta sunt de identitate rerum cum suis quiditatibus, duo fundamenta idearum corruerunt, vnum de rerum scientia, alterum de earum existentia. Credebat enim Plato res, quæ apud nos sunt, nec sciri, nec esse posse, nisi in ideis, & per ideas. Quæ fundamenta, tantum abest, vt firma sint, vt potius ex idearum sententia concludatur, nullam esse posse rerum sensibilium siue scientiam, siue existentiam; quippe quæ nec sciri, nec existere in rerum natura possint, si earum quiditates ab illis separatæ sint, vt ex dictis patet. Nunc igitur euersurus Aristoteles tertium fundamentum, quod Plato in generatione positum esse putabat, *(existimabat enim nullam posse esse generationem, nisi ponerentur exemplaria quædam separata rerum cuiusque speciei, ad quorum imitationem vnaquaque res fieret)* proponit quædam hoc capite de generatione rerum, ex quibus ostendet capite sequenti nihil opus esse exemplaribus separatis, vt res sensibiles eorum imitatione gignantur. Proponit igitur imprimis duas diui ones ad generationem pertinentes, vnam de modo generationis, alteram de iis, quæ ad generationem concurrunt: quæ pene omnia mox explicantur, reliqua sunt perspicua.

b *Aut enim fit hoc.*] Forsitan non nominauit plura prædicamenta, quam substantiæ, quantitatis, qualitatis, & loci, quia ad ea, quæ sunt in aliis prædicamentis, non est mutatio per se, sed per accidens, vt patet ex 5. Physicorum.

Duobus primis capitibus.

c *Quæ á natura gignuntur.*] Hoc est, non ex intentione artis, aut præter intentionem naturę, sed ex naturę proposito, *(quod est naturali generatione)* vt cum aliquid integrum nascitur. Nam si homo nascatur absque digitis, aut alia parte humani corporis, non erit generatio naturalis, sed casualis, quod res non sit genita ex proposito, & intentione naturæ.

Tex. 22.

Agens naturale debet esse quid completum.

d *A quo vero fit.*] Agens, quod his verbis significatur, propterea dicitur numerari in iis, quę natura constant, quia agens naturale debet esse aliquid completum, & per se subsistens; quod quidẽ in reb. sensibilib. *(de quibus tantum hic sermo est)* semper constat materia, & forma. Quo fit, vt nec materia ignis, nec forma, nec ipse etiam calor proprie dicatur calefacere lignum, sed ignis ipse duntaxat.

cap de substantia.

e *Quæ quidem maxime.*] Hoc addit, aut vt significet se loqui de substantiis completis, quæ maxime substantiæ sunt comparatione incompletarum, quæ non gignuntur, saltem per se, vel de substantiis singularibus, quas in prædicamentis vocat maxime substantias respectu secundarum, quæ per accidens generantur: aut certe cum dixisset [*Aut aliquid aliud talium*] hoc est, Aut aliquis alius terminus generationis late sumptæ, *(loquitur enim de generatione, vt complectitur omnes mutationes de non esse ad esse)* adiungit hæc verba, vt declaret terminos generationum præcipue esse substantias. Generatio enim simpliciter sumpta est generatio substantiæ; accidentium autem, seu potius compositorum ex substantiis, & accidentibus, nonnisi secundum quid, vt habes priori lib. de Generatione.

Generatio simpliciter, est generatio substãtiæ.

Cap. 3. tex. 18.

Quidquid aut natura, aut arte fit, habere materiam.

f *Omnia porro.*] Quod omnia, quæ siue natura, siue arte fiunt, materiam habeant, ex eo, probat Aristoteles, quia & esse, & non esse possunt; quod ex conditione materiæ nascitur, non quidem cuiusuis, sed eius, quæ in generatione substantiæ cernitur, de qua sola hic sermo est. Hæc enim, cum sit procliuis ad formas oppositas, versatilis est, & inconstantis naturæ: itaque & appetit, quas non habet, & admittit dispositiones contrarias, quæ cum eisdem formis esse non possunt.

possunt. Hinc patet ea etiam, quæ casu fiunt, habere materiam, cum ea sola ratione differant ab iis, quæ à natura, aut arte fiunt, quod, quatenus talia sunt, non sint intenta, & sæpe numero sint imperfecta.

ὕλην· δυνατὸν γὰρ εἶναι καὶ μὴ εἶναι ἕκαστον αὐτῶν· τοῦτο δ᾽ ἐστὶν ἡ ἐν ἑκάστῳ ὕλη. καθόλου g δὲ, καὶ ἐξ οὗ φύσις, καὶ καθ᾽ ὃ φύσις· τὸ γὰρ γινόμενον ἔχει φύσιν, οἷον, φυτὸν, ἢ ζῷον· καὶ ὑφ᾽ οὗ, ἡ h κατὰ τὸ εἶδος λεγομένη φύσις ἡ ὁμοειδής· αὕτη δὲ ἐν ἄλλῳ· ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ. οὕτω μὲν οὖν γίνεται τὰ γινόμενα διὰ τὴν φύσιν.

αἱ i δ᾽ ἄλλαι γενέσεις, λέγονται ποιήσεις. πᾶσαι δέ εἰσιν αἱ ποιήσεις, ἢ ἀπὸ τέχνης, ἢ ἀπὸ δυνά-

materiam habent; quippe cum eorum quodque tum esse, tum non esse possit: quod quidē præstat materia, quæ in singulis existit. Vniuerse g autē id, ex quo, & id, quo res fit, natura est; id vero quod fit, naturam habet, vt plāta, aut anima; & id etiam, à quo fit, natura, h inquā, illa, quæ ratione formæ eiusdem speciei est, & in alio cernitur: homo enim hominem generat. Hoc igitur modo fiunt, quæ natura fiunt.

Cæteræ i vero generationes effectiones appellantur. Omnes autē effectiones, aut ab arte, aut à po-

g *Vniuerse autem.*] Cum tria dixerit concurrere ad generationem, agens, materiam, & generationis terminum ad quem, (*nam de termino à quo, cum sit priuatiuum quid, parum erat curandum*) distincto nunc termino in materiam, & formam; hæc omnia quatuor, quod ad naturalem generationem attinet, reuocat ad naturam; materiam quidem, & formam directe, quippe cum natura de vtraque prædicetur; terminum autem, & agens indirecte. Neque enim dicuntur natura, sed habentia naturam, quæ magis generali vocabulo appellantur naturalia; tametsi adiuncto nomine entis peculiari appellatione dici solent entia naturalia, vt distinguantur & à materia, & à forma, quæ vocantur naturæ, & ab accidentibus naturalibus, quæ solum dicuntur secundum naturam. *Quæ comprehendantur nomine naturæ.*

h *Natura, inquam, illa.*] Naturæ nomen his verbis vsurpat pro essentia, iuxta primam significationem huius nominis, de qua lib. 5 cap. 4. patet autem essentiam generantis ratione formæ esse eiusdem speciei cum re genita, quippe cum differentiæ rerum naturalium, quæ specierum rationem complent, ex formis sumantur, vt hoc ipso libro intelliges. Aduerte autem generans & genitum ideo dici eiusdem speciei, quia, si non conueniunt in specie aliqua infima, certe conueniunt in subalterna. Neque enim in hac reuocatione eorum, quæ in naturali generatione cernuntur, sermo est de generatione accidentis, sed substantiæ; omnis autem substantia, quæ gignitur, aut est eiusdem speciei infimæ cum generante, vt homo: aut eiusdem subalternæ, vt mulus. Nec obest, quod Deus ipse est generans, qui tamen non habet genus: nec enim loquimur de remoto, ac primo generāte, sed de proximo, seu (*quod eodem redit*) de agente, cui proxime generatio attribuitur, vt excludamus instrumenta. *tex. 5.* *Generans & genitum eiusdem speciei.*

i *Cætera vero generationes.*] Explicata, quantum satis erat, generatione naturali, & iis, quæ ad eam concurrunt, agit de cæteris generationibus: docetque primum; cæteras potius vocari effectiones, quam generationes, deinde, omnes effectiones aut ab arte, aut à potentia, aut à mente proficisci. At dicat aliquis, hæc non congruere cum diuisione posita initio capitis, in qua dictum est, omnia, quæ fiunt, aut natura, aut arte, aut casu fieri. Primum, quia in his duabus periodis nulla fit mentio generationum, quæ fiunt casu. Deinde, quia adhibentur alii duo modi generationum, nempe à mente, & à potestate, qui initio capitis prætermissi sunt. Sed occurrendum est, generationes, quæ casu fiunt, statim reuocari ab Aristotele ad naturales, & cæteras, quæ commemoratæ sunt, vt mox dicetur, initio autem capitis, cum fit mentio eorum, quæ arte fiunt, ad ea reuocanda esse, quæ à potentia, aut mente proficiscuntur; quæ tamen hoc loco vberioris doctrinæ causa distinguuntur ab autore. Nomine enim effectionum, quæ à potentia proficiscuntur, intelligendæ sunt illæ, in quibus ars, & mens, siue intellectus parum loci habent: veluti in trahendis per vim corporibus, vt recte exponit Diuus Thomas: nomine autem earum, quæ fiunt à mente intelligendæ sunt effectiones, quæ etsi intelligentiæ multum habeant, non tamen ex habitu proficiscuntur, sed ex solo mentis discursu, & inuentione. Cur autem hæ omnes generationes, quæ initio capitis nomine generationum artis comprehensæ sunt, potius dicantur effectiones, quam generationes, causa est, quia generationis nomē innuit quandam naturæ propensionem, & determinationem ad vnum; effectionis autem vocabulum quandam potius libertatē, & imperium agentis: vnde non dicimus figulum generare vrceum, sed facere, seu fingere; contra vero nemo dicat ignem facere ignem, sed generare. *Quæ generationes proprie dicātur effectiones.* *Quæ effectiones sint à potentia.* *Quæ à mente.* *Rāo discriminis inter generationes, & effect.*

l *Atque earum quædam.*] Reuocat tertium membrum diuisionis positæ initio capitis ad duo priora, hoc est, ea, quæ casu fiunt, ad ea, quæ fiunt natura, aut arte. Vt n. casus miscetur in generatio- *Casus miscētur generationibus*

naturalibus, & artificiosis.

rationibus naturalibus, ita & in artificiosis iuxta omnes tres modos, quibus aliquid arte confici diximus, late sumpto artis vocabulo. Nam vt inter ea, quæ fiunt à natura, nonnunquam reperias aliqua, quæ fiunt præter intentionem agentis particularis; (*quod est fieri casu*) veluti cum animal generatur ex putredine, aut monstrum ex semine: ita & inter ea, quæ arte conficiuntur; vt cum remediis, quæ ad sanandum adhibentur, augetur morbus; aut contra rebus cõparatis ad nocendũ corpori acquiritur sanitas. Dixi [agentis particularis] quia respectu agentis vniuersalis, saltem primi, nihil fit casu, vt patet ex libro superiori: quo fit, vt inepte dicat Auerroes in 12. librum huius operis, & alibi sæpe, nihil idem posse fieri & à casu, & per se. Cõparatione enim diuersarũ causarũ nihil impedit, quominus id accidat. Aduerte autem hoc loco, quẽadmodum ea, quæ arte conficiuntur, distinguuntur in ea, quæ ab arte pressius sumpta, & quæ à potentia, & quæ à mente proficiscuntur ita quæ fiunt casu (*casus nomine latius sumpto, vt iam explicatum est*) distingui in ea, quæ fiunt à fortuna, & à casu pressius accepto. Inter ea enim, quę casu fiunt, illa dicuntur fieri à fortuna, quæ accidunt præter intentionem agentis liberi; illa vero retinent commune nomen casus, quæ fiunt præter intentionem agentis naturalis, siue quod ex impetu naturæ ducitur, vt 2. libro Physicorum late docet Aristoteles.

Quæ fiunt à fortuna, quæ à casu presse accepto nomine.
c. 6. à tex. 57.

δυνάμεως, ἢ διανοίας. τούτων l δέ τινες γίγνονται καὶ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου, καὶ ἀπὸ τύχης παραπλησίως, ὥσπερ ἐν τοῖς ὑπὸ φύσεως γιγνομένοις. ἔνια γὰρ κἀκεῖ ταυτὰ καὶ m ἐκ σπέρματος γίνεται. n καὶ ἄνευ σπέρματος. περὶ μὲν οὖν τούτων ὕστερον ἐπισκεπτέον. ἀπὸ o τέχνης δὲ γίγνεται, ὧν τὸ εἶδος ἐν τῇ ψυχῇ. εἶδος δὲ λέγω, τὸ τί ἦν εἶναι ἑκάστου, καὶ τὴν πρώτην οὐσίαν. καὶ p γὰρ τῶν ἐναντίων τρόπον τινὰ τὸ αὐτὸ εἶδος. τῆς γὰρ στερήσεως οὐσία, ἡ οὐσία ἡ ἀντικειμένη, οἷον ὑγίεια νόσου: ἐκείνης γὰρ ἀπουσίᾳ δηλοῦται ἡ νόσος. ἡ δὲ ὑγίεια, ὁ ἐν τῇ q ψυχῇ λόγος, καὶ ὁ ἐν τῇ ἐπιστήμῃ.

γίνε-

à potentia, aut à mente proficiscuntur. Atque l earũ quædam à casu, quædam à fortuna fiunt, perinde atq; in iis accidit, quæ fiunt à natura. Et illic enim quædã m *ex semine, & sine semine eadem* n *gignuntur. Verum de his postea considerandũ. Ab arte* o *aũt fiunt, quorũ forma in anima est: formã vero dico quiditatem cuiusq; substantiamq; primã. Etenim* p *contrariorum eadem quodammodo est forma. Namq; opposita substantia priuationis substantia est, vt sanitas morbi; quippe cum illius absentia declaretur morbus; sanitas autem est ea ratio, quæ & in* q *anima, & in scientia existit.*

Fit

m *Quædam ex semine.*] Vtitur verbo [*quædam*] quia non omnia, quæ ex semine gignuntur, possunt naturaliter generari sine semine, veluti ex putredine, aut alia materia, quemadmodum Auicenna perperam putauit, quem ea de causa vehementer reprehendit Auerroes in octauum Physicorum; tametsi in libro 2. huius operis ait, hanc & alias quasdam opiniones, quæ Auicennæ tribuuntur, non esse Auicennæ adscribendas. Ratio vero pro Aristotelis sententia est; quia ad perfectionem quorundã animalium pertinet, vt non nisi ex semine generari possint, quippe quæ aluo matris indigeant, in quo natura sensim possit disponere eorum materiam, imo & tutari aliquandiu compositum, cui plura, & delicatiora organa contuleris ad perfectiores quasdam operationes obeundas. Quanto enim aliquid perfectioris naturæ est, (*quod in his rebus inferioribus intellige*) tanto pluribus indiget, vt absoluatur, & compleatur.

Vide quæ dicimus hoc ipso cap. q. 1.
Tex. 23.
Cur non omnia animalia sine semine gigni queant.

n *Eadem gignuntur.*] Hoc est, eiusdem speciei. Quo loco habes, sententiam Aristotelis esse, murem, qui ex putredine, & qui à mure generatur, eiusdem esse speciei; quemadmodum eiusdem omnino naturæ est arbor, quæ spõte nascitur, & quæ ex semine: quod satis indicant fructus, accidentia, & effecta omnia prorsus similia, etiamsi Auerroes in loco citato affirmet ea, quæ generantur ex semine, & sine semine, æquiuoce conuenire inter sese.

Animantia ex semine, & modo alio genita eiusdem speciei.

o *Ab arte autem fiunt.*] Docet, quo pacto res arte conficiantur: primumque, à quo principio formali agentis prodeant: quod quidem ait esse formam existentem in animo agentis, vtpote rationem illam, & conceptum formæ inducendæ in materiam, vt conceptum sanitatis, conceptum figuræ, domus, & similium formarum. Eam vero formam in animo artificis existentem merito vocat tum quiditatem, hoc est, rationem formalem expressam, & distinctam formæ introducendæ, eo quod sit mentalis illius definitio; tum etiam primam substantiam, id est, primam formam, quia est prior naturæ ordine, quam forma, quę ab artifice in materiam introducitur cum sit causa illius, seu potius principium formale, quo causa efficiens agit. Nam quemadmodum forma naturalis est causa eius, quæ est in mente artificis; (*semper enim artifex ex vna, aut pluribus formis naturalibus concipit artificialem*) ita forma, quę est in mente artificis, est causa eius, quæ ab artifice inducitur.

De forma siue idea, quæ artifici est principium agendi.
Cur dicatur quiditas.

p *Etenim contrariorum.*] Hæc verba eo pertinent, vt probet aliam esse formam, quæ est in mente; aliam, quæ in materiam introducitur. Ratio vero est, quia formæ, siue naturæ contrariorum.

Esse diuersam à forma, quæ in materiam inducitur.

riorum, quæ sunt in materia, non modo sunt diuersæ, sed etiam contrariæ, ac repugnantes inter se, quippe cum altera expellat alteram; at formæ contrariorum, quæ sunt in mente, tantum abest, vt sint contrariæ, & repugnantes, vt vna sit quodammodo forma alterius. Id quod accidit ex eo, quia ibi non est natura ipsa contrariorum, sed ratio, & conceptus illorum: conceptus autem vnius contrarii, & omnino vnius oppositi, non solũ non impedit conceptũ alterius, sed potius ad illum confert: adeo vt conceptus formæ sit quodãmodo conceptus priuationis, quo pacto conceptus valetudinis dici potest cõceptus morbi, seu potius inualetudinis: quippe cum priuatio explicetur per absentiam formę, seu potius sit ipsa absentia formæ.

q *In anima, & in scientia.*] In anima, inquit, vt in subiecto; in scientia vero, vt internũ exemplar, ad cuius normam sanitas in ægrotum à scientia inducitur.

γίνεται r δὲ τὸ ὑγιὲς, νοήσαντος, ἐπειδὴ τόδε ὑγίειαν, ἀνάγκη, εἰ ὑγιὲς ἔσται, τόδε ὑπάρξαι, οἷον, ὁμαλότητα: εἰ δὲ τοῦτο, θερμότητα: καὶ οὕτως ἀεὶ νοεῖ, ἕως ἂν ἀγάγῃ εἰς τοῦτο, ὃ αὐτὸς δύναται ἔσχατον ποιεῖν. εἶτα ἤδη ἡ ἀπὸ τούτων κίνησις ποίησις καλεῖται, ἡ ἐπὶ τὸ ὑγιαίνειν. ὥστε συμβαίνει τρόπον τινὰ ὑγίειαν ἐξ ὑγιείας γίνεσθαι, καὶ τὴν οἰκίαν ἐξ οἰκίας, τῆς ἄνευ ὕλης τὴν ἔχουσαν ὕλην: ἡ γὰρ ἰατρική ἐστι καὶ οἰκοδομικὴ, τὸ εἶδος τῆς ὑγιείας καὶ τῆς οἰκίας. λέγω δὲ οὐσίαν ἄνευ ὕλης, τὸ τί ἦν εἶναι.

τῶν

Fit r autem sanum, cum quis hũc in modum cogitat. Quoniam hoc est sanitas, si quid futurum est sanum, necesse est, esse hoc aliud, veluti æqualitatem; si vero hoc, calorem; quo pacto semper ratiocinatur, donec rem deducat ad id vltimum, quod ipse facere potest. Deinde iam ea motio, quæ à talibus incipit, effectio appellatur, quæ ad sanitatem itur. Ita fit, vt sanitas ex sanitate quodammodo fiat, & ex domo domus, ea nimirum, quæ habet materiam, ex ea, quæ sine materia est: artes enim medendi, & ædificandi, sanitatis, ac domus forma sunt. Voco autẽ substantiam sine materia ipsam rei quiditatem.

Genera-

r *Fit autem sanum.*] Docet, quo pacto ex forma, quæ est in mente, prodeat forma, quæ per artem inducitur: prodit autem, vt ait, duobus progressibus; altero cogitationis, qui incipit à forma, quæ est in mente artificis, & finitur in re, quæ primum facienda est, vt forma concepta introducatur in materiam: altero effectionis, qui incipit ab eo, quod primo faciendum esse iudicatum est, & finitur in introductione formæ conceptæ. Verbi causa, Medicus, vt sanet ægrotum, primum concipere debet naturam sanitatis, vtpote quod sit certa humorum proportio naturæ animalis accommodata: quæ cum obtineri nequeat, nisi humores æquentur, hoc est, ad prædictam proportionem reducantur: iudicat necessariam esse ægroto huiusmodi ęquationem, siue reductionem. Quod si ægrotus laborat excessu frigidi humoris, colligit necesse esse, vt adhibeatur calor. Denique, quia id iudicat commode fieri confricatione, hanc primum statuit esse adhibendam, si iam in potestate medici proxime situm est, vt confricationem adhibeat alioqui cogitabat adhuc vlterius, quibus rebus sit opus, vt adhibeatur. Atq; in hac re, quæ proxime in eius potestate sita est, finitur progressus cogitationis, & ex eadem incipit progressus effectionis, quasi retrorsum versus, vt ad introductionẽ sanitatis terminetur, qui solus progressus dicitur sanatio, hoc est, sanitatis effectio. Siquidem prior ille potius consultatio de sanitate, seu curatione, quam sanatio, aut curatio appellari debet. Vnde patet, sanitatem quodammodo fieri ex sanitate, (*quod idem dicendum est de forma domus, quæ hoc loco in exemplum affertur, & de reliquis formis, quæ per artem inducuntur*) vtpote sanitatem realem ex sanitate concepta, & formam domus realem ex forma domus concepta, seu (*quod idem valet*) ex conceptu formæ domus. In qua re magnum cernitur discrimen effectionis artificiosæ à naturali, siquidem in naturali non fit quodã modo forma ex forma, sed vere fit, seu potius introducitur; cũ agens agat per formam veram, & realẽ eiusdem speciei: at in artificiosa fit forma in materia ex forma extra materiam, hoc est, forma realis ex sua ratione formali, quæ in anima existit, quæ ratio hoc loco etiam substantia sine materia vocatur.

Duobus progressibus hanc ab illa procedere.
Altero cogitationis.
Altero effectionis.

Sanitas quodãmodo fit ex sanitate.
Discrimen inter introductionem formæ naturalis & artificiosæ.

s *Generationum autem.*] Priorem progressum, quẽ Aristoteles hic vocat cogitationẽ, siue cõsiderationẽ, siue intelligentiã, (*hæc n. omnia significat verbũ νόησις, tametsi hoc loco cõmodius cogitationẽ, siue discursum mentis*) vocant recentiores progresſũ intentionis, quod incipiat à cõceptione rei, quæ pcipue intendit; posteriorẽ autẽ vocant exequutionis: q agens per eũ exequatur, q faciendũ cogitauit. Ex hoc, & alhis locis similib. desumitur cõe illud pnuntiatũ, Quod est primũ in intẽtione dicit vltimũ in executione; & cõtra, Primũ in executione, vltimũ in intẽtione.

Hinc desumi pronuntiatum, Quod est primũ in intentione &c.

t *Quod si casu efficit.*] Docet, quo pacto sanitas fiat casu: vnde satis intelligi poterit, quo pacto res aliæ casu eueniant. Ait ergo, tum demum sanitatẽ euenire casu respectu agentis per artẽ siue liberi, cum initium sumitur ab eo, quod est primum in secundo progressu, siue in executione, hoc est, cum non præcedit deliberata intentio faciendi illud propter sanitatem veluti

Quomodo sanitas casu acquiratur.

 cum

cum quis aliud agens, nihilq; de sanitate cogitans, stomachum fricat, eique calorẽ conciliat, vt bene digerat, tametsi sanitas hoc pacto comparata possit dici naturaliter acquisita, si referatur ad naturam impellentem ad confricationem ex intentione primi agentis, qui rebus ad se conseruandum naturalem impetũ impressit. Hinc patet, tum demũ res fieri casu, siue operationib᷒ artis, siue naturæ, cum fiunt præter intentionem agentis proximi, vt superius dictum est.

u *Pars est sanitatis.*] Vt cum morbus consistit in solo caloris defectu.

Τῶν ſ δὲ γενέσεων καὶ κινήσεων, ἡ μὲν νόησις καλεῖται, ἡ δὲ ποίησις: ἡ μὲν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς καὶ τοῦ εἴδους, νόησις: ἡ δ᾽ ἀπὸ τοῦ τελευταίου τῆς νοήσεως, ποίησις. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν μεταξὺ ἕκαστον γίνεται. λέγω δ᾽ οἷον, εἰ ὑγιανθῇ, δεῖ ὁμαλυνθῆναι. τί οὖν ἐστι τὸ ὁμαλυνθῆναι; τοδί. τοῦτο δ᾽ ἔσται, εἰ θερμανθήσεται. τοῦτο δὲ τί ἐστι; τοδί: ὑπάρχει δὲ τοδὶ δυνάμει: τοῦτο δὲ ἤδη ἐπ᾽ αὐτῷ, τὸ δὴ ποιοῦν, καὶ ὅθεν ἄρχεται ἡ κίνησις τοῦ ὑγιαίνειν, ἐὰν μὲν ἀπὸ τέχνης, τὸ εἶδός ἐστι τὸ ἐν τῇ ψυχῇ. ἐὰν t δ᾽ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου, ἀπὸ τούτου δηλονότι, ὅ ποτε τοῦ ποιεῖν ἀρχὴ τῷ ποιοῦντι ἀπὸ τέχνης: ὥσπερ καὶ ἐν τῷ ἰατρεύειν, ἴσως ἀπὸ τοῦ θερμαίνειν ἡ ἀρχή: τοῦτο δὲ ποιεῖ τῇ τρίψει. ἡ θερμότης τοίνυν ἡ ἐν τῷ σώματι, ἢ μέρος u τῆς ὑγιείας, ἢ ἕπεταί τι x αὐτῇ τοιοῦτον, ὅ ἐστι μέρος τῆς ὑγιείας, ἢ διὰ πλειόνων: τοῦτο δ᾽ ἔσχατον,

Generationum ſ autẽ, motionumq;, hæc idẽ cogitatio, illa vero effectio vocatur: quæ enim ab ipso principio, & forma incipit, cogitatio; quæ vero ab eo, quod in cogitatione vltimum est, effectio dicitur. Eodemq; modo fit vnumquodq; cæterorũ, quæ inter hæc interiecta sunt. Exempli causa, si sanabitur, ad æqualitatem oportet redigatur. Quid igitur est ad æqualitatem redigi? hoc certe; at hoc erit, si calefiet. Hoc vero quid est? nempe hoc, quod quidem fieri potest; at hoc iam est in potestate huius. Id igitur, quod efficit, & vnde incipit motio, qua sanitas comparatur, si ex arte quidem efficit, forma est ea, quæ in anima existit. Quod si t casu efficit, ab eo incipiet, quod principium est faciendi ei, qui ex arte efficit; quemadmodum in curatione forsitan à calore inducendo initium sumitur, quod ille fricatione facit. Calor igitur, qui in corpore genitus est, pars u est sanitatis, aut illum x continuo sequitur tale aliquid, quod sit sanitatis pars, aut per plura: quod quidem vltimum est id, quod

x *Aut illum continuo sequitur.*] Verbum [*continuo*] non est in Græco, sed sensus illud necessario postulat; sequitur aũt continuo aliquid, quod sit pars sanitatis, cũ morbus nõ consistit in defectu caloris, sed in defectu, aut excessu alicuius rei, quę solius caloris interuentu recuperari, aut ad mediocritatẽ reduci potest; vt cũ morbus ex sola indigestione stomachi ꝓuenit, quam calor recuperat: quod tñ non continuo accidit, si morbus consistat in defectu, aut excessu alicuius rei, quæ proxime per calorem ad debitam proportionem reduci nõ possit; sed per aliud, aut alia media, vt cum calor ex cõfricatione membrorũ excitatus aperit meatus corporis, quibus deinde apertis fit expedita motio spirituum: facto autem libero discursu spirituum dissoluuntur humores aliqui, quorum compactione partes aliquæ corporis laborant.

y *Quod sanitatem efficit.*] Græce tantũ est [*quod efficit*] sed oportet subaudire, sanitatẽ. Sensus vero est, id vltimum, quod efficitur per curationem, efficere, hoc est, complere, & absoluere sanitatem.

Nihil fieri, nisi ex aliquo præexistente, quod ipsius pars sit.

Tex. 24.

Imo & pars quiditatis ipsius.

z *Quare quemadmodum.*] Confirmat ex iis, quæ dicta sunt, vulgatum illud pronuntiatum, quo dici solet, Impossibile esse quicquam fieri, si nihil ante existat, quod eius pars sit futurum: quod quidem pronuntiatum verum est in iis, quæ fiunt per veram mutationẽ, quo pacto hoc loco de iis, quæ fiunt, sermo est. Et quidem, quod necesse sit præexistere partẽ rei: quæ fit, hoc est, rei singularis, ex eo probat, quia mataria est pars quædam præexistens, cum & insit, hoc est, pertineat ad rei compositionem, & fiat sub formam, id est, per mutationem succedat sub nouã, & quæ ante non extiterit, nisi secundum speciem in agente, vt dictum est supra. Quod autẽ non solum præexistat pars, ex qua res fit, sed etiam, ex qua fiat eius quiditas, quæ definitione explicatur, ex eo patet, quia ipsa eadem materia, quæ est pars ingreditur rationem, siue definitionem quiditatis, vt patet in circulo æneo, siquidem in definitione ænei circuli & materiam ponimus, & formã, vtpote æs, & figurã planam rotundam, quæ quidẽ est genus, aut potius quasi genus ænei circuli. Dicimus n. æneũ circulũ esse figuram planã rotundã in ære: vel figuratum quid planum, ac rotundũ ex ære confectum. Habet igr̃ æneus circulus materiã, quæ ante extitit, non solum pertinentẽ ad compositionẽ rei, sed & quiditatis, quæ ratione, siue definitione explicatur. Quod quidem puto colligi ab Aristotele propter Platonem, qui quiditates rerum materialium separabat, ac proinde immateriales esse dicebat: & quamquam ille non separabat quiditates rerum, quæ arte conficiuntur, vt inferius patebit; sumit tamen suo more Aristoteles hic exemplum in artefactis loco rerum naturalium. Alii aliter exponunt hunc locum, sed non admodum ad rem. Illud tamen aduerte, etsi codices Græci habent [æneus autem circulus in

in ratione materiā habet] tñ in antiqua versione pro, Autem, legi, Itaq; , ꝙ ſane conſentit & cũ lectione Alexãdri, & cũ plano ſenſu loci huius. Ex his ſatis oſtenſum eſſe putat Ariſt. quicquid fit ex materia p̃exiſtente fieri; quo ꝓnuntiato tã q̃ præcipuo huius capitis vtetur capite ſequẽti.

ῶν τὸ ὑ ποιοῦν· καὶ τὸ οὕτως, μέρος ἐστὶ τῆς ὑγιείας, καὶ τῆς οἰκίας, οἷον, οἱ λίθοι, καὶ τῶν ἄλλων. ὥστε, z καθάπερ λέγεται, ἀδύνατον γενέσθαι εἰ μηδὲν προϋπάρχοι. ὅτι μὲν οὖν τὸ μέρος ὑπάρξει ἐξ ἀνάγκης, φανερόν· ἡ γὰρ ὕλη μέρος, ἐνυπάρχει γὰρ καὶ γίνεται αὕτη· ἀλλ' ἆρα καὶ τῶν ἐν τῷ λόγῳ. ἀμφοτέρως δὲ λέγομεν τοὺς χαλκοῦς κύκλους τί εἰσι, καὶ τὴν ὕλην λέγοντες, ὅτι χαλκός· καὶ τὸ εἶδος, ὅτι σχῆμα τοιόνδε· καὶ τοῦτό ἐστι τὸ γένος, εἰς ὃ πρῶτον τίθεται. ὁ δὴ χαλκοῦς κύκλος ἔχει ἐν τῷ λόγῳ τὴν ὕλην.

aa Ἐξ οὗ δὲ ὡς ὕλης γίνεται, ἔνια λέγεται, ὅταν γένηται, οὐκ ἐκεῖνο, ἀλλ' ἐκείνινον· οἷον, ὁ ἀνδριὰς οὐ λίθος, ἀλλὰ λίθινος, ὁ δὲ ἄνθρωπος ὁ ὑγιαίνων, οὐ λέγεται ἐκεῖνο ἐξ οὗ.

αἴτιον

quod y ſanitatem efficit; atq; id, quod hoc pacto ſe habet, pars eſt ſanitatis, quemadmodum & lapides partes ſunt domus, & alia aliorũ. Quare, z quemadmodum dici ſolet, impoſſibile eſt quicquam fieri, ſi nihil antea exiſtat. Perſpicuũ eſt igitur partem aliquã neceſſario exiſtere; eſt enim materia pars quædã, quippe cũ hæc inſit, & fiat, ſed & eorum vtiq; eſt, quæ in ratione ſumuntur. Vtroq; enim modo dicimus aneos circulos, quidnam ſint, & materiam dicentes, quæ eſt æs, & formam, quæ eſt figura talis, quæ quidẽ eſt genus, in quo primũ ponitur. Itaq; aneus circulus in ipſa ratione materiam habet.

Porro autem aa *quædam cum genita ſunt, non illud dicuntur, ex quo vt materia fiunt, ſed ab illo cognominantur; qua ratione ſtatua non lapis dicitur, ſed lapidea; homo autem ſanus non dicitur illud, ex quo.*

Cauſa

aa *Porro autem quædam.*] quia docuit, omne, quod fit, ex aliquo prius exiſtente fieri; quæreret fortaſſe aliquis quæ cauſa ſit, cur quædam poſtquam facta ſunt, nullo modo dicãtur eſſe illud, ex quo præexiſtente facta ſunt; quo pacto homo, qui ex ægroto factus eſt ſanus, non dicitur ægrotus: quædam vero etſi non dicuntur eſſe illud; tñ ab illo cognominantur; quo pacto ſtatua, quæ facta eſt ex ligno, etſi non dicitur lignum, tñ dicitur lignea: quædã deniq; dicuntur eſſe illud, quo pacto Socrates, qui ex homine factus eſt ſanus, vere, ac ꝓprie dicitur homo. Ad hãc quæſtionẽ reſpondet Ariſtoteles cauſam eſſe, quia ſubiectum, ex quo aliquid fieri dicitur, duobus modis accipi poteſt; vno vt priuatũ; altero abſolute, & non adiuncta priuatione. Si ergo ſumatur vt priuatum, cũ ſenſus ſit hoc illi ſuccedere, nõ mirum eſt, ſi non dicatur eſſe illud. Si vero ſumatur abſolute, duobus item modis id poteſt accidere: aut enim id, quod fit, proprie dicitur fieri ex illo, vt ſtatua ex ligno; aut improprie, vt ſanus ex homine. Si proprie, cum ſenſus ſit hoc fieri ex illo; vt ex materia proprie dicta; materia autem proprie dicta non prædicetur de toto compoſito, niſi denominatione quadam, hæc cauſa eſt, cur id, quod fit, nõ dicatur eſſe illud, ſed ſolum denominetur, ſiue cognominetur ab illo. Si vero improprie, eo quod ſubiectum non proprie dicatur materia, non eſt, quod quiſquam mirari debeat, ſi vere, ac proprie dicatur eſſe illud. Aduerte aũt, eã hoc loco cenſeri materiã proprie dictam, ex qua fit cõpoſitum per modũ ſubſtantiæ, quale eſt illud, ꝙ totũ, hoc eſt, & ex parte formæ, & ex parte materiæ formaliter ſignificatur vno nomine. Huiuſmodi aũt materia eſt non ſolũ materia prima, ſed ẽt materia cõpoſitorum artificialiũ. Vt .n. hoc nomen, Homo ſignificat formaliter materiã, & formã hominis, ſeu potius naturã conſtantem ex vtraq; ; ita hoc nomẽ, Statua, ſignificat formaliter & ſubiectum effigiei humanæ, & ipſam humanã effigiẽ; & ita res habet in cæteris, q̃ arte conficiũtur, vt in veſte, gladio & ſimilib. Vnde fit, vt cũ pars realiter cõſtituens non p̃dicetur de toto, ꝙ nomine vno formaliter ſignificat̃, niſi quadã denominatione; (*quo pacto Socrates nõ dicitur caput, ſed capitatus, nec anima, ſed animatus*) merito materia ꝓprie dicta nõ dicat̃ de cõpoſito, niſi denominatione quadã, vt ex dictis patet. At materia imꝓprie dicta, ex qua ſcil. non fit cõpoſitum per modũ ſubſtantiæ, veluti homo cõparatione hominis ſani, (*neq; .n. & homo, & ſanitas formaliter ſignificãtur vno nomine, quippe cũ homo ſolã humanã naturam ſignificet formaliter, ſanũ aũt ſolam ſanitatẽ, nec aliud vſurpari ſoleat, ꝙ vtrunq; formaliter ſignificet*) ideo dr̃ de cõpoſito, vt ẽt de nomine, quo ſignificatur, quia ſemper huiuſmodi cõpoſita ſignificantur duob. nominibus concretis, q̃ accipiuntur, ſeu ſupponunt ꝓ eodẽ; quæ aũt pro eodem ſupponunt, nõ dubiũ eſt quin de ſe inuicẽ prædicari poſſint. Verũ quia materia ꝓprie dicta, vt à nobis explicata eſt, ſæpe vſurpatur pro materia priuata; potiſſimũ vero cũ priuatio formæ introducendæ nomine caret, vt fere in reb. q̃ arte conficiuntur, ideo ſæpe in eo ſenſu dicimus ſtatuã fieri ex ligno, & domum ex laterib. ac ſi diceremus ſtatuã fieri ex rudi ligno, & domũ ex diſſolutis laterib. qui ſenſus non diſſimilis eſt illi, quo dicimus, ſanũ fieri ex ægroto, ſeu ſanitate priuato. Quo fit, vt materia ꝓprie dicta, nõ ea tm̃ de cauſa quia eſt ꝓprie dicta; ſed interdũ ẽt, quia vſurpatur pro materia priuata, non dicatur de re, quæ ex illa facta eſt, niſi denominatione quadã, vt dictum eſt. Quin etiam, vt addit Ariſt. ſi quis rem diligentius expendat, non ſolum negabit ſtatuam eſſe

Quædam nullo modo, quædam modo aliquo dici eſſe id, ex quo facta ſunt.

Etiam artefactorum materia hic cenſetur proprie dicta.

Tex. 25.

Tex. 26.

lignum, & domum esse lateres, sed etiam illam fieri ex ligno, & hanc ex lateribus, eo pacto, quo sanus fit ex ægroto; quod tamen paulo superius admissum fuerat. Caremus enim nominibus significantibus priuationem formarum artificialium; siquidem re vera ligni, & laterum vocabula absolute sumpta, nihil aliud significant, quam materiam, quæ permanet in compositione: id autem, ex quo aliquid fit, vt ex materia priuata, non permanet priuatum in compositione, sed mutatur in ipsa effectione rei, & amittit priuationem.

αἴτιον δ' ὅτι γίνεται ἐκ τῆς στερήσεως καὶ τοῦ ὑποκειμένου, ὃ λέγομεν τὴν ὕλην: οἷον καὶ ὁ ἄνθρωπος καὶ ὁ κάμνων γίνεται ὑγιής. μᾶλλον μέντοι λέγεται ἐκ τῆς στερήσεως γίνεσθαι, οἷον ἐκ κάμνοντος ὑγιής, ἢ ἐξ ἀνθρώπου. διὸ κάμνων μὲν ὁ ὑγιὴς οὐ λέγεται, ἄνθρωπος δέ, καὶ ἄνθρωπος ὑγιής. ὧν δ' ἡ στέρησις ἄδηλος καὶ ἀνώνυμος, οἷον ἐν χαλκῷ σχῆμα τὸ ὁποιονοῦν, ἢ ἐν πλίνθοις καὶ ξύλοις οἰκίας, ἐκ τούτων δοκεῖ γίνεσθαι, ὡς ἐκεῖ ἐκ κάμνοντος. διὸ ὥσπερ οὐδ' ἐκεῖ, ἐξ οὗ τοῦτο ἐκεῖνο οὐ λέγεται, οὐδ' ἐνταῦθα ὁ ἀνδριὰς ξύλον, ἀλλὰ παράγεται ξύλινος, οὐ ξύλον: καὶ χαλκοῦς, ἀλλ' οὐ χαλκός: καὶ λίθινος, ἀλλ' οὐ λίθος: καὶ ἡ οἰκία πλινθίνη, ἀλλ' οὐ πλίνθοι. ἐπεὶ οὐδὲ ὡς ἐκ ξύλου γίνεται ἀνδριάς, ἢ ἐκ πλίνθων οἰκία, ἐάν τις ἐπιβλέπῃ σφόδρα, οὐκ ἂν ἁπλῶς εἴποι, διὰ τὸ δεῖν μεταβάλλοντος γίνεσθαι ἐξ οὗ, ἀλλ' οὐχ ὑπομένοντος. διὰ μὲν bb οὖν τοῦτο οὕτως λέγεται.

Causa vero est, quia res fiunt ex priuatione, & ex subiecto, quod materiam appellamus, quo pacto & homo, & ægrotus fit sanus. Magis tamen ex priuatione fieri dicitur, vt ex ægroto sanus, quam ex homine. Quare sanus quidem ægrotus non dicitur, sed homo, & homo sanus. Quorum autem priuatio occulta est, & nomine caret, vt in ære priuatio cuiusq; figuræ, aut in lateribus, & lignis priuatio domus; ea ex his fieri videntur, vt illic ex ægroto sanus. Quocirca quemadmodum illic non dicimus, hoc esse illud, ex quo fit; ita & hic statuam, non lignum, sed ligneam; non æs, sed æneam; non lapidem, sed lapideam deductione quadam appellamus: eodemq; modo domum non vocamus lateres, sed lateritiam. Quin etiam, siquis diligenter attendat, non vtiq; simpliciter dixerit, vel ex ligno fieri statuam, vel domum ex lateribus: oportet enim id, ex quo aliquid fit, non permanere, sed mutari. Atque hac bb quidem de causa sic dicitur.

bb *Atque hac de causa.*] Hæc verba referuntur non ad proximam periodum, sed ad præcedentem, quasi Aristoteles dicat. Atque ea de causa, quæ proximam sententiam præcedit, & communis vsus rationem tradebat, sic loqui consueuimus.

NVM EADEM ANIMALIA SPECIE & ex semine, & ex putri materia generari possint?

QVÆSTIO I.

Refellitur Auicennæ opinio.

SECTIO I.

Theophrasti hac de re pronuntiatum.

Etsi experientia compertum esse videtur id, quod Theophrastus scriptum reliquit initio librorum de plantis, animalium, & plantarum in eo similem esse originis rationem, vt in vtroque genere quædam solo semine, quædam sponte tantum naturæ, quædam vtroque modo gignantur; tamen, quia identitatis, & diuersitatis specificæ iudicium intellectui magis, quam sensuum experimento committendum est; non desunt & quidem ex magni nominis Philosophis, qui primam partem huius pronuntiati falsam esse dicant; neq; etiam, qui tertiam negandam existimēt. Nam de secunda nemo est, qui dubitet cum sit luce clarius quædam esse adeo imperfecta animalia, vt ex sola putri materia generentur, cuiusmodi sunt plurimi vermiculi.

Quædam solum gigni ex putri materia.

Putat Auicen. quoduis animal vtroq; modo gigni posse.

Auicēna in libro de diluuio, quem Paulus Soncinas hoc libro q. 21. magnum Albertum in hac re sequutum esse ait, & quidem recentiores non reiiciunt, negat vllum animal ex

A semine gigni, quod non idem specie ex putri materia generari possit, quātumcunq; sit perfectum. Eorū argumenta hæc sunt præcipua.

Lege Iust. martyr. in Paran. Diod. Sicul. lib. 1. c. 1. & 2. Euseb. lib. 7. de præpar. Euang. c. 7.

Primum, quia quicquid potest virtus inferior, potest etiam superior, in cuius virtute inferior continetur, virtus autem generatiua inferiorum agentium continetur in virtute cœli, quæ ex corporalibus est omnium suprema: ita fit, vt quidquid ex semine particularium agentium gignitur, virtute etiam cœlesti sine

Argumenta pro Auicenna.

B semine generari possit. Alterum, quia eiusdē agentis est disponere materiam, & introducere formam; quippe cum per dispositionem materiæ introducatur forma: cum igitur omnis dispositio materiæ posita sit in certa quadam temperie qualitatum primarum, & aliarum secundarum, quæ illas consequūtur, omnisq; primarum commixtio cœlo subiecta sit: negari non potest, quin omnis dispositio materiæ, quæ fit à generante per semen, à

C cœlo etiā sine semine fieri possit, ac proinde omnis forma viuētis sine vi seminis introduci.

Tertium, quia eadem est materia generationis viuentium, quæ nutritionis, vt tradit Aristo-

c.8. tex.49. Aristoteles 2. libro de generatione: cum ergo cœlum, & elementa tanquam viuentium administri omnem materiam nutritionis præparent, eadem sola materiam cuiusque ipsorum præparare potuerunt.

Postremum, quod ex ratione ducatur est, quia cum homines libere ad generationem coueniant, possintque conuenire, non bene consuluissent natura conseruationi generis humani, nisi prouidisset, vt alia etiam ratione, quam humano semine, propagari posset.

Ab experientia. Accedit experientia à perfectis animalibus ducta, in quibus tota est difficultas. Constat enim in insulis à continenti disiunctissimis inuenta esse plurima perfecta animalia, vbi post generale diluuium, antequam in eas nauigarent homines, non potuerũt illa vel enatando peruenire, vel aliter, quam ex putri materia generari. Addit Auicenna visum aliquãdo vitulum in nubibus genitũ cum imbre decidisse. Alii exemplo Phœnicis vtuntur, qui ex cineribus demortui, non ex ouo genitus à multis dicitur, & à Patribus nonnunquam ad declarandam hominum resurrectionem refertur: vt mirum non sit, si aliquando potuit materia virtute cœli sic disponi ad generationem hominis, vt in eam humana forma sine humano semine introduceretur; quo forsitan sensu Poetæ mentiti sunt genus humanum post generale diluuium reparatum fuisse.

De Phœnice vide Tertull. lib. de resurrect. Ambr. 5. hexamet. cap. 23. Clem. 5. const. Apost. c. 6. Cyrill. catech. 18. Ruffin. in symb.

Impugnatur hæc sentent. Verum hæc opinio adeo absurda est, & in hominum genus contumeliosa, vt nisi possibilitate niteretur, *(quam euertere sæpe non est facile)* autoresq; non ignoti nominis haberet, iure omittenda esset. Quantam vero habeat absurditatem, ex eo primum constat, quia sicubi animalia perfecta, vt equus, leo, & similia ex putri materia generari possent, certe aliquando in continente nostra genita essent, ne ad remotas insulas prouocemus; quod autem nunquam à mundi exordio per tot annorum millia visum est, id naturaliter fieri posse non existimandum. Deinde, quia ratio postulat, vt perfecta animalia, cum præstantiorem habeant naturam, excellentioresque operationes exerceant, plura exigant, quam vt vilissima, & abiectissima generandi ratione ex putri materia fieri possint. Postremo, quia natura non generat ea, quæ conseruare nequeat, ne frustra aliquid faciat, suisque rebus prospicere non possit: id autem plane accideret, non modo si hominem, qui longissima indiget parentũ cura, & solicitudine; sed etiam si pleraque alia perfecta animantia ex putri materia produceret: siquidem, cum primum orta essent, destituta genitorum procuratione, naturalisque imbecillitatis adminiculis, continuo interirent.

A Neq; argumenta, quibus opinio hæc sufFulcitur, vllam habet firmitatem. Nam quod ad primum attinet, concedimus quidquid inferior virtus potest, posse superiorem, si in superiori tota vis inferioris contineatur; quo pacto omnis virtus secundorum agentium in virtute primi continetur: falsum est autem totam virtutem generatiuam perfectorum animalium contineri in virtute cœli, cum cœlum non sit animal; neque aliquid animali B præstantius. *Soluuntur arg. ducta ex ratione.* *In virtute cœli non continetur tota virtus generatiua perfectior animalii.*

Nec vero secũdum quicquam efficit, quia etsi omnis dispositio materiæ cœlo subiecta est, non omnis tamen est subiecta cœlo proxime, siue immediate immediatione suppositi: cum multæ sint dispositiones, quas cœlum facere non potest, nisi interuentu certorum quorundam inferiorum agentium, cuiusmodi est dispositio materiæ ad formas perfectorum animalium.

C Tertium minus habet difficultatis, quia cum Aristoteles ait, eandem esse materiam generationis viuentium, quæ nutritionis, non intelligit nomine eiusdem materiæ proximam, quam patet esse diuersam, *(sanguis enim, aut aliquid sanguini proportione respondens est materia nutritionis; semen autem generationis)* sed remotam, nempe alimenta.

Postremæ rationis solutio est, neque o- D mnes homines libere conuenire ad generationem, cum etiam mente capti prolem suscipiant; nec timendum esse, ne sanæ mentis hominibus libertas impedimento sit, quominus generationi dent operam; cum potius ea sit in causa, cur sæpe contra id, quod ratio præscribit, ad generationem incumbant, idq; propter maxime naturalem propensionem ad propagandam speciem, quæ est in viuentibus, vt ait Aristoteles 2. lib. de anima cap. 4. *Generationis & nutritionis eadem est materia remota, non proxima.* *tex. 34.*

E Denique ad id, quod de insulis affertur, dicimus primum, multas, & quidem magnas esse, in quibus inuentum est pleraque animalia ex minus etiam perfectis deesse, cuiusmodi sunt capræ, cuniculi, & alia his inferiora, vt de perfectionibus taceam; *(quod Lusitanorum nostrorum longa, & varia nauigatio detexit)* vbi tamen propter humoris copiam cum calore coniuncti abũdat putredinis materia. Deinde, si alias continentes insularum F nomine appellemus, Americam scilicet, & quæ Australis terra dicitur, non sunt illæ vsque adeo à nostra disiunctæ, *(quanquam nondum scimus certo, an omni ex parte dissita sint)* vt ex nostra non potuerint multa ex perfectis animalibus ad illas adnatare, aut ab hominibus facile aduehi; præsertim cum inter eas, qua parte nauigatum est, non admodum lata freta *Satisfit experientiis.*

freta reperiantur. Denique illud de vitulo ab Auicenna ex aliis relatum non habet fidem apud viros in cognitione rerum versatos; nisi turbinis alicuius, aut ventorum vi aliunde abreptus simul cum imbre ceciderit; aut certe prodigiose ad aliquid significandum à bonis, aut malis spiritibus Dei voluntate, aut permissu formatus sit. Nam illud de Phoenicis ortu ex cineribus demortui confictum videtur, vt eius auis raritas, & solitudo, quæ cara admodum videtur esse, significaretur; præsertim cum non desint, qui plures aliquando simul visos scribant: neq; omnes, qui de eius generatione scripserunt, eodem modo ex funere vnius alium speciei eiusdem nasci referant; *(namque eundem numero à nemine affirmari crediderim)* sed alii etiam dicant, illum cum vitæ periodum exegit, se ipsum vellicantem interimere, atque ex sanguine putrefacto vermem gigni, ex quo alius demortuo similis oriatur; alii ex toto veteri in saniem redacto alium exurgere. Quæ variandi ratio non obscurum est signum excogitatæ successionis eius alitis ab iis, qui eum vnicum in mundo esse crediderunt. Nec certe Patres sic huius auis exemplo ex cineribus exurgentis vsi sunt ad resurrectionem hominum ex puluere declarandam, quasi historiam veram esse affirment; sed vt velint, si ea vera est, haberi ex ea maiorem resurrectionis similitudinem, quam qua vsus est Paulus ad Corinthios, segetis nimirum ex seminato frumento exorientis.

Quid de Phœnicis ortu sentiendum.

Epist.1.c.15.

Contraria Auerrois opinio refutatur.

SECTIO II.

Nullum animal idem specie ex semine & modo alio gigni, putat Auerr.8.Phys. com.46. & in lib.1.de generat. cap.1. D.Th.in 1.d.10. q.vn.a.5. Æg.2. Hexam c.28. Iandun. hoc lib. q.15. Fland.q.13. art.4.

CONTRARIA omnino sententia Auerroi probatur, qui existimat nullum idem specie animal & ex semine, & ex putredine posse generari; sed omnia, quæ vtroque modo nasci videntur eadem specie, diuersarum re vera specierum esse, vt murem ex mure genitum, & eum, qui in naui recens fabricata per se nascitur. Hanc sententiam secutus est aliquando D. Thomas, quam constanter amplectitur eius discipulus Romanus Ægidius, & nonnulli eo recentiores. Eorum argumenta hæc fere sunt.

Rationes pro hac sententia.

Primum, quia determinati effectus determinata causa esse debet; alioqui ex effectu non liceret causam demonstrare.

Secundum, quia si vnus generationis modus sat est ad viuentia eiusdem speciei generanda, alter est superuacaneus; natura autem superuacanea respuit.

Tertium, quia formæ eiusdem speciei eandem materiam proximam habeant necesse est, cum eandem proximam dispositionem postulent; siquidem actus actiuorum, vt tradit Aristoteles *2.de anima*, suscipitur in patiente disposito; vnde fit, vt pro varia dispositione materiæ, variæ formæ introducantur: at putris materia non est eadem materia proxima cum semine collata.

c.2.tex.24.

Quartum, quia eiusdem speciei animalia habent similes operationes, vt patet: genita autem ex putri materia non habent operationes similes iis, quæ cernuntur in animalibus genitis ex semine, vt docet Aristoteles lib. 5.de historia animalium *cap.1. & 1.de generatione animalium cap.item 1.& 16.* Ait enim ea, quæ ex semine procreantur, alia quoque sibi similia generare posse; ea vero, quæ gignuntur ex putri materia, generare quidem posse, sed non sibi similia.

Postremum, quia cum idem effectus numero non possit naturaliter produci à diuerso agente numero; pari ratione neque idem effectus specie ab efficiente diuerso specie produci poterit.

Refellitur.

Sed nec sententia hæc probari debet. Primum, quia non modo in animalibus, sed etiam in plantis, *(vt signum sit omnibus viuentibus corporeis commune)* figura est vnum ex præcipuis naturæ specialis indiciis; adeo vt ex figura, quæ externa species est, ducta sit internæ speciei appellatio: at in iis animalibus, quæ genita sunt ex semine, & in iis, quæ ex putri materia gignuntur, eadem prorsus est figura, membrorumq; compositio. Itaq; fit, vt hæc non tantum eiusdem speciei esse videantur, sed etiam re vera sint.

Figura est vnū è præcipuis naturæ specialis indiciis.

Deinde, quia aliud ex maximis specificæ naturæ signis in viuentibus *(quod etiā est non viuentibus cōmune)* est propria operatio, quia vnumquodq; est propter suam operationem, vt ex Aristotele receptum est 2.lib.de cœlo; & quemadmodum ex motu inuestigata est materia, ita ex operationibus inuestigantur formæ, quod est commune Philosophorum pronuntiatum; atqui animalia, quæ ex putri materia gignuntur, easdem operationes habent cum iis quæ ex semine generantur, etiā ipsam generationis operationem, vt patet in muribus, ranis, piscibus, & serpentibus, ac similibus, quorum fœminæ ex putri materia primum genitæ, grauidæ sæpe inueniuntur; vt aliæ eædem operationes omittantur, quæ per sese notiores in vtroque genere cernuntur.

c.5.tex.17.

Postremo, *(res enim est patentior, quam vt pluribus eam probare sit necesse)* quia cum stirpes plurimæ ex semine, & sponte è terra omnium confessione eædem specie gignantur,

non

non est, cur animalibus imperfectis idē contingere posse negetur. Itaq; quemadmodum calor, & ignis etiam ipse, non solum ex calore, & igne; sed etiam ex luce, & ex attritu corporum iidem specie gignuntur, vt est per se notum: ita plantarum plurimæ, multaque animalia imperfecta & ex semine, & ex humida materia calore modo quodam concepto propter facilitatem dispositionis ad eorum formas eadem specie oriūtur. Aristoteles in problematis eam causam reddit, cur quædam animalia & ex semine, & sponte naturæ procreentur, *Quia his*, inquit, *gignēdi tempus breue statutum est*: quæ causa ad facilitatem disponendæ materiæ ad eorum formas apte reuocatur.

Sect.10. probl. 64.

Ad argumenta.

Ad primum igitur argumentum pro parte opposita respondendum est, id quod dicitur, determinati effectus determinatam causam esse debere, sic intelligendum esse, ac si dicatur, non vagam, sed certam, aut certis specie rebus comprehensam, vt si non sit vnius naturæ tantum, sit tamen vel huius naturæ, vel illius. Quo fit, vt etiam si in quibusdam ex effectu certo non demonstretur certa numero causa, demonstretur tamen disiunctim aliqua ex certis numero.

Qua ratione ex certo effectu certa causa demonstretur.

Ad secundum dicendum, ea, quæ vtilia sunt non esse superuacanea: esse autem vtile, vt aliqua pluribus modis fieri possint, non est dubium. Huiusmodi autem est, vt plantarum plurimæ & sponte è terra, & ex semine gignantur, propter multas hominum, & cæterorum animaliū vtilitates; idemq; dicendum de animalibus imperfectis, quibus perfectiora ad pastum maxima ex parte vtuntur.

Ad tertium cui hæc sententia præcipue innititur, dicendum est, materiam proximam, si de immanente agitur, eandem specie esse debere in genitis ex putri materia, atq; in iis, quę alioqui ex semine gignūtur, cum materia prima in vtrisq; eodem modo debeat esse disposita, idq; recte probari in argumento: at materiam proximam transeūtem, qualis est putris materia in genitis sine semine, & semen in iis, quæ ex eo gignuntur, nō esse necesse, vt sit eadem specie, cum forma eiusdem speciei in eā introducenda est; sed vt proxime eodem modo disponatur, hoc est, vt tendat proxime ad eam dispositionem qualitatum, quæ futura est in materia prima cum forma eiusdem speciei introducetur: talis autem est putris materia cum semine collata, si iam vtraq; proxime disponitur ad eandem animalis speciem.

Materiam proximam transeuntem non semper esse eād. specie in genitis eiusd. speciei.

Ad quartum dices Aristotelem iis locis intelligendum esse de iis tantum, quę nunquam ex semine aliorum eiusdem speciei, sed solum sponte naturæ ex putri materia nascuntur,

A non de iis, quæ vtroque modo generantur. Hæc enim similia sibi generant, vt mures, ranæ, & huiusmodi alia; quemadmodum & stirpes plurimæ: illa vero nequaquam, vt pulices, & alii plurimi vermiculi. Quanquam ea, quæ vtroque modo gignuntur, cum sine semine procreantur, sæpe imbecilliora sunt, & ad generanda sibi similia minus idonea. Multum enim cōfert vis, & natura materiæ transeuntis ad perfectas functiones rei genitæ.

B Hinc enim fit, vt ex melioribus alimentis, robustioribusq; vegetiora, & robustiora corpora & nutriantur, & generentur.

Ad vltimum dicendum, disparem esse rationem: nam idem effectus numero propterea non potest produci ab alio agente numero, quia limitatam omnino habet naturam: effectus autem idem specie, cum vere dicatur de pluribus numero, ac proinde plures numero complectatur, non habet naturam omni-

C no limitatam, nisi ad speciem tantum: quo fit, vt in vno pendere possit ab vna causa, in alio autem ab alia.

Cur idem specie effectus produci queat ab agentibus diuersis specie, non ita vero idem numero à diuersis numero.

Cum igitur probatum sit contra Auicennam, non omnia animalia, quæ ex semine gignuntur, generari posse ex putri materia; contra Auerroem autem, aliqua esse, quæ vtroq; modo eadem specie gignantur; sitque per se notum, quædam esse, quæ ex sola putri materia generentur, vt initio diximus; perspicuum

D relinquitur, affirmatiue respondendum esse ad quæstionem propositam, complura scilicet esse animalia, quæ eadem specie & ex semine, & ex putri materia non modo generari possint, sed etiā generentur: id quod Aristoteles cum hoc capite, tum etiam *9. & in probl. ad calcem ferme sect. 10.* aperte docet. Atque in hoc sensu patet veram esse, non apparentem solum citatam Theophrasti diuisionem initio relatam; Animalium, inquam, quēad-

E modum & plantarum, quædam solo semine, alia sponte naturæ tantum, alia vtroq; modo generari. Quam sententiam hoc ipso capite sequuntur D. Thomas, Alensis, Paulus Soncinas, & alii complures; in sententiis vero † Scotus, Ochamus, & alii plurimi; quam eandem ex Augustino * 3. de Trinitate, & aliis Patribus accipiunt.

Summa & resolutio totius quæst.

tex.23. tex.31. problem. 64.

Sed quoniam omnes in eo conueniunt, vt in generatione animalium ex putri materia

F ad cœli virtutem recurrant; nec tamen facile sit intelligere, quonam pacto cœlum principale agens in eis gignendis esse possit; (*qua eadem dubitatio in plantis locum habet*) operæpretium erit, si hoc loco id discutiamus.

***

*D.Th. ad tex. 23. Alens. in q. ad eund. text. Sonc. q.21. Niph. disp.8. Anton. And. q.8. Ferr. cont. gent. c.69. † Scot. in 1. d.2. q.7. Och. in 2. q. 23. Rich. d.17. q. 2. * c.4. & 10. & D. Ambr. de Incarnat. Verbi.*

Vtrum cœlum in generatione animalium ex putri materia sit principale agens?

QVÆSTIO II.

Argumenta pro vtraq; parte.

SECTIO I.

Ratio pro parte negatiua.

FIERI non posse, vt cœlum sit principale agens in generatione animalium ex putri materia, his argumentis probari solet.

Primum, quia principale agens aut tantam, aut maiorem virtutem habere debet, quam eius effectus: tantam, si sit agens vniuocum; maiorem, si æquiuocum, hoc est, altioris naturæ, vniuersaliorisque virtutis: cœlum autem non modo non est altioris naturæ, quam nostratia viuentia, sed nec æqualis virtutis, cum re vera non sit viuens, vt lib. 10. patebit, omneq; viuens sit perfectius non viuente, vt ex se patet, & probari ex Augustino, solet ergo, &c.

lib. 11. de ciuit. c. 16. & de vera relig. c. 29.

Deinde, quia cœlum duobus modis spectari potest: vno per seipsum semota nimirum intelligentiæ motricis consideratione; altero, vt est cum intelligentia coniunctum: neutro autem modo videtur illud generare posse viuens vllum. Nam ipsum per se nullas habet operationes vitales, vt earum interuentu generare possit rem viuentem: intelligentia vero illa coniuncta neque est eius forma, vt ei vitales operationes communicare valeat, neq; illi virtutem aliquam potest imprimere, cum communis Theologorũ sententia sit, non posse intelligentias infra Deum vi sua vllam qualitatẽ rebus corporeis imprimere.

Lege. D. Th. 1. p. q. 110. ar. 2. & in 2. d. 7. q. 3. ar. 1. & de Malo q. 16. ar. 9. & 3. cont. gent. cap. 103. Alens. 2. p. q. 43. mẽbr. 2. D. Bon. in 2. d. 7. q. 2. & alios ead. distin. sanctq; Aug. 22. de ciu. c. 24. & 25 & lib. 3. de Trinit. c. 8.

Postremo, quia cœlum agit in generatione viuentium tanquam instrumentum motricis intelligentiæ: opus autem, quod ad generanda viuentia per instrumentum fit, non attribuitur instrumento, sed ei agenti, quod illo vtitur: ita fit, vt cœlum non agat in generatione viuentium tanquam agens principale, de qua sola re quæstio est proposita.

Arg. pro affirm.

Contra vero cœlum esse agens, cui tribuẽda sit imperfectorum animalium generatio tanquam proximo agenti principali, ex eo primum probatur, quia inter cœlum, & huiusmodi viuentia, cum sic gignuntur, nullum aliud agens reperitur, cui eorum generatio tanquam principali agenti tribui possit, vt inductione perspicuum est.

Deinde, quia perfectorum quoque animalium generatio cœlo tribuitur, tanquam agenti principali, tametsi non proximo, cum illud Aristotelis 2. Physicorum omnibus probetur, Solem, & hominem generare hominem. *c. 2. tex. 26.*

Tertio, quia cœlum potest per se, & nullius viuentis inferioris interuentu perfecte disponere materiam ad formas huiusmodi animalium: ergo per se potest eorum formas introducere: cuius enim agentis est per se, seu vi sua disponere perfecte materiam, eiusdem est inducere formam, quod in superiori quæstione approbatum est.

Refellitur opinio Auicennæ credentis intelligentias Deo inferiores posse virtute sua introducere formas substantiales in materiam nullius corporei agentis interuentu.

SECTIO II.

AVICENNA facile se ab hac quæstione expediebat: putabat enim omnes formas substantiales rerum corruptibilium imprimi in materiam ab intelligentia quadam, quam vocabat agentem, quæ præsideret huic inferiori mundo; agentia vero corporea solum disponere materiam ad eas formas recipiendas: proinde nihil difficultatis esse in iis animalibus, quæ ex putri materia gignuntur quando perfecta, & illa etiam eadem, cum ex semine generantur, eodem modo ab ea intelligentia producerentur. Id quod his fere argumentis videtur sibi persuasisse. *1. sufficientiæ c. 10. & in sua Metaphys. tract. 9. cap. 4.*

Rationes pro Auicenna.

Primum, quia virtus immaterialium substantiarum maior est, quã materialium: sunt enim, vt perfectiores, magisq; actuales, cum sint actus per se subsistentes, ita magis ad agendum aptæ. Cum ergo materiales substantiæ possint vi sua quaslibet formas accidentales in materiam inducere, ergo immateriales possunt vi sua inducere non modo accidentales sed etiam substantiales.

Deinde, quia agentia materialia sunt instrumenta immaterialium; ab his enim illa mouentur, & assumuntur ad hæc inferiora administranda: at instrumẽta etsi aliquid agunt virtute propria, vt securis, quatenus secat; tamen aliquid excellentius agunt virtute agentis principalis, vt securis, quatenus facit scamnũ. Cum ergo agentia materialia vi sua disponant materiam imprimendis in eam quibuslibet formis accidentalibus; consequens est, vt si quo modo substantiales inducunt, id non faciãt virtute propria, sed virtute immaterialium substãtiarum, quarum sit proprium vi sua substantiales imprimere.

Tertio, quia hæc ipsa quæstio, de qua agitur, videtur cogere, vt id concedatur. Neque enim

enim alia ratione animalia videntur ex putri materia generari posse, nisi quia aliqua viuens substātia superior omnibus materialibus eorum formas vi sua inducit, cum nullum materiale viuens inueniatur, à quo illæ inducantur, quandocunque illa sine semine gignuntur; neque etiam à non viuentibus induci possint, quia sunt præstātioris naturæ, quam formæ non viuentium. Quod si inducendis formis substantialibus horum animaliū imperfectorum incumbit aliqua immaterialis substantia, cur non etiam formis perfectorum tanquam dignioribus imprimendis.

Improbatur hæc sententia.

Verum hæc opinio quatenus negat agentia materialia vi sua inducere formam substātialem, sed solas accidētales, ab omnibus aliis Philosophis reiicitur, vt mittamus errorem Platoni attributum de impressione earum ab ideis. Nam ea saltem agentia materialia, quæ aut pefectiora sunt effectis suis, aut saltem æque perfecta, non est, cur negentur posse vi sua illas inducere, vtpote aut inferiores suis, aut etiam similes, cum neutro modo effectus excedat virtutem suæ causæ. Quatenus vero asserit, substantiam aliquam immaterialem infra Deum posse vi sua illas imprimere, communi Theologorum consensu exploditur; cum potius negent vllam eiusmodi substantiam posse vi sua vel accidentalem inducere. Quanquam enim concedunt, materiales substantias subiectas esse immaterialibus quoad motum localem; negant tamen illis subiici quoad cæteras mutationes, nisi ratione materialium, cum nimirum immateriales actiua materialia passiuis applicant; quo pacto possunt applicato igne calefacere lignum, ignemque generare, quod nos itidem facimus: tametsi illæ celeritate applicationis, multiplicique; applicādi modo mira, & stupenda facere possunt, & quæ nullo causarum naturalium, vt ita dicam, cursu effici possent.

Vide quos citauimus sect. super. itemque Herv. q. 4. de vnit. form.

Ratio D. Th. cur substantia immater. nequeāt immed. vllam formam inducere in materiā.

Cur autem nullam formam siue substantialem, siue accidentalem vi sua inducere possint, ea ratione probat † D. Thomas, quia, cum omne agens aliquid sibi simile facere nitatur; id autem, quod proprie fit, sit compositum, vt capite * sequenti ostendit Aristoteles; necesse est, vt agens vel sit etiam compositum, quo pacto ignis ignem generat, & equus equum; vel contineat virtute sua ipsum compositum quod faciendum est, hoc est, non tantum quoad formam, sed etiam quoad materiam. Cum igitur substantiæ immateriales infra Deum non contineant virtute sua materiam, quod ea à solo Deo per creationem produci possit; efficitur, vt vi sua nullum compositum, siue substantiale, siue accidentale, generare valeant, nisi interuentu alicuius

† 1. part. q. 65. a. 4 & q. 110. ar. 2. de potentia q. 6. ar. 3. & lib. 3. contra gent. c. 69. & 103.
** tex. 26. 27. & 32.*

A substantiæ materialis, quæ etsi virtute sua nō cōtinet materiā, cum eā quoq; producere nequeat, est tamē cōposita ex materia & forma.

Male eam impugnat Dur. in 2. d. 7. q. 4.

Hanc rationem Durandus etsi ex eo impugnat, quod satis esse videatur, si effectus assimiletur agenti secundum formam, quæ per actionem inducitur, quamuis ei non assimiletur secundum materiam, neq; eam agens virtute sua contineat; nullam tamen meliorem affert, sed potius friuolam satis, & nullius pene momenti. B Ea vero est, quia cum materiales substantiæ satis sint ad omnes formas vi sua inducendas in materiam, nō fuit opus, vt ea vis daretur immaterialibus. Quasi vero superuacaneum sit, aut infectum in rerum natura, vt eadem res pluribus modis fieri possit. Non satis est igitur, si effectus assimiletur efficienti secundum formam, quam accipit; sed etiam necesse est, ei assimiletur quoad totum id, quod per se fit, & postquam est factum, per se est; C quod est ipsum compositum, vt eodem loco tradit Aristoteles; aut certe quidquid est in effectu, virtute contineatur in efficiente: alioqui effectus ipse non per se fiet ab agente; sed per aliquid aliud, quod sit compositum; quo pacto plurima composita fiunt à substantiis immaterialibus interuentu rerum naturalium, quæ etiam compositæ sunt. Sic enim maligni spiritus incantatione maleficorum Ægypti quędam animalia produxerunt iis similia, D quæ virtute diuina per Moysen producta erant.

Stabilitur.

Exod. 8.

Obiectio.

Responsio, cur possint formam artificiosam inducere.

Quod si quis obiciat, substātias immateriales multa composita facere non virtute rerum naturalium, sed propria, ac sua, vt si templum, aut pontem fabricent: occurrendum est, quæ sine alteratione fiunt, sed sola additione, aut detractione, ea cum sola virtute locomotiua fiunt, non est alteratiua, quæ nulla est in substantiis immaterialibus infra Deum, E non esse negandum fieri per se ab eiusmodi substātiis, in quibus multo potētior est virtus locomotiua, quā in materialibus. Vnde colligendum est, cum Theologi communi consensu dicunt, materiam non esse subiectam Angelorū potestati quoad formam, sed quoad locum excipiendam esse formam, quæ solius motus localis interuentu inducitur, & ipse etiam impulsus qui in corpora, vt moueantur, sæpe imprimitur: cuiusmodi est forma F pure artificiosa, vt pontis, aut ædificii, visque impressa in proiecta corpora. Nam & in his totus effectus assimilatur agenti, etiam quoad materiam, quia conceptus artificum, quibus conceptibus huiusmodi composita assimilantur, non solum formam inducendam, sed etiam materiam, in qua illa inducenda est complectuntur.

Ad arg. Auicen

Ad primum igitur Auicennæ negandũ est effici, vt si maior est virtus substantiarum immaterialium, quam materialium: materialesque non possunt formas substantiales vi sua inducere, possint id efficere immateriales. Nõ enim quicquid minus perfectæ virtus non potest, potest perfectior; fieri enim potest, vt neutra id possit, vt creare, aut independenter agere. Adde falsum esse, substantias materiales non posse vi sua substantiales formas inducere, cum forma effectus nõ est perfectior, quam forma efficientis, vt propterea quærenda sit aliqua virtus immaterialis substantiæ, quæ id possit efficere.

In quib. agentia materialia sint immaterial. instrumenta.

Ad secundum dicẽdum, agentia materialia non esse instrumenta immaterialium agentium infra Deum, nisi quoad motum localem, si proprie loquendum est; & hac quidem ratione multa posse fieri instrumentaliter per materialia, quæ ipsa materialia vi sua efficere non possent, vt ædificia, & alia opera pure artificiosa: atque horum effectorum formas virtute immaterialium induci. At in iis, quæ fiunt aliis motibus, nempe alterationis, & iis, qui alterationem coniunctam habent, materialia non habere vim instrumentorum, nisi cum id, quod efficitur, superat virtutem efficientis, vt propterea quærendum sit aliquod immateriale efficiens, quod vi sua id possit efficere; cuiusmodi non est vlla substantia immaterialis infra Deum, vt ex dictis patet, magisque patebit ex dicendis.

Tertio, quoniam in eo posita est propria quæstionis propositę difficultas, ipsa quæstione resoluenda satisfaciendum est.

Resolutio quæstionis, & solutio argumentorum partis opposita.

SECTIO III.

Prima sentẽtia eaq; affirmatiua. † Mars. in 1. q. 1. a. 2. & Cabr lect. 41. super Canon.

SVNT igitur, qui † dicant, cœlum, non habita etiam ratione intelligentiæ motricis, esse principale agens in generatione viuentium ex putri materia, etiamsi ipsum ea consideratione spectatum non sit viuens. * Credunt enim, aut credere se simulant, illud commune pronuntiatum, *Omne viuens est perfectius non viuente*, non esse vniuerse verum, cum asserant quædam non viuentia esse multo nobiliora infimæ conditionis viuentibus, vt pretiosa metalla vermiculis: atque hoc pacto corpora cœlestia, etiam per se spectata, esse perfectiora viuentibus iis, quæ ex putredine gignuntur, quod & perpetua sint, & horum inferiorum causæ à natura constitutæ.

**Fundamentũ Marsilij.*

Refellitur.

Sed hi, cum non aliud suffugium inueniant, quam negando receptissimo, & rationi maxime consentaneo principio, non sunt audiendi. Adde, quod perpetuitas, & causalitas non viuentis non efficit, vt illud sit præstantius, & nobilius suapte natura viuente aliquo: quod patet in materia prima horum inferiorum collata cum compositis corruptibilibus, & eorum formis quantumcunque abiectæ conditionis. Itaque ex natura ipsa potius, & operatione naturæ debita, quam ex perpetuitate, & causalitate æstimanda est perfectio rei propositæ; quæ duo multo perfectiora sunt in quolibet viuente, quam in præcipuo etiam non viuente. Quod si causalitas effectiua corporum cœlestium, cum per se considerantur, esset principalis, & non potius instrumentalis respectu viuentium, quæ apud nos sunt, tum demum fateremur cælestes orbes esse præstantioris naturę, quam nostra viuentia, cum non sint agentia vniuoca: de qua tamen re tota est controuersia, in qua versamur.

Vnde probetur perfectiora esse viuentia non viuentibus.

Fundamentum Gabr.

Alii eo etiam progressi sunt pressi difficultate argumenti præcipui negatiuæ partis, vt aliud euidentius principium negandum potius putauerint, quam cœlestibus corporibus eam quasi iniuriam facerent, vt eis ne imperfecta quidem viuentia tanquam principalibus agentibus attribuerent. Est autem illud principium, *Causam efficientem principalem* (hoc est, quæ vi sua, & non vt instrumentum alterius aliquid efficit) *esse perfectiorem, aut æque perfectam suo effectu.* Aiunt enim id non esse necessarium, cum ipsa quoq; accidentia, quæ longe inferioris naturæ sunt comparatione formarum substantialium, quam cælestia corpora respectu nostrorum viuentium, sint agentia principalia (*vt ipsi volunt*) in earum introductione. Sed quoniam hos lib. 5. satis impugnauimus, non est, cur in eorum sententia refutanda immoremur.

Reijcitur. c. 2. & 6. sect. 2.

Secunda sent. † Capr. in 2. d. 14. q. vnica a. 3. Sonc. 12. Metaphys. q. 13.

Quidam D. Thomæ † sectatores existimant, cœlum non esse principale agens in generatione horum animalium, si secundum se sumatur: verum, si sumatur simul cum intelligentia motrice, quasi eius forma, tum posse dici principale: quia cum hoc pacto sit suo modo viuens, non est, cur ei animalium generatio non attribuatur: præsertim cum Aristoteles solẽ faciat principalem causam, atque adeo superioris ordinis in generatione hominis. Sed cum sententia hæc re vera incidat in opinionem Auicennæ, quæ iam impugnata est, si sumit intelligentiam motricem pro intelligentia creata, quæ cuiq; orbi mouendo coniuncta est: *neque enim cœlum cum intelligentia motrice creata potest generare viuens vllum, nisi ab ea virtutem aliquã seu qualitat-*

2. Phys. c. 21. text. 29.

Improbatur.

litatem ad illud gignendum accipiat, quod vtique solus Auicenna cum quibusdam illorum cōcedit) illa reiecta, hæc quoque impugnata censeri debet.

Discutitur. Durandus in 2.dist.14.part.2.dicta q.1. existimat se inuenisse viam facilem huius difficultatis dissoluendę, cum asserit cœlum esse quasi semen idoneum non solum ad producenda ea animalia, de quibus est quæstio, sed etiam omnia generabilia, quod ad id, cum cōditum est, seminariam virtutem acceperit. Sed non videtur cōsiderasse, se hoc pacto negatiuam quæstionis partem probare, dum affirmatiuam stabilire nititur. Virtus enim seminaria ab alio accepta imstrumenarii agentis est, nō principalis; quæstio autem de principali proposita est. Nec refert, quod non ait absolute eam virtutem esse seminariam, sed quasi seminariam: satis enim est, si sit virtus accepta, agensque, quod ea præditum est, virtute alterius agat, (*etiamsi simul cum ipsa natura eam acceperit*) vt non principale, sed instrumentale dicendum sit. Id enim videmus in seminibus, quæ tamen nemo dicit esse agentia principalia. Adde, quod Durandus sibi ipsi repugnat, quatenus eodem modo loquitur de virtute cœlorum respectu non viuentium, atq; comparatione viuentiū: constat enim cœlum secundum se sumptum si cum non viuentibus conferatur, esse principale agens: quod tamen apud illum sequitur esse instrumentale; si tanquam semen omniū, quæ gignuntur, agit.

Vera resolut. Dicendum igitur, cœlum, non quidem si secundum se spectetur: nec si sumatur simul cum intelligentia motrice particulari, seu creata; sed si cum generali, & increata sumatur, esse principale agens, cui primo, & immediate tribuenda sit horum animalium generatio. Prima huius conclusionis pars probatur iis argumentis, quæ pro negatiua parte quæstionis initio proposita sunt. Secunda vero partim probata est secundo argumento ex tribus eisdem primis; partim impugnatione sententiæ Auicennæ. Tertia vero ex vtraque plane sequitur. Nam si generatio viuentium, de quibus est quæstio, non potest attribui cœlo secundum se sumpto tanquam agenti principali, quia non est viuens: nec intelligentiis particularibus orbium cœlestium motricibus, quia nullam virtutem illis inprimere possunt, vt viuentia ipsarum virtute gignant: & tamen quærendum est aliquod agens, cuius virtute cœlum disponat materiam ad eorum formas introducendas, sitq; instrumentum, quo illæ introducantur: perspicuum relinquitur, cœlo, vt coniunctum est cum intelligentia generali, prima, & increata, eorum generationem tanquam principali agenti proxime tribuendam esse, quādocunq; illa sine semine gignuntur. Accepit enim á Deo totum cœlum in ipsa creatione virtutem instrumentariam ad disponendam materiam huiusmodi animalium modo eodem, quo disponitur per semen ab animalibus eorum speciei decisum, cum semen deest & tamen suppetit materia ad eam dispositionem apta: tametsi sæpe non ita perfecte hoc modo disponatur, sicut disponitur per semē, vt perfecte omnes suas functiones obeant, vt superius diximus. Atque hæc assertio de huiusmodi animalibus intelligenda quoque est de stirpibus, cum sine semine sponte naturæ gignuntur: est enim in omnibus eadem ratio. *Sup.q sect.2. Etiam de stirpibus genitis sine semine procedit.*

Dur. & Thom. non esse nobis contrarios. Quo pacto citata Thomistarum opinio, Durandique cum vera sententia conciliari possunt, si illi nomine motricis intelligentiæ primam intelligant totius cœli motus moderatricem præsertim cum probabile sit totum cœlum ad generationem cuiusque rei concurrere; Durandus autem fateatur, vt dictis etiam suis tenetur, cœlum secundum se non esse principale agens in generatione eorum viuentium, de quibus est quæstio, sed instrumentale respectu Dei, à quo ad id instrumentariam virtutem accepit. Atque hanc plane crediderim esse sententiam D. Thomæ, vt colligi potest ex ratione, qua vtitur contra Auicēnam in loco paulo superius à nobis citato, qua ostendit, totum compositum propter materiam non contineri virtute in vlla intelligentia particulari cœlorum motrice; sed in sola prima, & vniuersali, quæ est solus Deus Opt. Max. *Quid de D. Thoma? Prox. sect.*

Alia probatio. c.2.q.2.sect.5. Sunt autem hæc valde cōsentanea iis, quæ superiori libro docuimus, cum de rerum cōtingentia ageremus; ostendimus enim ea demū ratione posse ascribi cœlo effecta omnia pure naturalia, si cœlum sumeretur pro tota coniunctione orbium cælestium, particulariumq; intelligentiarum motriciū, & ipsius etiam primæ intelligentiæ, quæ omnia disposuit, ac moderatur, quatenus generali concursu, quasi naturali lege cum omnibus caussis naturalibus operatur. Hoc enim pacto ei necesse est immediate attribuantur ea effecta pure naturalia, tanquam principali agenti, quę nulli inferiori agenti tanquam principali attribui possunt. Quod ibi peculiari ratione dicendum esse ostendimus de effectis per accidens, quæ á caussis pure naturalibus proueniunt, vt excludantur ea, quæ proueniunt ab agentibus liberis.

Soluuntur arg. partis affirm. Quare ad primum argumentum pro parte affirmatiua quæstionis propositum dicen-

dum est, etsi inter cœlum, & animalia, imo & viuentia omnia, quæ sine semine gignuntur, nullum inueniatur agens, cui eorum generatio, tanquam principali, tribui possit, inueniri tamen supra cœlum, ipsam nimirum primam intelligentiam, quæ vim instrumentalem generandi huiusmodi viuentia cœlestibus corporibus impressit.

Quo pacto cœlũ censeatur princip. agens in generatione perfector. animal.

Ad secundum dicito, non aliter quoq; perfectorum animalium generationẽ tribui cœlo, vel soli tanquam principali agenti, (*tametsi non vt proximo immediatè suppositi, vt in generatione procreatorum sine semine*) quàm quatenus cœlum, vel sol non sumuntur per se sed cum prima intelligentia quasi naturaliter coniuncta.

Cur simpliciter dicatur princip. agens.

Ad tertium dicendum, posse quidem cœlum secundum se sumptum disponere materiam ad imperfectorũ animalium formas introducendas: verum non tanquã agens principale, sed tanquam instrumentale: tametsi vt coniunctum quasi naturaliter, non solum cum particularibus intelligentiis, sed etiam cum vniuersali, ac prima, tanquam principale agens id faciat.

Diluuntur alia quædam obiecta.

SECTIO IIII.

Prima obiect.

OBIICIAT tamen aliquis contra ea, quæ dicta sunt, primum, aut Deum concurrere vniuersali concursu ad generationem imperfectorum animalium, & plantarum, quæ sine semine generantur, aut particulari: non particulari, ne demus in eorum generatione perpetuum miraculum: ergo vniuersali; at concursus vniuersalis primæ causæ non tollit, quominus causa secunda concurrens sit principalis in suo genere: non esse igitur, cur cœlum, quod tanquam causa secũda concurrit ad generationem huiusmodi viuentium, non sit in suo ordine principalis eorum causa efficiens.

Secunda.

Deinde, aut virtutem seminariã, vel quasi seminariam procreandorum huiusmodi viuentium, continenter communicari cœlo supra eius naturam: aut nihil esse aliud, quam naturalem aliquam eius proprietatem; at neminem concessurum priorem partem disiunctionis, ne admittat cœlum supra suam naturam agere; ergo nihil esse aliud, quã naturalem quandam cœli proprietatem: sicq; cœlũ naturaliter, & ex se esse generatiuum huiusmodi viuentium tanquam principalem eorum causam in suo ordine, & non virtute primi agentis dumtaxat.

Tertia.

Tertio, si Deus ponitur causa particularis imperfectorum viuentium, cur non etiã perfectorum? maior enim dignitas rerũ est, quod perfecta habeant Deum pro causa particulari efficiente sui, quam pro generali, & communi tantũ. Id quod ex eo confirmatur, quia inter omnes substantias, quæ temporum successu producuntur, sola rationalis anima dici solet à Deo tanquam à causa particulari produci.

Vltimo.

Postremo, causas æquiuocas esse verius causas suorũ effectorum, quam vniuocas: tũ quia virtute sua perfectius ea continent; tum etiam, quia non tantum sunt eorum causę in fieri, sed etiam in conseruari, quod de vniuocis dici non potest: at cœlum esse causam æquiuocam imperfectorum viuentium; ergo esse perfectius eorum causam, quam sint vniuocæ respectu effectorum eiusdem rationis, & naturæ; cum igitur hæ sint principales, non esse, cur cœlum principalis causa huiusmodi viuentium esse negetur.

Satis fit obiectionib.

Verum hæc non difficile soluuntur. Nam ad primum dicendum est, Deum concurrere ad generationem huiusmodi viuentium non particulari concursu, siue extraordinario, sed generali, & ordinario, ac suo modo naturę debito; id tamen non tollere, quominus ad ea generanda concurrat & vt causa vniuersalis, & vt particularis: vt vniuersalis quidem, quatenus concurrit cum omnibus causis mediis, quæ in eorum generatione operantur: vt particularis vero, quatenus ei soli immediate tribuitur eorum generatio tanquam principali agẽti, eo quod, etsi non sit compositus ex materia, & forma, solus tamen ipse eiusmodi effecta & quoad formam, & quoad materiam virtute contineat, vt dictum est.

Deum concurrere ad has generat. & vt causã vniuers. & vt particul.

Sect. 2. Virtus seminaria ad viuentia producenda est naturalis cœli proprietas.

Ad secundum dicendum, seminariam, aut quasi seminariam virtutem cœli ad huiusmodi viuentia producenda non esse supra eius naturam, sed naturalem eius proprietatem: inde tamen nõ sequi, cœlum esse principalem eorum causam. Nam & verum semen naturali virtute sibi propria producit animal, aut plantam, non tamen vt principale agens, sed vt instrumentale, quia disponit materiam virtute eius viuentis, à quo decisum est.

Cur Deus sit causa particul. imperfectior. viuentium, non item perfect.

Ad tertium, non esse eandem rationem in viuentibus perfectis, vt habeant pro causa particulari Deum, atque in imperfectis, cum sine semine gignuntur. Nam perfecta, cum non generentur nisi semine, semper habent pro particulari causa ex principalibus in suo ordine ea viuentia, à quibus semen decisum est; quod nõ habet locum in imperfectis, siue ea nunquam gignantur semine, siue actu non gignantur, licet gigni alias possint. In indaganda enim causa particulari

lari

A lari principali, seu cui simpliciter, & absolute effectus tribuatur, non conquiescit philosophicus discursus in elemento vllo, aut misto non viuente, aut vero in cælesti vllo corpore, corporibusve, aut denique in intelligentia vlla creata, seu in solo Deo, cuius virtute tanquam seminali accepta in iis corporibus, quibus ille vtitur ad eorum generationem, illa gignuntur. Nec tamen maior dignitas est horum generationis, quam B perfectorum viuentium à suis causis particularibus. Nam etsi solus Deus est illorum particularis causa principalis, tamen ea generat plurimorum corporum interuentu, quorum nullum est viuens: at perfecta non generat, nisi interuentu perfectorum viuentium. Quod si Deus illa immediate produceret (*hoc est, non per quicquam aliud*) quemadmodum producit animam rationis participem; (*quod ordo naturæ non fert*) tum demum eorum generatio dignior habenda esset. Atque C in hoc sensu dici solet, nullam substantiam earum, quæ temporum successu producuntur, habere pro causa particulari Deum, nisi animam rationalem, quæ à solo Deo per creationem producitur.

Nec tamen sit maior dignitas eorum generationis, quam perfect.

Ad vltimum dicendum est, cum causæ æquiuocæ verius dicantur causa, quam vniuocæ, intelligendum id non esse de instrumentalibus, sed de principalibus: quo pacto cœlum est causa non viuentium, tametsi re- D spectu viuentium non sit principalis. Principales enim, cum æquiuocæ sunt, altiorem naturam habent, quam earum effecta, perfectiusque ea continent, quã vniuocæ: quod de instrumentalibus dici non potest, quia non continent ea, nisi virtute, vt ita dicam, ministeriali. An autem sola, & omnia agentia æquiuoca principalia sint causæ suorum effectorum non solum in fieri, sed etiam in E conseruari; vniuoca vero solum in fieri: quia res est difficilis, & in dubitationem adducit nonnulla eorum, quæ dicta sunt, discutiendum id per se est.

Causa æquiuoca principales verius dicuntur causa, quam vniuocæ.

Vtrum agentia æquiuoca sint causæ suorum effectorum non solum in fieri, sed etiam in conseruari; vniuoca vero solum in fieri?

QVÆST. III.

Agentia vniuoca non esse causas suorum effectorum in conseruari, sed in fieri tantum.

SECTIO I.

IN hac tota quæstione, quoties de agentibus æquiuocis sermo incidit, non sunt intelligenda quæuis agentia æquiuoca, seu diuersæ rationis, & naturæ à suis effectis; sed ea tantum, quæ & principalia sunt (vt excludantur instrumentalia, quemadmodum in superiori quæstione) & superioris ordinis inter substantias, vt excludantur agentia corruptibilia, etiam si præstantioris naturæ sint, quam eorum effecta, qualis est equus comparatione muli à se geniti; solaque incorruptibilia comprehendantur, cuiusmodi sunt cœlestia corpora, & intelligentiæ comparatione corruptibilium. Itaq; solas substantias incorruptibiles nomine agentium æquiuocorum intelligi hoc loco volumus, quibus hæ no[?]rates corruptibiles subiectæ sunt.

Solum hic agi de causis æquiuocis corruptibilibus.

Non quæruntur etiam in hac disputatione causæ per accidens, sed per se; tum quia per accidens sunt, negliguntur ab arte; tum etiam, quia causæ omnes, etiam eiusdem ordinis cum suis effectis, possunt illa per accidens conseruare, remouendis nimirum eorum contrariis, si adsint, aut impediendis, ne adsint; quo pacto Rempub. Reges conseruãt interficiendis sceleratis ciuibus, & arcendis externis hostibus.

Et quæ item sint per se.

His positis, quod ad vniuoca agentia speciatim pertinet, illud in primis asserendum est, agentia vniuoca, etsi sunt causæ suorum effectorum in fieri, non esse tamen in conseruari; si modo sint vniuoca non solum quoad formas, quibus agunt, sed etiam quoad modum habendi eiusmodi formas, vt nimirum eæ in vtrisque sint naturaliter. Prior pars ex eo probatur, quia agentia vniuoca sunt eiusdem rationis, & naturæ cum suis effectis: in iis autem, qua talia sunt, non est maior ratio, cur hoc pendeat ab illo in suo esse, quam illud ab hoc. Quod argumentum vsque adeo premit D. Thomas 1. p. q. 104. ar. 1. & 3. contra gent. c. 65. vt dicat agentia vniuoca non esse causas suorum effectorum quoad esse eorum; quia alioquin essent causæ suæ speciei, in qua illa cum suis effectis continentur, ac proinde essent causæ sui ipsorum; esse tamen causas eorum quoad fieri, quia sunt causæ, quibus effectorum formæ introducantur in proprias F ipsorũ materias. Posterior pars, quæ priorem magis explicat, inde patet, quia si huiusmodi agentia sint talia, vt possint communicare suis effectis non solum formas, quibus agunt, sed etiam earum naturalitatem, hoc est, efficere, vt eas vendicent naturaliter; tunc, cum eo peruentum fuerit, paria omnino erunt agentibus ipsorum effecta; neque

Probatur prior pars.

Probatur posterior.

neque erit maior ratio, cur effecta in sui conseruatione pendeant ex causis, à quibus facta sunt, quam causæ ex effectis: quod patet in igne generante respectu ignis geniti. At si huiusmodi agentia sint talia, vt possint quidem suis effectis communicare formas, quibus agunt, non tamen earum naturalitatem; euenire potest, vt illa sint causæ suorum effectorum non solum in fieri, sed etiam in cõseruari. Quo pacto sol, quatenus luminosus est, & hac ratione multorum sententia cum aere luminoso vniuoce conuenit, ita communicat aeri lumen, vt ei communicare non possit eius naturalitatem: neque enim aer accipere potest formam solis, ex qua lumen naturaliter quasi fluat. Diximus euenire posse, nõ autem semper euenire; quia ignis, quatenus luminosus est, communicare potest aeri nõ solum lumen, sed etiam eius naturalitatem (*quia nimirum potest ei communicare formam ignis, ex qua naturaliter sit luminosus*) & tamen est causa luminis in aere producti non solum in fieri, sed etiam in conseruari. Itaque non tradimus hîc causam adæquatam, cur quædam agentia naturalia sint causæ suorum effectorum in fieri, & conseruari; sed cur ea, quæ & quo ad agendi formas, & quoad earum naturalitatem vniuoce cum effectis conueniunt, non sint eorum causæ in conseruari, sed in fieri tantum; vt in causas vniuocas ab hac disputatione excludamus: cuius disputationis tota difficultas posita est in intelligendo, quænam agentia æquiuoca sint suorum effectorum causæ non solum in fieri, sed etiam in conseruari: id, quod ex indigentia effectorum, & facultate causarum inuestigandum est in diuersis rerum generibus. Quod enim omnia & vniuoca, & æquiuoca sint causæ in fieri, apertius est, quam vt de eo dubitare quisquam possit.

Qua agentia vniuoca possint esse causa in fieri & conseruari.

In quo sit huius quæst. difficultas.

Obiectio.

Obiiciat tamen aliquis cõtra assertionem propositam, agentia vniuoca introducere eas dispositiones in materiam rerum à se generandarum, quibus non solum formæ eorum introducantur, sed etiam conseruentur; ergo esse causas suorum effectorum non solum in fieri, sed etiam in conseruari: hinc enim fit, vt cum grauia, & leuia se reducunt ad natiuum statum suarum qualitatum, ea reductio tribuatur generantibus, & ab eis fieri dicatur. Neque obest, quod dispositiones, quæ ante ipsarum formarum ingressum introducebãtur à generantibus, perierint in ipso earum ingressu; cum id fiat præter eorum intentionem, & earum virtute succedant aliæ similes in rebus genitis, quibus earum formæ conseruantur. Huic obiectioni respondendum est, conseruari quidem hac ratione effecta vniuoca à suis vniuocis agentibus; verum in hac quæstione nomine conseruationis non esse intelligendam aliam conseruationem, nisi eam, quæ fit ab agente actu existente: est autem per accidens, vt vniuocum agens, quale à nobis explicatum est, sit actu existẽs, cum eius effectus hac ratione ab eo conseruatur. Itaque tota reliqua disputatio est de sola conseruatione per causas, quarum actualis existentia sit per se necessaria ad conseruationẽ suorum effectorum: quales sunt tantum causæ æquiuocæ, nempe Deus Opt. Max. & fortasse etiam corpora cœlestia, de quibus nunc disserendum est.

Responsio.

Qua effectorum conseruatio hic negetur agentibus vniuocis.

Argumenta, quibus ex parte vna videtur effici res creatas non indigere aliis causis conseruantibus, nisi remouentibus, vel impedientibus contraria; ex altera vero solum Deum esse causam omnium conseruatiuam.

Sectio II.

Offervnt se tamen argumenta non leuia, quibus videri potest non esse opus aliis causis conseruatiuis rerum, nisi quibus corruptibilia liberentur, aut protegantur à contrariis, quæ est conseruatio per accidens; aut certe, quibus creata omnia à solo Deo conseruari videantur.

Quod enim res omnes sint ex se sufficientes, vt se conseruent, nisi à contrariis lædantur, ex eo primum probatur, quia cum quælibet res ex se ipsa maxime propensa sit ad sui conseruationem, eaque propensio, cum sit naturalis, non frustra ei data sit; consequẽs est, vt si ab ea remoueantur, aut arceantur omnia, quæ illi noxia, & quocunque modo aduersa sunt, ipse per se sit sufficiens, vt se ipsa conseruet.

Rationes, quæ astruunt res non indigere per se causis conseruatricibus.

Deinde, quia vt demus res corruptibiles indigere omnino causis conseruantibus, (*quamquam non desunt, qui dicant eas etiam non amissuras vnquam suum esse, si ab omnibus contrariis protegantur*) certe res incorruptibiles suum esse retinere, perpetuoque ex se ipsis permanere posse, palam videtur esse.

Tertio, quia etsi quis ostendat omnia, quę facta sunt, indigere causis conseruantibus, saltem fieri aliqua à Deo posse, quæ facta sese conseruent in suo esse, non videtur dubitandum: cum & nos ipsi multa faciamus, quæ postquam facta sunt, sese ipsa conseruant, nisi ab aliis lædantur, & dissoluantur, vt vinum, & alia plura.

Postremo, quia per quamlibet actionem, si sit *efficax*, fit aliquid in effectu; si ergo Deus in conseruandis rebus, quæ vel ab ipso solo,

vel ab aliis etiam agentibus factæ sunt, aliquid agit, non dubium est, quin vel actum agat, *(quod dici non potest)* vel semper aliquid noui rebus factis adiungat; sicque non possit rem vllam in eodem statu conseruare, quod absurdissimum esset asserere. Ita patet non esse, cur aliæ causæ conseruatiuæ rerum quęrendæ sint præter eas, quibus per accidens conseruentur.

Arg. ad probandum res à solo Deo per se conseruari.

Quod vero, siquæ causæ per se conseruãtes dandæ sunt, id cadere non possit, nisi in Deum Opt. Max. inaniterque orbes cælestes dicantur conseruatiui rerum sublunariũ, hoc argumento ostendi videtur. Quia non minoris videtur esse virtutis conseruare omnia in suo esse, quam ea ex nihilo fecisse: at facere aliquid ex nihilo est proprium Dei; ergo & omnia in suo esse conseruare. Id quod ex eo etiam confirmatur, quia vtraque virtus efficiendi, & conseruandi respicit effectum, vt ens est, qui est proprius effectus Dei.

Quid certum in hac re sit, quid re vera controuersum, & vtra controuersia pars amplectenda, ac demum quo pacto intelligenda?

SECTIO III.

Res omnes à Deo pendere in fieri & conseruari de fide est.

IN hac difficultate illud certum est, etsi nulla ratio naturalis ad id probandum suppeteret, de fide tamen esse res omnes infra Deũ ita pendere ab eo in fieri, & conseruari, vt nec produci vlla possit, nec vero conseruari, nisi Deo ad eius productionem, & conseruationem concurrente. Hæc assertio patet ex loco illo Ioannis, *Omnia per ipsum facta sunt*; & ex illo, *Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor*; & ex verbis Pauli, cũ ait, *In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus*; & alibi, *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*; & ex aliis compluribus diuinæ scripturæ sentẽtiis: vt Patres omnes communi consensu eas interpretantur. Neq; obest illud, ꝙ Moyses de Deo in fine fabricæ mundi ait, *Et requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat*: intelligenda est enim ea cessatio ab opere creandi, & res nouas initio mundi ex aliis faciendi; non item à conseruandi deinceps, gubernandiq;, vt August. exponit. *Alioquin omnia* vt ait, *continuo dilaberentur. Creatoris namq; potentia, & omnipotentis, atq; omnitenentis virtus causa subsistendi est omni creaturæ: quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret.* Et alio loco. *Hic, inquit, credamus, vel si possumus, etiam intelligamus, vsque nunc operari Deum, vt si conditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intereant.* Id quod etiam Anselmus in monologio his verbis docet: *Necesse est, vt sicut nihil factum est, nisi per creatricem præsentem essentiam; ita nihil vigeat, nisi per eiusdem seruatricem potentiam.*

cap. 1. cap. 5. Act. 17. Rom. 11. Vide hac de re lib. 5. c. 2. q. 9. sect. 2. Gen. 2. lib. 4. de Genesi ad lit. c. 12. lib. 5. c. 20. cap. 12.

Ratio huius veritatis à priori.

Huius rei præcipua ratio, & à priori traditur à D. Tho. 1. p. q. 104. ar. 1. cuius hæc est vis. Quia, cum solus Deus sit ens per essentiam, & cætera omnia per participationem, seu *(quod idem est)* cum solus ipse necessario, & essentialiter sit actu existens; cætera vero non existant, nisi communicata illis ab eo existentia; efficitur, vt cætera omnia neque existentiam accipere in sui productione, neque eam retinere in sui cõseruatione possint, sine aliqua Dei producentis, & conseruantis communicatione: est enim conseruatio nihil aliud, quam existentiæ continuatio. Quæ ratio 12. libro explicabitur, & expendetur. Alias rationes adhibet 3. contra gent. cap. 65. & aliis locis, inter quas illa est magis popularis argumento à minori ducto, qua sic argumentatur. Non minus pendent creata omnia à Deo in suo esse, quam lumen aeris diurnum à sole: at luminis existentia pendet à sole non modo in fieri, sed etiam in conseruari: ergo & existentia rerum omnium creatarum à Deo.

Alia ratio.

Quid sit in hac re cõtrouersum.

Itaque de hac re nullum est dubium. Illud est controuersum, num res omnes postquã productæ sunt, à quauis causa sint factæ, à solo Deo conseruentur; an ab aliis etiam causis? quodsi ab aliis etiam, quonam pacto omnes ad conseruationem earum concurrant.

1. p. q. 104.

Hanc controuersiam proponit D. Th. in loco citato primæ partis ar. 2. sub his verbis, *Vtrum Deus immediate omnem creaturam conseruet*, hoc est, solus ipse, & sine concursu alicuius causæ secundæ. Et quanquam præcipue loquitur de causis effectiue conseruantibus; alias tamen quocunque alio modo conseruantes in disputatione admittit; de quibus etiam nobis agendum est. Respondet autem negatiue, ostendens non solum Deum, sed etiam alias causas ad conseruationem multarum rerum concurrere; nec solum id intelligendum esse de conseruatione indirecta, & per accidens, quo pacto conseruant ea, quæ contraria remouent, vel impediunt; sed etiam de conseruatione directa, & per se. Quæ responsio optima est, & aptissima ratione ab eo probatur. Quia Deus, vt ait, multis rebus dat esse per causas sibi subordinatas, vt rebus corruptibilibus per incorruptibiles; talis autem subordinatio rerum postulat, vt per easdem causas

Sententia D. Th. in hac controuersia.

Ratio, quæ eam probat.

sas illæ conseruentur, per quas esse acceperunt, si modo (*quod subaudiendum est*) eiusmodi causæ sint superioris ordinis, (*vt excludantur causæ vniuocæ*) aut ad constitutionem earum pertineant. Cur autem hæc subordinatio postulet, vt per quas huiusmodi causas res fiunt, per easdem conseruentur, hæc potest esse ratio: quia intentio omnium causarum non in eo tantum posita est vt dent esse suis effectis, sed etiam vt ea, quoad fieri potest, in dato esse conseruent. Cum ergo causæ superioris ordinis sint incorruptibiles, nec perire possint, simulatque sua effecta produxerunt, vt perire possunt vniuocæ, sed cum eis ad eorum conseruationẽ concurrere possint, non est, cur ea directo ac per se non conseruent. Quanquam vero ratio hæc de solis efficientibus causis apertius proponatur, eius tamen vis ad materiales etiam, & formales, multoque magis pertinet. Nam quemadmodum corpora cœlestia necessario permanent post generationem corruptibilium, eaque fouent transacta eorum generatione; ita etiam, & multo magis causæ materiales, & formales, quod ad eorum compositionem pertineant. Ad causas autem materiales reduci possunt dispositiones naturales, quia reddunt propriam cuiusque rei materiam; tametsi ea etiam ratione reduci possunt ad causas efficientes, quatenus in generatione sunt earum instrumenta ad inducendas formas, & quoad fieri potest, conseruandas.

Posse eã ad causas formales, & materiales accommodari.

Dispositiones ad quod genus causæ spectent.

Assertio communis.

Dicendum igitur Deum ea omnia, quæ ipse solus efficit (*modo aliter fieri nequeant*) solum etiam effectiue conseruare, vt Angelos, animam rationalem, cœlestia corpora, materiam primam, & dona supernaturalia: quæ autem efficit per causas medias, per easdem quoque illa conseruare; si modo illæ sint efficientes superioris ordinis, aut ad eorum constitutionem pertineant; concurrente tamen semper ipso immediate, vt prima causa in omnibus causandi generibus. Dixi in priori parte assertionis [*Modo aliter fieri nequeant*] quia si solus Deus producat equum, aut rem aliam naturalem, quæ per generationem quoque produci posset, (*quo pacto multa corruptibilia produxit, cum mundum condidit*) simulatque eam producet, continuo illam suis naturalibus causis in suo cuique genere conseruandam relinquet, quod D. Thomas eodem loco tradit fecisse Deum initio mundi; retento tamen sibi primo, supremoque conseruandi concursu, quem nulli causæ secundæ communicare potest. Quod si ea, quæ creauit, cum alias naturaliter produci possent,

A simulatque solus produxit, continuo causis etiam naturalibus conseruanda reliquit; quanto magis ea, quæ postea cum ipsis causis naturalibus produxit? Addidi autem in posteriori parte illud [*Si modo sint efficientes superioris ordinis*] vt excluderentur causæ vniuocæ, quæ tantum sunt causæ in fieri. Deinde illud [*Aut ad eorum constitutionem pertineant*] vt includerentur materia, & forma, quæ non tantum sunt causæ in fieri, sed etiam B in facto esse. Itaq; omnia hæc non per accidens, sed per se concurrunt ad conseruationem rerum, vnumquodq; in suo ordine: quæ est sententia omnium grauiorum Philosophorum, & Theologorum. Neque opus est, vt eam valentiori ratione probemus, quã quæ relata est ex D. Th. Quo autem modo huiusmodi causæ ad conseruationem rerum concurrant, nunc videndum.

Quo pacto concurrant. Materia.

Forma substan.

Accidentales.

Atq; vt ab internis ordiamur, materia C cõcurrit ad conseruationem compositorũ sustinendo esse formarum, aut earũ informationem, vnde resultat conseruatio ipsorũ compositorum. Formæ autẽ substantiales cõcurrunt ad eorundem conseruationẽ cõtinendo à priori ipsum esse materiæ, vnde & resultat cõpositorum conseruatio ex parte ipsarum. Formæ vero accidentales, quæ spectant ad naturalem eorum dispositionem, concurrunt ad ea conseruanda continendo à posteriori D ipsum eorũ esse, quod sine dispositione naturæ ipsorum debita conseruari nequit. Vnde quemadmodum si Deus annihilet materiam, aut formam substantialem, in eodem momento peribit compositum defectu causæ internæ; ita si annihilet naturalem eius dispositionem, idem quoque peribit defectu dispositionis requisitæ ad existendum; nisi Deus suppleat vim illius à posteriori conseruantis. Denique causæ efficientes, si E sunt secundæ ac superioris ordinis, concurrunt ad conseruationem eorum, quæ genuerunt, per easdem dispositiones naturales, quas in illa induxerunt, quod quo pacto intelligendum sit, postea patebit. Si vero est prima causa efficiens, ipsa sola effectiue conseruat ea effecta, quæ sola produxit, vt dictum est: cætera vero simul cum eis ipsis causis mediis, cum quibus ea produxit, & in eisdẽ causandi generibus, quibus illæ ea cõseruãt, F sine vlla tamen imperfectione sui causandi modi: cum materia quidem sustinendo formas; cum formis vero cõtinendo materiam: (*quæ duo sustinẽdi, & cõtinendi vocabula vsurpat Gregorius Magnus lib. 2. Moral. c. 8. dũ de diuinis causandi generibus pressius disserit*) demũ cũ efficientib. superioris ordinis aliquid cũ eis efficiendo per dispositiones naturales,

Efficientes secundæ.

Prima.

Cum materia sustinet formas, cum formis continet materiã.

quas

quas induxerunt: semper tamen vt prima, & independens in vno quoq; causandi genere, ac proinde in generib. etiam causandi exemplaris, & finalis causæ, quæ cum prima efficiente necessario copulantur. Quæ omnia partim dicta sunt expresse lib. 5. cum de causis ageremus: partim ex illis intelligi poterant, nisi commodius esset ea nunc simul distinctius colligere. Rursumque explicatissime commonstrabimus infra, quid sit in qualibet causa eius causandi ratio, siue causalitas: vbi de diuinis causalitatibus adhuc accuratius disputabimus, vt complurium votis satisfiat.

ad c. 8. q. 4. sect. 2. & seq.

Quo pacto Deus conseruet formas per materiam, & eius causalitatem aliquando suppleat?

SECTIO IV.

Prima obiect. contra doctrin. traditam. Quod nullus philos. dicat Deum concurrere cum materia vt caus. primã in eo genere.

NON desunt tamen, quibus non placeat id, quod eo loco diximus, Deum conseruare formas per materiam in eodem communi causandi genere, in quo materia illas conseruat: eas nimirũ substinendo, vt explicauimus. Ac inprimis illud obiiciunt, nullum Philosophorum, aut Theologorum asseruisse Deum concurrere cum materia tanquã primam cã materialem. Verũ hoc † nihil ad nos, qui non solum id non asseruimus, sed etiam expresse negauimus, idque in proprio loco, hoc est, vbi de subordinatione omnium causarum primæ causæ disputauimus. Ibi enim illud tantum diximus, Deum esse causam primam non solum in genere causæ exemplaris, efficientis, & finalis, sed etiam in aliis duobus causandi generibus; non quidem nominatim, siue speciatim materialis, & formalis informantis, (*quasi diceremus illum concurrere cum materia, & forma tanquam primam causam materialem, aut primam formalem informantem: hoc enim nullus Philosophorum, aut Theologorum asseruit*) sed in duobus quibusdam generibus innominatis: quorum alterum diximus appellari posse sustentatiuum, (*formarum scilicet à subiectis pendentium*) sub quo est causa materialis, & alia quædam sustentans causa, quæ non est subiectiua, seu materialis, Deoque conuenit: alterum contentiuum, (*videlicet subiecta materia*) sub quo est causa formalis informans, & alia causa continens, quæ non est informans, similiterque in Deum quadrat. De quibus communibus generibus quemadmodum Philosophi, & Theologi expresse non disseruerunt, sic etiam multa docent, cum de causarum subordinatione agunt, ex quibus ea nec negasse, nec negare potuisse plane colligitur. Itaque cum aperte negauerimus Deũ concurrere cum materia vt primam causam materialem: & cum formis informantibus vt primam informantem, quod obiicientes nobis attribuunt, quemadmodũ & alia plura vel non bene percepta, vel minus fideliter relata (*quod semel admonuisse sit satis*) nihil est, quod de hac obiectione curandum sit.

† Satisfit obiect. lib. 5. c. 2. q. 12. sect. 4.

Secunda obiect. superflue à nobis tribui Deo sustentatiuum & contentiuum causandi genus. Probatio 1.

Obiiciunt deinde, superuacaneum esse tribuere Deo alias causandi rationes secundum proprietatem, quam efficientis, finalis & exemplaris: quod duobus argumentis probant. Vno, quia, vt Theologi ostendant Verbum diuinum nullam exercere causalitatem terminando humanitatem assumptam, satis esse putant, si probent nullam exercere effectiuam, quod patet non exercere illud in ea terminanda causalitatem finalem, aut exemplarem. Altero, quia præter vim causandi finaliter, & exemplariter, nõ agnoscunt in Deo aliam, nisi omnipotentiam, quæ solũ est potentia effectiua. Sed ad hoc dicimus, ex vulgatis quidem generibus causarum materialis, formalis, informantis, efficiẽtis, exemplaris, & finalis, merito Theologos sola tria postrema Deo secundum proprietatẽ tribuisse, quod prima duo sub expressa consideratione causæ materialis, & formalis informantis imperfectionem includant, quam non includũt cætera tria: non tamen proinde negasse ea genera, sub quibus duo prima continenter, esse Deo secundũ proprietatem tribuenda, cum potius ex eorum cõmuni doctrina pateat omnem causalitatẽ, in qua nulla imperfectio includitur, illi esse tribuendam: ac proinde genera illa duo innominata causandi nullatenus ei esse deneganda. Vnde, quod opponentes aiunt, Theologos non aliter probare Verbum diuinum nullam exercere causalitatẽ in terminanda dependentia humanitatis assumptæ, nisi ostendendo illud nullam exercere effectiuam, & supponendo nullam exercere finalem, & exemplarẽ, verum non est. Id enim probant generali ratione illa, quia nulla causalitas conuenire potest vni personæ, quæ nõ conueniat cæteris, quæcunq; illa causalitas sit: quamuis nominatim excludant efficientem, quæ ex vulgatis videri posset diuino Verbo conuenire. Re autem vera generalis hæc ratio, qua vtuntur, excludit etiam causalitatem sustentantis, & continentis, seu perficientis: quarum posteriorem, etsi supposita humana exercentur naturis, quas terminant: (*neque enim solum eas terminant, sed etiam perficiunt in genere causa formalis informantis, qua etiam toti respectu partium tribuitur*) tamen diuini Verbi suppositum, vt à cæteris distinguitur, eam exercere nõ potest,

Secunda.

Diluitur obiect.

Ad 1. prob.

An aliquã causalit. exerceat Verbum diuin. respectu natura assumpta.

test, sed solam naturæ humanæ puram terminationem, quæ nullam causalitatem importat: tametsi, vt cum cæteris diuinis suppositis conuenit, exercet causalitatẽ formalem continentis naturam assumptam, quam continuisset, ac perfecisset suppositũ humanum, quod resultaret, si illa non assumeretur à diuino. Quod etiam addunt, Theologos præter vim causandi exemplariter, & finaliter, nullam aliã in Deo agnoscere, præter omnipotentiam, eamq; esse solam potentiam effectiuam, abunde solutũ à nobis est in loco citato lib. 5. hoc tantũ nunc addimus, non posse dari in Deo potentiam in genere causæ effectiuæ, nisi etiam detur in aliis omnibus causarum generibus, quia nõ posset Deus omnia factibilia efficere, nisi etiam posset omnem actionem in suam bonitatem tanquam finem dirigere: omnibusq; rebus faciendis exemplaria sibi proponere: omnes etiã formas informantes, quæ à subiecto aliquo pendent, sustentare: & omnem materiam, subiectaque continere, atq; perficere. Cætera de hac re vide eo loco fuse explicata.

Ad 2. prob.

Tertia obiect. Quod omnis causalit. materia, & formæ includat formaliter imperfect.

Obiiciunt tertio loco, omnem causalitatem materiæ, ac formæ informantis imperfectionem formaliter includere, eo quod formaliter consistant in vnione intrinseca, & formali vnius cum altera: Deum autem non sic vniri posse, vt vel subiiciatur formę, vel informet materiam. Sed hæc obiectio nõ est ad rẽ. Admittimus enim omnẽ causalitatẽ materię, & formæ informantis includere formaliter imperfectionem: sed non inde sequitur causalitatem causæ concurrentis cum materia, & forma in genere non materialis causæ, aut formalis informantis, sed sustentantis, & cõtinentis, dicere imperfectionem. Mitto, quod causalitates materiæ, & formæ informantis non sub quacumq; consideratione includunt imperfectionem, quia non sub consideratione causalitatis, nec sub consideratione causalitatis sustentantis, aut continentis: sed sub propriis, & specialib. consideratiomb. causalitatis materialis, & formalis informãtis: quẽadmodum neq; esse animal sub consideratione entis, aut substantiæ, aut etiam viuentis communissime accepti, dicit imperfectionẽ: sed sub propria consideratione talis substantiæ, aut talis viuentis.

Respondetur obiect.

Quarta obiect. Quod concipi nõ possit modus causandi Dei ad extra absq; efficiẽtia.

Probatio.

Postremo obiiciunt vix posse concipi modum causandi Dei ad extra absque efficientia, vt sic argumententur. Non potest modus causandi Dei ad extra concipi absq; efficientia: ergo non possunt vlterius dari in Deo ii duo alii causandi modi, quos ponimus. Antecedens ex eo probatur, quia in effectu non est aliquid respectu Dei præter entitatem eius, A & actionem: neq; effectus pendet à Deo, nisi media actione: neq; actio, vt actio est, dicit habitudinem nisi ad efficiens: quamuis vt ordinata ad talem terminum, vel talem formã, possit respicere causam finalem, vel exemplarem. Verum iam hic plura peccantur. Si enim dicere volunt nullum effectum in rerum natura esse posse sine aliqua Dei efficientia concurrente ad realem effectus existentiam: recte quidem sentiunt: sed non inde sequi non B dari in Deo illos alios causandi modos, quibus concurrat cum materia, & forma in communibus earum causandi generib. quemadmodũ non sequitur non dari in eo alios duos modos causandi exemplaris, & finalis causæ, distinctos à modo causandi efficienter. Ita fit vt vitiosa concludendi forma non verã conclusionẽ colligant. Quod si significare volunt non aliter Deum respicere effectum ad extra, nisi efficienter, & duobus illis, qui quasi se C tenent ex parte efficientis, (*exemplaris nimirum, & finalis*) & petunt principium, & falsum antecedens assumunt. Sed nec rationes, quibus illud probare nituntur, aliquid efficiunt. Nam quod aiunt, nihil esse in effectu Dei, nisi entitatem eius, & actionem: si verbo [*nihil*] excludere volunt omnem aliam entitatem, admittimus, quod dicunt, quanquã de actione, quia nihil ad rem est, nõ est, quod laboremus. Quod si excludunt etiã omnem D alium modum se habendi effectus ad Deum præter illum, qui est dependentia eius à causa efficiente: negamus, quod assumũt; cum tam multæ sint dependentiæ cuiusque effectus à Deo, quam multis modis Deus est causa illius. Vnde & illud, quod addunt falsum est, effectum, inquam, non pendere à Deo, nisi mediante actione cum pluribus modis ab eo pendeat, etiam transacta actione: ratione nimirum materiæ, & formæ, quæ sibi inuicem E dant esse, concurrente cũ illis ipsa prima causa, quæ primo dat omne esse. Quo fit, vt etsi verum sit, quod adiungunt, actionem scilicet vt actio est, nullam habitudinem dicere nisi ad causam efficientem, nihil tamen inde ad rem colligi possit.

Dissoluitur obiect.

Ad prob.

Effectum non pendere à Deo solum mediante actione.

Cum autem pergunt respondere trib. quibusdam rationibus, quas inter alias eodem loco proposuimus, in plura incommoda incidunt. Vna ex illis (*vt paucis repetantur*) hęc F erat. Omnis causa in suo quæque genere dat esse: ergo Deus concurrit cum quacumque creata ad eum specialem modum dandi esse, quo ipsa dat illud; siquidem ad Deum primo pertinet dare esse quouis modo detur. Altera. Omnis causa secunda pendet à Deo non solũ in essendo, sed &t in causando: (*vt enim nihil creatum potest esse independens in essendo i-*

Rationes, quib. alibi nostram doctrin. confirmauimus.

Prima.

Secunda.

do, ita neq; in causando) ergo Deus concurrit cum qualibet causa secunda ad eius specialem causandi modum. Tertia. Deus supplere potest omnem causalitatem causæ secundæ, quatenus ea causalitas nullam includit imperfectionem; sustinere autem formam, & continere materiam, nullā imperfectionem importat: ergo etsi materia non sustinet formam naturaliter, nisi cum ei subiicitur; nec forma naturaliter continet materiam, nisi cum eam informat: tamen quatenus materia sustinet formam; *(dando nimirum illi per se, suoque peculiari causandi modo esse)* & forma continet materiam, *(dando item illi per se in suo causandi genere proprium illius esse)* potest Deus sine subiectione sui, & sine informatione alterius causalitatem vtriusque supplere in sustinenda forma, & continenda materia. Igitur cum materia, & forma informās concurrunt ad sua effecta, Deus quoq; cum illis concurrit in iisdem duobus causandi generibus, quibus illæ subsunt.

Tertia.

Ad hæc omnia cum nihil solidi respondeti possit, ad id confugiunt, vt dicant, concurrere quidem Deum cum materia, & forma informāte ad eos causandi modos, quos ipsæ exercent; *(neq; enim id negare possunt, cum materia, & forma peculiaribus concurrendi modis sibi inuicem, & ipsi composito dent esse, quibus modis illud non datur ab efficientibus)* verum non aliter id præstare, nisi in genere causæ efficientis. Qua responsione complura incommoda, & absurda admittere coguntur. In primis conuellunt receptissimum illud principium, & quasi alphabeticum in prima Philosophia, Omnes causas essentialiter subordinatas esse eiusdem generis: ipsi enim excipiunt causam materialem, & formalem, quas volunt non aliter essentialiter subordinari Deo, nisi vt causæ efficienti. Vnde sequitur esse causas subordinatas, & non subordinatas: nihil enim est aliud causam causæ subordinari, *(per se nimirum, siue essentialiter, vt dici solet)* quam in eodē genere causandi sub ea poni, & ab illa in causādo intra id genus causæ pendere. Et præterquam quod huiusmodi exceptiones, quæ occasione soluendorum argumentorū dantur, cum in propria ipsius rei materia datæ nō sunt, suspectæ admodum habentur; nulla est ratio, quam afferunt, vt hāc ordinariam causarum subordinationem in sola materia, & forma peruertant. Dicunt enim, etsi causa vna creata non potest per se concurrere cum alia sibi subordinata, nisi intra idem genus causæ; Deum tamen posse id facere in alio genere causæ, sicq; posse concurrere, vt causam efficientem cum materia, & forma ad proprium earū causalitatum exercitium; eodemq; modo posse in genere causæ efficientis earū causalitates supplere, siquando illæ desint. Nec vero id absurdū esse, quia etsi causa secunda non cōtinet eminenter modos causandi aliorum generum; tamen prima causa, quatenus efficiens est, cōtinet eminēter modos causandi causæ materialis, & formalis.

Responsio aduersariorum, etiam cum materia, & forma Deum concurrere efficienter.

At quanta in ea peccant. Primum conuellunt commune illud, causas essentialiter sub ord. esse eiusd. generis.

Occurrunt huic incommodo.

A quibus illud primum quæri potest, quid sit Deum, quatenus efficiens est, eminenter continere modos causandi materiæ, & formæ? an posse exercere formaliter omnes earum causalitates; an aliquas tantum, nempe eas, quæ nullam imperfectionem includunt? an vero nullam, sed aliquid efficere in materia, & forma, quo illæ possint eas formaliter exercere, eas nimirum in suo esse conseruando? Primum illud non dabunt, siquidem Deus non potest subiici formæ, nec informare materiam; hoc autem tertium non satis est, vt Deus dicatur concurrere cum materia, & forma in causando, nisi per accidens, quod vtique dicere non audebunt, ne in errorem Durandi incidant, qui hoc pacto duntaxat censuit Deum concurrere cū causis efficientibus in causando. Dabunt igitur secundum; quod vtique vt cōcederent, non necesse erat confugere ad causalitatem efficientem primæ causæ, quandoquidem causare, *(hoc est, dare per se esse)* in quocunque genere causæ sine imperfectione vlla concipiatur, Deo formaliter tribui potest.

Vrgentur.

Præterea, si hæc licentia sumitur, vt præter regulas Philosophiæ causæ diuersorum generum dicantur essentialiter subordinatæ inter se; cur non eadem licentia dicantur omnia causarum genera, præter finale, finali esse essentialiter subordinata; præsertim cum finis sit suprema causarum omnium, & hac ratione causa causarum dici soleat? At ratio, ob quam aliæ causæ non dicuntur ab vllo Philosopho, aut Theologo essentialiter subordinatæ causæ finali, nulla est alia, nisi quia vnumquodque genus causæ in suo causandi modo est sibi sufficiens, neque illum accipere, & quasi emendicare potest ab alio genere causæ; sed si causa inferior est, & subordinata superiori eiusdē generis, ab ea, hoc est, ab eius concursu accipit suam peculiarem causandi vim in eo genere.

Deinde; cur non etiam omnia causar. genera finali subordinentur.

Vera ratio.

Adde, quod materia, & forma informans exercent suas causalitates in se inuicem, etiam transacta actione, qua Deus ad compositi generationem concurrebat; neq; alia eius actio succedit, q̄ exerceat in materiā, & formā, nisi ea, qua ipse solus effectiue cōseruat materiam, quā solus creauit; & ea, qua solus etiam ipse, aut cum aliis secundis agentibus sibi

Præterea non assignant actionem, per quam Deus, finita gener. compositi, concurrat cum mat. & forma in se suas causalit. exercentib.

sibi subordinatis conseruat formam, quam cum illis in materiam induxit: at hæ actiones non sunt actiones causandi cum materia, & forma, sed eas in suo esse conseruandi: ergo cum actiones conseruandi causas terminentur ad causas conseruatas, vt res sunt; causalitates autē ad effecta causata, vt causata sunt; nulla ratione fieri potest, vt Deus per tales actiones concurrat cum materia, & forma ad earum peculiares causalitates, nisi per accidens. Ponere autem alias Dei actiones in materiam, & formā absoluta generatione compositi ad concausandum cum eis præter eas, quibus vtramq; conseruat, fictio est, quę nullo nititur fundamento.

Nec item quid cum eis in eis causat effectiue.

His adiunge, quod ex eorū sententia concursus effectiuus causæ vniuersalis existit in effectu, & est idētificatus cum concursu causæ particularis quem nonnulli eorum faciunt entitatem absolutam: quęnam autem entitas absoluta sit in forma, per quam materia illam sustineat; aut in materia, per quam forma illam contineat; quidq; Deus per eas entitates effectiue causet in forma, aut materia, intelligi nullo modo potest.

Vltimum, & efficax contra aduersar. arg.

Postremo, si propterea dicunt Deum non concurrere cum materia, & forma in communibus earum causandi generibus ad concausanda cum eis earum effecta, quia speciales earum causandi modi ab imperfectione exolui non possunt: ergo eodem modo dicant oportet, illum non concurrere effectiue cum efficientibus particularibus in communi genere causæ efficientis, quia eorum modi causandi speciales nullo modo possunt ab imperfectione eximi: omnia enim efficientia particularia agunt dependenter; plurima etiā agunt per contactum; alia deniq; agunt in se ipsa seq; agendo perficiunt; & aliis sexcentis modis particularibus, qui Deo vt agenti conuenire nequeunt. Pugnant ergo secum ipsi, cum aiunt, propterea Deum agendo concurrere cum agentibus particularibus, quia in eorum imperfectis modis agendi includitur modus aliquis agendi, in quo nulla cernitur imperfectio agendi; & tamen negant Deum sustentando formas, & continendo materias cōcurrere cum materiis & formis informātibus, plane vidētes includi in eorū imperfectis modis sustentandi, & continendi (*nempe cum subiectione, & informatione*) modo sustentandi, & continendi, qui sine vlla imperfectione concipiūtur; præsertim cū rectè asserāt, eos à Deo suppleri posse, quanquā nō rectè addāt in genere causæ efficientis. Quod si Deus in genere causæ efficientis concurrit cum imperfecte efficientibus, & alioqui eorum causalitates per se ipsum sine imperfectione vlla supplere agendo potest: cur etiam in genere sustentantis, & continentis non concurrat cum imperfecte sustentātibus, & continentibus, & alioqui eorum causalitates sine vlla etiā imperfectione supplere nō possit? Est igitur aperta repugnantia in eorum dictis, dum alterum affirmant, alterū negant, præterquā quod, vt negent secundū, in quo est eadē ratio, frustra, & sine vllo fundamento miscent causas diuersorum generum ad effecta vnius, & eiusdem particularis causæ, vt talis causa est, causanda; quod, vt nunc ostendimus, lib. 5. aliis rationibus probauimus, absurdissimum est.

Etiam particularium agentiū speciales causandi modos non eximi ab imperfectione.

Aperte sibi repugnant.

Quibus argumentis impugnata sententia nitatur eorumque solutio?

SECTIO V.

Primum autorum aduersa partis arg.

SED operæpretiū est intelligere, quibus argumētis illi ad subordinandā materiam in causando primæ causæ vt efficiēti, à vera philosophandi via diuerterint. Vnum desumunt ex modo causandi, quem Deus exercet in sustentādis sine subiecto accidētibus sacræ Eucharistiæ, quæ accidētia ante consecrationē à subiectis naturalibus panis, & vini, concurrēte illo vt prima causa, sustentabātur. Vtuntur enim in ea re, quasi apto argumēto, illa cōmuni Theologorum sentētia, qua dicunt Deum in eis accidentibus sine subiecto sustentandis non exercere proprium officium materialis causæ, sed (*vt quidam eorum volunt*) efficientis.

Secundum.

Alterum accipiunt ab ipsis rationibus causandi materiæ, ac formæ informātis, vt sic argumententur. Materia non sustentat formā, nisi subiectione sui; nec forma continet materiam, nisi sua informatione: ergo implicat contradictionem, quod Deus suppleat officiū materiæ in sustinenda forma, nisi formæ subiiciatur; & officium formę in continenda maria nisi illā informet: at fieri nō potest, vt Deus subiiciatur formæ, aut informet materiā: ergo nō supplet earū causandi rationes in sustinenda forma, & contineda materia, nisi in genere causæ efficientis; quādoquidem certū est, eas non suppleri à Deo in genere causæ finalis, aut exemplaris.

Tertium.

Tertiū desumunt ex immutabilitate Dei, quē existimāt mutatum iri si aliter, quam effectiue incipiat sustentare aliquā formam, aut continere aliquā materiam, cum antea nō sustentasset, nec continuisset. Verum quia tertiū hoc argumentum æque valet, aut non valet in omnibus causandi generibus Deo attribu-

Solutio huius arg. patebit c. 8. q. 4.

ris,

tis, vt capite sequenti ostendemus, cum de ideis disputabimus; eo loco patebit, quam sit infirmum.

Ad primum. Quare ad primum dicendum, verissimam esse Theologorũ sententiam, cum dicunt Deũ in sustentandis accidentibus sacræ Eucharistiæ sine subiecto non exercere proprium officium materialis causæ; quia quemadmodum ille nunquam est causa materialis, aut formalis informans; ita nec propria earum officia, vt tales sunt, exercere potest, quia imperfectionem includunt; sed exercet officium causæ sine subiectione sustentantis, quod eorum accidentium subiecta cum subiectione sui exercebant.

Accidentia in sacra Euchar. sola diuina virtute sustentari affirmant veteres; quo causalitatis genere, non curarunt. Quo loco aduertendum, omnes Theologos in eo conuenire, vt dicant, accidentia illa sacra non à subiecto vllo, sed à virtute diuina sustentari: nomine autem diuinæ virtutis potentiam Dei absolutam intelligunt, quocũq; modo id fiat. Neq; enim sunt soliciti de peculiari modo, quo illa supernaturaliter sustentantur, dummodo pateat nõ sustentari ab vlla substantia subiecta; quia, vt miraculi illius rationem reddant, parum refert, hoc, an illo modo diuina potentia in ea re sine subiectione præstet id, quod naturalia subiecta nõ sine subiectione præstabant. At diuina potentia in omni causalitate diuina nõ solum effectiua, sed etiam finali, & exemplari, ac demũ sustentatiua, & cõtẽtiua exercenda cernitur vt lib. 5. ostensum est, & paulo superius repetitum. *a. 2. q. 12. sect. 4.*

Quod autem eorum quidam nomine diuinæ virtutis, quæ in eo mysterio locum causalitatis subiectorum præcedentium supplet, solam potentiã effectiuam intellexerunt, mirandum non est, quia nondum erant distincte comperta duo hæc communia sustentantium, & continentium genera. Sicut enim veteres Scholastici multa dilucidarunt, quæ à Patribus minus explicata fuerant; ita posteris alia à se minus dilucide tradita explicanda reliquerunt. Hoc tamen pro eorum sententia cum hac communi coniungenda dici potest, subiecta naturalia, quæ per consecrationem esse desierunt, duplicem causalitatem habuisse in accidentia, quæ post consecrationem relicta sunt: alteram sustẽtatiuam, quam exercebant, non solum in proprietates, & dispositiones sibi naturales, sed etiam in accidentia communia; atq; hanc suppleri à Deo sustentatiue, & non effectiue, vt dictum est: alteram effectiuam, quam suo modo exercebant in solas proprietates, naturalesque dispositiones, quæ ab ipsorum formis, naturisque in primo instanti suæ generationis emanauerant; atq; hanc suppleri à Deo effectiue. Mit- *Quid loco subiectorum desinentium Deus supplet sustentatiue.* *Quid effectiue.*

A timus hic virtutem, qua Deus effectiue conseruabat in subiectis præcedentibus accidentia omnia, siue solus ipse, siue cum corporibus cœlestibus: (*de qua re paulo post*) hæc n. semper exercetur, dum accidentia remanent; nec per hanc suppleri potest causalitas subiectorum præcedentium, vt patet ex dictis.

Pro 2. arg. Ad secundum, vt respondeamus, animaduertendum est, si subiectio, qua materia subiicitur formæ ad compositionem totius, B & sustentatio, qua illam in suo esse sustentat, essent omnino idem; & similiter idem essent informatio, qua forma materiam informat ad eiusdem totius compositionem, & continentia, qua illam in suo esse continet; tum demum fore, vt implicaret contradictionem, Deum supplere officium materiæ in sustinenda forma, nec tamen illi subiici; & similiter, supplere officium formæ in continenda materia, nec tamen illam informare; quando- C quidem eorum, quæ omnino eadem sunt, non potest vnum affirmari, alterum negari de eadem re sine contradictione. At non ita res habet. Nam subiectio, qua materia subiicitur formæ, non solum non est idem, quod sustentatio, qua formam in suo esse sustinet, sed etiam ab ea separari potest: quod eodem modo sentiendum est de informatione, qua forma materiam informat, & de continentia, qua illam in suo esse continet. Nam in ho- D mine materia naturaliter subiicitur formæ, nec tamen illam in suo esse sustinet: in equo autem idem videtur supernaturaliter accidere posse, si Deus conseruata vnione materiæ cum forma suspendat eum concursum, quo cũ materia ad formã sustẽtãdam concurrebat, vicemque materiæ in ea sustentanda suppleat, quod nullam contradictionem videtur implicare: eodemque modo, si seruata vnione vtrarumq; partium inter se, Deus suspen- E dat concursum, quo eum vtraque forma materiam in suo esse continebat, vicemque vtriusque in materia continenda suppleat; (*quod similiter nihil videtur repugnare*) iam dabitur informatio, qua eædem formæ suas materias informent, nec tamen eas in suo esse contineant. *Potest, saltem diuinitus subiici materia formæ, quin eam sustent.* *Et forma informare materiã, quin eam in esse contineat.*

Itaque non dubium videtur, quin naturaliter, aut supernaturaliter fieri possit, vt materia subiiciatur formæ, quam in suo esse non F sustineat; & forma informet materiam, quam in suo esse non contineat. Num autem materia possit sustinere formam, cui non subiiciatur, aut forma continere materiam, quã non informet, etsi maius est dubium, nihilominus dicendum videtur, etsi naturaliter id fieri non potest, posse tamen supernaturaliter. Nihil enim videtur repugnare, quominus Deus possit *Potest etiam materia sustinere formam, cui non subiiciatur & forma continere materiam, quam non informat.*

possit subtrahere suum concursum ad vnionem materiæ cum forma, illumque alium relinquere, ac continuare, quo cum forma concurrebat ad esse materiæ; cum hi concursus sint diuersi, & concursus diuinus ad esse vtriusque sit suapte natura prior, quam concursus, quo concurrit cum eisdem ad earum vnionem, & ab eo independens. Nam forma humana, & similiter materia cuiusque rei naturalis prius natura habent esse, quam vniantur; cæteræ autem formæ, et si naturaliter simul habent esse, & vniuntur materiæ, supernaturaliter tamen prius possunt habere esse, quam informent; si nimirum prius à Deo solo supplente concursum materiæ in eis sustinendis producantur, quam vniantur materiæ: cum interim materia, & forma nec naturaliter, nec supernaturaliter, siue prius tempore, siue natura vniri possint, quam esse habeant. Quo fit, vt concursus ad esse materiæ, & formæ non pendeant à concursu ad earum vnionem, possintque relinqui, ac continuari, siue in homine, siue in quaq; alia re naturali, dissoluta vnione materiæ cum forma, siue illæ maneant in eodem situ, siue in distantibus. Sublata enim necessitate vnionis earum ad earum esse, nihil refert, si in sitibus distantibus ponantur, vt diuina potestate altera possit ad esse alterius concurrere; quemadmodum in causis agentibus, sublata per diuinam potentiam necessitate contactus, aut debitæ propinquitatis naturalis ad agendum in passum, nulla distantia quantumcunque magna obstat, quominus eadem agentia diuina virtute in illud agant, vt Theologi docent. Ad quæ omnia nobis viam aperuit subiectio, qua materia hominis ita subiicitur humanæ formæ, vt illam in suo esse nõ sustineat. Quod si quis obiiciat subiectionem materiæ, quæ in homine est, non esse eiusdem rationis cum ea, qua materia subiicitur aliis formis substantialibus; respondendum est, id nec verum esse, neque etiam tutum asserere. Nam cum informatio, qua humana materia informat, sit eiusdem rationis cum informatione, qua illam informant cæteræ formæ substantiales; (*æque enim vere, ac proprie anima humana est forma hominis, atque cæteræ formæ substantiales aliarum rerum naturalium, vt in concilijs Vienensi, & Lateranensi 3. decernitur*) eiusdem quoque rationis sit necesse est subiectio materiæ, quæ illi ex altera parte respondet.

Etiamsi locis distent.

Vide Scot. in 1. d. 37. Palud. in 4. d. 1. q. 1. Caiet. ad 3. p. q. 13. a. 2. & recentiores ibid.

Ad argumentum respondendum est, etsi maior est vera spectata potentia naturali materiæ, ac formæ; non esse tamen veram spectata earum potentia obedientiali, quæ supernaturali Dei virtute ad actum reducitur.

Ad arg. in forma.

A Addendum etiam consequentiam esse vitiosam, nisi sumatur in antecedente, idem omnino esse subiici formæ, atque eam in suo esse sustentare, eodemque modo informare mariam, atque eam in suo esse continere; quod, vt diximus, falsum omnino est. Quare non recte deinde colligitur necesse esse Deum concurrere cum materia, & forma in genere causæ efficientis ad proprias earum functiones exercendas in sustinenda forma, & continenda materia, aut eas, cum desunt, supplẽ-B das, cum id præstare possit in ipsis generibus sustinentis, & continentis, quæ sunt ab efficientis genere diuersa.

Atque hæc pro explicatione diuini concursus cum materia, & forma informante ad proprias earum causalitates siue fundandas, siue cum desunt, supplendas dicta sint: quem concursum siquis negauerit, non bene de amplitudine diuinarum causandi rationum sen-C tiet: sin contenderit eum non esse alium, quam effectiuum, non bene philosophabitur.

Refutatio opinionis asserentium actionem conseruandi semper esse diuersam ab actione producendi.

Sectio VI.

D Hactenvs egimus de ratione conseruandarum rerum per causas materiales, & formales; restat, vt de modo conseruandi, qui administratur per effectiuas, disseramus. Quod facilius præstabimus, si prius videamus, num semper actio conseruandi sit diuersa ab actione producendi; an vero in aliis rebus sit eadem, in aliis diuersa.

Henricus Gandauensis quodl. 1. q. 7. & quodl. 9. q. 1. aliique nonnulli existimant, ef-E fectiuam conseruationem earum rerum, quæ per primum sui esse incipiunt, semper esse diuersam actionem ab ea, qua producuntur. Id quod abunde se probare existimãt in iis, quæ creantur; ex his enim potiori ratione merito probatum existimant idem sentiendum esse de iis, quæ fiunt per generationem. Primum eorum argumentum est, quia actio temporaria semper est diuersa à momentanea; conseruatio autem rerum, quæ creantur, semper est F temporaria; cum tamẽ creatio semper sit momentanea. Secundum est, quia si actio, qua res creata conseruatur, esset eadem cum actione, qua fit; quamdiu illa conseruatur, tamdiu fieret: vnde cum conseruatio non sit, nisi in tempore, iam eiusmodi res fieret in tempore, & non in instanti, vt supponitur. Tertium, quia quarum actionum termini sunt diuersi, & ipsæ

Sent. Henr. & vt videtur etiã Greg. in 2. d. 1. quæst. 6.

Eorum argumenta.

& ipsæ quoque sunt diuersæ cum distinctionem à suis terminis accipiant: terminos autem creationis, & conseruationis ex eo diuersos esse probant, quia terminus conseruationis rei creatæ supponit rem creatam; nihil autem seipsum supponit.

Reiicitur in iis, quæ creantur.

A D.Th.1.p.q.104.ar.1.& de potent.q.5.ar.1.ad 2. Ægid. de Esse, & essent.q.7.Ferrar.3.contra gent.c.65. Capr.in 2.d.1.q.2.ar.1.concl.3. Heru. tract. de ætern. mundi, q.1.

Verum hęc sententia non est probāda; & ab omnibus pene aliis reiicitur in iis rebus, quæ fiunt per creationem. Primum, quia effectiua conseruatio huiusmodi rerum nihil aliud re vera est, quā continuata quædā, seu potius permanens productio; tamdiu enim illæ accipiunt esse quamdiu conseruari dicuntur; quemadmodum & lumen, quod à sole producitur, tamdiu à sole profluit, quandiu durat illuminatio. Deinde, quia cum res, quæ hoc modo producitur, & conseruatur, sit vna, & eadem, neque illi per conseruationem quicquā addatur, nihil in ea inuenitur, quod eius conseruationem à productione distinguat.

Obiectio.

Quod si quis obiiciat, reperiri durationem temporariam in re conseruata, quæ duratio in ea non reperitur, cum producitur;

Solutio.

respondendum est, creationem non fieri in instanti temporis nostri, sed in instanti permanente, cui tamen tempus nostrum potest coexistere, & semper coexistit, cum res creata conseruatur.

Alia solutio.

Nihil enim Deus creat, vt solo momento existat, quod si crearet, non vtique diceretur illud conseruare. Accedit, quod cōseruatio non terminatur directo ad durationem, sed ad rem conseruatam, seu durantem, cuius accidens quoddam, aut existentia perseuerans (*vt multi volunt*) est ipsa duratio.

Distinctio inter productionem & conseruat. rei quæ creatur.

Postremo, quia cum inter conseruationem, & productionem huiusmodi rerum satis sit distinctio quædam connotatiua, non est, cur in eis maior distinctio requiratur. Est autem huiusmodi distinctio, vt res, quæ in instanti nostri temporis, aut in eius coexistentia incipiunt esse, non dicantur produci, nisi cum immediate ante non fuerunt; neque etiam conseruari, nisi cum iam ante extiterint, vt patet.

Ad argumenta.

Vnde rei creatæ conseruatio dicatur temporaria, & productio instantanea.

Quare ad primum argumentum in oppositum dicendum est, nec conseruationem rerum, quæ per solam creationem produci possunt, esse temporariam, nisi ratione existentiæ cum tempore, nec eorum productionem esse momentaneam ex momento temporis, quod subito transit, sed ex instāti permanente, quod tempori etiam coexistit. Itaque tam creationem, quam conseruationem huiusmodi rerum esse permanentes, & tempori nostro coexistentes; atq; adeo esse vnam, & eandem actionem Dei; quæ tamen dicitur creatio, quatenus res creata immediate ante non fuit; conseruatio autem, quatenus coexistit tempori sequenti.

A

Res creata, dum conseruatur, fit.

Ad secundum concedendum est, re quidem ipsa, quandiu res per se creata conseruatur, tamdiu fieri atque adeo & fieri, & conseruari in duratione permanente, quæ coexistit tempori; sed tamen in ratione loquendi esse distinctionem, cum vsus obtinuerit, vt non dicatur produci, nisi cum primum incipit tempus, cui illa coexistit; sic enim tunc est, vt immediate ante non fuerit.

B

Terminum essential. creationis, & conseru. esse eundem.

Ad tertium negādum est diuersos esse terminos creationis, & conseruationis: si enim diuersi essent, iam conseruatio non esset conseruatio, seu eiusdem rei quasi manutenentia: neq; vllum esse incommodum, quod eadem res vno modo spectata supponat se ipsam alio modo consideratam, seu (*quod idem est*) in alio statu præteritam; atque hoc pacto res, quæ conseruatur, supponit se ipsam productam. Falluntur tamen hi autores, quatenus accipiunt varias conditiones, seu status eiusdem termini essentialis pro variis terminis; quasi ipsum incipere per creationem sit terminus ipsius creationis; & ipsa quasi manutenentia esse accepti sit terminus conseruationis; & non potius vtriusq; terminus sit ipsa res, cuius esse simul re ipsa & producitur, & conseruatur.

C

D

Refutatio opinionis oppositæ asserentium semper actionem, qua Deus quamque rem conseruat, eandem esse cum ea, qua illam produxit; & approbatio mediæ sententiæ, quæ habet in quibusdam eandem esse, in aliis diuersam.

SECTIO VII.

Ita Ferrar. & Capr. locis super. sect. citatis licet hic nomen creationis pro quauis productione vsurpet, vt patet concl.4.

Argumenta ad hoc probandum.

ALII oppositam sententiam sibi persuadent, quam eandem volunt esse D. Thomæ, nempe actionem, qua Deus quamlibet rem conseruat, esse semper eandem cum ea, qua illam produxit. Id quod primum ex eo probant, quia in omnibus rebus producendis, & conseruandis idem est directus, & intrinsecus terminus productionis, & conseruationis; cum eadem res, quæ conseruatur, sit ea ipsa, quæ producta erat, vt modo dictum est; alioqui non diceretur conseruari.

E

Deinde, quia conseruatio rerum nihil aliud videtur esse, quam continuatio existentiæ earum à causa dante illam: id quod D. Thomas perspicue asserit 1. p. q. 104. ad calcē primi articuli, cum ait conseruationem rerum à Deo non esse per aliquam nouam actionem, sed per continuationem actionis, qua dat esse.

F

Sect.3.

Postremo, quia ratio illa communis, & pene vulgaris, qua supra vsi sumus, idem

 ostendit;

ostendit, non minus, inquam, creaturam quãlibet pendere à Deo, sed multo etiam magis, quam lumen à sole: ex hoc enim antecedente sequitur, quemadmodũ sol eadem actione conseruat in aere lumen, qua illud produxit; ita, & multo etiam magis, dicendum esse eadem actione, qua Deus vnamquamq; rem produxit, eam quoq; conseruare.

Impugnatur hæc sententia in iis, quæ generantur.

Sed neque huiusmodi sententia probanda est, si intelligatur etiam de conseruatione rerum, quæ producuntur per generationem. Primum, quia ad generationem plurimarum rerum concurrunt causæ vniuocæ, quæ cum non dicantur causæ, nisi in fieri, non possunt, postquam genuerunt, ad conseruationem earum concurrere: vnde fit, vt in his actio, qua Deus cum huiusmodi causis rem quamque generat, non sit eadem cum illa, qua eam conseruat. Deinde, quia generatio finita est in eo instanti temporis, in quo primo ingressa est forma in subiectum, nec reipsa distinguitur ab alteratione præcedente, qua disponebatur materia, vt etiam est sententia D. Thomæ; conseruatio autem effectiua non est actio alteratiua, quia tum maxime res conseruantur, cum minime alterantur. Tertio, quia si autores huius sententiæ dicant se nomine actionis intelligere solum Dei effectiuum concursum, siue influxum, ne hoc quidem modo vera est vniuerse eorum sententia: siquidem in generatione non supplet Deus concursum vniuocorũ agentium, quibus vtitur ad dandum esse effectibus; quem tamen supplet in conseruatione: idem enim esse effectiue conseruatur in rebus, quod in generatione effectiue dabatur: quo fit, vt maiori concursu effectiuo concurrat Deus in conseruatione plurimarum rerum, quam in earum generatione.

Generatio, & præcedens alteratio, re ipsa idẽ.

Vide 2. contra gent. c. 17. ad fin. & 1. 2. q. 113. ar. 7. ad quintum.

Deus in conseruat. supplet concursum agentiũ vniuocorum.

In his rebus productio, & conseruatio à termino, qui est idẽ vtriusque, sed ab agentibus sumunt distinct.

Quapropter ad primum huius sententiæ argumentum dicendum est, etsi in rebus etiam, quæ gerantur, idem est terminus productionis, & conseruationis; tamen quia plures causæ efficientes concurrunt, aut concurrere possunt, ad earum generationem, quam ad conseruationem, iccirco non sequi ex identitate termini identitatem actionis in generatione, & conseruatione. Actio enim, vt actio, est actus agentis; vnde fit, vt cum agentia non sint eadem, neque actiones, vt actiones, sint eædem.

Quid sit conseruatio.

Ad secundum dices conseruationem non esse proprie continuationem existentiæ, sed permanentiam eius; siue interim ipsa existentia permaneat virtute eiusdem continuatæ actionis, siue alterius diuersæ; D. autem Thomam in loco citato loqui de conseruatione rerum, quæ à suis causis particularibus efficientibus pendent in fieri, & conseruari; vt earum, quæ per se creantur, luminisque, & aliarum huiusmodi. Alioqui sibi repugnasset articulo sequenti, cum dixit Deum in ipso mundi initio omnia immediate creasse; sed tamen instituisse, vt quædam ex illis ab aliis conseruarentur: quod certum est per actionem creationis nullo modo fieri, aut etiam fieri posse.

Ad tertium dicendum, vel ea ratione magis pendere creaturam quamlibet à Deo, quã lumen à sole; quod lumen non pendet à sole, nisi effectiue; à Deo autem & ipsum, & alia omnia creata, non solum effectiue, sed aliis etiam dependendi modis, quibus Deus eorum omnium & autor & conseruator est. Adde quod non omnis productio & conseruatio est similis productioni, & cõseruationi luminis, vt proinde eadẽ actio dici debeant, quemadmodum illuminatio productiua, & conseruatiua.

Vera sententia.

Media igitur, tertiaque sententia, atq; approbanda est, in iis rebus, quæ sola creatione fieri possunt, & in iis etiam, quæ ita fiunt ex subiecto, vt pendeant in fieri, & conseruari à particulari agente creato eandem esse actionem conseruationis, quæ fuit productionis: at in reliquis nõ vniuerse ita rem habere. Hæc sentẽtia ex dictis colligitur; siquidẽ prior pars probata relinquitur ex impugnatione primæ opinionis; posterior autem ex refutatione secundæ. Dico autem [*non vniuerse*] quia in iis, quæ generãtur ab agentibus æquiuocis principalibus; fortasse non repugnat eandem actionem esse conseruationis, quæ fuit generationis. De qua re paulo post.

Præcipua quæstio initio posita difficultas postbac discutienda.

Sed cum ex superius dictis habeamus ea, quæ generantur, conseruari effectiue à Deo simul cum causis mediis vniuersalibus, quæ sunt corpora cœlestia; quæstio satis impexa se offert, num quemadmodum in generatione hæ causæ simul cum particulari generante attingunt per se, ac intime ipsum esse formarum, quas per accidentia tanquam instrumenta educunt è potentia materiæ; ita etiam in conseruatione, excluso vniuoco generante ab officio per se conseruandi easdem formas, cæteræ omnes causæ efficientes essentialiter subordinatæ primo agenti per eadem, aut similia accidentia eas per se, ac intime conseruent: an potius sola prima causa, finita generatione, per se, ac intime easdem effectiue conseruet; cæteræ autem hoc tantum præstent, vt dispositiones materiæ formis accommodatas extrinsecus foueant, & cum à naturali statu cadunt, ad earum restitutionem concurrant.

Senten-

Sententia eorum, qui asserunt solum Deum effectiue concurrere ad conseruationem formarum, quæ educuntur è potentia materiæ.

SECTIO VIII.

Argumēta quibus id astruunt. SVNT, qui asserant huiusmodi formas à solo Deo effectiue conseruari, quod his rationibus probāt. Primum, quia si conseruatio huiusmodi formarū non esset actio solius Dei propria, & peculiaris, non posset Deus eas annihilare; nihil enim aliud est annihilatio *(vt volunt)* quam suspensio actionis, qua Deus rem quamlibet conseruat: at Deus vt omnia potuit ex nihilo producere, ita & in nihilum redigere.

Deinde, quia videmus calorem, quē ignis inducit in aquam, aliquandiu conseruari remoto aut extincto igne: cum ergo is calor nō conseruetur ab igne, quem ponimus remotum, aut extinctum; neq; etiam ab aqua, quæ potius quātum potest, illum expellit; nec deniq; à cœlo, cum cœlum non agat in aquam, nisi interuentu particulatium agentium, & potius enitatur conseruare aquam in sua naturali dispositione, quam qualitatem à contrario agente introductam: relinquitur eam retentionem calori à solo Deo fieri per intimi influxus actionem.

Postremo, quia diuinæ scripturæ id videntur significare, Patresque sentire, & rationes superius propositæ probare, vbi ostendimus; *Sect. 3.* quid in hac re certum esset, quid controuersum: omnes enim illæ videntur concludere solum Deum actione peculiari, ac sua res omnes conseruare. Sed & D. Thomas Scholæ facile princeps idē videtur asserere 1. p. q. 104. ad calcem primi articuli, itemq; contra Gent. cap. 65. ad finem rationis quartæ, quibus locis ait conseruationē esse actionem sine motu, & tempore, & impossibile esse manere alicuius rei esse, nisi per operationem diuinam. His enim verbis plane sensisse videtur, primum quidem omnem conseruationem, qua Deus rem quamq; in suo esse conseruat, esse actionem eamque transeuntem; deinde eam actionem esse solius Dei, cum dicatur esse sine motu, & tempore; quandoquidem agentia naturalia non agant sine motu, & tempore, vt idem tradit iisdem locis. *Ex Arist. 3. Physic. c. 3. tex. 22.*

Soluuntur facile. Verum hę rationes nō probant institutum. Nam ad primam dici potest non omem annihilationem esse suspensionem actionis, cum res annihilari possint per suspensionem sustentationis, aut continentiæ; quo pacto annihilari possunt omnes formæ eductæ è poten- *Annihilatio quibus modis dari queat.*

A tia subiectorum; imo & omnes, quæ pendent in suo esse à subiectis, etiamsi sint supernaturales; atq; adeo ipsa materia, si Deus suspendat continentiam formarum, à quibus ipsa conseruatur in genere causæ formalis, neque ipse earum defectum in ea re suppleat.

Quomodo aqua sustentet calorem quem nititur expellere. Ad secundum vere quoque responderi potest, cum calorem conseruari tantisper ab ipsa aqua, non vt aqua est, quia sic aduersatur calori per natiuum frigus, sed vt est

B substantia corporea, qua ratione est capax non solum frigoris, sed etiam caloris: hæc autem conseruatio sustentatiua est, non effectiua; ad quam sustentatiuam conseruationem Deus concurrit tanquam primum sustentans, etiam tunc, cum aqua, vt aqua est, pedetentim per natiuum frigus effectiue expellit eundem calorem; ad quam expulsionem simul concurrunt effectiue causæ efficientes vniuersales, quibus aqua, vt aqua est, in agendo essen-

C tialiter subordinatur.

Operatio latius patet, quam actio, & quaslibet causalitates complectitur. Ad tertium occurri potest operationis nomen sæpe ita ample vsurpari, vt quoslibet etiam causarum concursus, seu causalitates complectatur. Quod idem apud eos Scholasticos, qui formalium significationum studiosiores sunt, sæpe videre licet, vt cum dicunt ad diuinam gubernationem *(si in genere loquendum est)* duo spectare; vnum vt res omnes creatas in suo esse conseruet; alterum,

D vt omnibus cooperetur ad finem totius gubernationis, hoc est, ad omnes earum operationes concurrat. Qua loquendi forma nomine operationum intelligunt non solum omnes veras actiones creaturarum, sed etiam quoslibet concursus, seu causalitates secundarum causarum, quę etiam causalitates modo aliquo dici possunt earum actus secundi: ad omnes enim huiusmodi operationes, siue actus, Deum gubernationē sua, concursuque

E generali concurrere non dubium est, vt ipsi fatentur. Hoc igitur modo intelligenda sunt allata sacræ Scripturę loca, & alia similia, Patrumq; variæ expositiones, quę sępe apud eos reperiuntur. Quin & ipsa Augustini, & Anselmi citata verba *(qualia etiam sunt ea, quæ lib. 5. ex Dionysio retulimus)* hanc multiplicitatem diuinorum concursuum in omnium causarum generibus non obscure significant. Nam illud Augustini [*creatoris potentia*] effi- *Hoc pacto dici Deum omnibus cooperari. Sect. 3. c. 2. q. 12. sect. 4.*

F cientiam Dei declarat: illud autem [*omnitenentis virtus*] omnem vim conseruandi, præsertim sustentatiuam: quos eosdem varios concursus euidentius explicat Anselmus, cum scribit, necesse esse, vt sicut nihil factum est, nisi per creatricem præsentem essentiam; ita nihil vigeat *(hoc est, conseruetur)* nisi per eiusdem seruatricem potentiam. Sed Patrum

Ll 2 omnium

omnium apertissimé loquitur Gregorius Magnus, qui ad cap. 1. Iob. lib. 2. Moral. c. 8. præter alia causandi genera, de quibus nulla quæstio esse potest, duo etiam illa minus vulgata, quæ addimus, hoc est, genus causæ sustentantis, siue sustinentis, itemque continentis, agnoscit disertis verbis in Deo: sic enim ait. *ipse (nimirum Deus) supra omnia, ipse infra omnia: & superior est per potentiam, & inferior per sustentationem; sursum regens, deorsum continens; vbique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens. Vnde superius præsidens, inde inferius sustinens: sine inquietudine superius regẽs, sine labore inferius sustinẽs.* Hæc ille.

Quid illi hac in re curarint.

Accedit, quod hoc vnum curæ est in hac materia tum diuinis scriptoribus, tum etiam toti Patrum, Scholasticorumque conuentui, vt ostendant quemadmodum nihil sine Deo produci potest, ita nihil sine eius virtute, atque concursu posse conseruari: in quib⁹ vero causarum generibus, & quo pacto id fiat, non ita enucleate explicant. Denique cum omnia, quæ proprie creantur, generantur, & conseruantur, & in quibus conseruantur cætera, sint res per se subsistentes; & vel creatæ sint, vt substantiæ separatæ, corpora cœlestia, & anima rationis particeps; vel constent materia, quæ & ipsa creata est; dici quoque potest omnia, quæcunque facta sunt, hac etiam ratione conseruari per actionem diuinam, quatenus ipse solus effectiue conseruat formas per se subsistentes, & materiã, ex qua res materiales constant, in quibus omnes formæ, quæ in suo esse pendent à subiectis, existunt. Hoc enim effectiuo concursu sublato, seu suspenso, omnia in nihilum redigerentur. Atque hoc etiam modo intelligi possunt diuinæ Scripturæ, sancti omnes, & Scholastici, quandocunque expresse dicunt sublata Dei actione omnia peritura, vt ẽt diximus *lib. 5.* Quod autem D. Thomas ait, conseruationem esse actionem sine motu, & tempore, primum quidem non intelligitur de omni conseruatione, sed de effectiua tantum: deinde dici potest non intelligi de omni effectiua, sed de effectiua, qua res per se creatæ conseruantur. Nam cum altero loco ait, impossibile esse manere alicuius rei esse, nisi per operationem diuinam, vtroque modo accipi potest diuina operatio, vel pro quouis eius concursu, vel pro effectiuo dumtaxat. Quamquam etsi huiusmodi autoritatibus probaretur Deum, non nisi effectiue conseruare formas pendentes in suo esse à subiectis; non probaretur tamẽ, eas à cœlestibus etiam corporibus intimo concursu effectiuo non conseruari.

Quo pacto Deus omnino etiam effectiue conseruet.

c. 2. q. 9. sect. 2.

Quam conseruationem D. Th. vocarit Actionem sine motu & tempore.

Quapropter aliis rationibus probabilius hæc sententia confirmari potest. Primũ, quia si quod creatum agens formam à se introductam intimæ conseruaret, non terminaretur eius intentio ad ipsam formæ introductionem: at terminatur, siquidem forma introducenda est finis agentis & ea introducta cessat actio: quorum vtrumque tradit Arist. 1. de generat. cap. 7. ergo si qua vlterius datur actio conseruatiua formæ in subiecto, à nullo agente creato, sed à solo Deo sit necesse est.

Arg. alia validiora ad probandum à cœlo non conseruari intimo concursu effectiuo formas à materia eductas.

Deinde, quia actio, qua vnaquæque res intime conseruatur, non potest esse motus, aut omnino mutatio: alioqui quidquid conseruatur, dum conseruatur, mutaretur; quod falsum esse perspicuum est, cum potius ea magis proprie dicantur conseruari, quæ in eodem omnino statu perseuerant; siquidem ea, quæ depulsa à suo natiuo statu ad illum reuocantur, quodammodo generantur; quæ autem ab eo depellũtur, quodammodo corrumpuntur: at corpora cœlestia, à quibus solis, præterquam à Deo, videri possent huiusmodi formæ intime conseruari, non agunt, nisi mouendo, aut mutando id, in quod agunt, quemadmodum & cætera corpora, vt ait D. Thomas, & communiter dici solet: nullum igitur agens creatum conseruat vllam huiusmodi formam intimo concursu effectiuo *(saltem eo tempore, quo illa in eodem omnino statu perseuerat)* sed solus Deus. Nam cæteræ substantiæ immateriales non agunt ad introductionem, aut conseruationem vllius formæ corporeæ, nisi mediante actione alicuius corporis.

De potent. q. 5. a. 1. ad 7. & 3. cõtra gent. 95.

Hoc autem argumentum perspicue videtur confirmari ex iis, quæ D. Thomas ait in q. 5. de potentia Dei art. 1. sic enim scribit: *Actio agentis corporalis non se extendit vltra motum: & ideo est instrumentum primi agentis in eductione formarum de potentia in actũ, quæ est per motum: non autem in conseruatione earum, nisi quatenus ex aliquo motu dispositiones in materia retinentur, quibus materia fit propria forma: sic enim per motum corporum cœlestium inferiora conseruantur in esse.*

Postremo idem ex eo probatur, quia huiusmodi formæ non videntur essentialiter subordinatæ cælestibus corporibus, nec quoad operationes suas, nec quoad suum esse. Nam nostratia hæc agunt in se inuicem, & in suo esse conseruantur sine concursu cœlestium corporum, quia ad agendum, & ex consequenti ad sui esse conseruationem (*vnumquodq; enim ens creatum est propter suam operationem*) nec indigent eorum motu, nec eorum luce, aliisve influentiis; siquidem immota tota cælesti machina vnius diei spatio

Arist. 2. de cœlo c. 3. tex. 17.

Iosue

Iosue bellum gerente cum Amorrhæis omnia suas actiones exercebant, suumque esse retinebant: quod idem faceret ignis, si poneretur in vacuo prope materiam combustibilem.

Communior sententia asserentium huiusmodi formas effectiuo concursu intime conseruari non solum à Deo, sed etiam à cælestibus corporibus: & vniuerse statuitur, à quibus agentibus res intime pendeant in conseruari.

SECTIO IX.

Assertio communior circa formas è materia eductas.

QVAMQVAM vero sententia hæc suã habeat probabilitatem, communior tamen est, & verisimilior opposita, nempe has formas, de quibus est quæstio, effectiuo concursu intime conseruari non solum à Deo, sed etiam à cœlestibus corporibus.

Quæ sententia, cũ videatur esse omnium pene Philosophorũ, & maioris notæ Theologorum, non parum auctoritatis habere debet; præsertim cum nitatur essentiali subordinatione inter sublunaria & cœlestia, ipsumque rerum omnium auctorem Deum, quam subordinationem omnes fere ponunt.

Pracipuum eius fundam.

Quod igitur hæ formæ intimo concursu effectiuo à Deo conseruentur, (*quæ est prior huius assertionis pars*) nec satis ad id sit sustẽtatiua conseruatio, qua ab eo primum conseruantur mediantibus subiectis, è quorum potẽtia educuntur, vt ex superius dictis perspicuum est, his rationibus ostenditur.

Sect. 4. & 5.

Primum, quia cum tres sint rationes conseruandi, sustentatiua, contentiua, & effectiua, cum qua semper coniunctæ sunt exemplaris, & finalis, vt supra dictum est, generalis participatio essendi, quam res omnes, earumque omnes partes, ac gradus in rerũ natura necessario habere debent à Deo tanquã ab ente per essentiam, effectiua est, non sustentatiua, nec contentatiua; siquidem hæ duæ posteriores participandi rationes sunt particulares, nec omnibus participantibus cõmunes, sed quibusdã tantum, vt patet: cũ ergo formæ, quæ educuntur è potentia subiectorum, aliquod esse participent à Deo, nõ solum cum incipiunt esse, sed etiam cum cõseruantur, vt perspicuum est; efficitur, vt non sustentatiue tantum, sed effectiue etiã ab eo conseruentur. Deinde, quia nõ minus depẽdentes esse debent à Deo huiusmodi formæ, q̃ earum subiecta, ꝙ nemo negauerit: cum igitur primũ earum subiectum pendeat in conseruari à Deo, non solum in genere causæ continentis, tanquam à primo cõtinente, sed

A etiam in genere causæ effectiue conseruãtis, tanquam à primo effectiue conseruante, vt patet ex iis, quę traduntur de materia prima; consequens est, vt formæ quoq;, quæ è potentia suorum subiectorum educuntur, pendeant ab eo in conseruari, non solum in genere causæ sustentantis, tanq̃ à primo sustinente; sed etiã in genere causæ efficientis, tãquam à primo effectiue cõseruante; est enim par ratio in vtrisq;. Tertio, quia si Deus solo

B sustentatiuo cõcursu conseruaret huiusmodi formas, plurib. modis penderet effectiue lumẽ à sole, aut lucerna, quam illę à Deo, nempe & in fieri, & in conseruari, quod absurdissimũ dictum est. Accedit, quod diuinæ Scripturæ etsi omnem conseruandi rationẽ, quæ sine vlla imperfectione cõcipitur, Deo attribuunt; effectiuam tamen generalissime respectu omnium, quæ in rerum natura sunt, ei specialius tribuere videntur: quod idem de

C Patribus, & scholasticis, sentiendum est.

Ita deinde conseruari à cælo, ostenditur.

Quod autem eędem formæ intimo etiam concursu pendeant effectiue in conseruari à cœlestibus corporibus (*quæ assertionis pars minus perspicua est, quam prior*) his rationibus probatur.

Solum efficit nunc Deus vt causa particularis, quæ excedunt facult. secundar.

Primum, quia Deus postquam produxit mundum, nihil solus efficit tanquam particularis causa, nisi quod excedit facultatẽ secundarum causarum: esset enim partim su-

D peruacaneum, partim quodammodo iniurium, vsurpari à Deo iterũ eam facultatẽ, quã earum naturis concessit: atqui conseruatio formarum, quæ è potentia subiectorum educuntur, non excedit facultatem causarum efficientium mediarum: ergo non fit à solo Deo, vt particulari causa, sed vt prima, & generali, interuentu subordinatarum sibi causarum efficientium. Maior est cõmunis Philosophorum, & Theologorum sententia. Mi-

E nor ex eo probatur; quia difficilius, aut saltem non minus difficile ex parte rei est, semperque fuit à Philosophis, & Theologis existimatum, rem aliquam de nouo producere, quam productam conseruare: productio autem formarum, quæ educuntur è potentia subiectorum, (*quæ proprie eductio appellatur*) non excedit facultatem causarum efficientium mediarum, vt ex eorundem communi sententia supponimus, cum de subordina-

2. Phys. cap. 2. tex. 26.

F tione causarum disputant, & illud pronuntiatum Aristotelicum explicant, *Sol & homo generant hominem*, vt patet: neq; id negatum video, nisi ab iis recentioribus, qui oppositam sententiam tuentur, vt qui vident, quantum momenti in hoc argumento situm sit. Deinde, quia Deus, vt D. Thomas recte annotauit 1. p. q. 104. art. 2. ita res corruptibiles,

ex quibus primo mundus constitit: initio creauit, vt eas continuo causis sibi subordinatis conseruandas reliquerit nec solum per accidens, & indirecte, (*impediendo scilicet, vel remouendo contraria*) sed etiã directe, ac per se, retenta sibi tantummodo primaria ratione concurrendi cum eis ad earum conseruationem: quod idem Patres sæpe numero affirmant: at Deus in eis creandis intime attigit esse earũ formarum, ex quibus illas composuit: ergo retenta sibi vniuersali ratione attingendi illarum esse in eis conseruandis; quam secundis causis relinquere non potuit, particularem intimã eis reliquit. Tertio, quia quod non solum nihil repugnat, sed magis etiam ad rerum naturas accommodatum est, non est, cur fieri negandum sit; hinc enim est, cur Aristoteles sæpe dicat naturam ex iis, quę possibilia sunt semper meliora moliri; non solum autem nihil repugnat res sublunares intime conseruari ab eisdem agentib. generalibus, à quibus genitæ sunt, cum id contradictionem non implicet, vt patet; sed etiam accommodatius est ad ipsas earum naturas. Omnis enim causa effectiua, quæ propensa est ad dandum esse suo effectui, propensa quoq; esse iudicanda est ad illud in eo effectiue conseruãdum, nisi quid obstet, vt obstat perfecta vniuocatio inter causam effectiuam, & eius effectum, ob quam agẽs vniuocum cum produxit effectum, nihil amplius ei conferre potest, quod ipse effectus non habeat, vt initio quæstionis explicatum est; quod non habet locum in cœlestibus corporib. respectu sublunarium.

Lege August. 7. de Ciuit. c. 30. Basil. homil. 9. hexamer. & Damasc. 3. de fide c. 16.

Vt de generat. animalium lib. 1. c. 4. de part. animal lib. 2. c. 14. & lib. 4. c. 10.

A quorum agentium intimo influxu res qualibet pendeat in sui conseru.

Atque hæc, quod attinet ad formas, quæ educuntur è potentia materiæ. Vt autem constet vniuersim, à quorumdam agentium intimo concursu res pendeant in sui conseruatione, duabus hoc assertionibus complectemur. Considerandumque in primis est, duo esse rerum genera: vnum permanentium, alterum successiuarũ. Permanentes sunt, quę totę simul in eodem instanti existere possunt, vt homo, albedo: successiuæ, quę non possunt totæ simul existere, vt motus, & tempus. Deinde aduertendum est, rerum permanentium quasdam esse, quæ natura sua non indigent motu, vt producantur, veluti lumen, & actus sentiendi, ac intelligendi: tametsi aliquando per motum produci possunt, vt lumen, cum inducitur in aerem per egressum lucernæ à sphæra suæ actiuitatis; tunc enim producitur in externo spatio non per primum sui esse, sed per vltimum non esse, vt alibi ostenditur; alias vero esse, quæ natura sua indigent motu vt producantur: cuiusmodi sunt formæ substantiales, quæ educuntur è potentia materię

Permanent. alia vt producantur non indigẽt motu natura sua.

Alia indigent.

A & accidentia, quæ habent contrarium: tametsi aliquando produci possint sine motu: quo pacto initio mundi producta sunt à Deo elementa, eorumq; formæ substantiales, & propriæ qualitates. Postremo aduertendum ea, quæ natura sua indigent motu, vel indigere illo, vt intima inchoatione sui; quo pacto indigẽt motu qualitates habentes cõtrarium cuius expulsione introducendæ sint, vt calor, & frigus: vel vt instrumento suæ productionis
B quo pacto indigent motu formæ substantiales, quæ educuntur è potentia materiæ; non autem forma humana, nisi tantum vt corpus informet. Quibus positis, duabus assertionibus res hæc explicanda est.

Idq; altero è duobus modis.

Prior assertio. Successiua, & quæ natura sua non indigent motu, vt producantur pendent effectiue, ac intime à suis particularibus agentibus in fieri, & conseruari, & ex consequenti à suis agentibus vniuersalibus, siqua
C sint quibus agentia particularia essentialiter subordinentur. Hæc assertio, quod attinet ad successiua, satis perspicua est, cum eorum fieri, & esse non distinguatur. Quod vero attinet ad permanentia, quæ natura sua non indigent motu, vt producantur, ex eo probatur conclusio, quia hæc partim produci non possunt, nisi per creationem, vt substantiæ separatæ, anima rationalis, corpora cœlestia, & materia prima, donaque supernaturalia, quæ
D à Deo infunduntur; quæ omnia nemo dubitat à solo Deo fieri, & effectiue conseruari, tanquam à particulari causa efficiente, quæ nulli vniuersali subordinatur; partim ita fiunt per eductionem formarum è potentia subiectorum, vt sublatis particularibus agentibus continuo huiusmodi formæ esse desinant veluti lumen in aere, sublato corpore lucẽte, à quo producitur: & species sensibilis in medio, sublato obiecto sensibili & actus
E potentiarum apprehendentium, sublatis ipsis potentiis, à quibus, tanquam particularibus agentibus producuntur, seu eliciuntur, quæ obiecta imprimentia species, & potentiæ à quibus eliciuntur actus, essentialiter subordinata sunt, saltem Deo effectiue cum illis concurrenti.

Prior assertio, de success. & iis permanent. quæ nõ indigent motu.

Posterior assertio. Permanentia, quæ natura sua indigent motu, vt producantur, etsi non pendent effectiue, ac intime in conser-
F uari, sed in fieri tantum à suis per se agentibus particularibus: pendent tamen à suis agentibus vniuersalibus. Prior pars quotidiana experientia constat; posterior iam probata est, & ex communi grauiorum Philosophorum, & Theologorum sententia confirmata.

Poster assertio de permanẽtib. quæ motu indigent.

***

Solutio

Solutio argumentorum, quæ pro sententia opposita allata sunt.

SECTIO X.

AD primum igitur oppositæ sententiæ argumentum dicendum est intentionem agentis creati, quoad generationem quidem terminari ad ipsam formæ introductionem, in quo sensu loquitur Aristoteles; non item quoad introductæ cõseruationem, cum conseruatio sublunarium magnę etiam curæ sit agentibus vniuersalibus.

Agentia corporalia conseruāt res sine motu, etsi non producant sine illo.

Ad secundum negandum est pronuntiatum illud, quod assumebatur, Agentia nimirum corporalia nihil agere, nisi mouendo, aut mutando id, in quod agunt: neque enim verū est vel ipso D. Thoma iudice, nisi quoad nouæ formæ introductionem. Id quod patet in conseruatione luminis in aere, quæ tunc est vera, & sincera conseruatio, cum lumen in eo nec intenditur, nec remittitur: & tamen fit à corpore lucente sine vlla mutatione aeris, qui in eo statu nec fit luminosus ex non luminoso, nec magis, aut minus luminosus ex minus, aut magis luminoso; sed tum solum mutatus fuit, cū initio lumen accepit, aut ex minus luminoso factus est magis luminosus; eademque ratione mutabitur, si ex luminoso fiat non luminosus, aut minus luminosus. Quod ipsum D. Thomas 1. p. q. 104. art. 2. ad tertium aperte docet. *Nulla*, inquit, *creatura potest esse causa alterius, quantum adhoc, quod acquirat nouā formam, vel dispositionem, nisi per modum alicuius mutationis; quia semper agit præsupposito aliquo subiecto Sed postquam formam, vel dispositionem induxit in effectu, absq; alia immutatione effectus huiusmodi formam, vel dispositionem conseruat; sicut in aere, prout illuminatur de nouo, intelligitur quadam mutatio: sed conseruatio luminis est absq; aeris immutatione ex sola præsentia illuminantis.*

Si quis autem quærat, (*quod mox occurret*) quonam pacto formæ, quæ educuntur è potentia subiectorum, sine eorum mutatione intimo concursu effectiuo conseruentur; respondendum fortasse est, (*etenim res est non parum difficilis*) altero è duobus modis id fieri posse; vno continuata eductione earum è potentia subiectorum; altero noua earundem, postquam eductæ sunt, effectiua retentione.

Duo modi, quorum altero hæ formæ intime conseruari videntur.

Prior astruitur.

Prior modus ex eo suadetur, quia quemadmodum conseruatio rerum, quæ per se ex nihilo fiunt, nihil aliud est, quam continuata quædam eductio earum ex nihilo; ita conseruatio formarum, quæ educuntur è potentia subiecti, nihil aliud esse debet, quam continuata etiam earum eductio ex potentia illius; est enim in vtrisque eadem proportio. Quod si quis obiiciat, Ergo omnes formas, quæ è potentia materiæ educuntur, esse pendentes à suis agentibus in fieri, & conseruari, quod pugnat cum communi, & vulgata diuisione huiusmodi formarum in eas, quæ pendent à suis agentibus solum in fieri, & in eas, quæ etiam in conseruari: respondendum est eam diuisionem esse intelligendam respectu agentium particularium, non autem comparatione vniuersalium, à quibus nihil repugnat vtrumque genus pendere in conseruari, idque interuentu dispositionum earum, quas cum particularibus agentibus in materiam induxerant, vel similium, iuxta diuersas opiniones.

Obiectio.

Diluitur.

Præuenitur alia obiect.

Neque obest, quod formæ semel eductæ è potentia materiæ in generatione non videantur indigere, vt postea educantur. Nam eductio sequens non est alia eductio, sed continuatio eiusdem eductionis, supplente primo agente concursum agentis particularis, quod concurrerat in generatione ad dandum esse effectui cum causis vniuersalibus; quemadmodum eductio metaphorica rerum per se creatarum ex nihilo in earum cõseruatione non est alia creatio, sed eiusdem creationis continuatio: tametsi loquendi vsus non fert, vt vel res dicantur creari, postquam primo esse cœperunt; vel formæ eductæ è potentia materię educi è potentia eiusdem, postquam primo eductæ sunt, vt supra dictum est.

Sect. 6.

Alia ratio.

Accedit alia ratio ad hunc modum conseruandi suadendum, quia cętere causæ continuatione etiam eiusdem causalitatis cõseruant sua effecta, vt materia continuando sustentationem formarum á se pendentium, & formæ continentiam materiæ, & ita in cæteris causis, exemplari, & finali.

Posterior modus suadetur.

Posterior modus ea ratione primum non improbabilis fortasse videatur, quia præter consuetudinem non solum loquendi, sed etiam sentiendi videtur, vt formæ, quæ non dicuntur pendere in conseruari à suis agentibus particularibus, veluti forma equi, & albedo cygni, postquam eductæ sunt, adhuc educantur è potentia subiectorum. Deinde, quia minoris negotii, ac muneris videtur esse retinere eductam formā, quam non eductam educere; vnde fit, vt si causæ vniuersales effectiue educunt huiusmodi formas in generatione, effectiue quoq; eas eductas retineant in cõseruatione. Postremo, quia vt datur retentio sustentatiua formarum huiusmodi, & contentiua subiectorum pendentium in suo

esse

esse à formis;ita æquum est, vt detur retentio effectiua,quam comitantur exemplaris & finalis.

Neque obest,quod res per se creatæ ea ratione dicantur conseruari, quia continenter educantur ex nihilo, vt similiter dicendum videatur formas; de quibus loquimur, ea ratione conseruari,quia etiam perfecta generatione continenter educãtur ex subiecto:creatio enim,& rerum per se creatarum conseruatio, non fiunt in tempore: sed in instanti permanente, cui tempus conseruationi respondens coexistit. Vnde fit, vt earum conseruatio non proprie dicatur continuatio creandi,seu (*vt magis proprie loquamur*) dandi esse ex nihilo; sed permanens essendi continuatio. At formæ; quæ educuntur è potentia subiectorum, educuntur vel in tempore, vt forma equi,aut ignis: vel in instanti temporis,vt lumen,quod subito producitur: vnde sequitur non esse eandem rationem in vtrarumque effectiua conseruatione; sed res, quæ per se creantur, in permanenti durationis mensura creari, & conseruari; formas autem,quæ educuntur è potentia subiectorum, successiue transire à mensura eductionis ad mensuram conseruationis; quod non alia ratione fieri posse videtur,quam transeundo ab eductione ad retentionem in eodem causandi genere.

An effectiua retentio harum formar. in suo esse sit actio.

Neque etiam obest, quod omne causæ efficientis exercitium,siue actuatio, fit per aliquam actionem: in huiusmodi autem formis conseruandis, postquam eductæ sunt è potentia subiectorum,nulla actio dari posse videtur, nisi continuata earum eductio è potẽtia illorum. Dici enim potest retentionẽ harum formarum,postquam eductæ sunt, etsi non est actio productiua, esse tamen actionẽ conseruatiuam, quæ actio est complementũ præcedentis actionis productiuæ quod complementum non minus à causa efficiente esse debet, quam quies in fine obtento est ab eo ipso fine, propter quem obtinendum agens operabatur,vt diximus lib. 5. Itaque quemadmodum exercitium causæ finalis est non solum allicere agens ad agendum propter finem,sed etiam ad conquiescendum in illo obtento; ita exercitium agentium vniuersalium est non solum agere educendo prædictas formas è potentia subiectorum: sed etiam eas eductas retinendo in eisdem subiectis.

c.2.q.10.sect.3.

c.2.tex.10.& seq.

Nec denique obest, quod Aristoteles docet 5.libro Physicorum, actionis non esse actionem,vt propterea actio eductiua formarum terminari non debeat ad actionem retentiuam earum; loquitur enim Aristoteles

A de solis actionibus productiuis, nulla habita ratione de conseruatiuis. Adde, quod actiones productiue non terminantur ad conseruatiuas tanquam ad terminum acquisitum,sed tanquam ad terminum succedentem.

Obiect. contra hos conseruandi modos. † *vt 1.p. q.104.ar.1.ad 4.*

Quod si quis contra hos duos conseruãdi modos obiiciat,conseruationẽ esse sine motu & tempore,vt sæpe ait D. † Thomas: actionẽ autem conseruandi formas,siue sit per conti- B nuatam eductionem earum è potentia subiectorum, siue per nouam retentionem in illis, subiici tempori,quia esse rerum corruptibilium tempori subiicitur: respondendum est actionem conseruandi, vtrouis modo intelligatur,non esse coniunctam cum motu, sed cum quiete,quia res,quæ pure, hoc est, sine vlla sui varietate conseruantur, nullo modo mutantur; vbi autem nullus est motus, nullum etiam est tempus intrinsecum, C siue inhærens; à quo tempore libera est pura conseruatio rerum corruptibilium: licet non sit libera à tempore extrinseco,quo mensurantur non solum omnes motus: sed etiam quietes.

Soluitur. Actio conseruandi cõiuncta est cum quiete,non cum motu,& tẽpore.

Vter ex his modis potior.

Has duas effectiue conseruandi rationes, quæ formis è potentia subiectorum eductis videntur accommodari posse,perpendat,qui volet, eamque eligat, quam verisimiliorem iudicauerit. Atque hactenus de D soluendo secundo argumento oppositæ sententiæ.

Exponitur mẽs D.Thom.

Ad confirmationem vero ex D. Thoma vel dicẽdum est,illum mutasse in melius sententiam citata quæstione centesima quarta primæ partis: (*quod probabilius est*) vel nomine retentionis dispositionum in materia innuere voluisse retentionem etiam formarum per ipsas dispositiones: quo pacto fauebit eius autoritas posteriori conseruandi E modo,qui proxime explicatus est. Quod si ita res habet, nomine illius motus, quo dispositiones in materia retinentur, intelligendus erit, vel aliquis occultus motus per cœlestes influentias, vel is, quo natiuæ rerum qualitates depulsæ nonnunquam à natiuo statu auxilio cœlestium corporum ad illum reuocantur.

Hæc inferiora quoad formas eductas è materia, cælo essentialiter subordinari & quoad esse, & quoad operat.

Ad vltimum dicendum est, inferiora hæc quoad formas,quæ è potentia materiæ edu- F cuntur,essentialiter subordinata esse cœlestibus corporibus simul sumptis,primoq; agenti Deo,vt est communis sententia, ab eisque pendere quoad suas operationes, & quoad suum esse ac proinde indigere, non quidem motu cœlestium corporum, (*nisi ad diuturnũ & ordinatum statum suarum operationum*) sed eorum influxu. Motus enim cœlorum nihil

nihil est aliud, quam applicatio astrorum, ex quibus & lux, & reliquæ omnes influentiæ (*quas plurimas esse ostendemus libro decimo*) ad hanc, vel illam plagam huius mundi inferioris nostratium rerum generandarum, & conseruandarum causa dimanant. Quo fit, vt potuisset quidem illa cœlorum quies tempore Iosue detrimentum aliquod, nec minimum etiam, afferre huic mundo: (*diutius nimirum, quam solerent, præsentibus astris vni plaga, & absentibus cæteris*) verum ex ea quiete non sequeretur non conseruari eo temporis spatio res nostrates à cœlestibus corporibus, sed minus commode conseruari: quia non propterea impedirentur omnino lux, & cæteræ influentiæ, sed tantum minus commode applicarentur: vnde factum esset, vt passæ fuissent non minimum res omnes sublunares, nisi Deus alio miraculo iacturam illam compensasset, vt compensatam existimamus. Quod si Deus tunc totã machinam cœlestem, ignemque, & aerem, quorum interuentu cœli in hæc inferiora influunt, annihilaret, non solum non operarentur ea, quę apud nos sunt; sed etiam non conseruarentur, nisi Deus concursum annihilatorum agentium, quibus hæc subordinata sunt suppleret; quemadmodũ certum est formas, quę à subiectis in suo esse pendent; omnino perituras: si eis diuina potestate subiecta omnino subtrahantur, nec Deus in eis sustinendis illorum suppleat concursum: similiterque materiam primam ad nihilum redigendam esse, si substantiales formæ pereant, nec Deus illam loco pereuntium formarum in suo esse contineat. In quo sensu quærunt non solum Philosophi, sed etiam Theologi, num hæc omnia inferiora sint cœlestibus corporibus per se subiecta? respondentque ferme, omnia quidem materialia subiecta esse: spiritualia vero, vt animam humanam, eiusque spiritales operationes, (*exceptis quibusdam Ethnicis, qui omnia fato subiiciunt*) non itẽ, nisi aliquando per accidens; ratione nimirum corporis, eiusque organorum, quorum ministerio vtitur. Quin etiam D. Thomas in secundis responsionibus ad Ioannem Vercellensem vsque adeo pendentes facit res nostrates à cœlestibus corporibus, vt doceat earum conseruationem pendere non solum ab illorum influentiis, sed etiam ab ipso eorum motu. Sic enim ait: *Cessante motu cœli organũ corporis non posset ab anima moueri, quia non remaneret viuum*: & post pauca verba: *Si tamen diuina virtute præter naturæ ordinem corpus hominis viuũ remaneret cessante motu cœli, & conseruaretur in ea dispositione, qua est mobile ab anima, posset homo per liberum arbitrium quamlibet partẽ mouere corporis.* Quod intelligendum videtur de longa cessatione cœlestis motus, vel de cessatione non solum passiua ab intelligentiis, sed etiam actiua in hæc inferiora per lucem & influentias, iuxta ea, quæ modo diximus. Sed quod nobis hæc minus credibilia videantur, inde prouenit, quia nunquam experti sumus, quid futurum esset, si cœli longo tempore non mouerentur, aut in hæc inferiora vel breuissimo temporis spatio non influerent lucem, occultasq; qualitates: quarũ priuationes vel in defectibus solis, & lunæ, eorumq; oppositionibus & coniunctionibus nostro incommodo sæpe patimur: aut etiam si cœlum aliquod, aut plures deessent: quemadmodum etiam non sumus experti, quid euenturum esset, si Deus materiam alicuius rei, aut eius formam substantialem in nihilum redigeret, non suppleto eius concursu ad alterius conseruationem. Itaq; verisimile est admodum, si ignis, & propinqua stuppa in vacuo diuina virtute ponerentur, nec Deus suppleret concursum cœlestium corporum in eorum conseruatione, fore, vt non solum neutrum ageret, aut pateretur; sed etiam, vt immediate post vtrumq; annihilaretur.

Posse illa vtcunque sine eius motu conseruari, & operari.

Non tamen sine influxu.

Etiam motum videtur omnino requirere D. Thom. Opusc. 10. respons. 8.

Cur hæc minus credibilia.

Solutio argumentorum, quæ ad initium quæstionis proposita sunt.

SECTIO XI.

AD primum igitur, & secundum argumẽtum eorum, quibus sectione secunda contendebatur satis esse ad quamque rem conseruandam, si ab ea remoueantur, aut arceantur contraria, dicendum est, quemadmodum non satis est communis propensio rerum omnium ad propriam ipsarum conseruationem, nisi ab iis, quæ sunt obnoxiæ contrariorum nocumento, contraria ipsa remoueantur, cum adsunt, aut arceantur, cum non adsunt; ita non satis esse ad conseruationem aliarum, quod sint immunes ab omni contrariorum læsione, nisi earum esse, si ab alio pendet, ab alio etiam teneatur.

Non satis est ad rerum conseru. defendi à contrariis, aut iis carere.

Ad tertium dicendum, posse quidem à nobis fieri multa, quæ postquam facta sunt, non pendeant à nobis in eo esse, quod à nobis acceperunt; verum neque à nobis neque à Deo ipso quicquam fieri posse, quod in suo esse ab illo non pendeat, cum ipse sit prima causa omnis esse, nec magis possit rem vllam à se independentem facere, quam alium Deum producere.

Deus nihil potest facere à se independens.

Ad quartum dices, Deum in conseruandis rebus, quas fecit, nihil nouum agere, nec

tamen actum agere: quia etsi illud idem est, quod fecit, & quod conseruat, alia tamen ratione illud facit, alia cōseruat; facit enim post non esse, conseruat autem post esse. Cum autem obiicitur, per quamlibet actionem, si efficax est, aliquid fieri: respondendum est, id quidem verum esse, nisi iam sit factum: potest enim per eam, si iam factum est, conseruari, in rebus quidem, quæ per se creantur, permanenter, seu (*quod idem est*) in instanti permanente, cui coexistit & primum instans temporis, in quo res cœpit esse, & tempus aliquod consequens; in cæteris autem successiue, hoc est, in tempore nostro, tanquam in propria mensura earum existentiæ. Nam siue conseruentur per continuatam eductionem è potentia subiectorum, siue per nouam retentionem effectiuam eductarum in eisdem subiectis, semper mensura earum existentiæ conseruatæ est tempus continuum, non autem æuum, aut instans permanens, vt ostendimus libro quinto.

An per omnem actionem aliquid fiat.

A

Aduertendum est autem hoc loco, Deum in conseruandis rebus successiuis, & iis etiam, quæ per se creantur, aut alia ratione à suis particularibus agentibus creatis pendent in fieri, & conseruari, semper adhibere eundem concursum adæquate, quem adhibuit in producendis; in cæteris autem maiorem adhibere in conseruando, quam adhibuerat in producendo: siquidem in eis conseruandis supplet concursu suo particulari dandi esse eum concursum, quē agentia particularia, cum exercuissent in producendo, exercere non possunt in conseruando.

c.13.q.12.sect. 3.& 4.

Quas res æquali quas maiori cōcursu Deus conseruet, quam producat.

B

Ad illud autem argumentum, quo cōtendebatur à solo Deo res conseruari, dicendum est, non minoris quidem virtutis esse conseruare omnia in suo esse, quam ea ex nihilo fecisse; vtrumq; enim est proprium Dei: sed tamen minorem virtutem requiri ex parte effectorum ad conseruationem quorumdam, quam ad vel vnum ex nihilo producendum. Nam & materia conseruatur per formam in genere continentis, & forma pendens à materia conseruatur ab illa in genere sustentantis: formæ item sublunarium à materia pendentes conseruantur intime à corporibus cœlestibus in genere causæ efficientis: concurrente etiam simul Deo cum omnibus causis conseruantibus in omnibus causarum generibus, vt primo conseruante. Quo fit, vt non solus Deus conseruet omnia: sed quemadmodum ad producenda plurima sibi adsciscit causas secundas, ita & ad conseruanda; neque id solum per accidens, sed & per se, neq; extrinsecus modo, sed etiam intime.

Ex parte effectorū minoris virtut. est quædam conseruare, quā vel vnum creare.

C

Denique ad confirmationem eiusdem argumenti dicendum, etsi proprius, & adæquatus effectus Dei est esse, tamē ad illud ponendum in rerum natura, & conseruandum nihil repugnare, quominus ille causas alias sibi subordinatas participes faciat suæ virtutis causandi, non solum in dando primum aliis rebus esse, sed etiam in eo conseruando.

Dare & conseruare esse ita est proprium Dei, vt possit causas adiutrices assumere.

D

ΚΕΦ. η.

Ἐπεὶ a δὲ ὑπό τινός τε γίνεται τὸ γιγνόμενον (τοῦτο δὲ λέγω ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς γενέσεώς ἐστι) καὶ ἔκ τινος. ἔστω δὲ μὴ ἡ στέρησις τοῦτο, ἀλλ' ἡ ὕλη (ἤδη b γὰρ διώρισται ὃν τρόπον λέγομεν τοῦτο) καὶ ὃ γίνεται (τοῦτο δ' ἐστὶν ἢ ἡ σφαῖρα, ἢ ὁ κύκλος, ἢ ὅ, τι c ἔτυχε τῶν ἄλλων) ὥσπερ οὐδὲ τὸ ὑποκείμενον ποιεῖ τὸν χαλκόν, οὕτως οὐδὲ τὴν σφαῖραν, εἰ c μὴ κατὰ συμβεβηκός, ὅτι ἡ f χαλκῆ σφαῖρα, σφαῖρά ἐστιν, ἐκείνην δὲ ποιεῖ. τὸ γὰρ τόδε τι ποιεῖν, ἐκ g τοῦ ὅλως ὑποκειμένου τόδε ποιεῖν ἐστι. λέγω δ' ὅτι τὸν χαλκὸν στρογγύλον ποιεῖν ἐστιν, οὐ h τὸ στρογγύλον, ἢ τὴν σφαῖ-

CAPVT VIII.

CVM a *autem id, quod fit, & ab aliquo fiat, (hoc autem id esse dico, vnde generationis principium est) & ex aliquo, (esto autē hoc non priuatio, sed materia; iam* b *n. definitum est, quo pacto ita loquamur) & sit ēt id, quod fit, vt globus, aut circulus, aut* c *quicquid aliud contingat, (id sane, d à quo res fit) quemadmodum ipsum æs, quod subiectū est, non facit, ita neq; globū nisi per* e *accidēs, quia* f *nimirū globus æneus que facit, globus vtiq; est. Etenim hoc aliquid facere, est hoc ex* g *omnino subiecto facere. Dico autē æs rotundū facere non idē esse, atq; ipsum* h *rotundū facere, aut globū, sed aliud quiddā veluti*

CAPITIS OCTAVI EXPLANATIO.

Sola composita proprie, & per se fieri.

CVM a *autem id, quod fit.*] Ostensurus hoc cap. Arist. formas separatas non esse necessarias ad rerum naturalium generationem, vt Plato existimabat, probat prius sola cōposita proprie ac per se fieri; dico autem [*proprie*] vt excludatur creatio, quæ non est proprie effectio, sed simplex rei productio: [*per se*] autem, vt excludantur effectiones per accidens, qualis est effectio relationum, cum fiunt fundamenta, & termini relationum. Itaque breuiter, & dilucide repetita diuisione eorum, quæ ad generationem concurrunt, de quibus superiori capite latius egerat, ex pronuntiato illo, Quicquid fit, ex materia præexistente fieri, (*quod quasi præcipuum ex dictis collegerat*) ostendit primum, materiam non fieri: deinde nec formam, postremo fieri compositum. Materiā quidem non fieri, quia quod supponitur in omni

esse-

affectione, non fit, nec vero formam, quia oporteret fieri ex alia materia, & alia forma, de qua rursus esset quæstio, num fieret etiam ex alia materia, & alia forma; & rursus de illa tertia, ac deinceps de aliis, atque aliis in infinitum: ex qua re sequeretur, infinitas materias, & formas esse in eodem composito, quod fieri non posse libro secundo ostensum est. Denique fieri compositum, quia, quicquid fit, diuisibile esse debet in duas partes re ipsa distinctas, quarum altera ante existit, & actionem agentis suscipiat; altera ab agente adiungatur, quale esse compositum ipsum, quod generatur, perspicuum est. Hæc continentur priori parte capitis præter quædam, quæ obiter explicanda sunt.

σφαῖραν ποιοῖεν, ἀλλὰ ἕτερόν τι, οἷον τὸ εἶδος ἢ τοῦτο ἐν ἄλλῳ. εἰ γὰρ ποιεῖ, ἐκ τινὸς ἂν ποιοίη ἄλλου: τοῦτο γὰρ ὑπέκειτο, οἷον ποιεῖν χαλκῆν σφαῖραν. τοῦτο δὲ οὕτως, ὅτι ἐκ τουδί, ὅ ἐστι χαλκός, τοδί ποιεῖ, ὅ ἐστι σφαῖρα. εἰ οὖν καὶ τοῦτο ποιεῖ αὐτό, δῆλον ὅτι ὡσαύτως ποιήσει, καὶ βαδιοῦνται αἱ γενέσεις εἰς ἄπειρον. φανερὸν ἄρα, ὅτι οὔτε τὸ εἶδος, ἢ ὅ, τι δήποτε χρὴ καλεῖν τὴν ἐν τῷ αἰσθητῷ μορφήν, οὐ γίγνεται, οὐδ' ἔστιν αὐτοῦ γένεσις, οὐδὲ τὸ τί ἦν εἶναι τοῦτο. τοῦτο γάρ ἐστιν, ὃ ἐν ἄλλῳ γίγνεται, ἢ ἀπὸ τέχνης, ἢ ἀπὸ φύσεως, ἢ δυνάμεως: τὸ δὲ χαλκῆν σφαῖραν εἶναι ποιεῖ, ποιεῖ γὰρ ἐκ χαλκοῦ καὶ σφαίρας. εἰς τοδὶ γὰρ τόδε τὸ εἶδος ποιεῖ: καὶ ἔστι τοῦτο σφαῖρα χαλκῆ, τοῦτο δὲ σφαίρᾳ εἶναι. τοῦ δὲ ρ σφαίρᾳ εἶναι, ὅλως εἰ ἔστι γένεσις, ἐκ τινός τι ἔσται. δεήσει γὰρ διαιρετὸν εἶναι ἀεὶ τὸ γιγνόμενον, καὶ εἶναι τὸ μὲν τόδε, τὸ δὲ τόδε: λέγω δ' ὅτι τὸ μὲν ὕλην, τὸ δὲ εἶδος. εἰ δή ἐστι σφαῖρα τὸ ἐκ τοῦ q μέσου σχῆμα ἴσον, τούτου τὸ μὲν ἐν ᾧ ἔσται ὃ ποιεῖ: τὸ δ', ἐν

uti hanc i formã in alio: sin. facit, ex alio quoda faciet: hoc n. positũ erat, cuiusmodi est aneũ globũ facere. Quod idẽ ita accidit, quia agens ex hoc, quod est as, hoc facit, quod est globus. Quod si l & hoc ipsum facit, perspicuũ est eodem modo esse facturum, sicq; generationes in infinitum procedent. Patet igitur neq; m speciem fieri, siue quo alio nomine formam, quæ est in re sensibili, appellare oporteat; neque eius esse generationem: neque n etiam hanc esse quidditatem: hæc enim est, quæ in alio fit, siue o ab arte, siue à natura, siue à potentia: facit autem aneum globum esse quia ex are & globo facit: in hoc enim hanc formam facit, & hoc quidem est aneus globus, hoc autem globi esse. Quod si p & ipsius esse globi omnino est generatio, erit vtique aliquid ex aliquo: semper enim id, quod fit, diuisibile esse oportebit, & aliud hãc partem, aliud illam esse, hoc, inquam, materiam, illud vero formam. Itaq; si globus figura est à medio q aqualis: alia quidem rei pars erit id, in quo ages aliud

b *Iam enim definitum est.*] Patet hoc ex parte vltima superioris capitis, in qua expositum est aliter vsurpari verbum [*Ex*] cum dicimus rem fieri ex aliquo, vt ex termino à quo, siue vt ex materia priuata; aliter, cum dicimus fieri vt ex materia absolute sumpta.

c *Aut quicquid aliud contingat.*] Hoc addit, quia re vera nec globus, nec circulus fiunt, sed globosum aliquid, & circulare, vt mox ostenditur. *Non fit globus sed globosum.*

d *Id sane, à quo res fit.*] Etsi verba hæc nõ habentur Græcè; sensus tamẽ ea omnino postulat.

e *Nisi per accidens.*] Idcirco non dixerat materiam fieri per accidens, quia materia non incipit esse cum re genita; tametsi incipiat esse sub forma geniti, quod est illam fieri sub formam. Atque in hoc sensu dictum est superiori capite materiam fieri, vt exposuimus. At forma merito dicitur fieri per accidens, quia incipit esse cum re genita, idque non alia effectione, quam illa ipsa, qua per se, ac primo generatur compositum, modo forma educatur de potentia materiæ. Nam quæ de materiæ potentia non educitur, alia productione incipit esse, atque adeo non per accidens, sed per se, vtpote creatione, qualis est sola anima rationis particeps. *Non forma, sed materia dicitur fieri per accidẽs.*

f *Quia nimirum globus.*] Quemadmodum natura specifica ideo dicitur per accidens produci, quia dicitur de indiuiduo, quod per se producitur, & cum illo incipit esse per generationẽ; ita de formis, quæ ex potentia materiæ educuntur, dicendum est comparatione cõpositorum; nisi quod natura specifica est idem re cum suo indiuiduo, forma vero non item cum composito. Quem locum emendatius legit vetus interpres, & Argyropylus sine negatione, ἐκεῖνο δὲ ποιεῖ, quam Bessario, & Perionius, ἐκεῖνο δ' οὐ ποιεῖ; quod item correctio Regii exemplaris Lutetiæ ostendit. *Natura specifica fit per accidens.*

g *Ex omnino subiecto.*] Hoc est, ex materia informi, siue prima: nulla enim generatio substantiæ fit ex materia formata, quæ eo pacto in compositione permaneat. *Substantia non fit ex materia formata.*

h *Ipsum rotundum.*] Id est, rotunditatem ipsam, siue formam rotundi, vt tale est, cuiusmodi est globus, siue sphæra, quæ est quædam species figuræ. *Tex. 27.*

i *Veluti hanc formam in alio.*] Aliud est facere hanc formã, aliud facere illam in alio, hoc est, facere, vt sit in alio; facere enim formã, est facere, vt forma sit, quod agens propriè dictũ nunquam facit per se; at facere formam esse in alio, nihil est aliud, quã facere, vt sit compositũ quod vtiq; per *Quid sit facere formam, quid facere vt sit in alio.*

per se fit ab agente. Similitudo quædam huis rei satis apta sumi potest in pictoribus, neq; enim faciunt colores ipsos simplices, sed faciunt, vt sint in tabula.

l *Quod si & hoc ipsum.*] Sensus est, si & hanc ipsam ænei globi formam, siue ipsum globum sine materia spectatum proprie facit, vtpote ex materia, & forma, perspicuum est eam ex materia etiam, & forma esse facturum.

Forma sæpe dicitur species. Non est tota quidditas rei.

m *Neque speciem fieri.*] Formam, ex qua fit compositum, sæpe appellari speciem, multis in locis apud Aristotelem videre licet.

n *Neq; etiam hanc esse quiditatem.*] Quid apertius dicere potuit Aristoteles, vt significaret, formam non esse totam essentiam, siue quiditatem compositorum naturalium, vt Auerroes delirat?

o *Siue ab arte.*] Complectitur nomine artis etiam mentem sine arte, quia ars ab ipsa mente est.

p *Quod si & ipsius esse globi.*] Hoc est, si ipsius globi. Dicit tamen [*ipsius esse globi.*] quia nomen globi, siue sphæræ sæpe vsurpatur pro ipso composito ex figura, & subiecto naturali, quemadmodum cætera nomina figurarum Mathematicarum.

q *A medio æqualis.*] Hoc est, cuius omnis extremitas æque distat à medio.

r *Sed coniunctum, quod ex ea.*] Nomine coniuncti, siue conuentus vtriusque partis significat compositum. Itaque si forma ante compositum, quemadmodum & materia, existeret (*vt accidet in resurrectione generali*) adhuc tamen concursus vtriusque partis vere, ac proprie compositum efficeret. Neque enim necesse est ad esse compositi, vt tum primum forma existat, sed solum, vt materiæ iungatur. Appellari autem compositum ex forma, seu dici secundum formam, vt Græce est ad literam, nihil est aliud, quam ex forma proprium nomen accipere, quod verissimum esse ex eo patet, quia quemadmodum sola forma in causa est, vt compositum ad certam speciem infimam rei naturalis pertineat, ita quoque ipsa sola efficit, vt peculiare nomen habeat.

Compositum accipit nomen à forma.

ἐν ἐκείνῳ· τὸ δὲ ἅπαν, τὸ γεγονὸς, οἷον, ἡ χαλκῆ σφαῖρα. φανερὸν δὴ ἐκ τῶν εἰρημένων, ὅτι τὸ μὲν ὡς εἶδος, ἢ ὡς οὐσία λεγόμενον οὐ γίγνεται· ἡ δὲ r σύνοδος ἡ κατὰ ταύτην λεγομένη γίνεται. καὶ ὅτι ἐν ἅπαντι τῷ γενομένῳ ὕλη ἔνεστι, τὸ μὲν τόδε, τὸ δὲ τόδε.

Πότερον ſ οὖν ἔστι τις σφαῖρα παρὰ τάσδε, ἢ οἰκία παρὰ τὰς πλίνθους; ἢ οὐδ' ἄν ποτε ἐγίγνετο, εἰ οὕτως ἦν τόδε τι, ἀλλ' ὅτι τοιόνδε σημαίνει· τόδε δὲ καὶ ὡρισμένον οὐκ ἔστιν· ἀλλὰ ποιεῖ καὶ γεννᾷ ἐκ τοῦδε τοιόνδε· καὶ ὅταν γεννηθῇ, ἔστι τόδε τοιόνδε· τὸ δὲ ἅπαν τόδε Καλλίας ἢ Σωκράτης ἐστὶν, ὥσπερ ἡ σφαῖρα ἡ χαλκῆ ἡδί· ὁ δ' ἄνθρωπος καὶ τὸ ζῷον, ὥσπερ σφαῖρα χαλκῆ ὅλως; φανερὸν ἄρα, ὅτι ἡ τῶν t εἰδῶν αἰτία (ὡς εἰώθασί τινες λέγειν).

aliud inesse facit; alia, quod in illa inest; totum vero id, quod factum est, vtpote æneus globus. Perspicuũ est igitur ex iis, quæ dicta sunt, id non fieri, quod vt forma, siue vt substantia dicitur, sed r coniunctum, quod ex ea appellatur. Itemq; in omni re, quæ fit, materiam inesse, & aliam partem esse hoc, aliam illud.

Est ſ ne igitur globus aliquis præter hos, aut domus præter lateres? An si sic esset, nunquam factum esset hoc aliquid, sed quod tale aliquid significat, quod quidẽ definitum non est. Sed facit, ac generat ex hoc tale quid, quod cum genitũ fuerit, erit hoc tale, totũ vero hoc Callias est, aut Socrates, quemadmodũ hic globus æneus; cũ interim homo, & animal sint veluti globus æneus simpliciter? Patet igitur formarũ t causas (vt

ſ *Est ne igitur globus.*] Eo peruenit, cuius causa à principio superioris capitis multa de rerum generatione dixerat; eo, inquam, vt ostendat, formas separatas, quemadmodum à Platone ponebantur, nihil conferre ad rerum naturalium generationem. Id quod duobus argumentis ostendit; vno, quia non sunt vtiles, vt generent; altero, quia nec vt sint exemplaria, quorũ imitatione res naturales gignantur. Quod igitur non sint vtiles, vt generent, hunc in modũ ostendit. Si daretur globus communis, & vniuersalis separatus ab hoc æneo, & hoc lapideo, & cæteris particularibus, & sensibilibus; aut domus communis separata ab hac lateritia, & illa lapidea, (*sumit autem suo more exemplũ in artefactis, vt idem intelligatur in reb. naturalibus, quarum tãtum ideas esse voluit*) nunquã eius actione fieret hoc aliquid particulare, & sensibile; at hoc pugnat cũ iis, quæ sunt per se nota: ergo & illud. Propositio ex eo probatur, quia formæ separatæ, vt à Platone ponuntur, cũ non ponantur particulares, sed vniuersales, non significant vtiq; hoc aliquid, sed tale aliquid, hoc est, aliquid, quod tale sit in vno, quale est in alio: (*sic enim re vera accipienda est natura vniuersalis, quicquid Plato dicere velit*) quod autem huiusmodi est, indefinitum est, & indeterminatum; quo fit, vt, si quid generat, non generet nisi indefinitum aliquid, & indeterminatum, ac proinde non generet hoc aliquid. Neq; enim agens dat effectui aliquid melius eo, quod in se habet; determinatio autem, & singularitas melior est indeterminatione, & commun-

Formas separatas non esse vtiles, vt res generent.

Quid sit formas separatas non significare hoc aliquid, sed tale aliquid.

Determinatio & singularitas, melior indeterminatione & communitate.

communitate: hinc enim fit, vt in Deo nihil sit commune cũ aliis rebus, sed omnia singularia. Quod si quis dicat agentis propositum esse facere aliquid tale, non aũt hoc tale, quia intentio generantis fertur in speciẽ, non aũt in certum indiuiduum; concedendũ id quidẽ est; sed tñ cum id faciat ex materia particulari, in q̃ agit, necesse est, vt illud tale, quod facit, sit hoc tale propter materiam particularem, ex qua rem facit; quemadmodũ globus æneus, qui fit, est hic globus æneus, propter hoc æs, ex quo fit; homo autem, & animal, & cæteræ formæ, siue naturæ vniuersales, sunt veluti globus æneus simpliciter, hoc est vniuersaliter sumptus. Quo fit, vt generare non possint hunc hominem, aut hoc animal; atq; ita res habet in cæteris. Alexander aliter intelligit rationẽ Aristotelis; putat enim ex eo probari hoc loco formas separatas non esse vtiles ad generationem, quia generatio ex rebus separatis, quæ in vnum coeunt, veluti mulsi ex vino, & melle, & parietis ex lateribus, & calce, non sunt vere generationes, sed compositiones quædam, quia in his materia non disponitur per alterationem, vt introducatur forma. Verum hęc expositio nec contextui satis accommodatur, nec congruit instituto: satis enim constabat Platonem non eo pacto dicere formas separatas esse necessarias ad rerum naturalium generationem, quasi ex illis, & materia fierent composita naturalia.

Agens semper facit hoc aliquid.
Tex. 28.

t *Formarum causas.*] Hoc est, formas, quæ sunt causæ, seu potius, quæ causæ esse ponuntur, si quæ sint, &c. Sumitur enim hoc loco verbum [*Formarum*] intransitiue, veluti si diceremus Animalium vnipeda, pro, Animalia vnipeda, si vsquam reperiantur.

u *Etenim in quibusdam.*] Iam probat formas separatas non esse vtiles, vt sint exemplaria, quorum imitatione res naturales gignuntur, satis enim esse similitudinem geniti cum generante, vt generans habeat, quod imitetur in generando; præsertim cum omne generans ipso generãdi actu se ipsum quatenus poteſt, perpetuum efficere nitatur, quod cum facere nequeat generando aliquid, quod secum vnum, atq; idem sit numero, (*necessaria enim est distinctio numeralis geniti à generante vel propter materiam, ex qua generatur*) semper nititur generare alterum sibi simile in specie. Quanquam vero in iis, quæ fiunt per artem, idem quodammodo accidat; (*artifex enim, quatenus artifex, per formam conceptã dicitur artifex, quæ quodãmodo est idẽ specie cum forma, quæ arte conficitur*) tamen in rebus naturalibus perspicuum est tale re vera esse genitum secundum speciem, quale est ipsum generans, nisi quid præter naturam, hoc est, præter intentionem naturæ particularis accidat, vt cum equus mulum generat; tametsi, cum ita accidit, non omnino deest similitudo specifica geniti cum generante. Quanquam enim non sunt idem specie infima, sunt tamen idem subalterna proxima, quæ forsitan perinde est genus proximum equi, & asini, atque est muli: hoc enim significant verba illa [*Fuerint autem ambo fortasse veluti mulus*] quasi dicat, Fortasse enim idem genus proxime dicitur de equo, & asino, quod dicitur de mulo, quod quidem appellatur iumentum, & complectitur etiam alias species, vt camelum, & cætera omnia, quæ iumenti nomine significantur. Vnde fit, vt quanquam in ea generatione equus non generet equum, iumentum tamen iumentum generet; & (*quod hinc sequitur*) licet talis generatio sit præter naturam respectu equi, quatenus equus est, non sit tamen præter naturam, qua ratione equus est iumentum.

Nec item esse vtiles vt sint exemplaria rerum naturalium.
Agens naturale semper nititur generare sibi simile in specie.
Imo & artifices, quà tales.
In naturalibus nunquam omnino deest similitudo specifica.

λέγειν) τὰ εἴδη εἰ ἔστιν αἴτια παρὰ τὰ καθ' ἕκαστα πρός τε τὰς γενέσεις καὶ οὐσίας οὐδὲν χρήσιμα, οὐδ' ἂν εἶεν διά γε ταῦτα οὐσίαι καθ' αὑτάς. ἐπὶ μὲν u δή τινων καὶ φανερὸν, ὅτι τὸ γεννῶν τοιοῦτον μὲν, οὐ μέντοι τὸ αὐτό γε, οὐδ' ἓν τῷ ἀριθμῷ, ἀλλ' ἐν τῷ εἴδει, οἷον ἐν τοῖς φυσικοῖς (ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ) ἐὰν μή τι παρὰ φύσιν γένηται, οἷον, ἵππος ἡμίονον: καὶ ταῦτα δὲ ὁμοίως: ὃ γὰρ ἂν κοινὸν εἴη ἐφ' ἵππου καὶ ὄνου, οὐκ ὠνόμασται τὸ ἐγγυτάτω γένος: εἴη δ' ἂν ἄμφω ἴσως, οἷον ἡμίονος.

ὥστε φανερὸν ὅτι οὐδὲν δεῖ, ὡς παράδειγμα, εἶδος κατασκευάζειν (μάλιστα x γὰρ ἂν ἐν τούτοις ἐπεζητεῖτο: οὐσίαι γὰρ αἱ μάλιστα αὗται) ἀλλὰ ἱκανὸν τὸ γεννῶν ποιῆσαι, καὶ τοῦ εἴδους αἴτιον εἶναι ἐν τῇ ὕλῃ.

τὸ

(*vt quidam formas dicere consueuerunt*) *si quæ sint præter singularia, ad generationes, & substantias nihil prodesse; nec propter hæc substãtias illas ponendas esse separatas. Etenim in* u *quibusdã etiam perspicuũ est tale esse id, quod generat, quale est, quod generatur, non tamẽ idẽ, nec vnum numero, sed specie vnũ; vt in reb. naturalibus, (homo. n. hominẽ generat) nisi quid præter naturam fiat, vt cũ equus generat mulũ: tametsi & hæc simpliciter fiant, genus. n. proximũ, quod forte equo, & asino cõmune est, nomine caret; fuerint autem ambo fortasse veluti mulus.*

Itaq; apertum est non opus esse veluti exemplar formam cõminisci: in x *his enim maxime quærendæ essent formæ, cum hæ maxime substantiæ sint. Sed id, quod generat, satis est, vt faciat, sitque causa formæ in materia.*

Tota

Maxime propter generationes naturales ponendæ essent ideæ separatæ.

x *In his enim maxime.*] Hoc est, in rebus naturalibus. Cum enim res naturales sint magis substantiæ, quam quæ arte, aut potentia, aut mente efficiuntur; propter harum potissimum ge-

 neratio-

nerationem ponendæ essent formæ separatæ, atque adeo in iis maxime quærenda essent huiusmodi exemplaria.

τὸ γ δ' ἅπαν ἤδη τὸ τοιόνδε εἶδος, ἐν ταῖσδε ταῖς σαρξὶ καὶ ὀστοῖς Καλλίας καὶ Σωκράτης: καὶ ἕτερον μὲν διὰ τὴν ὕλην (ἑτέρα γάρ) ταὐτὸ δὲ τῷ εἴδει: ἄτομον γὰρ τὸ εἶδος.

Tota y autem iam talis forma in his carnibus, & ossibus Callias est, & Socrates; & diuersa quidem propter materiam, (est enim diuersa) sed tamen specie idem; indiuisibilis enim est forma.

y *Tota autem iam talis forma.*] Docet obiter, quo pacto tota, hoc est, communis forma absolute sumpta, fiat hæc numero forma, (*neq; enim agens intendit certam numero formam introducere, sed formam certæ speciei*) & ex ea cum materia hoc numero compositum. Ait ergo propterea id accidere, quia forma recipitur in materia signata quātitate, & distincta numero à materia generantis; cuiusmodi est corpus humanum, in quo genitor introducit humanā formam. Distinctio enim numeralis geniti à generante, etsi non minus pendet ex distinctione formæ geniti à forma generantis, quam materiæ à materia, tamen ea ratione potius tribuitur distinctioni materiæ quā formæ, quia distinctio materiæ præcedit distinctionem formæ. Ante enim quā forma geniti existat, ac proinde vere distinguatur à forma generantis, iam materia, quæ futura est sub illa, est vere distincta à materia generātis, & causa distinctionis formę geniti à forma generātis. Forma n specifica ex Arist. sententia, si materiā tollas, diuidi nō potest in plures numero; diuidi autem potest, si nihil ei repugnet recipi in aliis, atque aliis materiæ portionibus.

Formam fieri hanc numero propter materiam signatam.

An sit necesse ponere ideas?

QVÆSTIO I.

Rationes pro vtraq; parte.

SECTIO I.

TAM multis in locis agit Aristoteles de ideis cōtra Platonem, vt passim occurrat occasio de illis disserendi, expendendique, vtrum ponendæ sint, quarum etiam rerum, & quo pacto constituendæ. Et quanquam extremi duo libri huius operis suo iure hāc disputationem sibi vendicabant; tamen quia illi post duodecimum quasi adiectitii, & minime necessarii iustis de causis reiecti sunt, quas causas initio decimi tertii exponemus, (*est enim verisimilimū eos libros, cum scriberentur, duodecimum præcessisse*) nō ab re multi eorum, qui huius operis difficultatibus tractandis dant operam, hunc locum delegerunt, vt de ideis agerent; quorū nos consilium ea ratione probauimus, quod proximi capitibus 6. & 7. iacta sint hac de re præcipua veritatis fundamenta, & hoc ipso de eadem re directo disputetur; præsertim cum sit facile huc breuiter adsciscere, quicquid aliud de hac materia, siue in hoc libro ad finem vsq; cap. 16. siue alibi ab Aristotele scriptum sit, quod ad rem facere videatur.

Cur hic agendum de ideis.

Iudicium de libris 13. & 14.

Concipimus autem ideæ nomine (*vt rudi Minerua hoc loco res explicetur*) formā imitabilem ab agente per intellectū; siue ea sit realiter in intellectu, siue obiectiue tantū; dummodo sit occulta sensibus nostris: exemplaria enim externa, quia sensibus patent, non dicuntur ideæ, sed tantum exemplaria.

Idea nomen quid significet.

Non esse igitur necesse vllas ponere ideas, eo argumento primum quis probet, quia videntur superuacaneæ, siue ad naturæ opera-

Rationibus astruitur non dari ideas.

A tiones, siue ad actiones artis, siue prudentiæ. Naturæ quidem, quia nec brutæ animantes, nec homines etiam ipsi ideam vllam rei efficiendæ imitantur, cum naturaliter agunt, nō solum cum se nutriunt, augentque, ac sibi similia generant; sed etiam, cum videntur in agendo naturalem facultatem excedere, veluti cum auiculæ nidos extruunt, apes fauos conficiunt, & aranei araneas texunt. Artis autem, & prudentiæ, quia ad artis opera satis B sunt artes ipsæ cum potentia executiua, & instrumentis artium; ad opera vero prudentiæ, quæ omnibus virtutibus moralibus præsidet, satis sunt prudentia ipsa, & virtutes cæteræ, quibus illa præest. Namque artifices ex arte formant sibi internas ideas, siue exemplaria, quemadmodum & externa, vt vel ipsi, vel alii ad eorum imitationem facilius artis opera conficiant. Vnde patet non artem in agendo ex illis pendere, sed illas ex arte. Qui autem ex C virtute agunt, postquam in virtutum operibus se diu exercuerunt, tum demum (*neq; omnes quidē, sed viri in virtute excellentes*) possunt ideam aliquam, seu formam excellentis operis apud se formare, & aliis tradere, vt in actione quoq; virtutum non earum opera ex eiusmodi ideis pendeant, sed hasce ex illis.

Deinde, quia ideæ ponuntur tanquā perfectissimarum, & absolutissimarū rerum exemplaria, vt perfectissimi hominis, aut equi D perfectissimi perfectissimi sapientis, aut oratoris: at huiusmodi res viribus naturæ effici posse non videntur; sed ne diuina quidem virtus adeo perfectum aliquid huiusmodi efficiat, quod non possit perfectius efficere. Vnde sapienter Aristoteles scripsisse à multis iudicatur 1. Ethic. lib. cap. 6. ideas perfecti, & absoluti

luti boni inutiliter inquiri, vt res, quæ fiunt, ad earum normam fiant.

Tertio, quia prius natura est, vt res sint factibiles, quam imitatione alicuius exemplaris fiant: non pendent igitur per se primo ab ideis vllis, siue exemplaribus essentiali dependentia: quo tamen pacto volunt eas dependere ii, à quibus ponuntur ideæ.

Quarto, quia si eorum omnium, quæ fiunt, necessariæ sunt ideæ; quemadmodum illæ ponuntur bonorum, ita & malorum ponendæ essent: plura enim mala, quam bona apud nos fiunt: at ponere malorum ideas, siue per se separatas, & quæ malis omnibus quasi præsideant, siue in Deo existentes, impium, & nefarium est.

Item autorit. Aristot.

Postremo, quia nunquam Aristoteles tantus vir, tanto etiam studio vbique ferme ideis se opponeret, nisi intelligeret nullas esse ideas ad agendum necessarias.

Arg. ab autoritate suadetur eas dari. Cicero 1. Tuscul. quæst.

Vt tamen illas necessarias esse concedamus, illud inprimis non parui faciendum est, quod de Platone earum autore magnus quidam vir sic scribendum existimauit: Vt rationem, inquit, nullam Plato afferret, (*vide quid homini tribuam*) ipsa autoritate me frangeret. Accedunt Patres omnes, qui communi sententia necessarias esse ideas pronuntiant: quorum plurimi Platonem sic interpretantur, vt illum eo modo, quo ipsi, de hac re sensisse affirment. Postremo nullus Scholasticorum Theologorum est, (*penes quos præcipuum huius rei examen vertitur*) qui ad agendum necessarias esse non asserat.

Ideas necessarias esse ad agendum per intellectum.

SECTIO II.

Esse igitur necessarias ad agendum, non omnibus tamen agentibus, sed agentibus per intellectum, hac vna Theologorum, & Philosophorum communi ratione plane intelligitur. Omne agens per intellectum habere debet penes se rationem rei faciendæ, cui effectum suum conformare nitatur: hæc autem ratio nihil aliud est, quam idea, siue exemplar rei faciendæ: sunt igitur ideæ omni agenti per intellectum necessariæ. Dictum est autem [*non omnibus*] quia nec casu, nec naturaliter agentibus est vlla idea necessaria. Quæ enim casu agunt, non solum non concipiunt id, quod sic actura sunt, sed ne alia quidem ratione in illud intendunt: quæ autem agunt naturaliter, etsi in effecta sua intendunt, non ea tamen ex conceptione, sed ex impetu naturæ faciunt: at quæ agunt per intellectum, (*si tamen actio sit propria, vt cum per eam aliquid vere dependens ab agēte producitur*) semper spectent necesse est internam aliquam rei faciendæ rationem, seu obiectiuam, seu formalem, (*de hoc enim solo controuersia esse potest*) ad cuius præscriptum in agendo se accommodāt: quo pacto Medicus ex conceptu sanitatis progreditur ad sanitatem in ægrotum inducendam.

Ratio.

Casu, aut naturaliter agentibus non est opus ideis.

Loquuntur autem de actione proprie dicta, ne Verbum diuinum, quod per intellectum producitur, credatur habere ideam, de qua re male audit Cameracensis apud Gabrielem, quod id affirmauerit. Etsi enim Verbum diuinum per intellectum producitur; quia tamen in suo esse non habet dependentiam à producente, sed identitatem sui esse cum illo; dici non potest ea ratio interna, qua inspecta à Patre producitur idea. Mitto absurdius quoq; illum posuisse ideam Spiritus sancti, qui nō per intellectum, sed per voluntatem producitur.

In 1. d. 35. q. 5. art. 2.

Verbi diuini cur non detur idea.

Ex his efficitur, vt qui mundum hunc vel casu factum esse, vel ex se extitisse crediderunt, velut Democritus, & Epicurus, (*quod quidem attinet ad præcipuas eius partes*) nihil curarint de mundo archetypo in mente alicuius artificis existente, ex quo hic externus emanarit; nec de vllis ideis, siue exemplaribus eius partium mentionem fecerint: qui vero bona omnia per intellectum primi alicuius agentis fieri confessi sunt, ii omnium eorum ideas posuerint, vno excepto Platone (*& si quis alius in ea re illum sectatus est*) qui proprias, & peculiares ideas rerum singularium negauit, quas tamen merito ponunt Theologi. Socrates autem, quem ante Platonem idearum notitiam habuisse certum est, (quanquam Plato nominis † inuentor fuit) etsi dubitauit, num vtilissimarum rerum essent ponendæ ideæ; tamen in eo dialogo, qui Parmenides, siue de ente inscribitur, à Parmenide iure reprehenditur.

Qui Philos. non curarint mundum archetyp. aut ideas.

Qui bonorum omnium ideas posuerint. Vide Arist. 1. Met. c. 6. & 7.

Earum inuentor, Sorrat. Lege Euseb. lib. 11. de Præpar. Euang. cap. 1.

† Nominis Plato; teste Aug. lib. 83. qq. q. 46.

Patres deniq; omnes in hanc communem sententiam conuenisse palam est. Nam Areopagita Dionysius Apostolorum æqualis c. 5. de diuinis nominibus ideas in Deo appellat Rationes substantificas, secundum quas superstantialis essentia omnia bona prædefiniuit, ac producit. Quem deinde secutus est Iustinus Martyr in oratione parenętica ad Gentes; hunc vero Clemens Alexandrinus 5. libro Stromatum, quo loco vocat ideas Dei intelligentias, diuinasq; rerum rationes.

Autoritates Patrum pro ideis ponendis.

Atque vt reliquos Græcos, qui eandem sententiam secuti sunt, omittamus, Augustinus † ex Latinis omnibus plurima de ideis scribit, à quibus est illud in lib. 83. quæst. *Quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisset*

Lib. 11. de ciuit. c. 10. & 11. lib. 12. c. 26. lib. 5. de Genes. ad liter. c. 13. & 14. epist. 115 & alibi sæpe. quæst. 46.

didisse? Quod si recte dici, & credi non potest, restat, vt omnia ratione sint condita, nec eadem ratione homo, qua equus, &c. Singula igitur, ait, *propriis sunt creata rationibus.* Deniq; omnes Latini Patres idem senserunt, quibus ii, qui Theologiam via, & ratione tradunt, nemine excepto subscripserunt.

Vt Boet. 3. de consol. metro 9. D. Ansel. in Monolog. c. 5. & sæpe in sequent. D. Bern. ad fi. epist. de vita solit. ad frat. de Monte Dei. Nec repugnat. D. Ambr. lib. 1. Hexam. ad fin. c. 2.

Recte autem, necne de ideis Plato senserit; & num merito ab Aristotele reprehendatur; in qua etiam sententia Aristoteles ipse de hac re fuerit, commodius proxima disputatione explicabitur.

Solutio argumentorum, quæ contra initio proposita sunt.

SECTIO III.

AD primum igitur argumentum pro parte opposita dicendum, in operibus quidem naturæ non esse ideas necessarias, si naturales actiones referantur ad agentia secundaria, quę impulsu naturæ; nō propriæ intelligentiæ ductu operantur: si tamē referantur ad primum agens, cum illud non agat naturę necessitate, sed intellectu, & voluntate, necessarias omnino esse, vt quibus præscribantur omnia, quæ ab eo siue solo, siue cum causis secundis facienda sunt. Quod vero attinet ad artis, & prudentiæ opera, satis quidem esse artem, & prudentiam ad ea facienda: verum nec artem, nec prudentiam vllam esse posse, vbi non sit ratio rei faciendæ, quicquid tandem ea sit ratio, & siue ab arte, aut prudentia, aut intellectu quasi procreetur; siue potius hæc ipsa præcedat, de qua etiam re proxime disputandum est.

Etiam quoad opera naturæ requiri ideas in primo agente.

Nec artem nec prudent. esse, vbi abest ratio rei

Ad secundum dicendum est, Aristotelem argumentatione sua non simpliciter, sed ad hominem vsum fuisse. Plato enim, cum specierum tantum ideas posuisset, omnem possibilem perfectionem singularium in eis constituendam existimauit: proinde Aristotelem merito dicere, inutiliter inquiri eiusmodi virtutum ideas, quarum perfectionem nemo assequi possit. At veræ ideæ non aliæ constituēdæ sunt, quam quas indiuidua ad vnguem referre possint: tales autem sunt, quæ à Scholasticis Theologis, qui hæc minutius tractāt, constituuntur. Nam ideæ specierum æque perfecte participantur ab earum indiuiduis; indiuiduorum autem ideas ipsa sola indiuidua, quorum illæ sunt propriæ, & peculiares, perfecte referunt. Quo fit, vt exhortatio ad virtutes non eo tendat, vt homines ad summam earum perfectionem inducat; sed ad eam, quæ solet mortalibus contingere.

Quo sensu dixerit Arist. inutiliter inquiri perfecti boni ideā.

Ad tertium dicendum, res, quæ fiunt per intellectum, prius quidem natura esse factibiles, quam exemplarium imitatione fiant; sed nō prius, quam possint eorum imitatione fieri, quod est eas esse factibiles, atq; in eo positam esse rerum sic faciendarum essentialem dependentiam à veris, primisq; ideis, vt alibi ostendimus.

Ad quartum non desunt, qui velint Platonem re vera sensisse, quemadmodum bonorum, ita & malorū esse ideas: scribit enim Socratis nomine in Theæteto, duo esse exemplaria, vnum bonorū omnium, alterum malorum; vnum beatissimum, alterum miserrimum; vnum diuinum, alterum Dei expers: vnde volunt Manichæorum errorem manasse. Sed quicquid Plato de ea re senserit, & quo pacto exponi possit, argumenti solutio in eo posita est, vt negentur ideæ eorum, quæ quatenus talia sunt, sub actionem non cadunt: mala autem, vt mala sunt, sub actionem cadere non possunt, quia nemo ad malum respiciens operatur, vt docet Dionysius; nec tam peccatur agendo, quam à recte actionis regula deficiendo. Itaque mala, vt mala sunt, nec per se fiunt, sed per accidens, dum aliquid fit, quod priuatio alicuius boni consequitur; nec per proprias ideas, sed per ideas bonorum cognoscuntur: *rectum enim*, vt dici solet, *iudex est & sui, & obliqui.*

Non esse ponendas.

c. 4. de diuinis nominibus.

Ex Arist. 1. de anima. c. 5. tex. 85.

Ad vltimum dicendum, Aristotelem non impugnasse veras ideas, siue exemplaria rerum, quæ à Deo fiunt, cum ne in opificibus quidem eas negauerit; sed in id totis neruis incubuisse, vt Platonicas extruderet, quod iure ne, an secus fecerit, nunc videndum est. Expendendum est enim, vbi nam sint ideæ, quas Deus in agendo respicit, & qua ratione ponendæ.

Arist. non impugnauit veras ideas.

Num ideæ, quas Deus in agendo respicit, in ipso ponendæ sint, an extra, & quonam pacto constituendæ?

QVÆSTIO II.

Expenditur sententia Platonis.

SECTIO I.

QVATVOR sunt in sententia de primariis ideis, quæ Platoni absque vlla controuersia tribuuntur. Vnum est, esse perpetuas; alterum, participari ab iis indiuiduis, quorum dicuntur ideæ; tertium, non existere in ipsis indiuiduis; quartum, esse ipsas indiuiduorum

Quatuor Platonis asserta de ideis.

uiduorum communes, seu vniuersales naturas,& essentias. Ac tria quidem priora omnino vera sunt,& comperta apud omnes Theologos, verosq; Philosophos. Namq; Deus, vt est omnium rerum molitor,& moderator,ita nunquam ideis tanquam præsentibus sibi exemplaribus eorum,quæ vnquam facit,aut facturus est,carere potuit,alioqui esset mutabilis. Quod si ideæ (*ea saltem,quæ magis propriè exemplaria dicuntur*) exemplaria multorum sunt;non dubium est, quin ab eis omnibus participentur : imitatio enim participatio quædam est. Denique,si exemplaria sunt,ac proinde externæ causæ eorum, quæ illas imitantur,extra illa existant,necesse est.Illud extremum (*nisi aliter,quā vt sonat intelligatur*) Platonis opinionē inopinabilem fecit,omninoq; perturbauit,quod illas cum à singularibus separasset,naturas tamen, &,essentias eorum esse dixit. Hinc enim multa, & grauissima sequuntur absurda,& quæ nequaquā admitti possunt.Sequitur enim primum,omnia vniuersalia esse substantias , atq; adeo primas substantias, cum ponātur separatim,ac per se existere ; ac proinde albedinem vniuersalem, calorem , & alia accidentia , quæ de pluribus dicuntur esse,primas substantias. Deinde sequitur, vnam numero substantiam insensibilem esse quiditatem,& naturā multarum numero sensibiliū : vnde quadā ex parte efficitur, vt multæ numero sensibiles , sint vna numero insensibilis, si vna hæc numero de illis quidditatiue dicitur; alia vero ex parte , si de illis non dicitur , non esse , cur earum quiditas asseratur.

Tria priora, vera.

A

Quartum inopinabile.

B

Quæ absurda ex eo sequuntur.

C

D

Tertio sequitur,si propterea vniuersalia separata existunt à suis singularibus , quia non falso , sed vere concipiuntur sine conditionibus singularium, (*hæc enim est ratio,quam D. Th. sæpe ait , ex Aristotelis sententia, impulisse Platonem , vt vniuersalia à singularibus separaret*) fore, vt dentur etiam ideæ † generum, & aliarum multarum rerum , quarum Plato ideas esse negat , * vt relationū & entium per accidens,quandoquidem & hęc concipi possunt vera conceptione sine conditionibus eorum plurium , de quibus dicuntur, vt animal sine differētia hominis,& bestiæ,relatio item, & artefactum in commune accepta sine differentiis specialiū relationum,& artefactorum. Tum etiam sequitur,vt ex homine communi separato,& sensibilib. hominibus alius quoq; tertius homo dādus sit, qui vera conceptione abstrahi possit ab vtrisque,relictis iis,in quib. illi differrēt. Quod si tertius separari potest ab vtrisque,ergo semper separatus fuit:in perpetuis enim nō seiunguntur vnquā posse & esse, vt Aristoteles 3.Physic.lib.docet.

Vt 1. Metaph. c.7.ad tex.30.
† Ita argumentatur Arist. hoc lib.c.14.tex.51. & lib.1. cap.7. tex.33.
** Vide eundem citato cap.7. tex.28.*

E

F

c.4. tex.32.

Denum sequuntur duo illa , quæ Aristot. sæpe obiicit, huiusmodi ideas neq; ad rerum sensibilium existentiā,neq; ad earum perfectā scietiam esse necessarias.Nihil enim in se ipso existentiam habere potest,nisi in se quoq; habeat quiditatem,siue essentiam, quā existētia consequatur; nihil etiā perfecte scitur,nisi per ea sciatur,quæ intrinsecus in se ipso continet; quæ omnia Aristoteles partim hoc libro,partim in aliis potissimum vero 13.& 14.tum colligit ex Platonis sententia,tum etiā impugnat ipse, & inter se etiam pugnantia esse ostendit.

Hoc c.tex.28. & toto c.14.& lib.1 c.7.tex.31. ac seqq.

Ita patet,quantum Platonis pronūtiatum (*vt quidem sonat*) falsum omnino esse,& impossibile,recteq; ab Aristotele esse refutatum. Qua in re merito ab eo laudatur Socratis iudicium lib.13.huius operis,Platonisq; eius discipuli sententiæ præfertur , cum sic ait : *Duo sunt, qui Socrati iure proprio quispiā attribuat, inductiuas orationes,& definitionem vniuersalis : at Socrates,*inquit,*vniuersalia non ponebat separata; quidam vero separarunt, ac talia entium ideas appellarunt*. Hæc cap. 4. eius libri. Ex quibus perspicuū relinquitur , in coniunctione quarti pronuntiati cum tribus præcedentibus , omnes absurditates sententiæ Platonis , vt ea ab Aristotele refertur , & plane in illius dialogis scripta reperitur positas esse. Nam si ideæ substantiæ sunt separatæ à sensibilibus;non sunt vtiq; eorum communes essentiæ, seu quiditates : sin autem sunt eorum quiditates , non sunt profecto substantiæ ab illis separatæ : ex qua repugnantia cæteræ omnes absurditates consequuntur.

In Timæo Phædone,Cratylo, & aliis.

Sunt,qui velint, Platonem nō aliud sensisse,quā quod Arist. de eius sententia refert; in quibus numerātur ex Patribus Iustinus Martyr in oratione ad Gentes,Tertullianus in lib. de anima,& Irenæus 2. de hæresibus; credentes Platonem sensisse,Deum in agendo ad exemplaria quædam à se, & à rebus sensibilibus separata in constitutione mundi aspexisse.Ex interpretibus vero huius operis Alexander, † D.Thomas,Auerroes,& alii non pauci. Et est quidem illud pro hac opinione non contemnendum argumentum, quod incredibile videatur , Aristotelem ea Platoni pene adhuc viuēti tribuisse, quæ eo tempore constaret nō placuisse Platoni; aut certe verba tantū illius, non sententiā tam serio,& tam multis in locis impugnare voluisse. Quod idem de Platone iudicium probatur à Varrone Ciceroniano in Academicis , vbi ait Aristotelem primum labefactasse species (*hoc est,ideas*) quas mirifice Plato erat amplexatus , vt in iis diuinū quiddam esse diceret ; non ait [*diuinas esse diceret*] quasi in Deo existerēt, sed [*diuinū quiddā habere*] quod à rebus sensibilib. essent seiunctæ.

Quinam idem quod Aristoteles tribuūt Platoni.
Cap.19. vide etiam Ambr.lib. 2. Hexam.c.1. & 2.& lib.4.de fide c.3. Nazian. orat.33. ibid. Eliam Cret. & Cyrill. lib. 2.contra Iulian.
† Itemq; 1.p. q. 6.art.4.& alibi sæpe.
1. Acad. 2.edit.

Nn Nobis

Qui contra velint illum recte sensisse.

Nobis tamen, quo absurdiora sunt ea, quæ Aristoteles ex illis dictis colligit, eo verisimilius est, non in omnibus, quæ ab Aristotele ex illius scriptis referuntur, idem illum sensisse, quod verba primo aspectu declarãt; sed eam sententiam de ideis habuisse, quam nos ex probatioribus, Theologis inferius trademus: nisi quod in ea constituenda nonnulla peccauit, & incaute de tota quæstione loquutus est. Qua in re vnus pro multis nobis satis esse posset Augustinus cum libro duodecimo de Ciuitate Dei, tum aliis locis compluribus, nisi plerique alii essent eiusdem sententiæ vt Clemens Alexandrinus quarto, & quinto libro Stromatum, Seneca Philosophus pluribus ad Lucillum epistolis, Plutarchus primo de placitis * Philosophorum, & nostræ pene ætatis Ioannes Franciscus, Picus, Bessarion, Marsilius, Ficinus, & alii non tantum nostrorum, sed etiam externorum multi.

c.26. & lib 7.c. 28 & lib.83.qq. q. 46. & lib.1. Retract.c.3.
Vt epist.58. & 65.
** Cap.10.*
Picus de examine vanitatis gent. & verit. Christ.lib.6.c. 15. Bessar.sæpe in libris contra calumniat. Platonis, Ficin.in qq. de ideis. Tullius 1.de Orat. & in Acad. Apuleius de dogm. Platonis, Laert.in vita eiusd. Eustr. & Simplicius apud D.Thom. lib.4.de regimin principum c.4. Eugubi.de perenni philosoph. lib.1.c.12.

Non est tamen propterea reprehendendus Aristoteles, quod tam sæpe, tantaque solicitudine eam Platonis sententiam, quæ in propatulo erat, impugnauerit: id enim syncero veritatis amore fecisse videtur, vt Platonicæ disciplinæ studiosi cautius se gererent, cum in hac de naturis communibus præcipua doctrina, tum in aliis rebus eiusdem generis, quod Plato nõ omnino eliminasset Pythagoreorum figuratam philosophandi rationem, quæ clara, & aperta esse debet. Quod qui non obseruarunt, in multa præcipitia imprudentes corruerunt, vt initio huius operis monuimus.

Duobus modis eum defendi posse, & poni ideas separatas à reb.

Itaque in quarti illius pronuntiati explicatione veritas Platonicæ sententiæ requirenda est, vt cum vera Philosophia consentiat. Potest enim ea separatio naturarum communium à rebus singularibus, quam ponit, intelligi, non vt illæ sunt extra Deum, sed in Deo, idque duobus modis; & vtroque vere. Vno secundum proprias, & peculiares rationes, sed obiectiue: altero realiter, sed eminenter, id est, vt virtute continentur perfectione diuinæ essentiæ: quæ sunt duæ Theologorum sententiæ in schola receptæ.

Duplex de diuin. ideis Theolog. sentent. Vide hos sect. sequenti.

Sunt enim, qui dicant ideas, quas Deus vt exemplaria in producendis rebus spectat, esse res ipsas, vt obiiciuntur diuino intellectui, antequam in rerum natura producantur. Verbi gratia ideam hominis communis esse ipsum hominem communem, vt à Deo secundum propriam & peculiarem rationem concipitur; quo pacto separatus est obiectiue à singulis hominibus, quia sine differentiis indiuiduantibus apprehenditur, & sic de cæteris naturis communibus. Alii autem volunt, ideas esse ipsam diuinam essentiam virA tute, continet res omnes à Deo producibiles; quo pacto, vt est varie imitabilis à rebus producendis, ita infinitorum exemplarium vim habet. Qua quidem ratione naturæ communes reali quidem existentia ponuntur in Deo, verùm non secundum proprias, & peculiares rationes, sed vt continentur in altissima illa, & eminentissima ratione diuinæ naturæ; quo pacto naturę communes nobilissima separatione reali seiunctæ sunt à rebus singulaB ribus extra Deum existentibus. Quapropter si expenderimus, vtra nam harum opinionum magis probanda sit, (id enim proprie nostri instituti est) simul etiam patebit, qua potiori ratione Platonis sententia explicari possit, vt cum vera doctrina congruat; tametsi parum refert, quid homo Ethnicus senserit, si minus eius placita ad recta, & pia dogmata trahi possint.

Ita D.Th.1.p.q. 15.a.1. & lib.1. cont.Gent.c.54.

& aliis locis. Henric. quodl. 9.q.2. Alens.1. p.q.2. memb.4. a.1. Albert.in 1. dist.35.a.9. Bonauent. a.1.q.2. Ægid.d.36.a.2. q.2. Capr.q.vn. a.1. conclus.1. Argẽt. a.1.itẽ 1. Caiet & Ferr. ad citata loca D.Th. & plures alii.

C

Ideas diuinas non esse res ipsas producendas, vt diuino intellectui obiiciuntur, sed exemplaria, quæ re ipsa in Deo existunt.

Sectio II.

Ideas esse ipsas producend. sentiunt. Scot.in 1. d.36.q.3. Och. d.35.q.5. Gabr. q.5.a.2. Rich.d. 36.ar.2.q.2. Alias.in 1.q.6. a.3. & Maior. d.35.q.1.

SCOTVS, Durandus, Ochamus, & alii non pauci credunt diuinas ideas nihil esse D aliud, quam res ipsas à Deo producendas, quatenus diuino intellectui obiiciuntur; quo pacto homo producendus, quatenus à Deo conceptus fuit ex æternitate est idea hominis, & leo producendus idea leonis, & sic cætera: quam sententiam his potissimum argumentis probant.

Argumẽta quibus id probant.

Primum, quia idea nihil est aliud, quã exemplar intelligibile, ad cuius imitationem expressam, & adæquatam (*sic enim intelligunt*) E res aliqua fit: res autem, quæ fiunt à Deo, non imitantur expresse, & adæquate quicquam, quod sit in Deo realiter, vt est luce clarius, sed se ipsas, vt ab eo conceptas.

Deinde, quia internæ artificum creatorum ideæ, quas mente concipiunt, & ex quibus ad ideas increati agentis assurgendum est, nihil aliud sunt, quam ipsa artificiosa opera ab illis præconcepta: quo pacto sanitas in anima, vt loquitur Aristoteles, (*hoc est, à Medico præ*F *concepta*) est idea, seu intelligibile exemplar sanitatis, quam ille inducit in materiam.

Hoc lib.c.4. tex.23.

Tertio, quia hoc differt agens per intellectum ab agente naturali, quod naturale non agit ex præcognitione rei producendæ, sed ex naturæ impulsu; agens autem per intellectũ non agit, nisi ex præconceptione rei, quam efficit: cum igitur nulla alia præconceptio sit

necessaria

necessaria ad rem efficiendam, nisi prius rei efficiendæ; (*præcisa enim quauis alia, & hac sola relicta, res fieri per intellectum potest, & absque ea fieri non potest*) efficitur, vt sola res, quæ facienda est, quatenus præconcipitur, vt fiat, dicenda sit exemplar, & idea quam agens agendo per intellectum imitatur.

Postremo, quia Aristoteles non reprehendit in opinione Platonis, quod dixerit naturas communes esse ideas, sed quod eas posuerit separatas à rebus singularibus tanquam per se existentes, ac proinde primas quasdam substantias materiæ saltem particulares expertes. Nec docuit earum cognitionem non esse necessariam primo agenti ad agendum, sed agentibus naturalibus; quod etiam Plato non negaret: Deumque non accipere, & quasi mendicare cognitionem earum ab ipsis, cum in se omnia cognoscat: (*sic enim necessario intelligendus est ille lib. 12. vt eo loco dicemus*) sensit igitur, ideas non esse res aliquas separatas à se ipso, & à singularibus; sed naturas ipsas communes, vt præconceptas à Deo in sua ipsius essentia.

Refellitur hæc sententia. Verum hæc opinio, vt intelligi, & explicari solet, non est probanda. Primum, quia ideæ diuinæ, hoc est, quas Deus agendo respicit, sunt causæ primæ simpliciter, ac principales in suo genere, nullamq; ex ratione sua imperfectionem importantes: solus autem Deus potest habere rationem huius generis causæ, cum solus ipse & in essendo, & in causando sit independens. Deinde, quia diuinæ ideæ debent esse ex se perpetuæ, & vt ita dicam, incausatæ; quia Deus nec sine ideis esse vnquam potuit, ne mutatio aliqua in eũ posset cadere, nec ipsæ, si causatæ essent, dici possent primæ causæ in suo genere; oporteret enim ab aliis prioribus ideis causari: at res producendæ, etiam vt à Deo præconceptæ, non sunt ex se perpetuæ, nec eo modo incausatæ; sed ab ipsa Dei conceptione factæ perpetuæ secundum quid, hoc est, solum secundum esse cognitum. Tertio; quia nulla res dici potest sui ipsius causa; alioquin à se ipsa per se penderet, quod repugnantiam inuoluit; quatenus enim à se penderet, & haberet, & non haberet ex se esse; quod facile est intelligere. *Nihil potest esse causa sui ipsius.*

Responsio. Quod si quis respondeat, rem eandem alio, & alio modo sumptã posse esse sui ipsius causam: quo enim pacto sanitas in esse concepto est sui ipsius causa finalis in esse reali; ita videtur fieri posse, vt eadem sit sui ipsius causa exemplaris: ne sic quidem effugiet vim argumenti. *Impugnatur.* Nam etsi esse conceptum potest esse conditio, sine qua res aliqua nõ causat, vt patet ex iis, quæ de ratione causandi causæ finalis dicta sunt ad librum quintum, non potest *c.2. q.11. sect.3.* tamen esse ipsa ratio realiter causandi; alioqui ratio depẽdentiæ effectus realis (quæ realis est) nobilior esset in ratione essendi, quam ratio causandi, à qua effectus penderet. Adde, quod finis ipse conceptus, in se spectatus, & non formaliter, vt est conceptus, non est causa sui ipsius in esse reali; sed mediorum quibus obtinetur: quo pacto forma introducendæ non est causa sui, sed eius motus, quo introducitur. Quapropter aliud esse debet idea sanitatis, aliud sanitas ipsa, quæ ab ea exemplariter causatur, cum ne finis quidem, qui non causat nisi conceptus, sit causa sui ipsius.

Ideas esse agentibus rationes cognoscendi, & efficiẽdi ideata. Quarto sic licet argumentari. Ideæ sunt ipsis agentibus per intellectum rationes cognoscendi, & efficiẽdi ideata, vt vocantur: res autem producendæ non sunt Deo rationes cognoscendi, nec efficiendi sui ipsarũ: nõ sunt igitur sui ipsarum ideæ. Maior propositio est communis assertio Platonis, Aristotelis, & † Philosophorum, ac Theologorũ omnium, quam sæpius * D. Thomas refert: assumptio ex eo constat, quia Deus neque cognoscit res producendas, neq; eas efficit per eas ipsas, sed per aliquid, quod in ipso sit.

† Lege Senecam epist. 65. & D. Aug. locis suprà citatis.

** D. Th. 1. p. q. 15. ar. 1. & 1. cont. Gent. c. 54. & de verit. q. 3. ar. 1.*

De diuinis nominibus c. 5. Accedit illud Areopagitæ Dionysii, ideas esse rerum effectrices; quod pronuntiatum de rebus ipsis, quæ à Deo fiunt, intelligi non potest, quasi ipsæ sint sui ipsarum effectrices. Nec præter rem est hoc argumentum ex efficiendi ratione desumere: nam etsi ideæ, quatenus ideæ sunt, non pertineãt ad genus causæ efficientis, alia tamen ratione non dubium est, quin pertineant; cum alioqui habeant rationem formarum, quibus agens per intellectum agit, quicquid eo pacto agit. Ita perspicuum relinquitur res producendas, ne vt intellectui quidẽ diuino obiiciuntur, esse ideas.

Solutio argum. Ad primum igitur argumentum in oppositum dicẽdum, nihil esse, quod se ipsum imitetur: res autem omnes, quę à Deo fiunt, posse imitari & exprimere, & adæquate rationes eas, quæ illis in mente diuina respondent; non quidem secundum earum esse, quod est infinitum, & independens; sed secundum earum repræsentationem, vt potest, patebit. *Vtinam possint res adæquate imitari ideas diuin.*

Ad secundum, ideas artificum non esse res ipsas, quæ faciendæ sunt; sed earum conceptus formales, quibus repræsentantur; nec Medicum imitari in curatione sanitatem futuram, sed sanitatis conceptum. Quod quo pacto intelligendum sit, suo loco dicetur.

Ad tertium, agens per intellectum, agere quidem ex præconceptione rei, sed rem ipsam præconceptam non habere rationem ideæ sui ipsius, sed eius præconceptionem, cuius præscriptum vt imitetur, & assequatur, agens laborat.

Arist. non fauet opposita sententiæ.

Ad vltimum dicendum, non negasse quidem Aristotelem naturas communes, vt cõceptas à Deo, esse ideas; sed non inde sequitur id affirmasse: neque item docuisse, non esse necessariam earum cognitionem primo agenti; verum non inde etiam sequitur illum docuisse, eas, vt cognitas, esse exemplaria, quæ ille in earum productione respiciat. Denique etsi Aristoteles recte sensit Deum non accipere cognitionem à rebus à se productis, aut producendis, sed à sua ipsius essentia, vt suo loco intelligetur; tamen non inde efficitur, vt crediderit, illas esse sui ipsarum exemplaria, quatenus sic diuino intellectui obiiciuntur, cum adhuc eo pacto non possint esse primæ causæ in vllo causæ genere, vtpote & in essendo, & in causando independentes.

Ideas esse re ipsa in Deo.

Ex quibus omnibus sequitur, ideas, quas Deus agendo respicit, in mente diuina existere, non obiectiue tantum, sed re ipsa; æquumque esse, vt & Plato, & Aristoteles sic existimauerint, vt præcipui Patres sentiunt. Sint ne autem illæ ipsa diuina essentia, vt eminenter continet res omnes, quæ à Deo fieri possunt, & consideratione nostra præcedit omnem actum intelligendi; an potius ipse diuinus intelligendi actus; an vero diuina essentia, vt ei obiicitur; an denique formalis conceptus rerum factibilium, quatenus consideratione distinguitur in plures conceptus formales rerum factibilium, deinceps videndum. His enim quatuor modis intelligi potest, illas esse re ipsa in Deo, nec desunt pro quouis eorum non contemnendi autores.

Idque iuxta vnum è quatuor dicendi modis.

Ideas diuinas non esse ex ratione sua ipsam diuinam essentiam, quatenus consideratione nostra præcedit omnem actum intellectus diuini.

Sectio III.

Affirm. recentiorum. sentent. His fauet. Bassol. in 1. d. 36. q. 2. a. 2. & Rich. ar. 2. principali q. 2. Vide ad finem sect. 1.

Ideas in Deo esse ipsam diuinã essentiam, vt consideratione nostra præcedit omnem actum intellectus diuini, quorundam recentiorum sententia est, quam his argumentis communiunt.

Primum ex illo communi Theologorum pronũtiatio, ideas esse ipsam diuinam essentiam, quatenus est imitabilis à creaturis: cõstat enim eam esse imitabilem ab eis, antequam consideratione nostra exeat in actum intelligẽdi vllum; quippe cum ex se ipsa propter infinitam perfectionem, quam cõtinet, sit imitabilis ab omnibus, quæ aliquod esse participant.

Deinde, quia quemadmodum ad perfectam rationem intelligendi diuini intelle- A ctus requiritur distincta cognitio omnium, quæ à Deo fieri possunt: ita ad perfectam eorum repræsentationem in essentia diuina requiritur distincta eorundem repræsentatio; præsertim cum Aristoteles sæpe doceat, sitque ab omnibus receptum, assimilationem rei intelligibilis cum intelligente præcedere intellectionem. Cum igitur diuinus intellectus omnia, quæ facere potest, distincte intelligat; efficitur, vt diuina essentia ante omnem intelligendi actum eadem omnia distincte repræsentet, ac proinde sit cuiusque B factibilis rei peculiaris idea.

Vt de anima c. 4. tex. 16. & ca. 8. tex. 37. & 38. dum ait intellectum in actu esse rem ipsam.

Tertio, quia si quid obstaret, quominus in diuina essentia essent plures ideæ ante omnẽ actum diuini intellectus; esset fortasse, quia ante illũ nulla est actualis distinctio in Deo, quoad ea, quæ omnibus diuinis personis sunt communia: at hoc nihil obstat. Nam cum distinctio virtualis satis sit, vt attributa C diuina omnibus personis communia dicantur simpliciter, & absolute plura, satis quoq; erit, vt ideæ ea ratione dicantur plures, quod ante omnem operationem intellectus virtute distinguantur.

Improbatur.

Verum hæc sententia ab omnibus pene alicuius nominis Theologis reiicitur; ac merito quidem. Nam cum entia infra Deum non sint possibilia, ac proinde nec factibilia, nisi per ordinem ad artem diuinam, & *(quod sequitur)* ad aliquem actum diuini intelle- D ctus; fit necessario, vt non sint ideata, nisi per ordinem ad aliquem eiusmodi actum: vnde sequitur, ea ante omnem actum intellectus diuini ideas habere non posse. Qua impugnatione omnia propositæ opinionis argumenta corruunt.

Soluuntur arg. Deus ante actũ intellect. solum remote est imitabilis.

Ad primum enim patet dicendum esse, diuinam essentiam non esse imitabilem ante omnem actum intellectus diuini, nisi poten- E tia remota: at idearum ratio consistit in imitabilitate propinqua, non in remota.

Cur. repræsentatio rerum in Deo ante omnẽ actum diuini intellect. non sit satis ad rationẽ idearum.

Ad secundum dicendum, repræsentationem rerum in diuina essentia ante omnem operationem diuini intellectus non esse satis ad rationem idearum; tũ quia non est distincta, vt patet; tum et, quia creaturæ non sunt producibiles à Deo per naturã, sed per intellectum. Si enim essent producibiles per naturam, cum nulla earum possit imitari to- F tum esse diuinum, quod infinitum, & independens est; necesse foret, vt præcederent in diuina essentia tam multa exemplaria ex natura rei distincta inter se, quot sunt creaturæ producibiles, quod falsum est, & impossibile. Cum igitur non sint producibiles per naturã, sed per intellectum; expectanda vtiq; est more cõsiderandi nostro distinctio actualis,

lis, qua per operationem intellectus diuini repræsentatio specificetur, circumscribatur, & limitetur ad hanc, vel illam creaturã, quæ producenda est, qua circumscriptione ideæ diuinæ quasi constituuntur. Vt enim repræsentatio rerum producibiliũ in diuina natura ante omnẽ operationẽ diuini intellectus nullam omnino habet actualẽ distinctionem: ità diuina earum cognitio in illa est actu distinctissima, cũ Deus in sua essentia cognita omnia producibilia distinctissime cognoscat.

Ratio, cur ideæ virtute quidem plures dici possint ante operationem intellectus diuini.

Ad tertium dicendum, hoc esse discrimen inter ideas, & attributa diuina, quod ideę nomen ex formali significatione sua importat distinctionem actualem vnius ab alia, cum significet specificationem rationis rei factibilis, eiusque circumscriptionem, & limitationem, vt dictum est: proinde fieri non posse, vt ante operationem intellectus diuini actu distinguentis omnium rerum factibilium rationes, vlla in Deo spectetur idea, vt in eo sic spectato plures dici possint vel actu, vel etiam sola virtute. Nam cum ideæ vocabulum formaliter importet actualem distinctionem vnius ab alia, vt dictum est; esset implicatio in adiecto, si quis diceret ante actualem distinctionem aliarum ab aliis dari solam virtualem earum distinctionem. Esset enim nihil aliud, quam asserere actu distincta esse sola virtute distincta, ac proinde actu distincta, & non actu distincta.

Attributa diuina posse duob modis concipi.

At attributa diuina duobus modis concipi possunt. Vno quatenus significantur nominibus primæ intentionis infinitatem omnis perfectionis in suo formali significato admittentibus, vt sunt sapientia, iustitia potentia, & alia huiusmodi, quæ de Deo, & creaturis prædicari possunt: altero, quatenus significantur nomine attributorum, quod est secundæ intentionis, & formaliter importat absolutum prædicatum necessario conueniens Deo, vt Deus est, & consideratione distinctum ab aliis eius talibus prędicatis; quandoquidem nec prędicata relatiua, nec libera, neq; ea, quæ continent formaliter omnem Dei perfectionem, vt sunt actus purus, ens infinitum, ens independens, aut ipse Deus, vel diuina essentia; numerantur in diuinis attributis. Cũ igitur attributa diuina his duob⁹ modis spectentur, prioriq; modo admittant infinitatem omnis perfectionis; (*quo pacto sapientia diuina ex natura rei, siue ante omnẽ operationem intellectus, includit perfectionem iustitia, & aliorum omnium attributorum, ac proinde non importat distinctionem ab illis; et si posteriori modo illam formaliter importet, vt si loquaris his verbis, Attributum sapientia non est attributum iustitia*) inde fit, vt quanquam

Actus pur⁹, ens infinitum, & similia prædicata, cur non sint attributa.

posteriori modo non possint dici plura siue actu, siue etiam virtute ante operationem intellectus, ne simul dicantur actu distincta, & non actu distincta, vt de ideis dictum est; tamen priori modo dici possint virtute distincta. Cum enim dicimus, sapientiam, & iustitiam Dei esse attributa ante omnem operationem intellectus virtute distincta, non negamus ea esse ex natura rei vnum, & idem in Deo, ipsam nimirum diuinam essentiam, quæ formaliter, & ex natura rei est vtrumq; sed affirmamus, posse ea nostro intelligendi more, quo imperfecte diuina concipimus, distingui inter se. Verum dicere hoc pacto diuina attributa sub nominibus primæ intẽtionis concepta esse plura, non est simpliciter, & absolute ea plura esse confiteri, sed cũ adiectione, siquidem esse plura virtute, nõ est simpliciter, & absolute esse plura, sed cum adiectione diminuente, & secundum quid.

Quonam modo nequeant, & quo contra queant attributa dici virtute distincta ante operat. intellectus.

At ideæ possunt dici actu, & simpliciter, ac absolute plures, quia non sunt ideæ, nisi per operationem intellectus diuini omnia factibilia distinguentis; & similiter diuina attributa, quatenus attributa sunt, per operationem intellectus nostri imperfecte ea concipientis. Num autem Deus, & beati cognitione beatifica distinguere possint attributa diuina, & quo pacto id facere queant, cum omnia perfecte, & sicuti sunt, concipiant, inferius attingetur. Alia ratio est idearum, quia cum sint rerum factibilium, ac proinde finitæ, ac limitatæ, nullum est dubium, quin & à Deo, & à beatis etiam distincte concipiantur.

Ideæ dici possunt actu, & simpliciter plures, & similiter attrib. qua talia.

Ideas distincte Deus concipit.

Ad argumentum igitur concessa maiore neganda est minor: atque ad probationem dicendum, neque attributa diuina dici simpliciter, & absolute plura ante operationem alicuius intellectus ea distinguentis; sed solum virtute plura, idque sumptis illis, vt significantur nominibus primæ intentionis: neque etiam ideas ante operationem intellectus diuini vllo modo esse plures siue actu, siue etiam virtute; quia includunt formaliter circumscriptionem, & distinctionem actualem aliarum ab aliis, quam non includunt expresse attributa diuina, vt nominibus primæ intentionis significantur.

Ita perspicuum relinquitur, diuinam essentiam non habere rationem idearum, vt consideratione nostra præcedit omnem actum intellectus diuini: licet simpliciter, & absolute dicere possimus plures esse in Deo ideas propter ipsam huius nominis formalẽ significationem; quemadmodum & plura attributa diuina, si attributorum nomine formalis significatio spectetur.

Ideas in Deo neq; esse ex ratione sua ipsum intelligendi actum, vt à conceptu formali distinguitur: neque ipsam diuinam essentiam, vt est conceptus obiectiuus, sed vt formalis.

SECTIO IV.

Esse ipsum intelligendi actum tenent doctiores recentiores ad 1. p. D. Th. q. 15. a. 2. ei fauet Mars. in 1. q. 1. a. 1.

ALII videntur credere, ideas esse ipsum intelligendi actum, vt est cognitio, qua Deus cognoscit creaturam, quatenus est imitabilis ab ea. Huius sententiæ fundamenta duo videntur esse. Vnum, quod nonnulli Patres appellant ideas ipsas Dei cognitiones, vt patebit inferius: alterum, quod hi autores non videntur distinguere actum intelligendi à cõceptu formali: vnde quia conceptus formalis rei faciendæ est eius exemplar, vt etiam inferius patebit; inde fit, vt sine distinctione pronuntient, ideas esse in Deo ipsum eius intelligendi actum, quatenus ipse Deus est à creaturis imitabilis. Quod si ita sentiunt, non est, cur hoc loco opinio hæc vel approbetur, vel impugnetur, cum id ad extremum modum sentiendi de ideis pertineat.

Censura.

Ita Henr. quodl 9. q. 2. Aegid in 1. d. 36. art. 2. q. 2. Ferr. 1. contra gent. c. 54. Caiet & fere recentiores ad 1. p. q. 15. ar 2.

Alii vero dicunt, ideas in Deo esse ipsam diuinam essentiam, vt est imitabilis à creaturis: non tamen, vt est conceptus formalis, sed obiectiuus: idq; quatenus eminenter creaturas omnes in se continet: quæ sententia à nonnullis creditur esse D. Thomæ Alensis, & aliorum quorumdam grauium doctorum. Huius opinionis fundamẽta sumuntur ex iis, quæ de ideis tradi solẽt: quod aptius videantur conuenire in essentiam diuinam, vt obiicitur diuino intellectui, quam vt est eius conceptus formalis.

Primum eorum fundamentum.

Primum, id quod dicitur, ideã esse formam à creaturis imitabilem, nec videtur conuenire vlli creaturæ producendæ, vt contra primam opinionẽ probatũ est: nec diuinæ essentiæ ante omnem operationem intellectus diuini, nisi remote, vt ostensum est contra secũdam: nec deniq; conceptui formali, vt probabitur: ergo soli diuinę essentiæ tanquã conceptui obiectiuo, vt est imitabilis ab aliqua creatura: neq; enim quicquã aliud succurrit, cui conuenire posse videatur, nisi forte ipsi actui intelligendi, de quo eadem, aut potior est ratio, quam de conceptu formali.

Prima eius probatio.

Quod autem non conueniat conceptui formali, ex eo primum probant, quia conceptus formalis, & verbum idem sunt: Verbum autem diuinum est personale quid, nõ essentiale, creaturæ vero non imitantur in suo esse personalia, sed essentialia, quæ sũt omnibus personis communia. Deinde, quia si Verbum esset forma imitabilis in productione creaturarum, præcederet vtiq; ipsum intelligendi actum, tanquam exemplar internum, ad quod Deus in agendo respiceret: at verbum videtur posterius intellectione, & per eam produci tam in Deo, quam in nobis: vnde sequitur, vt etiam à nobis prius aliquid sit factibile per actum intelligendi practicum, quam verbum per eum actum exprimatur, siue eliciatur. Tertio, quia nullus artifex intendit imitari in agendo suum conceptum formalem, tum quia conceptus formalis est qualitas quædam spiritualis animæ inhærẽs repræsentatiua rei obiectę: artifex autem non intendit similem aliquam qualitatem per artem efficere: tum etiam, quia cum idea ponatur exemplar, ad quod artifex in agendo respicit, perspicuum est, id non conuenire conceptui formali, cum nemo reflectatur supra suum formalem cõceptum, vt eum intueatur, & imitetur, quod experientia perspicuum est.

Secunda.

Tertia.

Deinde, id quod dici solet, ideã esse principium cognoscendi ideatũ, nulli siue rei, siue rationi magis conuenit, quam diuinę essentię quatenus diuino intellectui obiicitur vt imitabilis ab aliqua creatura. Nam esse principium cognoscendi, quod ad præsentem disputationem attinet, nihil est aliud, quam esse id quod cognitum facit nos aliud cognoscere, siue eadem, siue alia cognitione, ad eum modum, quo causæ cognitio ducit nos in cognitionem effectus, qui virtute in ea continetur: Deus autẽ in essentia sua cognita cognoscit primo res omnes possibiles, & modos omnes, quibus efficere eas potest.

Secundũ fund.

Postremo, id quod addi consueuit, ideam esse principiũ operandi, maxime conuenit diuinæ essentiæ eo modo, quo dictum est cõsideratæ. Neq; n. dubiũ est, quin diuina agendi virtus primo conueniat essentiæ diuinæ, vt eminenter continet omnes creaturas, quo pacto diuino intelligendi actui obiicitur.

Tertium.

Verisimilior sententia, esse formal. conceptus. Ita Scholast videntur sentire. Alens. 1. p. q. 23. membr. 4. a. 1. D. Bonauent. in 1. d. 35. a. 1. q. 1. & Capr. d. 36. q. vnica a. 1. ad 1. Durandi.

Alii deniq; multo verisimilius dicunt, ideas in Deo esse ipsas creaturarũ rationes formales in mente diuina existentes, quatenus ab eo spectantur imitandæ, aut imitabiles in agendo tanquam primaria, & æterna exemplaria rerum omniũ, quæ ab eo fieri possunt: quam sententiam nos superiorib. libris secuti sumus, quod sit non modo rationi, sed etiam Patrum doctrinæ, & præcipuis Scholasticorum placitis magis consentanea.

Probatur rationib.

Primum, quia primaria artificum exemplaria, ex quibus ad diuina cõscendimus, non sunt illa, quæ ipsi extrinsecus sibi proponunt imitanda, aut res ipsæ faciendæ: sed rationes

ex

ex; siue conceptus rerum faciendarum, quas sibi in mente formant. Quandoquidem externa, & vulgata exemplaria ab internis pendent, & illorum imitatione fiunt: res autem ipsæ faciendæ exemplaria sui ipsarum esse non possunt, quemadmodum nec sui ipsarum causæ, vt supra ostensum est; etiamsi Deus infunderet artifici notitiã illius singularis artefacti, quod producturus est. Vnde Aristoteles, & cæteri Philosophi non vocant ideas artificum ipsa exemplaria externa, quę nõ sunt ad agendũ necessaria, tametsi iuuãt ad formanda, aut retinenda interna; nec res ipsas materiales, quas facturi sunt; sed earum conceptus immateriales, quos in mente formãt: appellantq; eos domũ sine materia, statuam sine materia, & sanitatem sine materia, &c. D. etiã Thomas, cuius & in Philosophia, & in Theologia præcipua est auctoritas, 1. p. q. 15. art. 1 & vbicunq; de ideis loquitur, vt ex primariis artificum exemplarib⁹ diuina colligat, sic ait, ideam domus esse similitudinem domus præexistentem in mente artificis, cui artifex intendit assimilare domum, quã facit. Intelligit autem ibi, & vbiq; nomine similitudinis, non similitudinem impressam, quæ est species intelligibilis, sed expressam, quæ est cõceptus, & ratio formalis domus faciendæ, vt apud illum luce clarius est.

Domus sine materia, statua sine materia, &c. idea.

Deinde, quia proprium est ideæ esse quid primo expressiuum, & declaratiuum rei faciendæ: hoc enim conuenit primario cuique exemplari, si ad eius imitationem tanquam primariæ causæ formalis ipsum agens se componat necesse est: cum igitur in Deo nihil sit, cui prius conueniat esse expressiuum, & declaratiuum rei faciendæ, quam ratio eius formalis, quam diuinus intellectus nostro considerandi more format, vt apertum est, non dubium, quin ipsa sit idea. In essentia enim diuina, quatenus antecedit formalem rerum omnium conceptum, nulla est expressio, & declaratio, vt constat.

Tertio, quia de ratione ideæ est distinctio eius ab alia cum ideæ sint circumscripta quædam, & limitata rerũ exemplaria: (*propterea enim nihil incircumscriptum simpliciter, & illimitatum, quatenus tale est, potest esse idea, quia nulla res incircumscripta, & illimitata fieri à Deo potest*) atqui prima distinctio in Deo, quo ad ea, quæ omnibus diuinis personis sunt communia, ad rationes formales diuini intellectus, non ad obiectiuas pertinet. Si quam enim distinctionem actualem rerum factibilium in ipsa diuina essentia cogitamus, ea ex distinctione formalium rationum quasi nascitur.

Cur nihil illimitatum sit idea.

Postremo, quia relatio ideati ad ideam in

A diuina mente existentem, nihil aliud videtur esse, quam relatio veri dependentis, & limitati: relatio autem huius veri est quædam relatio conformitatis, quæ terminatur ad conceptum formalẽ, quem Deus de se, & de aliis omnibus rebus habet, vt ostendimus libro 4. non quidem quatenus per illum suam essentiam percipit; (*sic enim vt nullum ens aliud ei conformari potest, ita nec simile fieri, nisi similitudine quadam infinite deficiente, quæ ideato, vt tale est, non conuenit*) sed quatenus

Relatio ideati & veri dependentis, ead.

c. 2. q. 6. sect. 12.

B propria, & peculiari ratione vnamquamque rem factibilem concipit; quo pacto propria veritas equi est relatio conformitatis illius ad suam rationem formalem, quæ continẽtur in diuino conceptu, quo Deus se, & omnia factibilia concipit; & propria veritas leonis eodem modo ad rationem formalem leonis, & sic de cæteris. Nam & veritas primi, & independentis veri in conformitate

C etiam ad eundem formalem conceptum cõtinentem rerum omnium peculiares rationes formales posita est necessario, vt eodem loco diximus.

Hanc vero esse Patrum communem sententiam ex eo primum patet, quia vbicunq; scriptura sacra significat omnia esse facta in Verbo Dei, seu per verbum Dei, omnes intelligunt facta esse in illo, seu per illud, tanquam per commune omnium exemplar,

In hanc sententiam exponi à Patribus multa loca sacræ scripturæ.

D continens in se omnium factibiliũ proprias, & peculiares rationes à diuino intellectu quasi formatas, & productas cum ipso diuino Verbo. Id quod non sic dictum esse intelligendum est, (*vt nonnulli perperã intelligunt*) quasi in solo Verbo diuino, nõ item in Patre, & Spiritu sancto dicantur esse omnium rerum factibilium rationes; sed appropriate, & attributiue. Nam quia ideæ in Deo sunt rationes formales rerum factibilium per a-

Quo sensu in diuino Verbo dicantur esse rationes rerum factib.

E ctum intellectus diuini omnia distinguentis quasi formatæ, inde fit, vt verbo diuino appropriate attribuatur, quod sit commune exemplar omnium factibilium: procedit enim à Patre per modum expressæ similitudinis paternæ: quo etiam pacto diffusio charitatis in corda nostra attribuitur Spiritui sancto, quia Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio per modum amoris: cum alioqui omnes personæ diuinæ ratione communis

F conceptus formalis omnium rerum sint vnum, & idem commune exemplar omnium factibilium, & ratione communis amoris diffundatur in corda nostra diuinum charitatis donum. Ex his locis ille insignis est, in quo initio Genesis dicitur, *In principio creauit Deus cœlũ, & terrã.* † Quicunq; enim nomine principii, seu in sensu historico, seu figurato,

† In his est Orig. hom. 1. in Genes. Basil. & Ambr. in Hexam. ad eum locum Rupert. & Hugo Victor. fauet etiã Hieron. in quæstionib. super Genes. & in Psal. 109.

*Vt Bas. hom. 9. Genes. Amb. lib 6. Hexam. c. 7. Orig. hom. 1. D. Bernard. in Meditat c. 1. & in Cant. serm. 80 † Am. 3. de fide c. 3. Tertul. cōtra Hermog. Clem. Alex. lib. 1. Pedag. c. 6. Atha. ad Tib. Papam Cypr. lib. 2. contra Iudæos c. 3. Cyrill. lib 1. in Ioan. c. 6. Nazianz. orat. de fide Aug. ad eum locum & in q. ad Orosium q. 2. & aliis locis D. Th. 4. contra Gent. c. 13. D. Ansel. in Monol. c. 34. *Lege D. Ans. Petrum Lomb. & recentiores ad eundē locum † Lect. 2.*

ratio Verbum diuinum intelligunt, omnes per illud velut expressum, ac productum rerum omnium exemplar, cœlum, & terram creatam esse dicunt. Id quod etiam in expositione eius loci, in quo Adamus ad imaginem, & similitudinem Dei factus esse dicitur,* plurimi declarant. Idem colligunt plurimi † Patrum ex initio Euangelii Ioannis. Cum enim dixisset. *Omnia per Verbum facta esse, & sine ipso factum esse nihil* (cōior enim lectio hic punctum figit) ideo statim subiecisse dicunt, *Quod factum est, in ipso vita erat*; vt significaret quicquid à Deo factum est, id omne, antequam fieret, fuisse ab eo in Verbo ipso vitaliter præconceptum, ac proinde in eo tanquam communi omnium factibilium exemplari ideificatum. Verbum enim mentale apud nos opus maxime vitale esse non dubium est. Denique idem colligunt plerique ex loco illo Pauli ad Hebræos * cap. 11. *Fide intelligimus aptata esse secula Verbo Dei, vt ex inuisibilib. visibilia fierent*: eum enim sensum esse volunt, quasi dicat Apostolus, fide profiteri nos, res omnes dispositas, & præconceptas esse per Verbum Dei ab æterno, vt ex propriis earum rationibus, quæ in eo exprimuntur, & nobis occultæ sunt, fierent ea, quæ facta esse videmus, aut facienda intelligimus. Quo loco † D. Thomas, quem patronum contrariæ sententiæ nonnulli faciunt, plane docet, nomine Verbi Dei intelligi conceptum formalem, non obiectiuum; sic enim ait: *Verbum Dei est ipse conceptus Dei, quo se ipsum, & alia intelligit: Deus autem comparatur ad creaturam, sicut opifex ad opus suum: videmus autem, quod artifex facit domum in materia ad similitudinem domus, quam formauit in mente.* Non dixit esse conceptum, quem Deus intelligit, sed quo intelligit: nec domū quam artifex menti suæ proposuit, sed quā in mente lectione sua formauit: vt intelligeremus conceptum non obiectiuum, sed formalem: & inferius concludit ex inuisibilibus rationibus idealibus in Verbo DEI, per quod omnia facta sunt, res visibiles esse productas.

Alia pro hac senten. & Patrum & Philos. autoritates. De diuinis nominib. c. 5.

Nec solum in exponenda scriptura sacra, sed alias etiam eamdem sententiam in lectione plurimorum Patrum inueniet, qui scripta eorum euoluerit. In quibus est illud Dionysii supra citatum, ideas esse Dei prædefinitiones, & bonas voluntates. Nam prædefinitio intellectus ad formalem conceptum pertinet, non ad obiectiuum: bonas autem voluntates appellat, quod ad participatam communicationem, diffusionemq; sui esse pertineant. Et illud Clementis Alexandrini in 5. Stromatum asserentis, ideam esse Dei intelli-

A gentiam: non distinguit enim, vt alii plurimi, conceptum formalem ab actu intelligendi. Complura etiam huiusmodi sunt apud Augustinum multis in locis, & apud Anselmum in monologio, vbi ideam sæpe appellat verbum, sermonem internum, conceptum, locutionem. Sed & apud externos eadem sententia passim inuenitur, quale est illud, quod Eusebius* Cæsariensis de Philone Iudæo refert, idearum omnium ideam esse Dei Verbum:

B quod nos communem rerum omnium ideam appellauimus, quod in se omnes formales ideas contineat: & illud Plotini † Enneade quarta, cum ideas in commune acceptas vocat rerum imagines in mente existentes.* Quod idem ex aliis longum esset recensere.

*Vt lib. 83. qq. q. 46. lib. 6. de Trinit. c. vltimo. 9. de Ciuit. c. 22. & lib. 11. c. 29. † c. 9. 11. & 28. & aliis locis. * lib. 11. de præpar. Euang. c. 12. † lib. 7. c. 10. consonant, quæ scribit Enn. 5. lib. 9. à cap. 6. *Vide Eugub. lib. 1. de perenni philosoph. à c. 10*

Denique hanc sententiam esse præcipuis Scholasticorum placitis cōsentaneam, ex infirmatione fundamentorum superioris sententiæ intelligetur.

C

Fundamenta opposita sententia non esse firma.

SECTIO V.

VT igitur ostendamus nihil habere firmitatis primum fundamentum oppositæ sententiæ, quod ad probandum ideas in Deo

D esse ipsam diuinam essentiam, prout est conceptus obiectiuus, in idearum imitabilitate vim facit: nonnulla ante animaduertenda sunt.

Primum notabile pro euertendo primo opposita senten. fundamento.

Primum est, verbum mentale, conceptum formalem, & rationem formalem idem significare: sed tamen horum vocabulorum vsum non omnino eundem semper esse. Nam etsi hæc tria significant similitudinem expressam rei, quæ intelligitur: tamen non omnia sem-

E per vsurpantur eodem modo apud recentiores Scholasticos. Quanquam enim in diuinis omnia ab antiquioribus eorum promiscue applicabantur essentialibus, & personalibus, (*nam & Verbum dicebatur essentialiter, & personaliter: essentialiter quidem, quatenus est similitudo diuinæ essentiæ, ac creaturarum non realiter, sed nostro intelligendi modo expressa, quo pacto omnes diuinæ personæ per se loquuntur: personaliter autem quatenus est expressa*

F *realiter, quo pacto solus Pater per se loquitur, cæteræ autem personæ per Patrem*) tamen hodie in schola non bene audiret, qui nomine Verbi in essentialibus vteretur, eo quod ex consideratiori vsu, magisque conformi scripturæ sacræ, personale esse iudicetur, si proprie loquendum est, & expressionem realem productionemque significet. Vnde D. Th.

An in diuinis vsurpari debeat Verbum essentialiter.

cum

*† in 1. d. 27. q. 2. ar. 2. * q. 4. a. 2. † vt 1. p. q. 34. a. 1. & 1. 2. q. 93. a. 1. ad 2.*

cum in iis, quæ scripserat in sententias † Magistri, & in quæstionibus de * Veritate illud in essentiale, & personale distinxisset; in † partibus tamen, quas velit vltimum testamentum reliquit, personale, non essentiale esse ostendit, quandocunque proprie vsurparetur; idque, quia in nobis verbum semper realiter exprimitur, & producitur distinctum re ab intellectu. At in conceptu formali, & formali ratione alius est vsus; æque enim vsurpatur in essentialibus, atque in iis, quę proprie de persona Filii dicuntur: omnes enim personæ diuinæ proprie dicuntur concipere & naturam diuinam, & creaturas omnes eminenter in ea contentas, rationemque formalem omnium formare, quod satis ad id sit, si vel nostro intelligendi modo ea exprimantur. Est tamen inter conceptum formalem, & rationem formalē hoc discrimen, quod etsi non dicimus esse in diuinis plures conceptus formales, sed vnū tantum (*vt monuimus lib. 4.*) tamen dicere possumus, esse plures rationes formales, ob eam causam, quę inferius tradetur.

Conceptus formalis, & form. ratio, quo pacto sumantur in diuinis.

a. 2. q. 6. sect. 1.

Ad 1. huius fundamenti probation.

Hinc ad primum argumentum, quo suadebatur, rationem ideæ non conuenire conceptui formali, respondendum est, etsi Verbum in diuinis (*si proprie loquamur*) non est essentiale, sed personale: tamen conceptum vtroque modo vsurpari, idemque esse essentialiter acceptum, atque verbum improprie dictum: sicque cum vtrūque idem sit, vtrumque etiam cadere sub imitationem creaturarum omnium.

Secundū notab. Magna opinionum varietas de distinct. verbi mētalis ab actu intelligendi: qua de re vide q. seq.

Secundo loco animaduertendum est, maximam esse inter Theologos controuersiam de distinctione verbi mentalis ab actu intelligendi apud nos, vt ex ea vtcunque percipiatur, qualis illa sit in Deo. Alii enim in nobis eam faciunt realem, vt rei à re; alii formalem vt rei eiusdem à se ipsa secundum aliam, & aliam entitatem; alii nullam. Et alii quidem sentiunt, verbum esse posterius origine ipso intelligendi actu, tanquam, ab eo ortum: alii è contrario, esse prius, vt nimirum prius formetur verbum, quam intelligamus. Deinde alii dicunt verbum esse id, quod proxime intelligimus, tanquam terminum, & obiectum intrinsecū: alii non esse id, quod intelligimus, sed quo intelligimus; alii nec quod intelligimus, nec quo intelligimus: sed quo interius nobiscum quasi loquimur. Alii denique, esse necessarium in omni actu intelligendi: alii in solo eo, quo abstractiue aliquid intelligimus: alii in intuitiua etiam cognitione: quorum alii in omni intuitiua notitia formari verbū existimant; alii eam excipiunt, qua beati Deum vident. Cum igitur in hac re tanta sit opinionum varietas, vt ex iis, qui accuratius hæc tractant, vix duos notæ autoritatis inuenire liceat, qui eadē via ingrediantur: nec fieri possit, vt ex sectatorib. D. Th. quem vbiq; suspicimus, aliquid ad liquidum resoluatur, quod inter eos omnes conueniat, præsertim cum ipse D. Thomas in hac materia variis locis secū pugnare videatur; non erit, cur nobis quisquam vitio vertat, si quam probabilissima ex omnibus, quæ in schola dicuntur, sibiq; ipsis maxime consentanea, & iis, quæ alibi docuimus, seligamus.

Quid sit verbū in nobis.

Dicimus ergo in primis, verbum in nobis esse similitudinem rei, quæ intelligitur, expressam, productam ve ab intellectu, & ab specie intelligibili, quæ vocatur species impressa, & ab vtroque realiter distinctam. Atq; in hoc pronuntiato omnes, quicunq; species intelligibiles impressas, & expressas agnoscūt, sine controuersia conueniunt. Dicimus deinde, intelligere apud nos nihil esse aliud, quam verbum, siue conceptum in intellectu ab ipso intellectu productum recipi; hac enim ratione intellectus noster intelligit, quia à se ipso specie intelligibili informato recipit expressam similitudinem rei, quam intelligit. Nam si fieri posset, vt expressam similitudinem produceret, nec tamen eam reciperet, diceret quidem, seu loqueretur interius: (*quo pacto productio verborum vocalium, quæ in aere formantur, loquutio est, & dictio*) sed per eam non intelligeret; quod si eam reciperet, nec tamen produceret, (*vt si Deus illam produceret in intellectu nostro, non concurrente ipso intellectu ad eius productionem*) ne hoc quidem modo per eam intelligeret. At quia à se ipso eam in se recipit, ideo dicitur intelligere. Atque hac de causa ait Aristoteles 3. de anim. intelligere esse quoddam pati; quod ita exponendum, ac distinguendū est, vt intelligere habitualiter, seu per speciē impressam, sit pati ab obiecto; intelligere autem actualiter, seu per speciem expressam, sit pati à se ipso, specie impressa iam informato. Eadem de causa dixit Aristoteles 1. Poster. eum syllogismum scientiam efficere, quo scimus eum ipsum habendo. Vnde patet actum intelligendi esse naturæ ordine posteriorem productione verbi, quemadmodū passio est actione posterior. Verum hæc inferius magis explicabuntur.

Quid intelligere.

c. 4. tex. cōmentatoris. 2. & 3.

c. 2. tex. 5. Actus intelligendi natura ordine posterior productione verbi.

Ad 2. probationem.

Ex dictis respondetur facile ad secundum argumentum. Si enim loquamur non de verbo proprie, sed de conceptu formali, negandum est actum intelligendi esse illo priorem, siue in Deo, siue in nobis. Nam etsi conceptus in Deo essentialiter consideratus præcedit productionem verbi proprie dicti quemadmodum

Quo se ordine præcedent in Diuinis con-

ceptus formal. actus intelligẽdi & verbum.

† 1.p.q.34.a.1. & de Potent. q. 8.a.1.& de verit.q.4.a.2.& alib sæpe.

modum & cætera essentialia præcedunt personalia: (*quo pacto verum est, quod † D. Th. non raro docet, productionem diuini Verbi nostro intelligendi modo supponere actum intelligendi*) tamen actus intelligẽdi non præcedit ipsum conceptum formalem communẽ tribus diuinis personis. Prius enim nostro considerandi more producitur conceptus diuinæ essentiæ, & omnium, quæ in ea relucent, quam actus intelligendi sit completus; non tamen prius producitur verbum proprie dictum, cum per actum intelligendi, vt in Patre est, producatur. At in nobis nullo modo actus intelligendi præcedit verbum productum sed potius verbum productum præcedit actum intelligendi complerũ, seu (quod idem est) actus intelligendi complementum.

Nihil est proxima factibile à Deo ante conceptum formal.

Quo fit, vt negandum sit, aliquid esse factibile à Deo potentia proxima ante essentialem conceptum formalem nostro intelligendi more productum; licet potentia remota omnia ab eo sint factibilia per ipsam diuinã essentiam, vt more intelligendi nostro antecedit eiusmodi conceptum. Quo etiam pacto in nobis ante productionẽ verbi res sunt factibiles potentia remota, per intellectum informatum speciebus intelligibilibus, quæ non habẽt rationem exemplarium, sed principiorum agendi remotorum. Sola enim verba mentalia sunt principia proxima, non solum exemplaria, sed etiam effectiua in iis, quæ fiunt per intellectum.

Ad tertiã prob. Quo pacto artif. ideas seu conceptus formal. imitetur, & supra bos reflectant.

Ad tertium respondendum est, omnes artifices in agendo imitari conceptus formales earum rerum, quæ faciendæ sunt; non tamen in esse reali ipsorum conceptuum, sed in intentionali; nempe quatenus rerum ipsarum vicem subeunt, & pro iis accipiuntur. Vt autem illos sic imitentur, non est necesse, vt reflectantur supra ipsos conceptus ad intuendas eorum entitates, sed ad videndum, quo pacto res iuxta eorum præscriptum faciendæ sint. Vnde fit, vt Aristoteles ipsam cognitionem rei repræsentatæ vocare soleat cognitionem imaginis repræsentantis, non vt imago res est, sed vt imago est veluti cum ait in tertio lib. de anima, Impossibile esse intelligentem phantasmata non speculari, hoc est, res per phantasmata repræsentatas: ipsa enim phãtasmata, quæ sunt qualitates insensibiles, nemo speculatur cum res alias intelligit, sed rem aliquam illis obiectam.

c.8.tex.39. Vide etiam quæ scribit lib. de Memoria & reminisc.c.2.

Obiectio.

Solutio.

Quod, si quis obiiciat, ergo iam fateri nos, ideas esse res ipsas conceptas, nõ ipsos earũ formales conceptus, si exẽplaria cognosci non possunt, vt exemplaria sunt, nisi cognitis rebus, quæ per ea repræsentantur; neganda est consequentia; siquidẽ vnum etiam relatiuum cognosci non potest, nisi cognito eius correlatiuo, & tamen cognitio vnius non est cognitio alterius.

Secũdum fund. euertitur.

Deus omnia cognoscit in suo cõceptu formali cognito.

Quod etiam secundum fundamentum oppositæ sententiæ firmitatem non habeat, ex eo patet, quia conceptus formalis, cum sit similitudo expressa ideati, est vere, ac proprie principium illius cognoscendi. Vere enim, & proprie cognoscitur res per suam expressam similitudinem, etiamsi similitudo ipsa in se, seu vt res quædam est, non cognoscatur. Adde, quod, quemadmodum Deus in essentia sua vt cõceptu obiectiuo cognito cognoscit omnia à se factibilia, ita illa cognoscit in conceptu suo formali à se cognito; nisi quod rerum factibilium cognitio in conceptu formali cognito propinquior in Deo est ad opus nostro intelligendi more, quam cognitio in essentia, siue conceptu obiectiuo cognito.

Tertium diluitur.

Tertium denique fundamentum eodem modo, proportione seruata, infirmum ostẽditur, quia essentia diuina, antequam nostro intelligendi more conceptus formalis eliciatur, etsi est principium operandi, non est tamen nostro cogitandi modo proximum, sed remotum.

Quid, & quotuplex sit idea, & quarum etiam rerum ideæ sint.

SECTIO VI.

Ex iis, quæ dicta sunt, distinctius intelligi potest, quid & quotuplex sit idea, & quo pacto ideæ inter se distinguantur.

Non idem sunt idea, & exempl.

Quod ad primum attinet, idea non idem omnino est, quod exemplar; nam etsi omnis idea est exemplar, non tamen omne exemplar est idea: formæ enim agentium naturalium sunt exemplaria, quæ illa exprimere conantur in suis effectis, nec tamen sunt ideæ; quia ideæ sunt exemplaria imitabilia per intellectum, non per naturam. Externæ etiam formæ, quas sibi opifices ante oculos proponunt suis actionibus exprimendas in materia, etsi exemplaria sunt, non tamen sunt ideæ, quia ideæ non dicuntur, nisi quæ interiori cognitione percipiuntur. Cum ergo probatum sit ideas non esse res ipsas factibiles à Deo vt eius intellectui obiiciuntur; neque etiam ipsam diuinam essentiam, vt præcedit distinctum, & circumscriptum earum conceptum formalem; nec deniq; eandem essentiam, vt illum sequitur; efficitur, vt nihil aliud sit idea, quam circumscriptus conceptus formalis, seu (quod idem est) peculiaris ratio formalis cuiusque rei factibilis à Deo in mente diuina existẽs.

Descriptio ideæ in Deo.

Vnde August. in lib. 83. quæstionũ, vt tradat

dat distinctionem idearum inter ipsas singularumque circūscriptionem, ait, alia ratione, conditum esse hominem, alia equum, sicque res cæteras; vt autem doceat nomine harum rationum non esse intelligendas rationes obiectiuas, quę sunt in rebus ipsis, sed formales, quæ ab æterno sunt in Deo, & quibus ille distinguit obiectiuas, resque ipsas in tempore producit, ait, ideas esse principales formas, & rationes rerum stabiles, atq; immutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, sed quibus cætera formantur.

Ita Henr. quod lib. 8. q. 1. idemq; insinuat sæpe D. Th. vt 1. p. q. 15. a. 3. †vide D. Th. de verit. q. 3 ar. 3. & de potet. q. 1. ar. 5.

Omnem ideam, vt idea est, esse practicam.

Quod attinet ad secundum distingui solēt ideæ in * speculatiuas, & practicas; † itemq; in ideas actu, & potentia. Speculatiuas appellant eas, quibus Deus cognoscit res omnes factibiles, quas non fecit vnquam, nec faciet: practicas autem, quibus nouit sola ea, quæ facta, aut facienda sunt. Sed cum idea ex ratione sua sit forma imitabilis ab agente per intellectum, atq; adeo causa formalis extrinseca rei, quæ fit, aut fieri potest: potius dicendum videtur, omnem ideam, vt idea est, esse practicam, quia est de re factibili, vt factibilis est: modum autem faciendi, qui ad praxim necessarius est, à scientia practica ex ipsis rationibus formalibus rerum factibilium colligi. Nam rationes formales eorum, quæ factibilia non sunt, vt Dei Opt. Max. & diuinarum personarum, itemque impossibiliū, non ideæ, sed rationes tantum dicendæ sunt. Quod si idea sumatur, nō vt idea, siue exemplar est, sed vt ratio rei repræsentatæ absolute sumpta, (*qua consideratio communis est rationibus factibilium, & non factibilium*) tunc potest distingui in speculatiuam, & practicam; erit enim speculatiua, si sumatur vt ratio rei repræsentatæ absolute sumpta: practica vero, si sumatur vt imitabilis, qua sola consideratione est idea, & ad scientiam practicam pertinet, quæ scientia ex ea sic considerata accipit modum, quo res imitatione illius sit facienda. Distinctio autem idearum in ideas actu, & potentia, non dissimilis est distinctioni efficientium causarū in efficientes actu, & potentia, seu virtute; vt vtraque sint causæ actu, cum effecta causantur, potentia vero, cum nondum causantur, causari tamen possunt; quo pacto Deus ex æternitate fuit potentia, seu potius virtute causa efficiens, & exemplaris in tempore autem cœpit esse causa vtriusq; generis; quod idē in cęteris duobus causandi generibus, quo pacto Deo conueniunt, intelligendum est.

Quomodo sumpta distingui possit in practic. & speculatiu.

Distinctio alia in ideas actu, & potent.

Quod ad tertium attinet, si ideæ sumātur pro rationibus rerum in mente diuina existentib. quæ aliquando sunt actū causæ exēplares, perspicuum est, non omnium rerum factibilium esse ideas in Deo; infinita enim sunt, quæ fieri à Deo possunt, nec tamen vnquam fient. Si vero sumantur pro iis rationib. quibus Deus vti potest tanquā exemplarib. siue eis vnquam vsurus sit, siue nunquam, hic iam dubitatio proposita locum habet, Num omnium, quæ quoquomodo fieri possunt, peculiares ideæ sint in Deo, an quorumdam tantum?

An omnium factibil. sint in Deo peculiares ideæ.

Ac esse omnium omnino ea ratione constare videtur, quia, quicqd modo aliquo fieri potest ab agente per intellectum, peculiarem rationem in eo habeat necesse est, cuius imitatione suo modo fiat; nihil enim agens per intellectum facere nititur, quod mente non conceperit.

Contra vero, non omnium rerū quocunq; modo factibiliū esse peculiares ideas in Deo, ea ratione probatur, quia vt faber vno tantū conceptu vnius ædificii totum ædificium, eiusq; partes fabricat: ita Deus vna tantum totius huius mundi idea, & totum ipsum, & omnes eius partes videtur condidisse.

Solum habent in Deo ideas res, quæ sunt vere factibil. Non negationes, entia ration. & puri modi.

Ad hanc dubitationem illud imprimis dicendum est, ea sola, quę vere, seu re ipsa fiunt, aut fieri possunt, habere in Deo ideas: vbi enim effectus non est verus, & realis, nec vera, & realis causa ponenda est, cuiusmodi est quælibet idea. Vnde patet, nec negationum, nec entium rationis esse in Deo ideas: sed hęc cognosci à Deo, atque etiam suo modo fieri per ideas aliorum: negationes quidem per ideas eorū, quæ negantur, & entia rationis per ideas eorum, in quibus illa fundātur. Ex qua assertione constat, nec puros essendi, aut se habendi modos habere in Deo ideas, cum nullam entitatem habeant; id enim, quod nullo modo est ens, nec vera causa, nec verus effectus esse potest.

Deinde dicendū, vt totum aliquid fiat ab agente per intellectum, necessarias esse ideas eius partium, si modo & ipsæ ab eodē agente fieri debent. Ratio perspicua est, quia quicquid re vera fit per intellectū, ratione aliqua, siue conceptu fiat necesse est: alioqui iam non intellectu, sed temere fieret. Vnde patet, ideam totius mūdi, quia est quoddam cōpositum per accidens, (*tametsi per se ordinatum*) constare ex ideis omnium eius partium. Alia ratio est in agentibus creatis, quæ vt semper supponunt partem aliquam in composito faciendo, quam ipsa non fecerint: (*veluti cæmentarius lapides, & lutum figulus, & omnino materiam primam*) ita ideam, seu mentale exemplar eius partis facienda in mente non habent: tametsi habent eius rationem, siue conceptum pure speculatiuum, quia nō coniunctum cum arte, qua illam efficiant.

Connexiones nō habent proprias ideas.

Tertio, nec necessarias connexiones, neque etiam contingentes verorum entium habere proprias ideas. Id quod ex eo patet, quia necessariæ connexiones etsi possunt habere causam demonstratiuam, si sunt mediatæ, (*habent enim medium, per quod à priori demonstrari possint*) non habent tamen causam efficientem, vt ostendimus lib. 5. ac proinde nec exemplarem, vllamve aliam. Contingentes vero, etsi habent causam efficientem eorum, quæ connectuntur, non habent tamen sui ipsarum, ac proinde neq; ideam sibi propriam; sed vtræque intelliguntur per ideas eorum, quæ connectuntur; & contingentes hoc peculiare habent, vt fiant per ideas eorum, quorum alterum de altero contingenter dicitur, veluti homo albus per ideas hominis, & albi.

An accidentia habeant peculiares ideas. 1. p. q. 15. a. 3.

Quarto loco dubitatio esse potest de ideis accidentium. D. enim Thomas ait, accidentia, quæ per se conueniunt substantiis, non habere alias ideas ab ideis substantiarum, quibus sic conueniunt; accidētia autem, quæ conueniunt per accidens, suas habere peculiares. Altera vero ex parte nulla videtur esse ratio, cur non omnia accidentia habeant suas peculiares ideas, cum omnia sint entia realia, & reale esse accipere possint. Cui dubitationi occurrendum est, D. Thomam non loqui de ideis accidentium, quatenus illa sunt in suis quæque generibus; sic enim non dubium est, quin omnia peculiares ideas habeant distinctas & inter se, & ab ideis substantiarum; sed quatenus eisdem actionibus fiunt, aut diuersis ab actionibus, quibus fiunt substantiæ subiectæ. Hoc enim pacto cum accidentia per se eisdem generationibus gignūtur, quibus eorum subiecta, accidentia vero per accidens non item; merito fit, vt accidentia per se dicantur non habere alias ideas ab ideis subiectorum, accidentia vero per accidens suas habere peculiares. Nam ideæ cum exemplaria sint, ac proinde, vt tales sunt, habeant ordinem ad actionem, non ab re earum identitas, & diuersitas ex identitate, aut diuersitate actionum desumi potest. Verum hæc posterior consideratio minus præcipua est. Eo enim modo, quo accidentia proprias, & peculiares quiditates habent, proprias etiā, ac peculiares ideas habeāt, necesse est; etiam si eadem actione fiant, qua fiunt eorum subiecta; satisque est, si intendi possint ab agentibus, etiamsi secundaria intentione intendantur, vt in generatione substantiarum intenduntur earum proprietates. Alioqui satius esset dicere, nulla accidentia siue per se, siue per accidens, habere proprias ideas simpliciter, sed secūdum quid; quemadmodum non habent quiditatem, & definitionem simpliciter, sed secundum quid, vt Aristoteles fuse probauit in hoc libro cap. 5. & 6.

Resolutio.

1. p. q. 15. a. 3. & de verit. q. 3. ar. 5. Quid sentiendum de idea materia prima.

Quinto loco, vt de materia prima loquamur, D. etiam Thomas docet illam non habere ideam aliam ab idea formæ substantialis, per quam intelligitur; quod crediderim esse intelligendum de materia, quatenus ad certam speciem prædicamenti substantiæ spectat. Materia enim prima non solum non ponitur per se in prædicamento substantiæ, quemadmodum nec substantialis forma; sed etiam non determinat sibi certam speciem eius prædicamenti, nisi ratione formæ: at forma non solum determinat sibi certā speciem prædicamentalem, ad quam reducitur, sed etiam eam per se dat composito eiusmodi speciei, vt constat. Alioqui non est, cur materia non habeat propriam ideam, cum realem quiditatem peculiarem habeat, realemque existentiam sibi propriam, & peculiari actione facta sit diuersa ab iis formis, quæ per generationes substantiales esse incipiunt. Nec refert, quod materia per ideam totius compositi intelligitur, & fit huius, vel illius speciei substantiæ prædicamentalis. Nam præter ideam totius compositi per se, dandæ sunt ideæ eius partium, vt dictum est.

Quid de ideis generum, specierū & indiuiduorū.

Postremo, vt de ideis eorum generū, specierum, & indiuiduorum, quæ in prædicamentis ponuntur, intelligatur, quid dicendum sit, num videlicet omnium sint ponendæ ideæ, an specierum tantum, an solum indiuiduorum; illud dicendum videtur, nō satis hîc esse identitatem, & diuersitatem earum expendere ex identitate, & diuersitate actionum, quibus ideata fiunt. Sic enim cum eadem actione fiant naturæ specificæ, ac genericæ omnes, quibus fiunt indiuidua; sola indiuidua habebunt ideas sibi peculiares, quod tamen absurdum videtur. Tolluntur enim hoc pacto de medio ideæ specierum, quæ tamen solæ ponuntur à Platone, neque eas reiicit Aristoteles, sed modum tantum, quo ponuntur; Patres autem, ac Scholastici fere omnes, has vt magis proprie dictas, præcipue probant. quod multis in locis apud * Augustinum, & † D. Thomam videre licet: placet enim omnibus, nisi vnum, aut alterum excipias, vt illæ magis sibi idearum rationem vendicent, quæ magis sibi vendicant exemplariū rationē: huiusmodi autem esse ideas specierū non dubiū est, cū á pluribus exēplatis, seu potius exēplis participari possint, quemadmodū vnicū exēplar externum á multis exemplis quę illius imitatione fiunt ideæ autem indiuiduorum non sunt exemplaria multorum, sed singulorum singulæ.

Specierum ideas omnes probant. Lege quæ scribit hoc lib. c. 14. & lib. 1. c. 7. a. tex. 25. & notat. eod. lib. D. Th. ad tex. 32. Scot. hoc lib. q. 11. Ant. Andr. q. 10. & alii.

** Maxime epist. 115.*

† Vt 1. p. q. 15. a. 3. & q. 3. de Verit. art. 8. & apertius quodl. 8. q. 1. ar. 2. lege etiam Henr. quodl. 3. q. 5. Heru. in 1. d. 36. q. 1. a. 4. & Scot. in 2. d. 3. q. 1.

Dicen-

Deciditur dub.

Dicendum igitur, etsi spectata ratione causæ exemplaris communiter sumptæ omnium huiusmodi generum, specierum, & indiuiduorum concedendæ sunt in Deo ideæ peculiares; cum ideæ sint omnium huiusmodi rerum propriæ ac peculiares causæ exemplares, seu potius Deus per eas sit causa exẽplaris eorum omnium, quæ in prædicamentis ponuntur: (*parum enim refert, eademne, an diuersa actione hæ res fiant*) tamen considerata causa exẽplari, quatenus in vnoquoq; genere principalem naturæ intentionẽ exequitur, aut exequi potest, merito à Theologis non haberi rationem idearum vllius naturæ genericæ, sed specialium tantum, & indiuiduorum; magis tamen proprie ab eis dici ideas specierum, quam indiuiduorum. Prior pars huius pronuntiati ex eo probatur, quia intentio naturæ in vnoquoq; genere fertur præcipue in species, aut indiuidua, non in genera vlla. Nam in producendis indiuiduis rerum corruptibilium fertur præcipue in species, quia etsi indiuidua perfectiora sunt, tamen non permanent, & eorum generatio ad conseruationem specierum dirigitur, vt ait Aristoteles; in producendis autem indiuiduis incorruptibilium, in illa ipsa præcipue fertur naturæ intentio, quia & perfectissima sunt in suis generibus, & perpetuo permanent. Posterior pars ex eo proxime probata erat, quia exemplar, si proprie loquendũ est, eiusmodi esse debet, vt multorum exemplorum eius imitatione factibilium causa esse possit; quod non cõuenit in ideas indiuiduorum; vt enim vnum indiuiduum in plura eiusdem rationis diuidi non potest, ita nec idea vllius indiuidui propria à pluribus indiuiduis participari. Vnde idea huius mundi, cuius imitatione dicimus fieri à Deo posse plures alios huic similes, non est idea huius singularis mundi, sed mundi secundum speciem, aut quasi speciem.

In producendis corruptib. præcipue intenditur species, in incorruptib. indiuiduum.

Lib. 2. de Gener. capite 10. tex. 59. & 1. Deo nomic. c. 3. & 2. de anima c. 4. tex. 35.

De formali significato ideæ, & diuinarum distinctione inter sese.

SECTIO VII.

Varia senten. de significato.

DE diuinarum idearum distinctione inter sese maior est difficultas propter eam quæstionem, qua quæritur, Quodnam sit formale ideæ significatum, absolutum ne cum relatione simul, an absolutum, solum, an sola relatio. Sunt enim, qui videantur sentire, vtrumque simul rationem ideæ formalem ingredi; cum ipsum absolutum per se satis non sit ad rationem ideæ, ipse, inquam, conceptus diuinus, qui vnicus est, nec nisi relationibus in plures ideas distingui potest; siue nomine cõceptus intelligatur obiectiuus, iuxta quorundam sententiam, siue formalis, vt re vera intelligi debet. Alii, quoniam absolutum cum respectu simul non est vnum aliquid per se, sed aggregatum per accidens, existimant ideam formaliter esse solum absolutum illud, notato simul, siue insinuato respectu, quo à posteriori idea declaratur. Verum, quia absolutum illud vnicum est, ideæ vero sunt plures, dicunt alii ideam significare formaliter solum respectum imitabilitatis, qui multiplex est in Deo, connotare autem, siue insinuare quasi subiectum nostro intelligendi more ipsum diuinum conceptum.

Vt Caiet. ad 1. p. q. 15. a. 2.

Nobis tamen iuxta ea, quæ lib. 5. de causis constituimus, dicendum videtur, ideæ nomẽ nec significare formaliter conceptum diuinum cum relatione simul, nec solum conceptum, nec solam relationem, imitationis nimirum passiuæ; sed fundamentum, seu potius rationem fundandi talis relationis; quemadmodum & nomina cæterarum causarum materialis, formalis informantis, efficientis, & finalis. Ostendimus n. eo loco, nomine causæ, si causa, vt causa est, sumatur, nec significari rem absolutam, quæ denominatur causa, nec relationem causæ ad effectum, sed fundamentum eius relationis, quæ dicitur causalitas, & causandi ratio; ac proinde causæ vocabulum, quia vim habet nominis concreti, non accipi, nisi pro re, quæ est causa, vel causandi principium, quatenus concurrit ad effectum, vel potentia scilicet, vel actu, iuxta distinctionem causarum in causas potentia, vel actu, seu potentes causare, & actu causantes: sic enim omnia, quæ in hac re de causis dicuntur, inter se cohærent. Quia vero causandi ratio non est entitas vlla, ac proinde nec entitas absoluta, nec relatiua, sed purus quidam se habendi modus causæ ad effectum, nempe concursus ad illum; sequitur ideam in Deo nihil esse aliud, quam ipsum diuinum conceptum, quatenus concurrere potest, aut actu cõcurrit ad effectum tanquam imitabilis ab illo, iuxta eandem causarum diuisionem.

Vera resol. c. 28. q. 1. sec. 2. & ad c. 2. cum de causalitatibus agemus. itemque lib. 1. c. 7. q. 1. sec. 3.

Itaq; cõceptus formalis in Deo, quatenus est varie, atque adeo infinite imitabilis à creaturis, habet rationem infinitarum idearum. Imitabilitates autem ipsæ non sunt relationes, sed puri modi se habendi ad creaturas, in quibus se habendi modis infinitæ relationes imitabilitatis fundantur; quæ relationes non sunt reales, sed rationis. Habent autem imitabilitates ipsæ actualem distinctionem inter se ex parte rerum, quæ distincte concipiuntur, & ex parte Dei concipien-

Distinctio idearum in Deo. Imitabilitates in eo quid sint.

cipientis, ab actu directo diuini intellectus distinctissime concipientis omnia factibilia, ideasque eorum quasi formantis; alioqui (*hoc est, ante eum actum*) non dantur in eo imitabilitates actu distinctæ, sed virtute duntaxat. Ideæ autem sic formatæ non intelliguntur, vt tales sunt, nisi actu reflexo, quo Deus considerat, quam varie suus conceptus sit imitabilis à rebus factis, faciendis, & quæ fieri possunt.

Distinct. conceptus diuini in directum & reflexum.

Conceptus enim Dei (*qui imperfecto modo considerandi nostro in directum, & reflexum distinguitur*) quatenus quidem fertur in res conceptas, in ipsam videlicet diuinam essentiam, & in omnia factibilia, quæ eminenter in ea continentur, dicitur directus; quatenus autem fertur in ipsum conceptum, tanquam in rationem formalem ipsius diuinæ essentiæ, & in rationes formales rerum omnium factibilium, quæ in ea formali ratione continentur, dicitur reflexus. Hoc autem pacto cognoscuntur eæ rationes formales vt exemplaria, ad quæ Deus respicit, cum iuxta earum præscriptum aliquid creat, vel alio modo efficit.

ar. 2.
Creatos artifices reflexe cognoscere suas ideas.

Id quod D. Thomas apposita similitudine artificum declarat, cum 1. par. quæst. 15. de ideis agit: *Artifex, inquit, dum intelligit formam domus in materia, dicitur intelligere domum; dum autem intelligit formam domus vt à se speculatam, ex eo quod intelligit se intelligere eam, intelligit ideam, vel rationem domus; Deus autem non solum intelligit multas res per essentiam suam, sed etiam intelligit se intelligere multa per essentiam suam; sed hoc est intelligere plures rationes rerum, vel plures ideas esse in intellectu eius vt intellectas.* Hæc diuus Thomas. In quibus verbis plane vides, actum reflexum intelligendi intellectionem ipsam rerum factibilium, esse apud D. Thomam actũ intelligendi ideas, seu rationes formales, quibus directo conceperat res ipsas factibiles; idque colligi à D. Thoma ex modo, quo nos intelligimus nostras ideas. Nisi quod nos non intelligimus nostras in seipsis, quia sunt immateriales, sed per res obiectas: Deus autem intelligit suas, vt ipsæ in se ipsis sunt, quia sunt ipsa diuina essentia.

Cur simpliciter plures dicantur ideæ diuinæ.
Cum D. Aug. in lib. 83. qq. q. 46. D. Th. 1. p. q. 15. a. 2. Alens. 1. p. q. 23. memb. 4. ar. 1. Bonau. in 1. d. 35. ar. 1. q. 3. & aliis communiter ad eand. dist. & seq. art. a citato.

Sunt tamen hic quædam dubia non prætereunda. Vnum est, qua de causa dicamus, In Deo vnicam esse scientiam, & vnicam sapientiam, nec tamen vnicam ideam, sed plures, & infinitas; præsertim cum eodem modo scientia, vel sapientia, respiciat plura scibilia, quo diuinus conceptus respicit plura factibilia. Qua in dubitatione etsi multi multa dicunt, responsio tamen D. Thomæ est omnium optima: nempe ea, quæ in Deo principium intelligendi significant, vnicum aliquid importare, quia id, quo intelligit, est vnicum, ipsa nimirum diuina essentia; at ea, quæ significant terminum intellectionis, seu ea, quæ intelliguntur tanquam intellecta secundaria esse plura, & infinita: cum ergo scientia, vel sapientia principium intelligendi significet, non terminum; ideæ autem significent, varios intelligẽdi terminos intrinsecos, hoc est, varias rationes formales, in quas Deus respicit, vt ex earum præscripto omnia efficiat; plane sequitur tum scientiam, tum sapientiam dicendam esse vnicam; ideas vero dici debere plures. Lege, quæ diximus de hac re ad caput secundum libri quarti, cum de veritate ageremus.

q. 6. sect. 13.

Duabus rationibus astruitur ideas non distingui per actum direct. diuini intellectus.
Vide Scot. in 4. d. 2. q. 2. Lych. in 1. d. 3. q. 9. & in 2. d. 1. quæst. 1. Heru. de secund. intent. q. 2. a. 3. & alios.

Alterum est, sitne verum id, quod diximus, ideas quasi formari per actum directum diuini intellectus. Duobus enim argumentis id falsum videtur. Vno, quia distinctio idearum ex communi sententia Theologorum fit per relationes rationis ad diuersa ideata, seu factibilia: hoc autem genus relationum non videtur fieri, nisi per actum comparatiuum, vt iidem videntur velle; actus vero comparatiuus semper est reflexus, cum supponat cognitionem comparatorum. Altero, quia in conceptu diuino, qui per actum directum quasi elicitur, nulla omnino est distinctio, aut esse potest, cum sit simplicissimus.

Distinct. idearum diuin. fieri tantum per conceptum viatorum tenent aliqui recent. ad 1. p. D. Thomæ.

Sunt, qui dicant distinctionem idearum non fieri per vllum actum intellectus diuini, siue directum, siue reflexum, sed per actum intellectus nostri, & omnino creati viatorum. Quod probant similitudine ducta ex distinctione attributorum diuinorum. Nam cum Deus, & Beati omnes, quatenus per visionem beatificam diuina cognoscunt, omnia intelligunt, sicuti sunt; attributa autẽ diuina, vt sunt in Deo, non admittant vllam distinctionem, quod perspicuum est, sed sint ipsa simplicissima Dei natura; fieri non potest, vt attributa sic accepta, siue à Deo, siue à Beatis per visionem diuinæ essentiæ distinguantur. At quia intellectus Viatorum illa concipit, non sicuti sunt, sed sicuti participatione quadam reperiuntur in creaturis, velut diuinam sapientiam per conceptum sapientiæ communis creatæ & increatæ, qui analogicus est; nec diuinam sapientiam, vt in Deo est percipit, & eodem modo cætera; iccirco ea vtcunque distinguere potest, quia imperfecte concipit. Eo enim pacto; quo ea sic à nobis concipiuntur, nullum attributum est de ratione formali aliorum, cum omnia finite, & limitate à nobis concipiantur: at in Deo cum omnia sint infinitæ perfectionis intensiue, & extensiue, (*sunt enim formalissime ipsa diuina essentia*) nullum est, quod cætera omnia formaliter non includat. Eodem igitur modo volunt hi rem

bitrem habere in distinctione idearum. Nam, ut illæ sunt in Deo, omnes sunt vnicus ille conceptus, quo Deus se, & alia omnia intelligit, quem constat esse simplicissimum, nullamque eo pacto distinctionem admittere: vt autem à nobis concipiuntur, distinctas habent in Deo rationes, quia concipiuntur à nobis distinctis conceptibus.

Impugnatur hac sententia.

Sed hi non recte sentiunt. Primum, quia ex hac sententia sequitur ideas non esse æternas, vt ponuntur ab omnibus cum Philosophis, tum Theologis, sed temporales: neque enim distincta, vt distincta sunt, possunt esse antiquiora distinguentibus. Quod autem pro responsione afferunt, nempe satis esse, quod distingui possint ab intellectu creato, vt dicantur ab æterno distinctæ, pugnantia continet, vt patet: hoc enim est nondum esse distinctas, & iam esse distinctas. Deinde, quia non recte dicunt, eandem esse rationem in distinctione idearum, atque in distinctione attributorum Nam etsi apte probant attributa, vt sunt in Deo, nullo modo nec ab ipso, nec à Beatis per visionem beatificam distingui posse; tamen ideæ, vt in Deo sunt, non solum à nobis, sed etiam ab ipso distinguuntur, imo vero à nobis imperfectissime, quod vix vllius rei naturæ veram, & sinceram rationem teneamus; à Deo autem perfectissime, quod apud se omnium rerum possibilium formales, sincerasque rationes habeat. Postremo, quia vt Angelicam etiam distinguendi rationem admittamus, si distinctio idearum penderet ex actibus distinguendi intellectus creati, cum illarũ distinctio necessaria sit ad productionem creaturarum omnium, (*alia enim ratione formali productus est homo, alia equus, vt supra ex Augustino dictum est*) penderet vtique Deus in productione omnium rerum à conceptibus intellectuum creandorum, quod ridiculum est.

lib. 83. qq. q. 46.

Attributa solum à nobis distingui; at ideas etiam à Beatis, & à Deo.

Fatemur ergo, neque à Deo posse distingui diuina attributa, vt ipsa in se sunt; neque etiam à Beatis per ipsam diuinæ essentiæ visionem: sed hac ratione tantum ea fuisse ab æterno distincta per intellectum diuinum, quatenus Deus ex æternitate distincte nouit, quibus nos conceptibus, aut Angeli in puris naturalibus considerati, ea distinguere possimus. Et quanquam hæc attributorum cognitio in nobis, & Angelis sic spectatis, confusa, & imperfecta est, nec potest in Deum cadere, tamen cognitio huius cognitionis creatæ de diuinis attributis, quam Deus habet, non est confusa, & imperfecta, sed distincta, & perfecta. Deus enim etsi confusa, & imperfecta cognoscit; non tamen confuse, aut imperfecte illa cognoscit. Aliam tamen rationem esse dicimus in distinctinone idearum. Neque enim Deus ea sola ratione distinxit ab æterno ideas, quatenus nouit, quibus nos conceptibus, aut etiam Angeli, eas distinguamus, sed perfectissima distinctione immediate à se facta per actum directum intelligendi se, & factibilia omnia se quidem, vt obiectum primarium; factibilia vero infinita vt obiecta secundaria: cum vnamquamque rem factibilem distinctissime, hoc est, propria, & peculiari ratione conceperit.

Soluitur prior ratio.
Ideas distingui per imitabilit. quæ sunt relationum fund. q. 4. sect. 2. & 5.

Ad priorem igitur rationem pro parte opposita dicendum, cum Theologi asserunt ideas distingui per relationes rationis nomine huiusmodi relationum comprehendere etiam earum fundamenta, quæ sunt imitabilitates ipsæ infinitæ; imo non deesse, qui has ab illis non distinguant; quod tamen eos non recte facere inferius ostendemus. Siue autem relationes illæ sint eædem cum imitabilitatibus, siue diuersæ, non opus est actu comparatiuo, vt eiusmodi relationes sequantur [illegible] intellectus diuini distincte concipientis omnia; cum ad id satis sit ipsa distincta omnium rerum factibilium conceptio. Namque eodem modo ostendimus lib. 5. non opus esse actu comparatiuo vniuersalium, cũ suis particularibus, vt illa ad se inuicem referantur; sed satis ad id esse actũ directum, quo intellectus concipiat vniuersalia iis conceptibus, quibus illa distinguantur à suis particularibus. Quemadmodum igitur in materia vniuersalium nihil aliud fit per actum comparatiuum, qui semper est reflexus, nisi quod per eum relationes vniuersalium ad particularia, & particularium ad vniuersalia cognoscuntur, & per eum existunt, eo modo, quo (*quod solum est obiectiue*) cum iam per actum directum rebus substratis conuenissent; ita accidit in materia idearum. Nam cum primum Deus actu directo distincte percipit factibilia omnia, quæ sunt eius secundaria obiecta; tum primum eius conceptum, quatenus illa sic percipit, sequuntur infinitæ imitabilitates, illius relationesque rationis, quæ in illis fundantur: per actum vero reflexum, qui nostro intelligendi more posterior est, & comparatiuus idearum ad ideata, hoc tantum fit, vt concipiat Deus rationes ipsas, quibus distincte factibilia intellexit tanquam eorum exemplaria, & vicissim exempla tanquam eorum exemplaria; sicq; obiectiue existant ab æterno in Deo ideæ per distinctas imitabilitates quasi constitutæ, & per relationes etiã ipsas consequentes secundaria ratione distinctæ. Quod ergo à Theologis dici solet, relationes rationis fieri per actum comparatiuũ, intelligendum est (*vt vera sit*

c. 28. q. 10.

Quid ideæ per actum direct. diuini intell. quid per reflexum sortiantur.

An relationes rationis fiant per actum comparatiuum.

ra sit opinio) de relationibus quoad earum esse cognitum, propriamque ipsarum existentiam, non quoad conuenientiam, vt citato loco libri quinti, & libro etiam quarto ostendimus. Id quod D. Thomas in materia idearum satis explicauit loco superius citato, cum dixit actum, quo Deus reflectitur in rationes rerum factibilium, quas conceperat actu directo, esse actum cognoscendi, siue intelligendi ideas, vbi non dixit, *Faciendi*, seu *Constituendi*.

lib. 4. c. 2. q. 7. sect. 9.
1. p. q. 15. ar. 2.

Ad 2. rationem.

Ad alteram rationem distinctione opus est. Conceptus enim Dei, quo distincte omnia directo percipit, etsi est simplicissimus in essendo, & in repraesentando etiam obiectio primario; tamen est infinite multiplex in repraesentandis secundariis, quatenus infinita distincte repraesentat. Non tamen hac de causa dicendum est, esse in Deo infinitos conceptus huiusmodi obiectorum, etiam in repraesentando; siquidem vnitas, & multiplicitas conceptus ex primario obiecto sumendae sunt; sed infinitas rationes formales in secundariis repraesentandis, quas Deum penes se ab aeterno habuisse * D. Thomas, & caeteri Theologi dicunt.

Non dici in Deo esse plures conceptus, vt plures rat. form.
* *D. Th. 1. p. q. 15. ar. 2. & 1. cont. Gent. c. 54. Alens. 1. p. q. 23. memb. 4. ar. 1. Her. quodl. 9. q. 1. Argent. in 1. d. 36. q. vn. ar. 1. & omnes alii secuti August. lib. 83. qq. q. 46. & alios Patres.*

Ex his collige, etsi omnes creaturae fuerunt ab aeterno confuse in Deo, vt in conceptu obiectiuo, *(quanquam infinite perfectius, quam in se ipsis)* tamen, vt in conceptu formali, omnes in eo fuisse expressas, ac distinctas, cum earum rationes formales in eo sic considerato expressae ex aeternitate fuerint. Atque haec fuit praecipua ratio, cur potius in conceptu Dei formali, quam in obiectiuo ideas poneremus. Quod si quis obiiciat, ex distinctione conceptus formalis redundare distinctionem in obiectiuo; occurrendum est, redundare quidem in obiectiuo, quod distinctionis capax est, non in eo, quod distinctionem non admittit; sicque in obiecto secundario diuini intellectus, quod est ens factibile, redundasse omnium factibilium distinctionem ex distinctione formalium rationum, quae erant in conceptu Dei formali, quandoquidem creaturarum distinctio inde ortum habuit, non ex distinctione materiae, aut aliunde, vt Theologi tradunt. Quanquam, etsi distinctio aliqua ex conceptu formali Dei redundasset in primarium eius obiectum, *(quod impossibile erat)* adhuc in eius conceptu formali non obiectiuo ponendae essent ideae, cum prima omnium factibilium distinctio ad ideas eorum pertineat, vt supra diximus.

Praecipuum fundamentum ponendi ideas in conceptionibus formal.
Quando ex conceptu formali redundet distin. in obiectiuo.

Vt D. Th. 1. p. q. 47. ar. 1. & lib. cont. Gent. c. 40. & seq. quodl. 8. q. 1. a. 1. itemq; Alb. in Post praedic. c. 9.

Tertium dubium esse poterat, quonam pacto Deus, cum per ideas, quas ab aeterno apud se habuit, fuisset causa exemplaris rerum in potentia duntaxat, coeperit esse causa earum in actu sine vlla sui mutatione. Verum, quia dubitatio haec in caeteris etiam causandi generibus, quae Deo ex tempore tribuuntur, locum habet; commodius post sequentem disputationem sub generali causarum titulo expedietur.

Num verbum mentale in nobis per actum intelligendi producatur?

QVAESTIO III.

Tres hac de re opiniones, & refutatio prima ac secunda.

SECTIO I.

NVNC, vt melius intelligatur id, quod paucis in superiori quaestione diximus, mentale verbum in nobis non produci per actum intelligẽdi completum, sed potius modo aliquo illius complementum praecedere; discutiendum id est paulo fusius: sunt enim hac in re tres praecipuae, nec parum discrepantes sententiae.

Prima est, verbum in nobis produci per actum intelligendi realiter à se distinctum, nec quouis modo realiter, *(multi enim realem distinctionem pro distinctione etiam ex natura rei accipiunt)* sed vt rem vnam ab alia re; quam sententiam tribuunt * D Thom. non modo multi eius doctrinae sectatores, sed etiam alii complures. Praecipuum argumentum huius sententiae defensorum est huiusmodi. Principium formale productiuum alicuius rei in creaturis est ab ea distinctum tanquam res à re; actus intelligendi, siue intellectio est in nobis tale productiuum principium verbi; est igitur distincta à verbo tanquam res à re. Maior propositio ex eo ostendi solet, quia per se notum est, producens esse rem aliam à producto, cum productio est vera, & proprie dicta; alioqui eadem res sui ipsius esset productiua: atqui principium formale productiuum est id, quo producens producit; quo pacto forma ignis est id, quo ignis principaliter producit ignem; & calor est id, quo instrumẽtaliter: non minus autem distinguitur realiter in rebus creatis principium formale productiuum ab eo, quod producitur, quam ipsum producens, vt inductione patet. Minor autem ea ratione probatur, quia quicquid fit verbum, nemo dubitat illud ab intellectu nostro produci, ac formari; neque aliud est quicquam, quo videatur produci, seu formari posse, quam intellectio.

Prima sententia. Ita Cai. ad 1. p. q. 27. ar. 1. Hispal. in 1. d. 27. notab. 4. Ferr. 1. cont. Gent. c. 53. Capr. in 1. d. 27. q. 2. Torr. 1. p. q. 27. ar. 1. disp. 4.

Secunda

Secunda sententia. Hi referunt pro se victoriam ac Sotum.

Secunda sententia est quorundam recentiorum Thomistarum, qui dicunt verbum in nobis produci per actum intelligendi non realiter distinctum à se tanquam rem vnam ab alia re, sed ratione ratiocinata; seu ex natura rei: quam distinctionem volunt D. Thomam vocasse in hac materia realem, quia non pendet ex sola operatione intellectus. Differt autem hæc opinio à superiori non solum in eo, quod superior ponit distinctionem realem, vt rei à re inter verbum, & intellectionem, hæc autem solam distinctionem ex natura rei: sed etiam in eo, quod superior ait, intellectionem esse principium productiuum verbi; hæc autem non esse principium eius productiuum, sed ipsam eius productionem, quam vult esse entitatem pertinentem ad prædicamentum actionis, sicut verbum est entitas pertinens ad prædicamentum qualitatis, licet vtraque entitas sit vna, & eadem res.

In quo differat à superiore.

Rationes pro hac sententia.

Probatur ergo ab eis primum hæc sententia hac ratione. Actio non distinguitur realiter à forma, quæ aut in subiecto, aut per se producitur; intellectio est actio, qua verbum producitur in intellectu, vt in subiecto; non igitur distinguitur à verbo, tanquam res à re, sed tantum ex natura rei. Maiorem, quoad identitatem, seu non diuersitatẽ realem, non solum inductiue ostendunt in actione, qua introducitur calor, & in aliis naturalibus ex tertio Physicorum, & in creatione substantiarum separatarum; sed etiam ea ratione probãt, quia vbi satis est distinctio ex natura rei, non est, cur alia maior quæratur. Minorem ex eo ostendunt, quia actio, qua verbum producitur, debet esse immanens; nulla autem alia esse potest, nisi intellectio. Et confirmatur, quia intelligere nihil aliud est, quam mente dicere, seu formare verbum internum; verbi autem formatio idem omnino est, atq; actio, qua verbum formatur.

cap. 3.

Alterum argumentum est, quia verbum, & intellectio habent aliquem ordinem inter se, vt alterum sit origine prius altero: cum ergo dici non possit verbum esse prius productum, quã intellectus intelligat, (*alioqui non intelligeret, quæ interius secum quasi loqueretur, quod dici non potest*) efficitur, vt prius intelligat, quam verbum sit productum, tametsi non prius tempore, sed solo naturæ ordine, quem habet actio ad id quod per eam fit.

Tertium est, quia potentiæ prius natura terminantur ad actus, quam ad obiecta: (*distinguuntur enim ipsæ per actus, quemadmodum actus per obiecta, vt patet ex 2. de Anima*) cum ergo verbum ponatur vt internum obiectum intellectus; intellectio autem sit actus, quo intellectus circa illud versatur; efficitur, vt prius natura intellectus vnamquamque rem intelligat, quam de ea formet verbum; sicque per intellectionem illud producat.

c. 4. tex. 33.

Postremum est, quia in diuinis non prius cõsideratione nostra Pater producit verbum, quam intelligat; sed è contrario prius intelligit, quam verbum producat, atque adeo per ipsum intelligendi actum.

Tertia sententia est, verbum in nobis nec realiter, vt rem à re, nec ex natura rei, tanquã entitatem vnam ab alia entitate, distingui ab actu intelligendi, sed tanquam vnam, & eandem qualitatem prius natura expressam, & elicitam ab intellectu, quam ipsa sit in eodem intellectu recepta. Quam sentẽtiam, vt multo probabiliorem superioribus sentẽtiis paulo ante secuti sumus; potestq; probari & duarum præcedentium impugnatione, & propria ipsius confirmatione.

Tertia, eaque amplectenda.

q. sup. sect. 3.

Impugnatione quidem primæ, tum quia extra scholam D. Thomæ vix vllus eam sequitur, & ex Thomistis pauci sunt admodum, qui illam in eo, vt ita dicam, rigore amplectantur: tum etiam, quia nulla est necessitas multiplicandi res; vbi diuersa ratio eiusdem est satis.

Improbatur prima.

Infirmatione autem secundæ, quia aut intellectio, vt intellectio est, distinguitur à verbo, vt incompleta entitas à se ipsa iam completa, & perfecta; aut vt vna completa ab alia completa. Primum dici non potest, tum quia intellectio, quemadmodum & visio, est accidens completum, neq; expectat, vt compleatur, quod Aristoteles docet libro nono, distinguens eos actus à motu, qui est actus incompletus, & imperfectus tendens in suum terminum, vt suum complementum; tum etiam, quia si eo pacto distingueretur à verbo, non poneretur, quatenus intellectio est, in prædicamento actionis, vt autores huius sententiæ volunt; (*dicunt enim nihil aliud formaliter esse intelligere, quam producere verbum, seu dicere*) sed tantum reductiue in prædicamento qualitatis, in quo sine controuersia ponitur verbum.

Impugnatur secunda.

Intellectio est accidens completum.

c. 9. tex. 16.

Nec vero secundum dici potest, quia si intellectio, vt est intellectio, est entitas completa diuersa ab entitate verbi, &, vt talis est, in solo prædicamento actionis ponitur, vt existimant; aut dicendum est, eam esse entitatem absolutam, aut relationem; cum ergo non possit esse relatio, cum nulla res per relationem agat; nec vero alia entitas absoluta, quæ propria sit prædicamenti actionis, (*omnis enim entitas absoluta, quæ in actione cernitur, pertinet ad aliud prædicamentum, quatenus absoluta entitas est, vt entitas accre-*

Non tamen entitas distincta ab entitate verbi.

 tionis

tionis ad prædicamentum quantitatis, & entitas absoluta alterationis ad prædicamentum qualitatis, vt patet ex Aristotele tertio libro Physicorum, nosque libro quinto huius † operis docuimus, & paulo post fusius ostendemus) reliquum est, vt non distinguatur à verbo, vt vna entitas absoluta, & completa prædicamenti actionis propria, ab alia absoluta, & completa entitate prædicamenti qualitatis; ac proinde nullo modo distinguatur à verbo, vt vna entitas ab alia entitate.

Tribus primis capitibus.
† c.13. q.8. sect. 2.

Refellitur simul vtraque, & probatur tertia.

Denique infirmatione vtriusque opinionis, primæ scilicet, ac secundæ, & ipsius tertiæ propria confirmatione, ex eo primum probatur, quia ad producendum verbum non opus est intellectione, sed dictione, siue expressione, & quasi parturitione illius; (*est enim verbum primus quasi fœtus intellectus fœcundi*) ipsa autem dictio, siue expressio verbi non est intellectio, nisi receptione verbi expressi compleatur, vt supra ostensum est. Itaque non iam intellectio, vt intellectio est, esse potest actio productiua verbi, sed potius verbi productio est intellectionis inchoatio.

Dictio, siue expressi verbi, non est intellectio.
q. super. sect. 5.

Deinde, quia ad productionem verbi, quod est similitudo expressa, satis est concursus ipsius intellectus in actu primo, hoc est, informati similitudine impressa, quæ est species intelligibilis; concursus autem, quo formaliter quælibet causa concurrit ad suum effectum, non est entitas vlla media inter causam & effectum, sed purus quidam se habendi modus ad effectum, qui varius est pro varia ratione causarum, vt libro quinto ostensum est, & inferius † confirmabitur.

Ad c.2. q.13.
† q. seq. sect. 2.

Tertio, quia omnis cognitio fit formaliter per similitudinem intentionalem rei cognitæ; quemadmodum autem habitualis fit per habitualem, ita actualis fieri debet per actualem: non datur ergo actualis cognitio ante expressam similitudinem rei, quæ cognoscitur, siue temporis ordine, siue etiam naturæ; sed cognitio actualis est ipsa expressa similitudo rei, quæ actu cognoscitur, quatenus non solum à potentia cognoscente producitur, sed etiam in eadem recipitur.

Quarto, quia si verbum producitur per intellectionem tanquam per entitatem distinctam, ac mediam inter intellectum constitutum in actu primo, & ipsum verbum, idque per se, vt volunt primæ, & secundæ sententiæ autores; ergo est perfectius ipso intelligendi actu. Semper enim id, quod per se fit, est perfectius ipsius effectione, si effectio est entitas media, cuius interuentu illud fiat: id quod ex se patet, & Aristoteles docet libro nono huius operis, & ipso initio Ethicorum ad Nicomachum: at intelligendi actus est vltima perfectio intellectus, cum ipsa felicitas in eo consistat, vt idem ostendit ad calcem eiusdem operis: ergo verbum non est alia entitas, quæ producatur per intellectionem tanquam per aliam entitatem interiectam; sed est ipse intelligendi actus immanens, pertinensq; ad prædicamentũ qualitatis, qui quatenus elicitur, verbum, seu similitudo expressa; quatenus autem recipitur, fit completa intellectio.

c.9. tex.16.
10. Ethic. c.7.

Actum intelligendi pertinere ad prædicamen. qualitatis.

Postremo, quia multi Patres, præcipue vero Augustinus, docent, verbum in nobis procedere ex memoria seu habituali cognitione, non ex actuali; proinde illud appellat Augustinus locutionem, notitiam, cognitionem, & cogitationem. Idem sentiunt Damascenus primo orthodoxæ fidei, & Anselmus fuse in Monologio, & alii complures. Id ipsumque ex Scholasticis D. Thomas, qui minime omnium videri potest in hac sententia esse, asserit cum aliis locis, tum 1. part. quæst. 107. a. 1. & in opusculo de natura verbi; vbi exponit, quod alibi sæpius dixerat, verbum procedere ex intellectione, vt non intelligatur ex actuali, sed ex habituali, siue ex intellectu constituto in actu primo, seu (quod ait) vt ex radice intellectionis, quæ species impressa; ne scilicet credatur procedere posse ex nudo intellectu. Vnde Ioannes Capreolus, & Franciscus Ferrariensis secuti D. Thomam asserunt, etsi actus intelligendi, vt est dictio, seu expressio, & quasi parturitio verbi, est prior ipso verbo dictio, siue expressio, tamen vt est intellecto, esse illo posteriorem, hoc est, (quemadmodum nos explicauimus) vt recipitur in ipso intellectu dicente, siue exprimente, vt superius ex Aristotele ostendimus. Atque hoc idem par est credere voluisse, aut concessuros fuisse omnes autores, qui verbum actu intelligendi non distinxerunt; tametsi non eodem modo id explicauerint, cuiusmodi sunt Scotus, Durandus, Bonauentura, Ochamus, Paludanus, Gabriel, & alii quamplurimi, vt opinio hæc merito communis haberi possit.

Aug. lib. 9. de Trin. c.7. & lib. 15. à c. 10. Damasc. c.18. Ansel. in Monol. c. 32. 46. & 47.

Capr. in 1. d.27. q.2. art.3. Ferr. 4. contra Gent. cap.13.

q. super. sect. 5.

Scot. in 1. d.27. q.1. Dur. q.2. D. Bon. q.1. & 4. Och. q.2. Palud. q.4. Gabr. q.2. Richar. a.2. pr. q.1. Alens. 1. p. q. 62. memb. 1. a.1. Henr. quodl. 11. q.3. & pleriq; alii.

Quid intersit inter actionem, & rationem agendi?

SECTIO II.

Verum vt ea, quæ dicenda sunt in soluendis argumentis primæ ac secundæ opinionis melius percipiantur, nonnulla permittere oportet, quæ iis etiam, quæ dicta sunt superius, & aliis plerisque rebus non parum

rum lucis afferent: quod à nobis partim repetendis partim augendis iis, quę lib.5. de actione, & causandi ratione, seu causalitate agentium diximus; faciendum est.

Primo loco præmittendum est, non idem esse actionem, atque agendi rationem: duo enim sunt potissimum, in quibus differunt.

Duo discrimina.

Prius, omnem actionem esse verum ens; at agedi rationem, purum se habendi modum.

Vnum est, omnem actionem esse verũ ens, nullam autem agendi rationem esse verum ens, sed purum quendam se habendi modum ad patiens, vel ad effectum. Nam quod omnis actio sit verum ens, ex eo patet, quia vel est transiens, vel immanens; transiens autem est subiectiue in patiente, immanens vero subiectiue in agente: (*nisi vbi agens, & actio immanens sunt idem ex natura rei, quod in solo Deo concedimus*) Quod autem est subiectiue in aliquo, verum ens est, & multo verius id, quod idcirco in subiecto inesse nõ potest, quia per se existit, cuiusmodi sunt actiones Dei immanentes. Accedit, quod omnis actio, quæ distinguitur ex natura rei ab agente, oritur ab illo, & ab eo per se pendet, ac proinde est verus effectus agentis; quod autem est verus effectus, verum est ens. Quod vero nulla agendi ratio, seu causalitas actiua, sit verum ens, ex eo constat, quia si esset verum ens, cum non sit prima causa, esset verus effectus, ac proinde alia agendi ratione effectiue causaretur, quæ etiam pari ratione esset verum ens, ac verus effectus; sicque procederetur in infinitum, si vlla earum esset verum ens, verusque effectus. Vnde cum motus à quibusdam dicitur ratio agendi ipsius mouentis, aut efficientis aliquid per motum, impropria locutio est; quippe cum motus sit verus effectus agentis, à quo oritur, & inducitur in rem, quæ patitur, & à quo per se pendet; nec differat à forma, quæ in fine motus acquisita est, nisi tanquam imperfectum quippiam à perfecto, & absoluto; nec denique alia de causa dicatur ratio agendi ipsius mouentis, nisi quatenus confertur cum forma perfecta, & absoluta, & est quasi via ad illam.

Posterius omnẽ agendi rationem esse in agente, non ita actionẽ.

Alterum est, non omnem actionem esse in agente, vt etiam patet ex diuisione actionis in transeuntem, & immanentem; at omnem agendi rationem, seu causalitatem actiuam in ipso agente esse, non tamen, vt in subiecto, cum ipsa non sit verum ens, sed vt purus quidam se habendi modus ad patiens, vel effectum, hoc est, vt concursus actiuus, & actiuus influxus in eo, quod sic concurrit, & influit.

Vnde patet non recte sensisse eos, qui actionem transeuntem distinxerunt in actio- A nem agentem, & actionem actam; agentemque posuerunt in agentibus, actamque in patientibus. Neque enim id verum est, nisi nomine actionis agentis intelligatur actio, quæ formaliter immanens, & virtualiter transiens est, vt sunt actus practici intellectus, & voluntatis; aut actio agens abusiue sumatur pro ratione agendi, veluti pro concursu, quo ignis agit in aquam, cum eam calefacit.

Actionis nomine significari interdum rationes agendi ar.1.

Quo fortasse modo intelligi potest Caietanus, qui ad quæstionem vigesimam B quintam primæ partis asserit suas illas quasi primarias actiones transeuntes ex Diui Thomæ sententia in ipsis agentibus esse; quod ipse putat Philosophos latuisse.

Neque enim eas vocat entia, sed tantum ait esse aliquid in ipsis agentibus, quasi dicat, non esse omnino nihil, quod homo ingeniosus fortasse viderit esse puros ipsarum causarum concurrendi modos.

C Quin etiam ex iis, qui nuper in eam partem Diui Thomæ commentarios ediderunt, non desunt, qui fateantur, se capere non posse, quo pacto in agentibus, (*creatis intellige*) quæ agunt actione transeunte, cum actu agunt, non sit noua aliqua entitas, aut nouus modus realis præter relationem ad patiens aut effectum, in quo nimirum relatio ipsa fundetur.

Corrigunt enim sese merito, cum in ea dis- D iunctione adiungunt entitati modum realem, hoc est, minime pendentem ab operatione intellectus.

Quænam requirantur in actione proprie, seu præcipue dicta?

E SECTIO III.

Tres conditiones necess.

SECVNDO præmittendum est Scotum ad tertiam distinctionem primi sententiarum quæstione sexta & nona vtrobique ad finem eam solam actionem proprie dictam appellare, in qua tria reperiantur.

Vnum est, vt, quamdiu exercetur, semper sit in fieri.

Qua conditione excluduntur à ratione F actionis omnes formæ in esse quieto, vt ita loquar, veluti calor, albedo, & aliæ qualitates, cum earum subiecta secundum eas non alterantur, quantumcunque illæ sint remissæ, aut imperfectæ. Alterum est, vt habeat subiectum inhæsionis, in quo exerceatur; qua conditione excluditur actiua creatio, quæ in Deo creante est. Tertium est, vt sit

productio alicuius termini, ita scilicet, vt id, quod per eam producitur, quatenus producitur, sit imperfectum quippiam tendens in terminum tanquam in aliquid completum, & perfectum in suo genere: sic enim intelligenda est hæc conditio, quia terminus, dum sic producitur, non habet complementum, sed tum demum, cum primum productus est.

Passiua creatio, momentanea illuminatio, &c. excluduntur à ratione propriè dictæ actionis.

Hoc pacto calefactio est actio, per quam producitur calor in aliquo certo gradu; non tamen passiua creatio, quouis modo ea in creatura ponatur: quia, quod creatur, simul producitur, & productum est; & eadem ratione nec momentanea illuminatio, quæ fit in aere ex momentanea inflammatione v. g. stupæ, aut pulueris tormentarii; tametsi à ratione actionis huius generis excludi non potest ea illuminatio, qua lumen intenditur in eodem subiecto ex appropinquatione lucentis corporis, cum in ea modo aliquo distinguatur lumen, quod successiue acquiritur à se ipso iam in esse completo, & quieto. Quod autem dictum est de illuminatione subita, dicendum est etiam de calefactione momentanea, si diuina virtute fiat, & de quauis alia simili acquisitione qualitatis habentis contrarium, si eadem potestate tota simul introducatur.

Item actus intelligendi.

Ex his conditionibus, quas grauissimi quique Theologi admittunt, colligit Scotus intelligendi actus non esse actiones propriè dictas, sed qualitates, quod idem asserit. D. Thomas de Veritate q. 8. ar. 6. quem sequũtur Caietanus 1. p. q. 79. ar. 2. Capreolus, Paulus Sonc. & alii non pauci vtriusque classis Theologi. Idem sentiunt Durandus, & Nominales ad 1. sentent. d. 27. Omnium vero ratio est, quia etsi primæ duæ conditiones cõueniunt actibus intelligendi, nõ conuenit tñ tertia, eo quod intellectio non sit productio alicuius termini, qui per eam intrinsecus compleatur, & paulatim perficiatur, sed ipsa est vltima perfectio intellectus; tametsi aliquando est principium productiuum alicuius alterius qualitatis, vt alicuius habitus in intellectu, aut alicuius affectus, habitusve in voluntate. Aliud enim est esse productionem non differentem à producto, nisi tanquam imperfectum quippiam à perfecto; quæ nunquam datur, nisi cum datur aliquid formæ, quæ inducitur, necdum tamen tota ipsa: aliud vero esse principium productiuũ, quod in rebus quidem creatis, de quibus loquimur, semper est distinctum realiter à producto, & sæpe datur, cum adhuc nihil existit eius, quod produci ab eo potest.

Capr. in 2. d. 1. q. 2. a. 3. ad 12. Sonc. 9. Met. q. 21. Henr. quodl. 11. q. 3. Aeg. de mensura angel. q. 10. Ferrar. 2. contra gent. c. 9. & 82. Heru. quodl. 2. q. 8. Dur. Ocham. Gabr. q. 2. ad citatam distinct. & alii.

Productio, & principium productiu. diuersa.

Nemo autem miretur, quod tam multi, tamque graues autores excludant à ratione propriæ actionis omnes momentaneas rerum productiones, quibus non paulatim, sed in instanti res aliqua fit: ea enim ratione permoti videntur ad eas excludendas, quia quæ per eas fiunt, simul fiunt, & facta sunt; quod autem iam factum, & absolutum est, potius dici solet factum esse, quam fieri: nec immerito, cum enim perfectius ex ratione sua sit factum esse, quam fieri (*siquidem fieri est esse acquirere, factum vero esse est ipsum esse habere, ac possidere*) consequens est, vt ea, quæ simul fiunt, & facta sunt, potius facta esse, quam fieri dici debeant.

Ratio, cur hæ excludantur.

Obiectio.

Quod si quis obiiciat, ergo agentia, à quibus illa in momento fiunt, non propriè dici agentia, vt Deum, cum in momento creat formam humanam in corpore, aut Angelum separatim; & ignem, cum in momento aerem illuminat: (*neq; enim quicquam videtur propriè dici agens, nisi ab actione propriè dicta*) hoc modo respondendum est. Primum quidem, vt aliqua dicantur propriè agentia in aliquid aliud à se, non necesse esse, vt denominentur agentia ab aliqua actione formaliter transeunte in illud tanquam ab actione; sed satis esse, si denominentur agentia à suis agendi rationibus, seu actiuis concursibus, & à suis etiam effectis; (*hæc enim duo communia sunt omnib. propriè dictis agentib.*) aut deniq; ab aliqua actione formaliter immanente, & virtute transeunte. Nam Deus, cum creat animam, vel Angelum, aut cum igne in momento illuminat, aut in tempore calefacit aerem, aut opinione quorundam mouet immediate primum mobile, dicitur propriissimè agens ad extra; & tamen nõ denominatur agens ab vlla actione formaliter transeunte, tanquam ab actione sua: sed in creando dicitur agens à ratione agendi, & ab ipso affectu, qui est creatura ipsa, & ab actione etiam sua immanente, & virtute transeunte; illuminando autem, & calefaciendo aerem, & mouendo etiam immediate primum mobile (si id per se facit) dicitur agens, non solum à ratione agendi, & ab actione formaliter immanente, & virtute trãseunte, sed etiam ab actione externa, non tamen tanquam ab actione sua, sed tanquam à suo effectu, vt docet D. † Thomas: ac merito quidem. Nam actio formaliter transiens, vt actio est, est actus, seu perfectio non solum patientis, seu recipientis, sed etiam ipsius agentis, vt tradit Arist. 3. Physic.* c 3. cum agit de motu, cum interim nihil possit esse actus, seu perfectio respectu Dei. Neque obest, quod idem lib. 9. huius operis † cap. 9. ait agens, quod transit in externam materiam, non

Solutio.

Quid sit satis, vt quid denominetur propriè agens.

Deum ab actione externa denominari, non vt ab act. sed vt ab effectu.

† 1. p. q. 25. ar. 1. lib. 2. contra gẽt. cap. 6.

Etiam actio formaliter transiens, vt actio est perfectio agẽtis.

** A tex. 18.*

† Tex. 16.

non perfici per suam actionem, sed perficere id, quod patitur: loquitur enim eo loco de sola perfectione intrinseca, seu inhærente; in tertio autem Physicorum tam de intrinseca, quam de extrinseca: cum tamen Deus neutro modo perfici possit.

Explicatur magis assignatæ conditiones.

Deinde addendum est Scotum, & cęteros, qui in actionibus proprie dictis tres illas conditiones requirunt, non esse locutos de quouis genere actionum proprie dictarum, sed de iis, quæ cum passione coniunctæ sunt, B vt patet ex secunda conditione, in qua dicunt requiri, vt sint in subiecto inhæsionis. Vnde fit, vt excludatur apud eos à ratione actionis proprie dicta actio creandi, etiamsi quis existimet illam esse in creatura, quandoquidem cum ea nulla vera passio coniuncta esse potest.

Tertio loco dicēdū, eosdem autores pressius adhuc accepisse nomen propriæ actionis: durum enim est admodum negare illu- C minationem momentaneam esse proprie dictam actionem eo solo, quod lumen nō paulatim, sed simul introducatur. Quo fit, vt nomine propriæ actionis præcipue dictā significare voluerint: nempe eam, quæ habet aliquam distinctionem entitatiuā ab eo, quod per eam producitur, seu á termino actionis, vt Scotus loquitur: quod intelligendum est de termino formali, non de totali, cuiusmodi actio est calefactio, aut continuata lumi- D nis intensio: in quibus actionibus minus entitatis reperitur, quam in termino actionis, quia sunt actus imperfecti, & incōpleti tendētes in suam perfectionem, & complementum. Has enim actiones inter eas, quæ cum passione coniunctæ sunt, esse præcipue dictas ex eo patet, quia magis proprie dicimus actionem esse id, quo aliquid fit, quam esse id ipsum, quod fit, neq; ab eo vlla entitatis parte distinguitur.

Nomine proprie dictæ actionis significari præcipue dictam: & quæ ea sit.

Alia solutio.

Ad obiectionem ergo dicendum, etsi Deus, cum creat, aut etiam aliquid in creaturis agit, est propriissime agens: non tamen, cum creat, dici agentem ab aliqua actione cum vera passione coniuncta: aut cum agat in creaturis dici agentem ab actione formaliter transeunte, tanquam ab actione sua, sed tanquam à suo effectu: itemq; agentem dici ab actu practico suę voluntatis, & à ratione agendi, seu concursu suo actiuo. Ignem vero, cum F in momento illuminat, etsi dicitur proprie agens ab illuminatione formaliter transeunte; quæ sit actio proprie dicta, non tamen tanquam à præcipue dicta, quia deest illi tertia conditio, distinctionis scilicet entitatiuæ à suo termino.

Quapropter siquis petat explicationem A actionis momētaneæ transeuntis, de qua obiectio proposita est, quæ actio non solum habeat rationem effectus respectu agentis, sed etiam rationem actionis; respondendum est, quemadmodum actiones temporariæ sunt actus incompleti, siue imperfecti tendentes in suam perfectionem, non tamen absolute sumpti; (sic enim habent rationem motus, non autem actionis) sed quatenus ab agente procedunt tanquam eorum actus, perfectionesve externæ: ita actiones momentaneas esse actus complentos, seu perfectos, non tamen absolute sumptos; (*hoc enim pacto habent illa rationem qualitatis, aut alicuius alterius formæ, non vero actionis*) sed quatenus procedunt ab agente tanquam eorum externi actus, perfectionesque. Addidi [*tanquam eorum actus*] quia ad rationem actionis nō satis est, quod sit actus ab agente procedens, (*hoc enim pacto habet illa rationem effectus duntaxat, non actionis*) sed oportet adiungere, quod procedat ab eo tanquam actus, & perfectio eius, Actio enim, vt actio est, duo includit alterum esse effectum agentis, alterum esse aliquam eius perfectionem.

Quæ actio momentanea trasiens habeat ratione actionis.

Ex his patet actionem, quæ cum passione coniuncta est, & passionem ipsam, siue illæ sint temporariæ, siue momentaneæ, non distingui inter se, nisi puris se habendi modis ad agens, & patiens: vtramque tamen, si temporaria sit, distingui entitatiue à suo termino tanquam actum imperfectum à perfecto, seu completo: si autem sit momentanea, nec actionem, aut passionem, neque vtramq; ab ipso actu, qui ab agente inducitur, & à patiēte suscipitur, entitatiue distingui, cum hæc tria sint vnus, atq; idem actus completus. Ex quibus collige in patiente vnam tantum esse entitatem absolutam, cum formam vnam suscipit, non plures, quarum vna sit ipsa for- E ma, quæ introducitur, altera actio, tertia passio, vt quidam recentiores volunt, contra quos proxime disputandum est.

Actio & passio quo modo inter se & à termino distinguantur.

Reijcitur quorundam recentiorum opinio, qui in patientibus, & effectis quadam accidentia absoluta, præter formas, quæ introducuntur, & res, quæ producuntur, adiungunt.

SECTIO IV.

TERTIO igitur loco præmittendum est (*quod iam libro 5. tetigimus*) non esse probandam quorundam recentiorum sententiam, à quibus in quolibet patiente, dum patitur, præter formam, quæ in illud inducitur, tria quædam absoluta accidentia ponun-

c. 2. q. 13.

nuntur, & totidem in quolibet effectu, cum sine subiecto fit. Verbi causa volunt in ligno, cum calesit, præter formam caloris (*quæ paulatim in lignum introducitur, & reductiue ad prædicamentum qualitatis tanquam incompletum quippiam reuocatur*) esse accidens quoddam absolutum, quod dicunt esse motum formaliter, vt motus est; alterum esse actionem, qua motus inducitur; tertium passionem, qua motus suscipitur. Cum autem in eo conueniant, vt actionem ponant per se in prædicamento actionis, & passionem in prædicamento passionis, de motu tamen, vt motus est, dissentiunt. Alii enim dicunt illũ formaliter sumptum ad prædicamentum quãtitatis pertinere, quem proinde fluxum formæ appellant, quod putent eius essentiam in sola continuitate consistere. Alii autem, quia vident reuera cõtinuitatem nõ esse ipsam essentiam motus, sed eius quandã proprietatem, vt ostendimus lib. 5. existimant illũ reducendum potius ad idẽ prædicamentum, ad quod reuocatur forma, quæ paulatim acquiritur. Eodem autem modo volunt in subiecto momentaneæ mutationis, qua, verbi causa, forma ignis in materiam dispositam, & lumen in aerem circumstantẽ introducitur, totidem accidẽtia absoluta danda esse, quæ & in materia ignis; & in aere, qui circumcirca est, inhæreant, sintq; idem re cum forma, quæ in momento introducitur; sed quæ tñ essentialiter inter se, & à forma distinguantur, vt tria superiora, quorum vnum dicunt esse ipsam momentaneam mutationem, alterum actionem, qua forma inducitur, tertium passionem, qua suscipitur; primumque similiter reduci ad prædicamentum ipsius formæ, siue illa sit accidens, siue substantia. Denique dicunt in re, quæ creatur, eundem numerum accidentiũ absolutorum inueniri, tametsi nõ omnia sub eadem ratione. Nam etsi in ea ponunt primum accidens, quod est simplex productio, & secundum, quod est actio, non ponunt tñ tertium, quod erat passio, quia res, quæ creatur, ex nullo subiecto fit; sed eius loco ponunt aliud accidens, quod volunt esse dependentiam, qua res, quæ creatur, à creatore dependet, à quo accidente dicunt illam denominari effectum creatoris, quemadmodum volunt creatorem denominari causam agẽtem à primo illo accidente absoluto eiusdem rei, quod dicunt esse actionem.

Cum forma per motum inducitur, tria ponunt motũ, actionẽ, & passionem.

Cap. 13. q. 8. sect. 3.

Tria item, cum, per moment. mutationem.

Cum res creatur, alia tria.

Non esse autem admittendam opinionem hanc nuper excogitatam, partim ostendimus lib. 5. partim clarius ex sequentibus patebit: est enim non inutilis modo, sed etiam multis incommodis obnoxia. Dicimus itaque in motu præter cõtinuitatem eius peculiarem, quæ est propria eius affectio, fluxusq. formæ appellari potest, & ad prædicamentum quãtitatis pertinet, (mittamus enim tempus peculiare cuiusque motus, cuius entitatem eo libro probabile esse diximus, distingui ab entitate continuitatis ipsius motus) nullum esse aliud accidẽs absolutum, nisi incompletum illud, & imperfectum, tendensque in perfectionem, quod dicitur forma fluens, & ad illud prædicamentum reducitur, in quo per se ponitur forma completa, siue in esse quieto; in quo accidente sic incompleto posita est ratio motus, vt motus est. Ab hoc enim accidente incompleto, quod Aristoteles sæpe admodum vocat actum imperfectum, & actum entis in potentia, vt in potentia est, non solum agens dicitur formaliter agens, sed etiam patiens dicitur patiens: agens vt ab actione, quam infert, & per quam suo modo perficitur, si modo perfici possit; patiens vero vt à passione, quam suscipit, & per quam semper tanquam per veram formam sibi inhærentem, aut quasi inhærentem perficitur. Neque enim opus est aliis vllis accidentibus absolutis, à quibus alterum dicatur absolute agens, alterum absolute patiens. Nam relatiue vtrumque denominatur á relatione, quam habet in se: agens ab ea, qua refertur ad patiens, fundata in ratione agendi: & patiens ab ea, qua refertur ad agens, fundata in ratione patiendi, hoc est, subiectiue, seu materialiter concurrendi.

Quid dicendum in motu.

c. 13. q. 8. sect. 3. & q. 12. sect. 5.

Vt 3. Phys. c. 2. tex. 6. & 16. & c. 3. tex. 23.

In momentaneis autem mutationibus satis est forma sic introducta, additis duabus dependentiis, qui sunt puri modi se habendi, vnus ad causam agẽtem, alter ad patientem, seu materialem; satis, inquam, est, vt forma introducta possit denominare causam agentem, & ipsa possit denominari effectus & agentis, & patientis. Nec video, quid aliud ad hæc præstanda grauis aliquis Philosophus, aut Theologus requirat.

Quid in mutationib. moment.

Denique in creatione euidentius est accidentia illa tria absoluta, quæ illi in re, quæ creatur, comminiscuntur, esse superuacanea, & contra communem Theologorũ sententiã, qui sine eiusmodi absolutis accidentibus omnia in ea materia salua esse volunt, vt patet ex sententia D. Thomæ, Scoti, & Durãdi, (*in quorum consensione schola veritas vulgo esse dicitur*) aliorumq; grauissimorũ Doctorum, Magni Alberti, Alẽsis, Bonauent. Rich. Capr. Caiet. & aliorũ huius notæ, quorum nullus, quantumcunq; sit entitatũ multiplicandarũ studiosus, agnoscit in creatura, cũ creatur, accidens vllũ absolutum, quod sit vel productio ipsa simplex, vel actio, vel passio. Id quod ea ratio-

Quid in creatione.
D. Th. 1. p. q. 45. a. 3. Scot. in 2. d. 1. q. 5. Durandi. Albert. Bonau. Rich. Capr. ea dem dist. Alens. p. q. 6 Caiet. ad 1. p. q. 25. a. 1. & q. 45. a. 3.

ratione ostendunt, quia cum creatio nec sit motus, nec vera mutatio, sed tantum imaginaria, (*vt dictum sæpe est*) non relinquitur in ea vlla alia entitas, nisi relatio actualis dependentiæ ad Deum creantem, quæ simplicem rei productionem consequitur. Itaque omnes hi (*hoc est totum Scholasticæ Theologiæ pondus*) excludunt à creatione omnem omnino veram passionem; actionem autem in ea nullam aliam esse asserunt, nisi immanentem in Deo, nempe actum practicum voluntatis diuinæ, cuius efficacia res creantur in eo momento, aut tempore, in quo ipse statuit, vt res aliqua per creationem esse incipiat: eius autem accidentis absoluti, quod simplicem productionem prædicti recentiores appellant, ne meminerunt quidem. Quo fit, vt mirum videatur, quod ausus sit quisquam tantę autoritati se opponere introducendis in creatione huiusmodi absolutis accidentibus. Nec certe Nominales, quorum autoritate hi se protegere nituntur, talia accidētia distincta formaliter, & essentialiter in creatione admittūt; sed ea ratione dicūt creationē esse actionē transeuntem, & in re, quæ creatur, existētem, quatenus res ipsa, vt à Deo procedit, extrinsecus denominat, aut denominare potest Deum creantem. Sunt n. nominales, vt multiplicitatis realitatum, entitatumve, & essentiarum osores, ita plurium denominationum amatores; passionem autem ea sola ratione in creatione ponūt, quatenus eadem res concipitur quasi tunc primum recipiens esse, cum ante quasi fuisset sub non esse, quę est ficta, vt diximus, non vera passionis, & mutationis ratio.

Vide lib. 5. c. 13. q. 8. sect. 1.

Quid de creatione sentiant. Nominal.

Probatur nostra sentent. opposita impugnatione.

Quod autem eandem opinionē multa incōmoda sequantur, ex eo primū patet, quia cum motus, vt motus est, non distinguatur à termino, nisi tanquā idem actus imperfectus, tendensque in perfectionem, à se ipso iam perfecto, siue in esse quieto; (*quæ est communis omnium sententia, quam vel ipsi etiam aduersæ partis autores alias amplectuntur*) multoque minorem distinctionem ponere debeant inter introductionē momentaneā, & formam, quæ in momento introducitur, absurdū permagnum est, quod asserant, introductiones formarum, & vniuerse momentaneas rerum productiones esse accidentia absoluta essentialiter distincta à formis, quæ quouis modo introducuntur, & à rebus aliis, quæ in momento producuntur. Deinde, quia multo absurdius id esse cernitur in substantialiū formarū introductione, substātiarumque per se subsistētiū momētaneis pductionibus; maior enim distinctio essentialis est inter substantias, & accidentia, quam inter ipsa accidentia: quo fit, vt si distinctio essentialis accidentium inter se impedit, ne vnum sit ipsa intima productio alterius, multo magis impediat, ne sit ipsa intima productio substantiæ. Tertio, quia nulla accidentia absoluta possunt esse formarum substantialiū introductiones momentaneæ. Oporteret enim, vt naturæ ordine existentiā ipsarū formarum præcederent, cum eadem numero illas tempore præcedere non possint iuxta veriorem, & solam Aristotelicam doctrinam de resolutione compositi vsq; ad materiam primam; at omne accidens absolutum, quod simul est cum forma substantiali in eo instanti, in quo ipsa incipit esse, posterius natura introducitur, quā ipsa forma, cum ab ea per se pendeat in suo esse suiq; conseruatione. Deniq;, quia multo ēt minus fieri potest, vt in re, quæ creatur, productio momētanea, & actio momentanea (*si accidētia absoluta sunt*) pręcedant naturæ ordine existentiam substantiæ creatæ: subiectum enim prius natura existat necesse est, quam vllum accidens sustineat.

Absurdum quoq; est dicere actionē, & passionem (*maxime si sunt accidētia diuersa inter se, & à forma, quæ inducitur*) ita in patiente esse vt alterum sit ratio agendi ipsi agenti, alterum ratio patiendi ipsi patienti, vt eorum nonnulli volunt: neq; enim id verum esse potest. Primum, quia rationes causandi nō sunt entia, sed puri concurrendi modi, vt ostensum est. Deinde, quia aliæ causæ, nempe vtraque formalis, & finalis eti m, non indigent vllis accidentibus ad causandum, vt ipsi etiam fatentur; cur ergo illis indigebunt causa efficiens, & subiectiua, seu materialis? quasi tres illæ potentiores sint ad causandum immediate, & sine adminiculo huiusmodi absolutorum accidentium, quā causa efficiens, & materialis: præsertim cum exemplaris separata sit ab eo, quod fit, & finalis nondū existat in rerum natura, vt potius videantur indigere accidentiū interuentu ad causandum. Accedit, quod isto modo prius causa effectiua erit actu causa, quam sit actu causa, quod est aperta contradictio. Nam si actio, quæ in patiente, aut in effectu est, ponitur ratio agendi ipsius agentis, & est accidens, quod ab eo nihilominus oritur, ac proinde est verus eius effectus, (*licet non proprie fiat*) prius vtique agens erit illius causa efficiens, quam vlla detur eius causandi ratio, & (*quod sequitur*) quam ipsa sit causa efficiens.

Hæc, & alia plura incommoda, & absurda admittat necesse est, qui huiusmodi accidentia adiungit in patiente, aut effectu; præsertim si velit quædam eorum esse primas agendi, & patiendi, seu suscipiendi rationes. Id quod

Bene recētiores facere actiones, & passiones, potius se habendi modos

quod nuper recentiores quidam probe animaduerterunt, concedentes plane actiones, & passiones, productionesque rerum, & formarum inductiones, quæ in patientibus, aut effectis esse dicuntur, non addere ipsis rebus productis, aut formis inductis entitates vllas sed puros se habendi modos ipsorum effectorum, aut formarum, quæ inducuntur, ad ipsa agentia, & patientia. Quod ex eo recte probant, quia hæc, quæ adduntur, nec sunt substantiæ, nec accidentia, quibus opus sit ad ipsa effecta producenda, formasve inducendas: eamdemque rationem esse aiunt in iis, quæ fiunt ex subiecto, atque in iis, quæ ex nihilo.

Quam multa tamen adhuc peccent hac in re.

Quamquam subinde nonnulla dicunt, quæ nec cohærent inter se, nec nobis probantur. Nam quod adiungunt, actiones, & passiones ne modaliter quidem distingui inter se, pugnat cum eo, quod concesserant, eas addere rebus, quæ fiunt, & formis, quæ inducuntur, puros quosdam modos se habēdi rerum inter se ipsas. Quod etiam aiunt, actionem nihil aliud esse formaliter, quam dependentiam effectus ex causa, verum esse nō potest: tum quia actio, & passio non sunt ipsæ dependentiæ, sed actus dependentes; tum etiam, quia dependentia non constituit, nec denominat causam in esse causæ, sed effectum in esse effectus, vt luce clarius est. Vt enim cōcursus actualis constituit causam in actu, quia causa in actu nihil est aliud, quam causa actu concurrens ita actualis dependentia constituit effectum in actu, quia effectus in actu nihil est aliud, quam effectus actu dependens. Illud etiā, quod addunt, dependentiam creaturæ à Deo creante, aut formam aliquam inducente, habere rationem actionis transeuntis respectu Dei, non recte dicitur non solum, quia dependentia non denominat causam, sed effectū, vt nunc dicimus: verum etiam, quia etsi sumatur quasi materialiter pro re, quæ producitur, aut forma, quæ inducitur, non actionis, sed solius effectus rationem habet respectu Dei, vt superius cum D. Thoma ostensum est. Denique vt alia similia mittamus, illud parum consequenter aliquando admittunt, hos modos se habendi rerum habere aliquā entitatem, vnde sequitur eos habere naturam substantiarum, aut accidētium, quod recte negauerant: cum potius in reb. bene cōstitutis nec vacillare oporteat, nec lōgioris disputationis studio ea, quæ distincta erant iterum confundere. His ergo fusius, sed, vt puto, non inutiliter præmissis, facile soluentur argumenta primæ; ac secundæ opinionis de eo, quod præcipue in hac disputatione quærebatur.

Superiori sect.

Solutio argumentorum primæ, & secundæ opinionis.

Sectio V.

Creata distingui re ipsa à suis principio form. productiuis.

Ad argumentum igitur pro prima sententia propositum concedendum est in rebus creatis principium formale productiuum rei esse ab ea distinctum, vt rem vnam ab alia re, sed negandum, intelligendi actum esse principium formale, quo producatur verbum, cum ne formaliter quidem à verbo distinguatur vt entitas vna ab alia entitate, sed solum vt eadem egrediens & recepta ab intellectu, à se ipsa vt egrediente duntaxat.

Quamquam vero argumenta secundæ opinionis nihil nobis nocent, quatenas nituntur ostendere verbum non distingui ab actu intelligendi tanquam rem vnam à re alia, cum nos idem fateamur: tamen, quia contendunt distingui ab intellectione tanquam entitatem vnam ab alia entitate absoluta, qua producitur, posita in prædicamento actionis, soluenda nobis ea ex parte sunt omnia.

Per intellectionē non produci verbum. sect. 3.

Ad primum eorum dicendum, quicquid sit de maiori propositione, quæ non est de quacunque actione vera vniuerse, sed de actione formaliter transeunte (*namque actiones formaliter immanentes, & virtute transeuntes differunt realiter à formis quæ per eas in subiectis, aut separatim producuntur*) falsam esse minorem. Intellectio enim non est actio, qua producatur verbum; tum quia actus intelligendi, & alii similes, non sunt proprie actiones, sed qualitates, vt ostendimus: tum quia eo modo, quo dicuntur actiones, non sunt productiones vlteriorum terminorum, cum ipsi sint vltimi termini interni suarum potentiarum, quasi earum perfectiones vltimæ, ac præcipuæ; tāetsi esse possint principia, aut quasi principia productiua multorum habituum; tum denique, quia intellectio, & verbum sunt vnum, & idem essentialiter, & vtrumque producitur ab intellectu; nec differunt, nisi quatenus eadem intellectio, vt egreditur, siue exprimitur ab intellectu, est verbum; quatenus autem ab eo egressa ab eodem suscipitur eumque actuat, ac perficit, est intellectio. Vnde etsi verbum, & intellectio sunt simul origine tanquam essentialiter idem actus, is tamen prius natura completur vt verbum, quam vt intellectio. Vnde patet confirmationem argumenti nihil efficere: quia intelligere non est idem, quod mente dicere, seu formare internum ver-

verbum: sed verbum formare, siue exprimere nihil aliud est, quam intellectionem inchoare.

Ad secundum eodem modo respondebis, non prius verbum exprimi, quam intellectio inchoetur, cum sint ambo vnus, & idem intelligendi actus: prius tamen naturæ ordine actum eumdem compleri vt verbum, quam vt intellectionem. Neq; incommodum esse vllum, quod intellectus apud se prius quasi loquatur, quam intelligat. Nam etsi in exteriori locutione nostra absurdum esset prius quemquam loqui, quam intelligat, præsertim cum verba externa ex internis conceptibus necessario oriantur, eisque respondeant, vt habes ipso initio prioris libri de interpretatione: tamen in interiori sermone nō solum absurdum id non est, sed etiam necessarium: locutio enim interna, qua secum quisque loquitur, nihil est aliud, quam expressio similitudinis rei intelligendæ, sine qua veluti imagine intellectio haberi non potest; non quia res intelligenda intelligatur in imagine, sed quia intelligi non potest, nisi per expressam imaginem. Eadem ratio est in locutione Angelorum, animarumque separatarū inter se. Nam, etsi Angelus, cum secum ipse loquitur, prius natura exprimit similitudinē rei intelligendæ, quā eius interuentu rem intelligat: tamen cum Angelorū locutio probabiliori D. Th. sententia in directione conceptuum posita sit, eaq; directio fiat per actū voluntatis, qui actum intelligendi supponit; prius sane Angelus intelligit res quaslibet, quam suos earum conceptus aliis manifestet, quod idem dicendum est de anima separata. Est & alia consideratio in diuinis, cui hęc videntur consentanea. Etsi enim generatio Verbi diuini posterior est nostro concipiendi modo, quam essentialis intelligendi actus, qui est tribus personis communis, & illum supponit: tamen essentialis cōceptus formalis cogitatione nostra præcedit ipsum intelligendi actum; semper enim actus intelligēdi supponit actualem rei intelligendæ similitudinem, qua res obiecta intelligatur, in nobis quidem expressam realiter, in ipsa autem diuina essentia nostro cogitandi modo quasi elicitam.

Prius eund. actū perfici, qua est verbum, quam qua intellectio.

Cur necesse sit intellectū prius apud se quasi loqui quam intelligat.

Angelorum locutio.

1. p. q. 107. ar. 1.

Cur et in Deo cōceptus formal. consideretur vt prior actu intelligendi.

Ad tertium dicendum est, verbū, cum directo aliquid intelligimus, non recte dici à quibusdam obiectum, [*Quod*] hoc est, quod intelligitur: actu enim directo non ipsum verbum, conceptum ve, sed rem conceptam percipimus. Illi rectius loquūtur, qui dicunt, illud esse obiectum [*Quo*] vel [*In quo*] nempe quo, vel per quod res intelligitur. Nam cum illud modo aliquo possit appellari obiectum, (*quatenus scilicet est similitudo rei obiectæ, & eius vicem gerit, siquidem verba mentis pro rebus ipsis accipimus*) non male quis illud appellet obiectum [*Quo*] vel [*In quo*] nempe quo, vel in quo res intelligitur, quia sine illo non intelligitur. Alia ratio est in actibus reflexis, quibus, postquam directo res intelleximus, reflectimus considerationem in ipsos earum conceptus, vt aliquid eorum imitatione faciamus. Tunc enim recte illi appellantur obiecta [*Quæ*] quasi exemplaria, quæ interius modo aliquo aspicimus, & imitari agendo conamur: tametsi id apud nos non fit secundum eorū esse reale, vt superius diximus, sed intentionale. Quare etsi prius intelligimus, quam versemur circa ipsa verba mentis, siue conceptus, tanquam circa exemplaria, & obiecta [*Quæ*] tamen non prius intelligimus quam ea directis actibus intellectus exprimamus.

Cum directo intelligimus, verbum est obiectū Quo.

Cum reflexe, obiectum, Quod.

Ad vltimū ex dictis patet respondendum esse, etiam in diuinis, si de conceptu essentiali loquamur, qui improprie in Deo verbum dicitur, prius illum consideratione nostra quasi elici, quam actus diuini intelligendi compleatur; secus vero dicendū esse de Verbo proprie dicto, quod, cum personale sit, & omnia essentialia supponat, posterius consideratione nostra generatur, quā actus intelligendi sit completus. Atq; hac de causa retractat Augustinus id, quod dixerat in libro 83. quæstionum, Patrem in diuinis esse sapiētem sapientia genita, hoc est, conceptu à se personaliter producto, docet enim tum 7. de Trinitate, tum etiam 1. retractationum, Patrem prius consideratione nostra esse sapientem per essentialem conceptum, quam personalē producat. Vnde patet, in hoc inter alia esse dissimilem productionem verbi nostri à productione Verbi diuini, quod nos producimus verbum, vt per illud intelligamus & sapiamus: Pater autem æternus, non vt intelligat, & sapiat, quia per conceptum essentialem est intelligens, & sapiens, sed vt conceptum essentialem, per quem intelligens, & sapiens est, cum ipsa diuina natura Filio communicet: in hoc autem esse similem, quod quemadmodum Verbum diuinum realiter exprimitur, & producitur, ita & verbum nostrum. Patet etiam nihil mirum esse, si nostra intellectio inchoetur ipsa expressione, seu productione verbi ab intellectu fæcundo, seu specie intelligibili informato, & compleatur eiusdem verbi receptione in eodem fæcundo intellectu: intellectio autem diuina neque inchoetur productione Verbi diuini ab intellectu Patris fæcundo, hoc est, quasi informato ipsa diuina essentia omnia repræsentante, neque vlla receptione illius in eodem cōpleatur.

Quædam de product. diuini Verbi.

q. 23.

c. 2. c. 26.

Pater non producit Verb. vt intelligat.

Diuina intellectio neq; productione Verbi inchoatur, nec vlla eius receptione completur, vt nostra.

Qq

tur. Nam verbum nostrum est accidens necessarium ad intelligendum; Verbum autem diuinum est substantia per se subsistens, nec necessarium, vt Pater per illud intelligat, cum prius nostra consideratione intelligat, quam verbum producat: imo per actum intelligendi illud exprimat, ac producat, non quidem quatenus actus intelligendi est in omnibus personis, sed solum quatenus est in prima. Nam quemadmodum memoria Dei fœcunda, vt docent omnes fere graues Theologi, est potentia generatiua Filii, non tamen vt est in omnibus diuinis personis, sed vt est in illa, quæ est prima ordine originis, (*de quo ordine non nihil diximus lib. 5.*) ita diuinus intelligendi actus est generatio Filii, non vt est in personis omnibus, sed vt est in ea, quæ originis ordine cæteras præcedit personas. Hæc tamen non obstant, quominus essentialis Dei conceptus more considerandi nostro prius eliciatur ab intellectu diuino, qui ex se fœcundus est, quam diuina intellectio ipsa quasi receptione diuini cõceptus in eodem compleatur: id quod in nobis non consideratione sola sed re etiam ipsa fit. Vnde, quia in nobis productio verbi tam vocalis, quam mẽtalis, realis est, iccirco diuinæ literæ, vt more nostro loquãtur, ea, quæ Deus facit conceptu essentiali, omnibusq; personis cõmuni, attributione quadam sæpe dicunt fieri Verbo personali cuius expressio realis ẽt est. Eodemq; modo ea, quæ facit essentiali amore quasi mouente intellectũ diuinum, vt dictet quid faciendum sit attributione simili fieri pronuntiant Spiritu sancto, seu amore personali, cuius itẽ expressio est realis: nec tantũ fieri Verbo, & Spiritu sancto, & per Verbũ, & Spritum sanctum: sed etiam Verbum & Spiritum sanctum ea ipsa facere, quia substantię per se subsistentes sunt, quarum proprium est facere. Quale est illud Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sũt & spiritu oris eius omnis virtus eorum*; & illud Ioan. 1. de Verbo, *Omnia per ipsum facta sunt*: & quod Paulus ait de Spiritu sancto 1. ad Corinth. 2. *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritũ suum*; & illud de Sapientia genita Prouerb. 8. *Cum eo eram cuncta componens*: & illud Iob. 26. *Spiritus eius ornauit cœlos.*

In 1. sent. d. 7. & ad 1. p. D. Th. q. 41. a. 5.

c. 1. q. 3. sect. 2.

Id tamen modo nostro competit, conceptui essentiali.

Cur quædam opera attribuantur Verbo.

Quædam Spiritui sancto.

A B C D E F

Quonam pacto Deus, cum ante mundum conditũ non esset causa rerum actu, cœperit esse actu causa sine vlla sui mutatione?

QVÆST. IIII.

Non videri transire potuisse à priori statu in posteriorem sine aliqua sui mutatione.

SECTIO I.

REPETENDVM nunc est, & generalius etiam tractandum dubium illud, quod superius in hunc locum distulimus, qui fieri potuerit, vt, cum Deus ante mundi constitutionẽ non esset exemplaris causa in actu, cœperit esse actu causa sine vlla sui mutatione? Cum enim quæstione proxima multa inseruerimus de causa efficiente, actioneque, & causandi ratione, commodius erit, si propositam dubitationem de Deo in omni causandi ratione disputemus; præsertim cum ex iis, quæ *lib. 5.* de hac re in genere diximus, non satis intelligant nonnulli, quid priuatim de rationib. causandi, seu causalitatibus Dei dicendum sit, idq; nosse cupiant. Et quanquam disputationẽ hãc in lib. 12. vt in proprium locum differebamus, iustis tamen de causis anteuertendam iudicauimus.

q. 2. sect. vlt.

Quod igitur Deus non videatur transire potuisse à priori statu in posteriorem sine aliqua sui mutatione, ex eo primũ probabit aliquis, quia id mutari dicitur quod aliter se habet nunc, quam prius, vt tradit Arist. 5. *Physic. libro*: Deus autem aliter videtur se nunc habere, quam prius, si cœpit esse causa in actu, cum ante non fuisset.

Arg. quæ id videntur ostendere.

C. 1. tex. 7.

Deinde, quia quicquid prius est in potẽtia, & postea in actu, habet potentiã receptiuam actus, ac proinde passiuam; quicquid autem tale est, mutabile est proculdubio, atq; adeo mutatur cum à potentia transit ad actum; cum ergo Deus prius videatur fuisse causa in potentia, & postea causa in actu, iuxta diuisionem causarum cõmuniter receptam, & ex Aristotele desumptam lib. 5. in causas in potentia, & causas in actu; non dubium videtur quin mutatus sit.

C. 2. tex. 3.

Tertio, quia si Deo creanti mundum aduenisset aliqua realis relatio, merito diceremus illum mutatum, non quidem mutatione illa vulgata, quam Aristoteles in varias species diuidit 5. *Physicorum libro*, negatque habere locum in relationibus; sed vera tamen quandoquidem reale aliquid per eam acquisiuisset; at Deus videtur modo alio reali, vtpote non pendente ab operatione intellectus aliter se nunc habere ad res, quas condidit, atq; antequam mundum condidisset, si nunc est earum causa in actu, cum ante non fuerit; est igitur in aduentu huiusce modi se habendi mutatus.

c. 1. tex. 10. & 18

Quarto, quia à Deo remouenda est non solum omnis vera mutatio, sed etiam omnis muta-

mutationis vmbra; quo pacto videtur intelligendum illud Iacobi de Deo, *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*; at ex transitu, quem Deus fecit à priori statu ad posteriorem, si non aliquam veram mutationem, saltem aliquam mutationis vmbrã subiisse non dubium est, quã vmbram Apostolus à Deo eodem modo videtur remouere, quo transmutationem; ergo negari non posse videtur, quin Deus in eo transitu modo alio mutatus sit. *cap. 1.*

Lege & Iustin. in explicatione 36. q. Gent. & Cyril. libro de recta fide ad Theodos. c. 15 q. 8. sect. 4. Postremo, quia Patres sæpe docent, si Deus quoad intellectum, & voluntatem aliquo modo se nunc haberet, quam prius fore, vt vere mutaretur; quod patet ex Augustino 11. de Ciuit. Dei c. 21. Bernardo in Cantica sermone 80. & aliis compluribus; eadem autem ratio esse videtur, si alio modo nunc se habeat, quam prius, quoad potentiam executiuam; præsertim cum hæc non distinguatur ab eius voluntate, vt diximus libro 5. ergo, cum non videatur dubium, quin Deus quoad potentiam executiuam aliter nunc se habeat, quam habuit, antequam mundũ cõderet, non dubium quoq; videtur, quin vere mutatus sit.

Ead. arg. astruunt compositionem aliquam in se admisisse. Atque his ipsis argumentis videtur etiam probatum relinqui, Deum cum ex statu illo potentiali in actualem transiuit, compositionem aliquam in se admisisse; quandocunque enim actus aliquis potentiæ coniungitur, compositionem cum ea faciat necesse est.

Quid fide certũ hac in re. Sed quia diuinæ scripturæ Deum omnino immutabilem faciunt, vt patet ex nunc citato Iacobi loco, & ex illo Malachiæ 3. *Ego Dominus, & non mutor*; & ex aliis compluribus, ex quibus etiam omnimoda simplicitas diuinæ naturæ colligitur; quorum vtrumque vera Philosophia ex eo demonstrat, quod Deus sit actus omnino purus; discutiendum est, qua ratione Deus in eo quasi transitu nullo modo mutatus sit, nullãq; omnino compositionem in se admiserit. *Quæ sint hac q. tractanda.* Quoniam vero tota difficultas huius rei in eo posita est, quænam sint rationes causandi Dei, & quo discrimine distinguantur à rationibus causandi creaturarum; *Ad cap. 2.* primo loco clarius repetendum est ex libro quinto, quidnam sit in qualibet causa eius causandi ratio, siue causalitas: deinde addendum, quid sibi proprium, & peculiare habeant rationes causandi Dei: postremo videndum, cur Deus nullo modo mutatus sit, nullamque omnino compositionem ex actu, & potentia in se admiserit, cum ex priori illo statu nihil causandi in posteriorem actu causandi transiuit.

Quidnam sit in qualibet causa eius causandi ratio, seu causalitas?

SECTIO II.

NOMINE rationum causandi, quas vocant causalitates, (*vt confuso conceptu, vero tamen, ac proprio rem initio explicemus*) intelligenda sunt ea, quibus res per se primo sunt actu causæ: quæ enim potentia tantum, aut virtute causæ sunt, non sunt simpliciter, & absolute causæ, sed possunt esse causæ. Eæ autẽ sunt actu causæ, quæ simul sunt, & non sunt cum effectis, vt docet Arist. c. 2. lib. quinti, hoc est, quæ tunc causant, cum effecta causantur, & vice versa, quæ cum hæc causantur, ipsa causant. *De quib. causalit. sit sermo.* *Tex. 3. ad finẽ.*

Hoc posito sit prima conclusio. Causandi rationes non sunt res ipsæ, quæ sunt causæ, absolute sumptæ, neque earum potentiæ, habitus ve, aut actus interni. Hæc perspicue sequitur ex nunc posita causandi rationum explicatione: quia fieri potest, vt hæc omnia sint actu in rerum natura, nec tamen actu causent, vt patet non solum in agentibus naturalibus, cum non habent materiam, in quam agere possint; sed etiam in liberis, cum se ad agendum non applicant; tametsi agere possint, & sæpe artem ad agendum habeant, imo etiam agere velint. Hæc eadem conclusio ad effecta eodem modo accõmodari potest. Nam res, quæ sunt effecta earum causarum, quæ appellantur in fieri tantum, prius desinunt ab illis causari, aut desinere possunt, quam ipsæ in rerũ natura esse desinant. Prius enim nauis, & statua habere desinunt rationẽ effectuum in actu, quam ipsi artifices in rerum natura esse desinant. *1. conclus.* *Causalit. nõ esse res ipsas absolute sumptas, &c.* *Effectis etiã accommodatur.*

Secunda cõclusio. Causandi rationes non possunt esse relationes. Hæc ex eo primum probatur, quia si esse possent, essent maxime relationes illæ, quæ conueniũt causis, vt causæ sunt, cum per se de illis dicantur, vt relatio generantis de igne generante, & relatio ædificantis de homine ædificante at hæ, etsi per se conueniunt causis, vt causæ sunt, non tñ eis primo conueniunt, sed per ipsas causandi rationes, in quibus fundantur. Neq; enim ignis ignem generat, aut homo domũ ædificat, quia referũtur ad illa; sed potius referuntur, quia ille generat, & hic ædificat; eodemque modo res habet in cæteris causarum generibus. Deinde ea ratione probatur, quia relationes, quemadmodum ad agendũ nullo modo spectant, (*quæ est communis Philosophorum conceptio*) ita nec ad vllum alium causandi modum; sed sunt rerum multarum simul existentium, quatenus certo aliquo modo inter se affectæ sunt, quædã quasi *2. conclus.* *Non esse relationes.*

Etiam in effectis valet.

appendices, & sequelæ. Eadem conclusio in effectis etiam valet. Neque enim res sunt actu effecta, quia actu referuntur ad suas causas; sed actu referuntur ad illas, quia sunt earum effecta, vt patet in eisdem exemplis: estque conclusio hæc ab omnibus recepta quemadmodum & prima.

3. conclus. Non esse accident. absoluta. Cap. 2. q. 13. sect. 4.

Tertia conclusio. Causandi rationes non sunt accidentia absoluta, quæ sint in ipsis causis aut effectis. Hæc conclusio cum loco citato libri quinti fuse aliquanto probata sit, B & in hoc ipso libro superiori quæstione satis confirmata; non est, quod nunc diligentius vniuerse probari debeat; tametsi paulo inferius in causalitatibus Dei peculiaribus rationibus magis stabilietur. Illud vnum hic addendum (*quemadmodum proportione seruata additum est in duabus superioribus cõclusionibus*) nec rationes causatorum, seu effectorum, esse vlla accidentia absoluta, quibus illa formaliter sint, & dicantur causata. Quæ C additio ea ratione probatur, quia non est maior ratio, cur effectus indigeat aliquo accidente absoluto, vt sit effectus in actu, quam causa, vt sit causa in actu; sed potius eo minor, quod effectus ex ratione sua est quiddam dependens, ac indigum: cum igitur ex dictis constet rem, quæ est causa, non indigere vllo accidente absoluto, vt causet, (*quod muneris communicatiui est*) cur eo indigeat res, quæ causatur, vt à causa aliquod esse ac- D cipiat, nulla est ratio.

Idem in effectis dicendum.

4. conclus. Esse ipsos rerum concursus.

Quarta conclusio. Rationes causandi (*vt rem expressius declaremus*) nihil aliud sunt, quam peculiares concursus earum rerum, quæ sunt causæ ad sua effecta, seu (*quod idem valet*) quam res ipsæ, quæ sunt causæ, quatenus ad sua effecta concurrunt. Qua in conclusione nomine rerum, quæ sunt causæ, intelligenda sunt præcipue ea principia, quibus res ipsæ vim causandi habent, vbi modo ali- E quo talia principia distinguuntur à rebus, quæ sunt causæ. Potius enim dicemus concursum ignis ad calefaciendam aquã esse re ipsa eundem cum forma ignis, aut calore, quæ sunt calefaciendi principia, quam eundem cum toto ipso igne; & sic in cæteris. Itaque accipimus nomen rerum indifferenter, tã pro rebus, quæ sunt causæ, quam pro principiis, siqua sunt, quib. illæ causant, quia sępe in causis nõ datur huiusmodi distinctio, vt in F materia, & forma, & in Deo etiam, nisi nostro imperfecto considerandi modo.

Quid rerum nomine intelligendum.

Probatur.

Hæc igitur conclusio ex eo primum patet, quia nulla alia se offerunt, quæ causandi rationes esse possint, vt inductione patebit. Quod enim non sint res ipsæ absolute sumptæ, nec relationes additæ, nec vero acciden-

tia vlla absoluta eisdem rebus adiuncta, ex tribus conclusionibus propositis perspicuum est. Deinde, quia huiusmodi concursibus positis, eo ipso (*hoc est, per se primo*) ponuntur causæ in actu; eisque sublatis eo ipso tolluntur. Tertio, quia ex ipsa ratione causæ, quæ tradita est ad librum, id colligitur; dicitur enim causa id, à quo aliquid per se pendet; nihil autem dicitur per se pendere ab aliquo, nisi quia illud ad eius esse per se concurrit. Postremo, quia totum negotium, seu administratio, seu actualitas, seu quouis alio nomine causarum in actu exercitium nuncupetur, in earum concursu ad earum effecta consistit; & tunc primũ intelligi, & explicari creditur, cum primum ille intelligitur, & explicatur. Quod patet tam apud Philosophos, cum agunt de causis & per se, & per accidens subordinatis; (*quarum illas sic explicant, vt dicant, superiores simul cum inferiorib. in causando concurrere; has vero ita declarant, vt doceant priores non simul concurrere cũ posterioribus*) quam etiam apud Theologos, cum agunt de concursibus generali, & specialibus, quibus tota Dei causandi ratio continetur. Nec vero à ratione alienum est, quod Deo accommodemus nomen concursus, etiam tunc, cum ipse solus aliquid facit, vt in creatione. Quanquam enim cõcurrendi verbum significet multarum simul causarum exercitium, tñ cum Deus in omnib⁹ effectis sit prima causa efficiens, finalis, & exemplaris; in iis autem, quæ sunt composita, sit etiam prima causa sustinens formas pendentes à subiectis, & continens subiecta, vt sæpius ostendimus; semper ei, vt est causa vnius generis, proprie congruit cõcurrendi verbum; vel secum scil. vt est causa in aliis etiam causarum generibus, vel etiam cum causis secundis.

C. 7. q. 1. sect. 3.

Nomen concursus cur Dei causalitati accommodetur, etiam cum solus agit.

Eodem modo proportione seruata dicendum est, ac probandũ, rationes causatorum, seu effectorũ, vt effecta sunt, hoc est, vt causantur, nihil esse aliud, quam dependentias rerum, q̃ sunt effecta à suis causis, seu (quod idem valet) quam res ipsas, quæ sunt effecta, quatenus à suis causis pendent. Ita enim hæc connexa sunt, cõcursus scilicet causarũ cum dependentiis effectuum, vt alia sine aliis neque esse, neq; intelligi possint. Non est autem hic sermo de dependentiis aptitudinalibus, quæ rebus secundum suas essentias conueniunt, (*qualis est essentialis dependentia materiæ à forma, & formæ à materia*) sed de actualibus, quæ per actualem causarum concursum rebus, quæ sunt effecta, conueniunt.

Quid dicendum de effectis.

Atque hæ conclusiones de causis ad effecta etiam accommodatæ, eo magis probandæ sunt, quod in eis nullum genus causæ, aut

effe-

effectus excipitur; sed omnia, quæ in eis de causis, & effectis pronunciantur, omnibus causarum, & effectorum generibus conueniunt; quod veritatis doctrinæ non mediocre signum est: vnde fit, vt vel hac ex parte suspicione non careat eorum philosophandi ratio, qui ab eis causas efficientes excipiunt. Sed quia mox quæri solet, quidnam sit ipse causarum concursus, & ipsa effectorum dependentia, seu quid hæc addant rebus iis, quæ sunt causæ, & effecta, absolute sumptis; aliquam ne entitatem, qua formaliter actu causant aut actu causentur; proxima conclusione id explicandum est.

5. conclus. Non addere rebus entitatem, sed puros se habendi modos. Quid puri modi.

Quinta conclusio. Causarum concursus ad sua effecta non addunt entitatem vllam rebus iis, quę sunt causæ, sed puros quosdam modos se habendi ad illa. Dico autem *puros*, hoc est, omnis entitatis expertes; quia, etsi nō sunt nihil, tamen ex ratione sua non sunt in aliquo genere, aut specie entis, nec partes vllæ, aut gradus pertinentes ad compositionem alicuius entis; sed solum modi essendi, aut se habendi entium, vt esse actu in se, esse potentia, aut virtute in suis causis, esse in subiecto naturaliter, esse extra subiectum supernaturaliter, esse completum, incompletum, necessarium, seu incorruptibile, esse vnitum, separatum, diuersum, contrarium, (*pro rationibus nimirum fundandi relationum vnionis, separationis, diuersitatis, & contrarietatis*) & alii infiniti, vt ostendimus libro quinto capite sexto, & septimo; è quorum numero in hac conclusione dicimus esse causarum concursus ad sua effecta, & pari ratione dependentias effectorum à suis causis.

Prior pars huius conclusionis ex eo probatur; quia perspicue ex quarta conclusione sequitur. Nam cum causarum concursus, & rationes causandi idem sint; hæ vero nec sint substantiæ, nec relationes, nec absoluta accidentia, vt in ea probanda ex superioribus cōclusionibus ostensum est; efficitur, vt nō sint entia vlla, vllamve entitatem adiungant rebus iis, quæ sunt actu causæ, cum omnia entia, quæcunq; sunt, aut substantiæ sint, aut accidentia absoluta, aut relatiua. Posterior pars ex priori colligitur, quia nihil aliud superest, quod causarum concursus esse possit, si non est formaliter ens, præsertim cum non sit attributum negatiuum, vt patet. Atq; hæc etiam conclusio æque accommodari potest rationibus causatorum, seu effectorum, & eodem modo in illis probari.

In effectis ead. est ratio.

Quædam notatu digna circa quintam conclusionem.

SECTIO III.

Modi puri. Vide c. 6. q. 6. sect. 2.

SVNT tamen hoc loco quædam non indiligenter animaduertenda. Vnum est, hos modos se habendi rerum ea de causa loco eodem à nobis puros appellari cœpisse, siue omnis entitatis expertes, vt eos distingueremus ab iis, qui sunt formaliter illa ipsa entia, quorum dicuntur modi: cuius generis sunt illi, quibus ens ad prima quatuor prædicamentorum genera contrahi, & ipsa inter se distingui solent. Neque enim hi posteriores (*qui entitatiui dici possunt*) sunt differentiæ, quibus ens ex ipsa rei natura cōtrahatur ad compositionem eorum generum, sed sola rudi quadam consideratione nostra, cum alioqui nec natura entis tanquam ratione vere vna diuidatur, & additione horum modorum quasi differentiarum in plures partes subiectas multiplicetur: sed sunt ipsissimæ essentiæ simplices eorum generum nulla compositione metaphysica constitutæ, & in omnibus subiectis generibus, speciebus, & indiuiduis inclusæ: quas tamen simplices essentias commodius ad disserendum distinguere solemus in confusum entis conceptum, & in hos modos entitatiuos, vt in eis essentiis aliquando consideremus analogicam earum conuenientiam; aliquando vero peculiarem cuiusque naturam, & rationem. Qua etiā significatione ipsæ quoq; qualitates prædicamentales dici aliquando solēt modi substantiæ: relationes vero modi se habendi rerum aliarū ad alias, cum tñ hæc omnia sint vere, & formaliter entia. Itaq; hi posteriores modi certas habent sedes in prædicamentis; illi autē priores nec sunt entia, partesve, aut gradus constitutiui entium, nec vllam habēt in prędicamentis sedem, siue directam, vt genera, species, & indiuidua, siue reductitiā ad alicuius entis constitutionem pertinentem; sed sub eodem conceptu (*qui sæpe vniuocus est*) vagantur per varia genera, ac species rerum, tanq̄ quædam eorū communes conditiones, quib. illa modaliter, vt ita dicā, inter se conueniunt, aut distinguuntur: quas cōditiones, siue attributa, q̄ nemo vnq̄, quod sciā, negauit ratione aliqua esse distincta à rebus, quibus cōueniunt, aut illis per operationem intellectus conuenire dixit; hos, inquam, modos siquis minus considerate in aliquam entium coordinationem redigere voluerit, omnia sursum deorsum miscebit, neque vllum prorsus sui instituti exitum inueniet, quod experienti perspicuum fiet. Dicuntur autem in eo sensu apud omnes hi puri modi esse idem re cum entibus, quorum sunt modi, in quo sensu priuatio dici solet idem re cum materia, & vnum eadem natura cum

Modi entitatiui.

Vt differant.

ente; nempe, vt quemadmodum priuatio dicitur idem re cum materia, quia non est res alia ab illa, nec extra illam reperitur, & similiter vnum dicitur eadem natura cum ente, quia non est alia natura positiua ab ente diuersa, aut extra illud reperta; sic etiam hi puri modi se habendi rerum intelligantur non esse res aliæ, aut aliæ entitates ab entitatibus rerum, quarum sunt modi, aut quicquam, quod extra illas reperiatur. Est igitur sensus in his locutionibus negatiuus, & simul ad hoc vtilis in hac disputatione, vt causarum concursus non credantur esse extra ipsas causas concurrentes, nec dependentiæ effectorum extra ipsa effecta dependentia; nisi concursus *(qui in genere causæ efficientis dicitur influxus)* sumatur pro concursu, aut influxu passiuo, qui est in patiente, aut effectu, & effluxus appellari potest.

Hos puros modos partim esse absolutos, partim relatiuos.

Alterum est, quemadmodum entia partim sunt absoluta, partim relatiua, ita hos puros rerum se habendi modos vel absolutos esse, vel respectiuos. Absoluti sunt ii, quibus res hoc, vel illo modo se habent in se ipsis, vt esse actu in rerum natura, *(si de creaturis agitur)* esse potentia, esse completum, esse incompletum, esse finitum, esse infinitum, vt Scotus ait; esse necessarium, esse contingens, si hæc duo sumantur pro incorruptibili, & corruptibili in creaturis, vt explicauimus libro sexto; inter quos Aristoteles libro duodecimo capite septimo † ponit esse simplex, & pari ratione ponendum est esse compositum. Respectiui sunt ii, quibus res hoc, vel illo modo se habent ad alias, vt esse contrarium, esse differens, diuersum, vnitum, separatum, propinquum, remotum, & alia huiusmodi sumpta, non vt significant relationes, sed earum fundandi rationes, vti diximus. Huius autem posterioris generis modorum, nempe aliarum rerum ad alias, esse causarū concursus ad sua effecta, & dependentias effectorum à suis causis apertum est.

In quodl. q. 5.

c. 2. q. 3. sect. 2.
† tex. 37.

Tertium est, etsi purus se habendi modus in commune sumptus recte appellari potest & modus se habendi, & modus essendi, eodemque pacto ii omnes, quos absolutos diximus; tamen respectiuos non vniuerse appellandos esse modos essendi, sed tantum se habendi ad aliud, ne putentur esse absoluti, quibus nimirum res hoc, vel illo modo se habeant in se ipsis.

Discrimen inter modum essendi, & se habendi.

Quartum est, his puris se habendi modis sex vltima prędicamenta à primis quatuor, & inter sese distingui, vt à nobis dictum est eisdem locis lib. 5. qua in re secuti sumus veriorem D. Thomæ opinionem, imo etiam Germanam Aristotelis sententiā. Vt enim de distinctione prædicamentorum actionis & passionis nunc loquamur, *(hac enim sola ad rem præsentem facit)* actio, & passio, quæ illa constituunt, si de entitate earum agitur, non sunt aliud, nisi vna, & eadem absoluta entitas motus, vt motus est, nempe actus imperfecti, tendentisque imperfectionem, veluti albedinis in fieri. Hæc enim quatenus proficiscitur ab agente, vt suo modo eius actus, & perfectio, est actio, vt recipitur in patiente passio.

Puris se habendi modis sex vltima prædic. distingui.

Neq; vero D. Thomas, aut Scotus *(vt credo)* propositæ conclusionis quintæ oppositum sentiunt, dum in creatione passiua non videntur aliquid aliud agnoscere, nisi rem, quæ creatur, & relationem realem ad creatorem; quam eandem relationem dicunt esse ipsam creationem passiuam, haud expresse nominata seorsim actuali dependentia creaturæ à Deo, quam dicimus non esse relationem, sed modum purum se habendi ad illum. Neq; enim credendum est tanta ingenia non vidisse eiusmodi relationem esse posteriorem ipsa actuali depēdentia, & in ea fundari, cum creaturæ nō pendeant actu à Deo, quia ad illum referuntur; sed potius ad illum referantur, quia actu ab illo pendent.

D. Th. 1. p. q. 45. a. 3. de Poteat. q. 3. a. 3. 2. contra Gent. c. 18. & alijs locis, Scot in 2. d. 1. q. 4. & 5.

Hos doct. non repugnare nostræ 5. conclus.

Dicendum igitur, vtrumque Doctorem eius relationis nomine ipsam dependentiam à Deo significasse, quod vel ex ipso nomine relationis dependētiæ, quo vsi sunt, patet. Dicitur enim relatio dependentiæ, quia in ipsa dependentia fundatur. Et quanquam multi dicunt Scotum in ea materia nomine dependentiæ solam aptitudinalem intellexisse; crediderim tamen illum intellexisse actualem, quod aptitudinalis pertineat ad essentiam omnium creaturarū, nec fundetur in creatione, sed illam præcedat, perpetuoque creaturis conueniat, vt materiæ aptitudinalis dependētia à forma, & formę à materia, accidētiumq; à substantia, & scientiæ ab obiecto, etiam antequam ista in rerum natura ponantur. Nisi quod multis videtur D. Thomas credidisse relationem actualis dependentiæ realiter differre à creatura; Scotus autē sola ratione formali; quod aliis D. Thomæ recentioribus interpretibus, nobisq; etiam placet. Potius tamen vterq; creationem passiuam eius relationis nomine, quam ipsius dependentiæ appellauit, quod actualis dependentia nec sit formaliter ens, sed purus quidam entis modus, vt diximus, nec per se, sed reductitie ad prædicamenta pertineat; relatio autem & sit formaliter ens, & habeat per se, ac directo locum in prædicamento relationis, faciliusq; intelligi possit. Quanquā D. Thomas nonnunquā eandem passiuam creationē esse ait ipsam dependentiam, veluti in 2. cont. Gent. c. 18. vbi sic

Quid intelligāt in creatione passiua nomine relationis dependentiæ.

Caiet. ad 1. p. q. 45. a. 3 Ferrar. 2. cont. Gent. c. 18. & Capr in 2. d. 1. q. 2.

Vt differat actualis à rebus, & cur vterque Doctor relationis nomine sit vsus.

D. Th. etiam vocat dependentiam.

sic scribit, *Non enim creatio est mutatio, sed ipsa dependentia esse creati ad principium, à quo instituitur.* Quibus verbis plane vocat creationem passiuam non relationem dependentiæ actualis, sed ipsam actualem dependentiam. Cum autẽ paucis interpositis subdit, *Si creatio relatio quædam est, rem esse quandam*; iam creationem vocat relationem, tametsi moderatione adhibita, quasi dicat, *Si illam quis relationis nomine appellet:* quod idcirco addit, quia minus ei placet ea consuetudo, qua tamen sæpissime vtitur, vt doceat, hoc pacto creationem dici posse rem quandam, nempe accidẽs reale. Neq; refert, quod vtramque, & ipsam dependentiã actualem, & relationem, quæ in ea fundatur, dicat eo loco esse de genere relationis: est enim id intelligẽdum vel reductiue, vel per se. Quæ certe omnia cohærent & inter se, & cum iis, quæ hactenus diximus. Libenter enim interpretamur sanctum Doctorem præclarum totius Scholæ lumen, pro veritate, cuius ille fuit vbique studiosus, quod nobis eius doctrinam sanctæ memoriæ Pater IGNATIVS nominatim commendarit.

Vt 1. p. q. 45. ar. 3. de potent. q. 3. art. 3. & quodl. 7. q. 4. a. 3.

Adde, quod ex ipso quærendi modo inuectum est, vt creatio passiua relatio diceretur. Quærebatur enim in Scholis D. Thomę ætate, esset ne creatio passiua aliquid in creatura: *(actiuũ enim apud omnes constabat esse in Deo)* ad quam quæstionem, cum verbo [*Aliquid*] ens aliquod significari soleat, nec responderi posset esse aliquod accidẽs absolutum, iis nimirum de causis, quas superius exposuimus; nec vero ipsa actualis dependentia creaturarum à Deo esset ens aliquod, vt etiam probatum est: necessario respondendum erat, si quid *(hoc est, si quod ens)* ea esset præter creaturam, non esse aliud, quam relationem actualis dependentiæ à Deo creante, quæ relatio verum ens reale est. Quanquam sumpto etiam fusius nomine, *Aliquid*, pro ente, aut modo entis, apte responderi posset esse aliquid relatiuum, cum actualis depẽdentia sit modus relatiuus, non absolutus, vt paulo ante diximus. Quocirca multi, & graues D. Th. interpretes, & inter eos duo recentiores Salmanticenses, fatẽtur creationem passiuam dici à D. Thoma relationem dependentiæ, non quod formaliter relatio sit, sed quod sine ea aut nullatenus, aut difficile creatio passiua intelligatur; quod idẽ dicunt de creatione actiua, quæ in Deo est, cũ eam compleant per relationẽ rationis ex parte Dei creantis, quæ relationi actualis depẽdẽtiæ creaturarum respondet. Quin etiam ad hunc sensum reuocari potest Nominalium, & aliorum complurium sentẽtia cum dicunt creationem passiuam esse ipsam creaturam, quatenus depẽdet à Deo creante, idq; sibi vi- A dentur colligere ex Damasceno dicente, *creaturam*, seu vt alii vertunt, *creationem esse ex Dei voluntate opus existens, & non coæternum Deo.* In hoc enim recte illi philosophantur, quod in ratione creationis passiuæ solã creaturam, quatenus à Deo pendet, concipiunt; quasi relatio inde secuta posterius quiddam sit, & ad explicationem eius à posteriori fere necessarium; etsi eorum alii, atq; alii hoc, vel illud nomine relationis intelligant.

Vnde inuectum, vt creatio passiua diceretur relatio.

Super. quæst. sect. 4.

Bannes ad 1. p q. 45. a. 3. dub. 4. Cumel. q. 65. ar. 3. quæst. sua 3. Posse alios autores ad nostram sentens. reduci.

Vide Gabr. in 2. d. 1. q. 1. & Gregor. q. 6. concl. 2.

lib. 1. fidei c. 8.

B Ex quibus efficitur probabile admodum esse Scotum nomine relationum extrinsecus aduenientium, quas à prædicamento ad aliquid exclusit, intellexisse eos puros modos se habendi rerum, quibus sex vltima prædicamenta distingui diximus, eosq; appellasse relationes, quia sunt respectiui, & multarũ relationum prædicamenti ad aliquid fundandi rationes; id quod videtur multi partim aperte sensisse, partim subodorati esse.

Hos modos intellexisse Scot. nomine relat. extrinsecus aduenien.

4. sentent. d. 13. q. 1. & quodlib. 11. a. 4.

C Ita patet duas proximas cõclusiones quartam, & quintam, si res diligentius expendatur, omnium alicuius nominis autorum esse communes: Adeoque rationi consonas, vt fidendum sit fore, vt si qui alii non ita sentirent, ordine tamen interrogati *(quod Aristoteles de quibusdam veteribus non semel ait)* eisdem subscriberent. Atque hæc de rationibus causandi omnium causarum in commune acceptis sint satis.

D

Quamlibet causandi rationem, siue causalitatem Dei, in ipso Deo esse, non in creaturis.

SECTIO IV.

NVNC priuatim de causandi rationibus, siue causalitatibus, quæ in Deo sunt, illud primum colligendum est ex dictis, diui- E nas causalitates non in creaturis, sed in ipso Deo esse, idemque propriis argumentis ex diuina natura ductis confirmãdum: deinde addendæ sunt aliæ conclusiones, quibus diuinæ causalitates specialius explicentur. Esse igitur illas in Deo, nõ in creaturis, ex proximis conclusionib. plane cõstat. Causalitas enim nihil est aliud, quã concursus causæ; concursus autem causæ non est aliud realiter à causa ipsa concurrẽte, aut aliquid ab ea separatũ, vt pa- F tet ex conclusione quarta, & ipsius explanatione. Item concursus causæ non addit causæ concurrenti formã aliquam substãtialem, aut accidentalem, sed purum quendam se habendi modum ad effectum; purus autem modus se habendi cuiusque rei non est aliud realiter à re sic se habente, aut aliquid ab ea seiunctum, vt patet ex quinta conclusione, & eius explica-

Colligitur hoc ex dictis.

explicatione. Præterea ita se habet concursus causæ ad causam concurrentem, quemadmodum dependentia effectus ad effectum dependentem; quandoquidem in his consistunt eorum propriæ, & peculiares rationes: sed, dependentia effectus nõ est res alia ab effectu depẽdente, neq; etiam aliquid ab eo separatum, ex se patet, & ex appendicibus earundem conclusionum: ergo concursus causæ neque est res alia, neque in re alia à causa concurrente.

Propriis argum. monstratur in causalit. actiua.

Propriis autem argumentis ex diuina natura ductis. Primum, quia, vt de causalitate tantum actiua loquamur, (*de cæteris enim id facile conceditur*) vel causalitas agentis est vera actio, & quę veram rationem entis habeat, vt quidam volunt; vel est purus concurrendi modus effectiue, qui ex communi ratione sua, in Deo autem nostro considerandi modo, nullam dicit entitatem, sed eam ponit in effectu, vt sentiunt ii, qui consideratius rem expendunt: vtrouis autem modo quis philosophetur, non in creatura vlla, sed in Deo ipso ponenda est eius causalitas. Propositio patet ex diuersitate opinionum. Assumptio ex eo probatur, quia, si quis magis probet causalitatem agentis esse veram actionem, concedat necesse est, eam esse immanentem in Deo; tum quia omnis actio transiens, quæ in creatura est, pendet ab actione Dei immanente: tum etiam, quia actio creandi ex mente omnium grauium Theologorum non est in creatura, sed in Deo; eademque ratio est de quauis alia actione, qua Deus aliquid efficit; nec opposita opinio est, nisi paucissimorum quorundam recentiorum: tum denique, quia actio transiens, quæ in creatura est, non potest habere rationem actionis, sed effectus respectu Dei, vt consideratissime tradit, & grauissime probat D. Thomas 1. p. q. 25. ar. 1. & aliis locis compluribus. Si quis autem potius malit esse purum Dei effectiuum concursum, qui ex communi ratione sua, in Deo autem nostro considerandi modo, nullam entitatem formaliter importet, euidentius habetur propositum, cum purus modus se habendi cuiusque rei ad rem aliam non distinguatur realiter à re, quæ sic se habet ad illam, nec sit in re alia, vt dictum est, & omnes communiter sentiunt.

D. Th. 1. p. q. 45. a. 3. Alb. in 2. d. 1. a. 6. Scot. ead. dist. q. 5 Dur. q. 2. Rich. q. 2. & 3. Capr. q. 1. a. 1. Caiet. ad 1. p. q. 25. a. 1. Ferr. 2. cont. Gent. c. 18. & aliorum.

Causalit. actiua Dei est modus amandi creaturas amore communicationis.

Deinde, quia causalitas actiua Dei est modus amandi creaturas, non quidem amore complacentiæ, qui in Deo est necessarius; (neque enim creaturæ possunt non placere Deo, quatenus sunt eius quædam participatæ similitudines) sed amore communicationis, vt paulo intelligetur, qui amor liber est in Deo, vt quo libere Deus aliquod esse verum,

A & reale eis comommunicare decreuit: hoc enim amore omnia efficit Deus, sola temporis, aut momenti circumstantia adueniente: atqui modus sic amandi creaturas non est quærendus in ipsis creaturis aliquando futuris, sed in Deo ipso; ergo nec causalitas eius actiua.

Generalis Dei concursus dici nequit indifferens, nisi sit in ipso.

Tertio, quia causalitas generalis Dei est eius generalis concursus: (per eum enim est Deus causa generalis in actu) at generalis Dei
B concursus dicitur esse indifferens ad omnia Dei effecta, quæ non sunt extraordinaria, & supra naturæ cursum: nihil autem est in creatura vlla, quod sit indifferens ad omnia huiusmodi effecta, etiam identice, siue realiter, cum omnia in qualibet creatura sint limitata; in Deo autem voluntas concurrens ad omnia opera ordinaria est ad omnia illa indifferens: non igitur in creatura vlla est causalitas generalis Dei, sed in ipso Deo identificata realiter
C cum diuina voluntate, quatenus concurrit ad opera ordinaria. Quod idem suo modo dicendum est de causalitate eius speciali, quoad omnia effecta, quæ communem naturæ cursum excedunt.

Discrimen inter generale Dei auxilium & concurs.

Quod si quis obiiciat concursum Dei generalem idem esse, quod generale auxilium, concursumque specialem idem, quod auxilium speciale; hæc autem auxilia esse in creaturis, quibus auxilium præstatur, non in ipso
D Deo; ergo & vtrumque concursum in creaturis esse, non in Deo: negandum est, idem esse re vera auxilium, atque concursum, nisi concursus sumatur pro passiuo concursu, de quo non agimus. Actiuus enim concursus in concurrente est, neque est aliquid acceptum, sed conferens, seu potius, quo aliquid confertur: auxilium autem, cum sit id, ꝙ confertur, seu quo indigẽti subuenitur, in eo est, cui confertur & cui subuenitur, aut illi exterius offertur.
E Itaq; concursus actiuus Dei in Deo est, auxilium autẽ in creaturis, quod etiam concursus passiuus, siue acceptus appellatur; cuiusmodi sunt ipsæ actiones particularium causarum, quatenus Deus ad eas concurrit; & qualitates item, quas Deus sæpe infundit, vt per eas causæ particulares aliquid agant, aut alia externa subsidia, quæ alicuius boni gratia exterius offeruntur: hæc enim omnia dicuntur auxilia vel generalia, vel specialia, quatenus
F à Deo ordinarie, aut extraordinarie proueniunt. Quibus expositis addendæ sunt reliquæ conclusiones.

Reliquæ conclusiones, quibus causalitates Dei specialius explicantur.

SECTIO V.

SEXTA

6. concluſ. Quid ſit in Deo cauſalitas finalis.

SEXTA concluſio. Cauſalitas finalis cauſæ in Deo nihil eſt aliud, quam concurſus ſummæ eius bonitatis ad omnia, quæ quocunque modo fiunt, quatenus modo aliquo gratia illius fiunt; ſeu (*quod eodem redit*) nihil eſt aliud, quam ipſa ſumma Dei bonitas, quatenus hoc modo concurrit. Hæc concluſio ex quarta perſpicue deducitur. Nam cum nullus finis alliciat cauſam efficientem ad agendum, niſi quatenus bonitatem aliquam continet, ſeu veram ſeu apparentem, hoc eſt, aliquam perfectionẽ naturalem, vel moralem, quæ in honeſtate, aut vtilitate, aut iucunditate aliqua cõſiſtit; bonitas autem diuina omnẽ bonitatẽ, perfectionemve eminentiſſime contineat; efficitur, vt ea ſit, cuius gratia modo aliquo agantur omnia, ſiue illius manifeſtandæ cauſæ, ſiue quouis modo obtinendæ, aut participandæ. Vnde eſt illud, quod initio Ethic. ad Nicomachum tradit Ariſt. *Bonum eſt, quod omnia appetunt*, iuxta eorum expoſitionẽ, qui eo loco bonum pro ſummo bono ob præpoſitum Græce articulum interpretantur.

In his Euſtratius, nec repugnat D. Thomas ad eum locum.

7. concluſ. Quid exemplaris.

Septima concluſio. Cauſalitas exemplaris cauſæ in Deo nihil eſt aliud, quam concurſus diuinarum idearũ ad omnia, quæ fiunt, quatenus earum imitatione fiunt; ſeu (*quod in idẽ recidit*) nihil eſt aliud, quam ipſæ diuinę ideæ; quatenus hoc modo concurrunt. Quæ concluſio ex eadem quarta concluſione pari ratione deducitur. Nam vt ſumma Dei bonitas eſt principiũ, quo Deus cauſat, vt finalis cauſa; ita diuinæ ideæ ſunt principia, quibus cauſat vt cauſa exemplaris.

8. concluſ. Quid effectiua.

Octaua concluſio. Cauſalitas cauſæ efficientis in Deo eſt concurſus diuinæ voluntatis ad efficienda omnia, quæcunq; fiunt; ſeu (*quod idem valet*) nihil eſt aliud, quam ipſa voluntas, actus ne practicus diuinæ voluntatis, quatenus hoc pacto concurrit. Quę etiam concluſio ex eadem quarta concluſione patet; quandoquidem principium, quo Deus hoc modo concurrit, eſt ipſe practicus diuinæ voluntatis actus, ad quem ſpectat omnis vis efficiendi, quia potentia executiua in Deo eſt idem cum voluntate Dei, quatenus ad praxin refertur, vt patet ex lib. 5. Et quanquam intellectus, etiam diuinus, practicus, ſeu potius practicus eius conceptus, eſt principium omnis effectionis, nullius tamen rei complete, & vltimate effectiuus eſt, niſi ab actu voluntatis practico determinetur, & compleatur, vt ad praxim perducatur.

.15.q.8.ſect.4.

9. concluſ. Quid ſuſtentatiua & contentiua.

Nona concluſio. Cauſalitates cauſæ ſuſtentantis, & continentis, in Deo ſunt concurſus ipſius diuinæ eſſentię ad ſuſtentandas formas dependentes à ſubiectis, & ad continendas materias, ſeu (*quod idem eſt*) ſunt ipſa diuina A eſſentia, quatenus ipſa per ſe his modis concurrit. Dico autem [*per ſe*] quia quemadmodum materia, & quodlibet aliud ſubiectũ, non per actionem vllam, qua aliquid agant, nec per quicquam aliud, ſed per ſe ipſa ſuſtinent formas pendentes à ſubiectis; ita Deus quatenus concurrrit cum illis ad ſuſtentandas formas in ſuo eſſe, non per actionẽ vllam, nec per quicquam aliud quouis modo diſtinctum à diuina eſſentia eas ſuſtinet: idemque B proportione ſeruata dicendum eſt de Deo, quatenus continet in ſuo eſſe materias. Vnde & diuina eſſentia, quatenus in beatis ſubit rationem formę intelligibilis continentis in eſſe diuini conſortii intellectum beatorum, non per quicquam aliud quouis modo diſtinctũ à ſe, ſed per ſe ipſam in eo eſſe illum continet. Probatur autem concluſio hęc ex eadẽ quarta concluſione, quia diuina eſſentia per ſe ipſam, & non per quicquam aliud, etiam ratione diſ- C tinctum has cauſalitates exercet; tametſi nũquam eas exercet, niſi cum ſimul aliquid effectiue cauſat per intellectum, & voluntatem, vt ſuperius explicauimus.

10. concluſ. Diuinas cauſal. eſſe formaliter æternas, & virtute temporal.

Decima concluſio. Diuinæ cauſalitates, quatenus ſunt idem cum diuina eſſentia, ſunt & formaliter æternæ, & virtute temporales. Pro huius concluſionis intelligentia animaduertendum eſt diuinas cauſalitates non ſolum eſſe idem realiter cum diuina eſſentia, ſed D etiam formaliter: hoc enim eſt proprium, & peculiare diuinarum cauſalitatum. Nam eſſentia diuina, propter ſuam infinitam perfectionem cum ſumma ſimplicitate coniunctam, identificat ſibi non ſolum realiter, ſed etiam formaliter ea omnia, quæ ſunt in Deo; tametſi non eodem modo identificat illa omnia inter ipſa, propter relatiuam oppoſitionem perſonarum diuinarum, perſonaliumq; proprietatum, quæ, etſi realiter, & formaliter E ſunt idem cum diuina eſſentia, tamẽ nec formaliter, nec realiter ſunt idem inter ſe, vt diximus lib. 5. cum de variis diſtinctionum generibus ageremus. Quare, cum quidquid in Deo reperitur, ſit realiter, & formaliter ipſa diuina eſſentia, (alioqui Deus non eſſet actus purus, vt patebit li. 12.) diuinæ autem cauſalitates nõ ſint in creaturis, ſed in Deo, vt ex dictis perſpicuum eſt; efficitur, vt non ſolum ea principia cauſandi, quæ in Deo reperiuntur, F & noſtro intelligendi more à diuina eſſentia diſtinguuntur, ſed etiam ipſæ cauſalitates ſint idem realiter, & formaliter cum diuina eſſentia. Imo etiam & inter ſe, quia inter hæc non cernitur relatiua oppoſitio, cum ſint omnibus perſonis communia.

Eſſe idem formal. cum diuina eſſentia.

Cap.6.q.6.

Probatur.

Hoc poſito, perſpicua relinquitur prior pars concluſionis, quia diuina eſſentia formaliter

æterna est, posterior pars ex eo probatur, quia cum diuina essentia virtutem habeat concurrendi ad effecta temporalia; recte dicere possumus diuinas causalitates, quatenus sunt idem cum illa, esse virtute temporales, quia perinde diuina effecta causantur in tempore, ac si illę essent formaliter temporales. Et confirmatur tota conclusio ex eo, quod Deus determinatur ad causandum per actum practicum diuinæ voluntatis; is vero actus, quatenus est actio formaliter immanens, est formaliter æternus; quatenus autem virtute transiens, vt sæpe diximus, est virtute temporalis.

11. conclus. Quadrimẽbris. Quid Deo attribuatur, quando dicitur actu causa.

Vndecima conclusio. Etsi Deus non dicitur actu causa, nisi cum eius effecta actu causantur; tamen hæc affirmatio nihil reale ei attribuit, quod nouum sit, quæ ex tempore, nisi terminatiue, atque etiam nostro intelligendi more. Pro qua conclusione illud animaduertendum est, quemadmodum in explicatione superioris diximus, diuinas causalitates esse idem cum diuina essentia, non solum realiter, sed etiã formaliter; ita pro explicatione huius intelligendum esse, eas distingui ab illa non solum actu per operationem intellectus, quæ dicitur distinctio rationis ratiocinantis, sed etiam virtualiter, & eminenter ex natura rei, quę distinctio nõ est ex natura rei simpliciter, sed secundum quid, vt diximus lib. 5. & à multis appellatur rationis ratiocinatæ, non quod intellectus eam inueniat in rebus, *(quod est esse simpliciter ex natura rei, vt eodem loco adiidimus)* sed quod in eis habeat fundamẽtum: quod fundamentum in Deo est summa diuinæ naturę altitudo, & sublimitas, quę summa simplicitate sua infinite perfectius, & eminentius præstat ea omnia, quæ præstaret, si complecteretur multa ex natura rei distincta.

Quo pacto causalit. distinguantur à diuina essent.

C. 6. q. 6. sect. 3.

Probatur prima pars conclus. ex Aristot. lib. 5. c. 2. tex. 3.

Hac explicatione posita, prima pars conclusionis probatur ex illo sæpe repetito principio, causam in actu, & effectum in actu simul esse, & non esse: itemq; ex ipsa causalitatũ explicatione tum rudi, & vulgata illa initio ferme huius quæstionis posita; tum etiam ex ea expressiori, quæ in explicatione quartæ, & quintæ conclusionum subiecta est.

Sect. 2. Sect. 3.

Probatur 2.

Secunda pars ea ratione probatur, quia cum dicimus Deum esse actu causam alicuius effectus, aut sumimus nomen causæ, vt significat relationẽ Dei ad eiusmodi effectum; aut vt significat ipsam actualem causalitatẽ, hoc est, ipsum actualẽ concursum, in quo ea relatio fundatur. At ea relatio, etsi est noua, nõ est tamen reale quicquam, sed rationis. Ipse vero concursus, etsi est realis, non est tamẽ simpliciter, & absolute nouum aliquid, siue ex tempore. Primum, quia nihil dicitur simpliciter, & absolute nouum, seu temporale, nisi modo

Dei concursus non est simplicit. ex tempore.

A aliquo causatum sit: at concursus diuinus nullo modo causatus dici potest, quia ex natura rei est formaliter ipsa diuina essentia, vt patet ex conclusione decima. Deinde, quia alioqui iam aperte sequeretur in Deo mutatio ex statu potentiali ad ipsam actualem, realemq; nouitatem. Postremo, quia idem colligitur ex resolutione eius quęstionis, qua quęrunt Theologi, Num actio, qua Deus creauit mundum, quatenus actio, fuerit ab æterno,

B an ex tempore? Nam etsi, quatenus actio altera ex parte videatur fuisse ab ęterno, cum esset immanens in Deo; ex altera vero ex tempore, cum videatur simul esse debuisse cum effectu; tamen D. Thomas simpliciter, & absolute respondet eam fuisse ab æterno, quia erat actio immanens in Deo: additq; non inde tamen colligi posse mundũ fuisse ab æterno cõditum: *Quia posita*, inquit, *actione non sequitur effectus, nisi secundum exigentiã formæ, quæ*

1. p. q. 46. ar. 1. ad 9. & 10. Actionem, qua Deus creauit mundum, simpliciter æternam vocat D. Th.

C *est principium actionis: vnde, quia in agentibus per voluntatem id, quod conceptum est, & prædefinitũ*, (hoc est, ipsa præconceptio, & prædefinitio rei faciendæ) *accipitur vt forma, quæ est principiũ actionis; iccirco nõ est secutus ex æterna Dei actione effectus eius æternus, sed qualem Deus voluit, vt scilicet haberet esse post non esse.* Ex hac ergo resolutione sic licet argumẽtari. Non potest dari actio, quatenus actio, nisi cũ ea simul detur ratio agendi, seu actiua causa-

D litas, vt patet: atqui actio, qua Deus creauit mundum, etiã quatenus actio ab æterno fuit: ergo & actiua causalitas, & pari ratione cæteræ eius causalitates; ac proinde simpliciter, & absolute diuinæ causalitates non sunt dicendæ nouæ, siue ex tempore, sed ex æternitate.

Caietanus in eum locum respondet actionem, qua Deus creauit mundũ, quatenus erat actio, fuisse ab æterno secundũ id quod actio, in quantum actio, ponit in agente; sed secun-

Quid de eo Caietanus.

E dum id, quod ex se effectum infert, non fuisse actu ab æterno. Quę solutio eundem sensum habet. Nam actio ea, quæ formaliter est immanens, & virtute transiens, ponit in agente, in quantum actio, non solum seipsam, sed etiam ipsam agendi rationem; quod idem eodem modo ad alias causandi rationes accommodandum est. Illud tamen non placet, quod Caietanus addit, non solum actionem Dei, quatenus erat actio, fuisse ab æterno, sed et-

Deus non fuit ab æterno causa actu.

F iam Deũ ab æterno fuisse actu causam. Nunquam enim datur causa in actu, nisi cum causalitas terminatur ad effectum.

Ex quibus facile explicari potest iuxta veram sententiam ea opinio Alberti Magni, qua in librum Dionysii † Areopagitæ de cœlesti hierarchia, vt vulgo citant, docet creationem mundi ab æterno fuisse, etsi mundus in tempore

Quid significarit Albert. cum dixit creationem fuisse ab æterno.

† cap. 4.

pore creatus est. Neq; enim huic pronũtiato, tanquam extraneo, & inopinabili, resistendũ est neganda omnino priori eius parte, vt quidam faciunt dicentes, creationem includere relationẽ rationis Dei actu creantis, quæ non fuit ab æterno; sed potius exponenda, vt intelligatur de creatione quoad id totũ, quod ponit in Deo: sic enim verũ est, eam fuisse ab æterno. Non est tamen vsurpanda hæc Alberti locutio sub expresso nomine creationis, quia creatio præ se fert actum practicum diuinæ voluntatis completum, & terminatum, quo pacto eum sequitur relatio creantis, Cautius loquitur D. Thomas, qui non ait creationem fuisse ab ęterno, sed actum, seu actionẽ creandi. Hæc enim *(etiam vt actio est)* concipi potest, ac solet vt nõdum completa, & terminata. Adde, quod ab his nõ minime peccatur in eo, quod dicunt creationem includere relationem Dei creantis: potius enim ea relatio sequitur creationem, quam in ea includatur. Quanquam perinde erit probare ex relatione, quæ creationem sequitur, non esse vsurpandam Alberti locutionem, atq; ex ipsa formali ratione creationis, quę includit completum, & terminatum Dei creãtis concursum.

Cautius D. Th.

Pro tertia conclus. parte.

Tertia pars vt planius, & vtilius intelligatur, animaduertendum est, actum diuinæ voluntatis, qui in se ipso vnicus, simplicissimus, & inuariabilis omnino est, tribus modis terminari: vno ad ipsam diuinam essentiam, quæ est primum, & immediatũ obiectum voluntatis diuinæ; quo pacto is actus est necessarius, quia Deus non potest essentiam suam nõ infinite amare: altero ad ea, quæ virtute in ea cõtinẽtur, hoc est, ad omnia factibilia, quatenus secũdum suas naturas sunt participationes quędã, siue imitationes diuinæ essentiæ; quo etiam pacto idem actus est necessarius, quia Deus non potest nõ amare amore complacentiæ ea omnia, quæ quauis ratione ipsi similia sunt, quatenus suis quæque gradibus diuinam perfectionem imitãtur, vt etiam superius tetigimus: tertio ad ea, quibus Deus ab æterno decreuit aliquod esse secundum realem existentiam communicare; quo pacto is actus *(hoc est, quatenus sic terminatur)* non est necessarius, sed liber; quia Deus nihil extra se producit ex necessitate naturæ, sed omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, vt Paulus ait, & veri Philosophi, ac Theologi demonstrant: vnde quemadmodum extra se omnia libere producit, ita etiam libere vult producere. Quocirca non omnia amat amore huiusce communicationis, sed alia hoc pacto amat, alia non amat: & quæ hoc modo amat, etsi ab æterno amat, nõ tamen pro quouis tẽpore amat; quia quemadmodũ ab æterno decreuit aliquod esse quibusdam cõferre, ita decreuit aliis non conferre; neq; iis, quibus illud conferre voluit, decreuit semper conferre, sed certo ac determinato tẽpore. Quapropter etsi in prima terminatione illius diuini actus nulla omnino varietas cernitur, quẽadmodum neq; in ipso primo, & immediato obiecto, in quo omnia sunt vnum infinite perfectum ens; tamen in secunda iam hæc varietas nostro considerãdi modo spectatur, quod pro diuersitate perfectionis obiectorũ alia magis, alia minus amãtur à Deo amore complacentiæ; non intensiue tamen, quia in actu amoris diuini nõ datur intensio aut remissio, sed appretiatiue, quia alia pluris, alia minoris æstimat. At in terminatione tertia non solum circa res, sed etiam circa tempora consideramus varie terminari diuinum actum; quia neq; eadem omnibus cõmunicare decreuit, neq; etiam semper, sed certis temporum differentiis.

Tribus modis terminari actũ diuinæ voluntatis.

Omnia factibilia Deus amat necessario amore complacentiæ.

Amore communicationis nil extra se necessario.

Ad Ephes. 1.

In primo modo nulla varietas.

In secundo, quænam concipiatur.

Quæ item in tertio.

Varietas igitur secundæ terminationis illius simplicissimi actus nihil est aliud, quam varietas modorum amandi omnes creaturas possibiles amore complacẽtiæ. Nam varietas relationũ rationis, quibus Deus per eum simplicissimum actum varie refertur ad illas, (vt omnes fatẽtur) posterior est varietate modorum amandi omnes; quia nõ propterea Deus alio, & alio modo eas amat, quia alio, & alio modo refertur ad illas; sed propterea alio, & alio modo ad illas refertur, quia alio, & alio modo eas amat. Itaque simplicissimus ille actus propter infinitæ perfectionis eminentiam, qua adæquatur in amando infinitæ Dei perfectioni, virtute continet infinitos actus diuinæ voluntatis circa creaturas, infinitasq; eorum terminationes, quia idem præstat, ac si in Deo essent infiniti, eorumq; terminationes infinitæ.

Secunda terminationis varietas est modorum amandi amore complacent.

Vt autem hæc secunda terminatio simplicissimi illius actus fit *(seu potius fieri intelligitur)* per varios amandi modos sine vllo ordine ad tempus, quia est terminatio amoris cõplacentiæ, quæ omne tempus respicit: ita tertia terminatio eiusdem actus fit per alios varios amandi modos habentes ordinem ad tẽpus, quia est terminatio amoris cõmunicatiui alicuius esse realis in tẽpore. In quo sensu sæpe diuinæ scripturæ vtuntur nomine plurium voluntatũ in Deo, vt cũ Deus de Dauide ait, *Inueni virũ secundum cor meũ, vt faciat omnes voluntates meas*: & ipse de Deo, *Magna opera Domini, exquisita in omnes volũtates eius*. Atq; vt in priorib. illis modis se habẽdi Dei ad creaturas fundãtur perpetuæ ex vtraq; parte relationes rationis; ita in posterioribus fundantur relationes non perpetuæ, sed temporales. Relatio n. rationis, qua Deus denominari cœpit

Tertia varietas est modorum amoris communicationis.

1. Reg. 16.

Psal. 100.

creator cœli, & terræ, hoc est, creans, aut qui creauit cœlum, & terram, *(nam alioqui semper fuerat eorum creator, hoc est, potens creare)* ex eo tempore cœpit conuenire Deo, quo ipse mundus conditus est. Quia igitur modus ille amandi, quo Deus ab æterno mundum condere decernebat, terminandus erat ad mundum pro eo tempore, quo illum cōdidit; *(antea enim non conferebat illi esse, sed collaturus erat, quod tum demum cōtulit, cum illum produxit)* idcirco causalitas effectiua, quâ illum produxit, erat in se æterna; quia erat idem re ipsa cum æterno decreto diuinæ voluntatis de illo producendo, & cum ipsa diuina essentia omnia diuina sibi formaliter identificante: terminatiue autem fuit temporalis, quia terminata est ad effectum temporalem. Quod idem in cæteris rebus particularibus, quæ postea factæ sunt, fiunt ac fient, facile est intelligere, & ad reliquas Dei causalitates accommodare.

Quo igitur pacto Dei causalit. formaliter æternæ sint; terminatiue, temporales.

Sicque perspicua relinquitur tertia pars propositæ conclusionis. Quam partem simul cum secunda Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei, cap. 6. agens de decreto diuinæ voluntatis faciendi quid, his verbis complexus est: *Dei*, inquit, *sublimior ante suum factum locutio ipsius sui facti immutabilis ratio, quæ non habet Sonum strepentem atque transeuntem, sed vim sempiterne manentem, & temporaliter operantem.* Quibus verbis significat rationem operandi Dei non esse temporalem, sed æternam, & tamen eā ad temporale opus terminari. Atque hoc pacto *(hoc est, terminatiue)* intelligendum est id, quod breuius, & properantius aliquanto diximus lib. 5. quod eius rei plenam explicationem in librū duodecimum differremus, rationem scilicet agendi Dei esse ex tempore. Quatenus enim illa formaliter, hoc est, ratione sua peculiari, quam more intelligendi nostro concipimus, distinguitur à suo agendi principio, q̄ est ipse actus diuinæ voluntatis; *(sic enim eo loco accepimus formalem distinctionē, vt passim vsurpari solet)* ea ratione temporalis, siue ex tempore dici potest, quatenus terminatur ad effectum temporalem. Nam quatenus est idem cum suo causandi principio, & ex consequēti cum ipsa diuina essentia, & ab ea nec realiter, nec formaliter distinguitur, est formaliter æterna, vt patet ex nona conclusione.

Probatur 2. & 3. pars ex Aug.

Cap. 2. q. 18. sect. 3.

Quarta demum pars ex eo perspicua est, quia quemadmodum nos attributa diuina, quæ in se ipsis sunt maxime vnum, in plura distinguimus, & ipsas etiā diuinas personas, quæ in se sunt maxime simplices, & essentia, & proprietatibus personalibus veluti componimus; quia tanquam rudes, & ignari sub-

Probatur 4. pars conclus.

A limitatis earum rerum, diuina cum humanis comparamus, & ea vtcunque percipere possimus: *(veluti sapientiam, & iustitiam diuinam cum sapientia, & iustitia nostra, naturāque diuinam, & diuinam patris personalitatem cum natura, & personalitate Socratis, aut Platonis)* ita diuinas causalitates, quæ in se æternæ sunt, tanquam temporales apprehēdimus, cum eas ad effecta temporalia termi-
B nari concipimus; idque quia apud nos causæ omnes temporalibus causandi rationibus sua effecta causant, cum ad earum esse concurrunt. Id quod recentiores quidam non satis explicant, cum dicunt, etsi in Deo non est alia ratio fundandi relationum temporalium ad creaturas, nisi ipsa diuina essentia; tamen non posse eam à nobis percipi, vt illarum fundandi rationem, nisi quatenus concipitur vt aliquo modo temporalis, pro eo, ac si distinctius dicerent, quatenus
C concipitur, vt ad effecta ipsa temporalia terminatur.

Itaque etsi diuinæ causalitates simpliciter, & absolute non nouæ, sed æternæ sunt; qualibet tamen ex his tribus additionibus nouæ dici possunt, virtute, seu eminenter, terminatiue, & nostro intelligendi more, vt ex dictis patet; quod est eas secundum quid esse nouas, siue temporales.

Summa doctrinæ huius cōclus.

D Duodecima conclusio. Etsi causalitates secundarum causarum perfectionem aliquam addunt iis rebus, quæ sunt causæ; tamen diuinæ causalitates, quatenus à diuinis causandi principiis, ipsaq; diuina essentia nostro intelligendi more distinguuntur, nullam perfectionem Deo addere possunt. Hæc conclusio ex eo probatur, quia causæ secundæ perfectiorē statum habent, cū actu causant, quam cum non causabant, q̄ de Deo dici non potest. Antecedens patet, quia cau-
E sæ secundæ propter finem aliquem suū, quo perficiuntur, institutæ sunt; quod in Deum cadere non potest, cum sit supremus finis, summaq; perfectio. Quod si quis obiiciat causas agentes actione transeunte, etiamsi sint secundæ, non per[fi]ci cum agunt, sed perficere res eas, quæ patiuntur, hoc est actionem suscipiunt, vt Aristoteles tradit cap. nono noni libri: neque etiam animam rationis participem perfici, cum informat
F corpus, sed perficere illud, efficereque, vt sit humanum: ad priorem obiectionem hoc modo respondendum, cum Aristoteles ait agens actione transeunte non se perficere, quemadmodum agens actione immanente, sed perficere rem, quæ patitur; nomine perfectionis intellexisse perfectionem aliquam substantialem, aut accidentalem, quæ per

12. conclus. Causalit. secundis causis nouā aliquam addere perfect. nullam primæ.

Duæ obiect.

Tex. 18.

Soluuntur.

per formam substantialem, aut accidentalem acquiratur: cuiusmodi non est causalitas vllius causæ agentis, quam diximus esse solum actiuum eius concursum. Ad posteriorem dicendum, etiam rationalem animam, cum informat, ac perficit corpus, in eo perfici, quod fit actu humana forma. Est enim & ipsa incompleta substantia, quæ suapte natura ordinatur ad eam, quæ completa est.

Qua ratione non sequatur Deum mutatum esse ex eo, quod cœpit esse causa in actu, cum ante non fuisset?

SECTIO VI.

His omnibus sic explicatis, qua ratione colligi non possit Deum mutatum esse ex eo, quod cœpit esse causa in actu, cum ante non fuisset, (*quod erat totius disputationis institutum*) ex ipsa communi ratione actionis, & omnino causalitatis, probari primum potest. Nam cœpisse aliquid agere, aut quouis alio modo aliquod esse rebus communicare, aut ab eis aliquod esse detrahere, non est cœpisse pati, aut quouis modo alio aliquid accipere, aut amittere, vt est luce clarius. Cum igitur nihil mutetur, nisi cum aliquid accipit, aut amittit, vt inductione patet: efficitur, vt ex eo solo, quod Deus cœpit agere, & quauis alia ratione aliquod esse rebus communicare nullo modo colligi possit, illum esse mutatum.

Primum fundament.

Quicquid mutatur, aliquid accipit, aut amittit.

Deinde idem ostenditur ex ipsa communissima ratione mutationis. Quantumcumque enim illa extenuetur, tria tamen semper necesse est retineat. Vnum est, vt semper supponat potentiam aliquam passiuam in re, quę mutatur. Alterum, vt habeat pro vno ex terminis (*à quo scilicet, vel ad quem*) aliquam priuationem, quæ ratione aliqua præcedat id, quod per mutationem acquiritur: aut subsequatur id, quod per eam amittitur. Dico autem [*ratione aliqua*] quia etsi creatio temporalis, & annihilatio non sunt proprie mutationes, eo quod in eis non datur subiectum, quod successiue in rerum natura sub vtroque termino existat; tamen cum ea ratione mutationes quodammodo dicantur, quod essentia rei, quæ creatur, absolute sumpta acquirat esse per creationem, & per annihilationem illud amittat, necesse est, vt in ea concipiatur aliqua potentia passiua ad accipiendum, & amittendum proprium esse, (*quicquid ea potentia sit*) & præterea priuatio talis esse, quæ in creatione cogitatione pręcedat, & in annihillatione subsequatur. Tertium est, vt id, quod

Secundum. Tria dantur in omni mutatione.

Potentia pass.

Priuatio.

A acquiritur, aut amittitur, sit entitas aliqua aut (*quod ad mutationem idem valet*) perfectio aliqua rei, quæ mutatur, etiãsi illud non sit entitas vlla, sed purus aliquis modus essendi, aut se habendi eius rei, quæ modo aliquo mutatur. Hoc enim tertium poscunt prima illa duo iã posita, nempe potentia passiua, & priuatio. Potentia enim passiua, cum sit ex se imperfecta, quandiu sua perfectione caret, non expletur nisi per aliquid, quo

Entitas, aut perfectio aliqua, quæ acquiratur aut amittatur.

B perficiatur, siue illud sit entitas, siue ex iis puris essendi, aut se habendi modis, quibus aliquid perfici possit, qualis est esse actu in rerum natura. Quocirca cum diximus libro quinto, nihil mutari, (*acquisitiua nimirum mutatione*) nisi cum nouam entitatẽ realem aliquam accipit, non exclusimus per eam negationem eos puros essendi, aut se habendi modos quibus res perficiuntur. Particulæ enim exclusiuæ quemadmodum non excludunt concomitantia, (quod pronuntiatum à Theologis in materia de Trinitate sæpe vsurpatur) ita neq; excludunt æquiualentia; quo pacto is, qui dicitur non esse debitor, nisi frumenti, non excluditur à debito æquiualentis pecuniæ. Tantundem autem valere ad mutationem nouũ essendi, aut se habendi modum quo res perficiatur, atq; nouam entitatem, ex eo patet, quia noua entitas non est terminus mutationis, nisi quatenus est actus, & perfectio: vnde siquid sit actus, & perfectio, etiamsi non sit vera entitas, terminus esse poterit alicuius mutationis.

c.2.q.18.sect.3.

C

Satis est ad mutationem nouus modus.

D

Quo loco plenioris doctrinæ causa animaduertẽdum est, vt aliquid mutetur mutatione physica, de qua egit Aristoteles in 3. & 5. Physicorum, necesse esse, vt acquirat, aut amittat formam aliquam absolutam, quæ vel substantia sit, vel quantitas, vel qualitas, vel locus continens; ad cæteras enim, vel à cæteris aut non est mutatio physica, aut nón per se, vt ille probat. Vt autem mutetur vera mutatione, etsi non physica, si more quidem Philosophorum loquendum est, necesse est, vt acquirat, aut amittat entitatem aliquam: eo quod eam solam veram mutationem esse dicant, quæ est via ad aliquod esse, aut ab aliquo esse, [illegible]titatiue. Quam posteriorem mutationis rationem vsurpatam sæpe esse à Patribus, cum exponunt locum illum Pauli de Deo, *Qui solus habet immortalitatem*, haud obscurum est, veluti apud Augustinum 1. de Trinitate cap. 1. Gregorium lib. 12. Moral. cap. decimo septimo, Bernardum in Cantica sermone 81. & apud D. Thomam, qui ex Scholasticis inter Patres etiam vere numerari potest. Is enim in Canonicam Iacobi secutus cæterorum Patrum expositionem

Quid sit opus ad mutationem phys.

E

Quid ad veram &c. si non sit phys.

F

1. ad Timoth. 6.

Ad c. 1.

Rr 3 nomi-

Cur in Deo immutabilitas dicatur immortalitas.

nomine immortalitatis intelligit omnimodam immutabilitatẽ: quia omne, quod mutatur, quodammodo moriatur, quatenus aliquod esse amittit, vt aliud esse entitatemve acquirat. Quorum omnium loquendi morem nos secuti sumus loco citato libri quinti, cum diximus nihil mutari, nisi entitatem aliquam accipiat.

Tertium verae mutationis genus.

Verum nec nos, quemadmodum neque illi, nomine entitatis exclusimus eos puros essendi, aut se habendi modos, quib. res perficiuntur, sed potius per æquiualentiam inclusimus; vt tertio modo vniuersalissime dicendum sit id re vera mutari, quod re ipsa acquirit, aut amittit perfectionem aliquam etiamsi ea perfectio non sit entitas vlla, sed purus aliquis modus essendi, aut se habẽdi, quo res perficiatur. His enim tantum duabus de causis vere dici potest aliquid transire à potentia passiua, seu potentialitate ad actũ, vel ab actu ad potentialitatem: ac proinde modo aliquo priuatum esse, cum nondum eam entitatem, aut perfectionẽ habet, aut ante habitam amisit, vt in eo vera mutatio sub hac maxime generali mutationis ratione sumpta locum h bet.

Nullam dari in Deo actu causante.

Cum igitur Deus, quatenus causa, nullam entitatem acquisierit, ex eo, quod cœpit esse actu causa rerum, quas condidit, vt patet ex conclusione quinta; quatenus autem prima causa est, ex eo ipso causandi opere nulla ei perfectio accedere potuerit, vt patet ex conclusione duodecima: hinc vero sequatur nullam in eo esse priuationem, aut potentiam passiuam, efficitur, vt, spectata ipsa mutationis communissima ratione, nulla ex parte colligi possit Deum esse mutatum incipientem esse actu causam, cum ante non fuisset.

Tertium fundament.

Tertio idem probari potest, non iam ex communibus rationibus causalitatis, & mutationis, sed ex ipsa peculiari ratione diuinarum causalitatum. Cum enim diuinæ causalitates ex natura rei, non solũ realiter, sed etiã formaliter sint idem cum ipsa diuina essentia vt patet ex conclusione decima: nihil autem, quod tale est, aduenire Deo, aut ab eo excludi possit: efficitur, vt etsi Deus per eas cœpit esse actu causa, cum ante non fuisset, nullo tamen modo ipse secundũ eas mutatus sit; sed tantum illa, quę condita sunt mutationem aliquam per ea subiisse.

Probatur haec veritas ex Patrib.

Postremo idem confirmatur autoritate totius antiquitatis Patrum, quibus cum obiiceretur à Gentilibus Peripateticis, ex nouitate mundi, quam nos profitemur, colligi Deum mutatum fuisse: hoc conueniebat inter vtrosque, id quidem non ex eo effici, quod nos

A credamus Deum omnia in temporis initio condidisse, & reale cuiq; esse communicasse. Videbant enim omnes ex vtraque parte cum Patres, tum Philosophi, ea sola communicatione dici non posse illũ esse mutatum, sed ea tantũ esse mutata ex nullo esse ad esse, quæ ille ex nihilo quasi extraxisset. Sed de eo tota erat controuersia, esset ne illa noua Dei communicatio signum mutationis diuini cõsilii, & voluntatis. Si n. in diuino consilio, aut voluntate

Etiam Philos. videbant ex sola communic. noui esse non sequi Deum fuisse mutatum. Sed inde nouitatem consilij, & voluntat. arguebant.

B data esset nouitas, omnes fatebantur & illi, & nostri, fore, vt Deus esset mutatus. Itaque hic erat status totius controuersiæ. Illi n. contendebant dici non posse Deũ transiisse ab infinitorum seculorũ otio ad nouũ huius operis negotium sine nouo consilio, & voluntate: proinde cum nouitas consilii, & voluntatis dari non possit in diuina natura; (*namq; in hac re idem illi, quod nos ipsi sentiebant*) vrgebant illi nostros, vt hanc mundi machinã ex

C omni æternitate extitisse faterentur, ne admitteremus, diuinam naturam esse mutationi obnoxiam. At Iustinus Martyr, ac Philosophus, & alii primitiuæ Ecclesiæ Patres doctrina, & sanctitate conspicui, aliique eorum successores, & pene æquales, cum viderent in eo quasi puncto esse totam difficultatẽ apud Peripateticos, sapienter sic occurrebãt, communicationẽ noui esse non solũ non efficere in Deo vllã mutationem, vt illi etiã fatebantur:

Vide illum in reprehens. respons. Gentil. ad 2. interrog. Christianor. & in respõs. ad 36. q. Gentil. item Isid lib. 1. de summo bono c. 1. Hanc Patres negabant.

D sed neq; esse indiciũ mutationis diuini consilii, & voluntatis: quippe cũ ne in nobis quidem nouũ opus signum esset noui consilii, & voluntatis, vt quæ possent, ac sæpe solerent in mente nostra multis annis nouũ opus antecedere. Ita fieri, vt noui esse cõmunicatio, qua mundus est conditus, ex æterno consilio, & voluntate diuina, Deo decernente, quo temporis momento mundũ esset cõditurus, prouenisset. Vnde factũ est, vt cũ D. Augustinus

E intellexisset præcipuos ex illis eã sententiam probare, qua nos dicimus animã humanam sine vlla diuini consilii, aut voluntatis nouitate habere initium, nec habiturã finẽ, eadem hac ratione eos conuinceret lib. 11. de Ciuit. Dei c. 4. vt mundi principium fateri non renuerent, hũc in modum disputationem concludens: *Sic ergo*, inquit, *credant & mundum ex tempore fieri potuisse: nec tamen ideo Deum in eo faciendo æternum consilium, voluntatemque*

F *mutasse*. Ita patet iudicio Patrum ex eo, quod Deus cœpit esse causa effectiua huius vniuersitatis, nulla ratione colligi posse Deũ esse mutatum: nisi si inde sequeretur illum ad eam rem nouo consilio, & volũtate indiguisse. Quod autem de effectiua causandi ratione dictum ab illis est, eodem modo valet in quauis alia.

Doctrina Patrũ in omnib. causalit. vim habet.

Sed

Ad agendum opus est forma, qua agens agat, determinatio ad certum effectũ, applicatio ad opus & actualis concurs. In naturalib. agentib. c.2.tex.3. & c.5.tex.10.

Sed vt is progressus, quo Deus ad noui operis negotium, mũdi videlicet creationem, conseruationem, & gubernationem, nostro intelligendi more progressus est, melius intelligatur, animaduertendum est tria esse necessaria ad agendum, præter formam, qua agens agit, determinationem ad certum effectum, applicationem ad opus, & actualem concursum in eo faciendo. Atq; in actionib⁹ causarum naturalium forma principalis, qua agens agit, est forma substantialis; instrumẽtalis vero est aliquod accidens; determinatio autem ad certum effectum est ipsa limitatio formæ naturalis ad vnum, (*secundum speciem intellige*) quæ limitatio est contraria indifferentiæ ad opposita, vt Aristoteles lib.9. docet. Applicatio ad opus est ipsa agentium naturalium propensio ad agendum: neque enim possunt non agere, si modo materiam ad agendum habeant, neque impediantur: quo fit, vt semper ex se applicata sint ad agendum. Actualis vero concursus est ipsa iam actiua communicatio alicuius esse, seu influxus actiuus in effectum. Itaque in hoc genere agentium determinatio effectus, & applicatio ad agendum antiqua sunt, semperque comitantur formam, quæ est agendi principium: at cõcursus ipse est in eis nouus omnino ex natura rei, vt qui nunquã datur, nisi cũ iam ex eo prouenit effectus. In actionib⁹ aũt liberorum agentium forma, quæ est agendi principium (*tametsi incompletũ*) est formalis conceptus rei faciendæ. Sed cum ea forma sit indifferens ad opposita effecta, (*agens enim voluntarium potest per eam intelligere, quo pacto oppositum effectum moliri possit, vt patebit li.9.*) necesse est, vt eius determinatio ad certum speciei effectum à voluntate agentis proueniat, & quasi præfigatur, à qua determinatione completur agendi principium in liberis agentibus. Nec solum necesse est, vt præfigatur ad certum effectum specie, sed etiam ad certum numero, & tempus, & locum, in quo res facienda est. Verum hoc interest inter agẽtia creata, & increatum, quod increatum simul determinat non solum speciem, & indiuiduum effectus, sed etiam certum numero & tempus, & locum cuiusq; rei faciendæ; in agentibus autem creatis (*quod in nobis experimur*) sæpe determinatio rei faciendæ præcedit determinationem temporis, & hæc etiam nonnunquam determinationẽ loci, vt patet in determinatione domus extruendæ, & aliorum huiusmodi operum. Applicatio autem liberorum agentiũ ad opus, in agentibus quidem creatis sæpe præcedit cõcursum, quo effectus fit, (*quod etiam experimento in nobis didicimus*) quia sæpe nos ad opus ali-

In liberis, quæ sit forma, & quando detur determinatio.

Discrimen inter creatum, & increat. agens.

Applicatio ad opus, quando detur.

A quod applicamus, nec tamen inde quicquã operis sequitur, quia vel segniter in re inchoanda nos gerimus, vel nobis impedimentum aliquod obiicitur: at in agente increato simul est applicatio eius ad agendum cum determinatione temporis, & loci sed tamẽ pro eo tempore, aut momento duntaxat, quo res facienda decernitur. Vt enim applicatio naturalium agentium ad agendum semper comitatur naturalẽ determinationem eorum ad certum effectum ita applicatio Dei ad agen- B dum semper comitatur liberam eius determinationem ad id, ꝙ faciendum statuit: nisi quod applicatio causarum naturalium est ad semper agendum, quantum in ipsis est; applicatio autẽ Dei est ad agendum eo solo tempore, aut momento, ꝙ ipse præscripsit. Nec mirum, quod Deus semper applicatus sit ad aliquid agendum, & tamen illud nondum agat: id enim non ex eo nascitur, quia eius ap- C plicatio inefficax sit, vt sæpe est in nobis, aut quia impediatur, (*quod non nobis tantum, sed naturalibus etiam causis sæpe accidit*) sed quia eius applicatio, quemadmodum & determinatio tẽporis, & loci, etsi in eo est semper, nõ tamen est, vt ita dicam, ad semper. Denique concursus liberorũ agentium, siue creata illa sint, siue increatum, tum demũ datur, (saltẽ terminatiue) cũ opus ipsum fit, quemadmodum & cõcursus naturaliũ. Dico autẽ [*saltem* D *terminatiue*] quia diuinus influxus, etsi simpliciter, & absolute æternus est, cũ sit idem, ꝙ ipsum agendi principiũ, neq; ab eo distinguatur ex natura rei, nisi virtute, & nostro etiam intelligendi more; tamẽ non terminatur, seu (*quod idem est*) non confert actu esse suis effectis, nisi in prædefinito tempore. Quare in agentibus liberis, si creata sint, determinatio ad speciem effectus, & ad certum numero tempus, & locum, & ipse etiam concursus E sunt libera, & ex natura rei tẽporalia: in Deo autem etsi hæc omnia sunt libera, tamen determinatio ad certum opus, certumq; tempus, & locum, & applicatio eius ad actionem æterna sunt; solusq; concursus, quo influit in opus, & quo tandem est actu causa, etsi est ex natura rei æternus, vt supra diximus, est tamen terminatiue temporalis; adde, & virtute, & nostro etiam intelligendi more, vt supra diximus. Quod idem de cæteris causandi rationibus Deo attributis dicendum est.

Quando detur concursus.

Super. fol.

F Ita patet nulla ratione colligi posse Deum esse mutatum ex eo, quod cœpit initio mundi esse actu causa rerum, cum ante non fuisset, de qua re quæstio proposita erat.

Non fuisse for tam in Deo vllam compositionem.

Quod autem neq; inde colligi possit, Deũ compositionem aliquã in se admisisse, (*nam & hoc explicandum initio diximus*) hæc vna ratio-

ratione patet: quia, siqua compositio inde inferri posset, nulla esset alia, nisi quæ fit ex potentia passiua, & actu informante, ac perficiente, vt patebit discurrēti per omnes compositionis modos; cum igitur ex eo, quod Deus cœpit esse actu causa, cū ante non fuisset, non sequatur fuisse in eo potentiam passiuam, quæ prius priuata fuerit perfectione aliqua, quam postea communicando nouum esse rebus acceperit; perspicuum est, non inde colligi illum compositionem aliquā in se admisisse. Reliquū est igitur, vt argumentis pro parte opposita initio allatis respondeamus.

Solutio argumentorum, quæ initio proposita sunt.

SECTIO VII.

Vt quid mutetur, debet in se ipso aliter se nūc habere, atq; prius.

AD primum igitur dicendum, id solum mutari, quod in se ipso aliter se habet nunc, quam prius: sicque intelligendum esse Aristotelem in loco citato; Deus autem cum cœpit esse causa in actu, non aliter se habere cœpit in se ipso, sed in ordine ad creaturas, formaliter quidem per varias relationes rationis, quæ in eo nihil ponunt; virtualiter autem per ipsam diuinam essentiam, quæ virtute, & eminentia sua continet omnes eius se habendi modos possibiles ad creaturas in quibus ex natura rei sola virtute distinctis à diuina essentia fundantur omnes huiusmodi relationes. Nec mirum id videri debet, cū in sola virtuali distinctione attributorum intellectus, & voluntatis fundētur ipsæ reales, personalesque relationes diuinę Paternitatis, & Filiatonis, Spirationisque actiuæ, & passiuæ, vt Theologi docent.

Deum non bene dici causam in potentia cum non causat.

Ad secundum ex dictis patet, non recte dici Deum aliquando fuisse causam in potentia, quia loquutio hæc imperfectionem præ se fert, & aliquam indigentiam. Nam etsi id recte vsurpatur in causis secundis, qui pendēt in causando à causa prima, eiusq; concursum expectant, vt possint actu causare; tamen in Deo non habet locū, quia in causando à nulla causa secunda pendet. Neq; obiicias illum quoq; pendere à causis secūdis in producendis actib. vitalib. & aliis quibusdam effectibus quos sine illis producere non potest. Nam cum Deus ad nutum habeat omnes causas secundas, non solum vt causent, sed etiam vt sint: non sine vitio dici potest illū ab eis pendere in causando, aut illis indigere ad causandum, qui bonorum nostrorum non indiget.

Psal. 15. Bene tamen, causam potentem.

Recte tamē dicimus, Deum esse causam potentem, cum non operatur, seu non causat; operantem autem, cum causat: quia causa potens nullam præ se fert imperfectionem estq; idem, quod causa virtutem habens causandi, non potentialitatem, & indigentiam alicuius vel rei, vel concursus, quę non sint in eius potestate. Nec deniq; Aristoteles in loco citato diuisit causas in causas in potentia, & causas in actu; sed in causas potentes, & operantes, hoc est, causantes actu: vt ēt videatur in ea re modum loquendi rectum, & decentem tradere voluisse: licet vulgo minus accurate inde desumatur diuisio causarum in causas in potentia, & causas in actu.

*Patres fere solū curarunt excludere à Deo absolutor. mutationē Licet Ambr. 1. de fide c. 5. & Aug. 5. de Tri. c. 16. ēt relat. realium. † Ad tex 19. * In 1. prima parte distinct. 30. ar. 2.*

Ad tertium vt respondeamus, notandus est processus, quo primum Patres, deinde Scholastici omnē mutationem à Deo remouerunt. Pleriq; enim Patrum, siue quia credebant præter relationes, quibus diuinæ personæ distinguuntur, cæteras omnes esse relationes rationis, vt veteres illi putabant, quos Auerroes in lib. 12. huius operis † refert, quos etiam Aureolus ex Scholasticis secutus est: siue quia existimabant nullam relationū nouitatem posse arguere in Deo mutationem, quod fortasse crederent, non inde colligi Deū alio modo prius, alio posterius se habere in se ipso, sed ad res alias dumtaxat: sola nouitate absolutorum ab eo excludenda rem confectam putauerunt. Vnde cum in Deo tria sint absolutorum prædicatorum genera, penes quæ dubitari posset, num Deus alio modo prius, alio posterius se habere possit; vnum eorum, quæ pertinent per se, & essentialiter ad ipsum esse diuinum, vt esse, ac viuere: alterum eorum, quæ pertinent ad liberas operationes intellectus, vt præscire ab æterno mundum futurum; tertium eorum, quæ spectant ad liberas operationes voluntatis, vt voluisse humani generis redemptionem: in his tribus generibus prædicatorum dumtaxat satis esse crediderunt, si ostenderent Deum esse immutabilem, vt omnino immutabilis haberetur: nempe quia nec in ipso esse diuino, nec in libera rerum notitia, nec in liberis voluntatis affectibus dari posset in Deo vlla nouitas, aut etiam successio, secundum quam ille alio modo prius, alio posterius se haberet in se ipso.

Tria in Deo absolutorum prædicat. genera.

In primo genere non dari in Deo successionē, aut nouitat. ex Patrum.

Primum modum aliter prius, aliter posterius se habendi Dei, excludit Irenæus lib. 2. aduersus hæreses c. 64. cum sic ait: *Solus Deus est eodem modo semper se habens*: conferens enim immortalitatem animæ nostræ cum immortalitate Dei sic ratiocinatur, solum Deum esse ex se immortalem, ac proinde semper eodem modo se habentem quoad suum esse: animam vero nostram, etsi semper erit, tamē quia non ex se ipsa habet esse, sed Dei beneficio, iccirco quemadmodum non semper fuit, ita

ita nō alia ratione semper fore, nisi Deo eam cōseruante, nec sinente, vt in nihilum, ex quo condita est, reuertatur. Quod autem ait de ipso esse diuino, pari ratione intelligendum est de omnibus attributis, sine quibus natura diuina subsistere non posset; de quibus Bernardus in Cantica sermone 80. sic ait: *Nempe in se manens,* (scilicet Deus) *quod habet, est; & quod est, semper, & eodem modo est.* Secundum modum excludit Augustinus 11. de Ciuit. Dei cap. 21. sic scribens: *Non more nostro ille, vel quod futurū est, prospicit, vel quod præsens est, aspicit, vel quod præteritum est, respicit, sed alio modo quodam à nostrarum cogitationum consuetudine longe, lateq; diuerso. Ille quippe nō ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt; ita vt illa quidem, quæ temporaliter fiunt, & futura nondū sint, & præsentia iam sint, & præterita iam non sint; ipse vero hæc omnia stabili, ac sempiterna præsentia cōprehendat.* Et paucis interpositis: *Nec aliter nūc, & aliter antea, & aliter postea; quoniam non sicut nostra, ita & eius quoq; scientia trium temporū, præsentis videlicet, & præteriti, & futuri varietate mutatur.* Demum adiungit: *Neque enim eius intentio de cognitione in cognitionem transit,* &c. Tertium deniq; modum excludit idem Bernardus libro citato sermone sequenti: vbi cum exposuisset illud Pauli de Deo, *Qui solus habet immortalitatem,* quasi dixerit, Qui solus habet immutabilitatem, vt paulo ante retulimus, hæc de anima nostra subiicit: *Cum constet suis affectibus mutari eam, agnoscat ita esse Deo immortalitate similem,* (nempe quoad suum esse, eo tamen defectu, quē Irenæus expresserat) *vt sciat sibi deesse non modicam immortalitatis partē,* (vtpote propter affectuum mutabilitatem) *soli Deo cedens absolutam, perfectamque immortalitatem,* hoc est, immutabilitatem. Quanquā vero nomine affectuum diuinorū proprie intelligātur in Deo actus diuinæ voluntatis; tamen institutum Bernardi erat eo loco complecti quoque actus diuini intellectus; vt simul à Deo excluderet duos posteriores modos aliter se habendi Dei in se ipso, & quoad actus intellectus, & quoad actus voluntatis.

Neq; in secundo.

Neq; in tertio. ad Timoth. 6.

At Scholastici subtilius hæc discutientes addiderunt eam quæstionem. Num nouitas relationum Dei ad creaturas arguere in eo posset mutationem aliquam? Quia vero cōstabat relationes rationis nihil ponere in Deo, omnes communi consensu in eo cōuenerunt, vt assererent nouitatem huius generis relationum nullā cōuincere mutationem in Deo, quod Deus per eas non aliter, atque aliter se habeat in se ipso, sed ad alia duntaxat. Quod vero attinet ad relationes reales, etsi Nominales dixerunt eas non esse satis, vt Deus illis aduenientibus, aut recedentibus dicatur, idque verum esset, si relationes huius generis nihil aliud essent, quam denominationes quædam à veris rebus, vt quinto libro ex eorum mente explicauimus: tamen quia id verum esse non potest, vt ibidem ostendimus, & communis etiam grauiorum Philosophorum, & Theologorum sententia est, relationes reales aliquid ponere in rebus, quæ referuntur, esseque vera accidentia, & quæ vere in eis inhæreant, siue realiter, siue (*quod verius est*) formaliter à suis fundamentis distinguantur, dicendum est fore, vt Deus vere mutaretur, si ei nouæ relationes reales aduenirent, aut ab eo decederent; quia non solum aliter, atque aliter se haberet ad creaturas; sed etiam in se ipso propter nouas entitates receptas, aut amissas.

Cum Mag. in 1. d. 30. D. Th. 2. contra gent. c. 12. & de potentia q. 7. ar. 10. Scot. in 2. d. 1. q. 4.

Ocham. in 1. d. 30. q. 5 Gabr. ibid. Greg. d. 28. q. 3. ar. 1. Mars. q. 32. a. 1. itemq; Dur. d. 30. q. 3. c. 15. q. 2. sect. 1. & 2.

Si noua relationes reales Deo aduenirent vere mutaretur.

Ad argumentum igitur concessa propositione neganda est assumptio, acceptis modis se habendi realibus non ea ratione, qua sunt in causis secundis, in quibus alii actu adueniunt, cum illæ actu causant; alii decedūt, cum causare desinunt; sed qua sunt in Deo, in quo virtute sola eorum nouitas, & successio dari potest, propter eorum nō solum realem, sed etiam formalem identitatem cū diuina essentia. Quod si quis obiiciat fore, vt Deus magis immutabilis cogitetur, sine virtute quidem detur in eo horum modorum se habendi nouitas, aut decessio; ergo, cū omnimoda immutabilitas Deo tribuenda sit, hāc quoq; virtualem nouitatem ab eo remouendam esse: hoc pacto respondendum est, eam cogitationem veram esse non posse, proinde nihil hac obiectione confici: similis enim paralogismus fieret, si quis Iudæus, aut Ethnicus Philosophus hoc modo argumentaretur: Magis vnus, seu magis indiuisus concipitur Deus, cum à me apprehenditur vt vnica persona, quam cum à vobis vt trinus in personis: ergo, cum omnimoda vnitas tribuenda sit Deo, dicendum non est Deum esse trinum in personis, sed vnum tantum. Nam vt is fallitur, cum cōcipit Deum magis vnum in vnica persona, quam nos in tribus: (*æque enim indiuisus est in tribus, atq; esset in vna tantum, siquidem personarum distinctio in diuinis nullam secum affert diuisionem naturæ, cum illa non numeretur ad numerationem personarum, vt in nobis humana numeratur*) sic fallitur is, qui putat fore, vt Deus esset magis immutabilis, sine virtute quidem in eo daretur nouitas modorum se habendi ad creaturas. Virtualis enim nouitas non arguit vllam mutationē, sed sola actualis, in qua nimirum termi-

Soluitur in forma 3. arg.

Obiect.

Solut.

Non esset Deus magis immutabil. si careret modis se habendi virtute nouis.

Sine hac virtuali nouitate non posset in tempore, dici actu causa.

terminus ad quem actu succedat termino à quo. Quin etiam virtuali nouitate horum modorum se habendi Dei sublata, simul tolleretur esse illum aliquando actu causam, cum ante non fuisset, quod est contra huius quæstionis principalem hypothesin. Nam si hactenus ex omni æternitate eodem prorsus modo (hoc est, ne virtute quidē alio, & alio) erga creaturas, quo nūc se habet, habuisset; certe vel ab æterno mundus hic extitisset, vt Aristoteles putauit; vel semper hactenus in otio fuisset, vt opinabantur † Epicurei de sua illa infinitate Deorum omnia cōplentium, ꝙ existimarent nullam ab eis omnino prouenire rerum administrationem: idem enim eodem modo se habens, idem agere *(adde, aut non agere)* aptum est. vt recte ait * Aristoteles. Quod argumentum in hac re maiorem vim habet, quam eo loco, in quo ille hoc pronunciato vsus est. Idem quoque colligitur ex eo, quod nulla daretur ex parte Dei ratio fundandi nouas relationes rationis ad nouas creaturas, à qua tamen ratione fundandi oritur ratio fundandi relationes nouarum creaturarum ad Deum. Nisi enim diuina natura virtute contineret varios concurrendi modos ad esse creaturarum, nec creaturæ vnquam essent actu effecta Dei, nec Deus actu causa creaturarum.

† 8. Physic. toto fere libro, & 1. de cœlo à cap. 10. aliisq; locis.
** Vide Tullium in lib. de Na. Deorum.*
2. de gen. cap. 10. tex. 56.

Male quædam absurda colligi ex hac nostra modorum positione.

Qua ex re patet parum considerate colligi à nonnullis ex distinctione, ac varietate modorum se habēdi Dei ad creaturas, quam non actualem, sed virtualem ponimus, id sequi, vt quandocunq; particulares causæ aliquid faciunt, aut omnino causant, resultent in Deo noui eius se habendi modi actu distincti inter se, & *(quod peius est)* qui in eo insideant, illumque afficiant, & in eo passiuam aliquam potentiam supponāt. Primum enim modi illi se habendi virtute distincti priores sunt natura, q̄ effecta cuiuscunq; causæ: vnde fit, vt ex concursu particulariū causarū resultare in Deo non possint; resultare enim ex aliquo, pēdere est ex illo, & ab eo aliquo modo causari: qua ratione dicimus proprietates resultare ex ipsis rerum naturis, & relationes ex fundamentis, ac terminis. Deinde puri illi modi se habendi Dei ex ratione quidem cōmuni non sunt accidentia, vt insidere in re vlla, & eam afficere possint; vnde ne in causis quidē creatis, quibus noui adueniunt, insident, illasvé ꝓprie afficiunt: ex particulari autē ratione, qua diuini sunt, nō distinguuntur ex natura rei ab ipsa diuina essentia, nisi virtute tantum, vt ex dictis patet. Postremo potentia passiua nō colligitur ex virtuali horum modorū nouitate, sed ex absurda opponentium illatione, qua effici putant illos, si

A ponuntur, in Deo alios aliis actu succedere, eique insidere, & illum afficere.

Loci D. Iacobi tres recentior. expositiones. Prima.

Ad quartum dicendum est, locum Iacobi citatum, in quo tota vis argumenti sita est, tribus modis à quibusdam recentioribus exponi. Alii enim obumbrationis, siue vmbræ nomen videntur accipere pro adumbrationis, quasi dicat Apostolus, in Deo non solum nullam esse mutationem, sed ne vllam quidē mutationis vel adumbratam speciem, hoc B est, vllam mutationis, vt ita dicam, apparentiam. Verum hi si hoc pacto Apostolum intelligunt, ne audiendi quidem sunt, cum falsum sensum diuinæ scripturæ attribuant. Nā si mutationes quoq; apparentes à Deo remouendæ essent, non dicerent diuinæ Scripturæ pœnituisse Deum, ꝙ hominē fecisset, Verbumq; diuinum factum esse carnē, passum, & mortuū, iterumq; á mortuis excitatū; & alia plurima huiusmodi, quæ cum veC ræ mutationes non sint, videntur tñ vel maximæ mutationes. Itaq; fieri non potest, vt omnium mutationum vmbræ, siue apparentiæ à Deo remoueantur; neq; id necessarium est, vt Deus sit omnino immutabilis.

Impugnatur.

Non esse remouendas à Deo apparentes mutationes.
Genes. 6.
Ioan. 1.

Secunda.

Alii aperte dicunt Apostolum priori parte sui pronuntiati excludere omnem veram mutationem; posteriori autem excludere nescio quid minus vera mutatione, quod dicunt Apostolum significasse per vicissituD dinis obumbrationem; atque id tale esse, vt quamuis non sit vera mutatio, sit tamen satis, vt si in Deo reperiretur, Deus per illud cēsendus esset mutabilis. Quare etsi alius, atq; alius modus se habendi Dei ad creaturas nō inducat in Deo veram mutationem; tñ quia inducit *(vt aiunt)* vicissitudinis obumbrationem, satis id esse concludunt, vt Deus per eā censeatur mutabilis. Verum hi aut nolentes incidunt in priorum refutatam expositionē, E (neq; enim satis intelligi potest, quid sit illud minus vera mutatione, nisi fortasse sit apparens aliqua mutatio) aut certe fingunt medium, vbi medium dari non potest, & sibi etiam ipsi repugnant. Quod enim aiunt, nihil aliud est, quam facere vicissitudinis obumbrationem medium quid inter veram mutationē, & nullam verā mutationem, q̄ sunt cōtradicentia. Nam vicissitudinis obumbratio nec censetur ab eis vera mutatio, neq; etiam F nulla mutatio; cum eam satis esse dicant, vt Deus per illam dicatur mutabilis, nec dubiū, quin vere mutabilis, vt eorum sententia distinguatur à superiorū opinione. Repugnant quoq; sibi ipsis, cū volunt, per nō verā mutationem fieri aliquid mutabile; quod fieri non potest, nisi per veram mutationem.

Reiicitur.

Tertia.

Tertii intelligunt nomine obumbrationis

certum

certum indicium veræ mutationis, vt Iacobus verbis citatis excludat à Deo non solum omnem veram mutationem: sed etiam omne certum vere mutationis indicium : quo pacto vmbra solis est certum indicium corporis interiecti. Quamquam vero istorum sententia in se spectata vera est, quia vbi non datur vera mutatio, non potest dari verum illius indicium, signumve certum, & vbi hoc dari potest, potest & illa: tamen cum subsumunt varietatem modorum se habendi Dei tanquam causæ efficientis ad creaturas (*si illam intelligunt eo modo, quo à nobis explicata est*) esse certum indicium veræ mutationis in illo, aperte sumunt, quod erat probandum. Id enim negatum semper est, nec vlla ratione probari potest, nisi varietas hæc esset certum signum mutationis consilii, & voluntatis vt ostensum est.

Eius censura.

Sect. 6.

Vera & communis loci expositio

Adde, quod hi, quemadmodum & vtriq; superiores, valde aberrant à vero expositione loci propositi; cuius sententia iuxta Patrum, & communem aliorum expositionē hæc est. Etsi pater luminum corporalium (*hoc est, sol*) mutabilis in se est, & mutatione sua, qua circuit terram modo accedens ad nostrū hemisphærium, modo ab eo recedens, est causa nō tantum diei apud nos, sed etiā noctis: tñ pater numinum spiritualium (*id est*, Deus) neq; in se ipso mutabilis est neque in nobis aliqua volūtatis suæ mutabilitate (*qua nulla est*) est causa vicissitudinis luminis gratiæ, & vmbræ peccati: quasi quemadmodum benigno affectu, & veluti accessu ad nos nobis cōmunicat lumen gratiæ; ita affectu contrario, & veluti recessu causet in nobis tenebras peccati. Hic est verus, & germanus sensus Apostoli, vt intelligamus à nemine reiiciēdam esse causam suorum peccatorum in Deum, quasi ipse nos in ea impellat: (*quod nūc miseri Lutherani delirant*) sed sic sentiendum esse de Deo, quasi ipse sit sol quidam immobilis, paratusq;, vt omnib. suæ gratiæ radios communicet; nos vero ea de causa in tenebras peccatorum incurramus, quia concupiscentia nostra nosmet ab eo auertimus; perinde atque si sole corporeo fixo permanente ipse terræ globus in ipsam suam vmbram huius hemisphærii faciē impelleret, atq; immitteret. Ita exponit locum Interlinealis glossa, quæ præcipuæ est autoritatis, cum de parte luminū sic ait; *In cuius natura nulla mutabilitas, sed identitas, & non solum in natura, sed etiam in distributione bonorum, quia sola dona lucis, & non tenebras errorū immittit.* Exterior autem idem sic habet: *Lumen eius aliqua vmbra non intercidit, vt aliqua mala immittat, sed semper bona lucis dona.* August. quoque in lib. de speculo sic scribit *Apud Deū non est transmutatio, & ideo apud eum cursus temporis diei, noctisq; alternatione nequaquam variatur.* Id quod ad Dei progressum in rebus ad salutem pertinentib. referendum est. Quod idem Gregor. lib. 12. Moralium sic ait; *Quia in Deo mutabilitas non venit, nulla eius lumen vmbra vicissitudinis intercidit.*

cap. 30.

cap. 17.

Deniq; ex Scholasticis D. Thomas, vt cæteri omittantur, sic eum locum explicat in eius epistolæ commentariis; *Sicut sol materialis autor est luminum materialium; ita sol intelligentia luminum spiritualium: apud quem non est trāsmutatio in natura sua, quia omnino immortalis est* (hoc est, omnino immutabilis, vt ex eius, Patrumque sententia superius exposuimus) *nec vicissitudinis obumbratio in effectu, quia ab ipso semper procedit lux, nunquam tenebra.* Hæc D. Th. & alia in eamdem sententiam.

Duplex significatio in script. verborum, Apud quem.

Vsus est autem Apostolus his verbis [*Apud quem*] quæ græcè sunt, παρ' ᾧ, quia duplicem significationem habent nempe [*In quo*] & [*à quo*] vt priori significatione doceret non esse in Deo ipso vllam mutationem, potissimum vero (quod hoc loco magis ad rem est) contrariorum affectuum: posteriori autem non proficisci ab eo mutationem à lumine gratiæ in vmbram peccati, vt totius sententiæ sensus sit; In quo non est mutatio, & à quo non est luminis, & vmbræ vicissitudo. Exemplum prioris significationis est in lib. Iob. cap. 12. *Apud ipsum, inquit, est fortitudo, & sapientia*, id est, in ipso: posterioris vero est in psalmo 39. cum ait Propheta, *Apud Dominum gressus hominis dirigentur*, id est, à Domino: & in psal. 129. *Copiosa apud eum redemptio*, hoc est, ab eo. Vtriusque autem sensus simul exemplo est illud Ecclesiastici cap. 11. *Scientia legis apud Deum*, hoc est, in Deo, *& via honorū apud ipsum*, id est, ab ipso. Nec dici potest Iacobum vsum esse verbis [*Apud quem*] in sola priori significatione, quatenus iunguntur cum vtraque parte pronuntiati: quod perperam volunt propositi argumenti autores, vt à Deo excludant non solum omnem veram mutationem, sed etiam omnē mutationis vmbrā; vtrouis modo vmbram mutationis intelligant. Nam etsi vtilis erat Apostolo prior significatio, vt remoueret à Deo ipso omnem veram mutationem; tamen posterior erat ei directo necessaria, vt doceret vicissitudinem luminis gratiæ, & vmbræ peccati in nobis non esse Deo tanquā autori tribuēdam, sed priorem effectum soli Deo, posteriorem vero nobis ipsis duntaxat: hoc enim erat præcipuum eius loci institutum. Hæc dixerim pro expositione citati

Ss 2 loci,

loci, quod videam illum inuitum omnino trahi à quibusdam ad eas improprias, & à sensu Apostoli alienas sententias, quæ relatæ à nobis sunt: quarum priores duæ sunt falsæ, tertia vero etsi in se vera est, non est tamen propria eius loci, neq; ad concludendum id, quod opponentes volunt, accommodata.

Ad vltimum dicendum est, longe diuersam esse rationem in actibus intellectus diuini, diuinæque voluntatis, atque in actibus diuinæ potentiæ, vt Deus his recte dicatur sine vlla sui mutatione alio modo se nunc habere, quam prius, non autem illis; siue potentia executiua sit consideratione nostra distincta potentia in Deo ab intellectu, & voluntate, vt alii credunt; siue eadem cum voluntate, vt practica est, quod nos putamus, & lib. 5. † verius esse constituimus. Nam si Deus alio modo nunc se haberet quoad actus intellectus, & voluntatis, & alio prius habuisset, vt nimirum modo sciret, aut præsciret, quod ante non sciuisset, aut præsciuisset; & vellet, ꝙ ante non voluisset, aut contra; propterea re vera mutatus esset, quia non solum alio, & alio modo se haberet ad res alias, sed etiam in se ipso. Habere autē se quoad actus potentiæ executiuæ terminatos, & ex intentione diuina externo opere completos aliter nunc, quam prius habuerit, vt modo faciat, quæ prius non faciebat, aut alia ratione esse rebus communicet, ꝙ ante non communicabat, aut contra, propterea nullam in Deo mutationē inducit, quod Deus hoc pacto non aliter, atq; aliter se habet in se ipso, sed tantū ad creaturas, transeunte nimirum ad illas virtute sua actu diuinæ voluntatis, vel non transeunte, aliove, & alio modo transeunte ad externa opera.

Quoad actus sua potent. sine sui mutatione aliter se potest habere Deus, quam prius; non ita quoad actus intellectus, & voluntat.

† C. 5. q. 8. sect. 4.

Ex iis quæ hactenus dicta sunt, patet solutio argumenti, ꝙ adiungebatur de cōcedenda in Deo cōpositione aliqua ex actu, & potentia, ob easdē nimirum rationes, quib. cōtendebatur dari in eo aliquam mutationem. Nā cum illæ omnes solutæ sint, non est, cur noua solutio ei argumento adhiberi debeat: constat enim ex præcedentiū solutione nulla ratione probari concedendā esse in Deo præexistentem aliquam potentiā passiuam, seu receptiuā, cui aliquando cōiungatur actus aliquis aduenienš; hoc enim modo duntaxat posset in eo ratione alicuius mutationis dari compositio aliqua ex actu, & potentia.

Arg. quod compositionem in Deo astrueb. nullam vim habet.

Cur Deus non possit nolle, quæ ante voluerat, aut velle, quę ante noluerat; & ex consequēti non nosse futura, quæ ante nouerat, aut nosse, quæ non nouerat?

QVÆST. V.

Quibus potissimum argumentis hæc quæstio difficilis existat?

SECTIO I.

SI persistendum est in iis, quæ in superiori quæstione dicta sunt, satis constat ea potissimum ratione Deum mutatum iri, si nollet ea fore, quæ ante fore voluerat, aut vellet fore, quæ fore noluerat: & ex consequenti si non nosset ea futura esse, quæ ante futura esse nouerat, aut è contrario nosset futura esse, quæ futura esse non nouerat; in hoc enim manifestissima esset mutatio diuini consilii, quā omnes semper cum nostri, tum etiam Ethnici Philosophi, & Theologi à Deo remouendam esse cēsuerunt. Verū huius rei adeo non est facile rationem reddere propter summam Dei libertatē, vt non desint recentiores, quibus cum nulla veterum ratio satisfaciat, nolint etiā ipsi argumento vllo vti, cui tanquam penitus idoneo, & insolubili niti videantur. Tria vero sunt potissimum, quæ difficilem huius rei explicationem efficiunt.

Primum, quia cum Deus habuerit ab ęterno summam libertatem, vt vellet, aut nollet mundū condere, neq; eam in tempore vllo amiserit; qua vtiq; libertate ab æterno illū ex nihilo facere decreuerat, eadem ante annos viginti, quam illum cōdidit, videtur potuisse illū nolle producere. Neq; enim oberat, quod iam ab æterno illum condere constituerat: quandoquidem per illum eumdem actum simplicissimum, quo illum condere decreuerat, poterat in tempore ante illum conditum velle non condere, sola cessante relatione condituri, quam habebat ad illum, quæ cum esset relatio rationis nullam in diuina voluntate mutationem argueret. Quod si quis dicat oportere, vt cessaret etiam extensio diuinæ volūtatis, in qua relatio condituri mūdum fundatur, nihil id ēt referret: neq; enim ea cessatio fieret actu, sed virtute dūtaxat, perinde nimirū se habente deinceps simplicissimo diuinę volūtatis actu, atq; si in eo cessaret aliqua extensio ab eo formaliter distincta.

Arg. ad astruendum posse Deū nolle, quæ ante voluerat.

Deinde, quia in liberis actibus intellectus similis quædam vicissitudo oppositorum actuum videtur necessario euenire. Nā notitia, quam Deus de mundo futuro ab æterno habebat, antequam illum conderet, non alia videtur esse potuisse, nisi abstractiua, cum intuitiua nō sit, nisi de re existente in rerum natura. Cum ergo abstractiua, & intuitiua notitiæ oppositum veluti effectum formalem faciant in intellectu; (*abstractiua enim facit*

non

non intuentem, intuitiua autem intuentem) non dubium videtur, quin Deus, cum mundum condidit, re vera transierit ab actu non intuitiuo ad intuitiuum, quorum vterque in Deo erat non necessarius, ac proinde vere liber, idque sine mutatione simplicissimi actus intelligendi, quo Deus se ipsum intelligit; sed solum varietas, formaliter quidem relationibus rationis abstractiue cognoscentis, & intuentis; virtualiter autem, extensionib. diuini intellectus ad mundum nondum existentem, & iam existentem. Quod si hæc varietas extitit in intellectu diuino, cur dari non poterat alia quædam varietas in diuina voluntate prius volendi, & posterius nolendi successiue, vt mundus esset propter summam eius libertatem? præsertim cum dicta varietas intellectus ex libertate diuinæ voluntatis ortum habeat.

Postremo, quia re vera libere ab æterno decreuit Deus se nasciturum ex Virgine, ac proinde libere id nouit futurum; trāsacto autem die suæ natiuitatis, non amplius id voluit futurum aut futurum nouit.

Sed quoniā hæc difficultas expediri facile non potest, nisi planius intelligatur, quidnam liberi actus diuinæ volūtatis, & intellect⁹ addant simplicissimis, ac necessariis actib. earū potentiarū; referendæ prius sunt, quæ de hac re habentur opiniones, ac potissimū de actib. voluntatis, (*ex iis enim facile intelligetur quid dicendum sit de actibus intellectus*) deinde resolutio quæstionis adhibenda.

Quid actus liberi addant simplicissimo actu, diuinæ voluntatis iuxta sententiam Altisiodorensis, Aureoli, & aliorum quorundam?

SECTIO II.

Reijcitur sentē. quæ nulla ratione hos actus distinguit ab ipsa essentia.

MITTENDA est in primis opinio, quæ immerito vī tribui Ochamo, & Gabrieli ad 45. distinctionem primi sententiarum quasi eo loco dicant actum liberum, quo Deus vult creaturas, non solum re, sed etiam ratione esse omnino idem cum diuina essentia; duabus enim de causis tanquam extranea sententia reiicienda esset. Vna, quia cum duo aliqua sunt & re, & ratione penitus idem, non potest vnum sine altero intelligi: at is, qui diuinam essentiam concipit, non ideo concipit, Deum volentem creaturam aliquam esse. Altera, quia Deus non concipitur causare quicquam per suam essentiam præcise sumptam; alioqui non magis conciperetur causare rem hanc, quam illam: cum igitur omnes causet per suum velle, efficitur, vt velle creaturas esse non sit omnino idem cum diuina essentia, sed aliquid ei addat.

A Itaq; hac omissa opinione, tria cogitari possunt ab actibus liberis diuinæ voluntatis includi, præter simplicissimū illum, nempe aut aliquid re ipsa existens extra Deum, aut vero aliquid re ipsa existens in Deo, aut demum aliquid obiectiue tātum existens in intellectu; nec certe vlli tripartitæ hui⁹ diuisionis membro autores desunt.

Senten. quæ habet hos actus solū addere actui simplicissimo ipsa effecta, &c.

Quidā veteres Scholastici, quos refert ac sequitur Altisiodorensis in prima parte suæ B summæ Theologicæ cap. 13. & post eum Aureolus in 1. d. 45. ar. 3. existimant nihil aliud addere liberos actus voluntatis diuinæ simplicissimo illi actui, quam ipsa Dei effecta, quatenus à Deo proueniunt: imo vero nihil esse aliud Deum velle aliquid libere, quā produxisse illud extra se, aut producere, aut producturum esse: & omnino causam fuisse, aut futurum esse rei alicuius. Cum autē illis obiicitur, Deum isto modo non proprie, sed metaphorice dici velle aliquid, (*hoc enim pacto* C *dicimus Deum irasci, quia perinde sumit vindictam, ac si affectu iræ moueretur: & Verbum Dei venisse ad nos è cœlo, quia venientis more nobis in carne apparuit*) id concedere non recusant. Eorum vero ratio est, quia liberi actus diuinæ voluntatis non possunt quicquam includere, quod ita re ipsa sit in Deo, vt potuerit in eo non esse: neque item potest esse aliquid, quod habeat tantum esse obiectiuū in D intellectu, cum Dei libertas ab operatione intellectus non pendeat: quo fit, vt illud necessario sit in rebus ipsis, quod quidem aliud esse non potest, nisi ipsa Dei effecta, quatenus à Deo proueniunt.

Refellitur.

Sed hæc sententia merito à cæteris Theologis reiicitur tanquam parum consona diuinis scripturis, & in se valde absurda. Primū, quia diuinæ literę perspicue distinguunt ipsa opera Dei libera (*vt libere etiam à Deo* E *proueniunt*) à libera voluntate, qua ea facit, ipsumq; actum diuinæ voluntatis liberum reddunt pro ratione operum; vt apud Ioannem cum Christus Dominus ait, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret:* & apud Paulum, cum inquit, *Elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti*, & aliis locis quamplurimis. Vnde patet non habere actum simplicissimum diuinæ voluntatis ab ipsis Dei operibus, vt sit liber, sed potius F opera ipsa habere, vt sint libere facta ab actu Dei libero. Deinde, quia actus volendi, & eligendi non dicuntur methaphorice de Deo, sed proprie, atq; adeo maxime, siue illi necessarii sint, siue liberi, quemadmodum & actus intelligēdi. Postremo, quia sumere rationem libertatis diuinæ à rebus externis, nullamque inuenire in ipsa Dei volūtate, cur hoc po-

cap. 3.

Ephes. 1.

In ipsa diuina volunt. Ponenda est ratio li-

bert. non desumenda à rebus externis.

tius faciat, quam illud, aut cur nunc faciat, A nunc vero non faciat, aut hoc modo non illo modo faciat, nihil est aliud, quam ponere radicem libertatis diuinæ extra Deum, nostramque libertatem facere digniorem diuina quod nos liberorum operum externorum, quæ exercemus, reddamus rationem ex electione nostra, intentioneque interiori; hi vero autores in diuinis ad sola externa facta recurrant: quod quidem etsi ad colligendam à posteriori actualem diuinæ naturæ li- B bertatem vtile est; tamen ad eam constituendam, seu à priori colligendam res est absurdissima.

Caietani sententia in eadem dubitatione.

SECTIO III.

Vult Caiet. includi in actibus liberis diuinæ voluntatis perfectiones quasdam, quæ ab æterno poterant non esse.

CAIETANVS vero ad 1. p. D. Thomæ q. 19. ar. 2. & ad 3. p. q. 1. ar. 1. asserit in acti- C bus liberis diuinæ voluntatis includi perfectiones quasdam diuinas, in Deo quidē existētes, sed quę in eo ex æternitate poterant nō esse, tametsi postquā semel in eo fuerūt, abesse ab eo non possint. Iccirco autem nō putat vllum esse incommodū hoc genus perfectionū potuisse nō esse in Deo, quod sint voluntariæ, & omnino liberę præsertim *(vt eius sectatores addunt)* cum loco earū, quæ in Deo sunt, non defuissent aliæ, quæ tantundē valerent: quod D hunc in modum explicant. Nam si Deus, in-

Explicatur vis huius sentent.

quiunt noluisset facere hunc mundum, & alium facere voluisset, aut etiā nullum facere, æque perfectus esset is voluntatis actus, atq; ille, quē habuit, vt hunc faceret; & ita res habet in cæteris actibus, quos Deus neq; habet, neq; habebit vnquā. Nam cū omnis bonitas, & perfectio actuū voluntatis circa media ducatur ex fine; Deus autē nihil extra se esse, aut non esse velit, nisi propter suam bonitatē tan- E quam propter omnium rerum aliarum supremum finem; certe siue Deus velit hāc rem esse, siue illam, siue etiam hanc, vel illam non esse, siue etiam nullam, semper ii actus erunt æque perfecti: etiamsi res volitę aliæ aliis sint in se ipsis perfectiores, aut minus perfectę, aut etiam Deus velit hanc, aut illam non esse, aut deniq; nullā esse: nam & ipsum non esse creaturarum volitum à Deo esse potest. Itaque ii F maiori verisimilitudine Caietani sententiam explicabūt, qui dixerint omnes actus liberos, quibus diuina voluntas determinate vult, aut determinate permittit res esse, aut determinate vult non esse, non solum esse perfectiones diuinas, sed etiam æquales inter se perfectiones, quia eadem ratione formali, quæ à summa Dei bonitate ducitur, perfectionum

rationem habent. Nec dici potest Caietanum intelligendum esse de actibus liberis diuinæ voluntatis, quatenus præcise tendunt in Deū tanquam in rationem volendi, aut nolendi libere: ea enim tendentia, vt sic dicam necessaria est, quia fieri non potuit, vt Deus ab æterno non moueretur à bonitate sua, vt determinate vellet, aut determinate permitteret rem quamque possibilem aut esse aliquando, aut non esse; ne diuina voluntas vnquam suspensa esset, & omnino indeterminata, quod nequaquam dici potest, vt suo loco ostēdemus. Intelligendus est igitur Caietanus de actibus Dei liberis, vt tendebant ab æterno in quasdā res possibiles, vt essent, quemadmodum in alias, vt non essent: & sub hac consideratione dixit hos actus esse perfectiones in Deo. Addit tamen eos non esse perfectiones simpliciter, sed cum additione diminuente, & secundum quid, nempe voluntarias, & omnino liberas, vt quæ possent non esse, nec perficere Deum intensiue, sed extensiue.

Hanc esse Germanam explicationem.

Probat. Caiet.

Quod igitur huiusmodi actus in Deo sint perfectiones quædam duobus argumentis probat. Vno, (quod ex D. Thoma desumit) quia ad perfectionem cuiusque rei pertinet, non solum, vt sit perfecta in se; sed etiam vt quatenus potest, aut decet; suam perfectionem aliis communicet. Id quod ex eo colligitur in rebus naturalibus, quia tunc aliquid sibi simile producit, cum propriam perfectionem est assecutum.

Ex Aristot. 2. de anima c. 4. tex. 34.

Altero, quia cum actus intellectus, & voluntatis sint nobis cum Deo communes; in nobis autem sint perfectiones quædam habentes admixtam imperfectionem; non dubium est, quin sublata ab eis omni imperfectione tanquam puræ perfectiones Deo tribuendi sint.

Tertio quoque idem ex eo confirmari potest, quia Deus præcise per actum illum simplicissimum, quo se ipsum esse vult, non denominatur velle quicquam aliud siue esse, siue non esse, vt patet: aliquid ergo præterea in eo est, quo denominari possit velle creaturas esse, aut non esse, quod idem sit reale, ac minime pendens ab operatione intellectus; quidquid autem realiter est in Deo, perfectio aliqua eius sit necesse est.

Quod autem huiusmodi perfectiones ita sint in Deo, vt potuerint non esse in illo, ea ratione probatum supponit, quia sunt liberæ, ac proinde non necessariæ.

Impugnatur sentent. Caiet.

Verum & hæc Caietani opinio recte ab omnibus ferme posterioribus Theologis reiicitur. Est enim vt audacior aliquātō, ita & parum tuta. Primum, quia Deus in se ipso, & ante omnem ordinem ad creaturas in esse reali futuras,

A futuras, est infinite perfectus; alioqui diuina natura in se spectata esset alicuius boni indiga, quod negant diuinæ & humanæ literæ: at ei, quod est infinite perfectum, nulla omnino perfectionis additio fieri potest. Deinde, quia quod aliunde modo aliquo perficitur, aliunde etiam modo aliquo pendeat necesse est: Deũ autem nullo modo pendere à creatura, aut ex ordine ad illam, sed in se esse omnino independentẽ ex eo perspicitur, quia alioqui non esset prima omnium rerum causa. Tertio, B quia si Deus modo aliquo perficitur extensione ad creaturas secundum earum esse reale: ergo extensione huiusmodi actuatur: actus enim, & perfectio idem sunt: ergo modo aliquo est in potentia passiua, seu receptiua vlterioris perfectionis, sicque non est actus purus, quod est error in Philosophia, & Theologia. Adde, quod huiusmodi extensiones ad esse reale creaturarum sunt in Deo rationes causandi, seu causalitates; hæ vero, quate- C nus consideratione nostra à diuina natura distinguuntur, nullam perfectionem Deo adiungunt, vt superius probatum est. Postremo, quia ratio, ob quam agentia creata extensiue perficiuntur ex ordine ad sua effecta, est, quia per ea modo aliquo obtinent aliquid, quod ipsis deest, nec loco illius habent aliquid excellentius; quo pacto agentia corruptibilia per ea, quæ generant, & qui res præclaras ge- D runt, per eas ipsas modo aliquo assequuntur perpetuitatem: at Deus infinite excellentius habet in se ab æterno, quicquid perfectionis ex ordine ad res futuras quouis modo assequi posset. Non bene igitur cohærent duo hæc, quæ Caietanus coniungit, nempe actum liberum diuinæ voluntatis addere perfectionem aliquam simplicissimo actui, quo Deus se amat, sibique in rebus à se factibilibus complacet, & eam perfectionem potuisse non esse in Deo. Aut enim ea perfectio non E datur in Deo; *(seu potius id, quod ait esse perfectionem, non est perfectio)* aut si datur, non potuit illa in Deo non esse. Quod idem de actibus liberis intellectus diuini dicendum est, nempe visionis intuitiuæ, & futurorum præscietiæ. Sicut enim Deus nullius omnino perfectionis additione libere voluit, vt mundus hic esset; sic nulla perfectione adiuncta, libere F illud ab æterno intuitus est, & nobis futurum certo persciuit.

quæst. super. ad fin. quæst. 5.

Communior sententia de eadem re, & quo sensu amplectenda.

SECTIO IV.

Communis sententia hos actus

COMMVNIOR sententia aliorũ Theologorum est actus liberos diuinæ voluntatis solam relationem rationis addere simplicissimo, & infinite perfecto diuinæ voluntatis actui: quod eodem pacto de actibus liberis diuini intellectus sentiunt, respectu scientiæ simplicis intelligentiæ. Hanc autem sententiam ex impugnatione duarum superiorum hoc modo colligunt. Cum actus diuinæ voluntatis non addãt aliquid, quod re ipsa extra Deum existat, vt contra primam ostensum est; neque etiam aliquid, quod re ipsa sit in Deo; siquidem oporteret *(vt aiunt)* illud esse perfectionem aliquam, quæ potuisset in Deo non esse, quam perfectionem secunda opinio non recte in eo ponit: reliquum est, vt nihil aliud addant, quam relationem aliquam rationis ad ea, quæ Deus secundum esse reale aliquando esse decreuit.

solam addere actui simplicissimo relat. rat. Vide Ferrar. 1. cont. Gent. c. 75. & 76. Capr. in 1. d. 45. q. vn. ar. 2. ad arg. contra 1. & 2. conclus. Syluest. & recent. ad ar. 2. q. 19. 1. p. D. Th.

Sed contra hanc sententiam, si intelligatur, vt verba sonant, haud leuiora argumenta, quam aduersus superiores duas, occurrũt. Vnum est. Relatio rationis non potest vllo modo conferre Deo, vt libere velit creaturas esse: non igitur ab ea habet simplicissimus voluntatis diuinæ actus, vt sit liber. Antecedens probatur tum ex eo, quod velle creaturas esse, est aliquid reale in Deo, vt patet; relatio autem rationis non confert vllum esse reale, vt etiam perspicuum est: tum quoque ex eo, quod relatio Dei volentis ad creaturam volitam fundatur in ipsa volitione, eamque supponit: *(quod etiam huius sententiæ autores fatentur)* nullo igitur modo eam constituit in esse actus liberi. Quod argumẽtũ nonnulli eorum dicunt esse insolubile in hac vita, dum ipsa Dei voluntas sicuti est, clare à nobis non cernitur: mihi vero ne in futura quidem vita videtur solui posse: arguit enim suos autores apertæ contradictionis, quatenus asserunt simplicissimum illum actum diuinæ voluntatis à relatione rationis habere, vt sit liber; & tamen eandem relationem in eo ipso actu fundari, quod est illum supponere: vnde perspicue sequitur eam relationem constituere, & non constituere, supponere, & non supponere diuinum actum liberum.

Refellitur.

Alterum argumentum est. Voluntas Dei libera *(etiam vt libera)* est causa rei futuræ: ideo enim res futura est, quia Deus libere vult eam fore: non igitur ratione relationis est libera, sed alicuius, *(quidquid demum id sit)* quod naturæ ordine relationem antecedat: siquidem relatio volentis ad volitum simul natura est cum relatione voliti ad volentem, vt patet ex oppositarum relationum proprietate: relatio autem voliti fundatur in re volita, quæ, vt volita, posterior natura est ipso actu voluntatis, à quo causatur.

Nec vt sit causa rerum.

Tertium

Tertium est. Actus liber diuinæ voluntatis est actio formaliter immanens, & virtute transiens, vt sæpe dictum est: non potest autem habere à relatione rationis, siue quod sit immanens, vt patet; siue quod virtute transeat: (*siquidem huiusmodi relationum nulla est virtus*) non ergo à relatione rationis habet, vt sit liber.

Postremum. Actus liberi diuinæ voluntatis sunt actus diuinarum virtutum, vt charitatis, liberalitatis, misericordiæ, iustitiæ, & similium: actus autem virtutum non constituuntur in esse virtutis per huiusmodi relationes, vt constat: ergo nec actus diuinæ voluntatis ab eis habent, vt sint liberi.

Vt quidam explicent hanc sententiam.

Sunt, qui respondeant, cum dici solet actus liberos diuinæ voluntatis relationibus rationis inter se distingui, intelligendum id esse quoad nostram cognitionem, non quoad eorum constitutionem: sunt enim priores, quam nostra cognitio; nec tamen possunt à nobis cognosci, quatenus liberi, nisi relatione, comparationeque earum rerum, ad quas terminantur in esse reali. Quanquam vero hi non ad rem loquuntur, cum quæstio non sit de cognitione actuum liberorum Dei, sed de eorum esse, quod ipsorum cognitionem antecedit; tamen ad id, quod quærimus viam aperiunt. Si enim relationes huiusmodi, comparationesque, quas hoc genere relationum facimus, nobis declarant libertatem illius actus simplicissimi; aliquid ergo in eo subest, quod primi autores huius sententiæ hisce relationibus innuere voluerunt, à quo actus ille habet, vt sit liber; aut certe illud idē extenso relationis nomine complexi sunt; quo pacto superius diximus D. Thomam, Scotum, & alios graues autores, qui fidentius pro aliis nominibus aliis nonnunquā vtuntur, creationē tum actiuā, tum passiuā sæpe relationes appellasse, cum re vera relationes non sint, sed relationū fundamēta, seu potius fundandi rationes. Dicendum igitur actus liberos diuinæ voluntatis, quatenus liberi sunt, non includere effecta vlla, siue res externas quatenus à Deo proueniunt, vt prima opinio dicebat; neque vllam perfectionem, quæ in Deo potuerit non esse, vt dicebat secunda; nec vero vllam relationem rationis, vt dici à compluribus solet; sed solam extensionem non necessariam simplicissimi illius actus ad creaturas, in qua relatio ad eas fundatur. Quæ assertio etsi ex dictis satis probata relinquitur, maioris tamen perspicuitatis gratia confirmanda est quoad ea, quæ de extensione dicimus. Cum enim supra ostensum sit actum illum vnicum, & simplicissimum diuinæ voluntatis terminari primum ad ipsam diuinam

Quatenus admittenda explicatio.

Super. quæst. sect. 3.

Vera resolut. addere extensionem nō necessariam, &c.

quæst. sup. sect. 5.

A essentiam tanquam ad primarium eius obiectum; secundaria vero ratione, sed ex necessitate ad omnes creaturas in esse possibili; tertio demū loco ad quasdam earū in esse reali, sed non ex necessitate; (*neq; n. hoc pacto potest terminari ad omnes, quæ nunq̄ omnes, etiā successiue, erūt in rerum natura*) constetq; actū illum ex eo, quod non necessario fertur in creaturas; esse liberum; efficitur, vt quatenus liber hanc ipsam terminationem includat, & per varias

B huiusmodi terminationes virtute distinctas in plures actus liberos nostro intelligēdi more distinguatur. Quod autem hæc extensio nulla sit perfectio in Deo, ex hoc ipso patet, quia non est necessaria, potuitque ex ratione sua in eo non esse. Quod vero eadem extensio non sit relatio rationis, ex eo perspicuum est, quia re ipsa est in Deo, nec pendet in suo esse ab operatione intellectus. Quod deniq; relatio ad creaturas in hac ipsa extensione funde-

C tur, ex eo patet, quia cum necessario fundari debeat in ipso actu simplicissimo diuinæ voluntatis; nec possit in eo fundari, quatenus præcise fertur in diuinā essentiam, aut in creaturas secundum earum esse possibile; necessario fundari debet in eo, vt fertur in esse reale quarundam.

Hoc est, varias terminat. virtute distinctas ab actu simpl.

Idem porro dicēdum est de actibus liberis, diuini intellectus, qui sunt actus præscientiæ & intuitiuæ cognitionis. Includunt enim ex-

D tensionem vnici actus scientiæ simplicis intelligentiæ ad ea, quæ in aliqua differētia temporis existunt, in qua extensione virtute distincta in plures variæ relationes Dei præscientis, & intuitiue cognoscentis fundantur.

Idem dicendum de actibus liberis diuini intellectus.

Solutio eorum argumētorum, quæ in eadem dubitatione pro aliorum sententiis allata sunt.

SECTIO V.

QVARE ad argumentum primæ opinio-

E nis dicendum est, liberos actus diuinæ voluntatis includere eam extensionem, quam diximus; nec magis esse incommodum, quod ea in actu exercito (*de quo mox dicendum*) potuisset non esse in Deo, quam quod hoc pacto non sit necessaria, quod omnes fateantur necesse est.

Ad arg. primæ opin.

Ad primum vero Caietani dicendum, etsi ad perfectionem cuiusque agentis creati pertinet actualis eius communicatio, tamen id

F non pertinere ad perfectionem agētis increati; quia infinite perfectius habet in se, quicquid suis effectis communicare potest. Nec vero D. Thomas oppositum docet, sed hoc tantum significat, ex perfectione agentis prouenire, vt aliis se communicare possit. Vnde fit, vt signum perfectæ rei naturalis sit posse generare sibi similem, vt colligitur ex Aristotele

Ad arg. Caiet.

Actualis communicatio non est perfectio agentis increati, sed creati.

tex 34. tele 2. de Anima cap. 4. & signum item scientis posse docere, vt idem scribit in præfatione huius operis.

Ad secundum dicendum, in actibus intellectuum, & voluntatum creatarum duo cerni: vnum, quod sint qualitates, alterum, quod tendant in obiecta propria, quorum habitudine inter se formaliter distinguuntur; & vtraque ratione hos actus dicere perfectionem in suis quemque generibus, eamque imperfectione admixtam. Cum autẽ hæ variæ perfectiones, quas huiusmodi actus & ratione suorum generum, & ratione suarũ differentiarum habent, ad vnicam & simplicissimam perfectionem actus intelligendi, & volendi Dei reducuntur, necesse est, vt ii actus diuini ab omni differentiarum distinctione quasi exsoluti relinquantur: quo fit, vt in actu intelligendi Dei relinquatur id solum, quod sit actus intelligendi perfectissimum intelligibile, & in actu volendi id solum, quod sit actus volendi perfectissimum appetibile: extensiones vero eorum actuum ad creaturas iam in eis non reperiantur ex natura rei distinctæ, sed virtute, & eminentia duntaxat; quia excellentia naturæ suæ perinde se habent ad creaturas, atque si ex natura rei distinguerentur: actu autem tum demum distinguũtur hæ extensiones & inter se, & ab ipsis simplicissimis actibus, cum operatione intellectus more concipiendi nostro vt distinctæ intelliguntur. Itaque abstractio ipsa ostendit perfectionem, quæ relinquitur in simplicissimis actibus intelligendi, & volendi Dei, non pertinere ad illos, vt extenduntur ad creaturas secundum esse earum reale, sed vt terminantur ad perfectissimum intelligibile, & perfectissimum appetibile, vnde manat, vt terminentur necessario ad ea, quæ ratione illius ex necessitate ab eo intelliguntur, & amantur. Quo fit, vt non sequatur, actus liberos in Deo compleri per vllam perfectionem, quæ simplicissimis Dei actibus intelligendi, & volendi adiungatur.

Has extensiones non addere perfectionem in Deo.

Ad tertium dicito, non quidquid realiter in Deo est, esse ex peculiari ratione sua (hoc est, quatenus more considerandi nostro ab eo distinguitur) perfectionem diuinam, vt patet in relationibus personalibus, quæ etsi reipsa sunt in Deo, atque adeo formaliter ipsa diuina essentia, ac proinde vnica perfectio infinita; tamen, vt more considerandi nostro à diuina natura distinguuntur, nullam perfectionẽ illi adiungunt, cum diuina natura omnem omnino perfectionem includat. Sic ergo fere res habet in extensione actus intelligendi, & volendi Dei ad creaturas in esse reali: etsi enim ea extensio est realiter in Deo, atque adeo idem formaliter cum diuina essentia, quæ, vt supra dictum est, identificat sibi realiter, & formaliter omnia, quæ in Deo sunt; (*positiua intellige*) tamen quatenus more intelligendi nostro distinguitur ab ipsis simplicissimis actibus intelligendi, & volendi, tanquam modus quidam purus habendi se ad eiusmodi creaturas, & non necessarius nullam perfectionem illis adiungit, vt propterea illi perfectiores sint, quia ad creaturas sic spectatas extenduntur, ac terminantur. Id quod etiam ex eo confirmatur, quia huiusmodi extensiones, & puri modi non necessarii se habendi Dei ad creaturas, sunt ipsæ causalitates, quibus iuxta propositũ Dei completis, ac terminatis Deus formaliter est causa rerum omnium; vt superius ostensum est; vbi etiam est probatum solas causas secundas in causando perfici.

Esse modos puros se habendi ad creaturas.

Proxima quæst. sect. 4. & 5.

Ad id autem, quod Caietanus probatum supponit, eas perfectiones, quas inducit, potuisse in Deo non esse, quia sint liberæ, ac proinde non necessariæ, dicendum est, non bene hæc duo cohærere, (*vti diximus*) & quod illæ sint perfectiones diuinæ, & quod potuissent in Deo non esse; quantumcunque earum perfectio imminuatur. Cæterum quatenus nomine earum perfectionum non intellexit entitates vllas distinctas inter se, (*vt perspicuum est*) sed simplicissimorum actuum illorum extensiones, nihil est, quod in ea probatione ab eo supposita reprehendendum sit; sed aliquid tamen, quod ad eam pertineat, paulo post explicandum.

Denique ad id, quod communiter cæteri ferme Theologi dicunt actus liberos in Deo solam relationem rationis simplicissimis illis actibus adiungere, iam diximus verisimile esse primos autores eius locutionis nomine relationum rationis aut insinuasse, aut complexos fuisse eas extensiones, in quibus eiusmodi relationes fundantur; idque vt à Deo Deo excluderent relationes reales ad creaturas, quæ in eo locum non habẽt. Verum probatio hæc, qua nunc recentiores quidam vtuntur [*Id quod additur simplicissimis illis actibus, vt sint liberi est re ipsa in Deo: ergo est aliqua perfectio diuina*] hæc, inquam, probatio vitiosa est: neque enim quicquid re ipsa est in Deo, si sumatur quatenus more intelligendi nostro additur diuinæ essentiæ, aut eius actibus essentialibus, est eius perfectio, vt iam ostendimus.

Ad fundament. communis sent.

Contra hæc tamen sic aliquis obiiciat. Quidquid re ipsa est in Deo, est Deus: extentensio voluntatis diuinæ ad esse reale creaturarum est re ipsa in Deo: ergo est Deus: atqui Deus potuit voluntate sua non extendi ad esse reale creaturarum: ergo Deus potuit non

Duæ obiect. circa modum loquendi in hac re.

Tt esse

esse Deus. Prima propositio, quæ sola videbitur indigere probatione, ex eo constat, quia essentia diuina (*& ex consequenti Deus*) identificat sibi realiter, & formaliter omnia, quæ re ipsa sunt in Deo, vt dictum est supra.

Deinde, Deus est summa perfectio: extensio diuinæ voluntatis ad esse reale creaturarum est ipse Deus, quia non est aliquid Deo additum: ergo ea extensio est summa perfectio; non igitur recte dictum est, eam extensionem non esse vllam perfectionem, quam actus liberi in Deo habeant.

Prioris solutio.

Sed hæc iam spectant ad modum loquendi. Prior enim argumẽtatio, seu potius sophisma ex non bene obseruato verborum vsu decipere potest. Quapropter concessa tota prima consequentia, in secunda est vitium figuræ dictionis, quod nonnulli Theologi aduertunt. Nam etsi id, quod est extẽsio diuinæ voluntatis ad esse reale creaturarũ, est ipse Deus, Deusq; voluntate sua potuit non extendi ad esse reale illarum; iccirco tamen non sequitur Deum potuisse nõ esse Deum, quia fit transitus ex vno quasi prædicamento ad aliud: nam Deus ex modo significandi suo importat substantiam; extendi autẽ voluntate ad hoc, vel illud importat actionem exercitam: quo fit, vt non quicquid de vno infertur, possit de altero inferri, propter varium significandi modum. Quod si in assumptione eiusdem secundæ consequentiæ diceretur Deum posse non esse id, quod est extensio voluntatis suæ ad creaturas; cum nomẽ abstractum extensionis significet extensionẽ quasi per se stantem, nõ autem per modum adiacentis exercitam, ac proinde significet actionem per modum substantiæ, consequentia quidem apta esset, sed assumptio esset neganda: quia etsi Deus potuit nõ extendi voluntate sua ad creaturas tamen fieri non potuit, vt non esset id, quod est ipsa extensio, quę est ipsa diuina essentia. Itaque, cum dicimus Deum potuisse nõ extendi voluntate sua ad esse reale creaturarũ, sensus est, potuisse illum nõ habere rationem extendentis voluntatem suam ad illud, etiamsi non potuerit non esse id, quod est ipsa extensio.

Vt Alensis 1. p. q. 34. memb. 2.

Potuisse Deum non extendi voluntate ad esse reale creatur. nõ tamen non esse id, quod est ipsa extensio.

In posteriori argumẽtatione posterius consequens distinguendum est, seu potius explicandum. Nam etsi in priori argumentatione recte concluditur extensionem, quatenus significatur per modum substantiæ, esse summam perfectionem, idq; ex natura rei, siquidem hoc pacto est idem & realiter, & formaliter cum Deo: tamẽ id, quod in posteriori cõsequente refertur, dictũ scilicet esse, eam non esse vllam perfectionem, sic exponendum est, vt intelligatur de extensione significata per modum actionis exercitæ, nempe concreta

Quo pacto sumpta hac extens. sit perfectio, & quo non sit.

A dictione verbi extendendi: quo pacto nullam perfectionem significat, quæ simplicissimis, ac necessariis actibus diuinę voluntatis, ac intellectus adiungatur. Atq; hoc modo intelligendum est id, quod hactenus est dictum, extensionem diuinæ volũtatis, & intellectus ad esse reale creaturarum non esse in Deo vllam perfectionem; sumpta nimirum extensione in actu exercito, non in actu signato, seu concepto absq; exercitio, quo fere modo lib. 5. dicebamus relationem in actu exercito constituere relatiuum, nõ item in actu signato, & concepto. Itaq; tota deceptionis occasio in modo loquendi sita est, nisi proposita distinctio & explicatio obseruetur.

c. 15. q. 6. sect. 5.

B

Iuxta hæc facile videre licet omnes, qui de hac re disputarunt, etsi nõ idem omnino senserũt, aliquid tamen obseruasse, quod verum sit, sicque omnes aliquid in resolutionẽ explicatæ veritatis contulisse. Nam Ochamus, & Gabriel, & qui ex Nominalibus in hac re Ochamũ sequuti sunt, etsi à cæteris Theologis pene non sunt auditi, tamẽ eatenus recte senserunt, quatenus significare voluerunt, eos actus vt liberi sunt, nihil habere entitatis diuinæ naturæ adiunctum. Veteres autem Scholastici, qui libertatem eorum actuum in ipsis effectibus ponere visi sunt, illud credẽdi sunt spectasse, ac explicare voluisse, nunquam liberos Dei actus sine ordine ad externa opera intelligi posse, vt possunt nostri; quandoquidẽ electio, quæ est primus libertatis actus, sola media respicit, quæ nulla sunt in ipso Deo, sed in creaturis tantũ: proinde si quid entitatis præter simplicissimũ Dei actum concipere oportet ad eorum libertatem intelligẽdam, id totum in creaturis ponendum esse. Caietanus quoq; eatenus recte philosophatus est, quatenus dixit, id, quod liberi actus addũt vnico, & necessario illi actui, (*quidquid id sit*) potuisse in Deo non esse. Id quod de extensione non abstracte, sed concrete, & in actu exercito significata intelligẽdum est. Iam vero qui nihil expresse addiderunt simplicissimis actibus intellectus, & voluntatis, nisi varias relationes rationis, de additione quoq; entitatum intelligendi sunt; quasi dicant, si quam entitatẽ liberi actus Deo afferunt, quę dici de eo possit, eam non esse aliam, nisi relationum rationis. Denią; quicunq; dicimus illos actus nihil entitatis addere, nec quæ sit in rebus externis, nec quę sit in Deo, sed solam extensionem exercitam non necessariã illorũ actuum simplicissimorum ad esse reale creaturarum; omnia consideramus, & quæ excludẽda sunt, & quæ includenda, ne nos tangat ea reprehensio, qua Arist. quosdam veteres perstringit quod paucis inspectis, facile de rebus pronuntient.

Singulas refutatas sententias aliquid veri saltem innuisse.

C

D

E

F

1. Met. c. 7. tex. 12. & 1. de generat. c. 2. tex. 7.

Resolutio

Resolutio præcipua quæstionis.

SECTIO VI.

Status quæst.

HIs hunc in modum explicatis, reddenda est ratio, cur in Deo propter summā eius libertatem non sit potentia logica ad oppositos actus liberos voluntatis, & intellectus successiue exercendos, cum ab æterno eam habuerit, vt se ad alterum indifferenter determinaret: in hoc enim posita est tota huius quæstionis difficultas.

Recent. confugiunt ad repug. moralis inconstant.

Non desunt ex recentioribus, qui totam repugnātiam huius successionis quoad actus voluntatis in inconstantia morali, quæ nullo modo potest Deo attribui, ponendam existiment; ita vt si nulla huiusmodi inconstantia colligeretur ex eo, quod Deus nollet: quę voluisset, aut vellet, quæ noluisset, nihil iam obstaret, quominus in eo esse posset hæc successio ad opposita. Sed certe si aliunde nulla esse repugnātia, non videtur ea ex hoc capite colligi. Nulla enim moralis inconstantia, aut leuitas est vel pro sola libertatis vi probanda, & ostendenda, bono aliquo fine proposito, saltem in rebus indifferentibus, nolle, quæ ante volueris, aut velle, quæ nolueris. Quod si illi contendant fore, vt in subiecta materia *(hoc est, in actibus diuinis, de quibus est quæstio)* id esset inconstantia, & leuitas moralis, aut inde colligi posset expressior aliqua repugnantia; primum quidem quicunque negauerit eam successionem arguere in Deo vllam mutationem, æque negabit ex ea sequi inconstantiam vllam in diuina natura. Deinde, siqua inde sequitur certior repugnantia, ea tandem reddenda esset pro solutione huius difficultatis: quod suo quitque modo fecerunt omnes retro graues Theologi; nec recurrendum esset ad solutionem, cum minimum dubiam, neq; omnino necessariam.

Vera resolut. fore, vt Deus mutaretur.

Vide Ferrar. 1. cont. Gent. c. 83. & Bassol. in 1. d. 45. p. 2. ar. 3.

Communis solutio huius difficultatis pro vtrisq; actibus liberis, tam voluntatis, quam intellectus, hæc fundatissime dari solet. Si in Deo daretur successio huiusmodi oppositorum actuum *(eo modo videlicet, quo in eis oppositionem concipimus)* daretur quoque successio oppositarum relationum, quæ illos consequerentur: at hæc nullo modo dari potest, nisi Deus mutetur; ergo nec illa. Maior patet: minor autem probatur ex ea communi, & ab omnibus recepta propositione, Impossibile est dari nouam relationem, nisi facta mutatione in vtroque, aut saltem in altero extremorum, quam desumunt ex celebri illo Aristotelis pronuntiato 2. de generatione capite 10. *Idem eodem modo se habens idem facere aptum est:* quod pronuntiatum multo vniuersalius, quam loco illo vsurpatur. iidem accipiunt, & illo ad plurima confirmanda vtuntur. Cum ergo ante mundum conditum nulla mutatio in eo facta sit, vt patet, *(quod enim non est, nec incipit aut desinit esse, nullo modo mutatur)* certe si Deus ante mundum conditum referretur ad illum noua relatione nolentis illum fore; postquam illum fore voluerat, mutatus ipse secundum voluntatem procul dubio esset, quandoquidem mundus *(vt dictum est)* nondum esset mutatus. Quod si Deus nō potuit nolle mundum fore, postquā fore voluit, ergo non potuit præscire illum nō futurum, postquam futurum præsciuerat; siquidem præscientia futuri, quę est liber actus intellectus diuini, sequitur voluntatem absolutam de euentu futuro.

Nouam relat. nō dare sine aliqua vnius saltem extremorum mutatione. tex. 56.

Obiect.

Siquis autem dicat hoc ipsum, quod est rem aliquam esse nolitam, vt ita dicam, postquam volita fuit, aut volitam postquam fuit nolita, esse eam aliquo modo mutatam, vt quidam existimant; proinde si Deus ante mundi constitutionē, dum adhuc nulla realis mutatio facta erat in rebus, nollet, vt illæ essent, quas prius voluerat, aut eas esse vellet, quas fore noluerat, non deesset tunc in rebus mutatio, quæ satis esset, vt in ea relatio illarū fundaretur; quemadmodum dicunt res fuisse etiā ab æterno mutatas hoc ipso, quod Deus alias futuras esse voluit, alias vero noluit, & ob id in eis fundatas esse eas relationes, quas ad Deum ab æterno habuerunt: siquis, inquā, hoc pacto occurrat, facile responsio refutabitur.

Diluitur.

Non mutatur res præcise, quod sit volita.

Primum, quia falsum est sola alterius voluntate res modo aliquo mutari hoc solo, quia volitæ sint, si voluntas nondum in eas executiue transeat: alioqui Deus modo aliquo mutaretur, cum volūtas nostra aliter, atq; antea, veluti modo per amorē, modo per odium, in eum fertur. Deinde, quia cum dici solet necessariam esse mutationē. Saltem alterius extremi vt in vtroq; relatio resultet, non est hoc pronuntiatum intelligendum de relatione æterna, sed ex tempore, vt pronuntiatum ipsum præ se fert; proinde velle illud ad relationes, quæ nunquam esse cœperunt, accommodare, vt ii faciunt, est omnino propriam, vt dicitur, vocem ignorare: præsertim cum in omni mutatione supponatur terminū à quo, saltem ficte, esse prius tempore in subiecto mutando, quam in eo sit terminus ad quem, vt supra dictum est. quod quidem in æternitate nec vere, neque etiam ficte locum habet. Postremo, quia omnes, qui de hac difficultate disputant, supponunt sola voluntate sine executione vlla nō mutari res volitas; siquidē ex eo argumentātur ad proban-

Vt ab æterno relationes conueniant, non indigent mutatione extremor.

Super q. sect. 6.

dum non potuisse resultare oppositas relationes rerum factibilium ad Deum ex sola successione oppositarum eius voluntatum; quo fit, vt proposita respõsio id afferat, quod tamquã præter omniũ opinionẽ sit reiciendum.

Alia ratio pro vera resolutione

Alia ratio hunc in modum extrui potest. Si Deus nollet ea fore, quæ ante voluerat, aut fore vellet, quæ ante noluerat, (*pro eodem nimirum tempore, quo pacto in obiecto voluntatis est oppositio*) cum omnis Dei voluntas de re futura, aut non futura sit efficacissima, B vtrumq; oppositorum effectuum eodem futuro tempore fore oporteret, & quod eiusmodi res essent, & quod non essent, quæ est aperta contradictio; aut igitur voluntas Dei non est efficax, vt quicquid vult fore sit re vera futurum, & quicquid vult non fore, non sit re vera futurum, quod est contra perfectionem infinitam diuinæ voluntatis; aut fieri nequit, vt Devs nolit ea fore, quæ ante fore voluerat, aut velit fore, quæ ante noluerat. C Ex qua ratione, quemadmodum ex superiori sequitur fieri etiam non posse, vt Deus præsciat non fore, quæ ante fore præscierat; aut fore præsciat, quæ fore non præscierat; siquidem diuina præscientia, vt dictum est, in absoluta Dei voluntate de re futura, aut non futura fundatur.

Peculiaris ratio quoad actus diuini intellect.

Est & alia ratio à priori, quod attinet ad diuinam præscientiam, quę hunc in modũ fieri potest. D Deus ab æterno præsciuit, quicquid re vera aliquando futurum, aut non futurum erat; siquidem nulla veritas eum latere potuit: ergo si præscient aliquid non futurũ esse pro aliquo tempore, quod pro eodem futurum præscierat: aut præsciret esse futurum, quod non futurum præscierat, simul vtrumq; ab ęterno præsciuisset; & ex consequenti darentur in intellectu diuino cõtraria iudicia; nam iudicia de contradictoriis obiectis contraria sunt, vt tradit Aristoteles vltimo capite secũdi de Interpretatione; vt quo iudicamus aliquid esse bonum, & quo iudicamus idem esse non bonum; at contraria iudicia non solum in diuino intellectu, sed nec in humano simul dari possunt.

Contraria iudicia in eod. intellectu simul dari nequeunt, & quænam eiusmodi sint.

His ergo rationibus patet, etsi in Deo ab æterno fuit potentia logica ad oppositos actus liberos suæ volũtatis, & intellectus, non fuisse tamen ad oppositos successiue, sed ad alterum tantum.

Diluitur quædam obiectio contra ea, quæ dicta sunt.

Sectio VII.

Proponitur.

Ervnt fortasse, qui contra ea, quæ dicta sunt, sic obiiciant. Duabus potissimum A de causis dictum est superius Deum non mutari, cum incipit esse actu causa rei alicuius: vna, quia cum actu causat, nullo modo perficitur, vt suo modo perficiuntur causę secundæ altera, quia cum causare incipit eius concursus non est actu nouus, sed tantũ virtute; at vtrumq; cerneretur in Deo, si per impossibile nollet, quod ante voluisset, aut vellet, quod ante noluisset; veluti si nunc nollet, vt esset Antichristus, quem hactenus futurum esse voluit: aut vellet, vt motus cœli in æternum duraret, quem hactenus noluit, vt vltra diem iudicii procedat: ergo si Deus nõ mutatur, cum incipit esse actu causa alicuius rei, non etiam mutaretur, si nollet, quod antea voluisset, aut vellet, quod noluisset. Maior ex superius dictis perspicua est, si modo intelligatur de mutatione acquisitiua: nam quod Deus, cum causare incipit, non mutetur mutatione abiectiua, seu deperditiua, luce clarius erat, quemadmodum neque vlla alia causa mutatur. Minor ex eo probatur, quia par videtur esse ratio in vtroque. Nam nec Deus per actum liberum, vt liberum, perficitur, quod superius quoque ostẽsum est: vt autem aliquid nolit, quod ante volebat, aut contra, satis videtur esse virtualis nouitas diuinæ volitionis, aut nolitionis, quemadmodũ satis est virtualis nouitas diuini concursus ad causandum actu id quod antea non causabat. Quo fit, vt vel superius non recte definitũ sit Deum non mutari, cum incipit esse actu causa alicuius rei, quod dici nullo modo potest: vel certe sine vlla sui mutatione possit nolle, quod prius voluerat, aut velle, quod prius noluerat; quod nunc impossibile esse dictum est.

Respondetur.

Ad hanc obiectionem neganda est minor propositio, neq; admittenda eius probatio. Nam etsi Deus non perficeretur per nouam E volitionem, aut nolitionem, (*si per impossibile daretur*) quod etiam ex dictis intelligitur; tamen ea volitio aut nolitio non esset noua virtute tantum, quo pacto est nouus is concursus, quo Deus actu causare incipit, sed vere actu noua.

Si in Deo daretur post volitionẽ nolitio eiusd. rei &c non esset sola virtute noua.

Quod vt planius intelligatur, aduertendum est, duobus modis fing. posse Deũ nolle, quod antea voluerat, aut velle, quod ante noluerat; vno, si volitio rei alicuius faciẽdæ, aut F permittendæ, quam prius facere, aut permittere noluisset, præcederet tẽpore suum effectum: vt si Deus ab æterno noluisset mundum condere, annis autem imaginariis viginti, antequã illum condidit, eum condere voluisset: altero, si ea volitio esset simul, in eodem tempore, vel momẽto cum suo effectu: vt si Deus nõ solũ ab æterno noluisset mundũ condere sed

ſed etiam in eo actu perſtitiſſet vſque ad illud momentum excluſiue, in quo illum ſimul & voluit condere, & condidit. Neutro autem modo ea volitio eſſet ſola virtute noua ſed vere actu noua. Si enim præcederet ſuum effectum, non eſſet vtiq; virtute noua, cum eſſe inciperet: nullus enim volendi actus dici poteſt virtute nouus, niſi cum vi ſua nouum cauſat effectum; quo pacto diuinæ, cauſalitates non dicuntur virtute nouæ, niſi cum effectus cauſatur: ſin autem ea volitio ſimul eſſet cum ſuo effectu, eſſet quidem virtute noua, quia vi ſua nouum cauſaret effectum; verumtamen non eſſet ſola virtute noua, ſed etiam actu noua. Is enim ſolus actus dici poteſt in Deo ſola virtute nouus, qui cum alioqui ab æterno fuerit eiuſdem omnino obiecti: tamen ita in tempore incipit ſe habere ad illud, ac ſi actu eſſet nouus: qualis fuit actus diuinæ voluntatis de mundo condendo in eo inſtanti, in quo Deus illum condidit. Semper enim fuerat eiuſdem omnino obiecti, cuius tunc erat, nempe de mundo in eodem inſtāti condendo: ſed tunc ita ſe habuit ad illū dans illi nouum eſſe, ac ſi Deus tunc primum illum condere vellet.

Qui actus in Deo ſint ſola virtute noui.

His ſimilia ſunt, quæ apud nos accidunt. Si quis enim, continuato per horam integram actu volendi in vltimo eius quadrante deambulare, ex vi eius interni actus in eo deambulet: is actus internus erit in eo quadrāte ſola virtute nouus, quia alioqui iam ab initio horæ ea volitio fuerat eiuſdē omnino obiecti, nēpe de deambulādo in eo quadrāte. Quod ſi antequam deambularet, nolebat in eo deambulare, erit vtiq; ea volitio deambulandi ita virtute noua, vt ſit iam actu noua. Nec ſolum eſſet actu noua propter nouitatē realem ipſius actus, (*id enim quaſi per accidens eſſe cōcedit is, qui per impoſſibilē fingit Deū per actum realiter eundem, imo etiam eundem formaliter prius nolle aliquid eſſe, & poſtea velle idem eſſe*) ſed præcipue propter nouitatem tendentiæ in nouum obiectum, quod erit deambulare, cum antea eſſet non deambulare. Eſſe enim, & non eſſe eiuſdem rei non ſolū poſſunt eſſe diuerſa obiecta voluntatis, ſed etiam ſunt contradictorie oppoſita. Vnde, ſi Deus prius nollet aliquid eſſe, & poſtea vellet idem eſſe pro eodem tempore, aut momento, non eſſet vtiq; is volendi actus verſatus ab æterno circa idem obiectum, & ex conſequenti non eſſet ſola virtute nouus, ſed vere actu nouus. Eadem ratio foret, ſi in Deo actus nolendi aliquid facere, aut permittere ſuccederet actui, quo voluiſſet illud idem in eodem tempore, aut momēto facere, aut permittere: eſſet enim ea nolitio de obiecto actu nouo cō-

In nobis itē quinam virtute ſola, qui virtute ſimul, & actu ſint noui.

Quomodo ex obiectis attendēda hac nouitas.

A paratione prioris obiecti, circa quod ante verſata erat diuina voluntas, vt patet. Atq; hæc, quæ dicta ſunt de actu nolendi, intelligenda ſunt de actu nolendi poſitiuo: nihil enim aliud eſt poſitiue aliquid nolle, quam velle, vt illud non ſit.

Siquis autem quærat, quid ſi fingamus Deum mere negatiue ſe habuiſſe circa rē aliquam faciendam, vel permittendā, ita vt eam prius nec vellet facere, nec permittere, neque etiam nollet; poſtea vero eam vellet facere,
B aut permittere in eodem tempore, vel momento? reſpondendum eſt, primum quidem voluntatem diuinā circa rem nullam in particulari, cum omnibus neceſſariis circumſtātiis acceptam, eſſe omnino ſuſpenſam, & indeterminatā, vt ſuperiori libro patet. Deinde, ſi per impoſſibile id fieret, eadem ratione cōcedendum eſſet actū volendi facere, aut permittere rem eandem, quam ante per meram ſuſpenſionem actus nec facere, nec permittere
C voluiſſet, eſſe non ſolum virtute nouū, ſed etiam actu nouum; ſiquidem circa illud diuina voluntas antea verſata non eſſet. Quod idem accidiſſet ſi prius vellet aliquid facere, aut permittere; poſtea vero eam volitionem ſuſpenderet. Itaq; prior varietas diuinæ voluntatis eſſet motus proprius voluntatis, vt voluntas eſt; quia fieret à termino poſitiuo in poſitiuum: poſterior autem eſſet accidentalis quædam generatio, aut corruptio in volun-
D tate, vt etiam voluntas eſt, quia fieret inter terminos contradictorios.

C. 2. q. 4 sect. 10.

Si per impoſſib. in Deo daretur ſuſpenſio actus, qui poſtea ſequeretur eſſet actu nouus.

Quod ſi quis obiiciat hominē eundē poſſe prius odio haberi à Deo, ſi ſit iniuſtus, poſtea vero diligi, ſi ſit iuſtus, & vice verſa, ſine vlla diuinæ volūtatis mutatione; ergo nihil repugnare quominus diuina volūtas nullo modo mutata trāſeat à nolitione in volitionem rei eiuſdē ex dictis patet ſolutio. Deus enim nō
E eundē odio habet, ac diligit pro eodē tēpore ſed pro diuerſis. Adde, quod etſi in eodē homine iuſtitia ſuccedit peccato, aut peccatū iuſtitiæ, tū odio, quo Deus illum proſequitur vt peccatorem, non ſuccedit amor, quo illum diligit vt iuſtum, aut cōtra; ſed vterq; affectus diuinus æternus eſt reſpiciens diuerſos hominis ſtatus, quorum alter alteri ſuccedit in tēpore.

Obiectio.

Solutio.

Ex his patet, quanta ſtabilitate fundata ſit communis ratio de noua mutatione diuinæ voluntatis neceſſario concedenda, ſi Deus
F poſterius nollet, quod ante voluiſſet, aut cōtra; etiam ſi diuina voluntas per actum realiter eundem (imo etiam formaliter, vt re vera eſt) hæc ipſa præſtaret. Quod ſi nemo eſſet tam mentis inops, vt negaret Socratem mutatum iri vera, & propria voluntatis mutatione, ſi per impoſſibile actu realiter, & formaliter eodem prius vellet certo tempore

Summa doctrina tradita.

deambulare, postea vero nollet in eodem deambulare, aut contra quis erit tam iniquus rerum æstimator vt in Deo idē neget, si quid simile in Deo per impossibile accideret? vtrobiq; enim hac eadem impossibilitatis hypothesi vtimur. Quo fit, vt inanis sit labor eorū qui contendunt non recte colligi, Deum fore mutandum, si in eo daretur successio volendi & nolendi rem eandem pro eodem tempore,

A vel momento: quia; vt aiunt, cum id facturus esset actu realiter, & formaliter eodem, nulla maior successio ibi dari posset, quam oppositarum relationum rationis, quæ veram mutationem efficere non potest; frustra enim ad solam successionem huiusmodi relationum recurrūt, vbi nec esse esset dari veram, & propriā voluntatis, vt voluntas est, mutationem in qua ea relationum successio fundaretur.

ΚΕΦ. θ.

Ἀπορήσειε a δ' ἄν τις, διὰ τί τὰ μὲν γίγνεται καὶ τέχνῃ καὶ ἀπὸ ταὐτομάτου, οἷον ὑγίεια: τὰ δ' οὔ, οἷον οἰκία; αἴτιον δὲ, ὅτι τῶν μὲν ἡ ὕλη, ἡ ἄρχουσα τῆς γενέσεως ἐν τῷ ποιεῖν καὶ γίγνεσθαι κ. τ.

CAPVT IX.

DVBITABIT a *fortasse aliquis quid causa sit, cur quadā & arte, & casu fiāt, vt bona valetudo: quadā vero minime, veluti dom⁹ causa vero est , qa materia, quæ in ea generatione principatū obtinet, cū fit ac generatur aliquid eo-*

CAPITIS NONI EXPLANATIO.

Dubium.

DVBITABIT a *autem fortasse.*] Dissoluit Aristoteles in hoc capite tria quædam dubia, quæ in iis, quæ dicta sunt, sese offerunt.

Cur quadam tū arte, tum etiam casu fiant, alia non nisi arte? Responsio.

Primum est, cur quædam tum arte tum etiam casu fiant, veluti sanitas, vt cap. 7. dictum est; alia vero nonnisi arte gignantur, veluti domus? Ad quod dubium respondet, causam huius discriminis esse, quia in materia, quæ principatum obtinet in generatione artificiosa, & in qua pars aliqua rei, hoc est, formæ inest, alia eiusmodi est, vt à se ipsa, id est, sine opera externi motoris moueatur: alia non item. Et ea, quæ à se ipsa mouetur, potest quidem in quibusdam moueri hoc modo, id est, quo pacto ab artifice moueretur: in aliis autem, licet à se ipsa moueatur, non potest tamen proinde moueri, vt moueretur ab artifice. *Verbi causa*, homo eodem modo sese mouere potest saltando, quo mouetur is, qui saltat edoctus ab alio, vt patet in iis, qui formas saltandi inuenerunt: at canis, licet sese mouere possit, non tamen id facere potest saltando, nisi ab homine suo modo doceatur; Quod idem de multis animalibus dici potest, vt de equo, elephanto, & aliis, quæ quodam modo sunt disciplinæ capacia; imo & de plantis etiam quibusdam: Multæ enim sunt, quæ, etsi fructus ex se ferunt, bonos tamen & suaues ferre non possunt, nisi arte & industria humana iuuentur. Alia ratio est in rebus inanimis, cuiusmodi sunt lapides, & ligna succisa: hæc enim, cum non moueantur à sese, sed ab alio non solū non possunt sese perfecte mouere ad formam domus, aut alterius rei, quæ arte conficiatur, sed ne vlla ex parte quidem: quo fit, vt nisi ope artificis in domum conformari non possint.

Tex. 29.

Contra responsionem obiect.

Duo tamen dixit Aristoteles in dissolutione huius dubii, quæ non minorem dubitationem ingerunt. Vnum est, materiam principem locum obtinere in generatione artificiosa; quod ea ratione falsum videtur, quia semper forma, quæ introducitur, cum det speciem rei, quæ fit, præcipua pars rei genitæ censeri debet; præsertim cum forma in genere actus, subiectum in genere potentiæ ponatur. Alterum, partem formæ esse in materia, antequam res efficiatur. Quis enim dicat aliquam partem formæ securis præfuisse in globo ferreo, antequam ex eo securis efficeretur.

Alia obiectio.

Prioris solutio.

Sunt qui ad priorem dubitationem dicant, cum Aristoteles ait materiam principatum obtinere in generatione, nihil aliud significari, quā quod materia sit principiū generationis. Quod quidem ea ratione non placet, quia verba Aristotelis plane significant dignitatem aliquam, vt ita dicam, materiæ, quæ illi non sit communis cum aliis principiis generationis, hoc est, cum forma, & priuatione. Alii dicunt significari iis verbis materiam esse priorem partem rei, quæ fit, comparatione formæ, quippe cum tempore illam præcedat. Verum hoc etiā commune est materiæ rerum, quæ arte conficiuntur, cum materia rerum naturalium; cum tamen Aristoteles satis innuat se tradere peculiare aliquid materiæ rerum, quæ arte conficiuntur. Alexander ita accipit eadem verba ac si Aristoteles dicat [*quæ principium effectiuum est in generatione artificiosa.*] Verum neque huiusmodi expositio placet, quia non semper materia naturalis effectiue concurrit ad generationem rerum, quæ arte conficiuntur, vt patet in domo, statua, & similibus. Potius ergo censerem ea ratione dictum esse materiam principem locum obtinere in generatione artefactorum, quia comparatur cum forma artificiosa, vt substantia cum accidente, quod quidem est naturæ multo inferioris, quam substantia; quod

Improbatur.

Alia solutio. Etiā refellitur.

Non placet Alexandri expositio.

Quid dicendum videatur.

quod secus accidit in rebus naturalibus, cum earum materia conferatur cum forma naturali, vt substantia potentialis cum substantia actuali, quæ longe præstantior est potentiali. Vnde fit, vt in Politica etiam æstimatione fere materia sit maioris pretii, quam forma, &, quasi rarius oppositum accidat, dictum sit illud, materiam superabat opus. Neq; obest, quod forma artificiosa dat speciem rei, quæ fit, & comparatur cum subiecto naturali, vt actus cum potentia: hæc enim in genere accidentis duntaxat vera sunt, cum interim simpliciter præstantius sit subiectum formæ, quæ per artem inducitur quam ipsa forma, quæ inducitur.

Ad posteriorem dubitationem sunt qui dicant, Aristotelem nihil proprium tradere materiæ artificialium, cum ait in ea partem formæ ante existere, quam res efficiatur. Id enim commune esse omnibus rebus, quæ fiunt siue à natura, siue ab arte. Partem autem huiusmodi alii esse dicunt quandam inchoationem formæ introducendæ, à qua iuuatur agens in agendo, ne generatio sit prorsus violenta, & ad quam nullam opem ferat materia. Alii esse aptitudinem ad formam, quæ pars quædam formæ censeri potest, cum sine aptitudine ad formam, forma introduci nequeat. Sed missa vtraq; expositione (*priore quidem tanquam prorsus absurda, posteriori autem, quia Aristoteles in prædictis verbis plane significat se non loqui de materia vniuerse, sed de materia quadam, siue ex ea res fiat artificiose, siue naturaliter*) dicendum est, partem formæ hoc loco censeri accidens aliquod, quod simul cum forma, aut parte formæ, quæ introducitur, totalem formam complet. Exempli causa, si materia ad securim conficiendam sit dura, desit autem figura ad secandum, tum demum tota forma securis absoluta & perfecta censebitur, cum figura apta ad duritiem accesserit. Neque enim satis est figura securis ad securim constituendam ex quauis re naturali, cum cerea securis, aut lignea, securis non sit; sed necesse est præextitisse in re naturali naturalem duritiem, vt securis conficiatur, cui cum figura addita fuerit, tota iam securis forma completa erit. In curatione etiam, siue ea fiat ab arte, siue à casu seu potius à natura (*licet dicatur fieri à casu respectu agentis per artem, vt cap. septimo dictum est*) semper pars aliqua sanitatis existit in subiecto, antequam subiectum sanetur; siue partis nomine intelligas qualitatem excedentem, quæ per curationem remittenda est, siue qualitatem deficientem, & quam fouere, ac augere oporteat. Itaque licet in generatione naturali non semper existat in subiecto pars formæ, antequam res genita sit (*neque enim in substantiali generatione vlla ante existit*) in generatione tamen artificiosa ideo semper aliqua ante existat necesse est, quia non quoduis artefactum ex quauis re naturali conficitur, vt de securi dictum est, sed ex ea tantum, in qua iam sit accidens aliquod, quod simul cum accidente introducendo formam rei artificiosæ absoluat, ac compleat. Vnde patet nunquam ab arte introduci totam formam rei artificiosæ. Quod tamen intellige de forma artificiosæ rei, vt distinguitur à sola substantia naturali, ex qua res artificiosa conficitur. Hoc enim pacto intelligendus est Aristoteles. Nam si formã rei artificiosæ sumas pro eo solo, quod ab arte introducitur, & nomine subiecti complectaris subiectum naturale non solum quoad substantiam, sed etiam quoad qualitates, quas habet, cum ex eo res artificiosa conficitur; etsi aliquando pars formæ præexistit in materia, vt si vna mensa fiat ex duabus coniunctis, & copulatis, sæpe tamen accidet, vt nihil illius præexistat, veluti cum securis fit ex globo ferreo; sed, vt dixi, non ita loquitur Aristoteles, vt patet in exemplo sanitatis, quæ quidem nunquam tota per artem induci potest, quia semper pars aliqua præcedit in subiecto, quod sanatur.

τι τῶν ἀπὸ τῆς τέχνης, ἐν ᾗ ὑπάρχει τι μέρος τοῦ πράγματος, ἡ μὲν τοιαύτη ἐστὶν, οἵα κινεῖσθαι ὑφ᾽ αὑτῆς, ἡ δ᾽ οὔ. καὶ ταύτης b ἡ μὲν ὡδὶ οἵα τε, ἡ δὲ ἀδύνατος. πολλὰ γὰρ δύναται μὲν ὑφ᾽ αὑτῶν κινεῖσθαι, ἀλλ᾽ οὐχ ὡδὶ, οἷον ὀρχήσασθαι. ὅσων οὖν τοιαύτη ἡ ὕλη, οἷον οἱ λίθοι, ἀδύνατον ὡδὶ κινηθῆναι, εἰ μὴ ὑπ᾽ ἄλλου. ὡδὶ μέντοι, c ναὶ, καὶ τὸ πῦρ. διὰ τοῦτο τὰ μὲν οὐκ ἔσται ἄνευ τοῦ ἔχοντος τὴν τέχνην, τὰ δὲ ἔσται· ὑπὸ γὰρ τούτων κινηθήσεται τῶν οὐκ ἐχόντων μὲν τὴν τέχνην, κινεῖσθαι d δὲ δυναμένων αὐτῶν, ἢ ὑπ᾽ ἄλλων οὐκ ἐχόντων τὴν τέχνην, ἢ ἐκ μέρους. Δῆλον

quid eorũ, quæ arte conficiuntur, & in qua pars aliqua rei inest, alia talis est, vt à se ipsa moueatur, alia minime: & hæc b *partim hoc modo moueri põt, partim nõ potest. Multa enim sunt quæ à seipsis moueri possint, verũ non hoc pacto, veluti saltando. Quorum igitur materia talis est quales sunt lapides, ea hoc modo moueri non possunt, nisi ab alio: cuiusmodi certe* c *ignis etiã est. Hac de causa alia non erunt sine artifice, alia erunt: ab iis enim mouebuntur, quæ artem non habent; possunt autem* d *moueri, aut ab aliis artem non habentibus, aut ex parte.* Per-

b *Et hæc partim.*]Hoc est, & eius, quæ à seipsa moueri potest; alia hoc modo, &c. Sæpe enim pronomen demonstratiuum apud Græcos refertur ad id, quod remotius est.

c *Cuiusmodi certe ignis.*] Hoc exemplum vel idcirco addit, vt in omnibus rebus, inanimis verum esse intelligatur nihil à se ipso moueri; vel potius, vt doceat, etsi ignis ex omnibus *Tex. 20.*

rebus

Posterioris obiectionis variæ solutiones.

Vera solutio.

rebus inanimis maxime seipsum videtur mouere ad aliquid efficiendum, multa tamen esse, quæ facere non potest nisi arte humana, vt gladium, aut statuam conflatilem.

Quomodo, quæ solent arte fieri, aliàs fiant sine arte.

d *Possunt autem moueri.*] Docet quibus modis ea, quæ aliquando arte fiunt, alias etiam sine arte efficiantur; aitque id duobus modis accidere; vno, ab agente extrinseco, vt si ægrotus sanetur esu, aut potu alicuius rei, quam non ex præscripto artis sumat, sed ad sedandam famem, aut sitim, aut certe voluptatis causa; altero, si sanetur ex seipso, hoc est, actione vnius partis in aliam, parte videlicet sana iuuante ægram, eamque ad congruentem naturæ statum perducente, vt accidit in curationibus, quæ sola subtractione cibi, aut potus perficiuntur. Aduerte tamen nunquam rem, quæ arte conficitur, posse fieri sine arte, nisi iuuante effectiue parte aliqua subiecti naturalis, vt videre est in eodem exemplo sanitatis. Nihil enim cibus, aut potus conferret, nisi stomachus decoqueret, &c. atque ob hanc causam ait Aristoteles nihil idem fieri & ab arte, & à casu, hoc est, sine arte, nisi cum materia, subiectumve tale est, vt seipsum mouere possit; quod quidem nunquam accidit, nisi cum altera pars subiecti mouet, altera mouetur, vt idem in Physicis, & aliis plerisque locis docuit.

Vt lib. 7. c. 1. tex. 1. & seq. & lib. 8. c. 4. tex. 28.

Δῆλον e δ' ἐκ τῶν εἰρημένων, καὶ ὅτι τρόπον τινὰ ἅπαντα γίγνεται ἐξ συνωνύμου, ὥσπερ τὰ φύσει ἢ ἐκ μέρους συνωνύμου, οἷον, ἡ οἰκία ἐξ οἰκίας: ἢ ὑπὸ νοῦ (ἡ γὰρ τέχνη, τὸ εἶδος) ἢ ἐκ f μέρους, ἢ ἔχοντός τι μέρος ἐὰν g μὴ κατὰ συμβεβηκὸς γίγνηται. τὸ h γὰρ αἴτιον τοῦ ποιεῖν πρῶτον καθ' αὐτὸ μέρος: θερμότης γὰρ ἡ ἐν τῇ κινήσει, θερμότητα ἐν τῷ σώματι ἐποίησεν: αὕτη i δ' ἐστὶν ἤτοι ὑγίεια, ἢ μέρος, ἢ ἀκολουθεῖ αὐτῇ μέρος τι τῆς ὑγιείας, ἢ αὐτὴ ὑγίεια. διὸ καὶ λέγεται

Perspicuum e est autẽ ex iis, quæ dicta sunt, omnia quodammodo ex vniuoco fieri, vt ea, quæ natura constant, aut ex parte vniuoca, veluti domus ex domo, aut à mente, (ars enim est ipsa forma) aut f ex parte; aut ex habente partem aliquam, si g modo non per accidens fiant. Causa h enim faciendi pars est prima per se, siquidem calor, qui est in motu, calorem efficit in corpore; hic i autem aut sanitas est, aut sanitatis pars; aut ipsum pars aliqua sanitatis, aut ipsa sanitas sequitur: quapropter & facere dici

Alterum dub. An quidquid fit ab vniuoco fiat.

e *Perspicuum est autem.*] Alterum dubium, quod in hoc capite dissoluit, huiusmodi est. Num quicquid fit, eiusdem sit nominis, & rationis cum eo, à quo fit? Etenim sub finem superioris capitis id plane assertum est in rebus naturalibus, cum dictum fuit semper in eiusmodi rebus genitum esse eiusdem speciei cum generante, si non infimæ, certe subalternæ; & tamen multa vidimus fieri naturaliter dissimilia iis, à quibus genita sunt, vt filiam respectu patris, & arborem comparatione seminis, ex quo genita est, & rem calidam respectu motus, cuius agitatione facta est calida. De iis etiam, quæ arte conficiuntur, eadem est ambiguitas; dictum enim fuit cap. 7. sanitatem, quæ fit in corpore, fieri ex sanitate, quæ in intellectu est & domum, quæ habet materiam, ex domo, quæ sine materia in mente artificis existit. Ex quibus verbis quadam ex parte videtur posse colligi, omnia, quæ arte fiunt, eiusdem esse rationis cum iis, à quibus fiunt; alia vero ex parte non item. Huic igitur dubio vt occurrat, docet, ex iis, quæ dicta sunt, satis posse colligi quid in ea re sentiendum sit. Si enim recte ea considerentur, perspicuum est omnia quodammodo ex vniuoco proprie dicto fieri, aut aliis tribus modis, quibus vniuocatio participatur; tametsi quidam codices pro [*Ex vniuoco*] habent [*Ex æquiuocis*] quod tamen exponendum est; Ex iis, quæ sunt eiusdem nominis, subaudiendumque [*Et rationis.*] Est enim tractatio hæc de naturis rerum, non de solis nominibus: cur autem dixerit [*Omnia quodammodo*] inferius exponet.

Vno è quatuor modis omnia fieri ab vniuoco.

Primus modus.

Docet igitur quatuor modis omnia posse fieri ex vniuoco. Primo, ac principaliter, cum id, quod fit, est omnino vniuocum cum eo, à quo fit, hoc est, eiusdem naturæ; siue identitas naturæ sit secundum speciem infimam, siue secundum subalternam: cuiusmodi vniuocatio cernitur inter genitum naturale, & generans naturale, ac principale; vt inter hominem genitum, & eum, qui genuit, inter iumentum, & iumentum. Dixi [*Ac principale*] vt excludam instrumenta, veluti semen animalis, & calorem ignis. Secundo, cum id, quod fit, non est omni ex parte vniuocum cum eo, à quo fit, sed tantum ex parte formæ, ita tamen vt vniuocatio cernatur inter totam formam geniti, & totam generantis: quo pacto artefacta sunt vniuoca cum artificibus. Nam forma domus est vniuoca cum forma, qua ædificator ædificat, hoc est, cum forma, quæ est in mente ædificatoris, licet subiectum vtriusque formæ sit longe dissimile; quippe cum forma domus, quæ inducitur per artem, fit in lapidibus, & lignis; ea autem, qua ædificator ædificat, fit in animo. Vnde cum Aristoteles ait [*Veluti domus ex domo, aut à mente*] sic expone, Veluti domus ex forma domus, quæ est in mente artificis, aut ab ipsa mente artificis, quatenus est informata per formam domus: ars enim ædificandi est ipsa forma domus, quod quo pacto

Secundus.

verum

verum sit, libro superiori expositum est. Aduerte tamen formam, quæ est in mente artificis, & formam rei, quæ arte conficitur, non ideo dico vniuoce conuenire, quia habeant aliquam eandem rationem sibi communem; sed quia forma, quæ est in mente artificis, est ratio formæ rei artificiosæ. Tertio, cum id, quod fit, non est vniuocum agenti ratione totius formæ, sed ratione partis formæ: quo pacto homo sanus est vniuocus comparatione potionis calidæ, quando non per eam solam sanus effectus est, vt si ægrotus laborabat defectu non solum caloris, sed etiam humoris. Quarto, cum id, quod fit, non est vniuocum agenti nisi virtute, hoc est, cum nec ratione totius formæ, nec ratione partis formæ illi assimilatur, sed ratione virtutis, quæ est in agente, quæ quidem etsi non est similis formæ agenti, nec parti eius: tamen, quia agens potest per illam vel totam formam, vel partem eius inducere, dicitur habere virtute partẽ aliquam, hoc est, vel totam formam rei, quæ est pars rei, vel aliquam formæ partem: quo pacto motus confricationis dicitur habere calorem, aut sanitatem, vt Aristoteles paulo post exponit. Aduerte tamen, in prioribus duobus modis vniuocationis, id quod fit, conferri cum principali agente, in posterioribus autem duobus cum instrumentali. *Tertium.* *Quartum.* *Notandum.*

f *Aut ex parte.*] Non repetuntur inaniter eadem verba: sensus enim est, Aut ex parte partis vniuocæ, hoc est, formæ, de qua in proximo diuisionis membro locutus fuerat.

g *Si modo non per accidens.*] Excepit ea, quæ fiunt per accidens. Hæc enim, cum non fiant ex intentione agentis, non est necesse, vt sint vlla ex parte similia agenti, siue secundum naturam, siue secundum conceptum. At quæ fiunt per se, siue ex intentione, semper fiunt aut præconcepta, aut ex propensione naturali directa à primo agente, vt similia producant, qua ratione se quatenus possunt, perpetua efficiant: ita fit vt mirum non sit, si domus, quæ quibusdam molesta est, facta sit a non molesto artifice: atque ita res habet in cæteris. *Effecta per accidens non est opus vt sint similia agenti.*

h *Causa enim efficiens.*] Probat in ijs, quæ fiunt per se semper requiri similitudinem aliquam eius, quod fit, cum eo, a quo fit, atque ita vniuocationem aliquam. Ratio vero est, quia causa formalis, qua agens per se agit, est pars prima per se, hoc est, primo intenta, seu quam agens primo intendit communicare effectui: siue eam habeat formaliter, quo pacto ignis habet calorẽ; siue virtute, quo pacto illum habet motus. *Quæ per se fiunt opus est vt sint similia.*

i *Hic autem à sanitas est.*] Eadem prope verba exposita sunt cap. 7. quem locum consule. Quamuis autem sanitas non consistat in vna qualitate sola, sed in multarum temperie tamen aliquando calor dicitur sanitas, si sanitas solo calore recuperetur: quod idem de reliquis eadem ratione dici potest.

γεται ποιεῖν, ὅτι ἐκεῖνο ποιεῖ τὴν ὑγίειαν, ᾧ ἀκολουθεῖ καὶ συμβέβηκε θερμότης. ὥστε l ὥσπερ ἐν τοῖς συλλογισμοῖς πάντων ἀρχὴ ἡ οὐσία (ἐκ γὰρ τοῦ τί ἐστιν οἱ συλλογισμοί εἰσιν) ἐνταῦθα δὲ αἱ γενέσεις. ὁμοίως m δὲ καὶ τὰ φύσει συνιστάμενα τούτοις ἔχει: τὸ μὲν γὰρ σπέρμα ποιεῖ ὥσπερ τὰ ἀπὸ τέχνης: ἔχει γὰρ δυνάμει τὸ εἶδος: καὶ ἀφ᾽ οὗ τὸ σπέρμα ἐστί πως n ὁμώνυμον. οὐ γὰρ πάντα οὕτω δεῖ ζητεῖν, ὡς ἐξ ἀνθρώπου ἄνθρωπος: καὶ γὰρ γυνὴ ἐξ ἀνδρός. διὸ ἡμίονος οὐκ ἐξ ἡμιόνου. ἀλλ᾽ ἐὰν μὴ πήρωμα ᾖ. ὅσα o δὲ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου ὥσπερ ἐκεῖ γίνεται, ὅσων ἡ ὕλη δύναται καὶ

ὑφ᾽

dicitur, quia illud sanitatem efficit, quod sequitur, & cui accidit calor. Itaque l *quemadmodum in ratiocinationibus substantia est omnium principium, (ex eo enim, quod quidque est, ratiocinationes existunt) ita & hic generationes. Eodem modo* m *se habent, quæ natura constant: namque semen eodem modo facit, quo fiunt ea, quæ ab arte sunt: habet enim potestate formam; & id, à quo semen proficiscitur, modo* n *aliquo vniuocum est. Neque enim omnia ita exquirenda sunt, vt sint velut homo ex homine: namque & fœmina ex viro est, quocirca nec ex mulo mulus nascitur. Verum id quidem, si læsio non sit. Sed quorum* o *materia etiam à se ipsa eo motu, quo semen*

mouet,

l *Itaque quemadmodum.*] Vtitur similitudine demonstrationum. Vt enim demonstrationes per se procedunt ex substantia, hoc est, ex definitione, tanquam ex primo, & præcipuo principio, quod est formalis ratio: ita generationes per se, quæ fiunt per artem, habent originem à forma, siue ratione formali rei faciendæ, quæ est in mente artificis. In ijs enim, quæ fiunt per se, idem est primum principium faciendi, quod est primum principium excogitandi, quo pacto res facienda sit: quippe cum ex formali ratione rei faciendæ deducat artifex, vnde aggredi rem, & quomodo ad eam perficiendam progredi debeat. *Text. 31.* *In arte factis*

m *Eodem modo se habent.*] Cum ars naturam imitetur, necesse est, vt actiones quoque naturales, si modo sint per se, & ex naturæ proposito, (de hu enim sermo est) à principio etiam formali, quod in agente est procedant. Verum hoc interest inter agentia naturalia, quod quædam habent formaliter eiusmodi principium in se, vt ignis formam ignis; quædam autẽ virtute. *In naturalibus.*

Dupliciter aliquid virtute continetur in alio.

Quod quidem dupliciter accidit: aut enim habent illud virtute in excellentiori aliqua natura quod dicunt eminenter; quo pacto Deus Opt. Max. habet formas omnes in simplicissima, ac perfectissima illa diuinitatis natura: aut ideo dicuntur habere illud virtute, quia sunt instrumenta principalis agentis; quo pacto calor ignis dicitur habere virtute formam ignis, & semen formam viuentis, quod semine procreatur. Quocirca verbum illud [*Potestate*] non est accipiendum pro potentia passiua, quo pacto materia di.itur habere potestate formam, sed pro virtute, & potestate effectiua.

Naturalia modo aliquo ab vniuoco fieri.

n *Modo aliquo.*] Verbum πῶς, non idem valet hoc loco, atque quodammodo, quasi significet Aristoteles generans per semen non esse vere vniuocum genito, (*id enim falsum esset, cum vtrumque necessario ponatur sub genere viuentis*) sed idem valet, quod, Modo aliquo, hoc est, secundum formam aliquam, siue rationem; licet aliquando non sit secundum eam, quæ in locutione exprimitur. *Verbi causa*, licet mulier ex viro genita non sit illi vniuoca, quatenus mulier viro; tamen est, quatenus homo homini: quamuis etiam mulus non sit vniuocus equo, vt mulus equo; tamen est, vt iumentum iumento. Addit tamen Aristoteles vniuocationem hanc tum demum necessario consequi, cum læsio nulla est in generatione, quæ fit per semen; tanta enim læsio esse potest, vt id, quod nascitur, non sit per se intentum à generante, à quo semen est profectum, vt si ex semine nascatur monstrum: de qua generatione, cum sit per accidens, non est hic

In monstris id non opus esse.

sermo. Quapropter licet monstra ratione aliqua vniuoce conueniant cum generantibus particularibus, vtpote in genere viuentis; non tamen id prouenit ex eorum propria, ac peculiari intentione: quin etiam hac ex parte nihil prohiberet, quominus essent prorsus diuersa genere, & quæ sola analogica communione conuenirent, si id fieri posset.

Quædam naturalia fieri, more artefactorum, etiam à non similibus.

o *Sed quorum materia.*] Addit alteram similitudinem eorum, quæ natura fiunt, cum ijs, quæ arte, tametsi hæc potius illa imitantur, quam contra; similitudo vero hæc est. Quemadmodum illic, hoc est, in ijs, quæ arte fieri possunt, ea non solum fiunt ab arte, sed etiam à casu, (*hoc est, non ab arte, sed à natura*) quorum materia perinde à se ipsa moueri potest, ac semen se ipsum mouet, vt patet in corpore ægro, *aliquando enim corpus ægrum se ipsum sanat absq; arte, quemadmodum semen absque artificis opera fit animal, aut planta*) ea vero ab arte sola fieri possunt, quorum materia non ita se ipsam mouet, sed indiget artificis opera, vt patet in materia domus; ita accidit in rebus naturalibus. Quorum enim materia non solum à virtute impressa à generante simili, sed etiam sine illa se ipsam mouere potest, ea non solum fiunt à sibi similibus, sed etiam ab alijs, vt patet in imperfectis quibusdam animalibus, & in plantis. Quorum autem materia à tali virtute duntaxat moueri, & ad perfectionem perduci potest, ea nullo alio modo fieri possunt, quam ab ipsis, hoc est, quam à sibi similibus, vt patet in animalibus perfectis. Vnde patet non esse Aristotelem in ea sententia, vt putet omnia, quæ gignuntur per semen, posse etiam sine semine generari. De qua re ad finem capitis agendum est.

ὑφ' αὐτῆς, κινεῖσθαι ταύτην τὴν κίνησιν; ἣν τὸ σπέρμα κινεῖ. ὅσων δὲ μή, ταῦτα ἀδύνατα γίγνεσθαι ἄλλως πως, ἢ ἐξ αὐτῶν.

οὐ p μόνον δὲ περὶ τῆς οὐσίας ὁ λόγος δηλοῖ τὸ μὴ γίγνεσθαι τὸ εἶδος, ἀλλὰ περὶ πάντων ὁμοίως τῶν πρώτων κοινὸς ὁ λόγος, οἷον ποσοῦ, ποιοῦ καὶ τῶν ἄλλων κατηγοριῶν. γίγνεται γὰρ ὥσπερ ἡ χαλκῆ σφαῖρα, ἀλλ' οὐ σφαῖρα, οὐδὲ χαλκός, καὶ ἐπὶ χαλκοῦ γίγνεται: ἀεὶ γὰρ δεῖ προϋπάρχειν τὴν ὕλην καὶ τὸ εἶδος: οὕτω δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ τί ἐστι, καὶ ἐπὶ τοῦ ποιοῦ, καὶ ποσοῦ, καὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως κατηγοριῶν. οὐ γὰρ γίγνεται τὸ ποιόν, ἀλλὰ τὸ ποιὸν ξύλον: οὐδὲ τὸ ποσόν, ἀλλὰ τὸ ποσὸν ξύλον, ἢ ζῷον.

ἀλλ' q ἴδιον τῆς οὐσίας ἐκ τούτων λαβεῖν ἐστιν, ὅτι ἀνάγκη προϋπάρχειν ἀεὶ ἑτέραν οὐσίαν ἐντελεχείᾳ οὖσαν, ἢ ποιεῖ, οἷον ζῷον, εἰ γίγνεται ζῷον: ποιὸν δὲ, ἢ ποσὸν οὐκ ἀνάγκη, ἀλλ' ἢ δυνάμει μόνον.

mouet, moueri potest, ea à casu, quemadmodum & illic, fiunt; quorum autem non potest, ea nullo modo alio, quam ex ipsis fieri queunt.

Porro p *autem non in substantia solum ostendit ratio formam non fieri, sed omnibus etiam primis æque communis est, vt quantitati, qualitati, & cæteris prædicamentis. Vt enim fit globus æneus non globus, neque æs: & in ære fit globus (semper enim & materiam, & formam ante existere oportet) ita & in ipso quid est, & in quali, & in quanto, & alijs prædicamentis eodem pacto res habeat; neque enim fit ipsum quale, sed quale lignum; neque ipsum quantum, sed quantum lignum, aut animal quantum.*

Verum q *ex his proprium substantiæ sumere licet, quod necesse sit semper aliam antecedere substantiam, quæ actu existat, aut faciat, vt animal, si animal fiat: cum interim quale, aut quantum non necesse sit ante existere, nisi potestate solum.*

CAPVT

p *Porro autem.*] Tertium dubium, quod sese in supradictis offerebat, est, num id, quod dictum est, formam non fieri posse, de formis etiam accidentalibus intelligendum sit; an solum de substantialibus? Nam cum accidentales non sint partes alicuius entis per se, sed ipsa per se sint quædam entia completa; non est, cur subire debeant eandem conditionem, quam subeunt formæ substantiales, quæ suapte natura partes sunt entis per se, & incompleta entia. Huic dubio respondet Aristoteles, rationem eam, qua probatum est formam non fieri per se, satis ostendere non solum id verum esse in forma substantiali, sed in omnibus omnino primorum generum, siue prædicamentorum formis. Nam & similitudo globi ænei sumpta ex rebus artefactis, & ratio ea, qua superiori capite conclusio probata est, (*vtpote quia nihil fit, nisi ex materia præexistente actu, & ex forma existente in virtute agentis*) æque omnibus accommodatur. Si enim nulla forma fit, necesse erit infinitas formas in eadem re esse, vt eo loco dictum est.

Tertium dubium. Num forma etiam accidentaria non fiant per se. Responsio. Text. 32.

q *Verum ex his.*] Etsi commune est omnibus, quæ per se fiunt, vt sint composita; hoc tamen proprium substantiarum esse docet, nullam fieri, nisi ab alia eiusdem speciei actu existente, veluti equus ab equo, & iumentum à iumento. Accidentia enim non semper fiunt ab alijs eiusdem speciei, etiam subalternæ. Nam calor fit per motum localem, hoc est, à mouente secundum locum, quod quidem, vt tale est, non est calidum actu, sed potestate solum, id est, virtute neque conuenit cum calido non solum in eadem specie, sed nec in eodem genere. Hoc tamen satis patet intelligendum esse de agente per naturalem actionem, de hoc enim tantum loquitur Aristoteles; alias enim plurimæ substantiæ fiunt per se, ac proxime à solo Deo, cum quo tamen nulla creatura in genere vllo conuenit.

Proprium esse substantiæ, non fieri, nisi ab alia eiusdem speciei.

ΚΕΦ. ι.

Ἐπεὶ δὲ ὁ ὁρισμὸς λόγος ἐστί, πᾶς δὲ λόγος μέρη ἔχει, ὡς δὲ ὁ λόγος πρὸς τὸ πρᾶγμα, καὶ τὸ μέρος τοῦ λόγου πρὸς τὸ μέρος τοῦ πράγματος ὁμοίως ἔχει: ἀπορεῖται ἤδη, πότερον δεῖ τὸν τῶν μερῶν λόγον ἐνυπάρχειν ἐν τῷ τοῦ ὅλου λόγῳ, ἢ οὔ; ἐπ' ἐνίων μὲν γὰρ φαίνονται ἐνόντες, ἐπ' ἐνίων δὲ οὔ. τοῦ

CAPVT X.

Cum autem omnis definitio ratio sit, omnisque ratio partes habeat; atque vt ratio ad rem, sic pars rationis se habeat ad rei partem: dubitatio iam existit, num ratio partium in ratione totius inesse oporteat, an non? in quibusdam enim inesse videtur, in alijs non item. Circuli enim ratio segmen-

CAPITIS DECIMI EXPLANATIO.

DOCVIT hactenus Aristoteles à principio cap. 4. quidnam esset quiditas; quarum esset rerum; essetne idem cum rebus, quarum est quiditas; & an quiditates rerum sensibilium ponendæ essent separatæ, vt earum ope res ipsæ naturales gignerentur. Nunc, hoc est, duobus his capitibus hanc quæstionem tractat, anne quiditas (*logico more sumptam intellige*) constet partibus, & cuiusmodi partibus? quam vt commodius discutiat, ad duas dubitationes controuersiam reuocat, quibus dissolutis rem totam explicatam censet. Prior dubitatio est, num ratio partium rei, seu (*quod eodem redit*) partes rei in definitione totius ponendæ sint: habet enim id non parum difficultatis. Etenim si quis rationem sequatur, omnes res videntur definiendæ per partes; quælibet enim definitio partes habet, quæ quidem (*si proportio seruanda est*) non minus respondere debent partibus rei, quam definitio tota respondet toti rei, & tamen quædam per partes definiri solent, vt syllaba per elementa; (*est enim syllaba, quod & ipsum nomen sonat, collectio quædam, nec certe nisi elementorum sermonis*) quædam vero definiuntur nulla facta mentione partium, veluti circulus, vt patet ex vulgata eius definitione, cum tamen ei non desint partes; neque enim minus in segmenta diuiditur, quam syllaba in elementa. Quod autem omnis definitio partes habere debeat, ex eo ostendi potest, quia cum res omnes per suas quiditates partim cum alijs rebus conueniant, partim etiam distinguantur; (*non quod enim id per accidens rebus conuenit*) idem autem nomen explicare nequeat & conuenientiam, & discrimen; efficitur necessario; vt omnis definitio ad minimum constare debeat duobus nominibus, quorum altero significetur, quid res commune habeat cum cæteris; altero, quid proprium & peculiare.

Quæstio hoc, & sequenti cap. tractanda. Text. 33. Dubitatio, an partes rei in definitione totius ponenda sint.

Quod autem ad verba attinet, aduerte, cum Aristoteles ait omnem definitionem esse rationem, nomine rationis intelligendam esse orationem, quæ duo minimum categoremata contineat; neque enim oratio, quæ vno tantum constat, definitio esse potest, vt omne animal: quippe cum syncategorema, quemadmodum subijci per sese non potest, nisi materialiter accipiatur, ita nec prædicari possit, vt patet; neque etiam naturam aliquam significet, vt ad explicandam conuenientiam, aut discrimen rerum sit aptum. Non vertimus autem prima verba hoc pacto [*Cum autem omnis definitio sit oratio.*] tum ne à communi omnium interpretum verten-

Definitionē duo minimū continere categoremata.

di ratione discederemus; tum etiam, ne nomine orationis intelligeretur quæuis oratio, falsoq; adderetur, omnem orationem habere partes, significatiuas nimirum, & prædicatiuas per se, quales definitio postulat; cum sæpe constet altera consignificatiua, & quæ apta non sit, vt per se formaliter accepta prædicari possit.

Altera dubitatio, num partes sint priores toto.
Videri esse priores.
Videri non esse.

b *Ad hæc, si partes.*] Posterior dubitatio est, num partes sint priores, an posteriores toto? Quod ideo quærit, quia si quæ sint priores, eæ videbuntur admittendæ in definitione; si posteriores, minime. Quod igitur sint priores, ex ipsa partium ratione videtur constare: partes enim sunt quæ totum constituunt; quæ autem constituunt aliquid, priora sunt eo, quod ex illis constituitur; si non tempore priores *(quod nonnunquam accidit)* certe natura, vtpote tanquam eius principia, ac causæ. Quod autem non videantur priores, ex eo probat Aristoteles, quia partes definiuntur per totum, & ab illo tum nomen, tum naturam habent, vt angulus acutus à recto & digitus ab animali. Dicitur enim acutus angulus, qui minor est recto; & digitus, pars animalis ad certum quendam vsum. Accedit ea ratio, quod ea priora dicuntur, quæ sine alijs esse possunt; posteriora vero, quæ illis sublatis non consistunt: quo pacto pleraque tota censebuntur priora partibus, vt homo digito, aut manu: his enim abscissis animal esse non desinit; cum interim nec digitus, nec manus consistant, si ab animali separentur; quippe cum abscissa solum nomen retineant, non secus, ac digitus ligneus, & manus lapidea.

τοῦ μὲν γὰρ κύκλου ὁ λόγος, οὐκ ἔχει τὸν τῶν τμημάτων: ὁ δὲ τῆς συλλαβῆς, ἔχει τὸν τῶν στοιχείων: καίτοι διαιρεῖται καὶ ὁ κύκλος εἰς τὰ τμήματα, ὥσπερ καὶ ἡ συλλαβὴ εἰς τὰ στοιχεῖα ἔτι b δὲ εἰ πρότερα τὰ μέρη τοῦ ὅλου, τῆς δὲ ὀρθῆς ἡ ὀξεῖα μέρος, καὶ ὁ δάκτυλος τοῦ ζώου: πρότερον ἂν εἴη ἡ ὀξεῖα τῆς ὀρθῆς, καὶ ὁ δάκτυλος τοῦ ἀνθρώπου: δοκεῖ δ' ἐκεῖνα εἶναι πρότερα: τῷ λόγῳ γὰρ λέγονται ἐξ ἐκείνων: καὶ τῷ εἶναι δὲ ἄνευ ἀλλήλων πρότερα.

ἢ c πολλαχῶς λέγεται τὸ μέρος; ὧν εἷς μὲν τρόπος, τὸ μετροῦν κατὰ τὸ ποσόν. ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἀφείσθω: ἐξ ὧν δὲ ἡ οὐσία ὡς μερῶν, τοῦτο σκεπτέον. εἰ οὖν ἐστι τὸ μὲν ὕλη, τὸ δὲ εἶδος; τὸ δὲ ἐκ

mentorum rationem non continet; ratio autem syllabæ elementorum rationem complectitur: & tamen circulus in segmenta, quemadmodum syllaba in elementa, diuiditur. Ad b *hæc, si partes priores sint toto, rectique pars est acutus angulus, & animalis digitus; prior sane acutus recto, & homine digitus erit: cum tamen illa priora esse videantur; ratione enim ex illis hæc dicuntur; & quæ sine alijs esse possunt, eo ipso priora sunt.*

An c *pars multis modis dicitur? Eorum certe vnus est, quod quantitate mensurat. Verum id quidem omittatur; ex quibus autem tanquam partibus substantia rei constet, ea considerentur. Ac si aliud quidem materia est, aliud forma, aliud quod ex his constat; substantiaq; & tum*

Text. 7. & 8.
Partiũ substantialium duplex acceptio.
Quomodo dicatur pars formæ.
Quomodo partes materiæ.
Dissolutio prioris dubitationis.

c *An pars multis modis dicitur.*] Dissoluit simul vtramque dubitationem ex quadam distinctione partium. Atque vt ea, quæ fusius scribit, in pauca contraham, distinctio hæc est. Partium aliæ pertinent ad quantitatem rei, de quibus hoc loco non attinet disputare, cum agatur de rerum quiditate, non de earum quantitate; aliæ ad substantiam, cuiusmodi sunt materia, & forma; nam & hæ, quemadmodum & compositum, substantiæ sunt, vt cap 3. dictum est. Rursus, partes substantiæ aut sumuntur in commune, vt materia, quatenus materia est, & forma, quatenus forma; aut sub ratione particulari, veluti materia, quatenus materia est, siue sensibilis, vt hæ carnes, & hæc ossa; siue intelligibilis, vt hæc linea, hæc superficies, sine qualitatibus sensibilibus considerata; & forma, quatenus hæc forma est, vt Socratis propria, aut Platonis. Partes substantiæ, quatenus sumuntur in commune, dicuntur partes formæ, non eius quidem, quæ est altera pars compositi, sed eius, quæ proprie dicitur species; qualis est homo, equus, & similes substantiæ completæ, quæ nonnunquam formæ appellantur, quo pacto carnes, & ossa in commune sunt partes speciei humanæ: quatenus autem sumuntur sub ratione particulari, dicuntur partes materiæ particularis, quæ propria est indiuidui materialis, quod Aristoteles vocat σύνολον, quasi dicat Totum, vel ad verbum, Simul totum, quia complectatur & naturam speciei, & materiam particularem designatam.

Ex hac igitur distinctione respondet Aristoteles ad priorem dubitationem, partes modo quodam poni in definitione totius, modo autem alio non poni: si enim totum sumatur pro specie, & partes pro partibus speciei, ponendas esse proculdubio in definitione totius, cum per se constituant speciem; si vero totum eodem modo sumatur, partes autem sumantur pro partibus materiæ particularis, quatenus nimirum sunt hæ, aut illæ, nequaquam esse ponendas in definitione totius, quippe cum non constituant illud per se, sed potius illi accidant: neque enim species humana per se constat his carnibus, & his ossibus, sed per accidens,

verbi

verbi causa, ratione Socratis, qui ex illis constitutus est. Quod si totum sumatur pro simul toto, sive individuo materiali, & illud definiri posset, (*quod Philosophi non admittunt*) tum demum dicendum fuisset, partes sumptas sub ratione particulari ponendas esse in definitione totius, ut has carnes, & hęc ossa, quibus Socrates constat, in definitione Socratis. Atque hęc de solutione prioris dubitationis. Ex quibus haud difficile est argumenta in utramque partem proposita dilluere. Nam quod syllaba definiatur per literas, circulus autem non definiatur per semicirculos, causa est, quia literæ in commune sumptæ, nempe vocalis, & consonans, sunt de ratione syllabæ, cum actu, ac distincte in ea contineantur; quo pacto semicirculi non sunt in circulo, sed potentia duntaxat, atque adeo confuse, ne redigantur ad actum, & distinctionem, nisi cum circulus aliquis singularis dividitur in particulares semicirculos. Num autem semper partes definitionis respondeant partibus rei definitæ, & quo pacto respondeant, (*id quod argumentum pro altera parte dubitationis assumebat*) inferius discutietur. Text. 24.

Ad posteriorem vero dubitationem eodem modo ex proposita distinctione respondet Aristoteles, partes speciei esse priores specie, cum ponantur in eius definitione: partes autem materiæ, quæ sunt individui propriæ, si conferantur quidem cum specie, posteriores esse, cum illi accidant; si vero cum ipso individuo, ea quidem ratione, qua illud constituunt, esse priores: quatenus vero individuum sine quibusdam earum esse potest, ut Socrates sine digito, aut pede, ea ratione quasdam esse posteriores. Unde patet, quid respondendum sit ad argumenta, quæ pro utraque parte proposita sunt: nisi ad illud, quod assumit partes definiti per totum, ac proinde posteriores esse toto: quod non solum verum est de iis partibus integrantibus, sine quibus totum existere potest, sed etiam de iis, sine quibus non consistit, cuiusmodi sunt in animali cor, aut cerebrum. Ad id tamen dicendum est, non esse incommodum, si alia ratione partes sint priores toto, quod constituunt; alia posteriores: sunt enim priores in genere causæ materialis, posteriores autem in genere causæ formalis, cum conferantur cum toto, tanquam materia cum forma, ut dicitur in 2. lib. Physicorum. Quibus ita explicatis, satis erit reliqua huius capitis carptim, & quasi obiter exponere. *Dissolutio posterioris.* *c. 3. text. 31.*

d *Substantia quod tum materia.*] Hoc est, & quodlibet horum trium substantia est.

e *Partim quidem & materia.*] Idem posset dicere de forma, quæ est altera pars compositi, quia par est ratio in utraque.

f *Sed ea ex quibus.*] Sensus est: Sed ea dicentur partes eius, quod definitur, ex quibus constat ratio formæ, hoc est, speciei. Quo loco cum in Græcis codicibus legeretur *ἀφ' ἧς γίνεται*; ita textum correximus, ut legatur *ἐφ' ἧς γίνεται*, ut legisse videntur vetus interpres Argyropilus, & Bessarion.

ἐκ τούτων· καὶ οὐσία d ἥ τε ὕλη, καὶ τὸ εἶδος, καὶ τὸ ἐκ τούτων· ἔστι e μὲν ὡς καὶ ἡ ὕλη μέρος τινὸς λέγεται, ἔστι δ' ὡς οὔ· ἀλλ' f ἐξ ὧν τοῦ εἴδους λόγος. οἷον τῆς μὲν κοιλότητος οὐκ ἔστιν ἡ σὰρξ μέρος, (αὕτη γὰρ ὕλη ἐφ' ἧς γίνεται) τῆς δὲ σιμότητος g μέρος τι. καὶ h τοῦ μὲν ὅλου ἀνδριάντος μέρος ὁ χαλ-

tum materia est, tum forma, tum quod ex his componitur; partim e quidem & materia pars alicuius dicetur, partim vero non dicetur, sed ea, f ex quibus forma ratio constat. Verbi causa, caro pars curvitatis non est, cum sit materia, in qua illa fit; & tamen est pars g simitatis quadam. Totius h item statua pars est æs; eius autem, quod

g *Pars simitatis.*] Simitas etsi intrinsecus non includit, nisi figuram, & differentiam curvitatis, quia tamen nasum connotat, ideo quodammodo censetur componi ex curvitate, & naso; sed aptior est similitudo statuæ, quæ deinde subiicitur.

h *Totius idem statua.*] Alexander & alii intelligunt nomine totius statuæ compositum ex materia naturali, & figura statuæ; nomine autem eius, quod ut forma statuæ dicitur, ipsam figuram. Potest tamen fortasse aptius intelligi, nomine quidem totius statuæ singularis statua, aut certe statua ex certa materiæ specie confecta, ut ex ære: nomine autem eius, quod ut forma statuæ dicitur, ipsa statua in cōmune, nempe constans ex figura, & materia naturali in commune sumpta. *Quid sit forma in statua.*

i *Dicenda est enim.*] Exponit his verbis, cur statuam particularem, sive ex certa materia confectam, statuam etiam appellet, & non potius nomen desumat ex particulari materia, in qua statuę forma cernitur. Ratio autem, quam reddit, hæc est, Semper nomen rei sumi à forma. Quicquid enim nomen habet, aut est forma, aut à forma appellationem accipit. Quod si à materia res aliqua denominatur, non ab ea per se ac sola, sed simul à forma nuncupari solet. Exempli causa, statuam in commune dicimus, statuam item particularem appellamus hanc statuam, nunquam tamen particularem statuam dicimus, aut æs, aut æneum sine adiectione; sed æneam statuam: & merito quidem. Inde enim res nominamus, unde eas cognoscimus: cognoscimus autem quanque non ex sola materia, sed præcipue ex forma, à qua res speciem, & peculiarem naturam *Nomen rei semper sumi à forma.*

habet. Atque hæc est Alexandri sententia. Aliter exponit locum D. Thomas, & recte quidem ad quæstionem, de qua hic agitur, verum non satis accommodate ad verborum contextum.

χαλκός, τοῦ δ' ὡς εἴδους λεγομένου ἀνδριάντος, οὔ· λεκτέον i γὰρ τὸ εἶδος καὶ ᾗ εἶδος ἔχει ἕκαστον· τὸ δὲ ὑλικὸν, οὐδέποτε καθ' αὑτὸ λεκτέον.

διὸ μὲν τοῦ κύκλου λόγος οὐκ ἔχει τὸν τῶν τμημάτων· ὁ δὲ τῆς συλλαβῆς, τὸν τῶν στοιχείων. τὰ l μὲν γὰρ στοιχεῖα τοῦ λόγου, μέρη τοῦ εἴδους καὶ οὐχ ὕλη· τὰ m δὲ τμήματα τούτων οὕτω μέρη ὡς ὕλη, ἐφ' n οἷς ἐπιγίγνεται· ἐγγυτέρω o μέντοι τοῦ εἴδους, ἢ ὁ χαλκός, ὅταν ἐν χαλκῷ ἡ στρογγυλότης ἐγγένηται. ἔστι δ' ὡς οὐδὲ τὰ στοιχεῖα πάντα τῆς συλλαβῆς ἐν τῷ λόγῳ ἐνέσται, οἷον, ταδὶ τὰ κήρινα, ἢ p τὰ ἐν τῷ ἀέρι· ἤδη γὰρ καὶ ταῦτα μέρος τῆς συλλαβῆς, ὡς ὕλη αἰσθητή. καὶ q γὰρ ἡ γραμμὴ οὐκ εἰ διαιρουμένη εἰς τὰ ἥμιση φθείρεται, ἢ ὁ ἄνθρωπος εἰς τὰ ὀστὰ καὶ νεῦρα, καὶ σάρκας· διὰ τοῦτο καὶ εἰσὶν ἐκ τούτων οὕτως ὡς ὄντων τῆς οὐσίας μερῶν, ἀλλ' ὡς ἐξ ὕλης.

καὶ τοῦ μὲν συνόλου μέρη· τοῦ εἴδους δὲ καὶ οὗ ὁ λόγος, οὐκ ἔτι· διόπερ οὐδ' ἐν τοῖς λόγοις. τῶν μὲν οὖν ἐνέσται ὁ τῶν τοιούτων μερῶν λόγος, τῶν δ' οὐ δεῖ ἐνεῖναι, ἂν μὴ r ᾖ τοῦ συνειλημμένου· διὰ γὰρ τοῦτο ἔνια μὲν ἐκ τούτων ὡς ἀρχῶν ἐστιν, εἰς ἃ φθείρονται, ἔνια δ' οὐκ ἔστιν.

ὅσα

quod vt forma statuæ dicitur, minime: dicenda i est enim forma ipsa, & res quæque, qua ratione formam habet, materiale vero nunquam per se dicendum est.

Hinc fit, vt in circuli ratione segmentorum ratio non sit: & tamen in ratione syllabæ ratio fit elementorum: elementa l enim orationis sunt partes formæ, & non materia: segmenta m vero ita sunt horum partes, vt materia, vtpote in quibus forma n gignitur, cum tamen propinquiora o sint formæ, quam æs, si in ære rotunditas inducatur. Quodam autem modo neque elementa omnia in ratione syllabæ inerunt, vt hæc cerea, aut p quæ sunt in aere: iam enim & hæ syllabæ pars sunt, tanquam materia sensibus subiecta. Neque q enim si linea corrumpitur, cum in dimidia, aut homo, cum in ossa, neruos, carnesque resoluitur; idcirco illa ex his vt partibus substantiæ constat, sed vt ex materia.

Ac totius quidem partes sunt; formæ autem ac eius, cuius ratio est, non item; quo fit, vt neque in rationibus assumantur. Quarundam igitur talium partium ratio inerit: quarundam vero non oportet inesse, nisi sit r ipsius simul sumpti. Hæc enim de causa quædam ex hisce constant, tanquam ex principiis, in quæ corrumpuntur, quædam non constant.

Quæcunque

l *Elementa enim orationis.*] Literæ in commune partes sunt formæ, hoc est, syllabæ in commune sumptæ, quæ est species quædam; non autem sunt materia designata, & particularis, tametsi subeunt rationem materiæ communis, quatenus syllabam in commune componunt.

m *Segmenta vero*] Intellige actu designata, ac distincta, quo pacto iam sunt singularia, nec ad circuli rationem pertinent.

n *In quibus forma gignitur.*] Quasi dicat, Ex quibus circulus efficitur, vt cum ex duobus semicirculis æneis fit æneus circulus; tametsi non semper circulus fit ex distinctis actu semicirculis; licet semper ex singularibus, actu, aut potentia distinctis.

o *Propinquiora sint formæ.*] Segmenta circuli ænei sunt propinquiora circulo, quam æs, quia possunt abstrahi à materia sensibili; (*etiam quatenus singularia sunt*) quemadmodum & circulus: cum interim æs, nec vt singulare, nec vt vniuersale, à sensibili materia abstrahi possit. Vel potius hoc dicit Aristoteles, quia natura circuli singularis, qui in ære est, conficitur ex semicirculis, non item ex ære. Nam æneum esse, etiam huic circulo, quatenus hic circulus est, accidit, alioquin, quatenus singularis est, non posset ab ære abstrahi, quod tamen falsum esse sæpe est dictum.

p *Aut quæ sunt in aere.*] De literis vocalis orationis loquitur, quæ quidem in aere sunt, vt in subiecto, quemadmodum & vox ipsa.

q *Neque enim si linea.*] Occurrit obiectioni, qua quis diceret, dimidietates lineæ circularis esse partes per se substantiæ, siue quiditatis circularis lineæ, cum linea circularis corrumpatur, quando in eas diuiditur; ac proinde non dubium esse, quin circularis linea per dimidietates definienda sit: eademque ratione dicendum esse, hominem definiendum esse per carnes, & ossa, in quæ, cum resoluitur, corrumpitur. Negat igitur consequentiam, quia hæ partes sub particulari ratione sumptæ, quo in eas fit totius corruptio, sunt partes materiæ, non formæ, hoc est, per se constituunt indiuiduum, non speciem: tametsi species, vt est in indiuiduo, ac proinde per accidens, corrumpitur, cum illud per se corrumpitur. Atque in hoc sensu subdit Aristoteles, eiusmodi partes esse partes totius, hoc est, indiuidui, non autem eius, cuius est ratio, hoc definitio, id est, speciei.

Carnes & ossa quo pacto dicantur partes materiæ, non formæ.

r *Nisi sit ipsius.*] Quasi dicat, Nisi quis indiuiduum ipsum per se, ac primo definire velit, quod tamen non faciunt Philosophi.

ſ *Quæcunque*

ὅσα ſ μὲν οὖν συνειλημμένα, τὸ εἶδος καὶ ἡ ὕλη ἐστίν, οἷον, τὸ σιμὸν, ἢ ὁ χαλκοῦς κύκλος, ταῦτα μὲν φθείρεται εἰς ταῦτα, καὶ μέρος αὐτῶν ἡ ὕλη: ὅσα δὲ μὴ συνείληπται τῇ ὕλῃ, ἀλλὰ ἄνευ τῆς ὕλης, οἷον λόγοι τοῦ εἴδους μόνον, ταῦτα οὐχ φθείρεται, ἢ ὅλως, ἢ οὔτως γε. ὥστ' ἐκείνων μὲν ἀρχαὶ ταῦτα, καὶ μέρη τὰ ὑφ' αὐτά: τοῦ δὲ εἴδους οὔτε μέρη, οὔτε ἀρχαὶ ταῦτα. καὶ διὰ τοῦτο φθείρεται ὁ πήλινος ἀνδριὰς εἰς πηλὸν, καὶ ἡ σφαῖρα εἰς χαλκὸν, καὶ ὁ Καλλίας εἰς σάρκα καὶ ὀστᾶ, ἔτι δὲ ὁ κύκλος εἰς τὰ τμήματα: ἔστι γάρ τι, ὃ συνείληπται τῇ ὕλῃ: ὁμωνύμως τ γὰρ λέγεται κύκλος, ὅ, τε ἁπλῶς λεγόμενος, καὶ οἱ καθ' ἕκαστα, διὰ τὸ μὴ εἶναι ἴδιον ὄνομα τοῖς καθ' ἕκαστον.

εἴρηται u μὲν οὖν καὶ νῦν τὸ ἀληθές: ὅμως δ' ἔτι σαφέστερον εἴπωμεν ἐπαναλαβόντες. ὅσα γὰρ μὲν τοῦ λόγου μέρη, καὶ εἰς ἃ διαιρεῖται ὁ λόγος, ταῦτα πρότερα, ἢ πάντα, ἢ ἔνια. ὁ δὲ τῆς ὀρθῆς λόγος οὐ διαιρεῖται εἰς ὀξείας λόγον ἀλλὰ τῆς ὀξείας εἰς ὀρθήν: χρῆται γὰρ ὁ ὁριζόμενος τὴν ὀξεῖαν, τῇ ὀρθῇ, ἐλάττων γὰρ ὀρθῆς ἡ ὀξεῖα. ὁμοίως δὲ καὶ ὁ κύκλος, καὶ τὸ ἡμικύκλιον ἔχουσι: τὸ γὰρ ἡμικύκλιον τῷ κύκλῳ ὁρίζεται: καὶ ὁ δάκτυλος τῷ ὅλῳ, τὸ γὰρ τοιόνδε μέρος ἀνθρώπου, δάκτυλος. ὥσθ' ὅσα μὲν μέρη ὡς ὕλη, καὶ εἰς ἃ διαιρεῖται ὡς εἰς ὕλην, ὕστερα: ὅσα δὲ ὡς τοῦ λόγου, καὶ τῆς οὐσίας τῆς κατὰ τὸν λόγον, πρότερα, ἢ πάντα, ἢ ἔνια.

ἐπεὶ

Quacunque ſ igitur ſimul ſumpta, forma, & materia ſunt, veluti ſimitas, aut aneus circulus, ea in hac corrumpuntur, & pars eorum eſt materia: qua vero non ſimul cum materia ſumuntur, ſed ſine materia, vt rationes forma ſolum, ea non corrumpuntur, aut omnino, aut certe hoc pacto. Hac igitur illorum quidem principia ſunt, & partes, & qua in eis continentur; ipſius autem forma neque partes ſunt, neq; principia. Atque idcirco lutea ſtatua in lutum, globus in as, & Callias in carnem, & oſſa corrumpitur, itemque in ſegmenta circulus: eſt enim aliquid, quod ſit, cum materia ſimul ſumptum: namque t eodem circuli nomine appellantur, & qui ſimpliciter dicitur, & ſinguli, eo quod ſingulis non ſit proprium nomen impoſitum.

Ac u dicta quidem nunc eſt rei veritas; ſed tamen clarius adhuc repetentes dicamus. Quacunque enim rationis partes ſunt, & in qua ratio ipſa diuiditur, ea aut omnia, aut aliqua priora ſunt. Nec vero recti ratio in rationem acuti, ſed acuti in rectum diuiditur: vtitur enim recto, qui acutum definit, ſiquidem acutus minor eſt recto. Eodemque modo ſe habet circulus, & ſemicirculus: etenim ſemicirculus circulo definitur: etiam digitus toto; eſt enim digitus talis quadam pars hominis. Itaque omnia, qua ſunt partes, vt materia, & in qua vt materiam ſit diuiſio, poſteriora ſunt; qua autem vt rationis, ſubſtantiaque, qua rationi reſpondet, ea ſunt priora, aut omnia, aut quadam.

Qua-

ſ *Quacunque igitur ſimul.*] Concludit reſponſionem ad obiectionem propoſitam. Loquitur autem de materia particulari, & de forma pro ſpecie ſumpta, aitque, indiuiduum corrumpi, ſpeciem autem aut non corrumpi, aut certe non eodem modo, quo indiuiduum, nempe per ſe. Quo loco ſic Alexander: [*Omnino igitur non perit homo me pereunte, quoniam poſt meum interitum alius viciſſim homo exiſtit; ſed quoniam ego ſubiicior illi, ac eius ſum pars, ille me intereunte interit ex accidente.*] *Speciem perire per accidẽs pereunte indiuiduo.*

t *Namque eodem circuli nomine.*] Græce eſt [*Namque æquiuoce dicuntur, &c.*] Senſus melius exprimitur, vt vertimus. Reddit ergo Ariſtoteles rationem, cur dixerit, circulum corrumpi, cum tamen circulus ſit ſpecies, quæ ſimpliciter non eſt dicenda corrumpi: ratio autem eſt, quia indiuidua circuli carent nominibus propriis, quibus non carent indiuidua hominis; vnde fit, vt eodem nomine vtamur ad ſignificandum circulum ſingularem, qui corrumpitur, appoſito ſolo pronomine demonſtratiuo, quo ſignificamus, communem, qui non corrumpitur; id quod facere non cogimur, cum de homine loquimur: dicimus enim Calliam corrumpi, hominem autem non corrumpi, alio vocabulo ſignificantes indiuiduum, alio ſpeciem. Sunt, qui hæc verba de vera æquiuocatione exponant; quod non placet: neque enim circuli nomen æquiuoce ſignificat circulum communem, & ſingularem; ſi enim apponas pronomen demonſtratiuum, non erit idem omnino nomen, quod tamen in vera æquiuocatione eſſe neceſſe eſt. Quod ſi non apponas, non ſignificabit certe vocabulum ſingularem circulum, niſi mediate: cum tamen in definitione nominis æquiuoci immediata ſignificatio intelligi debeat. Accedit, quod cum eadem ſit omnino ratio circuli, atque huius circuli, quatenus circuli nomine ſignificatur, nullo modo dici poteſt, nomen circuli per ſe ſumptum eſſe vere æquiuocum circulo communi, & ſingulari. Si tamen ſpeciei nomen immediate imponeretur & ſpeciei, & indiuiduis, (*quod tamen non fit*) non iam dubium eſſet, quin de ſpecie, & indiuiduo æquiuoce diceretur, neque enim eadem eſſet ratio vtriuſque ſecundum idem nomen. *Albertus. Nomẽ circuli ad cõmunem & ſingulares nõ eſſe æquiuocum. Fore tamen, ſi hos, & illũ immediate ſignificet.*

u *Ac dicta quidem.*] Etſi vtraque dubitatio initio capitis propoſita ex dictis diſſolui poteſt; (*ex his enim haud difficile erit intelligere, quanam partes ſint priores, hoc eſt ſpeciei; qua item poſteriores, quod ad poſterioris dubitationis explicationẽ ſatis eſt*) quia tamen de ea diſſoluenda nihil aperte eſt dictũ, & in

diſſol-

Dilucidius respondet Arist. posteriori dubitationi initio positæ.

dissoluenda priori quædam dicta sunt, quæ maiori explicatione indigent; pleraque repetit, ac declarat Arist. initio sumpto ab iis, quæ ad posteriorem dubitationem spectant. Ait ergo, partes rationis, siue etiam substantiæ, formæve, quæ illi respondet, aut omnes, aut quasdam esse priores toto; materiam autem, eiusque partes esse posteriores. Cur autem dicat [*Aut omnes, aut quadam*] & quo pacto nomen totius accipiat, ipse mox exemplo quodam exponet.

ἐπεὶ x δὲ ἡ τῶν ζῴων ψυχὴ (τοῦτο γὰρ οὐσία τοῦ ἐμψύχου) ἡ κατὰ τὸν λόγον οὐσία, καὶ τὸ εἶδος, καὶ τὸ τί ἦν εἶναι τῷ τοιῷδε σώματι: ἑκάστου γοῦν τὸ μέρος ἐὰν ὁρίζηται καλῶς, οὐκ y ἄνευ τοῦ ἔργου ὁριεῖται, ὃ οὐχ ὑπάρξει ἄνευ αἰσθήσεως: ὥστε τὰ ταύτης μέρη πρότερα, ἢ πάντα ἢ ἔνια τοῦ συνόλου ζῴου: καὶ καθ' ἕκαστον δὴ ὁμοίως. τὸ z δὲ σῶμα καὶ τὰ τούτου μόρια, ὕστερα ταύτης τῆς οὐσίας, καὶ διαιρεῖται εἰς ταῦτα ὡς εἰς ὕλην, οὐχ ἡ οὐσία, ἀλλὰ τὸ σύνολον. τοῦ aa μὲν οὖν συνόλου, πρότερα ταῦτά ἐστιν ὡς, ἔστι δ' ὡς οὔ: οὐδὲ γὰρ εἶναι δύναται χωριζόμενα. οὐδὲ γὰρ ὁ πάντως ἔχων, δάκτυλος ζῴου, ἀλλ' ὁμώνυμος ὁ τεθνεώς. ἔνια δ' ἅμα, ὅσα κύρια, καὶ ἐν ᾧ πρώτῳ ὁ λόγος, καὶ ἡ οὐσία, οἷον εἰ τοῦτο καρδία ἢ ἐγκέφαλος: διαφέρει γὰρ οὐδὲν πότερον τοιοῦτον.

ὅδ.

Quoniam x vero animalium anima (hoc enim est animantis substantia) est substantia, à qua ratio, & species ducitur, & quiditas talis corporis (cuiusque enim animantis pars, si recte definiatur, non y sine opere suo definietur, quod quidem absque sensu ei non inest) huius profecto partes, aut omnes, aut quadam, toto animali priores sunt, eodemque modo res habet in singulis. Corpus z autem, eiusque partes hac substantia sunt posteriores, atque diuiditur in eas, vt in materiam non substantia ipsa, sed id, quod est simul totum. Toto aa igitur modo quodam ha partes priores sunt, modo alio non item: neque enim esse poterunt, si separentur. Nam neque is, qui quouis modo habet, digitus est animalis, sed aquiuoce dicitur, qui mortuus est. Quadam autem simul sunt, quacunque nimirum principales, ea præsertim, in qua ratio ipsa prima, & substantia inest, veluti si ea cor sit, aut cerebrum: vtra enim talis sit, nihil refert.

Homo

Anima quo sensu dicatur substantia animalis, & quiditas talis corporis.

Text. 35.

x *Quoniam vero animalium.*] Exemplo exponit, quod dixerat. Et quoniam ratio, & species à forma ducitur; ex partibus animæ sensitiuæ, docet Aristoteles, partes speciei, & rationis, qua species definitur, esse priores specie. Quo loco, cum audis, huiusmodi animam esse substantiam animantis, ne intelligas esse totam substantiam, (*id enim pugnaret cum iis, quæ paulo post ab Aristotele dicuntur*) sed esse id, quod dat esse animantis: inde enim probat Aristoteles, esse formam animalium. Cum autem audis esse quiditatem talis corporis, nempe quale est subiectum animæ sensitiuæ, intellige quiditatis nomine id, per quod declaratur, quid tale corpus sit. Id enim probatur altera parenthesi, quasi dicatur: Si partes corporis animantis non nisi per partes animæ sensitiuæ definiuntur; ergo & corpus animantis per animam sensitiuam. Eadem enim est ratio totius ad totum, quæ est partium ad partes. Hæc vbi dixit, concludit partes animæ sensitiuæ, per quam animal in esse animalis constituitur, esse priores animali, si non omnes, certe quasdam. Nam etsi quædam animalia habent omnes partes animæ sensitiuæ; sunt tamen quædam, quæ solum tangendi, & gustandi partibus; alia, quæ pluribus prædita sint. Intellige tamen nomine partium formæ non potentias ipsas, quæ à forma oriuntur, sed intrinsecam, & essentialem perfectionem formarum, cuius loco, quia nobis ignota est, potentias ipsas, seu vires formæ vsurpamus. Quia tamen nondum exposuit, quo pacto accipiat animal, num pro communi, an pro singulari, nondum ex his patet, num partes formæ sint priores specie, quam forma constituit.

y *Non sine opere, &c.*] Cum partes dissimilares viuentium non solum sint materia animæ subiecta, sed etiam viuentium organa, siue instrumenta, inde fit, vt sine ordine ad peculiaria opera definiri nequeant.

z *Corpus autem eiusque partes.*] Vt distinctius rem explicet, comparat formam, primum quidem cum materia; deinde vero cum composito confuse sumpto: postea diuiso composito in vniuersale & singulare, concludit, quænam partes sint priores. Docet igitur primum, corpus animalis, & partes eius esse posteriores hac substantia, id est, anima sensitiua, quod ex dictis patet, cum per animam sensitiuam, & partes eius definiantur: atque diuidi in huiusmodi partes, vt in materiam sensibilem, non formam ipsam, sed compositum, quod ex materia, & forma constituitur.

Partes materiales alio, & alio modo esse priores, & posteriores toto.

aa *Toto igitur.*] Adhuc sumit compositum confuse, docetque partes materiæ animalis cum toto collatas, modo quodam, nempe quatenus animal constituunt, esse priores; modo vero alio, vtpote quatenus per animal definiuntur, esse posteriores; eas præsertim, sine quibus animal esse potest: hæ namque non solum ratione, sed etiam existendi consequentia posteriores

sunt.

sunt. Alia ratio est de parte, quã primũ forma occupat, & cum qua totũ simul esse desinit, * qualis est † Aristotelis sententia, cor, Platonis, & Hippocratis, cerebrum, tametsi hoc commune est omnibus partibus animalis, vt abscissæ à reliquo corpore non iam naturam suam, sed solum nomen retineant. Auerrhoes sic explicat locum, vt huiusmodi partes significentur esse priores toto in genere causæ materialis, quia illud componunt; posteriores autem in genere causæ formalis, quia totum respectu illarum habet rationem formæ, vt dicitur 2. Physic.

Quæ pars primũ in animali viuat.

† Aristot. de iu. & senect. c. 1. & li. 3. de par. animal. c. 4. & lib. 2. de gen. anim. c. 1. & 4. Pla. in Tim. Hipp. in libr. de natura pueri. c. 3. tex. 31.

ὁ δ' bb ἄνθρωπος, καὶ ὁ ἵππος, καὶ τὰ οὕτως, ἐπὶ τῶν καθ' ἕκαστον. καθόλου δὲ οὐκ ἔστιν οὐσία, ἀλλὰ σύνολόν τι ἐκ τουδὶ τοῦ λόγου, καὶ τησδὶ τῆς ὕλης, ὡς καθόλου. καθ' ἕκαστον δ' ἐκ τῆς ἐσχάτης ὕλης ὁ Σωκράτης ἤδη ἐστί: καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως.

μέρος cc μὲν ἦν ἔστι καὶ τοῦ εἴδους (εἶδος δὲ λέγω τὸ τί ἦν εἶναι) καὶ τοῦ συνόλου τοῦ ἐκ τοῦ ἐκ εἴδους, καὶ τῆς ὕλης αὐτῆς: ἀλλὰ τοῦ λόγου μέρη, τὰ τοῦ εἴδους μόνον ἐστίν; ὁ δὲ λόγος dd ἐστὶ τοῦ καθόλου: τὸ γὰρ κύκλῳ εἶναι

Homo bb vero, & equus, & huiusmodi alia in singulis existunt. Vniuersale autem non est substantia, sed totum quiddam ex hac ratione, & hac materia, vniuersali: singulare autem ex vltima materia constitutum Socrates iam est, & in cæteris eodem modo res habet.

Est cc igitur & forma pars (formam autem appello ipsam quiditatem) & ipsius item totius, quod ex forma, & ipsa materia constat: sed formæ partes ea solum sunt, quæ sunt rationis partes, ratio dd autem est eius, quod vniuersale est: nam circuli

bb *Homo vero, & equus.*] Iam distinguit vniuersale compositum à singulari, qua in re tria docet notatu digna. Vnum est, hominem communem, equum communem, & reliqua, quæ de pluribus in eodem nomine, & ratione dicuntur, esse in suis singularibus: quod intellige non per inhærentiam, vt formas in subiectis, sed per identitatem non reciprocam, quam identitatem Aristoteles ex identitate partium significat, cum ait [*Ex hac ratione, & hac materia vt vniuersali*] quibus verbis docet, & rationem, id est, formam, & materiam rei vniuersalis, & singularis esse eandem: nec differre inter se, nisi quatenus sumuntur vt vniuersales, vel vt singulares. Dixi [*Non reciprocam*] quia homo communis ita est idem cum singularibus, vt quidquid sit hic designatus homo, sit etiam absolute homo; non item quicquid sit homo, sit etiam hic designatus homo, & sic in cæteris.

Naturas vniuersales esse in suis singularibus.

Alterum est, rem naturalem vniuersalem non esse substantiam, hoc est, formam (*intellige autem informantem, seu inhærentem*) sed compositum quiddam ex singulari forma, & singulari materia. Quibus duabus sententiis contradicit Platoni asserenti, huiusmodi res vniuersales esse non solum separatas à singularibus, sed etiam omnis materiæ expertes. Vnde patet, errare toto cœlo Auerrhoem, cum † putat, idque sententiæ Aristotelis consentaneum esse autumat, solam formam, quæ est altera pars compositi, esse quiditatem rei naturalis, verbi causa, solam animam equi esse quiditatem equi, & ita in cæteris. Patet item, quam longe aberrent ab opinione Aristotelis Nominales, cum aiunt, nullas esse res vniuersales, sed sola nomina esse vniuersalia, quia multa indiuidua eadem ratione significent; quippe cum eædem res, vt ait Aristoteles, alia tamen & alia ratione, sint vniuersales, quod expressis verbis affirmat de materia, & forma, & eadem ratione innuit de composito.

Non esse substantias, qua ratione intelligendum.

Formã nõ esse totam quiditatem rei naturalis.

† Hoc lib. tex. 21. & 34.

Refelluntur Nominales.

Tertium est indiuiduum, quatenus indiuiduum, vt Socratem aut Platonem esse compositum ex vltima materia, hoc est, ex materia vt singulari: subaudiẽdum vero est pari ratione, Et ex forma vt singulari. Vnde patet, necessarias omnino esse hæcceitates, siue vltimos rerum gradus intrinsecos ad earum indiuiduationem; alioqui materia non posset distingui in materiam vniuersalem, siue absolute sumptam, & materiam hanc, siue singularem; eademque ratione neque forma, neque compositum ex vtraque, vt 5. lib. diximus.

Negari non posse hæcceitates.

c. 6. q. 4. & 5.

cc *Est igitur & forma pars.*] Ex distinctione posita inter compositum vniuersale, & singulare, iam perspicue docet, quæ sint partes formales, ac priores specie; quæ item materiales, & specie posteriores. Ait ergo, & formam, hoc est, speciem, & quiditatem communem indiuiduorum (*sic enim ait, se accipere nomen formæ in hac explicatione partium formalium*) habere partes, & ipsum etiam totum, hoc est, indiuiduum ex huiusmodi forma, siue quiditate, & ex ipsa materia, hoc est, ex materia, quatenus est vltima, siue singularis, constitutum, suas item habere partes proprias nimirum, & peculiares, partes autem huiusmodi formæ, siue formales, eas solas esse censendas, quæ sunt partes definitionis, hoc est, quæ per se pertinent ad speciem; siquidem hæ tantum ad definitionem assumuntur. Quibus verbis innuit, cæteras partes in partibus materiæ, siue materialibus esse numerandas. Vnde collige, non solum formam, sed etiam materiam, quatenus vniuersaliter sumuntur, posse appellari partes formales; quatenus autem sumuntur vt singulares, non solum materiam, sed etiam formam posse appellari partes materiales.

Quæ sint partes formales, quæ materiales.

dd *Ratio autem est.*] Postquam docuit partes rationis esse partes formales, docet quarũ rerum

εἶναι καὶ κύκλος, καὶ ψυχῇ εἶναι καὶ ψυχή, τὸ αὐτό. τοῦ δὲ συνόλου ἤδη, οἷον κύκλου τουδὶ τῶν καθ᾽ ἕκαστά τινος, ἢ αἰσθητοῦ ἢ νοητοῦ (λέγω ee δὲ νοητοὺς μὲν οἷον τοὺς μαθηματικούς: αἰσθητοὺς δὲ, οἷον τοὺς χαλκοῦς καὶ ξυλίνους) τούτων δὴ οὐκ ἔστιν ὁρισμός, ἀλλὰ μετὰ νοήσεως, ἢ αἰσθήσεως γνωρίζονται. ἀπελθόντες ff δὲ ἐκ τῆς ἐντελεχείας οὐ δῆλον, πότερόν ποτέ εἰσιν, ἢ οὐκ εἰσίν, ἀλλ᾽ ἀεὶ λέγονται καὶ γνωρίζονται τῷ καθόλου λόγῳ. ἡ δὲ ὕλη gg ἄγνωστος καθ᾽ αὑτήν. ὕλη δὲ ἡ μὲν αἰσθητή ἐστι, ἡ δὲ νοητή: αἰσθητὴ μὲν, οἷον χαλκὸς, καὶ ξύλον καὶ ὅση κινητὴ ὕλη νοητὴ δὲ, ἡ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς ὑπάρχουσα, μὴ ᾗ αἰσθητά, οἷον τὰ μαθηματικά. πῶς μὲν οὖν ἔχει περὶ ὅλου καὶ μέρους, καὶ περὶ τοῦ προτέρου καὶ ὑστέρου εἴρηται.

πρὸς

circuli esse & circulus, & animæ esse ac anima, idem sunt. Eius vero, quod iam totum simul est, vt circuli huius & alicuius singularis, siue sensibilis, siue intelligibilis, (Voco ee autem intelligibiles, velut mathematicos, sensibiles autem, vt æneos & ligneos) horum, inquam, non est definitio, sed intellectu, aut sensu cognoscuntur; cum ff autem ab actu recesserunt, obscurum sane est, sintne aliquando, an non? tametsi semper vniuersali ratione & dicuntur, & cognoscuntur. Materia gg autem ignota per se est: estque alia materia sensibilis, alia intelligibilis; sensibilis, vt æs, & lignum, & quæcunque motui subiicitur; intelligibilis, quæ in sensibilibus existit, non vt sensibilia sunt, vt res mathematicæ. Ac quo pacto quidem de toto, & parte res habeat, itemque de priori, ac posteriori, dictum esto.

Ad

sit ratio; siue ea formalis sit, quæ dicitur definitio mentalis; siue obiectum, quæ est res ipsa, quatenus definitioni respondet. Ait ergo rationem non esse singularium, (*subaud., quatenus singularium*) siue illa sensibilia sint, siue intelligibilia; sed vniuersalium, eorum videlicet, quæ sunt idem omnino ex natura rei cum suis quiditatibus; veluti circulus absolute sumptus cum quiditate circuli, & anima in commune cum quiditate animæ, vt cap. 6. dictum est: quo loco simul est negatum, res singulares esse idem omnino cum suis quiditatibus. Id quod nunc apertius factum est, cum dictum sit res singulares, & vniuersales (*quarum tantum definitiones traduntur*) esse idem identitate non reciproca, quod certe non est esse idem omnino ex natura rei.

Rationem solum esse rerũ vniuersaliũ. Res vniuersales & singulares distingui ex natura rei.

ee *Voco autem intelligibiles.*] Exponit Aristoteles interiecta parenthesi, quinam sint circuli sensibiles, quique intelligibiles. Intelligibiles vocat Mathematicos, quia non intelligantur in materia sensibili, tametsi in sensibili materia existant: sensibiles autem æneos, ligneos, & eiusmodi alios, qui, quatenus tales sunt, sine sensibili materia intelligi nequeunt. Addit etiam, huiusmodi singulares triangulos, etsi non definiũtur, intellectu tamen aut sensu cognosci. Quo loco non accipit nomen intellectus pro potentia illa immateriali, quæ cum anima à corpore separatur, sed pro potentia quadam sensitiua interiori, qua res singulas sine qualitatibus sensibilibus percipiuntur, quæ quidem dicitur in brutis animantibus æstimatiua, in homine cogitatiua, & ratio particularis appellatur; cui etiam in homine propter coniunctionem cum intellectu tribuunt Philosophi, vt ratiocinari possit in terminis singularibus. Atque hoc eodem modo vsurpat Aristoteles nomen intellectus in 3. de anima, cum ait; Intellectus autem possibilis extinguitur; nempe, cum corpus ab anima deseritur, quod ea vis animæ organo corporis affixa sit.

Qui sint circuli sensibiles qui intelligibiles. Cogitatiuã dici intellectum, & discurrere circa singularia. text. 16. & 5 tex. 20.

ff *Cum autem ab actu recesserunt.*] Hoc discrimen ponit Arist. inter singularia corporalia, & eorum vniuersalia, quod singularia, cum ab actu recesserunt, hoc est, cum desinunt cognosci sensu aliquo exteriori, aut interiori, (quem intellectum vocat) nemo intelligere potest, sintne, an non, id est, nemo illa potest distinguere inter se, quemadmodum nec distincte concipere; tametsi, quatenus ea continentur in suis vniuersalibus, suorumve vniuersalium ratione, & cõceptu, & significentur voce, & cognoscantur mente. Non loquitur Aristoteles de cæteris singularibus, quia credit ea non distingui sub specie, sed per easdem differentias præcise constitui in esse indiuiduali, per quas constituuntur in esse specifico, vt lib. 5. diximus, & 12. latius ostendemus. De singularibus corporalibus sic ait Albertus; Singulare extra sensum positum est incertum; vniuersale autem est vbique & semper, & locus eius est intellectus.

Singularia corporalia solo sensu distingui. a. 6. q. 4. sect. 2.

gg *Materia autem ignota.*] Quia Aristoteles putauit, causam, cur indiuidua distinguantur sub specie, (*saltem sine qua non distinguerentur*) esse materiam, vt 5. libro diximus; credit D. Thomas, illum reddere hoc loco rationem ex materia ipsa, cur indiuidua materialia non percipiantur ab intellectu, siue mente. Nam cum materia ipsa per se ignota sit, vt quæ est pura potentia, & per solum actum, siue formam cognoscitur, sitque ipsa principium indiuiduationis non solum in naturalibus, in quibus dicitur sensibilis, propter qualitates sensibiles, sed etiam in mathematicis, in quibus dicitur intelligibilis, seu imaginabilis propter quantitatem ad materiam potius, quam ad formam ex qua sumitur ratio specifica, referenda est causa, cur ea, quæ ex ipsa constant, percipi non possint.

Redditur huius ratio.

AB

At dices: Si materia esset in causa, cur indiuidua materialia non percipiantur ab intellectu, esset etiam in causa, ne perciperentur species, quæ ex ea constant; quippe cum ea non sit minus pura potentia in speciebus, quam in indiuiduis; nec item forma minus constituat indiuidua, quam species. Occurrendum est tamen negando consequentiam. Nam etsi materia collata cum forma tam sit pura potentia in speciebus, quam in indiuiduis: tamen, si quatenus est in speciebus, conferatur secum quatenus est in indiuiduis, hac ratione minus potentialitatis habet in speciebus, quam in indiuiduis. Nam, vt est in speciebus, eatenus habet conditionem actus seu formæ, quatenus dat esse huic, & illi materiæ singulari, quo pacto vniuersalia dicuntur ab Aristotele formę dantes esse suis particularibus per hoc, quod à particularibus participantur: materia autem singularis, vt singularis est; huius scilicet vel illius compositi, nullo modo habet conditionem formæ, quia non participatur, sed est vltimum participans: sicque nullo modo habet rationem actus, qui est principium omnis cognitionis, sed solius potentiæ. *Obiectio.* *Responsio.*

Quo loco aduerte, res materiales dici ab Aristotele materiam sensibilem, & res mathematicas, hoc est, res quantas, vt quantæ sunt, materiam intelligibilem, seu imaginabilem, non respectu formarum, quibus illæ sunt naturales, & hæ quantæ, sed respectu figurarum. Æs enim aut lignum non est materia sensibilis respectu formæ æris, aut ligni, sed respectu figuræ artificiosæ, aut etiam naturalis. Res etiam quantæ, vt quantæ sunt, non sunt materia respectu quantitatis; sed respectu figuræ trianguli, quadranguli, & cæterarum. Sed de materia sensibili, & intelligibili, quæ hic desiderari possunt, ex iis, quæ sexto libro diximus, petenda sunt. *Quid materia sensibilis, quid intelligibilis.*

Πρὸς hh δὲ τὴν ἐρώτησιν ἀνάγκη ἀπαντᾶν, ὅταν τις ἐρωτᾷ, πότερον ἡ ὀρθὴ καὶ ὁ κύκλος, καὶ τὸ ζῷον πρότερον, ἢ εἰς ἃ διαιροῦνται, καὶ ἐξ ὧν εἰσὶ τὰ μέρη, ὅτι οὐχ ἁπλῶς. εἰ μὲν γάρ ἐστι καὶ ἡ ψυχὴ ζῷον, ἢ ἔμψυχον, ἢ ἕκαστον ἡ ἑκάστου, καὶ ὁ κύκλος τὸ κύκλῳ εἶναι, καὶ ἡ ὀρθὴ τὸ ὀρθῇ εἶναι, καὶ ἡ οὐσία τῆς ὀρθῆς, τὶ μὲν καὶ τινὸς φατέον ὕστερον: οἷον τῶν ἐν τῷ λόγῳ, καὶ τινὸς ὀρθῆς. καὶ ii γὰρ ἡ μετὰ τῆς ὕλης ἡ χαλκῆ ὀρθὴ, καὶ ἡ ἐν ταῖς γραμμαῖς ταῖς καθ' ἕκαστα. ἡ δ' ἄνευ ὕλης, τῶν μὲν ἐν τῷ λόγῳ ὑστέρα, τῶν δ' τῶν καθ' ἕκαστα μορίων προτέρα. ἁπλῶς δ' οὐ φατέον. εἰ δ' ἑτέρα, καὶ μή ἐστιν ἡ ψυχὴ ζῷον: καὶ οὕτω τὰ μὲν φατέον, τὰ δ' οὐ φατέον, ὥσπερ εἴρηται.

Ad hh *interrogationem vero, qua quis quærat, num rectus, & circulus, ac anima priora sint, an vero partes, ex quibus constant, & in quas diuiduntur; ita occurrere necesse erit, vt non simpliciter respondeatur. Nam si anima est animal, siue animans, aut vnumquodque ea, qua est cuiusque, & circulus circuli esse, & rectus recti esse, ac substantia recti; aliquid quidem aliquo posterius esse dicendum est; veluti aliquo eorum, quæ in ratione continentur, & aliquo recto. Et is* ii *enim, qui cum materia aneus est, rectus est; & is etiam, qui in singularibus lineis existit. Qui autem sine materia est, partibus quidem rationis posterior censeri debet; iis vero, ex quibus singularia constant, prior est. Nec simpliciter respondendum. Quod si anima diuersa est, nec est animal; hoc etiam modo alias priores esse dicere oportebit, alias non item, quemadmodum diximus.*

hh *Ad interrogationem vero.*] Accommodat ea, quæ dicta sunt, ad posteriorem quæstionem earum, quæ initio propositæ sunt: aitque, siue quiditas totius compositi sit sola forma, vt quibusdam placuit, veluti sola anima (*quod de sensitiua intellige*) quiditas animalis, seu (quod idem est) animantis, non secus, ac cum dicimus, angulum rectum in commune esse suum esse, quiditatemve, eodemque modo circulum in commune esse ipsam quiditatem circuli; siue non sit sola forma, sed aliquid ex materia, & forma constans, non vt materia, & forma singulares sunt, sed vt vniuersales, seu communes, vt superius dictum est, non simpliciter respondendum esse, sed cum distinctione. Totum enim singulare, vt hic angulus rectus, ex his nimirum lineis confectus, posterius dicendum est esse partibus definitionis quæ dicuntur formales; (*siue id, quod definitur, sit sola forma, siue compositum ex materia & forma*) imo etiam toto vniuersali, vt angulo recto communi, quem etiam hoc loco vocat aliquem rectum, hoc est, non hunc, sed talem in vno, qualem in alio, quod dicere solemus, eiusdem rationis in omnibus rectis. Totum autem vniuersale, etsi est posterius partibus definitionis, tamen prius est partibus singularibus, vt singulares sunt, atque adeo toto ipso singulari, quod huiusmodi etiam partibus posterius est. Exempli causa, angulus communis, etsi est posterior partibus definitionis, tamen prior est partibus, ex quibus conficitur, & in quas resoluitur quæ quidem sunt singulares dimidietates, & aliæ huiusmodi portiones, & (*quod hinc sequitur*) toto etiam ipso singulari angulo, qui huiusmodi etiam partibus posterior est. *Qua ratione totũ sit prius, & qua posterius suis partibus.*

ii *Et is enim.*] Probatio est, seu potius explicatio eius, quod obscurius dixerat allato aliquo re-

cto in exemplum communis prædicati. Nam & rectus æneus, qui cum materia sensibili concipitur, & rectilineus mathematicus, qui sine materia sensibili consideratur; sed non sine materia intelligibili singulari, id est, sine singularibus lineis, continentur sub aliquo recto, id est, sub communi recto.

ΚΕΦ. ια.

Ἀπορεῖται a δὲ εἰκότως, καὶ ποῖα τοῦ εἴδους μέρη, καὶ ποῖα οὔ. ἀλλὰ τοῦ συνειλημμένου, καίτοι τούτου μὴ δήλου ὄντος, οὐκ ἔστιν ὁρίσασθαι ἕκαστον: τοῦ γὰρ καθόλου καὶ τοῦ εἴδους ὁ ὁρισμός. ποῖα οὖν ἐστι τῶν μερῶν ὡς ὕλη, καὶ ποῖα οὔ, ἐὰν μὴ ᾖ φανερά, οὐδὲ λόγος ἔσται φανερὸς ὁ τοῦ πράγματος.

ὅσα b μὲν οὖν φαίνεται ἐπιγιγνόμενα ἐφ' ἑτέρων τῷ εἴδει, οἷον κύκλος ἐν χαλκῷ, καὶ λίθῳ, καὶ ξύλῳ: ταῦτα μὲν οὖν δῆλα εἶναι δοκεῖ, ὅτι οὐδὲν τῆς τοῦ κύκλου οὐσίας ὁ χαλκός, οὐδ' ὁ λίθος, διὰ τὸ χωρίζεσθαι αὐτῶν. ὅσα c δὲ μὴ ὁρᾶται χωριζόμενα, οὐδὲν μὲν κωλύει ὁμοίως ἔχειν τούτοις: ὥσπερ κἂν εἰ οἱ κύκλοι πάντες ἑωρῶντο χαλκοῖ: οὐδὲν γὰρ ἧττον ἦν ὁ χαλκὸς τοῦ εἴδους: χαλεπὸν δὲ ἀφελεῖν τοῦτο τῇ διανοίᾳ. οἷον, τὸ τοῦ ἀνθρώπου εἶδος ἀεὶ ἐν σαρξὶ φαίνεται, καὶ ὀστοῖς, καὶ τοῖς τοιούτοις μέρεσιν. ἆρ' οὖν καὶ ἔστι μέρη ταῦτα τοῦ εἴδους καὶ τοῦ λόγου, ἢ οὔ, d ἀλλ' ὕλη; ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ καὶ ἐπ' ἄλλων ἐπιγίνεσθαι, ἀδυνατοῦμεν χωρίσαι.

Ἐπεὶ

CAPVT XI.

MERITO a autem dubitatur, quænam sint ipsius formæ partes, & quæ non sint, sed totius, quod simul sumitur: hoc enim si manifestum nõ sit, nõ licebit rem vllã definire: vniuersalis enim rei, ac formæ definitio est. Quænam igitur partes sint, vt materia, & quæ non sint, nisi perspicuum existat, nec ratio ipsa rei manifesta erit.

Ac omnia b quidem, quæ in diuersis specie rebus fieri cernuntur, vt circulus in ære, lapide, ac ligno, ea perspicua esse videntur; neque enim quicquam substantiæ circuli est æs, aut lapis, eo quod ab eis separetur circulus. Quæ c autem non cernuntur separari, nihil quidem prohibet eodem modo atq; hæc, se habere: quemadmodum si circuli omnes cernerentur ænei; nihilo enim magis æs ad formam circuli pertineret; tametsi difficile foret hanc cogitatione seiungere. Sic & hominis forma semper in carnibus, & ossibus, aliisq; huiusmodi partibus cernitur. Suntne igitur & hæ formæ, ac rationis partes, an non, d sed materia? Verum quia non in alia quoque re inest, idcirco eam separare non possumus.

Cum

CAPITIS VNDECIMI EXPLANATIO.

Tex. 37. MERITO a autem.] Hoc caput quasi appendix est superioris. Exponit enim in eo Aristoteles, quænam sint partes speciei, siue formales: quæ item indiuidui, siue materiales: id quod non admodum perspicue superiori capite docuerat: tum addit, quæ in hoc libro tractanda supersint: postremo colligit in epilogum, quæ hactenus de quiditate, & eo, cuius est quiditas, tradita sunt. Rationem vero cur accuratius dictarum partium discrimen exponere oporteat, eam esse ait, quia, cum sola vniuersalia definiantur, vniuersalia autem, cum sint formæ quædam, per formales partes definiri debeant; certe nisi formales à materialibus probe dignoscantur, non licebit rem vllam sine erroris periculo definire.

Quæ partes plane sint nõ formales. b *Ac omnia quidem*] In proposita dubitatione explicanda id primum asserit Aristoteles, quod perspicuum est, & à nemine negari potest, nempe, quandocunque forma in diuersis specie subiectis indifferenter esse cernitur, tum partes eiusmodi subiectorum censendas esse non formales, sed materiales; eo quod forma à quibusuis earum separari possit, ac proinde exilis non constet: quo pacto partes æris non sunt partes formales circuli, sed materiales, eo quod circulus non in ære tantum, sed in ligno etiam, aut lapide exprimatur. Vnum patet, eadem ratione digitum, aut manum, imo etiam totum corpus humanum, vt est hoc designatum, non esse partes formales humanæ speciei, sed materiales, quia humana species sine his plane consistit.

In quibus sit dubitatio. c *Quæ autem non cernuntur.*] Addit, quæ in re sit difficultas, quam quidem in eo positam esse ait, quod sæpe forma non cernitur extra certam materiam, vt humana species extra carnes, & ossa. Quo fit, vt merito de eiusmodi materia, & partibus eius dubitari possit, sintne partes formales, an materiales. Quod enim sint formales, ex eo videtur ostendi, quia forma, siue species sine eis non consistit: quod autem non sint formales, sed materiales, ex eo suaderi potest, quia, etsi nunquam forma cernatur apud nos extra huiusmodi materiam, nihil tamen videtur prohibere, quin separari possit. Quemadmodum etsi omnes circuli apud nos ænei essent, non proinde tamen dicendum foret, æs, aut partes eius esse partes formales circuli; siquidem æs non magis tunc ad formam circuli tanquam pars eius pertineret, quam nunc pertineat,

geat, cum plane cernimus illam ſine ære conſiſtere; tametſi difficile tunc foret eiuſmodi formam ſine ære concipere, quia nemo illam ſine ære cerneret. Quo loco vertenda illa particula ἰδεῖν γὰρ ἔδει, non verba, ſed ſenſum expreſſimus.

Reſpondet dubitationi aliorum ſententia.

d *An non, ſed materia?*] Reſpondet dubitantis more, vt ſolet, non tamen ex propria ſententia, ſed diſputationis cauſa, vt paulo poſt dicet. Reſponſio ducta eſt ex Platonis opinione, qui dicebat carnes, & oſſa, non eſſe partes ſpeciei humanæ, ſiue ideæ hominis; quod idem dicebat de quauis materia ſenſibili: ex qua ſententia ſequitur, partes ſenſibiles materiæ non eſſe formales, ſed materiales; tametſi difficile ſit formam, ac ſpeciem naturalem ab huiuſmodi materia ſeiungere, quia apud nos extra eam non cernitur.

Pythagorici negant partes materiæ intelligibilis eſſe formales.

e *Cum autem hoc accidere.*] Cum duplex ſit materia, quædam ſenſibilis, intelligibilis altera; addit Ariſtoteles quoſdam eſſe, qui perinde ſentiant de partibus materiæ intelligibilis, atq; de ſenſibilis, vtpote, neutrius materiæ partes eſſe partes formales, ſed materiales, quemadmodum dictum eſt de carnibus, & oſſibus. Atque hi quidem fuerunt Pythagorici, qui idcirco negabant, figuras mathematicas per quantitatem continuam eſſe definiendas, quod partes continui non aliter ſe habere videantur ad figuras, atque carnes, & oſſa ad hominem. Itaque dicebant, quiditatem lineæ communis non conſtare partibus continuitatis, ſed eſſe numerum quendam ſeparatum, vtpote dualitatem quandam: quibus verbis, vt placet Alexandro, ſignificabant, lineam eſſe primum dilatabile. Cauſa vero, quantum licet coniicere, ea videtur, quia quemadmodum binarius numerus eſt prima dilatatio vnitatis, ita linea eſt prima dilatatio puncti: & quia punctus non eſt pars continuitatis, putabant illi ſe hoc pacto abſtrahere lineam ſpecificam à partibus continuitatis, ac proinde à materia intelligibili: quod idem eodem modo, atq; adeo potiori ratione de ſpeciebus numerorum aſſerebant, cum magis perſpicuum ſit vnitatem non eſſe partem continuitatis, ac proinde eorum ſententia nec partem materiæ intelligibilis.

Ἐπεὶ e δὲ τοῦτ' δοκεῖ μὲν ἐνδέχεσθαι, ἄδηλον δὲ πότε, ἀποροῦσί τινες ἤδη καὶ ἐπὶ τοῦ κύκλου καὶ ἐπὶ τοῦ τριγώνου, ὡς οὐ προσῆκον γραμμαῖς ὁρίζεσθαι, καὶ τῷ συνεχεῖ, ἀλλὰ ταῦτα πάντα ὁμοίως λέγεσθαι, ὡσανεὶ σάρκες ἢ ὀστᾶ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ χαλκὸς καὶ λίθος κύκλου: καὶ ἀνάγουσι πάντα εἰς τοὺς ἀριθμοὺς, καὶ γραμμῆς τὸν λόγον, τὸν τῶν δύο εἶναί φασι. f τῶν τὰς ἰδέας λεγόντων, οἱ μὲν αὐτογραμμὴν τὴν δυάδα, οἱ δὲ τὸ εἶδος τῆς γραμμῆς: ἔνια μὲν γὰρ εἶναι ταὐτὰ τὸ εἶδος, καὶ οὗ τὸ εἶδος, οἷον, δυάδα καὶ τὸ εἶδος δυάδος. ἐπὶ γραμμῆς δὲ οὐκ ἔτι. συμβαίνει g δὴ ἕν τε πολλῶν εἶδος εἶναι, ὧν τὸ εἶδος φαίνεται ἕτερον: ὅπερ καὶ τοῖς Πυθαγορείοις συνέβαινε. καὶ ἐνδέχεται ἓν πάντων ποιεῖν αὐτὸ εἶδος, τὰ δ' ἄλλα μὴ εἴδη. καίτοι οὕτως ἓν πάντα ἔσται. ὅτι μὲν οὖν ἔχει ἀπορίαν τινὰ τὰ περὶ τοὺς ὁρισμοὺς, καὶ διὰ τίν' αἰτίαν, εἴρηται.

Διὸ

Cum e autem hoc accidere videatur, nec tamen manifeſtum ſit, quando accidat; ſunt qui iam de circulo, & triangulo dubitent, quaſi non expediat, vt lineis, atq; continuo definiantur, ſed hæc omnia perinde dicantur, atq; carnes, & oſſa hominis, & æs, ac lapis circuli: itaq; omnia ad numeros reuocant, lineaq; rationem duorum rationem eſſe aſſerunt. Eorum f quoq;, qui ideas ponunt, alij ipſam lineam dualitatem eſſe inquiunt, alij lineæ formam; in quibuſdam enim idem eſſe aiunt ipſam formam, & id, cuius eſt forma, vt dualitatem, & formam dualitatis; in linea vero non ita ſe habere. Ac g ſane fit hoc pacto, vt multorum vna ſit forma, quorum ſpecies diuerſa eſſe cernitur; quod idem & Pythagoricis accidebat. Quin etiam euenit, vt vna omnium forma conſtituatur, cætera verò formæ non ſint. Quo quidem modo omnia vnum erunt. Eſſe igitur dubitationem aliquam de ijs, quæ ad definiendi rationem pertinent, & quam ob cauſam, dictum eſto.

Quæ-

Text. 38.

Platonici diſtinctione vtuntur.

f *Eorum quoque.*] Multos etiam Platonicorum eiuſdem ſententiæ eſſe aſſerit; tametſi quidam diſtinctione vtebantur. Erant enim, qui etſi idem aſſerebant de ſpeciebus numerorum, (*dicebant enim ſpeciem dualitatis, & cæteros alios numeros ſpecificos, eſſe formas ſeparatas ab omni materia*) id tamen negabant de ſpeciebus magnitudinum. Negabant enim lineam eſſe formam abſtractam à continuitate: quod idem de cæteris magnitudinibus, quas medias inter ideas, & naturalia eſſe dicebant. Nos autem cum Ariſtotele etiam numeros ſecundum ſpeciem facimus participes materiæ intelligibilis, quia licet careant extenſione continuitatis, non tamen carent extenſione multitudinis.

Vtroſq; refutat Ariſt.

g. *Ac ſane fit hoc pacto.*], Refutat propoſitam Platonicorum, & Pythagoreorum ſententiam. Primum, quia ſi numeri ſunt formæ, ſiue ſpecies rerum, quæcunque eadem ſpecie infima numeri participant, erunt eiuſdem infimæ ſpeciei, etiamſi plane cernantur ſpecie, ac definitione differre, vt hic numerus binarius, & hæc linea, quia participant dualitatem, vt aiunt;

 & hic.

& hic triangulus, atque hic ternarius, qui eorum sententia participant triadem; atque ita in cæteris. Deinde, quia cum numeri etiam ipsi à materia intelligibili re vera abstrahi nequeant
Text. 39. (*neque enim numerus fingi potest etiam secundum speciem, qui extensione careat, & diuisibilis non sit in partes verè integrantes, & extensionem facientes*) certe si formæ, siue species rerum, intelligibili etiam materia carent, reliquum est, vt sola vnitas sit species rerum omnium, etiam ipsarum idearum; quo fit, vt ex eorum sententia colligatur, cætera omnia præter vnitatem non esse formas abstractas ab omni materia; atque adeo ipsas etiam ideas, quas numeros esse dicunt, non esse formas simplices, ac per se subsistentes, sed formatas per vnitatem, atque compositas, quod alias pugnat cum eorum placitis. Postremo, quia isto modo omnia vnum erunt: siquidem vnitas, vt ex dictis sequitur, est omnium forma, & quiditas. Alio modo inducit rationem hanc Alexander, quasi dicat Aristoteles, si datur aliquid, quod cum sit species infima, tamen contineat sub se res, quæ manifeste sunt diuersarum specierum; eadem ratione poterit inueniri aliquid, quod eodem pacto contineat res omnes, siquidem par absurdum est id concedere in paucis, atque in multis. Sed prior sententia, quæ est D. Thomæ, magis placet; quia tertia hæc ratio nascitur ex secunda, cuius tamen non meminit Alexander. Cum igitur absurda sint, & inter se pugnantia, quæ ex prædicta sententia colligantur, concludit Aristoteles, non absque causa dubitatum esse de proposita quæstione. Altera enim ex parte est authoritas grauissimorum hominum, ex altera non contemnendæ rationes.

Respondet dubitationi ex propria sententia. h *Quapropter omnia.*] Respondet propositæ quæstioni ex propria sententia, & quoad naturalia, & quoad mathematica. Responsionis summa est; nec res naturales posse definiri sine materia sensibili, nec mathematicas sine intelligibili; neutras tamen definiri per materiam singularem, & designatam, quatenus talis est, sed per communem, siue vniuersalem: proinde materiam etiam ipsam, partesque materiales, quatenus sunt vniuersales, in partibus formalibus numerandas esse. Vnde è contrario sequitur, partes formæ, & formam etiam ipsam, quatenus singularis est, nomine partium materialium, vt hoc loco sumuntur, esse intelligendam, vt supra diximus; nec alia sane de causa, nisi quia Aristotelis sententia distinctio materiæ est in causa, vt indiuidua sub specie distinguantur; forma autem est præcipuum id, cui eorum inter se similitudo attribuitur. Quæ omnia superius partim dicta, partim insinuata sunt.

Materiã, quã vniuersalis, esse partem formalem: & formam quã singularis, materialem. cap. superiori ad text. 35.

i *Hoc pacto reducere.*] Ad numeros videlicet, vel vnitatem, causa excludendæ materiæ à naturis specificis: hoc autem ideo superuacaneum esse ait, quia, cum pugnet cum rebus manifestis, nemini, qui vel paululum attendat, persuaderi poterit.

Διὸ h καὶ τὸ πάντα ἀνάγειν i οὕτω, καὶ ἀφαιρεῖν τὴν ὕλην, περίεργον. ἔνια γὰρ ἴσως, τόδ' l ἐν τῷδ' ἐστὶν, ἢ ὡδὶ m ταδὶ ἔχοντα. καὶ ἡ παραβολὴ ἡ ἐπὶ τοῦ ζώου, ἣν εἰώθει λέγειν Σωκράτης n ὁ νεώτερος, οὐ καλῶς ἔχει. ἀπάγει γὰρ ἀπὸ τοῦ ἀληθοῦς, καὶ ποιεῖ ὑπολαμβάνειν ὡς ἐνδεχόμενον εἶναι τὸν ἄνθρωπον ἄνευ τῶν μερῶν, ὥσπερ ἄνευ τοῦ χαλκοῦ τὸν κύκλον: τὸ δ' οὐχ ὅμοιον: αἰσθητὸν γάρ τι ἴσως τὸ ζῷον, καὶ ἄνευ κινήσεως οὐκ ἔστιν ὁρίσασθαι: διὸ οὐδ' ἄνευ τῶν μερῶν ἐχόντων πῶς. οὐ γὰρ πάντως τοῦ ἀνθρώπου μέρος ἡ χεὶρ, ἀλλ' ἡ δυναμένη τὸ ἔργον ἀποτελεῖν; ὥστε o ἔμψυχος οὖσα: μὴ ἔμψυχος δὲ οὐ μέρος.

περὶ

Quapropter h *omnia hoc pacto* i *reducere, materiamque de medio tollere, superuacaneum est. Quædam enim fortasse hoc* l *in hoc sunt, aut hæc* m *ita se habentia. Atque comparatio illa de animali, qua iunior* n *Socrates vti solebat, haud recte habet. Abducit autem à vero, efficitque, vt ita de homine opinemur, ac si absque partibus possit existere, quemadmodum circulus sine ære; quod tamen non est simile: fortasse enim sensibile quiddam est animal, nec sine motu, aut (quod hinc sequitur) sine partibus modo quodam habentibus definiri potest. Etenim non quæuis manus pars hominis existit, sed quæ potest opus perficere: itaque* o *quæ animata est, pars est; quæ anima caret, pars non est.*

Quod

l *Hoc in hoc sunt.*] Hoc est, sunt formæ in materia, seu potius composita quædam, quæ resultent ex formis existentibus in materia quibus verbis Aristoteles significat res naturales.

m *Aut hæc ita se habentia.*] Alexander refert verba hæc ad res artificiosas, quæ non constant materia, & forma substantiali, sed multis rebus naturalibus certo ordine dispositis, vt est domus, aut nauis. Verum nec Plato, nec Pythagorici separabant artificialia à materia, quasi dicerent species eorum esse prorsus expertes materiæ extra mentem artificis, vt inferius, quod ad Platonem attinet, fatebitur Aristoteles. Diuus Thomas intelligit his verbis res mathematicas,

quæ etsi

quæ etsi non constant materia, & forma substantiali, tamen sunt ea ex parte similes compositis naturalibus, quod figuræ mathematicæ ita se habeãt ad lineas quemadmodum forma hominis ad carnes, & ossa. Potest etiam dici, verba hæc adiecta esse, vt explicarent alio modo id, quod proxime præcedentibus explicatum erat; quasi dictum sit, vt hæc forma in hac materia, non vt sunt hæc, & illa, sed hoc modo se habentia, id est, vniuersaliter, vt superius dictum est. Vel dicito, verba hæc [*Aut hac ita se habentia*] significare, compositũm naturale esse formam in materia non nuda; sed certis dispositionibus affecta, quam dicimus sensibilem. Vel potius dicito, sensum esse, Aut hæc ita se habentia, id est, partes materiæ informatæ, & ad motum dispositæ: siquidem omnia naturalia, quatenus naturalia sunt, mobilia sunt, nec ab eis aptitudo ad motum auferri vel cogitatione potest. Quam expositionem ipse Aristoteles post pauca verba videtur subiicere.

A naturalibus nec cogitatione auferri posse aptitudinem ad motum.

n *Quia iunior Socrates.*] Aut significat Platonem, quem ideo iuniorem Socratem appellat, quod semper inducat Socratem præceptorem suum in dialogis præcipuam personam sustinentem: vel potius (*vt Alexander ait*) Socratem Geræneñsem alterum Socratis discipulum, quem Plato inducit colligentem, non aliter concedendum esse dari in rerum natura speciem humanam sine carnibus, & ossibus, in quibus apud nos existit, atque datur species circuli extra æs, in quo sæpe cernitur. Quam comparationem Aristoteles ex ipso definiendi modo reprehendit. Nam etsi circulus sine ære definitur, animal tamen sine partibus ad certum motum, certaque opera perficienda dispositis, ac proinde sine materia sensibili definiri nequit. Vnaquæque enim res, vt ipse alibi docet, propter operationem est. Quod si operari nequit opus huius, vel illius speciei, certe ad eam speciem non pertinet.

Socrates iunior.

Animal definiri nequit sine mate. sensibili. 2. de caelo c. 2. text. 17.

o *Quæ animata est.*] Non potest autem intelligi animata sine certis quibusdam qualitatibus sensibilibus: quia forma naturalis non potest naturaliter nudam materiam informare, sed certo modo dispositam: quo fit, vt si manus exaruerit, & proprium motum, & operationem exercere nequiuerit, non iam pars hominis censeri debeat.

περὶ. p δὲ τὰ μαθηματικὰ διὰ τί οὐκ εἰσὶ μέρη οἱ λόγοι τῶν λόγων, οἷον κύκλου τὰ ἡμικύκλια; οὐ γάρ ἐστιν αἰσθητὰ ταῦτα. ἢ q οὐδὲν διαφέρει; ἔσται γὰρ ὕλη ἐνίων, καὶ μὴ αἰσθητῶν, καὶ παντὸς, ὃ μὴ ἐστὶ τί ἦν εἶναι καὶ εἶδος αὐτὸ καθ' αὑτὸ, ἀλλὰ τόδε τι. κύκλου μὲν οὖν οὐκ ἔσται τοῦ καθόλου: τῶν δὲ καθ' ἕκαστα, ἔσται μέρη ταῦτα, ὥσπερ εἴρηται πρότερον. ἔστι r γὰρ ἡ ὕλη, ἡ μὲν αἰσθητὴ, ἡ δὲ νοητή.

Δὴ.

Quod vero p attinet ad mathematica, cur quasi rationes non sint rationum partes, veluti partes circuli ipsi semicirculi: neque enim hæc sensibilia sunt. An q nihil interest? erit enim quorundam etiam non sensibilium materia, omnisque eius rei, quæ non est quidditas, & forma per sese, sed hoc aliquid. Hæc igitur vniuersalis circuli partes non erunt, sed singularium, vt dictum est. Est r enim materia alia sensibilis, alia intelligibilis.

Inter-

p *Quod vero attinet.*] Cum dixerit non esse parem rationem de animali, atque de circulo, eo quod circulus sine ære possit existere, animal vero sine carnibus, & ossibus nequaquam: quibus verbis innuit figuras, & cætera mathematica, posse concipi ac definiri sine materia sensibili: (*par enim est ratio de quauis alia sensibili materia, atq; de ære*) videri alicui posset satis esse ad definitionem rerum mathematicarum, si ab eis materia sensibilis excludatur, ac proinde omnes partes, quæ non sunt materiæ sensibilis posse admitti ad definitiones eiusmodi rerum, & (*quod plane sequitur*) esse partes formales: quare cum semicirculi non sint partes materiæ sensibilis, nullam omnino esse causam cur admitti non debeant in definitione circuli, & partes formales illius censeri. Verum, quia hoc supra negatum est, merito quærit quid causæ sit, cur rationes huiusmodi partium, seu (*quod eodem redit*) partes ipsæ non ingrediantur rationem totius: verbi causa, cur semicirculi non ponantur in definitione circuli, vt supra dictum est, cum non sint partes materiæ sensibilis, sed absque qualitatibus sensibilibus intelligi possint.

c. 10 text. 33. Cur semicirculi non ponuntur in definitione circuli.

q *An nihil interest.*] Respondet propositæ dubitationi, dicens nihil referre, quod semicirculi non sint sensibiles, cum nihilominus habeant materiam (*designatam videlicet, & singularem*) quam quidem habent non solum indiuidua rerum naturalium, sed etiam quicquid aliud non est ipsa sola natura specifica sed hoc aliquid compositum ex natura specifica, & entitate alia superaddita, vt sit hoc aliquid sub specie sua, cuiusmodi sunt omnia indiuidua mathematica propter materiam intelligibilem, per quam sub eadem specie multiplicari possunt. Vt enim multiplicatio indiuiduorum naturalium sub eadem specie nascitur ex diuisione materiæ sensibilis, ita multiplicatio rerum mathematicarum oritur ex diuisione materiæ intelligibi-

Responsio.

ligibilis; proinde in solis rebus abstractis ab vtraque materia non datur multiplicatio indiuiduorum sub eadem specie ex sententia Aristotelis, vt sæpe dictum est. Cum ergo duo semicirculi concipi non possint sine materia intelligibili, vt particulari, (propter hanc enim distinguuntur sub specie semicirculi, efficitur, vt neque in in definitione circuli admitti possint, neque in partibus formalibus censeri debeant.

r *Est enim materia, &c.*] Adde, & vtraque est in causa, cur indiuidua, quæ ex illa constant habeant aliquid vltra naturam specificam, quod certe in materialibus rei partibus numerari debet, non in formalibus, & ad ipsam quiditatem specificam pertinentibus.

Etiam in anima dari distinctionē vniuersalis. & singul.

Eadem partes re ipsa sunt materiales, & formales.

s *Iam illud perspicuum est.*] Exemplo quodam colligit in summam, quæ fusius de partibus formalibus, & materialibus dixerat, atque hominem aut animal, vt est vniuersale quiddam (*sic enim definitur*) non esse animam solam, aut solum corpus, sed aliquid ex vtrisque constans; itemque ipsum hominem, aut animal esse Socratem, aut Coriscum, si anima sit duplex quiddam, hoc est, si in ea quoque datur distinctio vniuersalis, & singularis, vt re vera datur, loqui enim possumus vel de anima, vt anima est quod est loqui de anima vniuersaliter; vel de hac singulari anima, quæ iam totum est quiddam ex natura specifica animæ & differentia quadam particulari simul coniunctum. Quare cum anima, quæ vniuersalis dicitur, re ipsa sit hæc anima, & reliquæ singulares, corpusque etiam ipsum commune pari ratione sit hoc corpus, & cætera singularia corpora, efficitur, vt quemadmodum vniuersale constat materia, & forma, ita & singulare, quod sub eo continetur. Vnde sequitur easdem partes re ipsa esse materiales, & formales, licet alia, & alia ratione: formales quidem, vt rem vniuersalem constituunt: materiales, vt singularem: imo etiam materiam ipsam, vt est vniuersalis, censeri in formalibus, & formam, vt est singularis, numerari in materialibus, id quod non semel iam diximus. Alij aliter exponunt, sed, quantum arbitror, non admodum ad rem.

Δῆλον s δὲ καὶ ὅτι ἡ μὲν ψυχὴ οὐσία ἡ πρώτη, τὸ δὲ σῶμα ὕλη: ὁ δ᾽ ἄνθρωπος, ἢ τὸ ζῷον τὸ ἐξ ἀμφοῖν, ὡς καθόλου: Σωκράτης δὲ καὶ Κορίσκος, εἰ μὲν ἡ ψυχή, διττόν: οἱ μὲν γὰρ ὡς ψυχήν, οἱ δ᾽ ὡς τὸ σύνολον. εἰ δ᾽ ἁπλῶς ἡ ψυχὴ ἥδε, καὶ τὸ σῶμα τόδε, ὥσπερ τὸ καθόλου καὶ τὸ καθ᾽ ἕκαστον.

πότερον t δ᾽ ἐστὶ παρὰ τὴν ὕλην τῶν τοιούτων τις οὐσία ἄλλη, καὶ δεῖ ζητεῖν οὐσίαν αὐτῶν ἑτέραν τινά, οἷον ἀριθμοὺς ἤ τι τοιοῦτον, σκεπτέον ὕστερον. τούτου γὰρ χάριν καὶ περὶ τῶν αἰσθητῶν οὐσιῶν πειρώμεθα διορίζειν, ἐπεὶ τρόπον τινὰ τῆς φυσικῆς, καὶ δευτέρας φιλοσοφίας ἔργον ἡ περὶ τὰς αἰσθητὰς οὐσίας θεωρία. οὐ γὰρ μόνον περὶ τῆς ὕλης δεῖ γνωρίζειν τὸν φυσικόν, ἀλλὰ καὶ τῆς κατὰ τὸν λόγον, καὶ μᾶλλον. ἐπὶ δὲ τῶν ὁρισμῶν, πῶς μέρη τὰ ἐν τῷ λόγῳ, καὶ διὰ τί εἷς λόγος ὁ ὁρισμός (δῆλον γὰρ ὅτι τὸ πρᾶγμα ἕν, τὸ δὲ πρᾶγμα τίνι ἕν, μέρη γε ἔχον) σκεπτέον ὕστερον.

Iam s illud perspicuum est, animam substantiam esse primam, corpus materiam, hominē vero, aut animal esse id, quod ex vtrisque constat, vt vniuersale quiddam: aut certe Socratem, Coriscumve, si anima sit duplex quiddam: alii enim vt animam dicent, alii vt totum simul. Quod si anima simpliciter est hac anima, & corpus hoc corpus, tanquam id quod vniuersale est, & quod singulare.

Num autem præter materiam huiusmodi substantiarum sit alia quadam, & aliquam aliam substantiam quærere oporteat: vt numeros, aut aliquid eiusmodi, postea considerandum. Huius enim gratia & de sensibilibus substantiis statuere aliquid enitimur; modo enim quodam naturalis secundæq; Philosophia munus est sensibilium substantiarum contemplatio. Neq; enim de materia tantum, sed etiam atque adeo magis de ea, à qua ratio rei ducitur, cognitionem habere debet naturalis Philosophus. Quod vero ad definitiones attinet, quonam modo se habent partes, quæ in ratione continentur: & quam ob causam ipsa definitio vna sit ratio (perspicuum est enim vnum quidem esse rem ipsam eamq; quæ partes habet, aliquo vnum esse) postea discutiendum est.

Dictum

t *Num autem præter materiam.*] Docet, quid superstit agendum de substantiis. Primum ac præcipuum, & cuius causa de rebus naturalibus in hac scientia differitur, est, sit ne genus aliquod substantiarum materia expertium: qua de re lib. 12. & sequentibus agendum est. Alterum est, quonam modo substantia naturalis, cum ex partibus re ipsa distinctis constet, sit vna quiditas, & essentia per se, hoc est, quid sit in causa, cur vna sit & quam ob causam definitio sit vna ratio? Nam quod res ipsa vna sit, vel sensu ipso patet: res autem, quæ constat partibus re distinctis, per aliquid est vna, vt fascis per vinculum, & mensa per glutem, & ita cætera: vnde sequitur definitionum quoque rationem vnam esse debere. Id quod hoc libro quoad definitiones, sequenti autem quoad res expendet Aristoteles.

u *Modo*

u *Modo enim quodam.*] Non verti [*quodammodo enim*] ne quis putet docet Aristotelem hoc loco alienum esse à munere naturalis Philosophi agere de substantiis sensibilibus, nec id facere ex præcipuo instituto: crederet enim hoc pacto, nullam sciētiam ex præcipuo instituto agere de sensibilib. substantiis, cum proxime dixerit primam Philosophiam non agere de huiusmodi substantiis, nisi gratia materiæ expertium. Sensus ergo est, naturalem Philosophum agere modo quodam de sensibilibus substantiis id est, sub quadam consideratione, non sub omni. Neque enim agit de iis, quatenus substantiæ sunt, (*id enim est primi Philosophi*) sed quatenus materiales, siue sensibiles: quod tamen ipsum est ex præcipuo instituto de eis disserere. Quia vero aliquis fortasse crederet naturalem Philosophum de sola materia disputare, totamque formarum tractationem ad Metaphysicum pertinere: occurrit Aristoteles naturalem Philosophum non solum agere de forma, sed magis etiam, quam de materia. Ac merito quidem, quia & materia per formam cognoscitur, & rerum ipsarum naturalium definitiones ex varietate formarum ducuntur.

Physicū non sub omni consideratione agere de substantiis sensibilib.

Tex. 40.

Magis præcipue agere de formis, quā de materia.

τί x μὲν οὖν ἐστι τὸ τί ἦν εἶναι, καὶ πῶς αὐτὸ καθ' αὑτὸ, καθόλου περὶ παντὸς y εἴρηται: καὶ z διὰ τί τῶν μὲν ὁ λόγος ὁ τοῦ τί ἦν εἶναι, ἔχει τὰ μόρια τοῦ ὁριζομένου, τῶν δ' οὔ: καὶ ὅτι ἐν μὲν τῷ τῆς οὐσίας λόγῳ τὰ οὕτω μόρια, ὡς ἡ ὕλη, οὐκ ἐνέσται (οὐ γάρ ἐστιν ἐκείνης μόρια τῆς οὐσίας, ἀλλὰ τῆς συνόλου) ταύτης aa δὲ γ' ἐστί πως λόγος, καὶ οὐκ ἔστι: μετὰ μὲν γὰρ τῆς ὕλης, οὐκ ἔστιν (ἀόριστον γὰρ) κατὰ τὴν πρώτην δ' οὐσίαν ἐστὶν, οἷον, ἀνθρώπου ὁ τῆς bb ψυχῆς λόγος. ἡ γὰρ οὐσία ἐστὶ τὸ εἶδος τὸ ἐνὸν, ἐξ οὗ καὶ τῆς ὕλης ἡ σύνολος λέγεται οὐσία: οἷον ἡ cc κοιλότης, οὗ γὰρ ταύτης καὶ τῆς ῥινὸς, σιμὴ ῥὶς, καὶ ἡ σιμότης ἐστί: δὶς γὰρ dd ἐν τούτοις ὑπάρχει ἡ ῥίς. ἐν δὲ τῇ συνόλῳ οὐσίᾳ, οἷον σιμῇ, ἢ Καλλίᾳ, ἔνεστι καὶ ἡ ὕλη καὶ ee ὅτι τὸ τί ἦν εἶναι καὶ ἕκαστον, ἐπὶ τινῶν μὲν ταὐ-

Dictum est x hactenus vniuerse de quiditate quidnam sit, & quo pacto ipsa sit per se: & quam z ob causam ratio quiditatis quorundam partes habeat eius, quod definitur, quorundam vero non habeat: partesque eas, quæ vt materia sunt, in substantia ratione non inesse (neque enim illius substantiæ partes sunt, sed eius, quæ totum est quiddam) atque huius aa partim rationem esse, partim non esse: cum materia enim non est, quippe cum sit indefinitum quippiam: secundum vero primam substantiam est, vt hominis ipsa bb anima ratio. Ipsa enim substantia est forma, quæ inest, ex qua & materia tota substantia dicitur. Exemplo cc concauitas, ex hac enim & naso nasus simus & ipsa simitas constat: bis dd enim in hisce nasus inerit: in tota vero substantia, vt in naso simo, aut Callia, etiā materia inest. Dictū ee quoq; est quiditatem, & v-

x *Dictum est hactenus.*] Epilogus est eorum, quæ hactenus in hoc libro ab initio capitis quarti dicta sunt.

y *Quidnam sit, &c.*] Paulo post initium capitis quarti docuit Aristoteles, quod quid est, siue quiditatem cuiusque esse aliquid per se, hoc est, conflatum quippiam ex iis, quæ de re dicuntur per se, & non per accidens.

z *Et quam ob causam.*] Veluti, cur syllabæ definitio tradatur per partes syllabæ, definitio autem circuli non item per semicirculos. Cuius rei ratio ex proximis verbis reddi potest, quia, inquam, litera vocalis, & cōsonans in commune sunt partes formales syllabæ, semicirculi autem, cum non possint esse duo, nisi vt singulares, non sunt formales partes, sed materiales: dictum est enim partes communes esse formales, singulares autem materiales: atque illas adhiberi in definitionibus, has non adhiberi, quia non sunt partes substantiæ communis quatenus communis est, sed compositi singularis.

Hi non sunt duo, nisi vt singulares.

aa *Atq; huius partim.*] Dictum quoq; est rem eandem esse compositum singulare, & commune: vnde constat, compositum singulare partim definiri, partim non item: non definitur enim, vt singulare est, sed quatenus sine singularitate sumitur, seu (*quod eodem redit*) non definitur ratione materiæ, cui tribuitur indiuiduatio sub specie, (*est enim materia siue communis, siue singularis, indefinitum quippiam, & indeterminatum ad certam speciem rei naturalis*) sed ratione primæ substantię, hoc est, formæ communis: (quo etiam nomine eam paulo inferius appellat) quia ratio, & appellatio speciei à forma communi ducitur.

Cōpositū singulare partim definiri, partim non item.

Tex. 41.

bb *Ipsa anima ratio.*] Impropria locutio est. Ratio enim animæ non est ratio hominis: cum hominis substantia dicatur constare ex forma, & materia, vt ipse mox dicit, sed sensus est, rationē hominis ex ratione animæ duci. Nā & genus, & differentia hominis ex diuersis gradibus animæ simul cum materia acceptæ sumuntur, vt perspicuum est.

Ratio hominis ex animæ ratione ditatur.

cc *Exemplo est concauitas.*] Quod compositum singulare, non autē specificum, constet ex materia designata, ac singulari, ostendit, exēplo nasi simi, & simitatis, quæ cōr cipi nō possunt nisi vt singularia, cum sint entia per accidens, itaque, vt totum hoc, nasus simus, constat ex conca-

Yy uitate

Ad c. 5. tex. 18

Sola cōposita singularia cōstare ex materia signata.

uitate, (*quæ & in naso est, nihil aliud est, quam simitas, vt supra diximus*) & ex naso singulari, (*nec enim accidentia per accidens insunt speciebus, nisi ratione singularium subiectorum: quod idem dici potest de simitate, si ponatur ad vtrumque formaliter significandum*) sic quodammodo Callias, & aliæ substantiæ naturales, quæ sub speciebus continentur, constant natura specifica, & materia singulari, ac designata.

Ad finē capi.

dd *Bis enim in hisce.*] Alexander putat Aristotelem his verbis reddere rationem, cur singularia materialia non definiantur: quia, si definirentur, bis materia in eorum definitione poneretur: quod quo pacto efficiatur, si nihil aliud subaudiatur, non video, si ea attendere oporteat, quæ cap. 5. in definitionibus accidentium obseruanda esse diximus. D. Thom. ait Aristotelem probare nasum non esse partem concauitatis, quia si pars esset, bis diceretur nasus cum dicitur nasus concauus, sed (*quod supra idem esse diximus*) nasus simus. Iuxta quam sententiam, quæ vera est, subaudiendum est immediate ante proposita verba [*non autem ipsius concauitatis*] vt deinde sequatur [*bis enim, &c*] hoc est, si enim cōcauitas nasi, aut simitas cōstaret ex naso, certe in simitate definienda bis poneretur nasus, (*sumpta tamen simitate, ac si & naso, & concauitati formaliter significandis imposita esset, vt diximus*) nempe semel ratione concauitatis, & iterum ratione sui. Ex quo exemplo ad rem propositam accommodato colligi potest, si quis poneret materiam designatam in definitione speciei, fore, vt in definitione indiuidui bis poneretur materia designata, semel ratione speciei, in qua formaliter includeretur, & iterum ratione indiuidui, cū illi cōueniat, quatenus ab aliis indiuiduis eiusdem speciei distinguitur. Atque hac ratione diximus in superiore annotatione, Aristotelem ostendere exemplo, compositum singulare, nō autem specificum constare ex materia designata, & singulari.

Materiā designatā non poni in definitione speciei.

ταὐτὸ, ὥσπερ ἐπὶ τῶν πρώτων οὐσιῶν· οἷον, καμπυλότης καὶ καμπυλότητι εἶναι, εἰ πρώτη ἐστί. λέγω δὲ πρώτην, ἣ μὴ λέγεται τὸ ἄλλο ἐν ἄλλῳ εἶναι, καὶ ὑποκειμένῳ ὡς ὕλη. ὅσα δὲ ὡς ὕλη, ἢ ὡς συνειλημμένα τῇ ὕλῃ, οὐ ταὐτὸ οὐ μὴ κατὰ συμβεβηκὸς ἕν οἷον ὁ Σωκράτης καὶ τὸ μουσικόν. ταῦτα γὰρ ταὐτὰ κατὰ συμβεβηκός.

& vnum quodque, idem in quibusdam esse, veluti in substantiis primis vt curuitatem, & curuitatis esse, si prima sit. Eam vero dico primam, quæ non ex eo dicitur, quod aliud in alio sit, & in subiecto vt materia. In iis autem omnibus, quæ vt materia sunt, aut simul cum materia sumuntur, non idem esse, nisi per accidens vnum: quo pacto se habet Socrates & musicum: sunt enim eadem per accidens.

An quib. idē omnino sit res, & quiditas ipsius: in quib. nō itē.

ee *Dictum quoque est.*] Hæc tradita sunt cap. 6. tametsi hoc loco planius exponitur, quibus in rebus idem omnino sit res, & quiditas eius, & in quibus non item. In priori genere ponit Aristoteles omnia prima, id est omnes substantias separatas, & omnia vniuersalia, quæ ideo dicuntur prima, quia sunt ordine generationis priora omnibus suis particularibus. Hæc enim omnia talia sunt, vt non includant in suis rationibus particulare subiectum materiamve designatam; quo pacto se habet curuitas, & curuitatis quiditas, si curuitas secundum speciem sumatur. In posteriori autem genere intelligit omnia, quæ vel sumuntur vt existentia in materia designata, subiectove particulari, cuiusmodi sunt formæ omnes singulares, quæ subiectū informant, siue substantiæ sint, siue accidentia: vel simul cum materia designata tanquam parte sua concipiuntur: cuiusmodi sunt non tantum res omnes naturales singulares, sed etiam omnia composita per accidens, vt homo albus, & similia. Hæc enim non sunt vnum, & idem cum suis quiditatibus nisi vnitate & identitate quadam per accidens hoc est, non per se primo; quo pacto se habent Socrates, & Musicum. Exposui autem [*Non per se primo*] quia singularia, quæ existunt in materia, aut ex illa constant, non sunt idem per accidens cum suis qualitatibus vniuersalibus, vt forma Socratis cum quiditate formæ hominis, & Socrates ipse cum quiditate hominis; nisi quo pacto esse idem per accidens sumitur pro non esse idem per se primo, vt sæpe c. 6. vsurpatum est. Quo fit, vt exemplo Socratis, & musici, quod hic affertur, ea ex parte vtatur Aristoteles ad explicandam identitatem singularium cum quiditatibus suorum vniuersalium, quatenus Socrates, & Musicum non sunt idem per se primo: nō autem quoad omnem modum identitatis, quam inter se habent.

Materia nomine sumptum pro re materiali.

Aduerte autem hoc loco materiā in hac vltima parte cōtextus accipi pro re materiali singulari siue illa materialis dicatur, quia consideratur vt est in materia singulari: siue quia spectatur, vt ex illa constat. Vnde nil mirum est, si materiæ nomen hoc loco & græce & latine in nominandi casu sumatur: Sic enim & materialis forma dicitur materia, hoc est, materialis: & compositum etiam eadem significatione materia appellatur.

CAP.

ΚΕΦ. ιβ.

Νῦν a δὲ λέγωμεν πρῶτον, ἐφ' ὅσον ἐν τοῖς ἀναλυτικοῖς περὶ ὁρισμοῦ μὴ εἴρηται. ἡ γὰρ ἐν ἐκείνοις ἀπορία λεχθεῖσα, πρὸ ἔργου τοῖς περὶ τῆς οὐσίας ἐστὶ λόγοις. λέγω δὲ ταύτην τὴν ἀπορίαν, διὰ τί ποτε ἕν ἐστιν οὗ τὸν λόγον ὁρισμὸν εἶναί φαμεν, οἷον, ὁ τοῦ ἀνθρώπου τὸ ζῷον δίπουν: ἔστω γὰρ οὗτος αὐτοῦ λόγος. διὰ τί δὴ τοῦτο ἕν ἐστιν, ἀλλ' οὐ πολλά, ζῷον καὶ δίπουν: ἐπὶ μὲν γὰρ τοῦ b ἄνθρωπος καὶ λευκόν, πολλὰ μέν ἐστιν, ὅταν μὴ ὑπάρχῃ θατέρῳ θάτερον: ἓν δέ, ὅταν ὑπάρχῃ, καὶ πάθῃ τι τὸ ὑποκείμενον ὁ ἄνθρωπος: τότε γὰρ ἓν γίνεται, καὶ ἔστιν ὁ λευκὸς ἄνθρωπος. ἐνταῦθα c δ' οὐ μετέχει θατέρου θάτερον. τὸ γὰρ γένος, οὐ δοκεῖ μετέχειν τῶν διαφορῶν: ἅμα γὰρ ἂν τῶν ἐναντίων τὸ αὐτὸ μετεῖχεν: αἱ γὰρ διαφοραὶ ἐναντίαι, αἷς d διαφέρει τὸ γένος. εἰ δὲ e καὶ μετέχει, ὁ αὐτὸς λόγος, εἴπερ εἰσὶν αἱ διαφοραὶ πλείους, οἷον, πεζόν, δίπουν, ἄπτερον. διὰ τί γὰρ ταῦτα ἕν, ἀλλ' οὐ πολλά; οὐ γὰρ ὅτι ἐνυπάρχει: οὕτω μὲν γὰρ ἐξ ἁπάντων ἔσται ἕν. δεῖ f δέ γε ἓν εἶναι ὅσα ἐν τῷ ὁρισμῷ: ὁ γὰρ ὁρισμὸς λόγος τίς ἐστιν εἷς, καὶ οὐσίας: ὥς τε ἑνός τινος δεῖ αὐτὸν εἶναι λόγον. καὶ γὰρ ἡ οὐσία ἕν τι, καὶ τόδε τι σημαίνει, ὥς φαμεν.

Αν

CAPVT XII.

NVNC a autem id primum dicamus, quod in Analyticis de definitione non diximus. Dubitatio enim, quæ eo loco posita est, tractationi de substantia nõ parum conferet. Est autem huiusmodi dubitatio, qua tandem de causa id, quod definitur, vnum sit, cuius rationem definitionem esse dicimus: vt hominis, Animal bipes? Esto enim hæc illius ratio. Cur igitur hoc non multa est, sed vnum animal, inquam, & bipes? Homo b enim & album multa quidem sunt, cum alterum alteri non inest: cum autem inest, & subiectum, quod est homo, albedinem accipit, vnum sunt: tunc enim vnum fit, atque est homo albus. Hic c autem alterum non est alterius particeps. Neque enim genus particeps videtur esse differentiarum: idem enim simul contrariorum esset particeps: quippe cum differentiæ, quibus d genus differt, contrariæ sint. Quod si e particeps est eadem erit ratio, si differentiæ plures sint: vt gressibile, bipes, alarum expers. Cur enim hæc vnum, non plura sunt? nec enim ea de causa vnum erunt quia insunt: hoc enim pacto ex omnib. vnum existet. At f oportet vnum esse ea omnia, quæ in definitione sunt: quandoquidem definitio ratio quædam vna atq; substantiæ est, quare necesse est vt ipsa vnius cuiusdam sit ratio: etenim substantia vnum quid, & hoc aliquid, vt censemus significat.

CAPITIS DVODECIMI EXPLANATIO.

NVNC a *autem id*] Explicata ea quæstione, constet ne quiditas, quæ definitione declaratur, partibus definiti, & eiusmodi partibus? quam Aristoteles duobus superioribus capitibus tractauit: rationi consentaneum fuit, vt proxime explicaretur ea, quæ secundo posterioris resolutionis libro proposita fuit, sed minime soluta, nempe, Qua de causa id, quod definitur, hoc est, quiditas, quæ definitioni respondet, vnum sit, & non potius multa, veluti animal rationale: Cohæret enim quæstio hæc cum superiori, quia, cum non semper ex multis fiat aliquid vere vnũ, vt patet in aceruo lapidum, oportet reddere rationem, cur ex genere & differentia, ex quibus rei quiditas constat, aut etiam ex pluribus differentiis, quę sæpe in eadem specie cernuntur, aliquid vere vnum efficiatur. Hanc igitur quæstionem expedit Aristoteles hoc capite propositis primum, vt moris est, argumentis pro vtraque parte. *Tex. 24. cap. 6.* *Cur quiditatis quæ definitioni respondet, est quid vnum.*

b *Homo enim.*] Suadet fieri non posse, vt ex partibus definitioni respondentibus vnum fiat: primumque non posse fieri vnum ex genere, & differentia: si enim fieret, aut genus participaret differentiam aut differentia genus: ex subiecto enim, & qualitate non fit vnum, nisi cum subiectum participat qualitatem, vt homo albedinem: alioqui homo, & album non vnum sunt, sed multa. Cum ergo genus non participet differentiam participaret enim simul contrariis, idque simpliciter & absolute cum à contrariis differentiis simpliciter denominetur, vt animal à rationis participe, & rationis experte, ac gressibili, & reptili, neque item differentia illius, & materia, vt perspicuum est efficitur, vt ex genere, & differentia non possit vnum aliquid fieri. *Non videri posse fieri vnũ ex genere, & differẽtia.* *Nec item ex plurib. differẽtiis.*

c *Hic autem.*] In materia, de qua agitur, vtpote in genere, & differentia.

d *Quibus genus differt.*] Quibus in differentia diuiditur.

e *Quod si particeps est.*] Suadet non posse fieri vnum ex pluribus differentiis, etiamsi ratione aliqua cõcedatur genus esse particeps differentiarũ quib. diuiditur veluti quatenus est ad hãc & illam speciẽ contractum. Ratio vero est, quia si differẽtiæ omnes, quæ in eadẽ specie requirũtur, vnum esset: non alia ratione id concedi posset, nisi quia vni insunt, nempe vni generi quo pacto gressibile, bipes, & alarũ expers, q̃ de homine dicũtur, insunt animali: q̃ tamẽ ratio nulla est: hoc n. pacto omnia vnũ essent. Nã si formę, quia sunt in eodẽ subiecto, vnum sunt: pari ratione

subiecta, quæ ab eadem forma continentur, vnum erunt: quare cum disparatæ admodum formæ cernantur in eodem subiecto, vt quantitas, qualitas, & relatio in eodẽ homine, & vicissim diuersa admodum subiecta subsint eidem formæ, vt homo, & lapis albedini; nullæ res erunt adeo diuersæ, vt vnum dici non possint.

Δεῖ g δ' ἐπισκοπεῖν πρῶτον περὶ τῶν κατὰ τὰς διαιρέσεις ὁρισμῶν. οὐδὲν γὰρ ἕτερόν ἐστιν ἐν τῷ ὁρισμῷ, πλὴν τό, τε πρῶτον λεγόμενον γένος, καὶ αἱ διαφοραί: τὰ δ' ἄλλα γένη ἐστὶ, τό, τε πρῶτον, καὶ μετὰ τούτου αἱ συλλαμβανόμεναι διαφοραί: οἷον τὸ πρῶτον, ζῷον: τὸ δὲ ἐχόμενον, ζῷον δίπουν, καὶ πάλιν ζῷον δίπουν, ἄπτερον. ὁμοίως δὲ κἂν διὰ πλειόνων λέγηται. ὅλως δ' h οὐδὲν δια-

Oportet g autem primum de definitionibus, quæ per diuisiones conficiuntur, considerationem habere. Nihil enim est aliud in definitione, nisi genus, quod primum dicitur, & differentia: quandoquidem cœtera genera sunt primum illud, & differentia cum eo simul collecta. Exempli causa, animal est primum, quod proxime sequitur animal bipes: rursus deinde animal bipes alterum expers. Eadem autem est ratio, si per plura dicatur. Atque h omnino nihil refert, per mul-

Necessario ea, quæ partibus definitionis respõdent, vnum esse.

f *At oportet vnum esse.*] Suadet alteram Quæstionis partem, vtpote necesse esse, vt omnia, quę in definitione sunt, seu potius omnia quæ partibus definitionis respondent, vnum sint. Id quod probat ex vnitate tum definitionis, tum etiam quiditatis, quæ definitione explicatur. Nam cum definitio sit vna quædam ratio, & substantia, hoc est, vna quædam substantialis, siue essentialis ratio, (*neque enim descriptiones accidentales definitionis nomine proprie comprehenduntur*) & ipsa etiam substantia rei, quæ definitur, sit vnum quid, & hoc aliquid, quasi dicat, & non concursus aliquis multarum rerum, veluti atomorum temere coeuntium, vt quidam crediderunt; sed aliquid certæ cuiusdam naturæ, vt ipse censet: necesse est, vt ipsa definitio sit ratio vnius cuiusdam, hoc est, suis illis distinctis partibus ex quibus constat, significet ea, quæ vnum quid efficiant.

Quare hic nõ quærentur definitiones, quæ fiunt per materiam, & formam.

g *Oportet autem primum.*] Propositis pro vtraq; parte rationibus, duo tradit Aristoteles. Alterum est, cur ex genere, & differentia vnum fiat, seu potius constet: alterum cur ex plurib. differentiis primo generi adiunctis. Nec de aliis partibus quiditatis loquitur Aristoteles, quia definitiones essentiales per has solas directo, ac proprie traduntur. Quamquam enim in definiendis rebus naturalibus sæpe fiat mentio materiæ, & formæ, nunquam tamen hæc de definito prædicantur; sed posito genere rei, quæ definitur, solet differentia indicari per materiam in obliquo positam, aut per formam, aut per vtrumque, vt lib. 5. Dialecticarum institutionum diximus. Proinde Aristoteles merito hic ait, nihil aliud in definitionibus contineri: (*quod nimirum de re, quæ definitur, affirmetur*) quam genus quod primum de re prædicatur: & differentias, quæ illud diuidunt, & de re, quæ definitur dicuntur: quandoquidem inferiora genera, si qua sunt inter primum, & speciem, quæ definitur, constant ex primo genere, & omnibus differentiis interiectis simul illi adiunctis. Quod igitur ait, oportere definitiones, quæ per diuisiones conficiuntur, considerare, hunc sensum habet, oportere diligenter attendere, recte ne: an perperam huiusmodi definitiones fiant: sunt enim & aliæ, quæ fiunt per collectionem similitudinis multorum inferiorum, de quib. in 2. posteriorum, & 1. Topic. libris agit, quæ tamen imperfectæ sunt, nec nisi inuentionis via sunt in vsu. Quid autem Aristoteles requirat in hoc definitionum genere: huiusmodi est. Non esse genera diuidenda per differentias per accidens, vt ex iis definitiones colligantur: sed per differentias per se: nisi quis penuria differentiarum per se cogatur vti differentiis per accidens: id quod paulo post docebit. Cur autem initio huius particulæ contextus sit vsus verbo Primum, ad calcem capitis dicetur.

c. 5.

Varii modi cõficiendi definitiones.

Tex. 43.

cap. 14.

cap. vltimo.

h *Atq; omnino nihil.*] Nihil referre ait, per plures ne, an pauciores differentias definitio tradatur: quia fieri potest, vt in definitione vel ponatur primum genus, hoc est, remotissimum, vel proximũ: si ponatur primum, oportebit adiungere omnes medias differentias: si vero proximum, satis erit vltimam adiungere, quia cœteræ omnes in proximo genere continentur.

Ratio cur ex genere & proxima differẽtia fiat vnũ.

i *Si igitur genus.*] Reddit rationem, cur ex genere, & vna differentia, quæ tamen illi proxima, & immediata sit, fiat vnum quid, redditurus statim causam, cur etiam vnũ fiat ex genere, & plurib. differentiis. Rationem igitur, cur ex genere, & proxima differentia vnũ fiat, hanc esse ait, quia genus simpliciter, hoc est vniuerse, (*vt de omnibus generib. sit sermo*) vel non aliud ab iis, quæ sunt velut species illius, hoc est, à differentiis, quib. per se, ac primo diuiditur: aut certe, si est aliud, ita se habet ad quãlibet earum, vt materia sese habet ad verã, ac substantialem formam. Vtrausis autẽ disiunctionis pars satis est ad propositũ ostendendũ, si recte intelligatur. Nam si genus nõ est aliud à differentia, sed vtrumq; dicit vnã, & eandem naturam, entitatemve, vt ens per se subsistens,

stens, accidens & per se extensum, (quod idem videre licet in analogis respectu differentiarum, siue modorum essendi, quibus ad analogata contrahuntur, vt ex 4. lib. patet) ideo dicendum est, genus, & differentiam constituere vnum quid, quia conceptui generis, & differentiæ non respondent in re duæ entitates, sed vna tantum, atque eadem; quod idem de analogis diximus. Quo pacto intelligendus est Aristoteles 3. Physicorum lib. cum ait, motum non esse quicquam præter res, siue formas, quæ per motum acquiruntur; significat enim esse vnam, & eandem entitatem, non autem aliam & aliam. Hæc tamen disiunctionis pars non placet Aristoteli: neq; enim putat, genus, & differentiam esse vnam tantum, & eandem entitatem, quemadmodum sunt motus, & forma, quæ per motum acquiritur, itemque analogum, & differentiæ, siue modi essendi anologatorum, in quæ diuiditur. Si vero genus est aliud à differentia, ita nimirum vt alia entitas respondeat conceptui generis, alia conceptui differentiæ; (*quæ re vera est Aristotelis sententia*) cum entias generis sit indeterminata ad quamlibet speciem, entitas vero differentiæ determinata ac determinans illud ad vnam tantum; habebunt se genus, & differentia in specie eo modo, quo se habent materia, & forma in composito naturali: atque hæc erit ratio, cur ex genere, & differentia fiat, seu constet aliquid vere vnum. Ratio enim cur ex materia, & forma vnum fiat, nulla est alia, quam quia materia est materia, forma vero est forma; siquidem materia, & forma ex se ipsis habent aptitudinem, vt vniantur, & in vnam naturam coeant, vt patebit libro sequenti. Aduerte tamen, etsi genus, & differentia ea parte sunt similia materiæ, & formæ, qua genus est vt potentia, differentia vt actus, non esse tamen similia, quatenus genus est idem re cum differentia: vna enim atque eadem res est vox, atque differentia vocis, quæ illam contrahit ad literam, siue elementum vocale, & ad reliquas species vocis, vt patet, cum sit vna tantum, atque eadem qualitas, vt perspicuum est. Ex his solui potest argumentum in oppositam partem initio propositum. Dicendum est enim, quemadmodum materia secundum se non participat vllam formam, sed quatenus est pars compositi naturalis, ita genus secundum se nō participare vllam earum differentiarum, per quas diuiditur, sed quatenus iam ad certam speciem contractum est. Vnde quemadmodum non est incommodum concedere materiam, quatenus successiue est in diuersis compositis, participare oppositas formas: ita nec genus, quatenus simul est in diuersis specieb participare, & quasi informari oppositis differentiis. Est tamen difficultas non mediocris, cur natura generis, cum sit actualis, & completa, constituat vnum per se tum differentia. Nam ratio, ob quam materia cum forma vnum per se efficit, non est, quia est quomodocumq; in potentia ad formam, sed quia est pura potentia expectans omnem actualitatem entitatiuam à forma substantiali, quæ est prima forma, alioqui nulla esset ratio, cur ex substantia completa, quæ est in potentia ad quantitatem, aut qualitatem, & ex ipsa quantitate, aut qualitate non fieret vnum per se. Verum de hac difficultate, quia non potest paucis expediri, inferius agendum est.

cap. 2. q. 3.

c. 1. tex. 4.

Quem sensum habeat, Motum non esse quidquā præter res.

Solutio argumenti partis opposita.

διαφέρει διὰ πολλῶν, ἢ δι' ὀλίγων λέγεσθαι: οὐδὲν δὲ δι' ὀλίγων, ἢ διὰ δυοῖν: τοῖν δυοῖν δὲ, τὸ μὲν διαφορὰ, τὸ δὲ γένος: οἷον τοῦ ζῷον δίπουν, τὸ μὲν ζῷον, γένος, διαφορὰ δὲ, θάτερον. εἰ οὖν τὸ γένος ἁπλῶς μὴ ἔστι παρὰ τὰ ὡς γένους εἴδη: ἢ εἰ ἔστι μὲν, ὡς ὕλη δ' ἐστὶν (ἡ μὲν γὰρ φωνὴ, γένος καὶ ὕλη: αἱ δὲ διαφοραὶ, τὰ εἴδη καὶ τὰ στοιχεῖα ἐκ ταύτης ποιοῦσιν) φανερὸν ὅτι ὁρισμός ἐστιν, ὁ ἐκ διαφορῶν λόγος.

ἀλλὰ:

multa ne dicatur, an per pauca: certe non per pauciora, quam duo; duorum autem alterum differentia est, alterum genus: veluti cum dicimus, Animal bipes, animal quidem genus est, alterum vero differentia. Si igitur genus simpliciter non est, præter ea, quæ vt generis species sunt: aut si est quidem, est tamen vt materia: (vox enim genus & materia est: differentia autem conficiunt ex hac species, & elementa) perspicuum est definitionem rationem ex differentiis esse.

At

[*Perspicuum est definitionem*] Quasi dicat, perspicuum est definitionem (*vniuerse scilicet; seu pro omnibus definitionib. acceptam*) esse rationem vnam ratione differentiarum, quæ generibus adiunguntur. Vnitas enim compositi etsi ex materia, & forma sumitur, magis tamen ex forma, quam ex materia nascitur, cum materia multa composita sit indifferens.

m *At vero differentia.*] Docet iam, quid in causa sit, cur ex pluribus differentiis generi adiunctis vnum quid fiat, sæpe enim necesse est, vt differentia generis propositi diuidatur in alias differentias, & forsitan ex illis ea, quæ rei definitæ conuenit, in alias item differentias, donec ad speciem, quæ definitur, perueniatur: id quod semper faciendum est per differentias per se, non per accidens, vt paulo superius diximus. Quod si species infinitæ definiendæ erunt,

Definitionē esse vnam ratione differentiarum.

Ratio cur ex pluribus differentiis adiunctis generi vnum fiat.

ἀλλὰ m μὴν, καὶ δεῖ γε διαιρεῖσθαι τὴν τῆς διαφορᾶς διαφοράν: οἷον ζώου διαφορὰ τὸ ὑπόπουν: πάλιν τοῦ ζώου τοῦ ὑπόποδος τὴν διαφορὰν δεῖ εἰδέναι, ᾗ ὑπόπουν. ὥστ' οὐ λεκτέον τοῦ ὑπόποδος, τὸ μὲν πτερωτὸν, τὸ δὲ ἄπτερον ἐὰν περ λέγηται καλῶς (ἀλλὰ διὰ τὸ ἀδυνατεῖν ποιήσει τοῦτο) ἀλλ' ἢ τὸ μὲν σχιζόπουν, τὸ n δ' ἄσχιστον: αὗται γὰρ διαφοραὶ ποδός. ἡ γὰρ σχιζοποδία, ποδότης τίς ἐστιν. καὶ οὕτως ἀεὶ βούλεται βαδίζειν, ἕως ἂν ἔλθῃ εἰς τὰ ἀδιάφορα. τότε δ' ἔσονται τοσαῦτα εἴδη ποδὸς, ὅσαιπερ αἱ διαφοραὶ, καὶ τὰ ὑπόποδα ζῶα ἴσα ταῖς διαφοραῖς.

εἰ δὴ ταῦτα οὕτως ἔχει, φανερὸν ὅτι ἡ τελευταία διαφορὰ ἡ οὐσία τοῦ πράγματος ἔσται, καὶ ὁ ὁρισμός: εἴπερ o μὴ δεῖ πολλάκις ταῦτα λέγειν ἐν τοῖς ὅροις

At vero m differentia per differentiam oportet diuidatur. Verbi causa, animalis differentia est pedes habere: rursus scire oportet, quæ sit animalis pedes habentis, qua ratione pedes habet, differentia. Itaque non dicendum est, pedes habentis aliud alatum, aliud alarum expers, si recte dicere dicere quis velit (tametsi ita faciet, si recte diuidere non valeat) sed aliud fissipes esse, aliud non n fissipes, siquidem hæ sunt pedis differentiæ: pedis enim fissio quædam pedit as est. Atque hoc pacto semper progrediendum præcipitur, donec ad ea, quæ differentia carent, perueniatur: tunc autem tot erunt pedis species, animaliaq; pedes habentia, quot erunt pedis differentiæ.

Si hæc igitur ita se habent, perspicuum est vltimam differentiam substantiam rei ac definitionem fore; si o non oportet eadem sæpius in definitionibus dicere; est enim superuacaneum. Quod

oportebit progredi diuidendo vsq; eo, dum veniatur ad differentias, quæ in alias specificas non diuidantur. Nam de indiuiduantibus cum sint infinitæ, & singulares, non est curandum, iuxta præcepta Aristotelis, & Platonis, qui singularia, & infinita relinquenda esse monent in disciplinis. Repertis autem differentiis, quæ in alias specificas non diuidantur, quas Aristoteles vocat differentias carentes differentia, tot erunt species generis vltimi, (*quod scilicet constitutum erit per differentiam, quæ vltimo loco diuidetur*) quot erunt differentiæ, quæ ex diuisione illa vltima resultabunt; & pari ratione tot omnino species infimæ, quot differentiæ resultabunt ex omnibus vltimis diuisionibus. Si ergo contextum ad veritatem rei magis, quam ad mentem Aristotelis interpretari velimus; cum differentia, quæ hoc pacto vltimo loco sumetur, siue ad definiendam speciem infimam, siue subalternam, sit substantia, & definitio illius speciei, hoc est, illam claudat, & absoluat, quasi forma, & perfectio illius intima, & essentialis; perspicuum est causam ob quam ex multis differentiis generi adiunctis vnum quid efficiat, hanc esse, quia vltima differentia se habet vt forma, cæteræ autem cum primo genere se habent, vt materia: constituunt enim cæteræ cum primo genere genus proximum speciei, quæ definitur, genus autem omne respectu differentiæ, qua proxime diuiditur, se habet velut materia respectu formæ, vt paulo ante est dictum. Hinc patet solutio alterius argumenti, quo initio suadebatur, non posse fieri vnũ quid ex pluribus differentiis. Neque enim ratio, cur vnum fiat ex omnibus, est ea, quæ asserebatur, nempe quia vni generi accidant, sed quia omnes, præter vltimam, simul acceptæ cum primo genere, cui accidunt, sunt veluti materia respectu vltimæ; quod quidem non euenit in pluribus formis accidentalibus existentibus in eodem subiecto, nec in pluribus subiectis, quæ subsunt eidem formæ, cum ibi non sit verum, quod cætera, præter vltimum, simul accepta sint aliquid vnum per se, & quasi materia illius. Neq; ibi datur ordo essentialis, vt aut compositio per se, aut vltimum aliquid dari possit.

Solutio argumenti partis.

n *Non fissipes.*] Sub hac negatione intelligitur solidipes, vt sit etiam quædam, vt sic dicam, peditas, hoc est, positiua differentia pedis, quatenus pes est.

o *Si non oportet*] Probat Aristoteles, vltimam differentiam esse substantiam rei, & definitionum illius. Et, quantum licet ex ipsa probatione colligere, conclusio probanda hunc sensum habet; vltimam differentiam continere formaliter totum reliquum substantiæ, siue essentiæ rei, præter primum genus; eamque solam esse primo generi adiungendam in definitione. Contendit enim Aristoteles ostendere, nisi sola vltima differentia primo generi adiungatur, fore, vt toties idem repetatur in definitione, quot sunt cæteræ differentiæ, eo quod superiores in inferioribus cõtineantur, vt habens pedes in bipede. Et quanquam hoc incommodum non admodum perspicue videatur accidere, cum superiores præponuntur inferioribus, vt si dicas hominem esse animal, pedes habens, bipes; semper tamen re vera accidere, vt patet, si differentiæ omnes explicentur. Dicere enim, Animal pedes habens bipes nihil est aliud, quam dicere animal pedes habens, duos pedes habens: vbi iam planius cernitur nugatoria repetitio habentis pedes. Additque multo etiam planius cerni vitium inanis repetitionis, cum inferiores præponuntur superioribus, vt si dicas, Animal bipes, pedes habens. Dicto enim bipede, plane redundat illud, Pedes

Vltimam differentiã duntaxat in definitione primo generi adiungendam, ne nugatoria fiat repetitio.

Pedes habens, eo quod pedes habens formaliter in bipede includatur, vt patet ex proposita explicatione bipedis; nihilque omnino iam necesse est addere, Pedes habens: cum tamen si inuerso ordine dicatur, Pedes habens bipes, dicere quis possit, verbum [*Bipes*] adhiberi, vt determinet illud pedes habens, ad certam videlicet speciem habẽtis pedes, quo pacto per appositionem dicere possumus, Socratem esse animal hominem, quasi dicamus esse animal, quod est homo, nõ tamen esse hominem animal, quasi hominem, qui est animal, cum omnis homo sit animal, non omne animal homo. Quia tamẽ aliquis fortasse obiiceret, nõ esse pro arbitratu interuertendũ ordinem partium definitionis, eo quod in essentia rei detur ordo prioris, & posterioris, qui necessario in ipsa etiam definitione seruandus sit, si recte definire quis velit; proinde nunquam licere præponere inferiores differentias superioribus: occurrit Aristoteles in substantia, siue essentia rei, non esse ordinem, vt entitas nimirum generis sit prior, aut posterior entitate differentiarum, aut entitas vnius differentiæ entitate alterius differentiæ, atque adeo incommodũ illud nugatoriæ repetitionis non nasci ex eo, quod inferior differentia præponatur superiori; sed ex eo, quod inferiores includant formaliter superiores. Iuxta quam sententiam (*quæ ex contextu plane & sine vlla vi deducitur*) ratio, ob quam plures differentiæ efficiunt vnum cum primo genere, hæc erit, quia omnes æquiualent vni tantum, nempe vltimæ: vna autem differentia cum genere, quod immediate diuidit, ideo efficit vnum, quia se habet ad illud, vt forma ad materiam. Et consequenter huncin modum dissolui posset argumentum, quod paulo ante solutũ est; plures differentias eiusdem generis non ideo esse vnum, aut efficere vnum, quia vni generi insunt, vt obiiciebatur: sed quia idem valent, quod vna. Hanc tamen sententiam non amplectitur Aristoteles absolute, sed dum melior alia non occurrit: & ideo ait [*Hac primum dixisse, sit satis*] vtpote alibi dicturus quid tandem hac dere sentiat. Id enim significant Græca verba: nam illud, τὴν πρώτην, quod [*primum*] vertimus, eleganter more Attico idem valet, quod τὴν πρώτην ὄψιν, hoc est prima consideratione, aut primo aspectu, aut quid simile. Mitto hic, quam tamen vim afferant contextui plerique interpretes, & in quæ incommoda incurrant, vt Aristotelem toto hoc capite iuxta veram, & alibi explicatam sententiam exponant. Vbinam autem ille, quid re vera sentiat, aperuerit, & quænam vitia in hac extrema contextus parte inueniantur, inferius dicendum erit.

In essentia rei non esse ordinem prioris, & posterioris.

Quæ sit ratio iuxta hãc doctrinam, cur ex pluribus differentiis vnum fiat.

Aristotelem non amplexũ fuisse hanc sententiam.

ρεις: περίεργον γάρ. συμβαίνει δέ γε τοῦτο. ὅταν γὰρ εἴπῃ ζῷον ὑπόπουν δίπουν, οὐδὲν ἄλλο εἴρηκεν ἢ ζῷον πόδας ἔχον, δύο πόδας ἔχον. κἂν τοῦτο διαιρῇ τῇ οἰκείᾳ διαιρέσει, πλεονάκις ἐρεῖ, καὶ ἰσάκις ταῖς διαφοραῖς. ἐὰν μὲν δὴ διαφορᾶς: p διαφορὰ γίγνηται, μία ἔσται ἡ τελευταία τὸ εἶδος καὶ ἡ οὐσία. ἐὰν δὲ κατὰ συμβεβηκός, οἷον εἰ διαιροίη, τοῦ ὑπόποδος τὸ μὲν λευκὸν, τὸ δὲ μέλαν, τοσαῦται q ὅσαι ἂν αἱ τομαὶ ὦσιν. ὥστε φανερὸν ὅτι ὁ ὁρισμὸς λόγος ἐστὶν ὁ ἐκ τῶν διαφορῶν, καὶ τούτων τῆς τελευταίας κατά γε τὸ ὀρθόν. δῆλον δ' ἂν εἴη, εἴ τις μετατάξειε τοὺς τοιούτους ὁρισμοὺς, οἷον τὸν τοῦ ἀνθρώπου, λέγων ζῷον δίπουν, ὑπόπουν: περίεργον γὰρ τὸ ὑπόπουν, εἰρημένου τοῦ δίποδος: τάξις δὲ οὐκ ἔστιν ἐν τῇ οὐσίᾳ: πῶς γὰρ δεῖ νοῆσαι τὸ μὲν ὕστερον, τὸ δὲ πρότερον; περὶ μὲν οὖν τῶν κατὰ τὰς διαιρέσεις ὁρισμῶν, τοσαῦτα εἰρήσθω τὴν πρώτην, ποῖοί τινές εἰσι.

Quod sane in hunc modum accidit. Si quis enim dicat animal pedes habens bipes, nihil aliud dixerit, quam animal pedes habens duos pedes habens. Quod si hoc ipsum propria diuisione diuidat, sæpius adhuc, atque adeo toties idem dicet, quot differentias proferet. Itaq; p si differentia differentia fiat, vna illa, quæ vltima est species & substantia rei erit. Quod si per accidens diuidat, vt si dicat, Habentis pedes aliud album, aliud nigrum esse: tot q erunt differentiæ, quot diuisiones. Perspicuum est igitur, definitionem rationem esse eam, quæ ex differentiis conficitur; atque adeo ex earum vltima, si recte quis definire velit. Quod quidem apertum fiet, si quis ordinem huiusmodi definitionum mutauerit, veluti si hominem definiens dicat, Animal bipes, pedes habens: redundat enim illud pedes habens dicto antea bipede. Non est autem ordo in substantia: quo enim modo aliud posterius, aliud prius intelligere oportet? Ac de definitionibus quidem per diuisiones conficiendis cuiusmodi quædam sunt, hæc primum dicta sint.

p *Si differentia differentia fiat.*] Hoc est, si differentia specifica in aliam specificam diuidatur.

q *Tot erunt differentiæ.*] Tot differentiæ assumentur ad definitionem, quot erũt diuisiones, ex quibus colligentur: quod ideo accidit, quia in differentiis per accidens non datur ordo, ac proinde nec vltima, in qua cæteræ omnes contineantur.

In differentiis per accidens non datur ordo.

Quo-

Quonam pacto superiora prædicata ab inferiorib. distinguantur?

QVÆSTIO VNICA.

Refutatio sententiæ Ioannis Gandauensis de tot formis substantialibus in vnoquoq; composito naturali, quot sunt eius quiditatiua prædicata.

SECTIO I.

Tres de princip. quæst. sentent.

DVÆ sunt in hac quæstione extremæ opiniones, & vna media, quæ & amplectenda est, altera extremarum est, distinctionem superiorum (*saltem quorundam*) ab inferioribus fieri per formas realiter distinctas. Altera, fieri sola appellatione, aut consideratione nostra. Tertia, quæ media est, fieri ex natura rei per gradus quosdam perfectionis naturarum communium, & particularium, non per formas re ipsa distinctas, nec sola nuncupatione, aut consideratione nostra.

Prima opinio in plures diuiditur iuxta numerum totalium formarum substantialium, quæ in eodem composito naturali esse creduntur. Quarum prima illa sit, tanquam minime omnium probanda, quam Iandunus, siue Ioannes Iandauensis amplectitur, nempe omnia quiditatiua prædicata rerum naturalium distingui per formas substantiales re ipsa diuersas. Hanc autem opinionem plurib. locis sibi persuadet potissimum vero ad secũdum librum huius operis. & septimum Physicorum: nec referenda esset, nisi locis quibusdam Aristotelis niteretur, qui primo aspectu ei patrocinari videntur. Rationes enim, quibus ad eam astruendam vtitur minoris momenti sunt, quam vt per se tractandæ viderentur.

Primum primi membr. est opinio Iand.

2. Met. q. 10. & 7. Phys. q. 8. & 1. de anima quæst. item 8.

Tres sunt loci præcipui apud Aristotelem quibus innititur. Primus est 2. *Physicorum capite* † 3. *& 5. huius operis cap.* 2. vbi Aristoteles reuocat partes definitionis, quæ sunt genera & differentiæ ad causas formales: quod non alia ratione factum esse putat, nisi quia genera, & species rerum naturalium proprias, & peculiares habent formas substantiales.

Probatur ex Aristot. † *tex. 28. tex. 3.*

Alter locus est *cap. 2. lib. 2.* † *huius operis*, vbi Aristoteles, vt concludat non dari infinitionem in formis physicis, probat non dari infinitionem in prædicatis quiditatiuis: quod idem generalius probauerat in rebus omnibus priori libro de posteriori resolutione ca. 15. & sequentibus. Ex qua re colligi non posse videtur institutum Aristotelis, nisi tot sint formæ substantiales in vnoquoque composito naturali, quot sunt eius quiditatiua prædicata.

† tex. 10. 11. & 12.

tex. 34. & duob. seqq.

Tertius locus habetur cap. 10. huius libri, in quo versamur, vbi Aristoteles ait, *omnem definitionem habere partes, partes autem definitionis respondere partibus rei quæ definitur*: quod idem in hoc libro sæpius repetit: cum ergo partes definitionis cuiusq; speciei, siue infimæ, siue subalternatæ, sint genus, & differentia, perspicue videtur colligi, in compositis naturalibus per aliam formam cõstitui compositum genericum, per aliam vero re ipsa ab ea diuersam compositum specificum. Quo loco animaduertendum est, hunc autorem cum suo Auerroe putasse, genus summum, quod de rebus naturalibus dicitur, esse compositum ex materia & forma, nec dari aliud superius, quod de substantiis quoque simplicibus, hoc est, non compositis ex materia, & forma dicatur, siue illæ sint incorporeæ, siue etiam corporeæ.

tex. 35.

19. Met. 9. 22. Auer. in Porphyr. c. de speciei. & lib. 10. met. tex. 26.

Eandem sententiam confirmat totidem potissimum rationibus ex multis, quæ affert. Prima est, quia in quibus rebus naturalibus sunt diuersæ proprietates diuersæ quoque, vt ait, formæ substantiales sint necesse est: genera autem omnia, & species rerum naturalium diuersas habere proprietates nemini dubium est; aliæ enim, exempli causa, sunt proprietates animalis, vt animal est, aliæ hominis, vt homo est, & ita in cæteris. Huiusmodi enim proprietates cum sint variæ, nec sumantur ex materia, quæ eiusdem speciei est in omnibus compositis naturalibus, vt ipse existimat, (*putat enim cum Auerroe cœlum non esse compositum ex materia, & forma*) ex diuersis formis superiorum, & inferiorum, oriantur necesse est.

Rationibus confirmatur.

8. met. 97. Auer. lib. de substant. orbis c. 2. & 1. de cœlo tex. 7. & 10.

Secunda est, quia similitudo, & dissimilitudo rerum inter se ex formarum varietate sumitur: species autem sunt similes in naturis suorum generum, dissimiles autem in propriis essentiis: aliæ igitur sunt formæ generũ, aliæ specierum.

Tertius, quia alius est conceptus generis, alius cuiusque eius speciei: cum ergo conceptus varii ex variis actibus desumantur, fit, vt varia composita generalia, & specialia substantiarum ex variis actibus substantialibus, hoc est, substantialib. formis constituta sint. Hæc sunt argumenta præcipua huius autoris ad probabilitatem, quoad fieri potuit, accommodata.

Cum autem ab eo quæritur, quid dicendum de speciebus tam subalternis, quam infimis accidentium? respondet eas quoque constare ex entitatibus generum, & differentiarum

Etiam in accidentibus vult locum habere.

tiarum re ipsa inter se distinctis, idq; eisdem argumentis paulo immutata prima ratione suaderi potest.

Impugnatur. Verum hæc sententia, quæ absurditate sua singularem pene sibi auctorem vendicauit (*fuisse enim quendam Auicebrontis Arabis D. Thomas auctor est*) facile refutari potest. *1. de gent. ten. 24.* Primum, quia superuacaneum est tam multas formas substantiales, & totales re ipsa differentes in eodem singulari composito comminisci, (*mittamus enim partiales, seu quæ de totis non dicuntur, vt elementorum de misto, & membrorum substantiales de animali, de quibus post disputandum est*) vbi satis est vna tantum secundum varias considerationes, aut varias perfectionis gradus. Deinde, quia si omne genus, quod de rebus naturalibus dicitur, est compositum ex materia, & peculiari sibi forma diuersa re ipsa à formis, quibus compositæ sunt eius species, plura inde sequuntur incommoda. Vnum est, quod res naturales non sint in eodem prædicamento cum substantiis simplicibus, quæ re vera sunt solæ substantiæ immateriales opinione vero auctoris, & sui Commentatoris, etiam cœlestia corpora vt dictum est. Vnicum enim prædicamentum ex vnico genere omnium, quæ in eo ponuntur, dicitur.

Nec refert, quod hic auctor facile hoc incommodum deuorat: pro magno enim incommodo habendum est, quod sit contra communem Philosophorum sententiam de vnico prædicamenti substantiæ summo genere. Alterum est, quod genera rerum naturalium non possent isto modo prædicari in quæstione quid est de suis speciebus, & (*quod consequens est*) nec de earum indiuiduis: oportet enim iuxta hanc sententiam genus, & differentiam cuiusque speciei re ipsa differre inter se, & à specie ipsa: partes autem, quæ diuersæ sunt re & à se inuicem, & à toto composito, non possunt de eo dici in quæstione quid est. Cum enim quæritur, quid sit hoc, aut illud, nunquam veram responsionem reddit qui ait, est hoc, aut illud, ostendendo rem aliam. Vnde sequitur hominem, quatenus homo est, non esse animal, nec viuens, nec substantiam corpoream, sed aliquid constans animali, & viuente, & substantia corporea, quemadmodum statua non est æs, aut lapis, sed aliquid constans ære, aut lapide.

Postrema ratio sit. Quia cum non tantum res ex materia, & forma composita, sed etiam accidentia vera habeant genera, veris-

A que speciebus subiiciantur, (quandoquidem aliæ cum aliis vniuoce, & in quæstione quid est conueniunt, & ab aliis essentialiter differunt) neque in eis species distinguantur inter se per aliquid re ipsa diuersum à suis generibus, vt ex se patet, & infra planius patebit; non est cur idem de omnibus generibus, speciebus, & indiuiduis dici non possit, cum in omnibus sit eadem ratio. Alia argumenta contra hanc sententiam de-
B sumi possunt ex iis, quæ deinceps contra alios plurium formarum auctores disputabuntur.

Ad primum igitur locum Aristotelis dicendum non ea causa ibi reuocari genera, & differentias ad causas formales, quia genera & species constent diuersis re ipsa formis; (*est enim id impertinens ad eam rem, de qua eo loco agitur*) sed quia dant per se ipsa aliquod esse speciebus generalem nimirum essentiam gene-
C ra, specialem differentiæ. *Explicatur loca Aristot.*

Ad alterum locum dices Aristotelem in eo cap. non solum à formis physicis, sed etiam à metaphysicis, in quibus numerantur superiora omnia comparatione inferiorum velle excludere infinitionem. quia etiam superiora suo modo sunt causæ inferiorum: demonstrat enim eo loco Aristoteles, causas in nullo genere esse infinitas, sed in omnibus semper deueniendum ad aliquam primam,
D de qua proinde solus Metaphysicus ex officio agere debet.

Ad rationes. Ad tertium locum dicendum, partes rei, quæ definitur, non esse ibi accipiendas pro partibus realiter distinctis, sed obiectiue tantum; siue illæ appellatione sola, consideratione ne nostra, siue ex ipsa rei natura pro ratione diuersarum opinionum distinctæ sint.

Ad rationes autem propositas, quibus hic
E autor vtitur, dicendum, gradus perfectionis substantialis eiusdem formæ satis esse, vt ex alio, atque alio alia, atque alia proprietas oriatur, itemque, vt in aliis, atque aliis species eorum generum sint similes, & dissimiles; ac demum, vt conceptus generalis compositi sit diuersus à conceptibus specialium compositorum.

F

Sententia quorundam de pluribus animabus in eodem animali.

SECTIO I.

Secundũ memb. primæ sent. Alii sunt, qui sentiant, plures animas re ipsa diuersas in eodem animali esse. Id

Id quod sibi persuadent primum autoritate A Arist. locis quibusdam, in quibus id affirmare videtur. *Nam 2. de generatione animalium cap. 3.* plane docet in generatione hominis prius fœtum habere animam vegetatiuam, deinde sensitiuam postremo rationalem quę extrinsecus aduenit. Nam cur priores animæ abiici debeant, cum posteriores succedunt, nulla videtur ratio reddi posse. Neque enim ibi agens vllum videtur esse, quod expellat priores, cum omnes introducatur, virtute seminis: quæ vnica est: neque aliud agens particulare ibi cernatur, à quo priores expelli possint. Cur etiam natura inducat formam quæ statim expellenda est, præsertim cum non minus sit vtilis ad posterioris conseruationem, quam fuerit ad introductionem.

Astruitur ex Arist.

In secundo etiam, ac tertio libro de anima, sæpe de tota anima loquitur, sæpe etiam de partibus animæ: nec dubium videtur, quin totam animam appellet collectionem omnium animarum, quæ sub anima in commune in eodem animali reperiuntur: partium autem nomine eas ipsas particulares intelligat animæ in commune sumptæ subiectas. Neque enim vna anima numero integrari potest ex pluribus.

In libro etiam de vita: & morte cap. 4. distinguit animam sensitiuam à nutritiua, quasi re diuersas: quarum principium, & quasi primam sedem in corde constituit, vt videlicet in eo velut in communi officina spiritus & vitales, & animales, ad vtriusque facultatis ministeria fabricentur, Nam rationali, tanquam superiori & extrinsecus aduenienti, nullam peculiarem sedem deputat nisi ratione phantasiæ proxime eius administræ, quam in capite quasi totius corporis arce omnes collocant.

Rationib. probatur.

Deinde quatuor potissimum rationibus idem confirmant. Vna est, quia in aliis partibus eiusdem animalis cernuntur opera tam vegetatiuæ animæ, quam sensitiuæ, vt in carne, ac neruis, in aliis autem, vt pilis, & capillis, solius vegetatiua: quod euidenti argumento videtur esse duas animas in quouis animali, cum omne animal vegetetur, ac sentiat.

Altera quia quælibet anima est forma simplex seu minime composita ex materia, & forma aut ex pluribus animabus: forma autem simplex non dat, nisi vnum esse: qui ergo fieri potest, vt per vnam animam homo habeat esse & hominis & animalis, & viuentis, quæ habent diuersa esse.

Tertia, quia cum diuersæ proprietates oriantur à formis diuersarum specierum in diuersis specie indiuiduis, vt à forma hominis facultas ridēdi in Socrate, & à forma equi facultas hinniendi in Bucephalo: videtur fieri non posse, vt in vno, & eodem indiuiduo diuersæ proprietates sequantur formam vnam numero.

B Quarta, & postrema ratio, quia, etsi admittatur animam vegetatiuam, & sensitiuam in eodem animali non esse re ipsa diuersas, certe rationalem in homine esse rem eandem cum vtraque nullo modo videtur dici posse. Primum quia vegetatiua, & sensitiua educuntur è potentia, materiæ, & vere producuntur ab homine generante, tametsi non generentur ipsæ quia generatio non est nisi compositorum: rationalis autem extrinsecus aduenit, & à solo Deo producitur per creationem. Deinde quia alioqui homo virtute sua non generaret hominem, sed solum corrumperet embryonem ex anima vegetatiua, & sensitiua ante constitutum vt Deus loco earum (*vel eius si vna ponatur*) crearet rationalem: quis autem dicat causam naturaliter efficientem, eamque adeo præstantem, vt est homo, corruptiuam tantum esse in generatione hominis, non autem generatiuam? esset enim in ea re homo deterioris conditionis, quam bruta animalia.

Quarta ratio saltē animam ration. reipsa distingui à sensitiua, & veget. Primum ad hos probādum arg.

Secundum.

Tertio, quia cum natura non deficiat in necessariis, si homo est causa efficiens dispositiua materiæ ad formam aliquam introducendam in ipsa hominis generatione, necesse est fateri aliquam formam produci ab illo, cum homo generatur. Si enim solus Deus producit formam, qua homo tum primum fit, cum ea productio non sit naturalis, sed E supra vires totius naturæ, deficere omnino videtur natura in rebus naturalibus efficiendis: nisi absurdissime quis dicat hominem genitum non esse rem naturalem, (*propter quem tamen tota natura instituta est*) sed supranaturalem: oportet igitur hominem in generatione sui similis attingere formam aliquam quoad eius esse, qua inducenda sibi similem effectum producat: cum ergo ea forma non sit rationalis, quam solus Deus F producit in corpore, necesse est, vt sit alia, quæ simul producatur ab homine, cum Deus rationalem infundit.

Tertium.

Quarto, quia rationalis anima: & sensitiua sunt interna, primaq; principia contrariorum motuum quos vnus quisque simul in se ipso experitur. Proposito enim eodem

Quarto.

dem obiecto sæpe eodem tempore idem approbamus iudicio sensus, & reiicimus iudicio intellectus aut contra: at sensus sensitiuam animam sequitur, vt intellectiuam intellectus.

Quo autem pacto eadem anima simul inclinet hominem ad contraria eodem tempore & circa idem obiectum subeunda ad contraria, inquam, iudicia motusque contrarios amoris & odij, lætitiæ atque iustitiæ, & cæteros huiusmodi: Hac de causa videtur Paulus optasse liberari à mortali hoc corpore vt anima sensitiua pereũte, rationalique ipsa per se permanente, cessaret illa, quam patiebatur, assidua pugna.

Rom.7.

Postremo, quia vtraque anima & vegetatiua, & sensitiua sunt corruptibiles, & extensæ in corpore, rationalis autem inextensa & incorruptibilis: id quod Aristot. quod attinet ad comparationem corruptibilis, & incorruptibilis, docet 2. de Anima ca. 2. collata ratione intelligitur collata cum vegetatiua: nullo autem pacto videtur fieri posse, vt forma incorruptibilis, & inextensa det esse extensi, & corruptibilis, quod tamen est necesse, si eadem anima est simul rationalis, & vegetatiua, ac sensitiua.

Vltimum. *Tex.21.& 22.*

Hanc quæstionis partem amplexi sunt non solum Ethnicorum multi, sed etiam quidam ex nostris, quibus inter Scholasticos adnumeratur * Ochamus, & ex eadem classe Nominalium nonnulli: qui omnes sensitiuam animam ab intellectiua re ipsa distinguunt, priores autem illi, etiam vegetatiuam à sensitiua. Inter Catholicos autem Philosophos quidam tam libenter admittunt distinctionem realem intellectiuæ à sensitiua vt sint, qui credant ex Aristotelis sententia non modo re ipsa distingui has animas, sed etiam rationalem tum demum extrinsecus aduenire homini, cum rationis vsum exercere incipit: afferuntque illum pro ea re 7. *lib. de Republica. cum ait, Rationem & mentem procedente ætate in pueris fieri natus esse.* Parumque abesse videtur, quin eis absolute placeret ea sententia, nisi orthodoxa fide essent imbuti: ita frigide substinent, rationalem animam in fœtum introduci, nullis vel obuiis argumentis naturalibus ad veritatem confirmandam assumptis.

Hæc distinct. animæ rationalis asseruit Plato in Timæo, Galen. de placitis Hippoc. & Plat. li.5.c.12.& lib.6.c.2. Alcin. de doctrina Plat. c.17. & plures alii.

**Och. in 2.q.12 & in 4.q.7.& quodl.1.2.q.10.& Maior. in 2.d.17.*

†Anton. Bernar. Mirand. de euersione singularis certamin. lib.33 sect.3.

Vnam tantum esse animam in quouis animali.

SECTIO II.

CONTRARIA tamen sententia de vna tantum anima in quouis animali est commune Theologorum dogma, veterumque Philosophorum placitum. Quorum omnium assertio ex eo inprimis probatur, quia vel plures animæ habent eum ordinem inter se, vt vna recipiatur in corpore interuentu alterius, ita vt posterior addatur composito ex priori ad constitutionem posterioris compositi: aut omnes immediate recipiuntur in corpore: si eo ordine, vt posterius compositum constituatur per se ex priori composito, id iam refutatum relinquitur iis rationibus, quibus opinio Ianduni impugnata est: sin autem immediate, & sine ordine vllo; tot erunt composita viuentia in eodem animali, quot in eo erunt animæ; neque eiusmodi viuentia erunt vnum viuens, nisi per accidens, ratione nimirum corporis; quo pacto album dulce est vnum sensibile ratione subiecti: nec iam homo erit per se viuens, aut sensitiuum, sed per accidens, quod dici nullo modo potest.

Deinde, si plures essent animæ in eodem animali, idque ordine quodam, (*hoc enim huius sententia autores demum fatemur*) omnes priores forent omnino superuacaneæ, quia iuxta ea, quæ tradit Aristoteles *in 2. de anima cap.* * 3. *& 8. libro huius operis cap.* † *item* 3. & ab omnibus recipitur, estque consentaneum ordini perfectionis rerum, vegetatiua continetur in sensitiua, & sensitiua in intellectiua, veluti binarius in ternario, & ternarius in quaternario: id quod propterea docet, quia ita posteriores sunt posteriores prioribus, vt exercere possint opera priorum atque adeo excellentius: quod si excellentius: ergo cum illæ adsunt superuacaneæ sunt priores. verbi causa superuacanea esset talis anima vegetatiua in animali, qualis est in plantis, si sensitiua vegetat, atque adeo excellentius, (*nempe generando carnem*) quam vegetatiua: eodemque modo superuacanea esset in homine sensitiua talis, qualis est in equo, si rationalis cum est in corpore, habet vim sentiendi, eamque nobiliorem, (*nempe ministrando intellectui*) quam vis sensitiua equi.

Tertio idem probatur ex limitata virtute animalium: sæpe enim actiones intelligendi, sentiendi, & vegetandi mutuo se impediunt: dum enim vehementer homo intentus est contemplationi rei alicuius, nec sensus externi funguntur suo munere nec

Cõmunis, & vera sentent. Lege D.Th. 1 p.q.76.a.3.& 4. 2.cõt.gẽt.c.58. q.vnica de anima a.11. opusc.3. à c.90.& alijs locis Alb. lib. de orig. animæ & tract. de homine c.1 Alex.2.p.q.62. mẽbro.2. Henr. quodl.2.q.8.& 3. Scot. in 4.d.11 q.3. Ægid. in opusc. de gradib. formar. Argent. in 4.d.13.a.1.conclus.2. Greg. in 2.d.16.q.2 Cap.d.15. Auic.li.6. naturali.4.p.1.3. Auerr.li.1. de anima ad c.7.& alib. Capo. Thomã à vega. de locis affectis sect.1. & Valles. l.4 cõtrou.c. Vls. de Philos. sacra.c.5.

†tex.31.

**tex.10.*

Quo sensu docent Arist. vegetatiuã contineri in sensitiua, & hanc intellect.

vires altricis facultatis digestionem perficiunt: cuius rei alia causa esse non potest, nisi quia vna tantum anima est in homine, eademque, aut etiam priori ratione in cœteris animalibus; cum finita virtus, dum vni operationi vehementius intenta est, aliis aut parum, aut nihil intendere possit. Pro qua re videndus est D. Thomas 1. *p. quæst. 76.* quæque nos diximus *libro primo* cum formam substantialem ex actionibus rerum naturalium, & earum conseruatione colligeremus.

c. 7. q. 4. sect. 5 & 7.

Quarto loco idem ostendi potest ex communi illo Philosophorum pronuntiato ex Aristotele priori libro de generatione capite 3. desumpto, *Generationem vnius esse corruptionem alterius*; & contra. *Vnius corruptionem esse alterius generationem*. Neque enim verum id esset, si ex viuente genito inducta forma vegetatiua, gigneretur animal addita forma sensitiua retenta priori vegetatiua; eodemque modo ex animali genito gigneretur homo addita forma rationali, retenta sensitiua: nec repugnaret abunde rationali remanere sensitiuam, & hac expulsa remanere vegetatiuam; atque adeo ex homine emergere animal brutum, & ex hoc plantam. Aut certe si omnes animæ simul introducuntur, simulque expelluntur, non est vtique vllius animalis vnica generatio, sed duplex, vel triplex, quia tot sunt generationes rerum substantiales, quot introducuntur substantiales formæ rem totam denominantes.

Text. 17.

Postrema ratio. Si plures essent animæ, quarum priori ante introducta introduceretur posterior, generationes animalium non essent generationes simpliciter, sed secundum quid: quæcunque enim forma aduenit enti in actu, est forma accidentaria & secundum quid, vt Arist. sæpius docet contra priscos Naturales, qui distinguentes entia naturalia per formas accidentarias, omnem generationem substantialem, quæ sola est generatio simpliciter, de medio tollebant. Quo fieret, vt dici nullo modo posset rationalem animam esse substantiam, nisi à quo illa negaretur esse vera forma corporis, neque alia ratione in eo esse, nisi quasi auriga in curru, aut Nauclerus in naui. Quod etsi Plato existimauit, & alij Ethnici de sensitiua olim crediderunt, hodieque apud Indos Brachmanas retinetur; Aristoteles tamē omnes animas veros actus informantes, & Entelechias, à quibus substantia viuentium constituatur, esse docet. Cui sententiæ in conciliis Viennensi sub Clemente V. (quod habetur in Clementina vnica de summa Trinitate & fide Catholica cap. firmiter) & in Lateranensi 3. sub Leone X. sessione 8. astipulata est veritas fidei orthodoxæ, quod attinet ad animam rationalem, de qua sola dubitatio aliqua esse poterat propter eius immortalem & incorpoream naturam. Nec mirum est, quod Nyssenus Greg. in 2. libro suo de anima cap. 5. asserat, eam non esse informantem, sed assistentem, reprehendatque Aristotelem, quod dixerit esse informantem, nondum enim Ecclesia quicquam de ea re definierat. Mirandum magis, quod Simplicius, & Auerroes putarint Aristotelem eam fecisse assistentem, non informantem.

Vti Met. maxime ad finē capitis 4 & 1 de gen. c 1. tex 10.

In Alcib. primo Vt lib. 2. de anima c. 1. tex 4. 5. & 6. 7. item 11. tex. 17. & aliis locis.

Anim. rational. esse verā hominis formam.

Simpl. in lib. 1. de anima tex. 7. Auer. in 3. con. 5.

Addenda denique est pro assertione vnius tantum animæ in homine communis Patrum sententia, ex qua non mediocre argumentum desumi potest ad vnitatem animarum in cœteris viuentibus, in quibus multo minor varietas operationum cernitur: omnes enim sentiunt rationalem cum corpore humano totam hominis substātiam complere, atque vt in Christi Domini morte nulla pars substantiæ periit, sed corpus solum relictum est in sepulchro; sola vero rationalis anima, quæ sentientis, & vegetantis officio fungebatur, ad inferos descendit, ita in cuiuscunque hominis obitu accidere, vt resurrectio, nihil aliud sit, quam earum partium iterata vnio. Et quanquam in 8. synodo sub Adriano Papa 2. actione 10. canone 11. non sit directo definitum rationalem animam esse eandem cum sensitiua, & vegetatiua, sed tantum in quouis homine vnam esse tantum rationalem, quod Manichæorum insania negabat: tamen eo ipso, quod propensio ad malum, quæ à sensitiua præcipue nobis prouenit, vni & eidem animæ, quæ bonum amplectitur, in eadem Synodo ascripta est; plane colligitur sensisse illorum Patrum generalem consentum eandem in nobis esse rationalem animam, atque sensitiuam: quod si eandem cum sensitiua; ergo potiori ratione cū vegetatiua, cuius munia rationalis animæ operationibus aut nihil, aut multo minus repugnant. Itaque sine aliqua impietatis specie affirmari non posse videtur, plures animas esse in eodem homine, quarum aliqua, vel aliquæ in morte omnino pereant.

In homine esse vnā tantā animā docet Aug. 10. de Gen. ad lit. c. 12. & 13. li. 83 quæst. q. 40. & de spiritu & anima c. 9 Iust. Mart. in parenet. ad gent. Origen. lib. 4. contra Cels. & lib. 3. periarch. c. 4. Greg. Mag. hom. 12. in Ezech. Damas lib. 2. fidei c. 1 Nyss. de creatione hom. c. 15. Lactant. de ira Dei c. 11 & alii patres.

An sit de fide.

Expli-

Explicatio quorundam locorum Aristotelis, & solutio priorum trium argumentorum opposita sententia.

SECTIO III.

AD primum igitur locum Aristotelis quẽ pro se afferunt oppositæ sententiæ autores, sunt qui respondeant, Aristotelem eo loco non de progressu temporis, sed tantum naturæ loqui, quasi dicat, prius natura conuenire fœtui in generatione, quod sit viuens quam quod sit animal; & quod sit animal, quam quod in hominem euadat. Sed falluntur, cum expresse loquatur de progressu temporis, vt cuilibet legenti est luce clarius. Accedit enim experientia quod fœtus prius sit tempore viuens quam animal & animal prius quam homo: quia fœtus antequam animam rationalem accipiat augeri cernitur, idque vero viuentium augmento & fortasse etiam postea sentire, seque, cum læditur, constringere ante quadragesimum diem in maribus & ante octogesimum in fœminis.

Dicendum igitur progressu temporis ab Aristotele constitutum in generatione hominis (quem etiam proportione seruata agnoscit in generatione equi, cæterorumque animaliũ) nihil obstare assertioni vnius tantum animæ in quolibet viuente. Anima enim vegetatiua, cum sensitiua aduenit, abiicitur; & similiter sensitiua, cum aduenit rationalis; quia priores in posteriorib. virtute continentur, nec præcedentium expulsio intenta per se est ab agentibus, sed per accidens, quia non sunt necessariæ cum subsequentibus: virtus enim seminis ad omnes eas ordine quodam disponit materiam, licet non sit eadem re ipsa sub præcedentibus, sed ratione aliqua; agens vero externum, hoc est, virtus vteri, vel eius continentis, quod vtero proportione respondet, vt in exclusione auium, & piscium ex ouis, eodem quoque tendit, vt ad subsequentem animam disponat materiam per præcedentem.

Quo sensu anima dicantur habere partes. Ad alterum locum dicendum est, nomine totius, & partes in ea re intelligi debere: non totum aggregatum ex pluribus, & plura aggregata in vnum aliquid, sed totum virtuale, seu potestatiuum, & partes virtutis, seu potestatis: quod explicari solet per potentias; vt totum sit illud, quod plures potentias natura sua sibi vendicat; partes autem sunt ipsæ plures potentiæ, seu facultates in eo virtute

A contentæ. Itaq; in homine anima ipsa rationalis, siue intellectiua est totum, facultas autem intelligendi, sentiendi, & vegetandi se, sunt eius partes, & sic in cæteris.

Tertius locus nihil aliud ostendit, quam, quod alia sit facultas alendi, alia, vel aliæ sentiendi; quas vtrasque Arist. veluti in prima radice ponit in corde propter primam spirituum officinam, quorum ii, qui animales dicuntur, & sensitiuæ animæ deseruiunt, B in capite perficiuntur, in quo est apertum, & vt ita dicam, publicum sensuum omnium domicilium *Prima spirituum officina, cor.*

Ad primam vero rationem dicendum est, etsi in eodem animali vna est tantum anima, quæ totum animal denominat, & in omnibus eius partibus, quæ illa informantur, existit, tamen non omnes eius potentias esse in omnibus. Quan quam enim potentiæ, quæ rationali animæ inhærent, comitantur il- C lam in quauis corporis humani particula, in qua illa inest; tamen potentiæ, quæ in toto composito vt in subiecto inhæsionis insunt, certas sibi sedes in corpore vendicant, vt oculos videndi facultas, linguam gustandi, & sic cæteræ. Vnde nihil obstat vnitati animæ vegetatiuæ, ac sensitiuæ in eodem animali, si animal in aliis partibus vegeretur tantum, nec sentiat; in aliis & vegetetur, & sentiat. *Ad 1. Arg.* *Cur animal in aliis partib. tantum vegetetur, in aliis etiã sentiat, &c.*

D Sed vt obiter nonnihil de pilis, & capillis, quibusdamque aliis animalium partibus dicamus, illud intelligendum est, duas esse hac de re oppositas opiniones. Nam Medicorum quidam existimant capillos (eadem autem sit ratio de pilis) nullo pacto viuere, tum quia nullo modo videntur nutriri, cum non in omnem partem accrescant, sed tantum in longitudinem; tum E etiam, quia non videntur habere terminum suæ magnitudinis, quod proprium est non viuentium; tum vero, quia in mortuis etiam augentur; tum denique, quia crescunt ab ima radice, non ab ipsa incisura, vt ait Aristoteles; de historia animalium, cum tamen plantæ ab incisura crescant. *An pili viuant? Prima sentent. Garbius libr. 1. tract. 4. q. 34 Vallef. lib. 2. controuerf. c. 1. Fernel. li. 2. 2. Physiolog. c. 2. & alii secuti Gal. lib. de arte med. c. 9. & lib. 2. de tempera-ment. cap. 11. & 12.*

Alii in quibus est D. Th. Abul. Thom. à Vega præstantissimus nostra ætate Medicus, F existimant viuere re vera capillos, eandemque ipsa anima, qua totum animal viuit, quod & partes animalis sint, non fluidæ, & mutabiles, vt sanguis, & alii humores, qui plane non viuunt; sed fixæ, ac stabiles, in quibus est anima, quemadmodum & in auium pennis; & nutriantur etiam ipsi, ac *Secunda. D. Thom. in 4. d. 44. q. 1. a. 2. q. Gnc. 2. Abul. in 22. c Matth. q. 242. Th à Veg. lib. 11. de locis affectis cap. 4.*

 vere

vere crescant suscepto intus alimento, sicut; & arborum folia, tametsi subtiliori quadam ratione, quam illa; atque inde fieri, vt pro ratione nutrimẽti color etiam capillorum aut varius sit à principio, aut etiam aliquando mutetur.

Nec mirum esse, si in hominibus viuant ipsa rationali anima solaq; abscissio satis sit, vt ab illa deserantur: nam etsi eis abscissis non deest dispositio similis ei, quam habebant, cũ inhærebant corpori; deest tamen dispositio necessaria, vt in eis solis existat, præterquam quod non habent quantitatem, & figuram ad id requisitam. Atque est quidem probabilis hæc opinio.

Tertia, & probabilior. D. Bon. in 4. d. 44. q. 2. Dur. ibid. q. 1.

Probabilior tamen videtur Bonauenturæ, Durandi, & aliorum quorundam sententia quibus placet viuere quidẽ capillos, nutririque, & augeri, vt recte probatum est: non tamen eadem anima, qua totum animal, sed alia quadam peculiari, ac sua, quæ vegetatiua tantum est, non item sensitiua. Argumento est in primis, minus digne videri de anima rationali sentire eos, qui illam capillos informare credunt: præsertim cum verisimiliori ratione informari videantur sola vegetatiua: ea vero ratio est, quod crescant in cadaverib. etsi minus multo; veluti stirpes, quæ translatæ in solum sterile incommodius, & breuius in eo subsistunt.

Soluuntur rationes oppos.

Quod autem primæ opinionis auctores aiunt, non augeri capillos in omnem partem, non omnino verum est, cum sæpe crassiores aliquanto fiant. Quod autem augeantur in mortuis, tantum abest, vt nostram infirmet sententiam, vt eam potissimum confirmet: negandum est etiam non habere capillos certum suæ longitudinis terminum: vix enim vnquam visi sunt longiores humana statura. Denique illud de incisura, nec certum omnino est; nec si sit, quicquam obest. Nam neque omnes stirpes, qua parte inciduntur, augentur; & dissimilis admodum vegetationis ratio, quæ in capillis cernitur, longe alium poscit, atque in aliis viuentibus, accretionis modum.

Quid dicendum de vnguibus.

Idem porro dicendum videtur de vnguibus, qui etiam in cadaueribus augentur, suscepto ex illis nutrimento, vt tradit Aristoteles 3. de historia animalium cap. 11. Quod si partes hæ sola vegetatiua anima viuunt, atque iccirco nascuntur in animali & ad decorem, & ad alios vsus necessarios; idem fortasse dicendum erit de dentibus, ac cornibus, quæ certis temporibus in animali quasi stirpes quędam oriuntur. Videntur enim nõ solum non sentire per se ipsa, vt est probabilior Medicorum sententia, sed etiam sola vegetante anima informari, proinde in ceruis sua sponte cadere, quasi exsiccata radice, vt iis accidit, quæ è terra nascuntur: vnde cuti potius quam ossi adhærent, vt etiam tradit Aristoteles ibidem cap. 9.

Quid de dentibus & cornibus.

Obiectio.

Quod si quis obiiciat, ea, quæ sola vegetatiua anima viuunt, dici plantas, diuidique solere in arbores, frutices, & herbas, in quibus generibus non ponuntur capilli, quemadmodum neque vngues, & cæteræ partes huiusmodi: occurrendum est, non omnia, quæ sola vegetante anima viuunt, dici plantas, nec diuidi in illa tria vulgata genera, nisi quæ è terra nascuntur, & per se ipsa ita sunt tota quædam, vt non etiam sint aliorum viuentium partes, vtpote ad eorum integritatem pertinentes.

Solutio. Non omnia, quæ solã habent animã veget. dici plantas.

Quid de cornibus & ossibus.

Alia ratio est de cornibus, & ossibus aliisque primæ constitutionis præcipuorum animalium, & iis, quæ huiusmodi partibus in aliis proportione respondent. Viuunt enim omnes eadem ipsa anima sensitiua, qua totum animal viuit; tametsi non omnes sentiant, quod facultatem sentiendi in se ipsis non habeant. Est enim communis pene Philosophorum opinio, ossa per se ipsa non sentire, quod defectu requisiti temperamenti inepta sint ad percipiendas tangibilium qualitatum differentias, qua in re posita est prima, generalisque sentiendi facultas. Atque hæc pro responsione ad primam affirmatiuæ partis rationem.

Ossa cur non sentiant. Auic. prima primi doctr. 5. Gal. lib. 16. de vsu part. c. 10. & li. 13. Method. c. 12. Alber. 2. p. summa de hom. quæst. de tactu.

Potentiæ rationales quo pacto vtantur locomotiuis.

Sectio IV.

In hac sectione explicabimus quo pacto quatuor interiores potentiæ, duæ apprehensiuæ, & totidem appetitiuæ, quæ suo quæque modo in rationalibus numerantur, vtantur potentiis motiuis, quæ sunt in membris ac musculis, ad motum localem animalem, siue internum, siue externum, exercendum: ad quam dubitationem tria breuiter dicenda sunt.

Prima assertio.

Vnum est, potentias motiuas animalium motu progressiuo (de his enim hac in re cum Aristotele agimus) esse distinctas ab apprehensiuis, & appetitiuis, non solum ratione, & natura, sed etiam reipsa. Tum quia in a-

in animalibus, quæ habent vim progressiuam apprehensiuæ, & appetitiuæ, quibus progressio dirigitur, & principaliter administratur, habent certas sedes in corpore; motiuæ autem per totum diffusæ sunt. Tum quia sæpe apprehensiuæ & appetitiuæ sunt integræ, cum motiuæ sunt læsæ, ac debilitatæ, vt in paralyticis.

Secundum. Alterum est, non tantum apprehensiuas, & appetitiuas, sed etiam motiuas habere rationem actiuarum; imo etiam motiuas, quatenus motiuæ sunt, esse formaliter transitiuas, apprehensiuas autem & appetitiuas non ita, sed in suis ipsarum subiectis tantum esse formaliter operatiuas; tametsi virtute, & efficacia in aliud subiectum transire possint: satis autem patet rationem potentiæ actiuæ magis participari à potentiis, quatenus in aliud subiectum transire possunt, quam quatenus in suis operantur. Quod vero motiuæ habeant rationem actiuarum, ex eo primum constat, quia sunt principia operationum vitalium: progressio enim operatio animalis est, ne dum vitalis. Tum etiam, quia ab Aristotele, & aliis philosophis, inter potentias actiuas numerantur, vt patet in 2. de Anima pluribus locis. Tum denique, quia ipse etiam Aristoteles vbi 3. lib. eiusdem operis cap. 10. & 11. agit de potentia motiua animæ, etsi docet animal eatenus esse motiuum, quatenus appetitiuum; (intellige, rei absentis) tamen fatetur illud indigere aliquo alio vt instrumento, quo seipsum moueat: & quanquam loquitur de primo instrumento, quod putat esse cor, tamen eadem est ratio in toto corpore, vbicunque sunt peculiaria principia mouendorum membrorum. Quare, cum instrumentum omne actiuum sit, & ad genus caussæ efficientis reducatur; non dubium est, quin quatenus instrumentum, potentiam aliquam actiuam habeat. Vnde fit, vt ad motum progressiuum tria principia effectiua sint necessaria; directiuum, quod pertinet ad potentias apprehensiuas; impulsiuum, quod ad appetitiuas; & executiuum, quod ad motiuas. Sed tamen pro his omnibus merito ab Aristotele tanquam præcipuum principium statuitur appetitus rationalis in hominibus, & sensitiuus in brutis animantibus; quia est completum principium principale administratiuum includens directionem intellectus aut sensus, & vtens motiuis potentiis, vt instrumentis: satis enim patet effectum magis tribuendum esse principali principio, quam instrumentali. Vnde fit, vt minus recte sentiant, qui existimant, potentias motiuas, quia disponunt membra, vt moueantur ab appetitu, non esse actiuas, sed passiuas; quasi vero non eadem potentia possit indigere concursu alterius superioris potentiæ (quod est suo modo posse ab ea pati) & simul cum ea, effectiue concurrere ad communem effectum vtriusque. Nec existimãdum est D. Thomam huic sententiæ refragari, sed potius vbicunque docere videtur, potentias motiuas, animalium esse passiuas, nihil aliud velle, quam non esse principales actiuas, sed instrumentales aliarum; præsertim, cum aliquando, eas appellet virtutes, quibus se animalia mouent, vt 1.p.q. 78. ad calcem 1. arg. Et in materia grauium, & leuium, non raro docere soleat, qualitates eorum motiuas, imo & formas substantiales esse principia passiua; quod non alia ratione, intelligitur, nisi quia non sunt motiua principalia, sed quasi instrumentalia generantium, quibus motus grauium, & leuium tribuitur; cum interim constet, eius etiam confessione, ea esse vere, ac proprie actiua.

Tria principia effectiua sunt opus ad motum progressiuum.

Male quidã potent. motiuas ponunt in passiuis.

Tertium assertum. Tertium est, in brutis quidem animantibus semper duas facultates cum potentiis motiuis effectiue concurrere, phantasiam scil. & appetitum sensitiuum; in homine autem quatenus, vt homo est, operatur, & has, & simul intellectum, & voluntatem. Id quod primum ex eo probatur, quia apprehensiuæ semper concurrunt effectiue cum appetitiuis sibi mutuo respondentibus, vt ex superiori disputatione patet: quod autem appetitiuæ eodem etiam modo concurrant cum motiuis, potiori ratione cõcedendum est. Apprehensiuæ enim ex prima sui consideratione non tendunt in res obiectas, sed eas potius ad se trahunt per earum species, vt eas apud se cognoscant; appetitiuæ autem exipsa etiam prima ratione sua feruntur in res, quas appetunt, & ad eas quodammodo egrediuntur: cum ergo apprehensiuæ nihilominus virtute sua quasi secundaria egrediantur ad appetitiuas, & ad earum actus concurrant, vt probatum est; potiori ratione appetitiuæ egredientur ad locomotiuas, vt effectiue cum eis concurrant. Vnde fit vt vtræque, tam apprehensiuæ, quam appetitiuæ cõcurrant effectiue ad operationes motiuarum. Deinde, quia qui aliquid ex parte conficiunt, per artem ipsam, quæ in ipsis est, sunt caussæ efficientes externorum operum, vt omnes fatentur, cum Aristotele ipso. Cum ergo non possint illa conficere, nisi applicante ad id voluntate motiuam aliquam poten-

potentiam, tanquam instrumentum operis faciendi: Applicatio autem instrumenti non fiat, nisi effectiue concurrente applicatiuo principio, ad opus instrumenti, necessario efficitur vt in operibus artis superior apprehensiua quæ est intellectus & superior appetitiua, quæ est voluntas, effectiue concurrunt cum motiuis ad ipsarum motiuarum opera. Idem autem dicendum est, de operibus quæ non fiunt ex arte, sed solo intellectu & voluntate, ac demum in motibus, qui sola imaginatione & appetitu fiunt, vt in brutis animantibus, & hominibus etiam quantocunque in suis motibus operatione intellectus non vtuntur: Est enim in omnibus par omnino ratio.

Postremo quemadmodum cætera animalia memoriis, aut imaginationibus sine memoria viuunt, hoc est, exercent operationes animalium proprias, ita homines arte aut ratione sine arte exercent operationes humanas, vt Aristoteles tradit ipso huius operis initio: At omnes huiusmodi operationes cum vitales sint procedunt effectiue, à principiis internis eorum à quibus exercentur, ergo omnes operationes brutorum animaliũ propriæ procedunt effectiue ab imaginatione cum memoria, aut sine memoria, & omnes eæ, quæ sunt propriæ hominum procedunt effectiue à ratione arte prædita, aut adhuc artis expertæ. Cum ergo motus locales animalium proprii, quos vocamus progressiuos, & in vitalibus operationibus numeramus, non procedant ab his principiis, nisi per appetitum sensitiuum, aut rationalem. Neque ab appetitu nisi per aliquod instrumentum internum, vt idem docet. 3. de Anima cap. 10. efficitur, vt imaginatio & appetitus sensitiuus concurrant effectiue, cum potentiis motiuis ad omnes motus locales animalium, vt animalia sunt, & intellectus ac voluntas cum potentiis motiuis hominum, vt homines sunt ad omnes eorum motus locales humanos.

Primum notandum. Hæc tamen vt melius intelligantur, nonnulla animaduertenda sunt. Primum, potentias appetitiuas esse per se subordinatas apprehensiuis, quia non sequuntur formas in esse reali, sed in esse apprehenso, vt superius dictum est; verum non omnes esse vtrique apprehensiuæ subordinatas, sed appetitiuam rationalem rationi, & sensitiuam, hoc est, irascibilem, & concupiscibilem imaginationi. Quod enim rationalis appetitus sit per se rationi subordinatus, ex eo patet, quod tam in bonis actibus, quam in peruersis semper sequitur aliquod iudicium rationis, vel absolutum scilicet, vel conditionatum, vt supra ostensum est. Quod autem sensitiuus non sit per se rationi subordinatus, non solum ex eo patet, quia in brutis animantibus nulla est ratio; sed etiam, quia in hominibus mente etiam sanis, & vigilantibus sæpe appetitus sensitiuus in suis actibus anteuertit omnem operationem intellectus. Vnde fit, vt cum necessario sequi debeat iudicium aliquod sensitiuum, non per accidens, sed per se sit subordinatus imaginationi, quæ omne iudicium sensitiuum complectitur.

Secundum. Appetitum sensitiuum non subordinari per se voluntati. Secundo loco illud considerandum, sensitiuum appetitum non esse per se subordinatum voluntati, non solum, quia reperitur etiam in brutis animantibus, in quibus non est voluntas, & sæpe in hominibus anteuertit omnem voluntatis operationem, etiam tunc, cum nullo modo ratio ligata, seu impedita est; sed etiam, quia sæpe repugnat voluntati contra iudicium intellectus, quod voluntas sequitur, vt patet in continentibus. Vnde patet non semper voluntatem effectiue concurrere cum appetitu sensitiuo, sed tunc solum cum iudicium imaginationis, quod hic appetitus sequitur, est consentaneum iudicio intellectus, quod sequitur voluntas.

Hoc autem cum sit, intensior est actus appetitus sensitiui, propter concursum effectiuum voluntatis superadditum ad eiusmodi actum eliciendum. Quin etiam tunc videtur actus voluntatis intensior esse, quam si appetitus sensitiuus ei repugnaret: non quia sensitiuus aliquid agat in voluntatem, sed propter consensionem, qua superiores potentiæ quasi applaudunt operationibus inferiorum politice sibi obedientium, cum hæ se superioribus accommodant.

Tertium. Tertio loco illud intelligendum, potentias motiuas, etsi in brutis animantibus, & in homine, etiam cum ratione non vtitur, sunt per se subordinatæ appetitui sensitiuo; in homine tamen, cum ratio soluta ac libera est, non appetitui sensitiuo, sed soli voluntati esse per se subordinatas. Imperante enim voluntate potentiis motiuis, nulla earum eius imperio resistit, quantumcumque repugnet appetitus sensitiuus, vt patet in actu Scæuolæ, cum manum prunis imposuit, & in acerbissimis Martyrum tormentis. Contraque licet appetitus sensitiuus impellat hominis animum, vt in alium locum etiam optatissimum se conferat, aliumue motum exer-

exerceat, qui ei maxime sit cordi, si voluntas repugnet, nihil omnino efficiet motiua potentia. Loquimur semper de ea, quæ per se cognitionem aliquam sequitur, ne quis in hac assertione comprehendi existimet motum cordis, ac genitalium membrorum.

A

Ratio autem, cur appetitus sensitiuus sæpe non obediat voluntati, imo etiam aliquando obedire non possit; huiusmodi autem potentiæ motiuæ semper, ac necessario illi obediant, nisi vi aliqua, aut indispositione subiecti impediantur, hæc est quia nimirum appetitus sæpe habet obiectum repugnans obiecto voluntatis; vt sunt in homine continente & incontinente honestas, & impura voluptas, in homine autem forti & ignauo, bellica gloria, & indecora incolumitas, qua de causa non est ille per se subordinatus voluntati, aut potentiæ motiuæ, cum non aliud obiectum seu potius suarum operationum terminum habeant, in homine vtente libero arbitrio, nisi quem ratio seu recta seu peruersa illi præscribit; necesse est, vt sint per se subordinatæ voluntati, quidquid appetitus sensitiuus obmurmeret, aut etiam à suo subiecto deflectere, & voluntati obedire non possit.

B

C

An Sacramenta compleantur per quid indiuisibile positiuum.

D

SECTIO V.

QVÆRAT fortasse aliquis num completum sit sacramentum nec ne, si baptizetur aut absoluatur aliquis, tum in vltimo instanti prolationis moriatur iste: Si dicamus esse completum quod videlicet motus in eo instanti sola negatione vlterioris progressus compleatur tum denuo obiicietur: Ergo dari à nobis completum sacramentum circa illum sine effectu sacramenti; qui enim baptizabatur aut absoluebatur non iam exstat, aut certe fateri nos sacramentalem formam habere effectum in anima quæ iam tunc est à corpore separata: quorum vtrumque absurdum putabit, cum tamen opponens neutrum admittere cogatur: dicet enim sacramentum non esse completum in proposito euentu, quia deerit illi complementum illud indiuisibile, quod existimat produci à ministro in fine absolutionis, aut prolationis verborum.

E

F

Verum hæc obiectio parum, aut nihil habet momenti: tum quia non dicimus sacramentum esse completum circa hominem in eo momento vita functum, cum immediate ante non esset completum; in eo vero instanti esse completum, sed non circa illum, quia iam non extat. Tum etiam, quia nihil habet absurditatis, completum esse sacramentum, nec tamen habere effectum gratiæ ab aliquo susceptæ, potest enim id accidere defectu suscipientis, vel quia in eo momento iam non extat, vt in proposito euentu; vel quia, si adhuc extaret, fortasse obicem peccati poneret. Proinde non est obiicienti formidandum, ne aliquid incommodi admittat, si fateatur sacramentum tunc esse completum etiam suo illo indiuisibili positiuo, si alioqui dari potest. Tum etiam, quia licet concederemus dari id indiuisibile (quod nobis in has quæstione obiicitur) nihil tamen contra nos colligeretur, quia si illud datur in sacramentis (vt verbi gratia si quis infans cum spiritum ageret baptizaretur, aut absolueretur quis à suis peccatis in mortis agone, & in vltimi verbi huius absolutionis prolatione moreretur) aut non potest vllam habere causam efficientem, aut si aliquo modo fit non fit nisi per actionem temporariam præcedentem per modum resultationis & complementi consequentis illam; quo pacto nos dicimus per accretionem quantitatis, quæ temporaria est, effici consecutiue positiuum terminum externæ superficiei, quæ illam ambit; & formam substantialem resultare in materia ex temporaria dispositione præcedente. Nec enim fieri potest, vt illud in eo instanti producatur à ministro, qui nihil ibi agit, nisi per motum ablutionis sacramentalis, ac verborum prolationis, qui motus iam in eo instanti non existit; neque alia causa proxima occurrit, à qua illud in eo produci possit. *Responsio.*

Deus enim in sacramenti gratiæ infusione non nisi per sacramentum, & cum sacramento agit. Quod si indiuisibile illud producitur consecutiue per actionem temporariam prolationis verborum iam tunc non existentem; cur non poterit per eandem in eodem instanti instrumentaliter gratia infundi, si nullus sit defectus ex parte suscipientis. Neque obest, quod D. Thom. 3. p. quæst. 78. ait, in vltimo instanti prolationis verborum verba sacramentalia consequi virtutem efficiendi; vnde videtur colligi putasse illum aliquid sacramenti existere in *Non illud ponit in sacrament. D. Th.*

eo instanti, quod virtutem totius sacramenti habeat; quod quidem aliud esse non potest, nisi illud indiuisibile positiuum, & completiuum. Sensus enim eius loci est, verba sacramentalia, quorum virtus completur cum sua significatione in eo instanti, in eo quoque consequi virtutem efficiendi, hoc est, complementum virtutis efficiendi: seu (quod eodem redit) efficaciam virtutis efficientis, quæ efficacia sine effectu non habetur.

Non agnoscit ergo seu vera, & germana Philosophia, seu sacra Theologia in iis rebus, in quibus hæc obsequio illius vtitur, vllum indiuisibile terminatiuum motus, aut mutationis, quod per nouam actionem momentaneam producatur, nisi vbi forma in suo esse non pendet à materia, vt in generatione hominis in qua humana forma à solo Deo per creationem accipit esse, & ab homine generante per resultationem in fine motus dispositiui, veræque generationis, accipit inesse.

Solutio quartæ rationis.

Sectio VI.

Dissoluũtur quinq; eius fundamẽta.

His præmissis facile diluentur quinque illa argumenta, quib. astruebatur quartæ rationis institutum, suadebaturque fieri non posse, vt anima rationalis esset eadem re ipsa cum sensitiua, & vegetatiua in homine. Primum enim dissoluitur hac distinctione: vegetatiuam, & sensitiuam extra hominem educi de potentia materiæ, quia sunt aliæ à rationali: at in homine non educi, nec vere produci ab homine, sed à Deo creari: quia sunt eadem cum rationali, quæ est immaterialis, & à nullo agente naturali produci potest.

In homine creat Deus animã vegetatiuã & sensitiuam.

Secundum non recte colligit fore, vt alioqui homo virtute sua non generaret hominem: sed solum corrumperet embrionem satis enim ad generationem hominis est, si homo virtute sua vniat animam rationalem cum corpore humano nec est necesse, vt effectiue causet ipsum esse animæ: seu, quod idem est, satis est, si sit causa efficiens inessendi animæ, etiamsi non sit essendi.

Homo generat homin. dũ attingit inesse anima rational.

Tertium, quod eodem vitio laborat, hunc in modum dissoluendum: non propterea naturam deficere in necessariis, quod homo in sibi simili generando non potest effectiue dare esse animæ rationali, sed tum demum futurum fuisse, vt deficeret, si ei dare non posset, *vt inesset*. Quanquam vero solus Deus, qui est supra omnem naturam, conferat esse animæ, non tamen propterea dicendum est, illum supernaturaliter, seu miraculose concurrere in generatione hominis producendo animam rationalem: producit enim illam more agẽtium naturalium, quia eo quasi pacto naturali, quod cum hac rerum vniuersitate pepegisse videtur id veluti pollicitus est, vt quandocunque materia ab homine disponeretur ad formam humanam, nunquam ipsi deesset in producenda ex nihilo eiusmodi forma. Id quod non defectui humanarum virium attribuendum est, sed excellentiæ humanæ formæ, quæ tanta est, vt à solo Deo produci possit.

Non miraculose Deus concurrit in gen. hom.

Retorqueri autem commode potest propositum argumentum in suos auctores hunc in modum: si ad generationem sui similis necesse est, vt generans producat formam, qua genitum ei simile futurum est, eique det esse; ergo etsi homo in generando homine producat in corpore animam sensitiuam, cum Deus producit rationem, non erit id satis, vt quatenus homo producat sibi simile, sed quatenus animal. Erit igitur homo in generando sibi simili deterioris cõditionis, quam quodlibet aliud animal; nisi dicatur, (quod asserimus) vt homo, quatenus homo, si generet sibi simile, satis esse, si per virtutem sui seminis disponat materiam ad susceptionem humanæ formæ; quod idem pene conceptis verbis scribit D. Thom. ad calcem citati loci primæ partis.

Retorquetur argũ aduers.

q. 118 Ar. 4.

Quod si quis obiiciat, animam humanam esse immaterialem, ergo non posse attingi ab homine actione materiali, vt eam ille corpori vniat: etsi obiectio male vexat recentiores quosdam dicendum est, tamen hunc in modum eam facile posse dilui: etsi anima humana non potest secundum se materiali actione naturaliter attingi, tamen eius vnionem cum corpore attingi posse, quia materialis est ex parte corporis. Modus enim se habendi corporis vniti ad animam, cui vnitur, (in quo modo ex parte corporis relatio vnionis fundatur) materialis est, quia est idem re cum corpore, a quo tantum modaliter distinguitur. Vnde fit, vt cum corpus materiali actione disponitur, vt vniatur animæ simul etiam anima dispositione ipsa corporis, non sua disponatur, vt vniatur corpori. Nam quemadmodum actione in rem vnam potest resultare relatio in altera non mutata; ita resultare potest purus se habendi modus ad illam, in quo relatio

Obiectio.

Solutio.

Cum anima rational. attingi nequeat actione materiali, cur possit eius vnio cũ corpore.

tio eius ad eandem fundetur, par enim est ratio in hisce rerum se habendi modis, cum respectiui sint, atque in ipsis respectibus, siue relationibus, quæ in eis fundantur. In idem ergo redeunt hæc duo, hominem materiali actione efficere, vt corpus vniatur animæ, atque efficere, vt anima vniatur corpori. Ac proinde, etsi homo non potest animam secundum acceptam materiali actione attingere, posse tamen attingere eius vnionem cum corpore. Neque ij, qui hac in re difficultatem sentiunt, alia de causa laborant, nisi quia putant generationem hominis esse momentaneam actionem, qua anima cum nuda materia vniatur; cum re vera vnio harum partium fiat actione præcedenti, qua materia disponitur ad formæ introductionem, quæ in fine dispositionis resultat. Vnde collige, nihil esse aliud dispositiones præcedentes attingere coniunctionem formarum substantialium cum materia, quam esse instrumenta, quibus agentia id faciunt: tametsi, hoc est, discrimen ex parte formarum, quod cæteræ omnes, præter rationalem, simul natura existunt, & materiæ vnitæ sunt, quia ab ea in suo esse pendent; rationalis autem prius natura existit, & est intime indistans ab illa, quam illi sit vnita, quia non pendet ab ea in suo esse, sed in suo inesse.

Quid sit dispos. præcedētes attingere coniunct. formar. cum materia.

Quartum recte soluet, qui dixerit, naturam animæ rationalis, quia virtute continet sensitiuam, & vegetatiuam, tantæ amplitudinis esse, vt possit esse principium contrariorum motuum secundum alium, & alium naturæ gradum, & conditionem. Nam secundum gradum vegetatiuæ inclinat ad motus, qui rationi non obediunt; secundum gradum sensitiuæ inclinat ad sequendum iudicium sensus, quod sæpe est cōtrarium iudicio intellectus; deniq; secundum eam conditionem, qua est incorruptibilis forma corporis, inclinat ad temporalia; secundum eam vero, qua in suo esse non dependet à corpore, inclinat ad æterna. Atq; ob huius pugnæ molestiam optabat natura humana in Paulo, vt eius anima à mortali corpore liberaretur, quam tamen molestiam Dominus suo gratiæ dono vincēdam illi esse dicebat.

Vnde habeat anima rational. quod sit principiū contrarior. motuum.

Ad Rom. 7.

Ad vltimum, quatenus corruptibilitati hominis innititur, dicendum est corruptibilitatem nō prouenire ex forma, sed ex ea materia, quæ multarum formarum substantialium est capax; quia dum appetit, quas non habet, expulsionem molitur eius, quam habet, etiamsi hæc natura sua sit incorruptibilis: satis enim est quod sit separabilis. Sed quoniam argumentum ratione extensionis corporeæ humanæ naturæ molestiorem difficultatem mouet, suamqte disputationem per se postulat, operæ pretium erit, si sub hoc generali dubitationis titulo discutiatur, Num præter formas speciales danda sit in quouis composito naturali forma corporeitatis re ipsa à specialibus formis diuersa, quæ forma det esse corporeum, & extensum substantiis compositis.

Corruptibilitas prouenit à materia.

Opinio eorum, qui ponunt formam corporeitatis distinctam reipsa à formis specialibus.

SECTIO VII.

Dari formam corporeitatis, per quam quælibet substantia composita, aut saltem quælibet animata in esse corporeæ constituatur: eamque esse re ipsa à specialibus formis diuersam, opinio est, quam amplectuntur in quartum sententiarum Scotus, Ochamus, Richardus, & alij complures non modo eorum sectatores, sed etiam qui Commentatoris doctrinæ in iis, quæ ad res fidei orthodoxæ non pertinent, sunt studiosi, quod dicant id eum significasse multis in locis. In homine autem solo id concedendum esse sentit Henricus Gandauensis pluribus quodlibetis. Quod igitur in omnibus compositis substantiis eiusmodi forma sit concedenda, sequentibus argumentis astruitur. Primum igitur sit quo clare ostenditur in omnibus compositis substantiis dari eiusmodi formam: quia forma, per quam composita substantia est corporea, nunquam separatur à materia; siquidem nunquam ex incorporea substantia fit corporea, neque ex corporea incorporea; cum tamen formæ speciales earum, quæ gignuntur, & intereunt, per generationem inducantur, per corruptionem separentur.

In omnib. substantiis cōposit. dari, docet Auicen. 1 sufficientia. c. 2. Salt. in Giut tib. Scot. d. 10 q. 4. & d. 11. q. 3. Ocham. q. 6. & 7. Rich. d. 11. a. 1. q. 3. & in 2. d. 17. a. 1. q. 5. Gnita Bassol. d. 17. Ant. Andr. hoc lib. q. 17. Dari in solo homine tenet Hēr. quodl. 1. q 4. quodl. 2. q. 2. quodl. 3. q. 9. & 8. quodl. 4. & 18 & aliis locis.

Deinde, quia formæ speciales non possunt induci in materiam puram; quæ ex se inextensa est; sed in eam, quæ mole corporea affecta sit, actionemq; generantis suscipere possit; moles autem corporea necessario supponit in materia substantialem corporeitatis formam.

Arg q. astruunt dari in omnibus.

Tertio, quia cum materia disponitur ad nouæ formæ substantialis introductionem, necesse est, vt dispositiones, quæ in eam introducuntur, maneant in eadem materia sub

forma substantiæ genitæ, cum iccirco introducantur, vt illa per eas instrumentaliter inducatur, & conseruetur: quod si ita est, (*quod etiam Aristoteles docere videtur in mutua generatione elementorum, cum alterum generatur ex eo, cum quo conuenit in altera primarum qualitatum, idemq; patet in motu cadentis animalis, quod in medio eiusdem numero motus interi.*) nō dubium videtur, quin semper in materia substantiarum, quæ gignuntur, & intereunt, subsit corporeitatis forma, ratione cuius idem accidens permaneat in substātia genita, quod fuit incorrupta.

2. de gen. c. 4. tex. 55.

Alia, quæ ostēdunt dari in viuētib. aut saltem in homine.

Propriis autem, & peculiaribus rationibus id concedendum esse in viuentibus, potissimum vero in homine, multis in philosophicis, & theologicis argumentis videtur omnino concludi.

Primum, quia cum anima, & corpus distinguantur tanquam res à re, (*vt omnes concedūt*) necesse omnino videtur esse, vt corporeitatis forma eodem modo distinguatur ab anima; corpus enim non minus per formam corporeitatis constitui debet, quam album per formam albedinis, id est, per albedinem.

2. De anima, c. 1. tex. 6.

Deinde, quia anima definitur actus corporis; materia autem prima non est corpus, sed id, ex quo primo componitur corpus, quod ponitur per se in prædicamēto substantiæ, vt molis corporeę sit capax: dicim' enim vnumquodq; viuens esse compositum ex corpore, & anima: cum interim nemo dicat, nō viuentia, vt aquam, & lapidem esse composita ex corpore, & forma, sed ex materia, & forma. Id quod recte annotauit Auerroes, cum dixit formam non viuentis esse formam entis in potentia, formā autem viuentis esse formam entis in actu.

Tertio, quia anima non definitur actus cuiuscunq; corporis, sed physici organici: huiusmodi autē corpus necessario includit corporeitatis formam, vt patet.

Quarto, quia viuentia, potissimum vero sensitiua, continent animam vt partem mouentem, & corpus vt partem motam: id autem quod modum suscipit, corporeitatis formam habeat necesse est; quia subiectum motus non est pura potentia, vt docet Aristoteles 5. Physic. & 1. de generatione, sed ens in actu; quod non est tale nisi per formam substantialem, qua constituitur in esse corporis.

c. 1. tex. 7. & 1. c. 4. tex. 24

Quinto, quia homo (vt de eo solo sit sermo) est corporeus, & extensus, vt superius argumentabamur: forma autem humana cum sit incoporea, & inextensa, non potest

A dare esse corporei, & extensionem habentis: vnde fit, vt necessario supponat formam aliquam corporeitatis, qua homo sit corporeus. Quod idem probari potest de quibusdam aliis animalibus perfectis, si eorum formę sunt indiuisibiles, & inextensæ, vt est D. Thomæ sententia.

1. p. q. 76. & 2. cōtra gent. c. 72. In 2. d. 18. & ad r. p. D. Th. q. 118. ar. 2.

Sexto, quia homo ratione corporis est ex traduce, vt Theologi loquuntur, hoc est à parentibus trahit originem, ratione vero animæ non est ex traduce, sed à solo Deo: (B) aliquam ergo formam corporis accipit homo à parentibus re ipsa diuersam ab anima, quæ à solo Deo creatur: vnde Augustinus lib. 3. de Trinit. *Est* inquit *in corpore humano quædam moles carnis.* (id est, corporis) *& formæ species, & ordo, distinctioque membrorum, & temperatio valetudinis: hoc corpus inspirata anima regit, eademq; rationalis.* Quod idem luculente docet Ambrosius in lib. de Incarnatione Domini, (C) Damascenus lib. 3, orthodoxæ fidei, & alij Patres multis in locis.

cap. 9. cap. 2.

Septimo, quia idem fuit Christi corpus mortuum, quod fuerat, & futurum erat viuum; eadem defuncti, & viuentis caro, vt Augustinus scribit in Psalmum 49. Hilarius 10. de Trinitate, & alij Patres iuxta * illud propheticum, *Caro mea requiescet in spē.* & illud † Euangelicum, *Mitte manum tuam in latus meum*, &c. adeo, vt * Henricus in quodlibe- (D) tis de fide esse credat idem prorsus numero & quoad materiam & quoad formam fuisse corpus Christi Domini in sepulchro, quod fuerat in cruce, & futurum erat gloriosum. Si ergo idem fuit, & quoad materiam, & quoad formam; (alioqui simpliciter, & absolute non esset idem numero) ergo alia re ipsa erat, ac est in Christo viuente forma corporis, vt corpus est? alia forma viuentis, vt viuens est. Accedit, quod corpus Chri- (E) sti mortui, & viuentis non potest simpliciter dici idem numero ratione solius materiæ; alioqui res genita, & corrupta dici possent propter communem eandem materiam simpliciter, & absolute eadem numero; cum tamen vere, & absolute dicantur differre non numero tantum, sed etiam specie. Adde, quod in sepulchro Domini nec fuisse videtur sola materia prima; neque etiam materia informata forma viuentis, (F) vt patet; nec denique materia informata per nouam formam substantialem; ergo informata per aliquam corporeitatis formam. Quod autem non per nouam, ex eo ostenditur, quia oporteret eam formam assumi à Verbo diuino, quandoquidem neque ea per

*Athan. ad liber. Greg. homil. 29. in Euang. & Leo. ser. 1. de Ascē. * Psal. 15. † Ioan. 20. * Quodl. 1. q. 4. & quodl. 2. q. 3.*

ea per se subsistere posset, quia esset materialis; neque interuentu materiæ assumeretur; cum forma non sit assumpta per materiam, sed materia per formam, vt tradunt Theologi; atque adeo fieret, vt assumpta in triduo ea noua forma dimitteretur in resurrectione, sicque aliquid assumpsisset verbum diuinum, quod aliquando dimisisset, quod pugnat cum illo Damasceni pronuntiato à tota Theologorum schola recepto *Quod verbum diuinum semel assumpsit, nunquam dimisit.* Denique ea noua forma esset forma cadaueris, cadauer autem cum suapte natura sit putredini obnoxium, indecenter vtique assumeretur à Verbo eius forma. Quo fit vt potius dicendum sit, formam corporis Christi Domini vita mortali defuncti fuisse eandem, quæ fuerat in viuente: cum ergo non fuerit anima ipsa, quæ cum primum à corpore separata est ad inferos descenderat; perspicuum videtur fuisse illam, qua Christus viuens erat corporeus, & ea ratione putredini minime subiectus.

3. fidei c. 3. & & 26. & lib. 4. c. 1.

Postremo, idem probatur ex sacro Eucharistiæ mysterio. Cum enim in eo ex ipsa vi verborum conuertitur panis in corpus Christi & vinum in eius sanguinem, tota substantia panis conuertitur in totam substantiam corporis Christi, & tota substantia vini in totam sanguinis substantiam; atque hac ratione ea conuersio cõmuni catholicæ Ecclesiæ vsu aptissime transsubstantiatione appellatam esse sancta Tridentina Synodus declarat. Cum ergo nominibus panis & vini intelligantur composita quædam substantialia, non materia sola, nec materia cum accidentibus panis, & vini; intelligenda quoque erunt nominib. corporis, & sanguinis Christi Domini composita substantialia, non materia sola, nec materia cum accidentibus: atqui nomine corporis ex ipsa Christi Domini institutione intelligitur indifferenter corpus eius seu viui, seu mortui, vt illud est pro tempore quo verba consecrationis proferuntur: (*absolute enim prolata sunt, vt etiam in triduo mortis conuersionem panis operari possent*) ergo corpus Christi Domini, quod in sepulchro iacuit, non erat sola materia non materia cum solis accidentibus, sed compositum ex materia, & forma corporeitatis substantiali ab anima absente re ipsa diuersa, & eadem, atque illa, qua corpus Christi viuentis erat constitutum in esse corporis. Accedit, quod Christus Dominus corpus suum vocauit, cum dixit, *Caro mea vere est cibus*; caro autem non est sola materia, nec materia

Sess. 13 c. 4.

Ioan. 6.

A cum accidentibus, nec item materia cum anima ipsa quandoquidem hac separata eadẽ caro in sepulchro iacuit, vt Patres communi consensu volunt: est igitur compositum quippiam ex materia, & forma corporeitatis, quæ fuerat in Christo viuente.

Illud autem in hac opinione animaduertendum in primis est, eos, qui vniuerse in omnib. substantiis compositis huiusmodi formam esse existimant, addere consequenter, B formam hanc esse coæuam materiæ, neq; vnquam induci aut expelli. Deinde omnes eos velle illam disponere materiam ad alias formas substantiales recipiendas: quo fit vt quidam eam appellent inchoationem formarũ nempe specialium. Præterea esse ex iis, qui dicant in morte hominis illam relinqui solam in materia.

Quæ addant autores formæ corporeitatis.

Scotus cum suis.

Addit vero Henricus (qui interdum illam quemadmodum & Scotus, mixtionis formã nominat) id factum esse supernaturaliter in C Christo Domino, cum in aliis hominibus oppositum asserat. Denique, adiungit, eandem cum materia non constituere suppositum, eo quod eadem numero potentia materiæ, qua recipitur, ampliorem perfectionem expectet ex rationalis animæ aduentu, & informatione.

Quodlib. 2. q. 2. & quodl. 3. q. 8.

Quodl. 4. q. 12.

D *Non esse ponendam corporeitatis formam ab specialibus formis re ipsa diuersam; & solutio argumentorum, quibus ea vniuersim astruebatur.*

SECTIO VIII.

NON esse tamen ponendam corporeitatis formam materiæ coæuam, & ab specialib. formis re ipsa diuersam, est haud dubie Aristotelis sententia quam D. Tho. & alii plurimi graues autores sequuntur.

Autores & rationes pro vera sentent. D. Th. 1. p. q. 76. a. 4. de anima q. 9. quodl. 9. a. 11. & quodl. 11. a. 5. Abul. in Matth. c. 22. q. 283. Heru. tract. de vni. form. q. Vlt. Greg. in 2. d. 17. q. 2. Mars. in 3. q. 13. a. 1. Argen. in 4. d. 13 q. 1. ar. 1. Capr. in 2. d. 13. q. Vni. a. 1. Hispal. ibid. a. 4. Caie. ad cit. locum primæ partis Ferr. 2. cõtra gent. c. 58. & lib. 4. c. 64. & plerique alii.

E Primum quia huiusmodi forma superuacanea est, cum quælibet specifica secundũ eam perfectionem, in qua cum omnib. aliis substantialibus conuenit, det esse corporei. Quid enim sit illud, quod quælibet cum omnibus aliis habet commune, nisi quod det esse corporeum nihil omnino inuenies: substantia enim corporea in commune, vt etiam cœlum complectitur, composita est ex materia, & forma, vt libro decimo patebit.

F Deinde, quia saltem in iis substantiis, quæ gignuntur, & intereunt, ea forma dari non potest; in quibus tamen solis ea à suis autoribus ponitur à specialibus re ipsa diuersa. Hoc enim interest inter subiectum generationis, & corruptionis, ac subiectum cuiuscunque

cunque motus quod illud est pura potentia, hoc est, ens potentiale destitutum omni forma, hoc autem est in actu: seu compositum ex materia, & forma, vt Aristoteles tradit 1. & 5. Physicorum, & priori libro de Generatione. Vnde patet, antequam per generationem introducantur formæ speciales, nullam substantialem formam eas præcedere in materia vt illi coæuam, aut post corruptionem in eadem remanere.

c.7.tex.69. c.tex.7.& 8. c.4.tex 13.& [illegible]

Tertio, quia si forma corporeitatis esset coæua materiæ, omnes aliæ formæ, quæ in ea inuicem succederent, essent accidentales, vt Aristoteles contra veteres Naturales lib. 1. huius operis, & aliis locis asserit, ex quo dogmate colligit nullam re vera eos posuisse generationem, aut corruptionem substantialem, cum omnes primum subiectum fecissent ens in actu, aut aquam, aut aerem, aut quid simile.

Ad finem c. 4. & lib. 1. de gener. c. 1. tex. 1 & lib. 2. c. 1.

Neque audiendi sunt hac in re quidam nostræ ætatis Philosophi, qui volunt Aristotelem non negasse subiectum generationis esse ens in actu, nisi in generatione elementorum: vniuerse enim loquitur Aristoteles de quauis substantiali generatione, vt luce clarius est eisdem locis. Quamquam pro nobis etiam sunt hac ex parte hi autores, cum saltem in elementorum generatione fateantur nullam formam corporeitatis elementorum formis subesse.

Vt Bonamicus libr. 6. de motu c. 13.

Quarto, quia si substantiæ corporeæ speciales ab alia forma substantiali sunt corporeæ, ab alia vero sunt huius, vel illius speciei; redeunt argumenta omnia, quæ superius cõtra Iandunum proposita sunt: hoc enim pacto eadem esset ratio de omnibus generibus mediis inter substantiam corpoream, & speciem infimam cuiusque rei naturalis, vt omnia per formas re ipsa distinctas constituta essent.

Quinto, quia quælibet specialis substantia corporea non solum est essentialiter corporea: sed etiam essentialiter substantia, vt patet: aut ergo per eandem formam est substantia, per quam est corporea, aut per aliam: si per aliam, ergo formam corporeitatis antecedit alia substantialis forma quod oppositæ sententiæ autores negant, si vero per eandem, ergo negare non debent per eandem specialissimam formam posse substãtias corporeas esse & tales substantias, & substantias corporeas.

Postremo, quia si alia re ipsa esset forma corporeitatis à forma specifica cuiusq; substantiæ corporeæ, (*siue in omnibus rebus naturalibus id concedendum esset, siue in solis viuentibus aut etiam in solis hominibus iuxta varias opiniones.*) certe compositum ex materia, & forma corporeitatis esset substantia incompleta, quia re ipsa, naturaq; sua esset pars reali compositione constituens substantiam completam. Aut igitur ignis, verbi causa, & homo nõ essent substantia corporeæ, sed composita quædam posteriora ex corporea substantia, & suis specialib. formis constituta; aut si sunt corporeæ substantiæ, (*vt re vera, & quiditatiue sunt*) alia vtique ratione sunt corporeæ substantiæ, quam per formam corporeitatis à suis specialibus re ipsa diuersam, nempe per ipsas easdem quibus in suis speciebus constituuntur, spectatas tamen secundum communem perfectionis gradum in quo cum cæteris conueniunt.

Soluuntur arg.

Ad primum igitur oppositæ sententiæ dicendum, corpoream substantiam nunquam per se generari, quemadmodum nec substantiam, neque ens neq; etiam substantiam corruptibilem, vt talia sunt; quia nunquam fieri possunt ex non talibus; per accidensque omnia hæc generari, & corrumpi, cum speciales substantiæ generantur, & corrumpuntur. Nã dum animalia quædam ex aliis animalibus immediate gignuntur, vt ex vermibus quibusdam papiliones, non generatur per se animal, cum non gignatur ex non animali, sed generatur per accidens, quia cum forma talis animalis abiicitur per se tunc animalis forma abiicitur per accidens, seu (quod idem est) ratione formæ specialis quæ eadem re ipsa est cum generali. Hunc ergo in modum abiicitur vera forma corporeitatis in omni generatione; quia cum sit eadem re ipsa cum specialibus, his expulsis illa quoque ratione earum expellitur.

Ens substantia, item corporea subst. & corruptibilis, vt talia sunt, cur nunquam generentur per se.

Ad secundum dicendum, materiam ex se inextensam esse, & propterea posse suscipere formam substantialem, quæ in fine eius actionis qua generans generat introducitur; molem autem corpoream, quæ necessaria est ad actionem generantis suscipiendam, non supponere aliam formam corporeitatis, quã rei, quæ tunc corrumpitur vt ex ea corrupta alia generetur.

Disposit. quæ præparant materiam, cur non maneant sub forma geniti.

Ad tertium dices non solum non esse necesse, vt dispositiones, quibus materia præparatur ad nouæ formæ substantialis introductionem, maneant in ea sub forma rei genitæ, sed etiam id fieri non posse naturaliter; quandoquidem cum forma, quæ expellitur, ipsæ quoque dispositiones introductiuæ naturali ordine expelluntur, vt nouam formam aliæ

aliæ similes conseruatione, atq; adeo iam cõpletæ, virtute præcedentium naturaliter sequantur. Et quamquam generantis intentio est, vt introductiuæ dispositiones sint etiam conseruatiuæ formæ inducendæ; per accidens tamen euenit, vt introductiuæ expellantur; cum forma præcedens expellitur: eo quod materia prima non sit satis ad eas retinendas abiecta forma; sub qua eas à generante acceperat. Vnde quod Aristoteles ait de elementis conuenientib. inter se in altera primarum qualitatum, (*quæ elementa ille vocat symbolica, quod eam qualitatem quasi societatis symbolum commune habeant*) sic intelligendũ est, vt qualitas communis geniti, & corrupti sit eadem numero per se, hoc est, ex intentione generantis; sed tamen sit alia numero per accidẽs, quia præter eius intentionem expellitur ad expulsionem formæ corrupti. Quod autem additur de animali moriente in medio motu, cum à loco aliquo prealto cadit, etsi verum apparet, quia sensus iudicat eum motum esse vnum numero, ratione tamen, ad quam præcipue spectat iudicium de identitate, & diuersitate rerum, deprehenditur non esse vnum numero sed duos, quorum alter sine quiete media succedit alteri propter diuersitatem subiectorum mobilium, quorum identitas numeralis requiritur ad identitatem numeralem motus, vt Aristoteles 5. Physicorum docet. Itaque in eo instanti, quo primum animal esse definit, & cadauer esse incipit, non datur vllum mutatum esse, nec terminatiuum motus animalis quod tunc primum non est; nec continuatiuum motus alicuius mobilis, quod antea fuisset, & postea futurum esset. Atq; in eo & similibus euentibus datur motus terminatus, cuius nullus est intrinsecus terminus.

Vt sit elemẽt. symbolicũ communis eadẽ numero qualitas.

cap. 4. tex. 35.

Solutio duorum argumentorum ex iis, quibus astruebatur dari formam corporeitatis in solis viuentibus, quidq; sit corpus vt est altera eorum pars.

SECTIO IX.

AD primum vero eorum, quæ pro forma corporeitatis viuentium proponuntur, dicendum est, etsi anima distinguitur à corpore viuente tanquam res à re; tamen quia corpus viuens per animam est non solum viuens sed etiam corpus non sequiveram corporeitatis formam esse in eo distinctam ab anima vt rem vnam ab alia re.

Ad secundum plures sunt modi respon- A dendi, quia non satis constat, quid intelligatur nomine corporis, cum anima definitur esse actus corporis, & viuens dicitur constare anima, & corpore.

Quid est corpus, prout est altera pars viuentis?

Acmissa opinione eorum, qui corpus (*quod hac in dubitatione substantiam esse supponimus*) non distinguunt à trina dimensione, cuius sententiæ videtur fuisse Philonus lib. 11. contra Proclum; tres sunt verisimiliores sentiendi modi de hac re.

Reiicitur 1. opinio.

B Nominales fere dicunt corpus, vt ab anima distinguitur, esse solam materiam nulla omnino forma inclusa, aut connotatã; quos sequuntur in hac re recentiores quidam etiã Philosophi. Id quod duabus potissimum rationibus probant. Vna quia esse corporeum, & materiale idem sunt: quo fit, vt corpus quoque, & materia, à quibus illa dicuntur, idem sunt. Altera, quia omnia corpora conueniunt vniuoce in eo, quod sunt corpora: cum ergo C non conueniant ratione formæ, quia corpora non sunt formæ, conuenient vtiq; ratione materiæ quia sunt materiæ.

2. sententia. Vt Gab. in Can. lect. 41. Maior in 4. d. 10 q. 5. Zabarel. lib. 2. d. 1. verum materia à c. 17. & alii.

Verum hæc sententia non est probanda cũ plus aliquid significetur nomine corporis, quam materia prima nude considerata; alioqui recte quis diceret, ignem lapidem, & alia non viuentia constare ex corpore, & forma, quod tamen nemo dicat: cum potius hæc ipsa appellentur corpora. Nec prior eorum ra- D tio quicquam efficit; Nam etsi materiale & corporeum idem sunt re ipsa; tamẽ eorũ ratio diuersa est: materiale enim à materia sola dicitur, corporeum autem materia cũ forma aliqua substantiali, aut accidentali, vel inclusa, vel connotata, vt mox patebit. Nec vero posterior ratio aliquid cõcludit, quia quemadmodum corpora particularia non sic conueniunt in forma, vt sint formæ; ita etiam nõ E sic conueniunt in materia, vt sint solæ materiæ: conueniunt ergo in materia certo quodã modo effecta, vt explicabitur.

Refellitur.

Soluuntur eius rationes.

Alii partim nominales, partim Auerroistæ, volunt materiam sub quantitate dici corpus: verũ non eodem modo id intelligunt. Priores enim nomine materiæ sub quantitate significant materiam, vt est quantitatis capax; posteriores autẽ, vt actu est quanta, quod accipiunt ex ea Auerrois opinione, quæ existimat quantitates interminatas esse coæuas F materiæ. Huius totius sententiæ ratio est, quia materia quatenus nuda omnino consideratur, nõ habet rationem corporis. Neutri tamen recte sentiunt, non solum ea ratione, qua impugnata est proxima opinio, cum etiam ex hac sequatur recte dici posse non viuentia

3. Sent. anceps.

Improbatur.

uentia constare corpore, & forma, quæ locutio absurda est; sed etiam, quia accipiunt corpus mathematice, hoc est, præcisa ratione, respectuq; qualitatum, quo pacto corpus sumi non potest in definitione animæ: hac enim ratione iam corpus non consideratur vt naturale, sed vt mathematicum, fundamentaliter, aut formaliter. Accedit contra posteriorum sententiam, quod dimensiones interminatæ, ac coæuæ materiæ nullæ sunt, vt proximo libro patebit. Neq; argumentum quo vtriq; vtuntur, vllam vim habet, quia alia ratio materiæ inueniri potest, sub qua illa dicatur corpus, vt patebit.

4. senten. eaque Thomistarum & item bimembris.

Denique alii sentiunt, nomine corporis & in definitione animæ, & cum viuentia (*præsertim animalia*) diuiduntur in corpus, & animam, intelligendam esse materiam cum anima ipsa aut simul sumpta, aut certe connotata, seu insinuata; non tamen, vt anima dat esse animati, sed quatenus dat esse corporei, sumpta differentia corporei, vt cõstituit substantiam corpoream in prædicamento substantiæ, præcisa omni consideratione quantitatis trinæ dimensionis. Atque hæc bipartita opinio propria est sectatorum D. Thomæ, qui & in 1. p. q. 76. & aliis locis intelligit nomine corporis non ipsam materiam solam, sed materiam cum anima, quatenus dat esse corporeum, altero ex modis explicatis, iuxta aliam, atque aliam Thomistarum explicationem.

Art. 4. ad 1. & in quæst. de anima q. 1 a. 1 & alibi.

Prioris membri auctores sic illud probant. c. 6 tex. 52.

Ac priores quidem his fere rationib. suam sententiam confirmant. Primum, quia corpus & in definitione animæ, & cum viuentia diuiduntur in animam, & corpus, sumi debet, vt est pars substantiæ viuentis, ac proinde vt est substantia, siquidem substantia non cõponitur ex non substantiis, vt Aristoteles docet 1. Physicorum: non potest autem sumi pro sola materia, vt probatum est: ergo sumitur, inquiunt, pro materia informata per animam: atqui non per animam, vt dat esse animati, quia corpus vt corpus est, non est idem, quod aliquid animatum; ergo vt dat esse corporeum præcise.

Deinde, quia anima expresse dicitur in definitione esse actus corporis naturalis, non mathematici: corpus autem naturale non est materia nuda; nõ item materia cum accidente aliquo, aut accidentib. ergo materia cum anima ipsa simul, quatenus dat esse corporei in prædicamento substantiæ.

Postremo, quia transsubstantiatio in sacramento Eucharistiæ terminatur ad totam aliquam substantiam, quia est conuersio totius substantiæ in totam substantiam: ergo panis non transsubstantiatur in solam materiam; neq; in materiam cũ accidente aliquo aut accidentibus: sed in materiam cum anima simul, vt dat esse corporei. Et confirmatur primo, quia vinum etiam transubstantiatur non in solam materiam sanguinis, sed in totã sanguinis substantiã. Secundo, quia corpus Christi Domini, cum erat in sepulchro, poterat esse terminus conuersionis sacramentalis, si tũc fieret: at non erat sola materia, sed materia cũ forma cadaueris, ergo, &c. Atq; hæc est communior Thomistarum sententia, videturque plane à D. Thom. explicata 3 par. q. 75. art. 6. ad 2. vbi sic ait: *Conuertitur igitur forma panis in formam corporis Christi, secundum quod dat esse corporeum, non secundum quod dat esse animatum tale anima.*

Palud. in 4. d. 11. qu. 3. Capr. in 2. d 15. q. vnica ar. 3. Hispal. ar. 4. Caiet. 1. p. q. 76. articul. 4. Ferr. 4. contra gen. c. 64. Sonc. 8. metaph. q. 11. & aliorum.

Impugnatur rationibus.

Sunt tamen contra hanc sententiam nec pauca, nec infirma argumenta, quorum primum huiusmodi fit. Anima non est actus compositi substantialis, neque ad illud refertur tanquam substantialis perfectio ad suum proprium perfectibile, sed ad materiam primam apte dispositam per accidentia, quibus fit capax animæ recipiendæ: at materia prima simul cum anima, vt dat esse corporei, conficit compositum substantiale: cum igitur anima definitur per corpus tanquam actus, & perfectio per suum proprium perfectibile, non sumitur corpus pro composito ex materia, & anima ipsa, vt dat esse corporei.

Arist. 2. de anima. c. 1. tex. 6.

Secundum. Anima non solum definitur Actus corporis, sed etiam, naturalis organici, quale est omne corpus viuentis: ergo si corpus in ea definitione sumitur pro composito ex materia prima, & anima ipsa, certe anima non erit intelligenda ex parte corporis, vt dat solum esse corporei, sed etiam viuentis siue animati, vt sit definitionis sensus animam esse actum viuentis, seu animati, vt animatũ est: quod etsi D. Thomas aliquando videtur concedere, vt anima intelligatur definiri per suum effectum formalem, quo pacto qualitas definitur per quale, & lux per lucidum; tamen id asserere absurdum videtur; tum quia hoc pacto facilimum esset omnes formas definire, cum tamen animæ definitio non parum laboris exhibuerit Aristoteli; tum etiam, quia definitiones huiusmodi à posteriori, & imperfecte naturam formarum declarant, cum tamen Aristoteles à priori progressus sit, ea prioritate, qua potentia in suo genere est prior eo actu, quem recipit: tum denique, quia si anima, non solum vt dat esse

1. p. q. 76. a. 4 ad 1.

Definitiones per effectum formal. à posteriori, & imperfecte naturam rei declarant.

esse corporei, sed etiã vt dat esse animati, includitur in corpore organico, iam corpus organicum non sumitur in ea definitione pro altera parte viuentis, ex qua cum anima viuens constituitur, vt est omnium communis sententia, & ex discursu Aristotelis in colligenda animæ definitione plane cernitur. A

Tertium. Si nomine corporis, quod in definitione animæ ponitur, intelligeretur compositum ex materia, & anima, vt dat esse corporei, iam corpus in ea definitione positum B esset substantia corporea, ac proinde poneretur directo sub genere summo prædicamenti substantiæ, prædicareturq; in recto, & quidditatiue de viuente, seu corpore animato: ac denique nullum esset discrimen inter corpus, quod est altera pars cõpositi, & corpus, quod ponitur species substantiæ prædicamentalis contra diuisa spiritui: quæ omnia sunt contra communem Philosophorum, & Theologorum sententiam. Id autem sequi ex eo patet, C quia corpus in ea definitione pro materia viuentis sumitur ab Aristotele, vt legenti perspicuum est.

Quartum. Quemadmodum diuisio, & separatio animæ a corpore, cum viuens moritur, realis est: & ita eorum coniunctio in viuente debet esse realis: cum igitur expulsa in morte anima à corpore nihil animæ relinquatur inclusum in corpore: ita cum in generatione iungebantur, nihil animæ in eo in- D cludebatur, sed realiter tanquam res à re distinguebantur, realemq; compositionem faciebant, faciuntq; in quolibet viuente, ita vt nihil reale includatur in vno, quod in altero includatur. Atque ob hanc causam ait Athanasius in Symbolo, *Sicut anima rationalis, & caro*, hoc est, corpus, *vnus est homo; ita Deus, & homo vnus Christus*, vt ostendat naturam diuinam, & humanam non esse confusas in Christo Domino, vt Eutychiani dicebant: E sed quemadmodum nihil animæ includitur in corpore, nihilq; corporis in anima, ita nihil humanitatis includi in diuinitate, nihilque diuinitatis in humanitate.

Alia rationes ducta à sacra Euchari.

Postremo idem probatur ex sacro Eucharistiæ mysterio. Primũ quia si nomine corporis intelligeretur cõpositum ex materia, & anima, quatenus est forma dans esse corporis; cũ panis conuertitur in corpus Christi, non conuerteretur in aliquid singulare: nisi per F accidens: nam gradus, quo anima dat esse corporei, nõ est aliquid singulare: nisi quatenus contrahitur per inferiores differẽtias ad hanc animã singularem: at cõuersio panis in eo mysterio fit per se, & ex vi verborum in aliquid singulare, ꝙ formaliter & determinate significant verba illa [*corpus meum*] ergo, &c.

Deinde, quia si corporis nomine significatur compositum ex materia, & anima, quatenus dat esse corporis: pari ratione nomine corporis Christi formaliter, & expresse significabitur compositum ex materia, & anima Christi, quatenus dãt esse huius humanitatis Christi: ac proinde cum conuersio panis fiat ex vi verborum in corpus Christi: hoc enim formaliter significant verba illa sacra [*Hoc est corpus meum*] terminabitur vtique conuersio panis ex vi verborum ad totam humanitatẽ Christi: ac proinde ad animam Christi, non solum vt est forma corporis, vt volunt ij, contra quos disputamus; sed etiam est anima Christi; quod pugnat cum doctrina Concilij Tridentini sessione 13. cap. 3 vbi conuersio panis dicitur non terminari ad animam ex vi verborum, sed ex naturali concomitantia animæ cum corpore: quin etiam terminabitur eadem panis conuersio ex vi verborum ad sanguinem, (quod eodem decreto negatur) quia sanguis est de integritate humanitatis Christi.

Ad quid terminetur ex vi verbor. cõuersio panis.

Tertio, quia si corpus, quod contradiuiditur animæ, includit in sua ratione animam, vt est forma corporis: non fuit vtique corpus Christi Domini in hac mortali vita, nec nunc est in illa beata, illud idem simpliciter, quod fuit in sepulchro: at Patres simpliciter idem scribunt fuisse corpus Christi, quod natum est de Virgine, atque id, quod iacuit in sepulchro, quodq; nunc est in cœlo; adduntque † Scholastici, quod in triduo passionis esset in Eucharistia, si tũc consecratio fieret. Sequela perspicua est, quia anima Christi Domini in triduo passionis, cum esset separata à corpore iacente in sepulchro, non potuit ei dare esse corporis; quare nec dare esse eius corporis. Nec vero forma cadaueris, quæ animæ successit, eam identitatem continuare potuit, cum mutata substantiali forma non iam sit idem compositũ substantiale, nisi per accidẽs, & secundum quid, nempe ratione eiusdem materiæ subeuntis aliam, & aliam formam; aut eiusdem suppositi sustinentis successiue aliam, & aliam naturam.

Idem Christi corpus, quod sumptũ est de virgine, & nũc est in cœlo, iacuit in sepulchro. Ambr. 4. de sacra. c. 4. & 6. Aug. cõtra Felician. c. 14 & serm. 3. de Ascens. & alii, quos vide supra sect. 7. † D. Th. 3. p. q. 76. a. 1. & 2 & q. 81. a. 4 & plerique omnes.

Dicendum igitur, corpus, per quod anima definitur tanquam per alteram partem, ex qua tanquam ex materia viuens generatur, atque componitur, & in quod etiam resoluitur, non includere animam, nec quatenus ex forma corporis, nec quatenus anima; sed eo nomine, cũ de hac re disputatur, significari materiam quatenus apta est præcise ad animam recipiendam: sic enim est altera realis pars viuentis. Quia vero illa non fit præcise apta ad animam recipiẽdam, nisi disponatur & quantitate debita, & figura instrumentorum

Vera difficul. resolutio. Ita Greg. in 2. d. 16. q. 2 Argẽ. in 4 d. 13. q. 1 a. 1 Æg. à theorẽ 26 vsq; ad. 31. Alẽs. 4. p. q. 38. mẽb. 5 imo & D. Th. de Spiritualibus creaturis q. 1. a. 3. ad 2.

eorum ad opera vitæ exercenda, & qualitatibus toti, & cuiq; parti debitis; iccirco etsi solam materiam formaliter significat, eam tamen non significat nisi connotando simul, siue insinuando, adsignificandove accidentia omnia, quibus eius aptitudo, quam habet ad varias formas, limitatur ad hoc, vt sit propria viuentis. Atque hac de causa explicat Aristoteles materiam, vt est proprium, & peculiare animæ subiectum, per tres quasi gradus dispositionum a communiorib. ad minus communia progressus; ita vt primo loco dicat, animam esse actum corporis, hoc est, subiectæ substantiæ, vt capax est quantitatis trinæ dimensionis: deinde naturalis, id est, capacis, qualitatum sensibilium, quibus naturalia à mathematicis distinguuntur: postremo, potentia vitam habentis, hoc est, potentis subiectiue exercere opera vitæ: quam tertiam, & vltimam dispositionem mox declarat nomine corporis organici. Opera enim vitæ non exercentur, nisi distinctis inter se organis, siue instrumentis, quorum aliud ab alio moueatur: vt verum sit de omnibus, ac solis viuentibus, quod à se ipsis moueantur.

Explicatur Aristotelica animæ definitio.

Vnde patet alio modo accipi corpus, cum quælibet substantia materialis completa dicitur corpus, veluti 1. lib. de cœlo cap. 2. cum Aristoteles omnia entia naturalia corpora appellat: alio, cum anima dicitur actus corporis, & cum viuentia dicuntur constare animo, & corpore. Priori enim modo corpus sumitur pro quodam genere prædicamenti substantiæ contra diuisio spiritui, seu substantiæ immateriali completæ: posteriori autem pro sola materia viuentium, quæ non est substantia completa, nec directo ponitur in prædicamento substantiæ. Vnde fit, vt nullam formam dicamus esse actum corporis, nisi animam: nullamq; substantiam dicamus constare corpore, nisi viuentem, quia vt materia sit propria viuentium, non satis est, si subsit trinę dimensioni, quod est commune omni materiæ, etiam abstractæ à qualitatibus sensibilibus: nec si subsit etiam qualitatibus sensibilibus, quod commune est omni materiæ rerum naturalium: sed necesse est, vt subsit quodq; organorum distinctioni. Quocirca cœteras substantias completas sola priori locutionis formula appellamus corpora, neq; eas dicimus constare corporibus, etiam ipsa viuentium cadauera: quod eorum organa iam non sint vniuoce organa, si ad philosophicam veritatem res expendatur, cum iam opera vitæ exercere nequeant.

Duplex corporis acceptio. tex. 5.

Cur nulla forma, præter animam, dicatur actus corporis: nulla substantia, nisi viuens, constare corpore.

Hæc autem sententia, (quæ etiam ferme tota est altera sectatorum D. Thomæ opinio, & explicatio) probata relinquitur impugnatione superiorum. Nam cum nomine corporis, quod est altera pars viuentis, non possit intelligi compositum ex materia, & forma corporeitatis re ipsa diuersa ab specialibus formis, vt primo loco ostensum est: neque item nuda materia sine vlla consideratione dispositionum, quibus sit per se apta, seu limitata ad animam recipiendam, vt est probatum secundo loco: nec vero materia solum, vt est quantitatis capax, aut aliquibus qualitatibus affecta, quod tertio loco constitit: nec denique compositum ex materia & anima ipsa, vt dat esse corporis, quod vltimo loco ostendimus: reliquum est, vt intelligenda sit formaliter sola materia, connotatiue autem, siue insinuatiue adsignificentur dispositiones eę, quibus illa limitatur ad animam recipiendam, vitalesq; operationes subiectiue administrandas.

In hãc sententiam recidit posterius opinionis Thom. Vide

Sot. in 4. dist. q. 1. a. 1. Leo desm 1. p. q. 17. a. 1.

Probatur.

Quare, vt redeamus ad solutionem secundi argumenti eorum, quibus prima sententia contendebat saltem in viuentibus dari formam corporeitatis re ipsa diuersam ab anima, (eius enim soluendi occasione digressi sumus ad explicandum, quid nomine corporis in definitione animæ intelligendum sit) dicendum est animam definiri ab Aristotele per corpus tanquam per materiam, vt ipse eo loco expresse ait: etsi autem materia non est corpus in ea significatione, qua corpus est substantia completa quantitatis capax: est tamen corpus, quatenus hoc nomen significat alteram viuentium partem realem animę subiectam, qua est materia organis distincta.

Soluitur tandem 2. arg.

Solutio reliquorum argumentorum, quæ pro forma corporeitatis viuentium proposita sunt.

SECTIO X.

EXPEDITA igitur solutione eius secundi argumenti, ad tertium, quod sequebatur dicendum est corpus physicum organicum duobus modis sumi posse: vno pro toto ipso viuente, in ea significatione, qua corpus significat substantiam completam materialem, quo pacto est compositum ex materia, & forma: atque hac ratione non dubium esse, quin includat formam, quæ dat esse corporis: verum nec formam hanc esse formam corporeitatis re ipsa distinctam ab specialibus formis, nec corpus hoc pacto sumi ab Aristotele in definitione animæ. Alio modo pro parte materiali viuentis: atq; hac ratione intelligi corpus, & explicari ab Aristotele eo loco. Vnde fit, vt profundior sit significatio illorũ

Ad 3. argu. Corpus physicum organicum duobus modis sumi.

verborum

verborum [*potentia vitam habentis*] quam verbi [*organici*] quo Aristoteles magis populariter illa explanat. Nam potentia vitam habere propriè conuenit parti materiali, cum totum viuens magis dicatur habere actu, aut virtute vitam, quam potentia; etiamsi potentia, quæ eo loco intelligitur, non sit sumenda pro potentia, quæ tempore actum præcedat, sed pro ea, quæ actui coniuncta est; id quod Aristoteles significat, cum ait, *Non est autem id potentia viuens, quod abiecit animam, sed quod eam habet*: quod idem intelligi vult de eo, in quo nondum anima inducta est.

Quo differat corpus organicū, & potentia vitam habens.

lib. tex. 10.

Ad quartum dices, nomine partium mouentis, & motæ non esse intelligendas partes essentiales, quæ realiter essentiam constituunt, formam scilicet, & materiam viuentium; sed partes integrantes, vt cor, & reliqua membra, vt patebit lib. 9. quæ membra etsi cōstant materia, & forma dante esse corporis, non est tamen ea forma reipsa distincta ab anima.

Ad quintum dicendum, etsi difficile est capere, quo pacto forma incorporea, & inextensa in se possit dare esse corporeum, & extensum; (*quod argumentum pro opposita opinione præcipuam habet probabilitatis speciem*) tamen distinctione corporei, & extensi haud difficile intelligi posse. Nam si corporeum, & extensum sumerentur vt significant effectum formalem molis corporeæ, & extensionis ad prædicamentum quantitatis spectantium, & quæ formaliter ponunt alias partes cuiusq; substantiæ materialis extra alias; tum demum foret non modo difficile, sed etiam impossibile, capere, quo pacto forma incorporea, & inextensa in se, redderet subiectam substantiam corpoream, & extensam. At corporeum, & extensum non sunt hic sumenda pro formali effectu molis corporeæ, & extensionis, sed pro subiecta substantia, quæ virtute, ac eminentia naturæ suæ præhabet molem corpoream, & extensionem, etiam tum, cum diuina virtute omni quantitate spoliaretur, & sine ea conseruaretur. Hanc autem virtualem extensionem dari à forma incorporea, & inextensa nullum est incommodum: præsertim cum omnis forma, quæ in se vna est, det substantiæ, quam constituit virtualem potentiarum multitudinem, quæ ex essentia à se composita quasi nascuntur.

Dupliciter accipi corporeū & extensum. & quo pacto id dare possit anima incorpor. & inextēsa.

Ad sextum dicendum, nihil esse aliud animam humanam non habere originem à parentibus, quā non habere ab illis existentiam, sed à solo Deo per creationem, & conseruationem; etiamsi à parentibus habeat coniunctionem cum corpore quod virtute seminis disponitur, vt illam recipiat, vt supra ostendimus. Dicitur autem caro, seu corpus, à Patribus esse ex traduce, quia & substantiatio materiæ, & accidentia ipsa, quibus illa disponitur ad animam, ab ipsis parentibus effectiue proueniunt, imo & ipsa coniunctio animæ cum corpore, vt dictum est. Itaque & dispositio materiæ, & ipse etiam homo, eiusq; membrorum cōpositio ex traduce sunt, quia accipiunt esse à parentibus: sola autem anima inter ea, quæ in generatione esse accipiunt, ex traduce non est, quia à solo Deo inspiratur.

Quid sit corpus imo & hominē esse ex traduce: non item animam.

Ad septimum plures sunt modi respondendi. Nam qui nomine corporis intelligunt materiam sine vlla cōsideratione accidentium, iij vel maximè tueri possunt, idem fuisse corpus Christi in sepulchro iacentis, quod fuerat mortalem adhuc vitam degentis, & futurum erat resurgentis. Verum ij non rectè vsurpant hac in re nomen corporis, nisi eorum opinio ad veram, quam sequimur, sententiam reuocetur. Qui autē volunt nomine corporis viuentis intelligi compositū ex materia, & anima vt dat esse corporeum duntaxat, iij minime omnium defendere possunt idem fuisse corpus Christi mortui, quod ante, ac post viuentis: recedente enim anima in cruce, & succedente in eius locum forma cadaueris diuersa fuissent necesse est composita ex iis formis, & materia subiecta. Vnde, vt idem corpus dicatur esse Christi viuentis, & mortui, vt Patres communi consensu dicendum censent, nec asserendum est nomen corporis accipiendū esse pro composito ex materia, & forma: nec ad verificandam identitatem taliū compositorum sibi inuicem succedentiū satis est, quod eorū materia semper fuerit eadem, aut etiam suppositum, quod vtramq; naturā compositum sustinuerit, vt paulo superius diximus. Reliquum est igitur vt dicendum sit, propterea à Patribus dici idem fuisse corpus CHRISTI vita mortali defuncti, quod modo est, & ante fuerat viuentis, quod materia in humanā speciem externam conformata semper eadem fuerit; materia quidē, quæ formaliter nomine corporis humani significatur, omnino eadem; ipsa vero membrorum distinctio, quæ adsignificatur, eadem ad sensum, seu vulgari appellatione eadem: quanquā si ad trutinam Philosophicam hæc reuocentur, non fuerit semper eadem numero, sed alia & alia propter resolutionem in morte vsque ad materiā primam, in qua accidentia omnia cum forma substantiali expelluntur: quæ sententia nobis, & (*vt credimus*) omnibus vere philosophantib. ita probatur, vt contrariam, & cum ratione, & cum Aristotelica doctrina pugnare non dubitemus. Decebat autem, vt Patres vulgari loquendi cōsuetudini se accōmodarent

An fuerit idē corpus Christi mortui, quod ante ac post viuentis.

Sup. sect. Vera resolutio.

Quoad cōmunem Vulgata tantūmodo fuisse idem.

rent, (*quemadmodum & de vsu Christi Domini sentire dignius est*) quam vt subtilitatem philosophicam relicto communi sermone obseruarent: præsertim cum loquendum sit vt plures, etiamsi sæpe sentiendum sit vt pauci, quod celebre pronuntiatum est in Topicis.

lib. 2. c. 2.

Admittendũ ne sit fuisse omnino idem miraculose.

Quod si quis potius miraculorum admittendorum in rebus alioqui mirabilibus studiosus sit, non deerunt patroni, quibus autoribus dici possit cicatrices, quæ in Christo Domino cruci affixo fuerunt, semper easdem numero virtute supernaturali in eius corpore permansisse, non vulgari tantum opinione, sed philosophico etiam examine. Sunt enim, qui supernaturali potestate dicant seruatam in triduo mortis Christi Domini materiam sine vlla forma substantiali, ne formam cadaueris putredini obnoxiam tantisper animæ successisse admittant: eodemque modo sentiant, remansisse in ea accidentia omnia eadem numero, quæ communia esse poterant & corpori prius viuenti, & postea vita priuato. Quod idem facile dicent de corpore iterum per resurrectionem viuificato, quod attinet ad ea accidentia, quæ vel glorificato etiam corpori congruebant, vel ad solamen redemptorum diuino Christi sanguine, amorisque erga nos eius significationem in beato illo corpore relinqui expediebat. Verum nos cum D. Tho. & grauioribus Theologis priorem sententiam magis probamus, vt perinde accidentia Christo viuenti, & mortuo ad sensum communia, eadem dicamus fuisse, ac esse, atque in cæteris viuentibus, & mortuis eadem esse dicimus, ne communem loquendi modum peruertamus, & noua miracula, vbi non est necesse, requiramus.

Marsi. in 3. q. 3. a. 1. & q. 13. a. 1. Maior. in 4. d. 11. q. 5. eademq; virtute factũ credit Henr. quodl. 2. q. 8. vt cũ sola forma mixti Christi corpus mãserit.

D. Th. 3. p. q. 50. a. 5. Caie. ibidẽ & alius. Mãs est. opus.

Dimissa in Christi corpore formã cadaueris & noua accidentia.

Dicimus ergo, successisse in Christi Domini corpore formæ viuentis formam cadaueris, vt in cæteris hominibus cum moriuntur: quod vel in iis maxime debuerit fratribus assimilari, quæ pro salute nostra in sacra illa passione, ac morte perpessus est. Eodemquemodo dicimus successisse in eo corpore vita priuato alia quidem numero accidentia, sed tamen sensu, & communi sermone eadem. Nec denique referre quicquam, quod forma cadaueris natura sua sit putredini obnoxia, cum præseruatum fuerit sacrum illud Christi corpus ab omni putredinis, corruptione hypostaticæ vnionis causa, quod indecens esset in corpore vniuersæ salutis administro corruptionem putredinis permitti.

Eam vtiquẽ formã assumptã à Verbo.

Nec vero putamus absurdum, sed potius maxime consentaneum rationi, formam cadaueris consecutione quadam assumptam in illo triduo fuisse à Verbo diuino. Nam cum verbum per mortem Christi neutram partem naturæ assumptæ dimiserit, si forma cadaueris non assumeretur, necesse foret eam subsistere aliqua substantia creata resultante ex vnione eius cum materia olim vnita Verbo: ac proinde eadem materia duplici subsistentia substitisset in triduo; vna increata, & altera creata, quæ per introductionem formæ cadaueris resultasset, quod nequaquam est asserendum. Potius ergo dicendum est, formam cadaueris assumptam fuisse in triduo mortis ad illam eandem subsistentiam; per quam subsistebat materia naturæ humanæ in ipsa incarnatione assumptæ; nec præter rationem esse, quod forma imperfecta assumpta sit mediante materia iam subsistente in Verbo diuino: tametsi à principio ipsa materia sit assumpta mediante forma humana: cum non fuerit assumpta ratione sui, sed quatenus pars totius naturæ, quæ ab anima rationali habet, vt sit humana. Nec denique incommodum esse dimissam postea fuisse formam cadaueris in resurrectione, cum non fuerit assumpta nisi occasione mortis, & sepulturæ, quæ vltra spatiũ illud tridui, quo anima separata fuit, non erat duratura. Nam & partes materiæ, quæ in mortali Christi vita per nutritionem cõtinenter assumebantur ad diuinam Christi subsistentiam, cum non assumerentur, nisi nutritionis occasione, vt tandiu subsisterent subsistentia Verbi, quandiu ex corpore non resoluerentur, paulatim quoque in ipsa resolutione à Verbo dimittebantur. Etenim commune illud Theologorum pronuntiatum, *Quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit*, de integris partibus essentialibus humanæ naturæ, corpore nimirum, & anima intelligendum est; præsertim cum & ipsa natura humana dimissa sit in morte, & per resurrectionem reassumpta, vt est Athanasij sententia a sententiarum Magistro in tertio sententiarum relata.

Explicatur illud, Quod Verbũ assumpsit, nunquã dimisit.

d. 21.

Ad vltimum argumentum dicendum est: in sacro Eucharistiæ mysterio, etsi vtraque transubstantiatio ex vi verborum est conuersio totius substantiæ compositæ; nempe panis, & vini, non esse tamen vtramque ex vi verborum (*hoc est, spectata verborum significatione*) conuersionem in totam aliquam substantiam compositam: neque id colligi posse ex natura trãsubstantiationis, quæ vt æque fieri potest simplicis substantiæ in simplicem, & compositæ in compositam; ita fieri potest compositæ in simplicem, & simplicis in compositam. Quare etsi transubstantiatio vini ex vi verborum est conuersio substantiæ compositæ in compositam, hoc est, in sanguinem,

Non est opus ad transsubstantiationẽ, vt res cõposita conuertatur in cõpositam, aut simplex in simpl. &c.

guinem,

guinem; tamen transsubstantiatio panis non est ex vi verborum conuersio in compositam; siquidem substantia corporis non est composita, sed simplex. Neque enim substantiæ panis ex vi verborum succedit forma humanitatis Christi, aut substantiæ vini corpus organicum, nisi per concomitantiam, vt patet ex Concilio Tridentino. Atque hæc intelligenda sunt facta cõsecratione existente Christi anima in corpore. Nam ea separata, dissolutaque per mortem humanitate, eiusq; sanguine effuso, si fieret consecratio, non fieret conuersio panis, nisi in corpus Domini ab anima seiunctum, nec conuersio vini, nisi in sanguinem effusum, & à corpore separatum, nisi quis etiam in corpore remansit: in vtramque tamen partem, (*corpus, inquam, & sanguinem*) quatenus vtraque adhuc Verbo diuino coniuncta erat, vt etiam tunc vere dici posset in persona Christi, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Vt ergo in hoc mysterio nomine corporis viuente Christo Domino intelligitur materialis pars compositæ naturæ, animæ retinendæ accommodata; ita eo mortuo intelligenda esset eadem pars, vt erat consentanea formæ cadaueris. Quanquam enim Christus nec viuens, nec cum mortuus erat, posset dici corpus, quemadmodum neq; anima, ne diceretur esse pars humanæ naturæ; tamen semper & ipse, & eius nomine Sacerdos dicere potuit, *Hoc est corpus meum*, quia in sua persona vtroque tempore illud sustinebat. Dici quoque potest; & forsitan probabilius, nomine corporis ex vi verborum intelligi tunc potuisse in consecratione totum compositum ex materia, & forma cadaueris; quia vulgari intelligentia, & sermone illud idem dicebatur depositum de cruce, fuisseque animæ subiectum; quo pacto consecratio ex vi verborum terminaretur ad totum illud compositum. Nec deest pro hac parte non contemnenda ratio. Nam mortuorum cadauera non dicuntur constare corpore, sed esse corpora, vt paulo ante adiuertimus. Quod autem diximus de corpore, intelligendum est de carne, cum caro pro corpore vsurpatur.

Sess. 13. c. 3.

Si triduo passionis fieret consecratio, quid significaretur nomine corporis.

An totum cadauer.

Quæ vero adduntur in fine propositi argumenti, falsa sunt, & partim ex dictis refutata, partim refutanda libro sequenti, cum de materiæ natura disputabitur.

Falsam esse sententiam eorum, qui dicunt superiora, & inferiora sola considerratione actu distingui.

SECTIO II.

A CVm ergo ex iis, quæ hactenus dicta sunt, pateat neq; superiora omnia, neq; etiam vlla distingui ab inferioribus per formas realiter inter se distinctas, quæ, vt diximus, est altera ex contrariis opinionibus in hac materia; reliquum est, vt expendamus oppositam omnino sententiam eorum, qui nullã actualem distinctionem agnoscunt inter superiora, & inferiora, nisi quæ fit operatione intellectus; ita vt, nisi quis concipiat animal, hominem, & Socratem, tribus distinctis conceptibus, nulla omnino sit inter ea actualis distinctio, sed eadem omnino entitas Socratis respondeat tribus illis conceptibus sine vlla prorsus actuali distinctione ex ipsa rerum natura, hoc est, quæ actu præcedat eam conceptuum distinctionem.

B

Sect. 1.

Pro qua citari solent Caiet. 1. post c. 3. & lib. de ente & essent. q. 5. Cap. in 1. d. 8 q. 2. a. 3. & in 3. d. 5. q. 3 Her. quodl. 1. q. 9. Ferrar. contra gent. c. 95. Sonc. 7. Met. q. 36. Iauellus q. 18 & alii.

Horũ opinio ea ratione distinguitur à Nominalium sententia, quam 5. lib. refutauimus; quod Nominales dicunt, vniuersalia esse ipsa nomina mẽtalia multis communia, quorum vicem gerunt vocalia, & scripta; hi autem dicunt, esse entitates ipsas singulares, quatenus communib. vocabulis respondent, seu significantur. Proinde argumenta, quæ pro Nominalibus eo loco proposita sunt, pro his quoq; suo modo proposita censeantur; quib. etiam addi possunt, quæ sequuntur.

C

Cap. 28 q. 2. Vt differant hæc & Nominal. sententia.

Prima ex ipsa rerum existentia. Si enim superiora distinguuntur ex natura rei à suis inferioribus, non dubium, quin habeant suas peculiares existentias, distinctas ab existentiis suorum inferiorum: quod duab. de causis non videtur admittendum. Vna, quia existentia rerum, quemadmodum & earum generatio, primo conuenit singularibus, quæ per se gignuntur, ac existunt, & per singularia conuenit vniuersalibus. Altera, quia si vniuersalia suas peculiares existentias haberent; nihil repugnarent ea existere diuina potestate sine singularibus: quod tamen fieri non posse omnes asserunt, & Aristoteles contra Platonem; qui illa separatim existere existimabat, planeq; tradit. Iam enim (vt docet) non essent vniuersalia, sed singularia.

Rationes pro hac opin.

D

1. Met. c. 6. & li. 7. c. 14. tex. 51. & 52. & c. 16. tex. 57. & 58.

E

Deinde ex earum vnitate. Nam si superiora ex natura rei distinguerentur à suis inferioribus, haberent vtiq; suas peculiares vnitates ab vnitatibus suorum particularium distinctas; at superiora nõ habent ex natura rei alias vnitates, nisi quę illis conueniunt in singularibus, quæ omnes numerales sunt. Vnitates enim, quæ illis conueniunt, quatenus sunt vniuersales, per operationem intellectus illis adueniunt; cum communibus conceptibus apprehenduntur.

F

Tertio ex contractione naturarum communium in suis singularibus. Si enim na-

tura, V.G. humana, ante operationem intellectus distinguitur à naturis singularibus Socratis, & Platonis, etiam contracta in vtraque distinguetur à naturis vtriusque: at natura humana, quatenus est contracta in Socrate, & Platone, iam est singularis in vtroque, nec tamen per vllas differentias sibi intrinsecas, siquidem per solas differentias constitutiuas Socratis, & Platonis dicitur fieri singularis: ergo aliquid singulare datur in rebus creatis, quod non sit singulare per aliquid sibi intrinsecum, quod videtur fieri nullo modo posse. Quo enim pacto distinguatur à Socrate hæc humanitas inclusa in illo, nisi per aliquid intrinsecum distinctiuum sui à Socrate, & sic in cæteris?

Quarto ex compositione, quam opposita sententia facit ex generibus, & differentiis ad compositionem specierum materia, & forma constantium. Sequitur enim ex ea opinione materiam sæpius includi in eadem re. Nam materia corruptibilium includitur in differentia, qua substantia corporea corruptibilis differt à corporea incorruptibili, vt patet, & iterum in differentia, qua corpus animatum differt ab inanimato, siquidem differentia animati non est re ipsa sola forma corporis animati, seu viuentis, sed materia simul cum forma, & licet in eadem forma dicantur dari diuersi gradus essentiales, secundum quos illa dat esse corporei, & corruptibilis, & viuentis, & sensitiui, & rationalis, tamen in materia corruptibilium non ponuntur hi gradus, sed secundum eundem specificum, quo differt à materia incorruptibilium, componit omnia inferiora substantiæ corruptibilis: quo fit, vt sæpius includatur secundum eundem gradum in omnibus inferioribus speciebus illius, quod absurdum est.

Quinto, quia ex eadem opinione sequitur expediri nunquam posse eam dubitationem, qua quæritur, Num substantia genus summum componatur ex materia, & forma, an sint substantia simplex? Cum enim genus sit realiter idem cum suis inferioribus, si species sint compositæ ex materia, & forma, genus quoque ex eisdem compositum sit necesse est: si vero non sint compositæ ex materia, & forma, nec genus ex illis compositum esse potest: si ergo superiora, & inferiora distinguuntur ex natura rei, erit vtique substantia genus summum composita ex materia, & forma, quia continet sub se species eo modo compositas: & simul erit simplex substantia, siue non composita, quia continet sub se simplices, incompositasve, quod nemo non dixerit absurdissimum.

Postremo, quia vt fiat abstractio generum & specierum, satis est ex parte rerum aliqua conuenientia, & similitudo earum inter se magis, vel minus perfecta, cum aliqua dissimilitudine, & disconuenientia: ex parte vero intellectus satis est, quod possit id, in quo res conueniunt, percipere per modum vnius præcise, quod totum fieri potest absque distinctione graduum, quæ sit in rebus ipsis, vt patet in vi calefactiua, quæ est in sole, & in igne, & in vi etiam exsiccatiua, quæ est in hoc, & in terra: in vi quoque percipiendi colores, quæ est in visu, & in sensu communi: in vi percipiendi sonos, quæ in hoc est, & in auditu, & in similitudine, quæ est in mediis coloribus cum extremis: in vna item virtute media cum altero extremorum, ad quod magis inclinat: in aliisque rebus quampluribus, in quibus si gradus distincti ex natura rei requirantur, quibus vnum aliquid commune distinguatur à particularibus inter se similibus, in infinitum abeat necesse est huiusmodi graduum multitudo, cum nullæ sint res adeo diuersæ, vt in eis hæ comparationes fieri non possint.

Sed horum sententia facile refutatur. Ac primum testimonio, & autoritate ipsorum Nominalium, quorum principiis ipsi magna ex parte innituntur. Nam etsi vtrique negant, res, quas nos dicimus vniuersales, esse ex natura rei distinctas à suis particularibus: & vtrique etiam confitentur dari nihilominus communes earum formales conceptus, nō modo ex natura rei ab eis distinctos, sed re etiam ipsa: tamen Nominales adeo absurdum putarunt asserere, ea, quæ sunt per se singularia, fieri vniuersalia, quatenus communibus conceptibus respondent, (*est enim re vera absurdissimum*) vt potius conceptus ipsos communes, quam res significatas, nomine vniuersalium & appellandos, & habendos esse censuerint. Qua in re etsi Nominales ea ratione grauiter hallucinati sunt, quod de rebus agentes ad nomina potius, quam ad res ipsas suam philosophandi rationem accommodarunt, in eo tamen sibi consequentius locuti sunt, quod non putauerunt (*vt his*) rem vllam dici posse vniuersalem ab eo, qui res omnes crederet esse per se singulares.

Deinde ex ipsa cuiusque conceptus vniuoci repræsentatione. Aut enim communis cōceptus hominis repræsentat totam entitatem cuiusq; singularis hominis, aut partem: si totā, ergo est æquiuocus, vt cōceptus Alexandri Alexandro Paridi, & Macedoni: (quanquam pura æquiuocatio in cōceptu vltimato, vt dici solet, dari non potest) si partem cum

Impugnatur hæc sententia rationibus.

Nominales loqui sibi consequenter.

Vniuoca repræsentatio conceptus rei communis.

cum ea necessario debeat esse communis, (*neque enim re vera is conceptus repræsentat singulos, quatenus distinguuntur inter se, sed quatenus conueniuntur inter se, sed quatenus conueniunt*) ergo aliquid inuenit, ac detegit eiusmodi conceptus in singulis hominibus, in quo omnes ita conueniunt ante operationem intellectus, vt in eodem non distinguantur. Est igitur natura humana, in qua omnes conueniunt, distincta ex natura rei a differentiis indiuiduantibus singulorum, quibus distinguuntur: quod idem dicendum est de natura animalis comparatione particularium animalium, & ita in cæteris huiusmodi.

Vnde omnino natura non potest esse ratio, cur aliqua omnino conueniant, & differant.

Tertio ex ipsa ratione conuenientiæ, & differentiæ particularium inter se. Nam cum fieri non possit, vt eadem omnino natura sit ratio, cur aliqua vniuoce conueniant inter se, & cur etiam differant; (*siquidem ea, quæ vniuoce conueniunt in aliquo, sunt eiusdem omnino rationis in illo, & nihilominus simpliciter differunt inter se peculiaribus differentiis: quæ opposita effecta præstari non possunt ab vna, & eadem omnino natura*) nequaquam dicendum est, naturam Socratis esse rationem, siue principium conueniendi cum Platone, & differendi ab illo, sed ante operationem intellectus distinguitur in illo natura humana à differentiis eorũ particularium nam & ante operationem intellectus illi vere, ac vniuoce conueniunt in natura humana & differunt peculiaribus differentiis; eodemque modo res habet in cæteris singularibus sub eadem specie contentis. Quod si quis obiiciat, dixisse nos alibi, eamdem omnino entitatem posse esse principium conuenientiæ, & discriminis quarundam rerum: quo pacto simplex entitas substantiæ generis summi est principium conuenientiæ in ente finito cum summis generib. accidentium, & principium discriminis ab eisdem itemq; essentia cuiusque rei creatæ est principium conueniendi cum Deo in ente reali, & principium discriminis ab eodem, ac deniq; natura alicuius medii coloris, vt talis est, vere dicitur principium magis conueniendi cum vno externo, quam cum altero, & simul etiam dissidendi ab vtroque, non recte argumentabitur. Neque enim ibi sermo erat de conuenientia vniuoca, sed analogica, quæ cum sit conuenientia secundum quid, potest simul cohærere in eadem omnino natura cum diuersitate simpliciter: at Socrates, & Plato, & cætera vniuocata ante operationem intellectus & simpliciter conueniunt in natura vniuocante, cum eadem omnino ratione conueniant, & simpliciter differunt inter se peculiaribus

Obiect. lib. 4 c. 2. q. 2. sect. 7.

Solutio. Vt analogica conueniant, & differant.

A differentiis, vt patet: huiusmodi autem conuenientia, & discrimen cum præcedant omnem operationem intellectus non possunt fundari in vna omnino, & eadem natura, in qua nulla sit distinctio. Neq. vlla instãtia est, quam quidã afferunt ex natura diuina, quæ vna omnino cum sit, est principiũ conueniẽtiæ, & distinctionis diuinarũ personarũ: tum quia natura diuina est vna numero in omnib. diuinis psonis, nec ipsæ personæ vniuocatorũ

Diluitur instantia de natura diuina.

B more differunt inter se, cum natura in personis nõ multiplicetur, vt multiplicatur natura vniuoca in vniuocatis, tũ etiam, quia diuina natura etsi est vna omnino in eis omnibus, est tamen infinita, & illimitata, identificans sibi omnia, quæ sunt in diuinis, etsi non omnia identificet inter ipsa, vt supra dictum est.

Aptitudo, vt res sint in pluribus præcedit oper. intellectus.

Quarto ex aptitudine, quam habent res, quas communes dicimus, vt per identitatem sint in pluribus. Neque enim hæc aptitudo C datur ab intellectu, sed aliæ huiusmodi res ex se habent aptitudinem, vt sint in his particularibus, & nõ in illis: aliæ, vt sint in illis, & non in his pro diuersitate naturarum: cum igitur hæc aptitudo præcedat operationem intellectus, quæ non constituit naturas rerum, sed supponit cõstitutas, nec conueniat rebus per se singularib. sed iis, quas denominamus vniuersales, necesse est, vt hæ sint ex natura rei distinctæ à singularibus.

D Quinto ex vnitate earum de rerũ propria, & peculiari. Nam cũ res, quæ ex se aptæ sunt, vt sint in pluribus prius naturæ ordine possint existere, quam actu existant, idque tam reali existentia, quam obiectiua, in statu autem illo potentiali, in quo solo aptæ sunt, vt sint in pluribus, vnitatem aliquam habeant: (*siquidẽ omne ens, qua ratione ens est, vnum est*) ea autem vnitas non possit esse numeralis, qua singularia numerantur, cum singularia de vno E solo dici possint; fit, vt illæ ab his ante operationem intellectus distinguantur, quod est ex natura rei.

Sexto loco peto ab iis, qui oppositam sententiam tuentur, vtrum vniuocata conueniant in solo nomine, & ratione formali, quæ in mente est, an etiam in ratione aliqua obiectiua, quæ sit in ipsis rebus vniuocatis? Certe non dicent in solo nomine, & ratione mentali, sed in ratione etiam aliqua obiectiua, F quæ sit in rebus: alioqui plane faterentur se Nominales nõ modo re ipsa, quod nõ omnino negãt, sed etiã professione, quod fateri renuunt: quamquã nec Nominales omnino videntur negare rationes obiectiuas, sed eis vniuersalitatis appellationem non accommodant. Aut igitur ea ratio obiectiua est omnino similis in omnib. vniuocatis, aut proportiona-

portione similis, vt quodam modo sit similis A simpliciter autem dissimilis; si omnino similis, hoc ipsum est, quod volumus, cum dicimus naturam eiusdem omnino rationis esse in illis, & hanc denominatiue communem, & vniuersalem appellamus; sin autem proportione tantum similis; non conueniunt igitur vniuocata apud illos, nisi analogica conuenientia, sicque omnia vniuersalia sunt illis analoga, neq; alia apud eos vniuoca dari possunt, nisi quorum analogata minus dissimilia sunt inter se in rationib. obiectiuis, quod proculdubio est re ipsa totum genus vniuocorũ de medio tollere; quæ sententia an sit homine Philosopho digna, nemo non videat. Sola enim vniuocatio distinxit apud Philosophos omnia rerum genera in quasdam rerum classes, eaq; à toto genere æquiuocorum, & anologorum discreuit. Hanc autem posteriorem responsionem, de similitudine, inquam, secundum quid inter vniuocata eis placere perspicuum est. Nam cum ab eis petitur, quodnam sit fundamentum veræ vniuersalitatis, seu vniuocationis in rebus, respondent ii, qui nuperrime consideratius loqui videntur, esse similitudinem aliquam naturarum incompletam, & imperfectam, secundũ quam illæ assimilentur non simpliciter, sed secundum quid. Quo fit, vt assimilatio simpliciter apud eos in natura aliqua communi dari non possit, nisi in diuinis personis, quæ omnino assimilantur in diuina essentia: quæ tamen non est vniuersalis, cũ in eis non multiplicetur, euertiturque apud eos definitio veri vniuersalis, quod ab omnibus æquiuocis, & analogis distinguitur, nempe qua vniuersale dicitur id, quod ratione omnino vna prædicatur de pluribus, in quibus illud multiplicatur.

Qui negant tollunt vera vniuocationis, & vniuersal. ratio.

Refelluntur quoque hi aperte ab Aristotele multis in locis. Primum hoc libro cap. 10. cum ait, omnem definitionem habere partes: partes autem definitionis respondere partibus rei definitæ. Nam cum huiusmodi partes sint genus, & differentia vna vel plures; perspicuũ relinquitur ex Aristotelis sententia rem, quæ definitur, constare tanquam ex partibus genere aliquo, & aliqua differentia, atqui operatio intellectus non componit rem definitam, sed eius definitionem seu declarationem, quæ posterior est re, quæ definitur, & eam supponit naturæ ordine priorem: ergo Aristotelis sententia genera, & differentiæ distinguuntur inter se ante operationem intellectus tanquã partes quædam, quas vocant metaphysicas. Quo fit, vt sola definitio, seu declaratio eorum, quæ mente confinguntur, vt Chimæræ, sit prior naturæ ordine, quam quæ sic definiuntur; cum hæc sola non habeant alias partes, nisi quas in eis intellectus confingit. Id quod etiam ex eo confirmatur, quia sæpe idem ait definitionem non dici vnam, quia sit coniunctione, seu ligamine aliquo vna: sed quia est vnius naturæ, scilicet communis: quibus locis plane constat illum docere rem, quæ definitur, prius naturæ ordine esse vnam, quam definiatur, neque à definitione, conceptuve vllo formali B habere vnitatem, & ex consequenti distinctionem ab iis pluribus, in quibus reperitur, sed à se ipsa. Deinde, quia hoc ipso capite, in quo nunc versamur, non alia de causa suscepit grauem illam quæstionem discutiendam. Quo pacto ex genere, & differentia vna, vel pluribus vnum aliquid constare possit? nisi quia sunt ex natura rei distincta: siquidem nulla esset in ea difficultas, si distinguerentur sola consideratione nostra, quia prius C communiori, confusoque conceptu apprehendimus genus rei definitæ, deinde eandem proprio & peculiari; quod idem facimus in analogis, in quibus constat non esse verum genus. Sed & ex solutione, quam adhibet eidem quæstioni, idem colligitur. Ait enim propterea ex genere, & differentia fieri vnum quia natura generis & differentiæ aut sunt vna, & eadem natura: (*vt nimirum ens, & quodlibet genus summum*) aut sic se habent, vt ma- D teria ad formam; ita scilicet, vt natura generis sit ex se indeterminata ad suas species; differentia autem ex se determinata ad illas, naturamq; generis determinans; quam posteriorem disiunctionis partem ipse vbique amplectitur, ac sequitur. Tertio, quia friuola esset quæstio quã idem tractauerat c. 6. cum quæsiuit, Essetne idem quod quid est, & id, cuius est? si primæ substantiæ, & earum communes E naturæ, seu quiditates (*quæ sunt ipsum quod quid est*) idem omnino essent ex natura rei, & à solis conceptionibus nostris distinctionem haberent, Falsumque esset, remota consideratione nostra, id, quod idem ait 3 de Anima cap. 4. aliud esse magnitudinem, nempe singularem, aliud magnitudinis esse, seu quiditatem communem. Inaniter etiam quæreretur tanta contentione apud eum, & alios Philosophos; Quodnam sit in rebus earum F indiuiduationis principium; quo nimirum addito rebus communibus illæ fiant indiuiduæ, siue singulares? si tota hæc distinctio non ab ipso rerum, & naturarum communium ordine, sed à nostris apprehensionibus petenda esset.

Refellitur etiam hac sentent. ex Arist. Tex. 33. Partes definitionis respondere partibus rei definita.

Vt 8. Met. tx. 6. tex. 15 & 2. Post c. 10. tex. 6.

Cur definitio sit vna.

tex. 43.

tex. 9.

Refutantur etiam facile ex iis, quæ ab aliis Philosophis, & Theologis communiter dicuntur. Cuiusmodi est illud Porphyrii, differentiam

Refutatur ex aliis autorib. c. de differ.

m. de spec.

rentiam id esse, quo species suum genus excedit, in sui nimirum intrinseca compositione, non in nostra apprehensione. Et illud eiusdē participatione speciei plures homines esse vnum hominem: non participatione eius conceptus communis, quem de omnibus, quatenus homines dicuntur, formamus, sed ea, qua illa communem hominis naturam habent. Itemq; ex ea communi sententia, qua genera summa, & differentiæ omnes specificæ dicuntur simpliciter simplices, qui nimirum sua, non nostra cōceptione eiusmodi sunt, vt non componantur ex aliis generibus, & differentiis. Ac demum ex eo, quod passim & Aristoteles, & alij asserunt, inferiora in eodem prædicamento esse perfectione priora superioribus: contraque superiora esse priora eisdem generatione, siue cōstitutione: vnde nascitur, vt primas substantias comparatione secundarum primo, ac præcipue substantias esse* dicat: hæc enim omnia vera sunt non ex distinctione, quam facit intellectus inter superiora, & inferiora, eorumque differentias, seu ex ea, quæ in rebus ipsis reperitur.

Colligitur ex Arist. 1 phys. c. 1. tex. hoc l. c. 4. tex. 10 & aliis locis. Idē exprimit D. Th. 1 p. q. 85. a. 3. ad 1. & sæpe alibi Scot. in 1. d. 3. q. 2. & pleriq; omnes.

** In præd. c. de subst.*

Idem: quod nos sensisse D. Th. 1 p. q. 2. a. 3.

Sed & D. Thomas, quem multi dicunt sola consideratione nostra hæc distinxisse, eandem sententiam videtur damnare pluribus locis. Nam cum disputat eam quæstionem, Num Deus ponatur sub genere aliquo, ea ratione potissimum negatiuam partem amplectitur, quia omne genus se habet ad differentiam, vt potentia ad actum: & quia in Deo nulla includitur potentia, quæ per actum perficiatur, cum ipse sit actus purus, ideo colligit Deum non posse poni sub vllo genere. Nam si D. Thomas loqueretur de potentia, quam habent quælibet communiora prædicata (*etiam analoga*) vt determinentur actu in suis particularibus: (*quam potentiam habet substantia in commune respectu creatæ, & increatæ: & similiter sapientia, quæ de creata, & increata prædicatur*) nullum esse incommodum concedere includi, seu reperiri in Deo eiusmodi potentiam, quia in eo includuntur multa prædicata, quæ eiusmodi potentiam habent: quo fit, vt necesse sit intellexisse D. Thomam potentiam alicuius naturæ communis habentis ordinem ad actum, quo perficiatur: quæ potentia est in omni natura generica respectu differentiarum, quibus contrahitur, imo & in omni natura vniuoca. Idem quoq; sæpe ait hoc interesse inter prædicata vniuoca, & analoga, quod vniuoca cōtrahuntur, ac diuiduntur in plura vniuocata additione differentiarum, quæ nō includuntur in naturis ipsorum vniuocorum communibus: analoga vero sunt ex se ipsis diuisa, & plura simpliciter, nisi quod habent aliquam attributionem ad vnum aliquid, aut proportionem inter se. Quod si ille crederet nihil esse ex natura rei superius ipsis rebus singularibus, vt ea sententia existimat: nihil esset* quod putaret opus esse differentiis contrahentibus, vt commune significatum vniuoci nominis in plura vniuocata contraheretur, & in ea diuideretur. Hæc, & alia multa tradit D. Thom. quibus significat superiora, & inferiora, eorumque differentias non distingui sola consideratione nostra, sed ex ipsa rei natura, formali nimirum distinctione, quo distinctionis genere, ac nomine Caietanus ad primam p. q. 3. artic. 5. & Ferrariensis ad primum contra Gent. ca. 45 perspicue dicunt genera à suis differentiis specificis distingui.

Vt 1. cōtra gēt. c. 3. de verit. q. 1. a. 1 & q. 21. art. 3.

Neque obest, quod D. Thomas prima parte quæstione 50. art. secundo ait in rebus materialibus genus sumi à materia, & differentiam à forma: sed in rebus immaterialibus non accipi genus, & differentiam secundum aliud, & aliud: sed secundum vnum, & idem, quæ tamen differunt secundum considerationem nostram. *In quantum enim* (vt ait) *intellectus noster considerat rem illam vt indeterminate, accipitur in eis ratio generis. In quantum vero considerat vt determinate, accipitur ratio differentiæ.* Et q. 76. artic. tertio ad quartum, *Non oportet* (inquit) *secundum diuersas rationes, vel intentiones logicas, quæ consequuntur modum intelligendi, diuersitatem in rebus naturalibus accipere, quia ratio vnum & idem secundum diuersos modos apprehendere potest. Quia igitur, vt dictum est, anima intellectiua virtute continet id, quod sensitiua habet, & adhuc amplius, potest seorsum ratio considerare, quod pertinet ad virtutem sensitiuæ, quasi quoddam imperfectum, & materiale. Et quia hoc inuenit commune homini, & aliis animalibus, ex hoc rationem generis format. Id vero, in quo anima intellectiua sensitiuam excedit, accipit quasi formale, & completiuum, & ex eo format differentiā hominis.* Hæc D. Th. Quibus locis videtur ille non distinxisse superiora ab inferioribus ex natura rei, sed sola consideratione nostra. Verum, si recte quis attēdat, non ita est. Nam in priori loco nihil aliud vult D. Tho. quam in rebus materialibus id, à quo tāquam prima radice sumitur ratio generis, esse rem diuersam ab eo, à quo tanquam prima etiam radice sumitur ratio differentiæ: quia nimirum materia est primum id, cui attribuitur indifferentia naturæ genericæ materialis, forma autem id, cui attribuitur determinatio specialis naturæ: in rebus autem immaterialib. non esse res diuersas, sed vnam, & eandem, quia non constant materia, & for-

Quadā eius loca, quæ videntur aduersarijs fauere.

Explicatur prior locus.

A diuersis principiis desumi rationē generis & differ. in materialib. at in materia expertib. nō ita.

Ccc

& forma: alioqui in vtroque rerum genere A id, à quo proxime sumuntur rationes generis, & differentiæ, est vna, & eadem res. Quæ recte animaduersa sunt à Ferrariensi 2. contra Gent. cap. 95. in rebus enim materialibus eæ rationes sumuntur ex toto composito, ex quo considerato, vt nondum naturæ ordine determinatum est ad speciem rei propositæ, sumitur conceptus formalis naturæ genericæ: ex eodem autem considerato, vt iam eodem ordine determinatum est ad speciem, B sumitur ratio, siue conceptus formalis differentiæ specificæ: in rebus autem materiæ expertibus sumuntur eædem rationes nõ ex vllo composito reali, sed ex eadem re simplici prius considerata, vt nõdum determinata ad speciem rei propositæ, & posterius considerata, vt iam determinata ad illam. Hoc autem non est dicere ea, quæ sic considerantur, & concipiuntur, non esse distincta in eadem re ante eam considerationem: sed non considerari, seu concipi vt distincta, nisi cum sic considerantur. C In posteriori autem loco plane etiam loquitur de diuersitate reali, quam negat esse necessariam inter id, à quo sumitur ratio, seu conceptus generis, & à quo sumitur ratio differentiæ. Hinc enim efficitur, vt quanquam anima vegetatiua plantarum est diuersa realiter ab anima sensitiua brutorum animalium: & hæc ab anima intellectiua, quæ est solius hominis: tamen quia intelle D ctiua virtute, hoc est, perfectione sua includit perfectionem sensitiuæ, & vegetatiuæ, iccirco non est necesse, vt in homine ab alia anima realiter diuersa sumatur ratio vegetatiui, ab alio ratio sensitiui, ab alia intellectiui, seu rationalis: sed ab vna, & eadem secundum diuersos gradus essentialis perfectionis.

Exponitur posterior.

His etiã locis nobis plane fauere D. Th.

Itaque in vtroque genere rerum tam materialium, quam immaterialium, sentit D. Th. eisdem locis, & alibi sæpissime, genera sumi E ex gradu entitatis earũ indeterminato, quem etiam vocat id, quod in eis quasi materiale est: differentias vero ex gradu earum determinante, quod etiam appellat id, quod est in eisdem quasi formale. Vnde cum intellectus noster nequeat hos gradus rebus conferre, sed eos in rebus ipsis inueniat, vt idem docet in posteriori loco ex proxime citatis: nec gradus, qui natura sua est indeterminatus ad speciem, possit esse idem natura sua cum gradu suapte natura determinante, & formante, si F ue actuante: non dubium est, quin D. Th. senserit hanc distinctionem graduum, & compositionem ex illis non pendere ab operatione intellectus: ac proinde superiora, & inferiora actu distingui ex natura rei, formali nimirum distinctione. Quo pacto illum aperte interpretantur non pauci eius sectatores: ex reliquis autem eius doctrinæ alumnis multi sunt, qui eodem modo re ipsa illum intelligant, etsi verbis aliud significare videantur, secuti eius morem, qui superiora, & inferiora sola ratione distingui asserit, vt nimirum ab eis realem distinctionem excludat. Veteres enim Scholastici, vt libro 5. diximus, omnem distinctionem aut realem, aut rationis esse dicebant: tametsi sub distinctione rationis eam quoque comprehendebant, quæ ita realis non est, hoc est, tanquam rei à re, vt tamen ex ipsa rei natura omnem considerationem intellectus antecedat.

Vt Caiet. 1. p. q. 3. a. 5. & Ferrar. 1. contra gent. c. 42.

6.6. q. 7. sol. 9

Excluditur sententia eorum, quæ dicunt superiora, & inferiora virtute tantum distingui ex natura rei, & concluditur ea distingui actu, traduntúrque alia huc affinia.

SECTIO XII.

SVNT qui propter argumenta, quæ hactenus proposita sunt, negare non possint superiora, & inferiora ratione differentiarum, quibus illa diuiduntur, & hæc constituuntur, distingui aliquo modo ante cõsiderationem nostram, ac proinde modo aliquo ex natura rei, verum non actu, sed virtute: quia nimirum superiora remota omni operatione intellectus perinde diuidantur in inferiora per differentias, & inferiora ex vtrisque constituantur, ac si omnia ante omnem operationem intellectus essent actu distincta. Horum ratio præcipua est, quia vbi satis est distinctio virtualis, non est requirenda actualis iuxta commune illud pronuntiatum, Non esse requirenda plura, vbi pauciora sufficiunt. Satis autem ad id esse virtualem distinctionem ex eo probant, quia eadem res singularis (*vt Socrates, aut hæc albedo*) habet in se sufficiens fundamentum ad terminandos conceptus formales eorum prædicatorum, in quibus illa conuenit cum aliis rebus singularibus, & ab illis etiam differt. Addunt exemplum in diuina natura, personisque diuinis, quæ etsi simplicia omnino sunt, tamen diuina natura propterea dicitur virtute distingui in plura attributa, quia eminentia perfectionis suæ potest terminare multos eorũ formales conceptus: & diuinæ personæ propterea dicuntur virtute constitui ex essentia, & proprietatibus personalibus, quia possunt terminare formales conceptus naturæ, & proprietatum. Deniq; idem probant rationibus iis, quæ initio huiusce disputationis propositæ sunt, quibus probari existimant superiora, & inferiora

Præcipua horum autoris ratio.

Exemplum ex diuinis petitum.

non

non distingui actu ante operationem intellectus, nisi virtute sola. Nam si ante distinguuntur modo aliquo ex natura rei, vt probatum est: & tamen non actu, vt se probare existimant: ergo virtute tantum.

Refellitur hæc sentent.

Sed horum sententia facile refutatur. Primum, quia argumenta omnia, quæ proxima sectione allata sunt ad probãdam distinctionem superiorum, & inferiorum inter se, concludunt distinctionem ex natura rei, non virtualem tantum, sed actualem, vt ei patebit, qui singula perpenderit.

Deinde, quia Nominales, qui, quemadmodum & hi, dicebant superiora, & inferiora esse non solum realiter, sed etiam formaliter idem ex natura rei, vbicunque se Realibus opponebant, in eo sensu eos impugnabant, quod Reales putarent, ac docerent ea distingui actu ex natura rei: idem enim ita perspicue constabat, vt nominales non dubitauerint se eorum sententiam pœnitus euertere si in eo sensu eam refutarent, vt patet apud Ochamum ad 2. distinctionem primi sententiarum: quo fit, vt, cum autores, quibus cum disputamus, solam virtualem distinctionem inter ea ponunt, iis Realibus Philosophis, ac Theologis, quos Nominales impugnabant, plane contradicant.

q. 4. & sequ.

Tertio, quia quæ virtute tantum distinguuntur, aut aliquid componunt, siue constituunt, nõ simpliciter dicuntur inter se distingui, aut aliquid simpliciter componere, vt inductione patet: neque enim dicimus in Deo simpliciter, & absolute sapientiam esse distinctam à iustitia, sed esse distinctum attributũ ab illa: & ita in cœteris: vt nimirum significemus ea distingui attributione quadam per operationem intellectus, non poteris illa percipere, vt in se ipsis sunt. Neque item simpliciter dicimus naturam diuinam cum ꝓprietatib. personalibus constituere diuinas personas, sed veluti constituere duntaxat: translatitia nimirum, & remotissima similitudine ducta ab actuali cõstitutione indiuiduorum ex natura specifica, & differentiis indiuidualibus: at genera species, & indiuidua simpliciter, & absolute dicuntur distingui inter se, & inferiora simpliciter, & absolute à superioribus, eorumque differentiis diuisiuis constitui: sicque omnes Philosophi semper locuti sunt.

Vide D. Th. opusc. 42. c. 7. Scot. in 2. d. 3. q. 1. & hoc li. q. 10. Ant. Andr. q. 17. Sonc. q. 40.

Postremo, quia, quæ habent diuersas vnitates, simpliciter, & absolute distinguuntur, vt patet, neque hi autores id negant: at naturas communes, & singulares diuersas vnitates habere cõmunes quidem formalem, singulares autem numeralem † communis sententia est inter Reales Philosophos: quo fit, vt hi, cum formales vnitates negant, ad Nominales plane in hac deficiant.

Iauell. li. 8 q. 13. Caiet. de Ente & essẽt. c. 4 & alios.

Dissoluitur eorũ ratio.

Nec vero eorum ratio quicquam concludit. Nam etsi vna & eadem res singularis potest terminare conceptus formales eorum prædicatorum, in quibus illa cum aliis rebus singularibus conuenit, & eos, quibus à cœteris differt: tamen non potest priores illos terminare secundum easdem rationes obiectiuas, quibus terminare potest posteriores, atque adeo conceptum sui ipsius proprium, vt patet: aut ergo rationes obiectiuæ priorum sunt omnino similes, in ea re singulari, & in aliis, cum quibus illa conuenit: aut analogice similes: si omnino similes, iam admittunt naturam communem simpliciter vnam, ac proinde actu ex natura rei distinctam à singularibus, quæ sunt simpliciter plura: namque obiectiua ratio simpliciter vna, vnius simpliciter naturæ est, quia, vt iam ex Aristotele retulimus, definitio est simpliciter vna, quia vnius simpliciter naturæ est: sin autem analogice similis, iam excludunt à tota Philosophia omnem vniuocationem: sicque audiendi non sunt, vt qui præcipuum fundamentum Philosophiæ (*quantum in ipsis est*) euertunt.

Sup. sect.

Reiicitur exemplum.

Exemplum quoque, quod ex diuinis desumunt, non est ad rem. Nam formales conceptus, quos formamus de diuinis attributis, non terminantur ad illa diuina obiecta, sicuti in se sunt, sed sicuti remotissima similitudine (infinite nimirum deficiente) ex nostris attributis ea concipimus: at attributa siue essentialia, siue accidentalia nostratium rerum terminãt, aut terminare possunt nostros formales cõceptus, sicuti ipsa in se sunt, quia sunt in se ipsis limitata, & circumscripta ex ipsa rei natura.

Ita patet superiora, & inferiora ratione differentiarum, quibus illa ad hæc contrahuntur, distingui actu inter se ex natura rei, vt diximus lib. 5. Vt tamen hoc luculentius intelligatur, ponenda est ante oculos tota series substantiarum, quæ primum prædicamentum conficiunt, vt idem de cœteris prædicamentis sit existimandum: tum sumenda sunt ipsa genera per sese, antequam eorum contractio ad species consideretur, eodemq; modo species, antequam spectetur earũ contractio ad indiuidua: videndumque quænam eis attributa sic consideratis conueniant: intelligemus enim profecto quædam eis sic conuenire, vt ea secum ferre possint, atq; etiam debeant ad inferiora; alia vero necessario ab eis retinenda esse, nec inferioribus communicanda.

c. 6 q. 6. sect. 2.

Quadam pro maiori nostra sent. explicatione.

Ex attributis naturar. cõmunium, quadã cum iis descendere ad infer. quadam minime.

Qua descendant.

Facile autem est perspicere, quænam sint

 attri-

attributa prioris generis sunt enim plane ea omnia, quæ illis per se conueniunt, siue in primo eorum modorum, qui ab Aristotele traduntur 1. Posteriorum, vt homini esse animal, & esse rationalem: siue in 2. vt esse disciplinæ, aut risus capacem: hæc enim non possunt non comitari superiora omnia, siue vbi contracta sunt, & limitata per differentias, ad quas sunt in potentia, siue vbi postquam sic cõtracta sunt, iterum per intellectum abstrahuntur, & ad suam illam pristinam solitudinem obiectiue reuocantur. Quæ enim per se primo, vel secundo modo cõueniunt semper, & vbique conueniunt. Ex hoc autem attributorum genere est vnitas transcendens, quæ propria est cuilibet gradui entis, & ei, quatenus tale ens est, per se conuenit: vnde fit, vt illa necessario descendat cum naturis superiorum omnium ad sua inferiora, vt quemadmodum homo V. G. ex natura animalis, dicitur animal, & sensus capax, &c. ita ex vnitate naturæ animalis dicatur vnum animal, & ita in cœteris.

c.4.tex.9.

Genus est vnitas formal.

Attributa vero posterioris generis etsi non ita sunt omnibus obuia, facile tamen perspicientur, si superiora præcise sumantur in statu illo potentiali, seu (*quod idem est*) in illo prioritatis ordine, in quo adhuc sunt primæ illi solitudini quasi alligata. Huiusmodi autem attributa (*quod ad rē præsentem satis est*) duo sunt: vnum est aptitudo, vt illa sint in pluribus: alterum vnitas præcisionis, quæ per se hanc aptitudinem sequitur, vt diximus libro 5. & in isagoge † philosophica. Aptitudo enim naturæ communis, vt sit in pluribus particularibus, & in eis multiplicetur, (*in qua tota vniuersalitatis ratio posita est*) quia non conuenit illi, nisi quatenus præcedit naturæ contractionem eius ad particularia: neque etiam in particularibus reperiri potest, vt prioribus citatis locis fuse ostendimus, non potest cum natura ipsa ad particularia descendere. Vnde fit, vt etsi dicimus naturam animalis esse aptam, vt sit in quolibet homine, & quolibet equo: non admittamus tamen naturam hominis, aut equi esse aptam, vt sit in hoc homine, & illo equo: sed illam in singulis tantum hominibus, & hanc in singulis, quorum tamen naturas non dicimus esse aptas, vt dicantur de pluribus. Vnitas autem præcisionis, quæ per hanc aptitudinem sequitur, nihil est aliud, quam indiuisio naturæ communis in sua particularia, non quidem negatiua, & quæ aptitudinem ad eam diuisionem non supponat, qualis indiuisio esse potest etiam in particularibus: sed priuatiua, vtpote quæ aptitudinem supponat, sed actu diuisionis careat. Quo pacto animal est

Non descendūt aptitudo & vnitas præcis. c. 28. q. 4. & 5.

† cap. 6.

A indiuisum, si sumatur præcise, quatenus aptum est diuidi in hominem, & brutum animal, nec dum tamen sumatur vt diuisum: & similiter homo, si sumatur, quatenus est aptus diuidi in singulos homines, nec dum tamen diuisus.

Et quibus patet, quaslibet naturas rerum vniuersalium, vt animalis, hominis, & cœterarum, posse existere in rerum natura simul

B cum sua formali vnitate, at cum aptitudine, quam habent, vt sint in pluribus, & cum vnitate præcisionis, quæ illam sequitur, fieri nullo modo posse, vt eodem libro ostendimus. & à D. Thoma in † opusculo de natura generis sapienter explicatum esse diximus. Vnde fit, vt huiusmodi naturæ obiectiue duntaxat existere possint cum his duabus affectionibus: quamuis vnicuique earum in esse potentiali (*hoc est, antequam ad sua particularia*

C *contrahantur*) vtraque affectio conueniat. Atque hoc est, quod Magnus Albertus præclare dixit: *Intellectus*, inquit, *dum abstrahit vniuersale, vniuersalitatem in ipso facit, quam de natura sua iam antea habebat*. Quasi dicat, facit, vt cum ipsa vniuersalitate suo modo existat, quam ex natura sua in esse potētiali habebat, hoc est, quæ illi in potentiali statu cõueniebat. Nam cum, fieri, ad rerum existentiam pertineat, ita vt nihil dicatur, fieri, nisi

D quod existentiam aliquam accipit seu realem, seu obiectiuam: habere autem aliquid, ad conuenientiam illius spectet, ita vt ea etiam, quæ non existunt, dicantur haberi, & cõuenire, vt rosæ non existenti, quod habeat naturam floris, seu, (*quod eodem redit*) quod natura floris ei conueniat: considerate dixit Albertus intellectum efficere, vt vniuersalitas rerum, seu res cum sua vniuersalitate existat, quo pacto existere potest; etsi illa ante

E operationem intellectus naturis earum conueniebat, imo etiam antequam in rerum natura existerent, aut ad sua particularia cõtraherentur. Id quod eius doctrinæ alumnus D. Thomas apposite explicauit, cum huiusmodi naturis ante earum existentiam; siue realem; siue obiectiuam, attribuit eas vnitates, & (*quod ex illis infertur*) eas aptitudines, quæ nunquam in rerum natura esse possunt, sed solum obiectiue in intellectu. Quam D.

F Thomæ sententiam eodem loco Capreolum, & Soncinatem sequutos esse diximus. Nec cum ea pugnat Caietanus in expositione libelli de ente, & essentia; quod eo loco cum D. Thoma loquatur de prædictis duabus affectionibus, non quatenus rebus conueniunt; sed quatenus existunt eo modo, quo existere possunt: nec de naturis vniuersalibus, quatenus in statu potentiali præcedunt sua singularia;

Naturas commun. posse actu existere cū sua vnitate formali: at cū aptitud. & vnitate præcis. tantū obiectiue. c. 28. q. 3. sect. 4.

† Opusc. 42. c. 7. & deinceps. Conueniunt tamen eis ante illā contract.

In Proph. tractatu 2. c. 3.

Eodē opusc. 43. c. 7.

saria, sed quatenus ab illis abstrahuntur, postquam in eis actu contractæ sunt.

Hæc tribus de causis animaduertenda duximus. Primum, vt perspiciamus in quolibet prædicamento præter vnitates formales, quæ per se conueniunt naturis genericis, ac specificis, tot numero aptitudines essendi in pluribus, totque numero vnitates præcisionis eisdem naturis conuenire, quot sunt ipsa genera, & species in eo contentæ. Cum enim neutra affectio descendere possit cum naturis communibus ad inferiora, & in eis multiplicari; necesse est, vt quælibet earum sit vna numero duntaxat. Deinde, vt cum hæc omnia rebus conueniant ante operationem intellectus considerantis eorum ordinem, & dispositionem magis confirmemur in ea sententia, quam lib. 5. multo veriorem esse diximus, nunc autem proxime probabimus, superiora, & inferiora non distingui actu sola consideratione, sed ex ipsa rei natura. Postremo, vt consideremus hunc naturæ ordinem in eo consistere, vt naturæ, quæ contrahuntur, & multiplicantur in particularibus, se habeant vt materiæ ex se indeterminatæ ad ea particularia tam specifica, quam indiuidualia; differentiæ autem contrahentes vt formæ ex se determinantes: quo pacto inter hæc cernitur vera distinctio actualis, & ex eisdem actualis compositio, non realis tamen, tanquam inter res diuersas, sed formalis, & vt dicitur, metaphysica inter gradus essentiæ rerum quorum graduum superiores minorem essendi perfectionem continent, quam inferiores.

Singulis generibus vel speciebus singulas conuenire aptitud. & vnitates præcis.

c. 6. q. 6. sect. 2. & aliis locis.

Qua compositio fiat ex genere, & differentia.

Atque hoc est, quod Aristoteles in genere, & differentiis specificis ostendit in hoc cap. cum iuxta nostram expositionem, quam verissimam putamus, docet, genus vel non esse aliud præter differentias, vel si est, tanquam materiam esse. Cum enim quæsiuisset, quid esset in causa, cur ex genere, & differentia vna natura constaret, quæ definitione explicaretur? hanc adhibuit responsionem, genus, & eas, quæ sunt veluti eius species, hoc est, differentias specificas, & si qua forte sint alia, quibus genus contrahatur ad suas species, (*quanquam re vera nulla sunt*) aut non esse præter illa, hoc est, aut non esse aliam naturam à natura contrahentium, quo pacto se habet ens ad substantiam, & reliqua summa genera; aut si alia natura est, (quam partem ipse eligit, licet vtrique quæstioni satisfaceret) ita se illam habere ad quamlibet differentiam contrahentem, vt se habet materia ad formam. Vt enim materia non est eadem natura cum forma, sed per formam perficitur; ita nec genus est eadem

tex. 43.

A natura cum differentia, sed per eam actuatur. Id quod fuit in causa, vt lib. 3. disputationis gratia (*pro parte tamen vera quæstionis*) probauerit, ens non posse esse genus, quia omne genus est extra essentiam differentiæ, à qua veluti forma informatur; ens autem non est extra essentiam vllius differentiæ: quam quæstionis partem hoc loco ex posteriori parte disiunctionis propositæ determinandam esse innuit. Vnde perspicuum relinquitur, genus,

cap. 3. tex. 10.

B & differentiam non esse vnam entitatem simplicem simplicitate opposita compositioni ex gradibus rerum essentialibus, indeterminato scilicet ex se ad speciem, & formali, siue determinante; sed esse duas entitates non realiter sed formaliter diuersas, vnam vt materiam, alteram vt formam.

C *Diluuntur quædam obiecta recentiorum magisque illustrantur ea, quæ dicta sunt.*

SECTIO XIII.

SVNT tamen, qui non satis capiant, quo pacto aptitudo naturarum communium, & vnitas præcisionis earum illis conueniant ante operationem intellectus, nec tamen existant in indiuiduis, vt modo diximus, & lib. 5. fusius probauimus. Primum, quia quod ante operationem intellectus conuenit, realiter

D conueniat; nihil autem realiter conuenire, nisi in indiuiduis realiter existentibus, aut in ordine ad existendum in illis.

c. 28. q. 4. sect. 2. Argu. quæ astruunt aptitud. & vnitatem præcis. non conuenire rebus ante operationem intell.

Deinde, quia nullum prædicatum siue positiuum, siue negatiuum conueniat naturis secundum se sumptis, nisi vel illis conueniat in primo, aut secundo modo dicendi per se, vel certe possit illis in indiuiduis conuenire; aptitudinem autem, & vnitatem præcisionis, quæ illam supponit, nec per se conuenire naturis

E secundum se sumptis, nec posse earum indiuiduis conuenire; quod vtrique dicimus.

Tertio, quia naturæ communes nō distinguantur ex natura rei à suis indiuiduis, vt possint prius naturæ ordine sibi vendicare eam aptitudinem, & vnitatem, quam ad indiuidua quasi descendant: quo fit, vt cum eas habere nequeant in indiuiduis, sola operatione intellectus eas consequi possint.

Postremo, quia naturæ, quas dicimus com-

F munes, non distinguantur ante operationem intellectus ab indiuiduis, non solum acceptæ in esse actualis existentiæ, sed etiam in esse possibili: (*nihil enim possibile est, nisi quod actu existere potest*) at indiuiduis etiam in esse possibili repugnare huiusmodi aptitudinem, & vnitatem: (*alioqui indiuidua essent vniuersalia, aut esse possent, quod fieri nequit*)

quit) repugnare igitur naturis, quas communes dicimus, talem aptitudinem, & vnitatem, si ante operationem intellectus sumantur.

Quia vero eodem loco diximus huiusmodi aptitudinem esse modum quendam essendi purum, quem sequitur, seu in quo fundatur negatio repugnãtiæ, vt sint in multis, hoc quoque ea ratione impugnant, quod is modus, cum à nobis ponatur realis, vtpote conueniens rebus ante operationem intellectus, necessario claudatur sub latitudine entis realis: cum autem nullum sit ens reale, nisi in ordine ad actum existendi realiter, qui actus nõ habetur, nisi in indiuiduis; nullum tamen essendi modum, qualis à nobis ponitur ante indiuidua asserendum esse. Nec iuuare similitudinem eius potentialis modi essendi, quem ibidem diximus habere res, antequam existãt, quatenus adhuc sunt in suis causis. Nullus enim est, vt aiunt, talis essendi modus, cum res dicantur esse in suis causis sola negatione suę existentiæ nondum habitæ, & denominatione extrinseca à virtute causæ, à qua produci possunt.

Non videri etiam aptitud. posse esse modum positiuum.

Nec probari debere exemplum causarum, &c.

Sed nil mirum est, si ii, qui non percipiunt, quo pacto superiora, & inferiora distinguantur naturæ ordine ante omnem operationem intellectus, rem vtique liquido constantem in Philosophia; non etiam capiant, quo pacto aptitudo, & vnitas, de quibus est sermo, conueniant superioribus prius eodem naturæ ordine, quam ad indiuidua contrahantur. Eadem enim est ratio in vtroq; documento, cũ ex altero alterum sequatur.

Ad argum.

Quare ad primum eorum argumentum dicendum, duob. modis intelligi posse aliquid alicui conuenire realiter; vno secundum existentiam realem; altero ante operationem intellectus. Quanquam vero nunquã diximus, aptitudinem illam, & vnitatem cõuenire realiter naturis communibus, ne id dictum acciperetur in priori sensu, qui magis proprius, magisque vsitatus est, (*tametsi in hac re falsum*) sed solum conuenire illis ante operationem intellectus, quod est ex natura rei; tamẽ si cui placet eo verbo vti in vtroque sensu, neganda est maior propositio in priori, in posteriori autem concedenda, in quo sensu falsa est minor, vt patet. Multa enim conueniunt naturis communibus in statu earum potentiali ante operationem intellectus, quæ illis conuenire nequeunt, siue vt existunt in rerum natura, siue in ordine ad talem existentiam, vt esse definibiles, esse contrahibiles ad particularia, & alia similia; cuiusmodi etiam est aptitudo, de qua disseritur.

Ad secundum neganda est maior propositio, quæ non est vera, nisi cum subiecta enunA tiationum supponunt personaliter, hoc est, accipiuntur pro indiuiduis, quæ sub illis continentur; vt cum esse risus capacẽ, aut album, prædicantur de homine. Alioqui, si subiecta sumantur in oppositione simplici, seu cum præcisione ab indiuiduis, falsa est maior, (*vt etiam ipsi tenentur confiteri*) non solum cũ prædicata sunt positiua, velut cum dicimus, Homo est species; (*nam nec per se, nec ratione suorum indiuiduorum est species*) sed etiam cum pri-B mitiua, vt cum dicimus, Homo in commune, seu præcise sũptus est ingenerabilis: hoc enim non conuenit ei per se, cum nulli singulariũ conueniat; nec ratione vllius singularis hominis, vt perspicuum est.

Multa conuenire naturis præcise sumptis, nec per intellect. nec per se, nec ratione singularium.

Ad tertium ex dictis patet, negandam omnino esse maiorem, cuius oppositum pronũtiatum hactenus fuse probatum est.

Ad vltimum similiter neganda est maior. Naturæ enim communes non solum ab indi-C uiduis actu existentib. sed etiam ab eisdem acceptis in esse possibili, distinguuntur ex natura rei: ordo enim naturæ, qui est inter superiora & inferiora, non solum intelligitur, cũ vtraque existunt, sed etiam antequã existant. Vnde fit, vt in vtroq; statu & actualis existentiæ, & potentialitatis, indiuidua priora sint suis speciebus, & generibus eo naturæ ordine, qui dicitur perfectionis: quo pacto primæ substantiæ sunt priores natura, quam species, D & species quã genera: contra vero genera sint priora specieb. & species indiuiduis eo naturæ ordine, qui dicitur compositionis, & generationis. Quarum distinctionum, & ordinum, ex natura rei inter superiora, & inferiora, pleni sunt libri & Aristotelis, & omnium alicuius nominis Philosophorum.

Quo ordine naturæ communes sint posteriores, quo priores indiuiduis.

In eo autem, quod obiiciunt, aptitudinem de qua est quæstio, nõ esse modũ essendi purum, non leuiter peccatur, cum dicitur, eum E modum, si realiter, hoc est, ante operationem intellectus conuenit rebus, necessario claudi debere sub latitudine entis realis. Non enim, quia ille ante operationem intellectus conuenit naturis cõmunibus, iccirco est ens reale: (*nihil enim est aliud claudi sub latitudine entis realis, si proprie loquuntur, quam esse ens reale*) imo, etsi per impossibile realiter existeret in indiuiduis, non iccirco esset ens reale, cum alii plerique puri essendi modi realiter in eis F existant, nec tamen sint entia realia: iccirco enim eos puros appellamus, quia sunt omnis entitatis expertes, vt sæpe dictũ est. Suspicionem autem præbent opponentes, se in hoc sensu loquutos, quia sæpe agunt de hoc modorum genere tanquam de veris entib. realibus, nec syncere videntur persistere in vera, & propria eorum distinctione à toto genere entium,

Male improbatur, aptitud. esse modum purum.

c.3.q.3.sect.4 tium, (vt supra diximus) quod tamen erat necesse. Quod si improprie loquuntur, idque dicere volunt claudi sub latitudine entis realis, quod realiter existit in indiuiduis, etsi non sit ens reale; non recte id ex eo antecedenti colligunt de ea aptitudine, quod, inquam, naturis communibus dicatur conuenire realiter; hoc est, ante operationem intellectus, vt patet ex solutione primi argumenti.

Exemplum de causis. Quod denique notant in exemplo modi essendi, quem diximus res habere in suis causis, parum momenti habet. Idcirco enim res, ea negatione, & extrinseca denominatione, quas ponunt intelliguntur esse adhuc in suis causis, quia per eas hic essendi modus declaratur. Nihil autem mirum est, si modus hic essendi dicatur potentialis, & minime existēs in rerum natura, cum res quoq; ipsæ, quibus conuenit adhuc etiam sint in esse potentiali: qui proinde modus essendi tunc incipit non conuenire, cum illæ incipiunt esse in rerum natura, siue (vt dicitur) extra suas causas.

Non esse nouam opin. qua tenet vniuersalit. conuenire reb. ante operat. intellect. †lib. 5. c. 28. q. 5. Alia quædam adiungunt, quæ parum cohærent inter se, & minus difficultatis habent. Sed ea omnia legendis nostris, vbi eodem loco de vnitate, & aptitudine vniuersalium disputauimus nullo negotio diluentur. Illud addendum, non recte videri opponentibus sententiam hanc, quam libro †eodem fusius explicauimus, nouam esse, & pene singularem. Ostendimus enim subinde, in ea potissimum quæstione, qua expendebamus, num res vniuersales operatione intellectus, eam esse sententiæ omnium grauium autorum consentaneam. Exclusis enim Nominalibus, quorum philosophandi ratio in hac re audienda non est; reliqui omnes cum dicunt res fieri vniuersales sola operatione intellectus, loquuntur de vniuersalibus quoad existentiam vniuersalitatis. Inter quos eorum præcipui, vt sunt D. Thomas, Magnus Albertus, Scotus, & alii nonnulli, vlterius progressi sunt, vt docerent, etiam ante operationem intellectus abstrahentis naturas communes à singularibus, imo & ante contractionem earum in singularibus illis conuenire vniuersalitatem, tametsi non habentem realem existentiam in singularibus, sed expectantem ab intellectu obiectiuam, cuius solius est capax. Qua eorum profundiori huius rei consideratione, omnia, quæ ad hanc materiam spectant, cohærere inter se ostendimus, neque aliud præstitimus, nisi quod fortasse familiarius hæc explicauimus. Dies enim diei eructat verbum & nox nocti indicat scientiam, dixit Regius Propheta, vt doceret, repetitam rerum cognitarum considerationem, quæ per nocturnam quietem potissimum habetur, multum conferre ad clariorem earum cognitionem, & explicationem.

D. Th. opusc. 42. c. 7. & 8. Scot. in 2. d. 3. q. 1. & hoc li. q. 26. Albert. in Porphyr. tract. 2. c. 3.

Psal. 18.

Solutio argumentorum, quæ initio huius posterioris controuersiæ pro parte opposita allata sunt.

Sectio XIV.

HIs explicatis, ad primum argumentum eorum, quæ initio huius disputationis pro parte opposita allata sunt, dicendum; etsi sunt, qui vnicam existentiam ponant in quouis indiuiduo, etiam composito ex materia, & forma, per quam superiora omnia, partesque eorum existant; multo tamen probabiliorem esse sententiam eorum, qui dicunt, quot sunt partes indiuiduorum actu distinctæ ex natura rei, gradusque entitatum essentiales in eis contenti, tot in eis contineri existentias. Cui sententiæ suffragatur illud commune proloquium, existentia esse actualitatem omnis formæ, quod nos libr. 4. ad actualitatem omnis entitatis extendimus, ea potissimum ratione, quod pura etiam potentia suam peculiarem existentiam habeat, nihilque aliud sit existentia cuiusque entitatis, quam purus quidem eius essendi modus extra suas causas. Quod autem dicitur, existentiam primo conuenire indiuiduis, & per ea superioribus naturis, quæ in eis continentur; sic intelligendum est, vt præcipue indiuiduis conueniat tanquam iis, ad quorum existentiam diriguntur omnium partium; graduumque essentialium existentiæ, & in quibus omnes continentur. Cum vero adiungitur, si omnia superiora suas peculiares res haberent existētias, fore, vt vniuersalia existere possent diuina virtute extra singularia, in quibus existunt; neganda est consequentia. Singularitas n. est conditio necessaria ad existentiam realem, quam singularitatē naturæ vniuersales extra res per se singulares diuina etiā potestate habere non possunt. Id quod ex eo patet, quia plures appertasq; contradictiones inuoluit. Primū, quia sequetur fore, vt natura, quæ sublata omni singularitate producitur, sic cōmunis simul, & non communis; communis, quia indeterminata ad omnē singularitatē, vt ponitur; non communis, quia si ponatur à Deo producta, demonstrabilis vtiq; erit aut sensu, aut intellectu, & ex consequenti veri hæc, aut illa, ita vt de pluribus dici non possit. Quo etiam pertinet, fore, vt sit addicta certo loco, & tempori, quod est esse hic, & nunc, quib. conditionib. singularitas certo declaratur apud omnes. Deinde, qui sequetur fore, vt natura. V. G. humana sic producta sit plures numero,

Naturæ cōmunes suas habere exist.

c. 2. q. 4. sect. 4.

Quo sensu sit verum, existent primo conuenire indiu. & per ea naturis superioribus.

Has nec diuinitus posse sine singularibus existere.

mero, & non plures numero, plures numero; quia oportebit eam esse idem re cum natura particulari alicuius hominis aut existentis, aut possibilis; alioqui non erit natura communis, aut quæ communis esse possit: quod si sit idem re cum natura particulari alicuius hominis; ergo pari ratione idem re cum naturis particularibus cæterorum; sicque cum particulares homines sint plures numero, erit & ipsa plures numero; at si producatur extra singularia necessario etiã erit vna numero, quia non erit coniuncta cũ differentiis indiuiduãtib. quibus distinguatur numero: erit ergo plures numero & nõ plures numero. Postremo, quia sequetur fore, vt sit conformis, & non conformis certæ alicui ideæ, seu rationi existenti in mente diuina. Nam cum in mente diuina sint non solum ideæ indiuiduorum, sed etiam specierum, imo vero magis propriè specierum, quam indiuiduorum, quatenus illæ dicuntur rerum exemplaria, vt patet ex iis, quæ diximus cap. 8. natura vtique illa sic separatim existens erit conformis ideæ speciei humanæ, quia non repræsentabitur in ea cũ differentia vlla indiuiduante; & simul non erit illi conformis, quia non erit communis per identitatem omnibus particularium hominum naturis; alioqui si illa producatur, producentur simul omnes particulares eorum naturæ, & ea sublata peribunt, vt lib. 5. contra eos argumentabamur, qui vnam numero vnitatem communis naturæ in omnibus particularib. eiusdem naturæ ponebant. Atque hæc non tam pro re vllo modo dubia dicta sint, quam pro detegenda radice datæ solutionis de necessaria singularitatis conditione ad omnium rerum existentiam. Potest etiam solui argumentum ex instantia. Multa enim habent distinctas existentias, quæ diuina potestate non possunt separata existere, vt relationes à suis fundamentis, cum quibus re ipsa idem sunt. Correlatiua quoque habent diuersas existentias, (*etiam re ipsa*) & tamen nulla potestate (*vt est communis fere omnium sententia*) alterum sine altero existere in rerum natura potest.

q. 2. sect. 6.

c. 28. q. 4. sect. 4.

Ita Scot. in 2. d. 1 q. 4. & 5. & d. 12 q. 2. Dur. in 3. d. 1. q. 1. Capr. in 1 d. 30. q. vn. a. 1. Bargius. d. 28. q. 3. & alii.

Ad secundum dicendum, superiora omnia suas habere vnitates formales distinctas à numeralibus rerum singularium propriis, eas tamen non existere, nisi in ipsis singularibus; falsumque esse, omnes vnitates rerum vniuersalium illis aduenire per operationem intellectus, cum id dici non possit de his ipsis vnitatibus earum formalibus, sed de vnitatibus præcisionis; neque id quidem quoad conuenientiam (*cum semper eis conueniat, vt præcedunt sui contractionem ad particularia*) sed quoad existentiam, quam habere non possunt, nisi obiectiuam, vt ostensum est.

Ad tertium, quo Ochamus, & alii nominales exultant, dicendum est humanam naturam, quam absolute dicimus esse sine operatione intellectus actu distinctam à Socrate, & Platone, esse etiam in illis actu distinctam ab vtroque, & suo modo factam singularem per differentias indiuiduantes vtriusque; & tamen esse distinctam ab vtroq: per modos essendi puros, quos ex ipsa contractione per differentias indiuiduantes vtriusque consequitur.

Alium enim essendi modum habet humanitas in Socrate, alium in Platone; quemadmodum alium confitemur illam habere in Christo, alium in puris hominibus. Quo etiam pacto dicimus, quamlibet naturam genericam, etsi eiusdem rationis est in qualibet eius specie, à qua distinguitur ex natura rei, tamen alium essendi modum, atque adeo nobiliorem habere in vna specie, quam in alia; neque id per aliquam entitatem sibi intrinsecus additam, sed per hoc solum, quod contracta est per aliam differentiam ab ea, per quam contracta est in alia: quæ differentia semper inter se nobilitate aliqua naturæ distinguitur.

Distinct. inter inferiora & superiora material. interdum sumi à materia, semper à forma.

Ad quartum dicendum est, etsi distinctio ex natura rei inter superiora, & inferiora materialia aliquando prouenire potest ex distinctione graduum essentialium tam materiæ, quam formæ; vt inter immediatas species substantiæ corporeæ, quæ sunt substantia corporea corruptibilis & corporea incorruptibilis; (*materia enim substantiæ corporeæ est materia in commune, quemadmodum & forma eius substantialis est forma substantialis in commune; materia autem ipsarum specierum sunt materiæ specie differentes, quemadmodum & formæ substantiales:*) tamen non esse necesse, vt semper proueniat ex distinctione graduum essentialium materiæ, sed formæ; cum materia omnium substantiarum corruptibilium sit eiusdem speciei, & à solis gradibus formarum essentialibus sumatur earum distinctio. Verum, quia materia corruptibilium ratione suæ specialis differentiæ, quæ illam in gradu specifico constituit, est ex se indifferens ad omnes formas corruptibilium, ac proinde habet capacitatem quandam infinitam respectu illarum; iccirco fit, vt etiamsi eius capacitas expleta sit per superiorem gradum formæ substantialis; nondum tamen sit expleta; sed adhuc quasi vacua respectu inferiorum graduum earundem formarum pertinentium ad omnes inferiores species, & indiuidua. Includitur ergo sæpius materia corrupti-

ruptibilium & secundum rem, & secundum A eundem gradum essentialem suæ naturæ in substantia corruptibili, & in omnibus eius speciebus, & indiuiduis, quod nullum est incommodum; non tamen secundum totam suam capacitatem, quia quæ capacitas expletur per superiorem gradũ formæ non descendit cum materia, vt expleatur per inferiorem, cum per superiorem expleta sit: esse autem incommodum, si secundum totam suam capacitatem in omnibus includeretur. B

Quod attinet ad quintum, si totum Physicum non distingueretur, saltem essentialiter à suis partibus simul sumptis, hoc est, vt essẽtia quædam tertia à pluribus essentiis materiæ, & formæ, (*mittamus enim distinctionẽ realem, de qua tamen idem sentiendum putamus, vt inferius ostendemus*) vix, ac ne vix quidem dissolui posset proposita difficultas: sed cum re vera ab eis sic distinguatur, haud difficile expedietur. Quod vt intelligatur, aduertendum C est, in tota qualibet serie substantiarum corporearum duplicem esse compositionem: vnam physicam ex materia, & forma: alteram metaphysicam ex generibus, & differentiis specificis, & ex specie infima, & differentiis indiuiduantibus. Inter quas compositiones hoc est discrimen, quod physica est natura prior, metaphysica autem posterior; quia ex compositione Physica resultant substantiæ completæ, ex quibus solis cõstant omnes se- D ries substãtiarum corporearum, quarum bases, & quasi fundamenta sunt primæ substãtiæ corporeæ. Quod cum ita sit; primum cõpositum vtriusque compositionis in toto genere substãtiarum corporearum est ipsa substantia corporea, quæ prius componitur ex primo gradu essẽtiali materiæ, & primo gradu formæ, quam componatur ex genere, & differentia. Resultante enim ex priore compositione substantia corporea completa vni- E uoce comparabili cum substantia incorporea cõpleta in eo, quod vtraq; per se existit, iam in vtraq; dantur partes compositionis metaphysicæ vtriusque, quia iam in vtraq; reperitur fundamentum omnimodæ similitudinis, in aliquo tertio, dissimilitudinis, seu differentiæ inter ipsas: similitudinis quidẽ in eo, quod vtraq; per se existit: dissimilitudinis autem in eo, quod altera est corporea, altera incorporea: hoc autem nihil est aliud, quam dari in F iis duabus specieb. genus vnum, & duas oppositas differentias, ex quibus duo composita metaphysica cõstituuntur. Deniq; eædem duæ compositiones physica, & metaphysica in omnibus inferioribus substãtiis corporeis cernuntur; prior secundum alios, atque alios gradus saltem formarum cum materia posterior secundum aliam, atque aliam naturam communem, & alias, atque alias differentias communes, vel indiuiduales: at in inferioribus substantiis incorporeis posterior tantum reperiri potest.

Duplex compositio substantiarum corporear. phys. & metaphys.

Quod sit primum compositum in vtraq;.

Quæ cum ita sint, cum quæritur sitne substantia genus summũ composita, an simplex? respondendum est (quod breuius fecimus libro 5.) etsi realiter vtrumq; dici potest cum re ipsa sit composita in cõpositis, & in simplicibus simplex: tamen formaliter, siue ex ratione sua, neq; esse cõpositam, neq; simplicem: quia in natura sua, (*quæ est entis per se existentis*) neutram compositionem includit: vtraque enim compositio incipit in duabus iam dictis immediatis specieb. substantiæ generis summi: physica nimirum simul, & metaphysica, in substantia corporea; metaphysica sola vero in incorporea. Quo fit, vt non solum nullum sit absurdũ, sed etiam necessarium fateri substantiam genus summum re ipsa esse compositam in compositis, & in simplicibus simplicem, in natura autem sua neq; esse compositam, neq; simplicem. Deniq; addendum est nihil referre aduertendas naturas cõmunes, siue quod superiora, & inferiora distinguantur actu ex natura rei, siue quod virtute: siue quod sola consideratione: quouis enim modo quis de eorum distinctione sentiat (*quod oppositæ opinionis autores non animaduertunt*) ad naturas communes admittẽdas veniatur necesse est, si modo concedatur conuenientia in substantia genere summo, & in aliis generibus & speciebus secundum eandem omnino rationem. Nam quod eorum quidam dicunt, satis esse dari eam conuenientiam ex parte conceptus formalis, etiamsi non detur ex parte obiectiui, abunde refutatum est ad c. 2. l. 4. & ad c. 8. l. 5. quæ pro huius rei intelligentia recolenda sunt.

Sitne substantia genus summum composita, an simplex. c. 8. q. 4. sect. 3.

quæst. 2. q. 4

Ad vltimum ex eodem fundamento dicẽdum, etsi in intellectu magna vis est ea vniendi, quæ in rebus diuersa, & separata etiã sunt: non posse tamen illum efficere, vt ea, quæ in rebus simpliciter non sunt vnum, ex eo solo, quod concipiantur vt vnum, vniuoce inter se conueniant. Potest enim intellectus, ea, quæ nõ vniuoce, sed analogice tantũ conueniũt, vnire in vnum conceptum formalem, aut omnino confusum, aut partim confusum, partim distinctum, siue expressum, vt diximus lib. 4. eaque dicere in rebus ipsis aliquo modo secundum eum conceptum esse vnum; nõ tamen efficere potest, vt vel is conceptus formalis sit omnino vnus in repræsentando, vel in rebus ipsis illi respondeat obiectum omnino vnum. Potest etiam componere apud se vnũ aliquid ex multis, quemadmodũ à parte rei

Quæ simpliciter non sunt vnum, neque vniuoce conuenire ex eo, quod concipiantur vt vnum.

quæst. citata

te rei sæpe fit per artem veluti domū, aut exercitum, illudq; pluribus numero eiusmodi compositis ex æquo attribuere: at efficere nō potest, vt illud vnum, si à parte rei non est veræ vnius naturæ seu essētiæ, sit verum genus, aut species, ad quod necesse est, vt illud sit veræ vnius essentiæ: vnde patet non satis esse, si plura sint inter se modo aliquo similia, vt ex iis intellectus abstrahat conceptum generis, speciei: quantumcunque ille rerum diuersarum vnitiuus sit. Adde, quod exempla, quæ afferuntur, neque ad rem faciunt, quia in eis non datur vera vniuocatio: nec, si daretur, negāda esset in illis dictorum graduum distinctio, siue in infinitū abiretur in generibus, & speciebus rerum colligendis, siue in aliquibus consistendum esset. Quanquam illud est certum, comparationes rerum in prædicatis vniuocis realibus non posse fieri in quantumcunq; diuersis rebus, vt obiicitur, cum verorum generum, & specierum multitudo terminum habeat, & sursum versus, & quasi in latus; vt Aristoteles ostendit 1. li. posterior. & 2. huius oper. Vnde hac præcipue de causa ab his inaniter laboratur in impugnanda distinctione formali inter vera genera species, & indiuidua subordinata: eorumque differentias, quia sine ea veram vniuocationem tueri non possunt: & hac etiam ex parte peccant argumenta omnia, quibus illi suam sententiam confirmant: & solutiones eorum, quæ illis ab oppositæ partis autoribus obiiciuntur.

A

B

C

c.18. à tex.15. c.2. tex.5. & seq.

D

Si quis autem contra ea quæ in hoc capite præcipue definita sunt, obiiciat id, de quo in expositione contextus dubitatum est qui fieri, inquam, possit, vt ex natura contracta, siue generica, siue specifica, & differentia contrahente constituatur vna natura, per se, cū natura generica, & specifica sint naturæ actuales, & non pure potentiales; & Arist. sæpe doceat, propterea ex materia prima, & forma substantiali fieri vnū ens per se, quia materia prima est pura potentia & forma substantialis est primus eius actus hunc in modū respōdendum est. Id, quod Arist. docet in hoc pronuntiato, intelligendum esse vbi natura contrahens, & contracta seu determinata, & determinans non sunt vna, & eadem res, vt patet in materia prima, & forma substantiali: secus non esse, vbi eiusmodi naturæ sunt grad[9] essentiales ac immediati inter se vnius, & eiusdē rei vt sunt natura animalis, & differentia specifica respectu speciei natura item specifica, & differentia indiuidualis respectu indiuidui. Huiusmodi n. determinatio vnius naturæ per alteram, non est determinatio per accidens, vt est determinatio subiecti actualis per formam accidentalem; nec determinatio per se remota sed determinatio per se prima, & immediata. Atq; hac de causa ait Arist. hoc capite, animal pedatum non esse diuidēdum in species, aut quasi species, per differentias alarum, sed pedum, quæ est prima, & immediata diuisio animalis pedati.

Tex.43.

ΚΕΦ. ιγ.

Ἐπεὶ δὲ περὶ τῆς οὐσίας ἡ σκέψις ἐστὶ, πάλιν ἐπανέλθωμεν. λέγεται δ' ὥσπερ τὸ ὑποκεί-μενον οὐσία εἶναι, καὶ τὸ τί ἦν εἶναι, καὶ τὸ ἐκ τούτων, καὶ

CAP. XIII.

Sed & quia de substantia consideratio instituta est, ad eam rursus redeamus. Dicitur autem substantia, vt subiectum, vt quiditas &

CAPITIS DECIMITERTII EXPLANATIO.

Tex.44. Vniuersalia, quatalia sunt non esse substantias. Tex.45.

Sed & quia de substantia.] Docuit Aristoteles tribus superioribus capitibus, quibus ex partibus quiditas rerum sensibilium constituatur: nunc id est, hoc capite, & tribus sequentibus docere instituit, sintne vniuersalia quiditates rerum sensibilium. Quod vt ostendat fieri non posse, probat hoc cap. vniuersalia non esse substantias. Vtrumq; aūt intelligendum est de vniuersalib. quatenus vniuersalia sunt, non de rebus ipsis absolute sumptis. Homo enim, & animal, etsi quatenus æque respiciunt sua particularia, substantiæ non sint, imo vero ne in rerum quidem natura existant; (*neq; enim datur res vlla, quæ re ipsa sit indifferens ad multa differentia, nec vni sit magis addicta quam alteri*) tamen si absolute spectentur, homo, inquam, quatenus homo, & animal quatenus animal, non dubium est, quin existant in rerum natura, atq; adeo vere, ac proinde substantiæ sint, & causæ internæ suorū particularium. Suscepta est aūt hæc disputatio propter Platonem, qui putabat vniuersalia, vt vniuersalia sunt, esse substantias, & causas rerum, tametsi non existentes in particularibus, nec causas eorum internas, seu externas, quæ omnia Arist. euertere conatur. Repetita igitur diuisione substantiæ, quæ proposita fuit initio capitis tertii, prætermissoque tertio eius membro (*quod, erat, Genus*) eo quod eadem sit ratio de genere, atq; de ipso vniuersali in communi distinctoq; membro quarto (*quod erat subiectum*) in materiam, quæ est subiectum formę, & in ipsum compositum, quod est subiectum accidentium: explicatisq; hactenus tum quiditate, tum etiam subiecto vtroq; modo sumpto, ait Aristot. reliquum esse, vt agat de vniuersali, intellige autem, quatenus vniuersale est, vt diximus.

Licet contra 1. inferit Plato

b Hoc

καὶ τὸ καθόλου. περὶ μὲν οὖν τοῖν δυοῖν εἴρηται· καὶ γὰρ περὶ τοῦ τί ἦν εἶναι, καὶ τοῦ ὑποκειμένου, ὅτι διχῶς ὑπόκειται, ἢ ὡς b τόδε τι ὄν, ὥσπερ τὸ ζῷον τοῖς πάθεσιν, ἢ ὡς ὕλη τῇ ἐντελεχείᾳ.

Δοκεῖ c δὲ καὶ τὸ καθόλου αἴτιόν τισιν εἶναι μάλιστα, καὶ εἶναι, καὶ ἀρχὴν τὸ καθόλου· διὸ ἐπέλθωμεν καὶ περὶ τούτου. ἔοικε d γὰρ ἀδύνατον εἶναι, οὐσίαν εἶναι ὁτιοῦν τῶν καθόλου λεγομένων, πρῶτον e μὲν γὰρ οὐσία ἡ ἑκάστου, ἡ οὐχ ὑπάρχει ἄλλῳ· τὸ δὲ καθόλου κοινόν· τοῦτο γὰρ λέγεται καθόλου, ὃ πλείοσιν ὑπάρχειν πέφυκε. τίνος f οὖν οὐσία τοῦτ' ἔσται, ἢ γὰρ πάντων, ἢ οὐδενός· πάντων δ' οὐχ οἷόν τε· ἑνὸς δ' εἰ ἔσται, καὶ τἆλλα τοῦτ' ἔσται· ὧν γὰρ μία ἡ οὐσία, καὶ τὸ τί ἦν εἶναι ἕν, καὶ αὐτὰ ἕν. ἔτι g οὐσία μὲν λέγεται, τὸ μὴ καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται ἀεί. ἀλλ' h ἄρα οὕτω μὲν οὐκ ἐνδέχεται, ὡς τὸ τί ἦν εἶναι. ἐν αὐτῷ δὲ ἐνυπάρχει, οἷον τὸ ζῷον, ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, καὶ ἵππῳ; οὐκοῦν i δῆλον, ὅτι ἔστι τις αὐτοῦ λόγος. διαφέρει δ' οὐδέν.

& quod ex his constat, & vniuersale. At de duobus quidem iam dictum est, de quiditate, inquam, & subiecto; quod duobus modis subijcitur, aut vt hoc b aliquid existens, quo pacto animal effectionibus subiicitur: aut vt materia actui.

Sunt c autem quibus vniuersale etiam ipsum causam, & principium maxime esse videatur: quapropter de hac etiam agere aggrediamur. Videtur enim d fieri non posse, vt quodvis eorum, quæ vniuerse dicuntur, substantia sit. Primum enim e substantia cuiusque rei est, quæ alii non inest; vniuersale autem commune est; idem enim vniuersale dicitur, quod in pluribus natura aptũ est esse. Cuiusnam f igitur substantia hoc erit? aut enim omniũ, aut nullius: at omnium esse non poterit; vnius vero si fuerit, cætera hoc ipsum erunt: quorum enim substantia vna est, ac quiditas vna, ipsa quoq; vnum sunt Deinde g id substantia appellatur, quod non de subiecto dicitur; vniuersale autem semper de subiecto aliquo dicitur. Sed h nunquid eo modo non potest, quo quiditas; in ipso autem inest, veluti animal in homine & equo? perspicuum est igitur fore eius rationem aliquam. Nihil

b *Hoc aliquid existens*] Completum aliquid per se existens, & vel singulare, vel absolute sumptum: veluti hoc animal, aut animal, quatenus animal: nam vt vniuersale est, non existit in rerum natura.

c *Sunt autem quibus.*] Iccirco Plato, eiusque sectatores censebant vniuersalia esse maxime causas rerum, & principia, quia ponebant illa separata, & non immixta rebus singularibus, ac proinde nobiliori modo largientia esse singularibus, quã si ab illis continerentur, & quasi concluderentur. At Aristoteles, quia illa in singularibus esse existimat, imo etiam eadem re ipsa cum singularibus, non putat ea esse maxime rerum causas, sed potius infimo quasi gradu & imitatione potius quadam materiæ, aut formæ, quam proprias earum causas. Quæ enim re ipsa non differunt ab effectu, quonam modo causæ vere, & proprie dici possunt? **Vniuersalia iuxta Plat. esse maxime causas rerum Non tamen iuxta Arist.**

d *Videtur enim fieri non posse.*] Argumentum est totius capitis, quo loco verba illa (*vt quodvis*) pro (*vt aliquod*) vel (*vt vllum*) posita sunt. Argumenta enim, quæ ad hanc conclusionem confirmandam afferuntur, eo tendunt, vt nullum vniuersale substantiam esse concludant.

e *Primum enim substantia.*] In plerisq; Græcis codicibus habetur, Prima enim substantia. Sed verior est nostra lectio, qua vetus etiã interpres vsus est, & quam Alexander, & grauissimi quique autores in suis commentariis sequuntur. Est igitur prima ratio Aristotel. huiusmodi: Substantia est propria eius, cuius est substantia nec alii inesse potest; vniuersale pluribus inesse potest: non est igitur vniuersale substantia cuiusquam sui particularis. Sumit autẽ hoc loco substantiam pro quiditate, quo pacto maior est vera: vniuersale autem secundum communem de vniuersali sententiam. **Nullum vniuersale esse substantiam. Prima ratio.**

f *Cuiusnam igitur.*] Secunda ratio est: Aut vniuersale est substantia omnium eorum, quibus inest, aut vnius tantum (*quod membrum excidit in disiunctione, & ex probatione supplendum est*) aut nullius. Non potest autem esse omnium, cum substantia cuiusq; sit illi propria, & alii inesse nequeat, vt in superiori ratione dictum est, nec vero potest esse substantia vnius eorum tantum: (*hinc enim fieret, vt cætera omnia essent illud vnum, cuius esset substantia, cum non minus insit cæteris, quam illi*) vniuersale igitur non est vllius substantia. **Secunda.**

g *Deinde id substantia.*] Tertia ratio. Substantia nunquam dicitur de subiecto: vniuersale semper dicitur de subiecto: Vniuersale igitur substantia non est. Loquitur autem de substantia omnino per se subsistente, quo pacto ideæ apud Platonem erant substantiæ. **Tertia.**

h *Sed nunquid eo modo.*] Responsio est, quamuis ad primam rationem afferet in hunc modum, vniuersale non sic esse substantiam eius, cui inest, quo pacto quiditas est substantia eius, cuius est quiditas, sed inesse in eo, & esse substantiam illius eo modo, quo animal est substantia hominis & equi. **Tex. 46. Resp. ad primã rationem**

i *Perspicuum est igitur.*] Occurrit propositæ responsioni dicens negari non posse, quin animal, **Oppugnatio responsionis**

mal, si substantia est, sit propria alicuius substantiá: habebit enim definitionem, & *(quod hinc sequitur)* erit quiditas, & substantia sibi propria, vt patet ex c.6 huius libri, quo loco dictum est
Tex.21. quiditatem, & id cuius est quiditas *(si de speciebus sit sermo)* vnum, atq; idem esse: aut certe si non haberet definitionem (neq; enim necesse est, vt omnia, siue in substantia, definitioneve insunt, definiantur, vt patet in generibus summis & differentiis) tamen adhuc esset substantia alicui propria, vt homo communis propria substantia sui. Vnde sequitur idem incommodum, quod prima ratione afferebatur, nempe, si vniuersale substantia est, non posse pluribus cõuenire, erit enim talis substantia alicuius substantię propria, vt animal, quod est species quędam viuentis, substantia propria sui: quo fiet, vt pluribus inesse nequeat.

Obiectio. Dicat aliquis dilutionem hanc cauillatoriam plane esse. Neque enim absurdum est dicere
Tex.47. esse aliquid proprium vnius, & tamen commune multis, quæ sub illo non continentur. Verum
Solutio. etsi cauillatoria est simpliciter, non tamen ad hominem, Platonem videlicet, qui omnem sub-
Tex.48. stantiam esse primam substantiam existimabat, hoc est, per se singulariter in rerum natura cohærentem. Atque in hoc sensu, quemadmodum explicatæ sunt rationes propositæ, ita & proponendæ, quod omnes contra Platonem extruantur.

οὐδ᾽ εἰ μὴ πάντων λόγος ἐστὶ τῶν ἐν τῇ οὐσίᾳ· οὐδὲν γὰρ ἧττον οὐσία τοῦτ᾽ ἔσται τινὸς, ὡς ὁ ἄνθρωπος τοῦ ἀνθρώπου, ἐν ᾧ ὑπάρχει, ὥστε τὸ αὐτὸ συμβήσεται πάλιν· ἔσται γὰρ οὐσία, ἐκείνου οὐσία, οἷον τὸ ζῷον, ἐν ᾧ εἴδει ὡς ἴδιον ὑπάρχει. ἔτι l δὲ καὶ ἀδύνατον, καὶ ἄτοπον, τὸ τόδε καὶ οὐσίαν, εἰ ἔστιν ἔκ τινων, μὴ ἐξ οὐσιῶν εἶναι, μηδ᾽ ἐκ τοῦ τόδε τι, ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ ποιοῦ. πρότερον γὰρ ἔσται, μὴ οὐσία τι, καὶ τὸ ποιὸν, οὐσίας τε καὶ τοῦ τόδε· ὅπερ ἀδύνατον· οὔτε λόγῳ γὰρ, οὔτε χρόνῳ, οὔτε γενέσει οἷόν τε τὰ πάθη τῆς οὐσίας εἶναι πρότερα, ἔσται γὰρ χωριστά. ἔτι m τῷ Σωκράτῃ οὐσίᾳ ἐνυπάρχει οὐσία· ὥστε δυοῖν ἔσται οὐσία. ὅλως n δὲ συμβαίνει, εἰ ἔστιν οὐσία ὁ ἄνθρωπος, καὶ ὅσα οὕτω λέγεται, μηθὲν τῶν ἐν τῷ λόγῳ εἶναι μηδενὸς οὐσίαν, μηδὲ χωρὶς ὑπάρχειν αὐτῶν μηδ᾽ ἐν ἄλλῳ. λέγω δ᾽ οἷον, οὐκ εἶναι τι ζῷον παρὰ τὰ τινά, οὐδ᾽ ἄλλο τῶν ἐν

Nihil vero refert si non omnium, quæ in substātia sunt ratio sit: nihil enim minus hoc ipsum substantia alicuius erit, vt homo hominis, in quo est. Itaq; idem rursus eueniet; erit enim substantia illius substantia, vt animal eius speciei, in qua proprium est. Præterea l *impossibile, atq; absurdũ est, hoc aliquid & substantiam, si ex quibusdam constat, non ex substātiis, nec ex eo quod est hoc aliquid sed ex quali constare. Prius enim erit non substantia, atq; quale, quam substantia, quod fieri nequit, quippe cum nec ratione, nec tempore, nec generatione affectiones substantia priores esse possint; essent enim separabiles. Ad hæc* m *Socrati, qui substantia est, substantia inerit; ex quare fiet, vt duorum sit substantia. Omnino* n *autem accidit, si homo, & quidquid hoc pacto dicitur, substantia sit, nihil eorum, quæ in ratione continentur, substantiam esse cuiusq;, neq; seorsum ab eis, neq; in alio existere; verbi causa neq; animal esse quidquam præter quædam, neq; aliud prorsus eorum, quæ in rationibus insunt. Ex his, si ea considerentur, perspicue efficitur, nihil eorum, quæ vniuerse existunt, substantiam esse, nihilque*

Quarta ratio l *Præterea impossibile.*] Quarta ratio hæc, quæ magna ex parte supplenda est, probat, species substantiarum non esse substantias, hunc in modum. Si species substantiarum substantiæ sint, vniuersalia etiam, ex quibus constant, substantiæ erunt: *(impossibile enim est, vt substantia constet ex non substantiis: erit enim non substantia prior, quam substantia, quod pugnat cum iis, quæ primo capite & dicta, & probata sunt)* at hoc ipsum absurdum est: *(nam cum vniuersalia, ex quibus species constat, dicantur de ipsa specie, fiet, vt homo, verbi causa, sit multa substantia, vtpote & homo, & animal, & rationale, & alia superiora genera, & differentia)* non sunt igitur species substantiarum substantiæ.

Quinta. m *Adhæc Socrati.*] Quinta hæc ratio idem probat, quia si species substantiarũ essent substantiæ, vna, & eadem substantia esset duarum rerum substantia. Nam Socrati, qui substantia est, inesset alia substantia, nempe homo: quare cum substantia hominis sit etiam substantia Socratis, sequeretur duarum rerum vnam, & eandem esse substantiam.

Sexta. n *Omnino autem.*] Sexta hæc ratio probat nullum vniuersale, per quod species vlla substantiæ definiatur, esse substantiam, posito, quod species ipsæ sint substantiæ. Vis autem rationis videtur sumenda ex duabus superioribus, quasi dicat Aristoteles: Alioqui vna substantia erit plures substantiæ, & vicissim plures substantiæ erunt vna substantia. Nam homo erit tum animal, tum rationale, tum alia etiam superiora: & homo item, ac animal erunt ipsa substantia animalis, & sic in cæteris. Itaq; hac de causa vniuersalia ea, per quæ species substantiæ definiuntur, non possunt esse substantiæ earum: neq; vero extra illas, aut in aliquo quod extra illas sit, existere. Quibus dictis infert vniuers[illegible]em conclusionem, quam probare instituebat, nullum vniuersal[illegible] quaten[illegible]s tale est, esse [illegible] *quod Plato pr[illegible]od m accepit*, hoc aliquid per se subsistens, sed esse tale quid [illegible] q[illegible]le est in cæteris.

o *Sin minus & alia.*] Auget argumenta ad eandem conclusionem confirmandam. Missis autem aliis rationibus ab incommodo, quæ afferri possent, addit septimam, quæ huiusmodi est: Si vniuersalia sint substantiæ, concedendum esse necessario, dari tertium hominem, qui (*vt Alexander exponit*) communis sit particularibus hominibus, & homini communi. Nam si homo communis est hoc aliquid, quia homines particulares in eo eadem ratione conueniunt: cur nō etiam ponatur vltra quemlibet particularem, & communem illum, tertius quidam alius, qui sit etiam hoc aliquid per se subsistens, cum quilibet particularium eodem pacto cum communi conueniat? id autem concedere, plane absurdum est, & contra sententiam eorū, qui hominem communem hoc aliquid esse dicunt: si quis enim secundum, & tertium concesserit, qui ternarium efficiant cum quolibet particulari, eadem ratione admittet infinitos, quorum quilibet sequens sit communis præcedentibus. *Septima.*

ἐν τοῖς λόγοις οὐδέν. ἔκ τε δὴ τούτων θεωροῦσι, φανερόν. ὅτι οὐδὲν τῶν καθόλου ὑπαρχόντων οὐσία ἐστί, καὶ ὅτι οὐδὲν σημαίνει τῶν κοινῇ κατηγορουμένων τόδε τι, ἀλλὰ τοιόνδε. εἰ δὲ o μή, ἄλλα τε πολλὰ συμβαίνει, καὶ ὁ τρίτος ἄνθρωπος. ἔτι p δὲ καὶ ὧδε δῆλον. ἀδύνατον γὰρ οὐσίαν ἐξ οὐσιῶν εἶναι, ἐνυπαρχουσῶν οὕτως, ὡς ἐντελεχείᾳ· τὰ γὰρ δύο οὕτως ἐντελεχείᾳ, οὐδέποτε ἓν ἐντελεχείᾳ· ἀλλ' ἐὰν δυνάμει δύο ᾖ, ἔσται ἕν· οἷον ἡ διπλασία ἐκ δύο ἡμίσεων δυνάμει γε. ἡ γὰρ ἐντελέχεια χωρίζει. ὥστ' εἰ ἡ οὐσία ἕν, οὐκ ἔσται ἐξ οὐσιῶν ἐνυπαρχουσῶν, καὶ κατὰ q τοῦτον τὸν τρόπον, ὃν λέγει Δημόκριτος ὀρθῶς. ἀδύνατον γάρ εἶναί φασιν ἐκ δύο ἕν, ἢ ἐξ ἑνὸς δύο γενέσθαι. τὰ γὰρ μεγέθη τὰ ἄτομα, τὰς οὐσίας ποιεῖ. ὁμοίως r δῆ-

hilque eorum, quæ communiter prædicantur, hoc aliquid, sed tale significare. Sin o minus & alia complura accidunt, & ipse tertius homo. Id ipsum p & hoc modo patet. Impossibile enim est ex substantiis, quæ ita insunt, vt sint actu, substantiam vllam constare: duo enim, quæ hoc pacto sunt actu, nunquam sunt vnum actu; sed si potētia duo sunt, erunt vtiq; vnum: quo pacto duplicitas ex duobus dimid iis potētia constitit: actus enim separat. Quapropter si substantia vnum est, non constabit sane ex substantiis, quæ in ea insint, & quidem q eo modo, quem recte Democritus exponit. Ait enim fieri non posse, vt ex duobus vnum, aut ex vno duo efficiantur: indiuisibiles enim magnitudines substantias esse censet. Eodem r igitur modo perspicuum est rem

p *Id ipsum & hoc modo.*] Octaua ratio hæc est. Id quod est vnum actu, non constat ex iis, quæ sunt actu duo (*completa intellige*) sed potentia duntaxat, quo pacto tabula duorum palmorum constat duabus tabulis: vniuersalia autem, quæ de eadem substantia dicuntur si substantiæ etiam ipsa sunt, (*per se videlicet, & non per aliud subsistentes*) sunt actu plura: non constant igitur illis substantiæ particulares, quarum quælibet plane cernitur esse actu vna: aut certe si constant, (*quod re vera, & sententia vniuersalium bene explicata dicendum est*) vniuersalia non sunt substantiæ. Propositio ex eo probatur, quia actus est, qui distinguit, ac diuidit: differentiæ enim omnes, quibus inter sese res distinctæ differunt, semper ab aliqua forma, aut quasi forma sumuntur; (*quod addiderim propter gradus indiuiduales ex quibus indiuiduales differentiæ sumuntur, cum se habeant ad communiores quasi forma ad materiam*) forma autem omnis actus est quidam. Vnde colligit Diuus Thomas vt aliqua sint vnum actu, oportere, vt omnia sub vna, & eadem forma cōtineantur, nec habeant singula singulas formas, vt quidam de membris vnius, & eiusdem viuentis autumant. *Octaua.* *Tex. 49.*

q *Et quidem eo modo.*] Cōfirmat propositionem eandem auctoritate Democriti, qui propterea ex duabus magnitudinib. indiuisibilibus, quas rerum substantialia principia esse censebat, aliquid vere vnum constare non posse affirmabat, quia duæ eiusmodi magnitudines, siue atomi, semper erant duæ actu, nec dualitatem suam amittebant, quasi conflatæ in massam vnam. Id quod ex eo accidere putabat, quia non erant aptæ, vt paterentur, quemadmodum, quia indiuisibiles ponebantur, neutra earum diuidi poterat. *Autoritas Democriti ad idem probandum.*

r *Eodem igitur modo.*] Colligit ex eadem propositione hoc consectarium: Si numerus est quędam compositio vnitatum, vt à quibusdam dicitur, hoc est, si est quippiam ex vnitatibus cōpositum, ita vt nihil aliud sit, quam ipsarum vnitatum aggregatio; aut dicendum esse, illum non esse vere vnum quid, siue vnum per se; aut certe vnitates non esse in eo distinctas actu, sed potentia duntaxat. *Consectariū de modo, quo se vnitates habent ad numerum.*

ſ *At enim id quod.*] Obiicit contra ea, quæ dicta sunt, non mediocrem, vt videtur sententiarū repugnantiam. Nam si verum est, quod hoc ipso capite dictum est, nullam substantiam singularem constare ex vniuersalibus, iis potissimum rationibus, quia vniuersalia substantiarum aut non sint substantiæ, sed qualia quædam aut sint substantiæ actu distinctæ, ex quibus nihil vere, ac per se vnum constare potest; omnis vtique substantia, quæ vere, ac per se vna fuerit *Tex. 50.* *Grauis obiectio.*

compositione carebit: ac proinde nulla omnino definiri poterit. Si autem vera sunt, quæ in superioribus sunt explicata, certe aut solius substantiæ, aut eius maxime definitio concedenda erit: id enim & assertum, & confirmatum est cap. 4. estque omnium Philosophorum communis sententia. Vnde fit, vt si nullius substantię definitio est, quemadmodum ex dictis in hoc capite collectum fuit: nullius omnino rei futura sit definitio: quod planius pugnat cum omnium sententia. Quod autem ex iis, quæ dicta sunt hoc capite, sequatur omnem substantiam, quæ vere vnum sit, esse incompositam, ex quo patet, quia alioqui aut substantia constaret ex non substantiis, aut certe constaret ex substantiis actu distinctis: quorum neutrum fieri posse assertum est. Nam quod omne, quod definitur, partes habere debeat, ex eo constat, quia omnis definitio partes habet: partes autem definitionis respondent partibus rei, quę definitur, vt dictum est initio capitis decimi.

τοίνυν δῆλον, ὅτι καὶ ἐπ' ἀριθμοῦ ἕξει, εἴπερ ἐστὶν ὁ ἀριθμὸς σύνθεσις μονάδων, ὥσπερ λέγεται ὑπό τινων. ἢ γὰρ οὐχ ἕν, ἡ δυὰς, ἢ οὐκ ἔστι μονὰς ἐν αὐτῇ ἐντελεχείᾳ.

ἔχει ſ δὲ τὸ συμβαῖνον ἀπορίαν. εἰ γὰρ μήτε ἐκ τῶν καθόλου οἷόν τ' εἶναι μηδεμίαν οὐσίαν διὰ τὸ τοιόνδε, ἀλλὰ μὴ τόδε τι σημαίνειν, μήτ' ἐξ οὐσιῶν ἐνδέχεται ἐντελεχείᾳ εἶναι μηδεμίαν οὐσίαν σύνθετον, ἀσύνθετον ἂν εἴη οὐσία πᾶσα: ὥστε οὐδὲ λόγος ἂν εἴη οὐδεμιᾶς οὐσίας. ἀλλὰ μὴν δοκεῖ γε πᾶσι, καὶ ἐλέχθη πάλαι, ἢ μόνον εἶναι οὐσίας ὅρον, ἢ μάλιστα. νῦν δ' οὐδὲ ταύτης. οὐδενὸς ἄρ' ἔσται ὁρισμός. ἢ τρόπον τ μέν τινα ἔσται, τρόπον τινὰ οὔ; δῆλον δ' ἔσται τὸ λεγόμενον, ἐκ τῶν ὕστερον μᾶλλον.

rem habere in numero, si numerus quidem vnitatum sit compositio, vt à quibusdã asseritur. Aut enim dualitas non est vnum, aut in ea non inest vnitas actu. At enim ſ id, quod ex dictis efficitur, difficultate non caret. Si enim neq; ex vniuersalibus vlla substantia constare potest, quia non hoc aliquid, sed tale significent: neq; fit, vt ex substantiis actu substantia vlla sit composita: incompositum quippiam profecto fuerit omnis substantia: ex qua re fiet, vt nullius substantiæ sit ratio: at cunctis esse videtur, nosq; iamdudum aut substantiæ tantum, aut eius maxime definitionem esse diximus nunc vero ne huius quidem esse conclusimus: vnde fit, vt nullius rei sit futura definitio. An t modo quidem aliquo erit, modo alio non item? Verum hoc ex iis, quæ dicentur, magis dilucidum erit.

Solutio. t *An modo quidem aliquo.*] Innuit propositæ difficultatis solutionem, eius tamen perspicuam explicationem partim in reliquam huius libri partem, partim in librum sequentem differt. Solutio vero est, substantiam non constare ex substantiis actu distinctis, atque completis, & quæ numerari possint: sed distinctis potentia, aut incompletis, aut certe quæ sint vnum, & idem re, vt patebit in progressu.

ΚΕΦ. ιδ.

Φανερὸν δὲ ἐξ αὐτῶν τούτων τὸ συμβαῖνον, καὶ τοῖς τὰς ἰδέας λέγουσιν οὐσίας τε καὶ χωριστὰς εἶναι ἅμα, καὶ ἅμα τὸ εἶδος ἐκ τοῦ γένους ποιοῦσι, καὶ τῶν διαφορῶν. εἰ b γὰρ ἔστι τὰ εἴδη, καὶ τὸ ζῷον ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, καὶ ἵππῳ, ἤτοι ἓν καὶ ταὐτὸν τῷ ἀριθμῷ ἐστιν, ἢ ἕτερον. τῷ μὲν γὰρ λόγῳ δῆλον ὅτι ἕν, τὸν γὰρ αὐτὸν διέξεισι λόγον ὁ λέγων ἐν ἑκατέρῳ. εἰ c οὖν ἐστί τις ἄνθρωπος αὐτὸ καθ' αὐτὸ, τόδε τι, καὶ κεχωρισμένον, ἀνάγκη καὶ ἐξ ὧν, οἷον, τὸ ζῷον, καὶ τὸ δίπουν, τόδε τι σημαίνειν, καὶ εἶναι χωριστὰ, καὶ οὐσίας:

CAP. XIV.

Ex his a ipsis perspicuum est, quid iis etiam accidat, qui ideas & substantias esse, & separatas aiunt: simulq; formam ex genere, differentiisq; constituunt. Nam si b formæ sunt, animalq; ipsum in homine, & equo est, aut vnum, atq; idem numero est, aut diuersum: quod enim ratione vnum sit, apertum est; etenim qui illud oratione declarabit, eandem in vtroq; rationem proferet. Itaq; si c aliquis homo est ipsum per se hoc aliquid, ac separatum: & ea quoq; ex quibus constat, veluti animal, & bipes, hoc aliquid significare, & separata esse, ac substantias, necesse est, quare d & animal ipsum: At si

CAPITIS DECIMIQVARTI EXPLANATIO.

Vniuersalia non esse substantias à particularib. separatas.

Ex *his* a *ipsis.*] In his tribus capitibus, in quibus Aristoteles vniuersalium materiam persequitur, hæc tria traduntur. In hoc quidem, vniuersalia non esse substantias à particularib. separatas; in proximo autem, si vniuersalia sunt substantiæ à particularibus separatæ, nõ posse illa definiri: denique in sequenti, non esse substantias actu, sed potentia: Vt ergo primum illud exequatur, proponit inprimis præcipuam quasi radicem difficultatis, quæ in Platonis opinione de vniuersalibus occurrit. Ea vero est, quod dixerit, species esse separatas à suis indiuiduis, & eas nihilominus ex genere, & differentia constare affirmauerit: quæ omnino videntur inter se pu-

se pugnare, vt ex iis, quæ dicta sunt, (*id enim significant verba illa, Ex his ipsis*) plane colligi potest: quemadmodum ex iis, quæ in hoc capite dicentur, apertum erit. Qua enim ratione Plato separauit species ab indiuiduis, eadem cogitur separare genera, & differentias: quod omnino repugnat constitutioni specierum ex generibus, & differentiis. *Videtur ratione dicere repugnantia.*

b *Nam si formæ sunt.*] Dilemmate quodam ostendit, genera non esse substantias separatas à suis specieb. & nihilominus constituere suas species. Est autem argumentatio huiusmodi. Aut animal, exempli causa, est vnũ, atq; idem numero constituens hominem, & equum: aut aliud, ac aliud numero: si est vnum numero, non constituit hominem, & equum: si est aliud, ac aliud numero, non est separatum ab vtroq;: non est igitur dicendum animal & esse separatum ab homine, & equo, & constituere hominem, & equum, quare cum negari non possit, animal constituere hominem, & equum, cum de illis eadem ratione dicatur in quæstione quid est necessario efficitur, vt animal non sit substantia separata ab homine, & equo: quod idem pari ratione dicendum est de cæteris generibus comparatione suarum specierum. *Non posse genera esse substantias separatas à suis specieb. & tamen eas constituere. Dilemma. Tex. 51.*

c *Itaq; si aliquis homo.*] Probat priorem partem dilemmatis tribus rationibus: ante quarum primam ostendit, ex opinione Platonis plane effici, animal cõmune esse vnum atq; idem numero. Nam cum homo communis propterea apud Platonem ponatur separatus, quod eadem ratione dicatur de singulis hominibus, nec eius natura ad vllum particularem hominem addicta sit, eadem ratione animal, & bipes, ac multipes, & quæcunque alia de homine, & equo eadem ratione dicuntur erunt ab eis separata: ergo cum homo communis, ex vi ipsius separationis à singulis hominibus, sit vnus numero per se existens, & nõ per sua indiuidua: eadem ratione dicendum est, animal commune esse vnum numero per se existens, & non per hominem, aut equum, aut aliam speciem animalis. *Sequi ex sententia Platonis animal commune esse vnum numero.*

d *Quare & animal ipsum.*] Discrimen est inter animal, vt est coniunctum cum bipede, (quo pacto ponitur in definitione hominis) & vt est abiunctum à bipede, & cæteris differentiis, quibus diuiditur in species. Quia tamen vtroq; modo est vniuocum, de eo vtroque modo sumpto infert Arist. quod ex Platonis sententia sit vnum numero.

σίας· ὥστε d καὶ τὸ ζῷον. εἰ e μὲν οὖν τὸ αὐτὸ καὶ ἐν τῷ ἵππῳ, ὥσπερ σὺ σαυτῷ, πῶς ἐν χωρὶς οὖσιν ἓν ἔσται; καὶ f διὰ τί οὐ καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἔσται τὸ ζῷον τοῦτο; ἔπειτα g εἰ μὲν μεθέξει τοῦ δίποδος καὶ τοῦ πολύποδος, ἀδύνατόν τι συμβαίνει· τἀναντία γὰρ ἅμα ὑπάρξει αὐτῷ, ἑνὶ καὶ τῷδε ὄντι. εἰ δὲ μή, τίς ὁ τρόπος, ὅταν εἴπῃ τις τὸ ζῷον εἶναι δίπουν, ἢ πεζόν; ἀλλ' ἴσως h σύγκειται, καὶ ἅπτεται, ἢ μέμικται. ἀλλὰ πάντα ἄτοπα. ἀλλ' ἕτερον i ἐν ἑκάστῳ; οὐκοῦν ἄπειρα, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἔσται, ὧν ἡ οὐσία ζῷον; οὐ γὰρ κατὰ συμβεβηκὸς ἐκ ζῴου ὁ ἄνθρωπος. ἔτι l πολλὰ ἔσται αὐτὸ τὸ ζῷον; οὐσία τε γὰρ τὸ ἐν ἑκάστῳ ζῷον; οὐ γὰρ κατ' ἄλλο λέγεται. εἰ δὲ

At si e illud quidem & in equo vnum atq; idem est quemadmodum tu idem es, quod tu ipse: quonam pacto in iis, quæ separatim sunt, vnum erit? cur etiam f hoc ipsum animal à se ipso non erit seiunctũ? Deinde si g bipedis, & multipedis particeps erit, eueniet sane aliquid, quod fieri nequeat: vni enim ipsi, atque huic existenti, contraria simul inerunt. Sin minus quis modus est, cum quis animal bipes esse, aut progressiuum pronuntiat? At h componuntur forsitan, & iungunt sese, aut miscentur. Sed omnia absurda sunt. At i diuersum est in vnoquoq;: Ergo infinita, vt ita dicam, ea erunt, quorum substantia animal est, nec enim homo ex animali per accidens constat. Deinde l multa erit ipsum animal, siquidem & animal, quod vnicuique inest, substan

e *At si illud quidem.*] Prima ratio ad priorem partem dilemmatis est huiusmodi. Quod est vnum numero, non existit in diuersis numero: homo, & equus sunt diuersa numero, cum specie differant; si ergo animal commune est vnum numero, (*ita quod ex ipsa Platonis sententia dicendum esse colligimus*) non existit vtiq; in homine & equo, ac proinde nec hominem, & equum constituit. Propositio ex eo patet, quia quod est vnum numero, est proprium illius rei, de qua secundum substantiam dicitur, vt Socrates de se ipso: hinc enim indiuidui nomen accepit, alioqui diuiduum esset & commune, ac proinde non singulare, siue vnum numero. Aduerte autem hominem, & equum esse diuersa numero, tum quia sunt diuersæ numero, species, tum quia sunt idem re cum indiuiduis, quæ sunt diuersa numero, vt cum Socrate, & Bucephalo. *Prima probatio prioris partis dilemmatis. Tex. 52.*

f *Cur etiam hoc ipsum animal.*] Secunda ratio ducit ad hoc incommodum, vt animal sit seiunctum, ac separatum à se ipso. Si enim est vnum numero, & nihilominus ad essentiam hominis, & equi pertinet: plane sequitur, si homo ab equo separatus est, & animal, à se ipso seiunctum esse. *Secunda.*

g *Deinde si bipedis.*] Tertia ratio hoc incommodo vrget. Si genus in constituendis speciebus est particeps differentiarum, quibus species diuiditur, quas bipedis & multipedis hominibus signi- *Tertia.*

significant idque eo modo, quo materia est formæ particeps, neque enim alius modus occurrit, quo genus cum differentiis constituat species fore, vt vnum, & idem numero sit particeps contrariorum simpliciter nimirum, & perfecte, ita vt ab vtroque simul denominetur: sequitur enim illud vnum numero animali commune, fore simul rationis particeps, & rationis expers: idq; simpliciter, & perfecte, quod fieri nequit.

Responsio ad aduersariorum.

h *At componuntur forsitan*] Si quis occurrat, animal non eodem modo constituere species adiunctis differentiis quo compositum efficitur ex materia, & forma, (*eo enim modo licet genus denominare ex differentiis, quemadmodum materia denominatur à forma, vt in argumento dicebatur*) sed eo pacto, quo pleraq; composita fiunt ex rebus perspicue distinctis inter sese, aut etiam cõfusis, vt domus ex lapidibus ac lignis & mulsum ex vino, & melle, vbi vnum non denominatur ab alio, nisi forsitan improprie; vrget Aristoteles aliis incommodis quæ quia aperta sunt non putat esse recensenda, cuiusmodi sunt, fore, vt isto modo genus, & differentia non possint de specie prædicari, cum partes integrantes non prædicentur de toto; nec simplicia de mistis, fore etiam, vt hoc modo genus, & differentiæ sint res diuersæ, & quemadmodum coniuncta, sic etiam & disiuncta possent existere: & alia complura.

Refellitur.

Prima probatio posterioris partis dilemmatis.

i *At diuersum est.*] Probat posteriorem dilemmatis partem quinque rationibus, quæ omnes eo tendunt, vt si aduersarii cõcedant, animal esse diuersum numero in homine, & equo, & cæteris speciebus, necessario fateantur non esse ab eis separatum. Primum, quia si animal est diuersum numero in diuersis speciebus, non est vtiq; substantia vnius tantum rei per se existentis, sed prope infinitarum; nempe specierum suarum, quæ & sunt prope infinitæ, & in toto hoc dilemmate supponuntur per se ipsas, & non per indiuidua existere. Quod autem id sequatur, ex eo patet, quia animal non dicitur per accidens, sed per se, hoc est essentialiter de suis speciebus, quicquid autem hoc pacto dicitur de multis, vere, ac identice in illis existit, ac proinde ad numerationem eorum necessario numeratur: vnde fit, vt non possit esse vnum præter illa.

δὴ μὴ ἐξ ἐόντων ἐστὶ ὁ ἄνθρωπος, καὶ γένος αὐτοῦ ἐκεῖνο. καὶ ἔτι m ἰδέαι ἅπαντα, ἐξ ὧν ὁ ἄνθρωπος· ὥστε οὐκ ἄλλου μὲν ἰδέα ἔσται, ἄλλου δ' οὐσία· ἀδύνατον γάρ. αὐτὸ ἄρα ζῷον ἔσται, ἕκαστον τῶν ἐν τοῖς ζῴοις. ἔτι n ἐκ τίνος τούτου, καὶ πῶς ἐξ αὐτοῦ ζῴου; ἢ πῶς οἷόν τε εἶναι τὸ ζῷον, ὃ οὐσία τοῦτο αὐτό, παρ' αὐτὸ τὸ ζῷον; ἔτι p δ' ἐπὶ τῶν αἰσθητῶν ταῦτά τε συμβαίνει, καὶ τούτων ἀτοπώτερα, εἰ δὴ q ἀδύνατον οὕτως ἔχειν, δῆλον ὅτι οὐκ ἔστιν ἰδέα αὐτῶν οὕτως, ὥς τινές φασιν.

substantia est: neq; enim per aliud dicitur. Quod si non ita res habet, ex illo constabit homo, eiusque genus illud erit. Ad hac, m *omnia, ex quibus homo constat, ideæ erunt: hinc fiet, vt non huius quidem idea sit, illius vero substantia, cum id fieri nequeat. Erit igitur ipsum animal vnumquodque eorum quæ in animalibus insunt. Præterea* n *ex hoc aliquo erit: & quonam modo ex ipso animali? aut* o *qua pacto fieri potest, vt animal, quod hoc ipsum substantia est, præter ipsum animal existat? Sed* p *& in sensibilibus hæc, & alia absurdiora accidunt. Quare,* q *si hoc modo habere nequeunt, perspicuum est non sic esse eorum ideam, vt quidam dicunt.*

Secunda.

l *Deinde multa erit.*] Secundæ huius rationis quæ parum differt à superiori, sensus est, Si animal est diuersum numero in diuersis speciebus, & nihilominus separatum ab illis erit vtique quatenus animal tum vnum numero, quod significat verbis illis, [*ipsum animal*] tum etiã multa numero: quæ omnino repugnãt; quare aut non erit diuersum numero in diuersis speciebus aut si diuersum esse ponitur, non erit ab eis separatum. Quod autem re vera sit diuersum numero in diuersis speciebus, (*hæc enim est Aristotelica, atq; adeo vera sententia*) ex eo rursus probatur, quia dicitur de illis per se, & non per accidens. Nam si diceretur per accidens, non esset illorum genus, sed illud potius, cui ipsum accideret; vt quia album accidit homini, & equo, idcirco non est genus vtriusq; sed id, cui album accidit. Aduerte autem Aristotelem in his duab. rationibus plus accepisse ad ostendendam diuersitatem numeralem animalis in suis speciebus quam necesse foret. Non solum enim ea, quæ per se conueniunt, sed etiam quæ per accidens, (*modo tamen vere insint*) numerantur ad numerationem eorum, in quibus insunt, vt albedo ad numerationem subiectorum, quibus inhæret.

Animal non esse vnum numero in diuersis speciebus sententia Arist.

Tertia.

m *Adhac omnia.*] Tertia ratio est: Si animal est diuersum numero in diuersis speciebus, & nihilominus est ab eis separatum, idem omnino dicendũ erit de omnibus generib. & differentiis, ex quibus species cõstant: par enim est in omnib. ratio: quo fiet, vt rerum omnium sit idea, siue singularium, inquam, siue etiam vniuersalium: quare non erit admittenda distinctio illa Platonica, qua inquit singularium quidem sensibilium, veluti singulorum hominũ, esse ideam siue quiditatem separatam: vniuersalium autem, veluti hominis, & equi, non esse ideam, sed prædicata eorum communia esse illis intrinseca, & essentialia: fieri n. nõ potest, vt alterum negetur, si al-

si alterum concedatur. Ergo si animal est diuersum numero in diuersis specieb. vt re vera est, vel ipso Platone iudice, non est vtiq; ponendum ab illis separatum, sed identificatum, vt sic dicam potius cum diuersis illis numero animalibus.

n *Praeterea ex hoc.*] Quarta ratio est; Si animal est diuersum numero in diuersis specieb. & nihilominus datur animal commune separatum ab omnib. dicendum erit, species animalis constare ex particularibus animalibus non autem ex communi. Quare cum nec ipsum non sit cõstare ex communi, (constant enim ex genere, & differentia, vel ipso etiam Platone cõsentiente) efficitur, vt animal commune non sit aliud, quam diuersa illa numero animalia, (& quod hinc sequitur) si est numero diuersum in diuersis speciebus, non esse ab illis separatum. *Quarta.*

o *Aut quo pacto.*] Quinta ac extrema ratio est huiusmodi: Si animal commune est diuersum numero in diuersis speciebus, & nihilominus ab eis separatum: erit profecto separatum à seipso, hoc autem fieri nullo modo potest: ergo, si est diuersum numero in diuersis, vt re vera dicendum est, non erit vtique ab illis separatum. Propositio ex eo patet, quia nulla est alia causa, quare sit diuersum numero in diuersis, nisi quia est idem cum suis particularibus: hinc enim fit vt ad numerationem specierum, imo etiam quorumcunque inferiorum, necessario numeretur, vti diximus. *Quinta.*

p *Sed & in sensibilibus.*] Quia eædem rationes, quibus ostensum est genera non esse separata à suis speciebus, paucis mutatis, & ad subiectam materiam accommodatis, valent ad probandum species non esse separatas à suis indiuiduis: supersedet Aristoteles à labore vlterius impugnadi separationem vniuersalium à suis particularibus: eadem enim absurda, & alia etiam maiora, accidunt ponentibus species separatas à suis indiuiduis. Et quia non solum Platonis, sed etiam Aristotelis sententia, indiuidua immaterialia non distinguuntur ex natura rei à specieb. vt sæpe diximus, ac proinde nec Plato posuit separationem specierum ab eiusmodi indiuiduis, significat Aristoteles hoc loco indiuidua nomine sensibilium, quod de eorum specieb. tantum sit controuersia, siue sumantur vt sensibilia sunt, vt apud Physicos, siue quædam eorum vt intelligibilia, imaginabilia ve, vt quantitates apud Mathematicos: ab vtrisq; enim Plato separauit species. Quod autem Aristoteles ait, maiora absurda accidere iis, qui ponunt species separatas ab indiuiduis quam si ponerent genera separata à speciebus; ea forsitan de causa dictum est, quod sint euidentiora, vtpote quæ in rebus magis particularibus, nobisq; magis familiaribus ostendantur: alioquin paria incommoda sequuntur, si quis separet genera à speciebus, imo etiam ea ratione maiora, quod natura generis, cum sit vna minori vnitate, quam natura speciei, vt l. 5. dictum est, minus apta est ad separationem, quam natura speciei. *Cur Arist. nomine sensib. lium intelligat indiuidua. Cur d cat maiora absurda euenire ponentib. species separatas.*

q *Quare si hoc modo*] Hoc est, si res singulares sensibiles, aut in sensibilibus existentes, non possunt habere species à se iunctas, & separatas, efficitur, vt non sint ponendæ earum ideæ eo modo, quo à Platonicis ponuntur, vtpote separatæ non solum à suis indiuiduis, sed etiã distinctæ à natura primi opificis Dei Opt. Max. Addit autem Aristoteles verba illa (*Non ita esse*) quia non negat ideas in mente diuina ab ipsa diuina essentia minime distinctas. Ita patet, vniuersalia non esse substantias separatas, quod erat hoc capite probandum, tametsi etiam in ca. 16. id ipsum peculiari ratione probabitur de quibusdam maxime vniuersalibus. *Ad cap. 6. Non esse ponendas ideas disiunctas ab indiuiduis, & natura primi artificis Dei.*

ΚΕΦ. ιε.

Ἐπεὶ δ' ἡ οὐσία ἑτέρα, τό, τε σύνολον καὶ ὁ λόγος: (λέγω δ' ὅτι ἡ μὲν οὕτως ἐστὶν οὐσία σὺν τῇ ὕλῃ συνειλημμένος ὁ λόγος, ἡ δ' ὁ λόγος ὅλως) ὅσαι b μὲν οὖν οὕτω λέγονται, τούτων μέν ἐστι φθορά: καὶ γὰρ γένεσις. τοῦ δὲ λόγου οὐκ ἔστιν οὕτως, ὥστε φθείρεσθαι. οὐδὲ γὰρ γένεσις. οὐ γὰρ γίγνεται τὸ οἰκίᾳ εἶναι, ἀλλὰ τὸ τῇδε τῇ οἰκίᾳ. ἀλλ' ἄνευ γενέσεως καὶ φθορᾶς εἰσὶ καὶ οὐκ εἰσί: δέδεικται γὰρ ὅτι οὐδεὶς ταῦτα γεννᾷ, οὐδὲ ποιεῖ.

CAPVT XV.

Cvm a autem alia, & alia sit substantia, totum ipsum, inquam, & ratio, (dico autem aliam esse substantiam, vt rationem cum materia simul sumptam, aliam vero esse omnino rationem) eorum b quidem omnium, quæ illo modo dicuntur, est corruptio; quandoquidem & generatio: rationis autem non est corruptio, quippe cum eius non sit generatio. Neq; enim fit esse domui, sed huiusce domui: tametsi hæc sine generatione, & corruptione sunt, & non sunt, demonstratum est enim neminem hæc generare, aut facere.

Hæc

CAPITIS DECIMIQVINTI EXPLANATIO.

Cvm a autem alia.] Institutum Aristotelis in hoc cap. est ostendere vniuersalia, si substantiæ separatæ sint, non posse definiri. Non loquitur autem de vniuersalibus rerum immaterialium, quia illæ non ponebantur à Platone separatæ à suis singularibus. Quin etiã credibile est, *Plato non posuit separatas à singularibus ideas*

Eee quem-

rerum immaterialium. Tex.54.

quemadmodum Aristoteles existimat, in eorum vniuersalium genere per easdem differentias primo constitui indiuidua, per quas constituuntur species infimæ, ac proinde nec cogitari quidem posse plura indiuidua immaterialia eiusdem speciei (*quod de completis rebus intellig., vt formam humanam excipias*) ita quoque Platonem sensisse. Repetita igitur distinctione substantiæ materialis, & completæ, in compositum ex forma, & materia designata, & in formam ipsam per se, hoc est, in speciem, (*quæ distinctio continetur in ea, quæ initio quinti capitis tradita est*) docet primum Aristoteles composita quidem huiusmodi non minus proprie ac per se corrumpi, quã generentur, at formas, siue species non ita generari, vt corrupto hoc vel illo composito omnino esse desinant: quippe cum non generentur per se, vt generantur ea, quæ per corruptionem omnino esse desinunt: tametsi vt sunt in suis indiuiduis, hoc est, in hoc vel illo, modo sint, modo non sint, eodemque pacto esse, ac non esse incipiant: quæ omnia ex cap. 8. plenius intelligi possunt.

Composita singularia per se corrumpi, non ita species.

b *Eorum quidem omnium.*] Ne credas Aristotelem sentire hoc loco cœlos non esse compositos ex materia, & forma, quod alibi doceat eas corrumpi non posse. Loquimur enim hoc loco ex Platonis sententia, qui credidit esse genitos, ac proinde ex sese dissolui posse, tametsi Dei beneficio nunquam dissoluendos esse dixerit: quod ipse reprehendit extremo primo libr. de cœlo, & mundo. Hinc intelliges, cur Plato cœlestium etiam corporum ideas posuerit: id enim fecit, quia dissolubiles esse putauit, atque ea de causa nec sub definitionem, nec sub demonstrationem cadere posse.

In Timæo. Plato posuit cœlestium corporum ideas.

Διὰ c τοῦτο δὲ καὶ τῶν οὐσιῶν τῶν αἰσθητῶν τῶν καθ' ἕκαστα, οὔτε ὁρισμὸς, οὔτε ἀπόδειξίς ἐστιν, ὅτι ἔχουσιν ὕλην, ἧς ἡ φύσις τοιαύτη. ὥστ' ἐνδέχεσθαι καὶ εἶναι, καὶ μή. διὸ φθαρτὰ πάντα τὰ καθ' ἕκαστα αὐτῶν, εἰ d οὖν ἥ τε ἀπόδειξις τῶν ἀναγκαίων, καὶ ὁ ὁρισμὸς ἐπιστημονικὸς, καὶ e οὐκ ἐνδέχεται, ὥσπερ οὐδ' ἐπιστήμην, ὁτὲ μὲν ἐπιστήμην, ὁτὲ δ' ἄγνοιαν εἶναι (ἀλλὰ δόξα τὸ τοιοῦτόν ἐστιν) οὕτως οὐδ' ἀπόδειξιν οὐδ' ὁρισμόν: ἀλλὰ δόξα ἐστὶ τοῦ ἐνδεχομένου ἄλλως ἔχειν: δῆλον ὅτι οὐκ ἂν εἴη αὐτῶν, οὔτε ὁρισμὸς οὔτε ἀπόδειξις. ἄδηλά τε γὰρ f τὰ φθειρόμενα τοῖς ἔχουσι τὴν ἐπιστήμην, ὅταν ἐκ τῆς αἰσθήσεως ἀπέλθῃ: καὶ

Hac de c causa singularium substantiarum sensibilium nec definitio est, nec demonstratio, quod materiam habeant, cuius ea natura est, vt & esse, & non esse possit. Quocirca omnia earum singularia corruptioni sunt obnoxia. Itaq; d si & demonstratio necessariorum est, & definitio scientiam efficit fieriq; non e potest, vt quemadmodum neque scientia nunc quidem scientia est, nunc vero ignoratio: (cum tale quid opinio sit potius) ita neque demonstratio, nec definitio; sed potius opinio in iis versetur, quæ aliter habere possunt: perspicuum est non esse earum siue definitionem, siue demonstrationem. Nã f enim quæ corrumpuntur, manifesta sunt

Vniuersalia, si sunt substantia separata ab indiuiduis, non posse definiri. Prima ratio ad hoc probandum. c.8. tex.45.

c *Hac de causa.*] Prima ratio, qua probat vniuersalia, si sunt substantiæ à suis indiuiduis separatæ, non posse definiri, huiusmodi est. Nulla singularis substantia sensibilis definiri potest: vniuersalia huiusmodi, siue ideæ substantiarum sensibilium sunt singularia, & eiusdem rationis cum sensibilibus: non possunt igitur definiri. Propositionem ostendit ex ipsa natura materiæ, non quidem cuiusvis, sed eius, quæ formæ in generatione subiicitur: est enim eiusmodi, vt esse & non esse possit, hoc est, cuilibet formæ & subesse, & non subesse. Simili locutione vsus est supra, cum dixit, formam fieri, quasi diceret, in materia fieri, seu in materiam induci. Cum ergo definitio, quemadmodum & demonstratio, sit eorum, quæ aliter se habere non possunt, efficitur, vt eiusmodi singularium substantiarum non sit definitio.

Demonstrationem & definitionem esse de necessariis. c.5.q.1 Vt colligitur ex l.1. huius operis cap. 7. tex.48. Cur ita se habeant.

d *Itaq; si demonstratio.*] Demonstratio dicitur necessariorum, siue eorum, quæ aliter habere nequeunt, non solum quia versatur in confirmandis connexionibus necessariis, quæ in rebus etiam per se caducis, quemadmodum in sempiternis, reperiũtur, vt l.5. diximus: sed etiam quia res ipsæ, quæ connectuntur, sunt necessariæ, hoc est, per se ipsas deficere non possunt: atque in hac posteriori conditione similis est definitio demonstrationi: neque enim definimus connexiones necessarias, sed res necessarias, seu (*quod idem valet hoc loco*) quæ per se deficere, interireque non possunt. Dicitur autem definitio scientiam efficere, siue quia parit notitiam quandã, quæ alius sciendi modus nonnunquam ab Aristotele appellatur: siue quia est medium totumque robur demonstrationis ad scientiam efficiendam.

e *Fieriq; non potest.*] Cur demonstratio, & definitio sint rerum necessariarum, ex conditione habitus scientiæ confirmat, qui eiusmodi est, vt nunquam sit ignoratio, sed semper scientia, hoc est nunquam pariat falsum iudicium, sed semper verum. Qua in re dissimilis est scientiæ habitus opinionis, cuius ea est natura, vt aliquando sit verus, aliquando falsus, id quod etiam in scientia eueniret, si aut demonstrationis habitus aut definitionis, versaretur in rebus nullo pacto necessariis. Si enim res, de quibus habentur, per se esse desinerent, quo pacto singularia

corrupti-

corruptibilia desinunt: fieri posset, vt demonstratio, & definitio essent eorum, quæ nec sunt, nec esse adhuc possunt: sed eorum, quæ fuerunt, & esse potuerunt: quod est contra communem conceptum de definitione: & demonstratione.

f *Neq; enim quæ corrumpuntur.*] Sensus est: quæ per seipsa corrumpuntur, cum deinceps non maneant, ac proinde desinant sensu exteriori cognosci, necessario desinunt manifesta esse scientiam habentibus, hoc est, necessario ii, qui scientiam habent, cum primum illa intereunt, desinunt cognoscere sint ne, an non: quare cum omnes, qui scientiam habent, certi sint ea, de quibus agunt, aut semper, aut statis temporibus in rerum natura esse, (id enim aut demonstratur, aut in demonstratione supponitur) efficitur, vt eorum, quæ per se corrumpuntur, non sit scientia, atq; adeo nec definitio, de qua eadem est ratio.

καὶ σωζομένων τῶν λόγων ἐν τῇ ψυχῇ τῶν αὐτῶν, οὐκ ἔσται οὔτε ὁρισμὸς ἔτι, οὔτε ἀπόδειξις. διὸ δεῖ τῶν πρὸς ὅρον, ὅταν τις ὁρίζηταί τι τῶν καθ' ἕκαστα, μὴ ἀγνοεῖν, ὅτι g ἀεὶ ἀναιρεῖν ἔστιν. οὐ γὰρ h ἐνδέχεται ὁρίσασθαι, οὐδὲ δὴ ἰδέαν οὐδεμίαν ἐστὶν ὁρίσασθαι: τῶν γὰρ καθ' ἕκαστον ἡ ἰδέα, ὥς φασι, καὶ χωριστή. ἀναγκαῖον i δὲ καὶ ἐξ ὀνομάτων εἶναι τὸν λόγον, ὄνομα δ' οὐ ποιήσει ὁ ὁριζόμενος: ἄγνωστον γὰρ ἔσται. τὰ δὲ κείμενα, κοινὰ πᾶσιν. ἀνάγκη ἄρα ὑπάρχειν καὶ ἄλλοις ταῦτα. καὶ εἴ τις σε ὁρίσαιτο ζῷον, ἐρεῖ ἰσχνὸν, ἢ λευκὸν, ἢ ἕτερόν τι, ὃ καὶ ἄλλῳ ὑπάρξει.

sunt scientiam habentibus, cum à sensu abscedunt: seruatuq; in anima eorum rationib. non amplius definitio erit, aut demõstratio. Quamobrem siquis eorum, qui definiendis rebus studet, rei alicuius singularis definitionem tradat: non ignoret oportet, semper euerti g posse, cum definitio tradi nequeat. Neq; h igitur idea vlla definiri potest, cum sit singularis, vt aiunt, ac separata. Necesse i est autem, vt ratio ex nominibus constet. Nec vero qui definit, nomen faciet; erit enim ignotum. Quæ autem ponuntur, communia sunt omnibus. Necesse est igitur, vt & aliis hæc insint. Verbi gratia, siquis te definiat, animal dicet gracile aut album aut aliud quippiam, quod & aliis insit.

Quod

g *Euerti posse.*] Ad verbum (*tolli posse*) siue (*perimi posse*) quæ verba refert Diuus Thomas ad ipsa singularia. Rectius Alexander ea refert ad ipsam definitionem, quasi dictum sit, semper eiusmodi definitionem euerti posse, cum nullius rei singularis, de qua sermo est habitus, definitio tradi possit, ne assignetur rebus non perpetuis.

h *Neq; igitur idea.*] Conclusio est primæ rationis, cui statim subiicitur assumptio, in qua subaudienda est posterior pars, vtpote ideas rerum per se sensibilium (*quas res Plato omnes per se corruptibiles esse putabat, vt diximus*) esse eiusdem rationis cum sensibilibus, ac proinde esse per se corruptibiles: alioquin ratio Aristotelis nihil concluderet. Quocirca eorum, qui hanc particulam in assumptione non supplent, alii dicunt Aristotelem idcirco addidisse rationes sequentes, quia hæc non est firma: alii ab his verbis secundam rationem inchoant, vt præcedens non adducta sit ad vniuersalem huius capitis conclusionem probandam, sed ad quandam eius partem, qua singularia corruptibilia complectitur. verum Aristoteles non solet vti ratione aperte vitiosa, qualis hæc esset, vt à prioribus intelligitur: nec ipse verborum contextus videtur pati, vt conclusio in his verbis contenta, & ratio subiuncta à prima argumentatione disiungatur. Itaque crediderim supplendam esse particulam illam in assumptione more Aristotelis, qui interdum sumit contra aliquem id, quod ille aperte negat, si modo alioquin ex dictis illius sequatur. Quare cum ex dictis ponentium ideas sequatur illas esse eiusdem rationis cum rebus sensibilibus: efficitur, vt si sunt singulares, quod aperte fatentur, sint etiam per se corruptibiles. Eadem fere argumentandi ratione vsus est Albertus.

Tex. 54. Conclusio prima rationis. Diu. Thom. Alensis.

i *Necesse est autem.*] Secundam rationem adhibet, quæ huiusmodi est. Definitio necessario constat nominibus notis, & vsurpatis, non autem confictis ab eo, qui definit: quæ autem hoc pacto in definitione ponuntur, sunt communia multis rebus, alioqui non essent nota, & vsurpata apud omnes: omnis igitur definitio conuenit pluribus rebus: quare nulla res singularis definiri potest, siquidem nulla res singularis potest esse pluribus rebus communis, pluribus, inquam, distinctarum numero essentiarum, quam solam realem distinctionem plurium rerum Ethnici Philosophi agnouerunt. Aduerte tamen ideo sola nomina censeri hoc loco nota, & vsurpata apud omnes, quia res ipsæ singulares fere sunt addictæ certo loco, & tempori, atq; ex se non aptæ, vt semper & ab omnibus cognoscantur: tametsi aliquæ earum ex accidēti aut omnibus, aut plurimis notæ sint, vt Adamus, Alexander Magnus, & similes. Dixi autem (*Fere sunt addictæ, &c.*) propter solum Deum Optimum Maxim. qui nullo loco, aut tempore circumscribitur: & tamen suæ infinitatis ratione definiri nequit. Alii sic exponunt verba illa (Nec vero

Secun ratio. Omnem definitionem conuenire pluribus rebus, nec esse posse singularium. Diu. Thom.

 is, qui

is, qui definit, nomen faciet) id est, vno duntaxat nomine vtetur: erit enim adhuc ignota res, quæ definienda proponitur: siquidem principia intrinseca rei definiendæ vno duntaxat nomine explicari nequeunt: oportet igitur, vt definiens adhibeat plura nomina, atq; adeo communia. Nam si in definitione rei singularis ponantur nomina singularia, erunt synonyma eiusdem rei, ac proinde non explicabunt rem ipsam, sed forsitan clarius nomen exponet vocabulũ obscurius. Magis tamen placet prior expositio, quam Alexander innuit. Multa enim sunt nomina, quæ etsi conuertantur cum re, tamen illam declarent, quo pacto rationis particeps, disciplinæ capax, & similia, hominẽ declarant. Quo fit vt nihil impediat, quo minus nomen, quod vni tantum indiuiduo conuenit, possit illud notum facere, atque adeo à priori; cuiusmodi erit illud, quod significauerit differentiam illius indiuiduantem, aut etiam formam singularem, vt singularis est ex qua illud constet. Nam si ea ex parte dicatur id facere non posse, quia non est aptum, vt apud omnes sit notum, & vsurpatum, vt dictum est (*cuiusmodi nomina duntaxat censuerunt Philosophi in definitionibus non esse assumenda*) recte dicetur. Accedit quod non omnia nomina, quæ vni tantum indiuiduo conueniunt, sunt synonyma. Aliam enim entitatem significat nomen indiuidui, aliam vero nomen differentiæ indiuiduantis, & cuiusq; alterius singularis formæ quatenus singularis est, in eo existentis, siue illa essentialis sit, siue accidentaria.

Vnum nomẽ posse à priori notum facere indiuiduũ quodlibet.

Non omnia nomina, quæ vni tantum conueniunt indiuiduo, esse synonyma.

εἰ δὲ l τις φαίη μηδὲν κωλύειν, χωρὶς μὲν πάντα πολλοῖς, ἅμα δὲ μόνῳ τούτῳ ὑπάρχειν· πρῶτον m μὲν, ὅτι καὶ ἀμφοῖν· οἷον, τὸ ζῷον δίπουν, τῷ ζώῳ καὶ τῷ δίποδι. καὶ τοῦτο ἐπὶ μὲν τῶν ἀιδίων καὶ n ἀνάγκη εἶναι, πρότερά γ' ὄντα καὶ μέρη τοῦ συνθέτου. ἀλλὰ μὴν καὶ χωριστά, εἴπερ τὸ ἄνθρωπος χωριστόν.

Quod si l quis dicat nihil prohibere quominus omnia seorsim quidem multis, simul autem huic soli insint. Primum m quidem occurrendum est, ambobus etiam inesse: veluti animal bipes, & animali & bipedi. Et hoc quidem in sempiternis. Atque ita n rem habere necesse profecto est, quia priora sunt, & compositi partes. Quinetiam & separata, si homo est quid separatum: aut o enim nullum,

Obiectio.

l *Quod si quis.*] Obiiceret aliquis contra rationem propositam: etsi ea omnia, quæ ponuntur in definitione rei singularis, separatim ac per sese pluribus rebus conueniant, tamen fieri posse, vt simul iuncta conueniant vni duntaxat singulari. Id quod Porphyrius in Isagoge tanquam verissime dictum vsurpauit, cum exposuit quid esset indiuiduum. Neq; etiam dissimile videtur illud pronuntiatum, quo Aristoteles vtitur in 2. libro de resolutione, cum ait, differentias, quæ assumuntur ad definitionem speciei, per se quidem ac singulatim sumptas latius patere, quam speciem definiendam, simul autem iunctas, cum illa recurrere: quod patet in gressibili, & bipede, quibus homo definitur. Nulla autem ratio succurrit, cur idem accidere non possit in definitione rei singularis.

Cap. de specie

Cap. 14.

Solutio prior Communia attributa etiam simul sumpta posse multis inesse.

m *Primum quidem.*] Occurrit Aristoteles obiectioni propositæ duobus modis. Primum quidem: communia attributa, etiam simul iuncta, posse multis rebus inesse, nihilque repugnare, quo minus pluribus numero conueniant, vt ipse ad finem capitis exponit. Quin etiam ex dictis Platonis, cõtra quem hæc disputatio instituta est, plane colligi ea quibus sempiterna, hoc est, species separatæ, definiuntur, etiam simul iuncta non conuenire iis solis speciebus, in quarum definitionibus ponuntur, ac proinde species separatas non posse definiri. Nam si quis Platonis dicta perpendat, animal & bipes simul iuncta non solum dicuntur de homine illo separato, sed etiam de animali per se, & de bipede per se, tanquam de rebus diuersis, & numero differentibus, vt mox probabit. Ait autem, (*Et hoc quidem in sempiternis*) quia exemplum adductum non habet locum in singularibus caducis. Animal enim & bipes, quæ sunt in Socrate, non diuersæ res, sed vna atque eadem sunt, vtpote ipse Socrates.

Probatur.

n *Ita rem habere.*] Probat quod proxime dixerat, animal, inquam, & bipes simul iuncta (*quod idem de aliis quibusuis communibus attributis respectu specierum separatarum dictum intellige*) non homini soli separato, sed animali etiam, & bipedi seorsum, tanquam diuersis numero rebus conuenire. Quia enim sunt partes essentiales (vt gratia exempli esse supponuntur) quod Plat. concedit, ac proinde idem re, & cum homine, & inter sese, possunt vtiq; simul iuncta prædicari de se ipsis seorsim acceptis: est enim identica prædicatio, Animal est animal bipes, bipes est animal bipes, & vice versa, cum omnia tria sint vna atque eadem res. Quia vero singula per se sunt priora suapte natura, homine, tanquam illius principia, & causæ, imo etiam ab eo separata (*vt colligi potest in rationibus, quibus Plato species ab indiuiduis separabat,*) item quia sunt ordine quodam communiora (*quæ quidem hoc loco appellantur priora ipso esse, hoc est, ipsa essendi consequentia iuxta ea, quæ dicuntur in prædicamentis*); denique quia sunt simpliciora, imo (*quod ex dictis sequitur*) simpliciores ideæ, quam sit idea hominis, quę ex illis necesse est componatur, non dubium est, quin

quia coniuncta dicantur de se ipsis seorsim acceptis, tanquam de rebus numero diuersis & ab homine, & inter se, quod erat probandum.

o *Aut enim nullum.*] Sensus est, aut nihil commune est separatum à particularibus, aut, si species ponitur separata, dicendum quoque est vtrumque esse separatum, nempe animal, & bipes, eodemque modo reliqua omnia genera, & differentias. Si igitur nihil commune separatum est tum demum obtinebit Plato id, quod hac ex parte vult, vtpote genus non esse separatum à specie, & eadem ratione nec differentiam: quod si aliquid separatum est, vt ipse existimat, (*ponit enim speciem separatam*) erit etiam differentia separata, & potiori ratione genus, cum naturæ ordine præcedat differentiam.

χωριστόν. ἢ γὰρ οὐδὲν, ἢ ἄμφω. εἰ μὲν οὖν μηδὲν, οὐκ ἔσται τὸ γένος παρὰ τὰ εἴδη: εἰ δ' ἔσται, καὶ ἡ διαφορά. εἶθ' ὅτι πρότερα τῷ εἶναι: ταῦτα δὲ οὐκ ἀνταναιρεῖται. ἔπειτα δὲ εἰ ἐξ ἰδεῶν αἱ ἰδέαι, (ἀσυνθετώτερα γὰρ τὰ ἐξ ὧν) ἔτι p ἐπὶ πολλῶν δεήσει κἀκεῖνα κατηγορεῖσθαι ἐξ ὧν ἡ ἰδέα: οἷον, τὸ ζῶον καὶ τὸ δίπουν. εἰ δὲ μὴ, πῶς γνωρισθήσεται; ἔσται γὰρ ἡ ἰδέα τις, ἣν ἀδύνατον ἐπὶ πλειόνων κατηγορῆσαι, ἢ ἑνός: οὐ δοκεῖ δὲ ἀλλὰ πᾶσαν ἰδέαν εἶναι μεθεκτήν.

ὥσπερ

lum, aut vtrumque. Si igitur nullum, non erit genus præter species; quod si erit, erit etiam differentia. Item quia sunt priora ipso esse; hæc autem non vicissim tolluntur. Accedit, quod ex ideis ideæ constant: siquidem minus composita sunt ea, ex quib. aliquid existit. Deinde p de multis oportebit illa etiam, ex quibus idea constat, prædicari, vt animal, & bipes: sin minus quonam modo cognoscentur, erit enim idea quædam, quæ de pluribus, quam vno prædicari non possit: quod tamen non placet, cum omnis idea participabilis esse videatur. Tex. 55.

Quem-

p *Deinde de multis.*] Alio rursus modo occurrit propositæ obiectioni. Prior enim solutio in sempiternis tantum habebit locum, vt dictum est; hæc autem caducis etiam rebus accommodari poterit: tametsi de sempiternis etiam, quemadmodum & illa, tradatur. Itaq; posteriori hac solutione occurrit Aristoteles, communia attributa, (*vt animal, & bipes, ex quibus constat infima species, quam Plato ideam facit*) etiam quatenus coniuncta sunt inter sese, de pluribus, quam de ipsa idea prædicari oportere: alioquin nemo cognoscet, aut probare poterit, eiusmodi attributa esse simpliciores quasdam ideas, ex quibus idea specifica constet: quod tamen necessario concedendum esse ex dictis apertum est. Hæc autem consequentia ex eo probatur, quia si coniunctim sumpta de sola idea prædicari possunt, dabitur idea, quæ de pluribus numero rebus prædicari nequeat, illa nimirum differentia, quæ restrinxerit cætera communia prædicata, vt de sola specifica idea coniunctim dicantur. Nunquam enim generalia attributa restringi possunt ad vnam duntaxat speciem infimam, nisi per aliquod attributum, quod illi speciei soli conueniat: dari autem ideam, quæ de vna duntaxat re singulari dici possit, pugnat cum sententia eorum, qui ideas induxerunt: quibus non placet aliquam esse ideam, quæ multis participari, & de multis dici nequeat. Exemplar enim, qua ratione est exemplar, ad multa, imo vero ad indefinita, indifferens est. Consistit igitur tota vis huius solutionis in eo, quod communia attributa, etiam vt coniuncta sunt, non desinant esse communia, nisi addatur aliquid singulare. Vnde patet non solum vniuersalia, si sint substantiæ separatæ, non posse definiri per sola communia attributa, quantumcunque multa iungantur; sed multo etiam minus indiuidua, quæ sub eiusmodi vniuersalibus continentur. Collectio enim multorum communium etsi aliquando reperiatur in vna tantum re singulari, siue separata à materia, siue materiali & sensibili: nihil tamen repugnabit vnquam, quominus aliis compluribus conuenire possit. Quocirca recte ait D. Thom. collectionem multarum formarum, etsi aliquando in vno tantum indiuiduo reperiatur, quia tamen id ex accidente euenit, nunquam esse principium indiuiduationis talis indiuidui: non quidem ea ratione, qua ipse vtitur, quia nimirum formæ omnes, quæ recipiuntur in materia, sunt ex se indifferentes ad plura subiecta, limitantur autem ad hoc, vel illud indiuiduum per materiam signatam: (*nam & materia ipsa designata per tantam vel tantam quantitatem est indifferens ex se ad plures formas, nisi differentia indiuiduante designetur*) sed quia communia attributa, vti diximus, etiam vt coniuncta sunt, non sunt determinata ad vnum numero, nisi per accidens, etiam materia ipsa. Quo fit, vt non solum in formis omnibus, sed etiam in materia ipsa oporteat quærere vltimum quendam entitatis gradum, cum naturæ communes fiant singulares: per quem quidem gradum, quem differentia indiuiduans formaliter significat, definiendæ essent res singulares, si ille aptus esset, vt semper & ab omnibus agnosceretur, vt ex dictis patet. Quare ad illud Porphyrii dicendum erit, nõ esse eam indiuidui expositionem accuratam, sed qualis per communia attributa tradi potest, Verum hæc secunda ratio ex tertia plenius intelligetur.

Solutio posterior.

Non placet Platoni dari ideam, quæ à multis participari nequeat.

 q Quum

ὥσπερ q οὖν εἴρηται, λανθάνει ὅτι ἀδύνατον ὁρίσασθαι ἐν τοῖς ἀϊδίοις, μάλιστα δὲ ὅσα μοναχά: οἷον, ἥλιος καὶ ἡ σελήνη. οὐ μόνον γὰρ διαμαρτάνουσι τῷ προστιθέναι τοιαῦτα, ὧν ἀφαιρουμένων, ἔτι ἔσται ἥλιος, ὥσπερ τὸ περὶ γῆν ἰὸν, ἢ νυκτικρυφές. ἂν r γὰρ στῇ ἢ φανῇ, οὐκ s ἔτι ἔσται ἥλιος. ἀλλ' ἄτοπον, εἰ t μή: ὁ γὰρ ἥλιος οὐσίαν τινὰ σημαίνει. ἔτι ὅσα ἐπ' ἄλλου ἐνδέχεται: οἷον ἐὰν ἕτερος γένηται τοιοῦτος, δῆλον ὅτι ἥλιος ἔσται: κοινὸς u ἄρα ὁ λόγος: ἀλλ' x ἦν τῶν καθ' ἕκαστα ὁ ἥλιος, ὥσπερ Κλέων, ἢ Σωκράτης. ἐπεὶ διὰ y τί οὐδεὶς ὅρον ἐκφέρει αὐτῶν ἰδέας: γένοιτο γὰρ ἂν δῆλον πειρωμένων, ὅτι ἀληθὲς τὸ νῦν εἰρημένον.

Quemadmodum q igitur dictum est, latet fieri non posse, vt definitiones in perpetuis tradantur, in iis maxime, quæ vnica sunt, vt Sol, & Luna. Nec enim hoc solum peccant, quod ea addant, quibus sublatis adhuc Sol erit, cuiusmodi est, quod terram circumeat, aut noctu occultatur. Si enim steterit, aut r apparuerit, non s amplius erit sol. Attamen absurdum est, si non t sit: sol enim substantiam quandam significat. Præterea ea sumunt, quæ de alio dici possunt. Exempli causa, si alter talis fiat, perspicuum est illum futurum solem: erit u igitur communis ratio tradita: at x Sol singularis erat, vt Cleon, aut Socrates. Nam y cur nemo eorũ ideæ definitionem profert? fiet enim profecto manifestum, si eam afferre conentur, verum id esse, quod modo dictum est.

Tertia ratio. q *Quemadmodum igitur.*] Adhibet tertiam rationem ad principalem conclusionem confirmandam, quæ huiusmodi est. Si qua indiuidua definiri possent, maxime id concedendum esset indiuiduis perpetuis, quæ sunt vnica in sua specie, vt in sole hoc, & hac luna, quam cernimus: contra hæc enim nihil re vera concludit prima ratio, cum iuxta veram de rebus cœlestib. sententiam interire non possint. Neque item secunda videtur quicquam colligere, cum communia attributa, [illegible] quæ illa definiuntur, in nulla re alia simul reperiantur, aut etiam videantur posse reperiri: [illegible]qui definitiones, quæ de iis tradi existimantur, non sunt re vera illorum definitiones, sed rerum communium: nulla igitur indiuidua definiri possunt, ac proinde nec vniuersalia, si sint substantiæ separatæ, & (*quod sequitur*) indiuiduæ. Assumptionem probat Aristoteles non solum ex eo, quia definitiones, quæ de iis creduntur tradi, interdum assignantur per quædam accidentia, quæ si tollerentur, non continuo tolleretur substantia rerum, quæ definiuntur: sed etiam quia re vera quæcunq; communia attributa simul iuncta sumantur, semper erunt indifferentia pluribus rebus numero. Quanquam enim aliud astrum per naturã fieri nequeat, si tamen aliud tale fieret, quale est Sol, iam eadem definitio solis in illud conueniret: idque non alia de causa, nisi quia re vera est ex se indifferens ad plura, quod ex eo accidit, quia ex communibus attributis conficitur.

Etiam in perpetuis communia attributa simul sumpta esse indifferentia pluribus.

Obiectio. Quod si quis obiiciat, si ratio hæc bona est, eadem posse probari, si quis tradat definitionem Socratis per naturam specificam, & differentiam indiuiduantem Socratis, eam definitionem fore communem pluribus: (*quandoquidem, si alius fieret omnino similis, iam in illum conueniret eiusmodi ratio*)

Solutio. occurrendum est non esse parem rationem, quantumcunque enim alius homo fiat similis Socrati, nunquam tamen in illum poterit conuenire eiusmodi Socratis definitio: quia similitudo quantumcunque magna sit, semper supponit distinctionem similium, propter quã nunquam definitio tradita per differentiam indiuiduantem Socratis poterit alteri conuenire, nisi (*quod repugnat omnino*) fiat aliquis alius à Socrate, qui omnino sit idem, quod Socrates. At si alius Sol fieret similis huic nostro, iam in illum conueniret definitio solis tradita per communia prædicata, eo quod non per differentiam vllam indiuiduantem, aut aliquid aliud singulare traderetur. Quod autem ad verba attinet ad initium huius particulæ contextus hunc in modũ exponendum est: Quod igitur impossibile sit singularia definiri, quemadmodum dictum est, obscurum est sane: nec verum videtur in sempiternis: maxime in iis, quæ sunt sensibilia, & vnica in speciebus. Nam in ideis, quæ non sunt sensibiles: hactenus verum esse probatum est.

r *Aut apparuerit.*] Noctu scilicet, vt apparet habitantibus sub circulo Arctico, cum apud nos sunt noctes æstiuæ.

s *Non amplius erit Sol.*] Si traditæ nimirum definitiones bonæ sunt.

t *Si non sit.*] Hoc est, si non sit Sol sublato motu illius, aut occultatione, cum hæc sint accidẽtia, ille vero substantia. Hinc colliges non esse proprium Solis moueri circa terram sublata enim proprietate necesse est tolli subiectum: tametsi eo modo potest dici proprietas Solis, quo motus cœli dicitur naturalis cœlo: de qua naturalitate nõnihil dictũ est l. 5. & plura dicẽtur l. 10

c. 4. q. 2. sect. 6. & 7.

u *Erit igitur communis.*] Quæ tamen peculiaris, & propria huic Soli putabatur.

x *At Sol*] Vt à principio sumebatur, & reciproca definitione per communia attributa definiri credebatur.

y *Nam cur nemo.*] Cum hactenus rationibus probauerit, vniuersalia, si separata sunt, ac proinde singularia, non posse definiri; nũc id ipsum probat autoritate eorum, qui illa separata esse dixerunt,

Neminem vnquam idea separata, aut singularium definitionem tradidisse.

dixerunt. Nemo enim eorum tradit definitionem vllam, quæ soli ideæ conueniat, vt patet ex definitionibus hominis, equi, leonis, & cæterarum rerum, quæ circumferuntur, quas perspicuum est rebus nostratibus assignari, & ex illis colligi. Sensus autem verborum hic est: Nam si singularia, maxime autem, quæ perpetua sunt, definiri possunt: cur nemo eorum, qui ideas induxerunt, vllam ideam definiuit vnquam? Si quis enim conetur inuenire definitionem, verbi causa, hominis separati: is profecto cum in cassum se laborare intellexerit, plane dabit manus, nostræq; sententiæ vel inuitus suffragabitur.

A

Possintne diuidua definiri?

QVÆST. VNIC.

Argumenta, quibus suadetur indiuidua non solum posse definiri, sed etiam præcipue definiri.

SECTIO I.

Etsi ex iis, quæ in hoc capite ab Aristotele dicuntur, perspicuum est sensisse illum, indiuidua non posse definiri, neque tantum id intellexisse de caducis indiuiduis, sed etiam de perpetuis; nec modo de perpetuis materialibus, sed etiam de immaterialibus, qualia superius collegerat esse ideas Platonicas: sunt tamen non pauca, nec leuia argumenta, quibus ostendi videatur, non solum posse ea definiri, sed etiam præcipue definiri. B

Primum, quia de quouis indiuiduo contento sub specie potest haberi proprius, & peculiaris conceptus confusus, quo distinguatur non solum à cæteris indiuiduis suæ speciei, sed etiam à natura specifica, sub qua cũ cæteris continetur: cum ergo is conceptus explicari possit per conceptum naturæ specificæ, in qua cum cæteris conuenit, & per cõceptum differentiæ indiuidualis, qua ab eisdem differt, nihil est, cur illud non possit per eas conuertibiliter explicari, ac proinde definiri. Loquimur autem hoc loco solum de indiuiduis contentis sub specie, quia perspicuũ est indiuiduum, quod nulli speciei subiicitur aut nullo modo definiri posse, si sit infinitæ perfectionis essentialis, cuiusmodi est solus Deus; aut non definiri per vllum conceptum vniuocum, & essentialem communem sibi cum aliis, sed vtcunque describi, & declarari, cuiusmodi sunt differentiæ indiuiduales Socratis, & Platonis. C

Deinde, quia definitiones rerum respondent earum ideis in mente diuina existentibus, vt patet ex iis, quæ superius de ideis disputata sunt: at eo loco constitutæ sunt ideæ non solum specierum, sed etiam indiuiduorum: quin etiam non desunt, qui existiment dari solum ideas indiuiduorum, aut certe eas esse præcipuas.

Ad cap. 8.

Tertio, quia vt differentia specifica est id, quo species essentiali inclusione superat suũ genus: ita differentia indiuidualis est, quâ indiuiduum eodem modo superat speciem, sub qua continetur: (*neq; enim indiuiduũ constitui potest ex natura speciei, & vllius accidentis ipsius indiuidui additione, vt patet ex iis, quæ l. 5. dicta sunt*) qua igitur ratione definitio speciei conficitur ex genere, & differentia specifica, eadem constitui poterit definitio indiuidui ex specie, & differentia indiuiduante. D

ca. 6. quæst. 1.

Quarto, quia species est simpliciter prius, magisq; nota, quam genus, vt ostensum est l. 1. ergo species non solum æque apta, sed etiam aptior erit ad definitionem indiuidui, quam genus ad definitionem speciei: cum igitur differentia quoque indiuidualis videatur notior, quam specifica, quia & ipsum indiuiduum est notius, quam species: efficitur, vt ea non solum æque apta, sed etiam aptior sit ad definitionem indiuidui, quam est specifica ad definitionem speciei. E

Postremo, quia quæ magis, & verius entia sunt, verius quoque habent essentiam, siue entitatem: (*ab entitate enim, essentiaq; ens dicitur*) cum ergo indiuidua sunt magis, ac verius etiam, quã genera, & species sub quibus continentur, (*per ea enim, & in eis superiora omnia existunt, vnde & primæ substantiæ sunt maxime substantiæ comparatione specierum, & generum, quibus subiiciuntur*) non dubium videtur, quin eandem non modo definitionem habere possint, sed etiam veriorem sibi vendicent: siquidem definitio nihil est aliud, quam essentiæ rei per suæ entitatis gradus explicatio.

c. 2. q. 2. sec. 6.

Veræ quæstionis resolutio.

SECTIO II.

Non posse à nobis in hac vita definiri indiuidua.

Dicendum est tamen cum Aristote. communique Philosophorum, & Theologorum sententia, nulla indiuidua à nobis in hac vita (*neq; enim de cognitione Dei, aut Angelorum, animarumve à corpore separatarum loquuntur*) proprie definiri posse. Hæc enim est authorum omnium mens, & intelligentia, si recte excutiatur. F

Ita Arist. toto hoc c. D. Th. hic lect. 15. & 1. p. q. 29. a. 1. ad 1. Scot. in 4. d. 1. q. 2. & alij.

Primum,

A Primum, quia nos in hac vita ex proprietatibus rerum colligimus earum inter se differentias, non ex communibus accidentibus quæ aliis etiam conuenire possunt: at singularium, vt singularia sunt, nullæ sunt peculiares proprietates. Id quod in iis, quæ gignuntur, & intereunt, plane experimur: (*in quibus tamen verisimilius esset dari peculiares proprietates singulorum*) quidquid enim vnum eorum potest, & eo modo, quo potest, idem, eodem B que modo potest quodlibet aliud eiusdem speciei infimæ, nisi sit imperfectum adhuc, læsum, aut debilitatum, vt ostendimus libr. 5. at nullum huiusmodi indiuiduum potest alterum producere sibi simile in natura indiuiduali, sed specifica, vt patet. Neque enim Sophroniscus cōmunicauit filio Socrati suam ipsius indiuidualem naturam, sed aliam eiusdem infimæ speciei, quod idem eodemque modo facere possunt singuli homines: C quo fit, vt omnes habeant eiusdem rationis generandi proprietatem, potentiamque, nō singuli singulas diuersæ inter se rationis, & naturæ. Est enim in creaturis omnibus natura singularis effœta, seu potius sterilis, ratione differentiæ indiuidualis, vt alteri rei communicari nequeat, nisi ratione inclusæ in se naturæ specificæ: cum sola diuina natura, quæ est omnium maxime singularis, ob infinitatem suę perfectionis sui ipsius sit fœcū- D da, & communicatiua. Vnde in creaturis natura singularis, vt singularis est, non est primum principium generatiuum, ex quo quasi oriatur propria generandi potentia, seu facultas, quæ est proximum generandi principium: sed sola natura specifica, quæ in ea includitur. In Deo autem principium & primum, & proximum se interius communicādi (*nulla enim ibi distinctio est ex natura rei inter primum & proximum*) est ipsa singularissima E diuina natura, quæ vt est in prima hypostasi, est potentia generandi Filium; vt autem in prima, & secunda, est potentia producendi Spiritum sanctum, quibus eadem singularis essentia, & natura communicatur. Quo etiam pacto & potentia hominis, quę est communicatiua humanæ naturæ, quæ illam sequitur, est ex se generatiua omnium hominum, quemadmodum & ipsa natura, ex qua illa quasi nascitur: verum, vt fuit in Sophro- F nisco, erat generatiua Socratis, & aliorum filiorum eius: vt autem fuit in Socrate, non erat generatiua eorundem propter diuersitatem suppositorum, quæ sunt ea, quæ generant, non ipsa formalia generandi principia, quibus fit generatio. Cum igitur in creaturis nulla sit peculiaris proprietas rei singularis, vt singularis est: nil mirum est, si nulla quoque à nobis in hac vita cognosci possit differentia indiuidualis: solumque cognoscere, & demonstrare possimus ex intimo rerum singularium discrimine differentias indiuiduales esse, ipsas vero conuertibiliter cognoscere non possimus, quare nec per eas indiuidua definire.

cap. 28. q. 16. sect. 2.

In creaturis natura singularis ex se est sterilis: sola diuina est ex se fœcunda.

Non posse singularia definiri per accidentia.

Deinde, quia si quis dicat, ea posse definiri per plura accidentia simul iuncta, ne in rebus quidem incorruptibilibus (*imo neq; in iis, quæ vnicum habēt indiuiduum*) reperientur talia accidentia. Nam si sermo sit de accidentibus natura sua cōtingentibus, qualia sunt solem, aut lunam circum terram volui, noctu occultari, & si quæ sunt alia huiusmodi, quāquam ea vel semper, vel statis temporib. corpora illa comitentur, nihil tamen repugnat, quominus ab eis salua eorum corporum substantia remoueri possint: si vero sunt necessaria, & quæ per se illis conueniant, quantūcunq; etiam plura iungantur, non conuertētur tamen cum eiusmodi corporibus: quia si alius esset Sol, & alia Luna, eisdem quoque conuenirent. Vnde patet, indiuidua incorruptibilia, & quæ semper sine vllo impedimento eodem modo progrediuntur, non solum essentiali definitione apud nos, vt patet ex superiori ratione, sed neq; etiam descriptiua conuertibili, vt modo apparuit, posse definiri: ac proinde, si quando per coniunctionem multorum accidentium, siue contingentiū, siue necessariorum definiuntur, improprie definiri, & solum secundum præsentem rerū statum. Atque hæc est tota via tertiæ rationis Aristotelis, quam ille in contextu addit ad supplendam primam, & luculentius explicandam secundam. Eadem enim est vis secundæ ac tertiæ. Ex quibus duo colliges. Vnum sit, Aristotelem nullam proprietatem posuisse, quam non putarit communem omnibus eiusdem speciei infimæ indiuiduis; quod nos assumpsimus in superiori argumēto. Alterum non putasse illum esse impossibile simpliciter dari alium Solem, & aliam Lunam, aliumve mundum, sed solū per causas naturales: alioqui non recte argumentaretur. Si enim crederet esse simpliciter impossibile dari alium numero solem, lunam, aut mundum, non recte dixisset, quodcunque accidens de his numero dicitur, etiamsi sit ex iis, quæ necessario conueniunt, posse pluribus similibus, siue eiusdem speciei conuenire: qua confessione volens nolens admittere debet potentiam diuinam supra omnem cursum, ordinemq; naturæ, vt patebit libro duodecimo.

Sentit Arist. posse dari alium Solem, Lunam, & mundum alium.

Tertio, quia quæstio: Quid est? de quolibet indiuiduo contento sub specie, non petit

tit quidditatem eius singularem, sed communem totius speciei: ea enim, qua quærimus, quid sit Socrates? optime soluitur, cum respondemus, Est animal rationis particeps. Quod si petatur, Quis est? tum ad accidentia conuertimur, quæ nunquam tam multa accumulamus, vt non in alium hominem conuenire possint, aut certe possent: id quod non alia de causa accidit, nisi quia quiditas particularis cuiuslibet talis indiuidui completur per differentiā indiuiduantem, quę non modo non est nobis nota in hac vita, sed neq; etiam conuertibiliter per vlla accidentia significari potest. Quod si quis obiiciat, cum dicimus, Hic homo demonstrato V.C. Socrate: illud verbum, *Hic*, significare peculiarem eius differentiam indiuiduantem, vt alibi docuimus: ergo per pronomina, *Hic*, vel *Hoc*, &c. posse indiuidua omnia conuertibiliter definiri: respondendum est, posse quidem significari, hoc est, innui differentiam Socrat. verbo, Hic, verum non conuertibiliter cũ formali significato huius pronominis. Quid n. est, *Hic*, nisi qui nunc est hoc loco, vel hic albus, hic procerus, hic à me digito, aut alio signo demonstratus. At hæc omnia accidentia sunt, quæ etsi pro tempore, quo fit demõstratio, in alium hominem non cadant: nihil tamen repugnat cadere potuisse. Conuerti ergo nũc formalis significatio eius pronominis cum differentia indiuiduante Socratis potest, absolute autem, & pro quouis tempore non potest.

Obiectio. l.4.c.6. in .xi. in q. 4. sec. 4 & q. 5. sect. 3. Solutio.

Quarto, quia si idē corpus ponatur à Deo circumscriptiue in duobus locis ita propinquis, vt illud in vtroq; existens perspicue videamus eiusdem mensuræ esse, eiusdemque coloris: quæro, an iudicabimus esse vnum, an vero duo? haud dubium, quin dicturi simus, esse duo: quia videbimus illud in diuersis locis: quemadmodum si à contrario duo æqualia, & omnino similia in eodem loco ponantur, (*quod etiam diuina potestate fieri potest*) plane iudicabimus esse vnum: semper igitur falli possumus in dignoscendis indiuidualibus rerum differentiis in hac vita: quod non accideret, si per eas, aut per aliquid conuertibile indiuidua definire possemus.

Quinto, quia de iis solis fit potissima demonstratio, quorum habetur definitio: atqui de indiuiduis non fit apud nos vlla demonstratio, nisi tanquam de secũdariis subiectis, vtpote ratione speciei, sub qua illa cõtinentur: non definiuntur ergo indiuidua apud nos, nisi ratione specierum, quibus subiiciuntur. Propositio ex eo patet, quia potissima demonstratio fit per definitionem subiecti demonstrationis, vt Dialectici tradunt, & Aristoteles libro superiori, & aliis locis innuit. Assumptio ex eo primũ probatur, quia demõstratio non est, nisi de rebus perpetuis, & necessariis, quod cùm ipse libr. primo Posteriorum, tum alii omnes Philosophi tradũt idq; nos superiori libro, cum de scientia ageremus, quo pacto intelligendum sit, explicauimus: at indiuidua rerum corruptibilium nec sunt perpetua, nec necessaria. Atque in hac probatione vim habet prima ratio Aristotelis. Deinde, quia demonstratio fieri nõ debet, nisi per ea, quæ natura sua omnibus nota esse possint: (*nam & hoc ipsum demonstrationis nomen sonat, & ab omnibus Philosophis vsurpata consuetudo poscit*) vnde fit, vt natura sua semper, & vbique esse possint, hoc est vt ad nullum certum tempus, aut locum addicta sint: at propriæ indiuiduorum differentiæ, & quasi peculiares eorum characteres non solum in rebus, quæ gignuntur & intereunt, sed etiam in iis perpetuis, quæ sensib. nostris subiecta sunt, certo tempore, aut certo loco existunt. Vnde iidem omnes colligunt, demonstrationem nec nisi de rebus vniuersalibus esse, nec nisi ex mediis vniuersalibus cõfici: vniuersalia enim, vt non sunt addicta certo loco, aut tempori, sed natura sua indifferentia ad omnem locum & tempus, ita natura sua semper, & vbique nota esse possunt: atq; in hac posteriori probatione assumptionis vim habet secunda ratio Aristotelis.

c.1 text. & hoc l.x.6. tex. 10. & 1. de anima cap. 1. tex. 11.

De singularibus non fieri demonstrationes c.6 tex. 15. & c. 7 tex. 21. c. 5. q. 1. sect. 6.

Postremo probari potest proposita à nobis assertio Platonis autoritate, communiq; Philosophorum & Theologorum consensu. Plato enim, vt Porphyrius refert in sua Isagoge, sub species infimas descendendum esse vetabat: quod cũ non ita intelligi possit quasi putarit negligendam esse in Philosophia ipsorum indiuiduorum particularem cognitionem, cum potius ab huiusmodi eorũ notitia ad vniuersalia colligenda inductionis adminiculo ascendendum esse diceret: reliquum est, vt intelligendum sit de cognitione distincta, qua diuisionis interuentu ab vniuersalib. per differentias diuisiuas descenditur, vt qui sapienter viderit sub specieb. infimis nullam à nobis in hac vita certam, & designatam singulariũ rerum notam nisi per communium accidentium notitiam cognosci posse, quæ fallax sæpe esset, & Philosopho indigna. Communis autem Philosophorum, & Theologorum Schola duabus potissimum de causis iudicat indiuidua non esse definiẽda. Vna, quia nihil repugnat ea esse infinita sub speciebus, à quibus continentur: altera, quia sunt æqualis perfectionis essentialis sub vnaquaq; , vt laborandum sapientiæ studioso non sit, siue pro peculiari cognitione rerũ

c. de specie.

Communis schola negat definienda individua, quod possint esse infinita. Vide Albert. Magnum Porphyr tract. 4 quæ ... c.1. & ...

quæ percurri nunquam possunt, siue pro A ea, cum sit rerum omnino similium inter se, quod attinet ad earum particulares essentias, proficere non valeat. Proficiunt tamen Chronologi, Geographi, & historiæ Scriptores in cognitione, & obseruatione multarum rerum singularium, temporum, locorum, personarum, & actionum: quia non ad ipsas internas naturas particulares attendunt, sed ad ea accidentia, quibus illæ quasi vestiuntur, quorum accidentium obseruatio B non parum ad prudentiam, & cæteras morum virtutes conducit.

Solutio argumentorum partis oppositæ.

SECTIO III.

QVare ad argumēta omnia, quæ pro parte affirmatiua proposita sunt, dicendum est, posse quidem à nobis definiri indiuidua, C siue eorū singulares naturas & essentias, distincte cognosci, cum animus à mortali corpore seiunctus fuerit; quod in eo statu rerum singularium particulares essentias, non per sola earum accidentia, sed per ipsarum etiam essentiarum internos gradus, sit percepturus: at in hac vita non posse, vt probatum est.

Illud tamen quod in quarto argumento dicitur, differētiam indiuidualem videri notiorem specifica, neque in hac vita verum est D in qua illa non cognoscitur, quænam sit, sed tantum, quod sit: neq; etiam in futura. Nam etsi indiuidualis differentia aliquid perfectionis essentialis adiungit indiuiduo, sicque indiuiduum sit perfectius ea specie, à qua continetur; maior tamen perfectio est specificæ differentiæ, quam indiuidualis: siquidem indiuiduales differentiæ ad solam distinctionē indiuiduorum inter se vtiles sunt: non item E ad ea varie perficienda, variisque proprietatibus ornanda, & instruenda: specificæ vero non solum species distinguunt, sed etiam varios perfectionis essentialis gradus eisdē conferunt variasque, & dissimiles admodū proprietates in eisdem quasi fundant. Id quod fortasse in causa fuit, cur Scotus differentias indiuiduantes materiæ nomine respectu naturæ specificæ nonnunquam appellauerit, tametsi non recte Aristotelem iis locis in eundem sensum exposuerit. Vnde nihil refert, quod indiuiduum sit notius, (*etiam naturæ*) quam species: vt inde colligatur, differētiam quoque indiuiduantem esse eodem modo notiorem quam specificam: etsi enim perfectio indiuidui superat perfectionem speciei, non inde tamen sequitur vtramque partem definitiuam indiuidui separare vtramq; definitiuam speiei, cum vna possit alteram superare, & altera ab altera superari.

Illud etiam, quod in vltimo argumento concluditur perfectiorem esse quidditatem, & naturam indiuidualem, quam specificam, etsi verum est: non efficit tamen, vt eius declaratio, qualis in hac vita haberi potest, sit verior definitio, quam definitio speciei: cum ne conuertibilis quidem simpliciter descriptio eius esse possit, vt ex dictis patet. Quanquam neque in alia vita forsitan definitio indiuidui est verior definitio, quam definitio speciei; quia definitiones rerum respondent ideis diuinis, quatenus sunt rerum exemplaria: ideæ autem specierum verius, magisque propriè dicuntur exemplaria, quam ideæ indiuiduorum, vt c. 8. diximus, quod Aristoteles plane docet ad finem ferme huius cap. vbi pro magno absurdo reputat, esse ideam aliquam, quæ à pluribus participari non possit.

Non desunt tamen, qui dicant, nos libr. 5. postquam impugnauimus eam Nominaliū sententiam, qua tollunt de medio omnem differentiam indiuiduantem, & naturas omnes, quas communes dicimus, asserunt esse ex se ipsis indiuiduas, iterum in impugnatā sententiam incidisse. Quod si verum esset, tota huius quæstionis structura corrueret. Sed luce clarius est nihil tale esse in loco, quē citant: nec aliud quicquam, vnde colligi possit: cum potius vbicunque de hac re agitur, perpetua nobis sit ea cum Nominalib. quos illi plane sequuntur, contentio.

ΚΕΦ. ις.

Φανερὸν δ' ὅτι καὶ τῶν δοκουσῶν εἶναι οὐσιῶν, αἱ πλεῖσται δυνάμεις εἰσί, τά τε μόρια τῶν ζῴων: οὐθὲν γὰρ κεχωρισμένον αὐτῶν ἐστιν: ὅταν δὲ χωρισθῇ.

CAPVT XVI.

MAnifestum autem est plurimas earum quæ substantiæ existimantur, potentias esse: & partes animalium: nulla enim earum separata.

CAPITIS DECIMISEXTI EXPLANATIO.

MAnifestum autem est.] Quoniam ad finem cap. 3. sub dubio reliquerat, quonam pacto substantiæ ex substantiis constarent: idq; solum in genere innuerat modo quodam constare ex substantiis, modo alio non item: id iam quo pacto intelligendum sit, exponit hoc loco. Ex qua re patebit, vniuersalia non esse substantias actu, sed potentia. Deinde, vt plenius absoluat tra-

Margin notes (left): [illegible] possunt, siue pro ea, [illegible] sint perfect. — Post animi abitum è corpore posse à nobis definiri indiuid. — Differentia specif. perfectior, & notior natura quam est indiuidualis. — Institutum Aristotelis in hoc cap.

Margin notes (right): Vt in 2. d. 3. q. 6. — Definitiones rerum respondent ideis diuinis. — q. 2. [illegible] tex. 35. — c. 13. q. 2.

[illegible] tractationem quæstionis illius, sintne vniuersalia substantiæ, an non, de qua egerat cap. 14. docet, ne ens quidem, aut vnum, quæ quibusdam maxime videbantur esse substantiæ, in substantiis esse numeranda. Postremo pro huiusce disputationis contra Platonem complemento, subdit, qua in re ille recte dixerit in positione idearum, qua perperam. Quod ergo ad primum attinet, summa doctrinæ est: vt aliqua substantia sit actu, & non potentia duntaxat: duo esse necessaria. Vnum est, vt habeat propriam operationem: cum enim vnumquodque sit propter suam operationem, nunquam sane erit actu, nisi cum propriam operationem habere potuerit. Alterum, vt sit distincta à cæteris omnib. ipse enim actus distinguit, ac separat, vt c. 13. dictum est. Hinc fit primum, vt partes, quibus substantiæ integrantur, veluti manus, pes, oculus, & aliæ plurimæ; quæ propter distinctas operationes quas habent in toto existimantur esse actu substantiæ, non sint actu substantiæ, sed potentia. Nam etsi illis non deest quodammodo propria operatio, deest tamen non propria, & actualis distinctio ab aliis partibus eiusdem totius, quippe cum omnes sub vna & eadem forma totius contineantur. Dixi autem (*quodammodo*) quia, si proprie loquendum est, non partes ipsæ operantur, sed totum per partes, vt primo capite primi libri dictum est. Id quod ex eo liquet, quia cum separatæ sunt, nec iam sub eadem forma totius continentur: etsi consecutæ sunt propriam distinctionem, quæ erat altera conditio substantiarum actu, non tamen habent propriam operationem. Ita fit, vt manus abscissa non sit manus, nisi sola nominis communione: alioquin manus lignea, quæ eandem habet figuram, esset vere manus, & statua lignea verum corpus humanum. Fit deinde, vt substantiæ vniuersales (*quod Aristoteles hoc loco præcipue docere voluit*) quemadmodum & partes integrantes, non sint actu substantiæ, vt Plato existimauit, sed potentia: non quod ita sint potentia, vt aliquando possint esse actu, veluti partes integrantes: (neq; enim vniuersales substantiæ possunt actu separari à singularib. nisi cogitatione) sed quia habent esse in singulari substantia, cui primo cõuenit & operatio, & distinctio, ac proinde veluti materiales, & potentiales partes accipiunt complementum additione differentiarum, quibus contrahuntur ad singulares substantias.

Vt aliqua substantia sit actu, duo requiri. *Tex. 42.* *Ita ibi [illegible] & nos q. 5.* *Manum abscissam non esse manum.* *Vniuersalia esse substantias tantum potentia.*

χωρισθῇ, καὶ ὅτι ὄντα ὡς b ὕλη πάντα, καὶ γῆ, καὶ πῦρ, καὶ ἀήρ. οὐδὲν c γὰρ αὐτῶν ἕν ἐστιν, ἀλλ' οἷον σωρὸς πρὶν ἢ πεφθῇ, καὶ γένηταί τι ἐξ αὐτῶν ἕν. μάλιστα δ' d ἄν τις τὰ τῶν ἐμψύχων ὑπολάβοι μόρια, καὶ τὰ τῆς ψυχῆς πάρεγγυς ἄμφω γίνεσθαι, ὄντα καὶ ἐντελεχείᾳ, καὶ δυνάμει, τῷ ἀρχὰς ἔχειν κινήσεως ἀπό τινος ἐν ταῖς καμπαῖς: διὸ ἔνια ζῷα διαιρούμενα ζῇ. ἀλλ' ὅμως δυνάμει πάντα ἔσται, ὅταν ᾖ ἓν καὶ συνεχὲς φύσει, ἀλλὰ μὴ βίᾳ, ἢ συμφύσει: τὸ γὰρ τοιοῦτον, πήρωσις.

parata est: cum autem separata fuerint, tunc etiã omnes erunt vt b materia, terra, ignis, aer. Nihil c enim eorum vnum est, sed veluti tumulus, antequam digeratur, & ex ipsis vnum fiat. Maxime d vero eorum, quæ anima prædita sunt, ipsiusq; animæ partes prope ad hoc accedere aliquis existimabit, vt vtraq; & actu sint, & potentia: quod principia motus ab aliquo inflexuris habeant: qua de causa quædam animalia diuisa viuunt. Attamen omnia potentia erunt, cum vnum, continuumque natura fuerint, non vi, aut copulatione: tale enim læsio est.

b *Erunt vt materia.*] Vt materia vocantur partes omnes comparatione totius: quemadmodũ & totum, vt totum est, quia perfectum est respectu partium, ad formam reuocatur 2. Physicor. lib. Inter partes autem eæ præcipue censentur vt materiæ, quæ integrantes appellantur, de quibus hic est sermo: & earum eæ maxime, quæ per diuisionem totius priuantur forma totius, cuiusmodi sunt in animalibus manus, pes, caro, & omnes aliæ, quæ in toto viuunt, extra totum vita priuantur: itemq; in misto elementa, quippe cum in illo habeant formam misti, eo autem resoluto redeant ad proprias formas abiecta forma misti.

c. 3. [illegible] *Quæ partes præcipue censentur vt materia.*

c *Nihil enim eorum.*] Quod elementa ante mistionem, & post resolutionem misti sint veluti materia, similitudine rerũ, quæ arte conficiuntur, videtur innuere. Sunt enim elementa in hac rerum vniuersitate veluti cumulus quidam materialium partium, quæ ad generationem mistorum assumuntur, & ex eorum resolutione resultant, non secus ac cumulus lapidum, lignorum, & aliarum rerum, ex quibus ædificia, & alia huiusmodi conficiuntur, & in quas confecta dissoluuntur. Vnde patet, sphæram elementorum non esse vnum quid per se: multoque minus ex elementis, & corporibus cœlestibus constare aliquid vnum per se, vt pleriq; putauerunt.

Elementa esse [illegible] mistorum.

d *Maxime vero partes.*] Quia sunt quædam partes integrantes animatorum, hoc est, animantium (sic enim videtur hoc loco, vt alibi sæpe, accipi animatorum nomen) quæ per totius diuisionem non statim priuantur operationibus, quas habebant in toto, ac perinde nec forma totius, cuiusmodi sunt partes multorum reptilium, & eorum animaliũ, quæ insecta dicuntur: videri non sine causa alicui posset, tota, quæ ex huiusmodi partib. constituta sunt, constare ex substantiis actu: idq; non solum dicendum esse de totis huiusmodi, sed etiã de eorum formis, quæ cum totis ipsis in suas etiam partes integrantes, ac post diuisionẽ permanẽtes, diuiduntur. Cui cogitationi occurrit Aristoteles, huiusmodi partes merito quidẽ dici posse prope ad hoc accedere,

Mundum non esse vnũ ens per se.

Hæc etiam partes animantiũque separata viuunt, esse ante separatione in actu substantias.

Quid partes monstri ex duobus animalibus colligatis.

dere, vt in toto non modo sint potentia substantiæ, sed etiam actu: eo quod principia motus ab aliquo in flexuris habeant, id est, quia habent principia effectiua sui motus in partibus, quibus se in orbem flectunt, quasi propria ipsis partibus, & quæ minime à toto pendeant: re tamen vera non esse substantias actu in toto, sed potentia, eo quod desit illis, dum in toto sunt, altera conditio substantiarum actu, vtpote distinctio aliarum ab aliis, in toto, inquam, quod natura continuum sit, non vi, aut copulatione, cuiusmodi sunt monstra quæ nascuntur composita ex duobus animalibus numero colligatis inter sese. Talia enim non habent vnitatem naturalem in toto, sed violentam, & præter naturam, & cum detrimento, & læsione potius partium, quam vt partes à toto ipso habeant esse. Quapropter talia non sunt, vnum per se, sed per accidens: nec partes eo modo vnitæ sunt substantiæ potentia, sed actu. Atque id, quod de animalibus insectis, & aliis quibusdam imperfectis dictum est pari ratione colligi potest de stirpibus. Nam etsi earum partes diuisæ à toto adhuc viuunt, imo vero diutissime: nec minus, quam tota ipsa, à quibus deciduntur: non tamen sunt actu substantiæ in suis totis, sed potentia, propter naturalem vnionem sub forma totius: nisi forte copulatione aliqua, aut etiam vi cõiuncta sint, vt patet in insitionibus, & aliis colligationib. quæ ita vniuntur, vt videantur esse vna numero, cum tamen re vera sint plures actu propter formalium substantiarum multitudinem.

ἐπεὶ e δὲ τὸ ἓν λέγεται ὥσπερ καὶ τὸ ὄν, καὶ ἡ οὐσία ἡ τοῦ ἑνὸς μία, καὶ ὧν μία ἀριθμῷ, ἓν ἀριθμῷ, φανερὸν ὅτι οὔτε τὸ ἕν, οὔτε τὸ ὂν ἐνδέχεται οὐσίαν εἶναι τῶν πραγμάτων: ὥσπερ οὐδὲ τὸ στοιχείῳ εἶναι, ἢ ἀρχῇ. ἀλλὰ ζητοῦμεν, τίς οὖν ἡ ἀρχή; ἵνα εἰς γνωριμώτερον ἀνάγωμεν. μᾶλλον μὲν οὖν τούτων οὐσία τὸ ὄν. καὶ ἕν, ἢ ἥ τε ἀρχὴ, καὶ τὸ στοιχεῖον, καὶ τὸ αἴτιον. οὔπω δὲ οὐδὲ ταῦτα, εἴπερ μηδὲ f ἄλλο κοινὸν μηδὲν οὐσία. οὐδενὶ γὰρ ὑπάρχει ἡ οὐσία, ἀλλ' αὐτῇ γε καὶ τῷ ἔχοντι αὐτήν, οὗ ἐστιν οὐσία.

ἔτι

Cum e autem vnum perinde, atque ens dicatur, & substantia vnius vna sit, eaque sint vnum numero, quorum substantia est vna numero: perspicuum est neque vnum, neque ens rerum substantiam esse posse; quemadmodum neque elementi esse, aut principii: sed quærimus, quodnam sit ipsum principium, vt ad notiora pergamus. Horum igitur magis substantia est ens, & vnum, quam & principium, & elementum, & causa. Sed neque etiam ista: siquidem f neque aliud quicquam commune substantia est. Nulli enim substantia inest, nisi sibi ipsi, & habenti ipsam, cuius nimirum est substantia.

Præ-

Ens, & vnũ, vt sunt communia, non esse rerum substantias. cap. 2. tex. 3.

e *Cum autem vnum.*] Probat, ne ens quidem, aut vnum, esse substantiam rerum, quæ tamen quibusdam maxime videbantur esse rerum substantiæ. Intellige tamen, non esse substantiam rerum, vt communia sunt: alioquin secum pugnaret Aristoteles, qui libro 4. docuit, ens & vnum dicere vnam, atque eandem naturam, siue substantiam: imo etiam hoc ipso loco, vbi cum dixisset, vnum perinde dici, atque ens, hoc est, æque late patere: subdit, substantiam vnius vnã esse & ea esse vnum numero, quorum substantia est vna numero. Quorum verborum hic est sensus: Id, quod est vnum, ex substantia sua dici vnum, & ex substantia vna numero dici vnum numero, non autem per aliquid aliud adiunctum. Itaque sententia Aristotelis est, ens & vnum, vt communia & abstracta sunt, non esse rerum substantiam, quasi separatam scilicet, ac per se subsistentem. Si qua enim vniuersalia sunt separata à rebus singulis, non sunt nisi sola nomina, quo pacto mihi videtur hoc loco intelligendus Alexander, cum ait, Ens, vnum, & cætera vniuersalia non esse: nisi mera nomina, alioqui in errore Nominalium versaretur, secumque ipse pugnaret, cum aliis locis sentiat, vniuersalia, vt vniuersalia sunt, esse res ipsas, quæ per nomina de multis dicuntur, non re ipsa, sed mente sola à particularibus abstracta, & seiuncta. Probat autem Aristoteles propositam conclusionem tribus argumentis. Primum est, quia perinde se habent ens, & vnum ad res omnes, quo pacto se habent principium, causa, & elementum ad res, quas dicimus esse principia, causas, & elementa: hæc autem non significant substantiam ipsam rerum, quæ sunt principium, causa, & elementa, præsertim separatam à rebus ipsis, cum potius sint attributa, quæ rebus accidunt: (*quæ quidem attributa inuestigamus, vt per ea, tanquam per notiora nobis, & faciliora, perueniamus ad cognitionem substantiæ ipsarum rerum, quarum ista sunt attributa, quæ substantia est notior natura sua, etsi nobis cognitu difficilior*) igitur nec ens, nec vnũ significant substantiam rerum omnium, ipsis nimirum rebus communem, & ab illis separatam. Addit tamen Aristoteles magis accedere ens, & vnum ad substantiam rerum, quam principium, causam, & elementum: vel quia hæc sunt relatiua, illa absoluta vel quia saltem ens re vera significat formaliter, & principaliter substantiam rerum, non tamen vt communem, & separatam, quemadmodum dictum est: principium autem, causa, & elementum, non significant

Prima ratio ad id probandum.

Ens & vnum magis accedere ad substantiam rerum, quam principium, causam, & elementum.

for-

formaliter substantiam rerum, quæ sunt principia, causæ, & elementa, sed accidentia earum. Sunt, qui aliam rationem afferant, quia (inquiunt) ens, & vnum significant aliquid, quod conuenit rebus omnibus ratione suæ substantiæ, ac proinde significant proprias affectiones rerum omnium; illa vero minime. Quæ quidem assertio, etsi de vno vera est, de ente tamen nō placet. Ens enim absolute sumptum, & non vt commune est, non significat aliquid consequens substantiam rerum, seu ipsam earum substantiam, nisi sumatur, vt significat existentiam, quo etiam modo non significat proprietatem vllam rerum, sed contingens quoddam attributum omnium præterquam Dei Opt. Max vt l. 4. diximus. *cap. 2. q. 4.*

f *Siquidem nec aliud.*] Secundum argumentum desumitur ex iis, quæ superius c. 13. dicta sunt. Quia inquit, substantia cuiusq; est propria sibi, & habenti ipsam, nec aliis eadem numero inest: quod tamen necesse esset fateri, si ens & vnum essent substantiæ separatæ, & nihilominus communes pluribus, vt dictum est de cæteris vniuersalibus. *Secunda rat. Tex. 45.*

ἔτι g εἰ τὸ ἓν πολλαχῇ, οὐκ ἂν εἴη ἅμα· τὸ δὲ κοινὸν ἅμα πᾶσι πολλαχῇ ὑπάρχει. ὥστε δῆλον ὅτι οὐδὲν τῶν καθόλου ὑπάρχει παρὰ τὰ καθ' ἕκαστα χωρίς. ἀλλ' h οἱ τὰ εἴδη λέγοντες, τῇ μὲν ὀρθῶς λέγουσι χωρίζοντες αὐτά, (εἴπερ οὐσίαι εἰσί:) τῇ δ' οὐκ ὀρθῶς, ὅτι τὸ ἓν ἐπὶ πολλῶν εἶδος λέγουσιν. αἴτιον i δ' ὅτι οὐκ ἔχουσιν ἀποδοῦναι τίνες αἱ τοιαῦται οὐσίαι αἱ ἄφθαρτοι παρὰ τὰς καθ' ἕκαστα, καὶ αἰσθητάς. ποιοῦσιν οὖν τὰς αὐτὰς τῷ εἴδει τοῖς φθαρτοῖς (ταύτας γὰρ ἴσμεν) αὐτοάνθρωπον, καὶ αὐτόϊππον, προστιθέντες τοῖς l αἰσθητοῖς τὸ ῥῆμα, τὸ αὐτό: καίτοι m κἂν εἰ μὴ ἑωράκειμεν τὰ ἄστρα, οὐδὲν ἂν ἧττον, οἶμαι, ἦσαν οὐσίαι ἀΐδιοι, παρ' ἃς ἡμεῖς ᾔδειμεν. ὥστε καὶ νῦν, εἰ μὴ ἔχομεν τίνες εἰσίν, ἀλλ' εἶναί γε τινὰς ἴσως, ἀναγκαῖον. ὅτι n μὲν οὖν οὔτε τῶν καθόλου λεγομένων οὐδὲν οὐσία, οὔτ' ἐστὶν οὐσία οὐδεμία ἐξ οὐσιῶν, δῆλον.

Præterea g *si quid vere vnum est, plurib. in locis simul nō erit, quod autem omnibus commune est, simul est in pluribus locis. Itaq; planum est, nihil vniuersale seorsim præter singularia existere. Sed* h *qui formas inducunt, partim recte dicunt, cum eas separant, (si substantiæ quidem sunt) partim non recte, quia vnam in multis formam dicunt. Causa* i *eius rei est, quia exponere nō possunt, quales nam sint eiusmodi substantiæ incorruptibiles præter singulares, & sensib. subiectas. Faciunt igitur illas easdem specie cum iis, quæ corrumpuntur, (has enim nouimus) ipsum, inquam, hominem & ipsum equum, addito verbo, ipsum rebus,* l *quæ percipiuntur sensib. &* m *tamen si astra non vidissemus, nihilominus, vt arbitror, essent perpetuæ substantiæ, præter eas, quas sciremus. Quare nunc quoque, etsi quales nam sint, minime teneamus, esse tamen quasdam forsitan necesse est. Quod* n *igitur nec eorum, quæ substantiæ dicuntur, quicquam substātia sit, nec vlla substantia ex substantiis constet, palam est.*

g *Præterea si quid vere vnum*] Tertium argumentum. Substantia vna numero (*cuiusmodi essent, ens, & vnum, si essent substantiæ separatæ*) non potest esse simul pluribus in locis: quod autem commune est, pluribus in locis simul inest. Ens igitur, & vnum, cum sint communia rebus omnibus, non sunt earum substantiæ separatæ, ac proinde vna numero. Qua ratione conclusa colligit Aristoteles vniuersalem conclusionem de non ponendis vniuersalibus separatis à singularibus. Illud autem εἰ τὸ ἓν, propterea vertimus, si quid vere vnum est, quia illud τὸ emphasim habet hoc loco, vt significetur, illud vnum accipiendum esse non pro quouis vno, sed pro vno numero. *Tertia ratio.*

h *Sed qui formas.*] Ne omni ex parte videatur Platonem reprehendere, docet, illum ea in re sibi consentanea dixisse, quod vniuersalia separauerit, cum illa substantias esse, atq; adeo præcipuas supposuisset. Si enim præcipuæ, seu primæ substantiæ sunt, non in aliis substantiis existunt, ac proinde ab iis, quæ apud nos sunt, separatæ sunt. Id tamen peccasse, quod vnamquamque eiusmodi substantiarum in multis esse dixerit: hoc enim non solum repugnat earum separationi, sed etiam inducit illud incommodum non semel commemoratum, quod vnum num. sit in multis numero, & (*quod hinc sequitur*) indiuisum simul, & diuisum numero, quod fieri nulla ratione potest. Quod si quis contendat, Platon. nunquam docuisse vniuersalia esse in multis, sed solum extra multa, calumniamque esse id Platoni ascribere: adduci possunt multa Platonis † loca, in quib. ille vniuersale vnum in multis esse definiuit. Cum ergo idem tam sæpe alibi dixerit vniuersalia esse separata à particularib. calumnia nulla est, vtrunq; pronunciatum illi attribuere: nisi forte quis dicat, Platonem duo vniuersalium genera posuisse, ac proinde duo genera specierum differentiarum, ac etiam generum: quod verisimile non est: præsertim cum sit superuacaneū ponere vniuersalia separata, si semel cōcedantur aliqua in particularib. existētia. *Quod Plato sibi pugnans quid consentii dixerit de vniuersalibus. Tex. 58. Ea esse in multis apud illum, &c. † Vt in Hipparcho, in Parmenid. in Minoe, in Thaeteto.*

i *Causa eius rei est.*] Docet, cur Plato substantias illas separatas in multis esse, & de multis dici asseruerit. Causa vero est, quia ratione scientiæ, (*quæ non est nisi de rebus perpetuis, & incorruptibilibus*) *Cur species rerum posuerit separatas à corruptibilibus.*

bus) & aliis quibusdam rationibus videbatur cogi, vt fateretur species rerum esse omnino incorruptibiles, ac proinde separatas à corruptibilibus. Cum autem rogantibus multis, quales essent eiusmodi substantiæ, exponere non posset, num haberent naturam aliquam ab his nostratibus dissimilem, quod illas nunquam vidisset, nec expertus esset: eo confugiebat, vt diceret, esse eiusdem rationis, siue speciei cum nostratibus, nihilq; ab his differre, nisi puritate quadam significata per particulam (*ipsum*) quam nominibus communibus ad eas significandas præfigebat. Verbi causa, cum ab illo quærebatur, quid esset idea hominis: proferebat in mediũ Calliam, Phædonem, & alios homines sensibiles (vt Alexander inquit) illamque hoc ipsos esse dicebat, demptis omnibus iis, quæ naturæ, & essentiæ eorum accidebant, seu, quod idem est, esse puram sensibilium hominum essentiam à singulis eorum participatam. Quæ sententia, si quis recte attendat, ad verissimam de naturis vniuersalibus doctrinam reduci potest. Vniuersalia enim secundum se nihil aliud sunt, quam essentia ipsa multis particularibus communis, nullo incluso accidente, aut differentia contrahente.

Et tamen eiusdem rationis.

l *Rebus, quæ percipiuntur.*] Hoc est, nominibus rerum, quæ percipiuntur sensibus.

m *Et tamen si astra.*] Reprehendit modum philosophandi Platonis, quo ille substantias illas materiæ expertes eiusdem speciei cum sensibilibus esse colligebat, ea nimirum ratione, quod oporteret ex sensibilibus intelligibilia inuestigare. Quod pronuntiatum, etsi verum est quoad esse rerum intelligibilium, non tamen est verum quoad naturas earum, & quiditates. Inuestigamus enim Deum esse ex creaturis, cum interim Deus nõ sit eiusdem rationis cum vlla creaturarum. Nec certe ideo substantiæ immateriales dicendę sunt eiusdem rationis cum nostratibus, quasi, si non sint similes iis, quas videmus, & experimur, periculum sit, ne eas non esse in rerum natura fateri cogamur. Nam in sensibilib. etiam ipsis substant is (ne longius abeat Arist.) fallacem esse huiusmodi philosophandi rationem demonstrat. Nihil n. minus perpetua, inquit essent corpora cœlestia, si ea sola intelligẽtia teneremus, quam modo sunt, cum vel oculis ipsis perpetua esse cernimus: & tamen, si ea philosophandi ratio bona esset, colligendum potius foret, illa esse corruptioni obnoxia, qualia experimur esse omnia, quæ sunt in hoc inferiori orbe. Quare nunc quoq;, cum substantias materiæ expertes non videamus, ac proinde quales nam sint, hoc est, cuiusmodi rationis, & naturæ, minime teneamus: nihilo tamen minus forsitan necesse est fateri, quasdã esse in rerum natura, non quidem eiusdem rationis cum sensibilib. quales Plato esse autumat, sed diuersæ admodũ rationis, & essentiæ: de quib. tamen, quia nondum hactenus disputauit (quod faciet l. 12.) nihil firma assertione pronuntiat hoc loco.

Hoc posterius non bene colligi à Plat.

Non esse negandas substantias immateriales, quod non sint similes sensibilibus.

n *Quod igitur nec.*] Epilogus est horum quatuor extremorum capitum, in quo nomen substantiæ pro substantiis actu sumendum est.

NVM PARTES ORGANICÆ ANIMALIS PROPRIAS HABEANT SUBSTANTIALES FORMAS À FORMA TOTIUS DIUERSAS?

QVÆSTIO I.

Partis affirmatiuæ argumenta.

SECTIO I.

Reiicitur paradoxũ, quod anima solum sit in corde. Vide Carbiũ li. 1. summæ, quæst. 32.

ETSI fuerunt, qui dicerent animam non esse in toto animali secundum substantiam, sed ex corde quasi propria sede totũ corpus animalis spirituum ministerio viuificari: tamen cum constet omnes eius partes, quæ continuatæ sunt interse, re vera per se viuere quæri solet, vtrum præter animam, qua totũ animal tanquam vera substantiali forma viuit, dentur aliæ formæ substantiales in singulis partibus organicis, seu instrumentalibus, quæ vel præcedant totalem formam, vel simul cum illa introducantur, vel certe illam componant, vt vna earum sit in capite, alia in brachio, alia in pede, & sic in cæteris.

A Dandas autem esse huiusmodi formas: nõ pauci Medicorum asserunt, quorum sententiam tuetur Scotus in hunc librum, & alii nonnulli. Ita tamẽ placet Scoto hæc opinio, vt velit ex omnib. his formis vnam totalem quali conflari. Quod idem verisimile est Medicos sensisse, iis exceptis, qui Galeni † existimatam sententiam de animæ substantia sequuntur, quatenus eam in quodam quantitatum temperamento videtur essentialiter constituisse. Certe Scotus † totalem organorum formam, quam organizationis appellat, non videtur distinguere à forma corporeitatis, quam mistionis quoque appellauit, vt * superius dictum est.

B

Qui velint dandas esse has formas. q. vlt. item q. in 3. d. 1. q. 3. Ant. And. q. penult. & Barg. in 1. d. 30.

† Quam tradunt l. 3. de locis aff. c. 6. & in l. Quod animi mores corporis temperamentũ sequantur.

† Quid senserit Scot. de hac sua forma organizationis.

Eorum argumenta hæc sunt fere. Primũ, quia diuersitas rata, & cõstans accidentium,

figura-

figurarum, & operationum, diuersitatis formarum substantialium potissimum est signũ: quæ omnia diuersa esse in diuersis partibus organicis palam est.

Deinde, quia nonnullæ partes organicæ eiusdem animalis, etiã præcipuæ, sibi mutuo aduersantur, secumq; pugnãt, vt semper cor, & cerebrum, ac nonnunquã hepar, & stomachus: contrariæ autem actiones à contrariis formis proueniunt, nisi absurde quis dicat eandem formam sibi perniciem moliri.

Tertio, quia partes organicæ ante gignuntur, quã totum animal coalescat: & eo dissoluto eędem omnino relinquuntur. Argumẽto est, quod nasus recens abscissus, aut vi frigoris decidens facile iterũ vnitur, & cõtinuatur ei patri, cui adhærebat. Neq; obest, quod Aristoteles ait & hoc ipso lib. c. 10. & 2. de Anima c. 1. oculũ, & reliquas partes organicas æquiuoce dici, cum separantur à toto. Nam etsi æquiuoce dicuntur, quatenus operatiuæ sunt non est tamen; cur æquiuoce dicantur spectata earũ constitutione: neq; hac ex parte parui momenti argumentũ est, quod cõmuni hominum sermone, & vsu vniuoce appellentur.

Quarto, quia prima pars, quæ Aristotelis sententia viuit in animali, est cor: at cor non est animal: alia igitur in animali forma est forma cordis, alia totius animalis.

Postremo, quia poma viuunt in arbore eadem forma, qua viuit arbor, cum nutriantur, & augescat eodem alimento intus suscepto, non minus quam rami ipsi, ac folia: & tamen eandem formam substantialem habent post quam decerpta sunt, quam habeant in arbore, cum easdem omnes proprietates retineat quod certe verum esse non posset, nisi in ipsa arbore vltra substantialem formam totius aliam quoq; peculiarem haberent.

Approbatio negatiua partis.

SECTIO II.

Sed tamen opposita D. Thomæ & aliorũ complurium sententia, imo & Aristotelis hoc loco, & aliis nõnullis probanda est. Primum, quia si partes organicæ distinguerentur inter se formis substantialib. specie vtiq; differrent: quare nõ potentia solum sed actu essent multa entia; quod tum hoc loco, tum c. 13. negat Aristoteles, atq; adeo ex eo probat, quia ex duob. entibus actu non fit vnum ens actu; *actus enim*, inquit, *est, qui distinguit*.

Deinde, quia non continuarentur inter se, quæ n. specie differunt, continuari non possunt, vt idem docuit c. 4. lib. 5. esse autem eas inter se continuatas, si non omni ex parte, saltem ex aliqua, dubium non est.

Tertio, quia quibus rationibus partes organicæ maiores, vt caput, & brachium, dicuntur habere diuersas formas substantiales eisdem dicendæ sunt habere diuersas quæcunq; minores; vt in capite oculus, lingua, maxilla, & in manib. digiti, & singuli digitorum articuli; at harum substantialium formarum diuersitatem ad minimos articulos extendere, & ad singulos neruiculos venas, & arterias ridiculum est; nec qua parte incipiat substantialis forma vnius, & desinat alterius, assignare quisquam valebit.

Quarto, quia si formæ organicarum partium vnam totalem corporeitatis, aut mistionis formam conficiunt, ne corpus animalis, etiam vt distinguitur ab anima, sit multa entia simpliciter, (hoc enim maiorem verisimilitudinis speciem habet) eisdem argumentis, quibus corporeitatis forma reiecta est, refutari potest. affirmatiua pars huiusce quæstionis.

Quinto, quia maior operationum distinctio, & diuersitas cernitur in partib. organicis, quatenus sunt partes animalis, quã quatenus sunt partes corporis misti, vt perspicuũ est, & planius colligitur collatis earũ operationib. dum animal viuit, cum iis, quas habuerunt, tum antequam animalis forma inducta esset, tum etiam postquã corpus vita priuatum est; at quatenus sunt partes animalis, vna tantum anima informantur, vt etiam aduersæ partis autores fatentur; ergo non est cur etiam quatenus sunt partes misti corporis, quod animæ subiicitur, non habeant vnã tantum formam substantialem nequaquam ex multis formis compositam.

Postremo, quia, vt in animalib. sunt partes organicæ, ita & in plantis, vt patet ex generali definitione animæ, quæ vegetatiuam etiam complectitur; at in plantis nõ solent distingui formæ substantiales organicarũ partium, quod earũ distinctio sit obscurior: ergo nec distingui debent in animalib. lucul̃etior enim, & obscurior huiusmodi partium distinctio non variat earum substantiam.

Dicendum igitur, quemadmodum vna est tantum anima in quolibet viuente, quæ est primum principium intrinsecum omniũ eius vitalium operationum, & eo pluriũ, quo anima est perfectior; ita in eius corpore, antequã recipiat animam, & similiter postquã illam amittit, vnam tantũ esse formam substantialem, quæ forma certæ cuidã mistioni qualitatum conueniens est; nisi quod alia est antequam corpus animam recipiat; alia quæ mortuo viuẽte in materia relinquitur: quod volunt ii, qui formam corporeitatis, mistionisque ab anima diuersam faciunt.

Solutio

Solutio argumentorum partis affirmatiuæ.

SECTIO III.

Primum igitur partis affirmatiuæ argumentum facile dissoluetur, si dicas, in diuersis quidem materiis diuersitatem accidentium, figurarum, & operationum, esse potissimum indicium diuersarum specie formarū substantialium: at in partib. diuersis eiusdem materiæ non esse indicium, nisi perfectioris formæ, quam sit in iis rebus, quæ pauciores operationes habent.

Diuersitas accidentium est indic. diu. specie forma in diuersis materiis, non in ead.

Ad secundum dicendum, ab eadem forma posse prouenire, vt partes aliæ, quas informat, in alias agant, & ab aliis patiantur: non quouis tamen modo, sed quatenus ad rei cōseruationem earum moderata pugna subseruit: qualis est pugna cordis cum cerebro, corde subministrante cerebro calorem, cerebro autem cordi refrigerationem: quamquam aliquando partes organicæ pugnant inter se non ex animæ propensione, & quasi præscriptio, sed ex praua corporis dispositione: quo pacto stomachus, & hepar nonnunquam se mutuo lædunt, quæ pugna reducitur ad formas diuersas, vt ignis, & aquæ à quibus immoderatus calor, & frigus proueniunt.

Moderata pugna aliar. partiumcum aliis, tribuenda animæ, non item immodica.

Ad tertium dicendum est, partes non dici organicas proprie, nisi cum suis ministeriis fungi possunt, vulgo tamen eas etiam dici organicas, quę sunt in potentia proxima, aut non valde remota, vt suis ministeriis fungantur: ac deniq; , quæ suis ministeriis fungi desierunt. Itaq; Philosophice non sunt eædem partes organicæ hominis viuentis, quæ embryonis, aut cadaueris. Quo fit, vt ratione philosophica merito dicat Aristoteles partes organicas à toto separatas æquiuoce dici: at vulgi consuetudine easdem censeri partes organicas eius corporis, in quo anima introducitur, aut à quo proxime exclusa est, atq; eius, quod animæ præsentis vi suis functionibus vti potest. Quod si partibus organicis, cum multas, & varias operationes vitales habent, vna viuentis forma substantialis satis est: non est, cur non sit satis vna substantialis forma misti, cum admodum paucas, & longe inferiores exercere possint, vt iam est dictū.

Quæ partes Philosophice quæ vulgo dicantur organica.

Ad quartum dicendum, formam substantialem, quæ in primam partem integrantem animalis introducitur, (quæcunque pars illa sit, quam nunquam crediderim esse vnam tantum ex præcipuis, sed plures simul) esse illam eandem formam, quæ in totum animal, hoc est, in omnes integrantes inducitur Et quamquam cor, seu potius eæ partes, quæ primo viuunt animalis vita, non sunt animal integrum integritate partium, & quantitate ad functiones debitas pertinente: sunt tamen animal integrum integritate essentiæ animalis, quia vere sunt animal, & suppositum, primaque substantia per se omnino subsistens, sub genere animalis directo positum in prædicamento substantiæ.

Ad vltimum dicendum, probabile esse admodum poma, & reliquos plantarū fructus non informari eadem anima, qua plantæ ipsæ informantur, fructus enim in plantis fructiferis non videntur esse ipsarum plantarum partes, sed partus, & fines, propter quos huiusmodi plantæ institutæ sunt ab autore naturæ. Vnde quemadmodum oua, quæ in ouiparis, & fœtus, qui in viuiparis innascuntur, suas habent peculiares formas substantiales, & ab Aristotele l 5.c.4. σύμφυτα dicuntur, hoc est, congenita, seu intus nata, ita plantarum fructus, qui in earum extremitatibus adnascuntur, vt per se cohæreant, & animalib. sint vsui, suas quoque peculiares formas habent & ab eodem appellantur προσφυτα quasi adgenita, siue adnata. Nec refert, quod cum nutriuntur, & augētur, & sæpe etiam maturescunt in ipsis plantis, alantur eodem plantarum alimento: eo enim suscepto in se ipsis habent suæ nutritionis, & incrementi, & maturitatis effectiua principia: quod idem de capillis, dentibus, & cornibus verisimile esse superius diximus. Nisi quod hæc omnia partes sunt, etsi non ad animalium essentiam, tamen ad eorum integritatem pertinentes: fructus autem neutro modo sunt plantarū partes, sed veri partus, vti diximus. Quod si cui magis placet hæc omnia eadem forma informari, qua ipsa animalia, & plantæ: dicere posset ad argumentum poma, & (*quod addēdum erit*) reliquos fructus desertos ab anima, qua ante informabantur in arbore, obtinere in generatione propria, & peculiari, (*nempe cum decerpuntur*) similes qualitates iis, quas habebant in arbore: proinde etsi videantur habere easdem numero proprietates, non habere tamen numero easdem, sed specie.

Fructus non informatur anima ead. qua planta.

Tex. 5.

Viuunt tamē & hæc nutriuntur.

C. 12. q. sed. sect. 4.

Num elementorum formæ substantiales maneant formaliter in misto, an virtute tantum?

QVÆST. II.

Quam

Quam variè quidam de hac re senserint?

SECTIO I.

QVæstionem hāc propterea superiori adiūximus, quod ii, qui affirmatiuam amplectuntur partem, admittant, aut admittere cogantur, dari non solum in quolibet viuente, sed etiam in quolibet misto partes integrantes distinctas inter se per diuersas formas B substantiales, ac proinde multa, ac pene infinita entia actu in eodem composito; quod est contra præscriptum Aristotelis in hoc cap.

Quæst. sensus Est autem quæstionis sensus, An elementorum formæ ipsæ per se, & non per suas tantum virtutes, seu peculiares qualitates, maneant in misto, cum mixtum ex elementis generatur: & postea eodem modo perseuerēt in aliis mistis, quæ ex illo gignuntur; an vero aliquo alio modo res habeat? Ad quām quæ- C stionem quatuor modis responderi potest. Vno, manere in misto non modo ipsas eorū formas, sed etiam eorum virtutes: altero, non manere neque eorum formas, neque eorum virtutes: tertio, non manere eorum formas, sed eorum virtutes: quarto manere eorū formas, sed non eorum virtutes. Verum, quia quartus modus non cadit in disputationem, quia accidere naturaliter non potest, vt, cum forma manet in aliqua materia, non maneat D in eadem eius virtus: tribus tantum modis ad eam responsum est; atque adeo responderi potuit à Philosophis: vno omnino affirmatiue: altero prorsus negatiue: tertio negatiue quoad formas, affirmatiuè autem quoad virtutes.

2 sent. formas simul & virtutes manere Alber. Mag. in 3. de Cælo, tract. 2. c. 1 & 8. & in l. 1. de Generat. tr 6 c. 5. Iandun. 6 Phys. q. 4. Zimar theore. 27. Fern. l 2. sua Phys. c. 6. & alij.

Auicenna in primo libro sufficientiæ cap. 10. & post eum Auerroes in tertium librum de Cœlo comment. 67. (quem non pauci Medicorum, & aliorum Philosophorum sequū- E tur) existimant, in quolibet misto manere formas simul, & virtutes elementorū. Quanquam ea ex parte dissentiunt, quod Auicenna credit formas ipsas manere † integras, & nequaquam refractas, seu debilitatas, tametsi diuisas in minutissimas materiæ particulas, & inter se permistas; virtutes autem, seu qualitates earum peculiares, nonnisi retusas, & attemperatas inter se, & ad quandam mediocritatem reductas, prout natura misti postu- F lat. Id quod ex eo priuatim sibi persuadere potuit, quia cum substantia non sit substantiæ contraria, neque item magis, & minus suscipiat, vt Aristoteles tradit in prædicamentis, putauit ille nihil esse incommodi, si ad veram mistionis rationem tuendam diceret, manere formas ipsas elementorum in propriis ma-

† Quid priuatim sentiat Auic. c de subst.

A teriis distinctas, & per totum mistum minutissime confusas, quod inter eas secundum se nulla sit formalis repugnantia, sed tota earum oppositio ex qualitatibus ipsarum proueniat: quare cum qualitates formaliter sint contrariæ, necessario eas retundi debere, vt possint in eodem misto pacifice (vt ita dicam) permanere.

Quid Auer. Auerroes autem, etsi, quod attinet ad virtutes elementorum, nihil diuersum ab Auicenna senserit: tamen quia non existimauit earum temperiem satis esse ad veram elemētorum mistionem, nisi formæ quoq; eorum substantiales temperarentur, & in vnam misti substantialem formam euaderent, (*nisi enim id fieret, nequaquam putauit quamlibet partem misti fore mistam, quod erat contra Aristotelis sententiam*) nouam sibi hac de re cudit opinionem. Commentus est enim, formas, etiam ipsas substantiales elementorum refrangi, & imminui in mistione, vt ex illis refractis & attemperatis vna resultaret forma misti, sicq; quælibet pars misti esset mista, quod Auicenna defendere non potest. Addidit autem Auerroes, mirum esse non debere, quod elementorum formæ, tametsi substantiales, refrangantur, & quasi remittantur: sunt enim, inquit, imperfectæ, & suo modo mediæ inter alias substantiales, & accidentales, atque ea ex parte, qua cum accidentibus conueniunt, possunt suo modo remitti ex illo quasi rigore, quem extra mistūm retinent. Itaque hi affirmatiuam omnino partem quæstionis amplectuntur.

Arist. 1. de Gener. cap. 10. tex. 86.

2. Sent. nec formas, nec virt. manere. Ita Greg. in 2 d. 17. q. 3. ar. 2 Bargius in li. 1. summa tr. 2. q. 4. Hern. in tra. de vnit. form. q. 15. So c. 10. Met. q. 22. & alij.

Omnino autem negatiuam sequuti sunt alii nonnulli, credentes neque elementorum formas, neque earum virtutes manere in misto. Non formas ipsas, quia re vera abiiciantur in generatione misti ex elementis, quod ipsis etiam mox confirmabimus: non etiam virtutes earum proprias, tum quia amissa forma amittitur omnis eius virtus, seu operatiua qualitas: tum etiam, quia in locum amissarum qualitatum non succedunt in misto (*vt existimant*) aliæ similes elementaribus, sed vna simplex qualitas, quam sequi volunt essentiam misti. Neque enim putant temperiem illam qualitatum, quæ inuenitur in quolibet misto, esse aggregationem aliquam ex qualitatibus earundem specierum, quarum erant illæ, quæ erant in elementis: sed esse vnam tantum qualitatem ab eis omnib. specie diuersam, quemadmodum substantialis forma misti eorum sententia (*qua vera, & pene omnium communis est*) non est aggregatio aliqua ex elementorum formis, sed vna simplex forma, quæ essentiam misti constituit, ac complet.

3. Communis sen. D.T. 1.p.q.76 art. 4. Scot. in 2. d.15. Argent. Capr. Gabri. ead. d. ist. Ric. ar.1.q.1 Och. quodl.3 q.4. Ferr.2.contr. Gen.c.56. & fere recent. ad 2.l. de Gener. Hanc esse plane Ar. ist.

Tertia sententia est D. Thomæ Scoti, & omnium pene magni nominis Philosophorũ, ac Theologorum, formas scilicet elementorum non manere formaliter, seu secundum se in misto: sed eorum virtutes inter se contemperatas. A

Approbatio, & confirmatio tertiæ sententiæ.

SECTIO II.

Hvius sententiæ vtraq; pars inprimis non obscure proponitur ab Aristotele ipso initio libri secundi de partibus animaliũ, vbi docet tres esse compositiones animalium ex partibus vtcunq; integrantibus, vnam ex elementis: alteram ex partibus similaribus: tertiam ex dissimilaribus: exponensq; primam ait, potius dicendum esse eam confici ex virtutibus elementorum. *Humiditas enim*, inquit *siccitas, caliditas, & frigiditas, materia corporum sunt compositorum*, hoc est, mistorum. Nam cum negat eam fieri ex elementis, perspicue docet formas elementorum non ingredi cõpositionem mistorum corporum: nulla enim res sine sua forma substantiali vllibi esse potest. Cum autem addit eam fieri ex virtutib. elementorum, quas declarat esse primas qualitates, plane asserit virtutes elementorũ manere in misto, seu (vt dici solet) elementorum formas manere in eo virtute: & cum maneãt tanquam propriæ dispositiones materiæ mistorum, non est alienum à ratione, quod dicantur esse materia, seu materiales, integrantesq; eorum partes. Idem quoq; dixerat (*tametsi disputantis more*.) 1. de Generatione, mistilia inquam, nec prorsus manere actu in misto, vt corpus, & album: nec penitus interire, sed seruari ipsorum vires.

ca.10 tex.84.

Non manere formaliter ipsas formas, probatur c.1. tex.7. & 8.c. 2. tex.1 cap.4 tex.24. † c.3. paulo post principium.

Prior igitur pars huius sententiæ, quæ nobis omnino probatur, priuatim ostẽdi potest multis argumentis. Primum ex generatione mistorum, quæ negari non potest. Nam cum Aristoteles doceat 5. Physicorum, & 1. de Generatione, & 1. item † libro huius operis, formã in generatione non recipi in ente actuali, sed in materia prima: mista vero omnia vere gignantur, peculiaresq; habeant formas substantiales: alioqui non essent vere entia per se generabilia, & corruptibilia, quod pugnat cũ omniũ sententia: efficitur, vt cũ ea gignũtur, siue immediate, ex elemẽtis, siue ex aliis mistis, nunquam eorũ formæ recipiantur in ente, aut entib. habentib. suas peculiares formas substantiales: iam n. non reciperentur in materia prima, sed in pluribus entibus actualib.

1. de genera. c. 10 tex 90. Mistio. definitio exponitur. Dan.2. & 3.

Deinde ex ipsa communi mistionis ratione, quam etiam tradit Aristoteles. Definitur enim mistio, *Mistilium alteratorum vnio*. Dicitur (*mistilium*) quia mistio non fit ex iis, quę apta nõ sunt, vt permisceantur, & se inuicem penetrent, vt lutum, & ferrum in pedibus statuæ, quam vidit Nabuchodonosor. Dicitur (*alteratorum*) quia fieri non potest ex iis, quæ se inuicem alterare non possunt, vt sunt corpus, & anima & omnino materia, & forma. B Denique dicitur (*vnio*) quia nec fit ex iis, quæ se inuicem alterare possunt, vt aqua, & vinum, nisi in vnam formam substantialem amissis propriis formis vniantur. Nam cum aqua, & vinum, exempli causa, non vniuntur nisi in vase, sed adhuc distincta inter se sunt: aut alterum conuertitur in alterum; non fit vlla vera mistio, sed aggregatio quædam, & confusio duorum liquidorum corporum in vase vno, aut generatio vnius ex altero. C Quo fit, vt necesse sit formas substantiales mistilium amitti, & recipi in eorum materiis formam misti, qua omnium materiæ vniantur, & vnum corpus ex pluribus componatur. Si ergo mistio est vnio mistilium alteratorum in vnam substantialem formam: necesse est elemẽtorum formas in vera mistione amitti. Neque occurri potest, vnionem elementorum fieri in materia, aut in temperamento aliquo duntaxat quatuor primarum D qualitatum. Nam nec materia elementorum antequam recipiat formam vnam numero, vna numero est, vt possit esse causa vnitatis numeralis misti: neq; ad eam satis est vnitas temperamenti primarum qualitatum, (*etiamsi vnum numero temperamentum esse posset in pluribus numero materiis*) cum mistum, vt mistum est, sit substantia quædam non aggregatio accidentium.

1. de gene. c.10 tex.86. Quamlibet partem misti esse mistam.

E Tertio ex conditione partium misti, quam etiam ponit Aristoteles. Necesse est enim, quamlibet partem misti esse mistam, alioqui mistio non esset nisi multorum simplicium aggregatio: ac proinde mistum nihil esset aliud, quam multa entia naturalia simul, nõ vnum ens naturale simpliciter. Quod si quis negato illo vero Philosophico dogmate, formam substantialem non recipi, nisi in nuda materia, dicat, mistum esse vnum ens naturale simpliciter ratione vnius formæ misti F superadditæ formis substantialibus elementorum & ea ratione, quamlibet partem misti esse mistam, quia quælibet particula cuiuslibet elementi informatur non solum forma eius elementi, sed etiam forma ipsius totius misti: nec sic quidem euadet vim argumenti. Cogetur enim isto modo admittere eadem ratione, quamlibet particulam elementi, quæ fingi-

Effugium, de vna forma misti superaddita formis elementorum.

Nec eam dari.

fingitur esse in homine, esse hominem, quia A informabitur iuxta hanc sententiam forma hominis. Deinde quælibet eiusmodi particula erit simul, verbi gratia ignis: & homo, & sic in cæteris. Iam enim omnes elementorum particulæ diuersæ inter se per aliorum elementorum particulas insertas, erunt simul plurima entia simpliciter, & vnum ens simpliciter; plurima simpliciter, quia informabuntur plurimis numero formis substantialibus inter se discretis, & disiunctis: vnum B autem simpliciter, quia omnes informabuntur vnica numero forma misti: quod respondens absurde admittet, vt faciat ex omnibus vnum ens simpliciter. Accedit, quod neque eiusmodi forma substantialis superaddita elementaribus re vera satis erit, vt mistum sit vnum numero: dum enim materiæ sunt plures numero; fieri non potest, vt ex illis omnibus, & forma vna numero fiat vnum numero compositum, cum ea sola entia naturalia sint C vnum numero, quorum materia est vna, vt patet ex definitione vnius numero ab Aristotele tradita, & ab omnibus recepta, quæ de solis rebus naturalibus intelligitur, vt l. 1. diximus. Denique nec naturaliter fieri potest, vt vna numero forma informet materias plures numero, sed potius illæ sub forma vnius rei, quæ corrumpatur, aut certe simul cum vna ex pluribus gignatur, debent vniri, ac continuari inter se, vt forma in eas introducta sit D sit vna numero. Si enim discretæ sunt plures numero formæ in eas introducantur necesse est: vt patet in pluribus lignis, quæ simul ab eodem igne inflammantur.

Nec, si daretur satis fore, vt mistum euaderet vnũ simpliciter.

5. met. cap. 6. tex. 12. In explan. eiusdem loci.

Quarto ex comparatione formarum substantialium cum accidentalibus. Nam cum accidentales diuersarum specierum non possint conflare vnam, quæ sit tertiæ speciei, vt inductione patet: (tametsi aptiores videantur ad compositionem vnius ex pluribus, quod E eis nõ repugnat, quatenus accidentales sunt, componi ex diuersis gradibus, vt substantialibus repugnat) multo minus admittendum id erit in substantialibus.

Quæ absurda sequantur sent. Auerr.

Vnum.

Postremo ex absurditate propositæ sententiæ, vt ab Auerroe traditur. Nam quatenus ea Auicennam quoque tangit, iam multa eius incommoda ex dictis patent. Suffugium autem Auerrois de vnione formarum elementarium, quas retundit, & contempe- F rat in vnam formam misti, hęc habet propria incommoda. Vnum, quod re vera facit formas substantiales recipere magis & minus, intendique, & remitti, quod Aristoteles in Prædicamentis negat fieri posse, quam sententiam eo loco ipse quoque Auerroes probat: simulque hac inducenda opinione admittit ad substantiam esse motum, quod vterque 5. Physicorum docet fieri non posse. Nam quod quidam eius sectatores aiunt, retusionem, & imminutionem formarum elementarium non esse verum remissionis motum, quia non fiat continue, sed per instantia, nullum habet fundamentum. Nam, cum pugna elementorum inter se in ipsa mistione sit continua, necesse est, vt continua quoque sit imminutio, & refractio elementarium formarum: quemadmodum in decretione accidit, in qua continua immutatione decrescit substantia viuentis simul cum quantitate, quæ continue imminuitur. Eodemque modo corruptio ligni semel inflãmati, cum forma ignis vlterius serpit, continua est, nec amissio formæ ligni fit in instãti, nisi cum primum inflammatur lignum præcedentibus aliquandiu dispositionibus ad formam ignis recipiendam in minori portione materiæ, quam requiratur ad eius formæ introductionem. Namque deinceps tam generatio ignis, quam corruptio ligni, seu potius aggeneratio vnius, & imminutio substantiæ alterius, continenter fiunt, nec iam opus est, vt fiant per instantia.

c. de substan.

c. 2. tex. 8. Reiicitur Auerrois. resp.

Alterum incommodum est, quod ex formis elementorum refractis facit formam misti: quæ tamen ex illis nulla ratione fieri potest. Nam aut particulæ elementorum se à principio inuicem penetrantes, & in se mutuo agentes, retinent eas solas formas elementorum, quas ante coniunctionem habebant: aut, cum in se inuicem agunt, simul recipiunt aliorum formas, hoc est, formas eiusdem speciei cum aliorum formis: si solas antiquas retinent: ergo non quælibet pars misti est mista, quod paulo ante constitit, & in Auicennæ sententia Auerroi displicuit. Si vero recipiunt aliorum formas, vt ex omnibus vna forma misti quasi confletur; primum quidem confirmatur intensio, & remissio formarum substantialium, quæ continua introductione vnius, & expulsione alterius perinde fieri conceditur, atque in qualitatibus contrariis: quam doctrinam falsam omnino esse libro sequenti ostendemus. Deinde, quo pacto ex pluribus formis natura differentibus, præsertim non subordinatis, fieri possit vna forma, non apparet. Nunquam enim ex duobus huiusmodi actibus fit vnus, nisi alter se habeat vt potentia respectu alterius, quod in formis elementorum constat nequaquam esse admittendum. Dico autem [*natura differentibus*] quia ex duobus gradibus caloris, qui eiusdem naturæ sunt, fit vnus calor: & ex duabus lineis fit vna linea: & ex duabus formis aquæ numero

Alterum.

Ex formis elementor. refractis non poss. fieri formam misti, vt ille vult.

mero diuersis, cum guttæ confluunt in vnum A locum, fit vna aqua numero. Postremo, cum elementorum formæ diuersarum rationum, & naturarum sint, quonā ordine, & qua coniunctione inter se iungantur nemo demonstrare potest.

Duæ Auerr. huius absurdi vitandi rationes.

Ita Aureo. apud Argent. in 2. d. 15. q. vnic. ar. 3. vide etiam Garbium l. 1. summa tract. 1. q. 1.

Refelluntur

His de causis diligentiores Auerrois sectatores varie exponūt hac in re suum authorem. Alii distinguūt in formis elementorum realitatem, & formalitatem, dicuntq; in misto manere earum realitates, sed non forma- B litates. Alii volunt formas elementorum accipi posse, vel vt sunt actus potentiæ admisti, seu vt actus confusi, vel vt sunt actus simpliciter, hoc est, retinentes suam rationem specificam, priorīq; modo manere in misto, nō posteriori. Itaque priores volunt elementorum formas amissis suis formalitatibus quoad suas realitates constituere formam misti. Sed quid in eis sit realitas, quid formalitas, & quo pacto hæc inter se distinguātur, aut quo C pacto realitates amittant suas formalitates, aut demum qua ratione realitates suis formalitatibus spoliatæ conuenire possint in vnam misti formam, neque ostendunt, neq; ostendere possunt. Neque etiam posteriores explicant, aut explicare possunt, quo pacto eę formæ maneant in mistis, si suas rationes specificas in mistione amittant; quidque sit manere eas in actu confuso, seu confusionis, vt appellant. Ac fortasse priores (liceat enim quasi D diuinare) nomine realitatum intelligunt ipsarum formarum essentias, nomine autem formalitatum significant modos essendi puros, quos ipsæ habebant extra mistum, vtpote cum nōdum erant partes formæ misti. Verum hoc nihil dicere est: hoc enim quæritur, quo pacto earū essentiæ in vnam formæ misti essentiam euadant, nec tamē ipsę pereant, sed solum modum essendi liberum, & extra compositionem existendi, amittant. Forte E etiam posteriores volunt, formas elementorum reuera perire in mistione, nec manere in misto, nisi vt confuse continentur in forma misti. Quod cum ad veram sententiam de corruptione elementorum in mistione pertineat cui Auerroes cum Auicēna se opposuit; credendum nō est hunc eorum interpretum Auerroisticæ doctrinæ germanum sensum, potiusque verendum ne hi confusionis nomine, in quo alii facete ludunt, confusionem F mentis suæ contexerint. Itaque hæc Commentatoris tela, qua mistorū formas ex formis elementorum conficit, nullo veritatis stamine conficitur.

Tertium incommodum est, fecisse Auerroem formas elementorum medias inter reliquas substantiales, & accidentales. Dico autem [inter reliquas substantiales,] quia etsi aliquādo visus est sentire, elementorum formas esse eorum qualitates motiuas, quę sunt accidentia: nec defuerunt etiam qui temere putauerint id muneris tribuendum esse ipsis quatuor primis qualitatibus: Auerroes tamen non aliter intellexit qualitates motiuas esse eorum formas, quam vt mobilia sunt motibus suis simplicibus; id quod ex Aristotele in tertio, & quarto de cœlo videtur collegisse, vbi ille ex quatuor qualitatib. eorum motiuis tanquam ex quatuor formis essentialiter cōstitutiuis numerum eorum specificum videtur demōstrasse: cum alioqui idem Auerroes plurimis in locis plane, ac perspicue proprias elementorum formas faciat substantiales, verum medias inter alias substantiales, & accidentales, vt diximus. Est tamen & hoc ipsum valde absurdum, neque alia de causa ab Auerroe inductum, nisi ad suadendam earum refractionem, remissionemque, ob participationem, quam cum accidentalibus eas habere fingit: cum præsertim nihil sit medium inter substantias, & accidentia, quasi naturam vtriusq; generis participet. Quod si participaret, iam elementa quoq; ipsa, quæ ex formis suis essentialiter constituuntur, & distinguuntur, essent media inter alias substantias, & accidentia, quod ridiculum est.

Tert. absurdum Vera sent. de form. ele ment. 4. li. cœlo. com. 20. & l. 2. de anima com. 108. Alex. Aphr. 12. met. com. 12. Phil. 2. generat. com. 7. & Gal. 1. l. de Element. & in mera ad l. 2. de anima tx. 18. & alij.

Elementor. formas virtute manere in misto, probatur.

Posterior pars nostræ multoque communioris sententiæ hac ratione probatur. Elementorū formæ modo aliquo veriori, quam potentia passiua, manent in misto, is autem non potest esse alius, quam virtute, hoc est, per suas virtutes, seu qualitates actiuas contemperatas: manent igitur hoc pacto in misto. Quod modo aliquo maneant in misto, ex eo constat, quia communi consensu dicitur mistum ex elementis constare, & in ea resolui, idque significat mistionis nomen quæ enim nullo modo sunt, quonam pacto permista in aliquo esse possunt? Quod autem veriori modo, quam potentia passiua sint in misto, ea ratione probatur, quia res omnes corruptibiles sunt potentia in quauis re corruptibili, cum ex quauis earum fieri possint, seu proxime, seu remote: nec simpliciter, & absolute quæuis earum dicitur esse in alia; cum tamen simpliciter, & absolute elementa dicantur esse in misto; vnde necesse est, vt eorum formæ aliquo modo maneant actu in misto, quod ex illis genitum est, vt nimirum referantur, & ad se inuicē tanquam commista inter se, & ad vnum illud, in quo commista sunt. Cum igitur illæ non maneant actu in misto per se ipsas, vt ex probatione prioris partis huius sententiæ patet: relinquitur, vt maneant per suas virtutes, seu quali-

qualitates actiuas: at non manent per eas intensas, quo pacto sunt in ipsis elementis ante mistionem, quod vel sensu perspicuum est: manent igitur per easdem contemperatas, & ad mediocritatem aliquam reductas.

Obiecta contra approbatam sententiam.

SECTIO III.

VErum contra hanc sententiam multa obiici possunt, quibus vtraque eius pars videatur labefactari.

5. met. c. 3. tex. 4. Primum, quod elementum definiatur ab Aristotele *Id ex quo inexistente res fit*: quod ita accipiendum est, vt res non fiat ex eo per accidens; alioqui priuatio esset elementum cũ res fiant per accidens ex priuatione, quia fiũt ex materia, cui accidit priuatio. Cũ ergo mistum fiat per accidens ex qualitatib. elementorũ, quia accidentia non ingrediuntur compositionem misti, efficitur, vt nisi elementorum formę maneant in misto, dici non possit ipsa esse elementa misti.

Deinde, quod mistum significet quoddam genus substantiæ corruptibilis, nempe compositę ex elementis, quod genus distinguitur à substantia corruptibili simplici, quæ adæquate dicitur de quatuor elementis; cum ergo virtutes elementorum non pertineant ad compositionem substantiæ, non satis est, si elementa maneant in mixto ratione suarum qualitatum, nisi etiam maneant ratione suarum formarum substantialium.

c. 2. tex. 11. Tertio, quod Aristoteles ad initium librorum de Cœlo doceat, mista moueri sursum, vel deorsum ratione prędominantis elementi: cum igitur id non fiat ratione materiæ, sequitur fieri ratione remanentium formarum substantialium.

c. 8. & tex. 66. Quarto, quod idem 3. de Cœlo disputans, contra Platonem, doceat elementa nõ habere figuram aliquã propriam: alioqui ita possent manere in misto, vt omnium eius partium formis se accommodarent: cum ergo sentiat elementa manere in misto, sentit vtique manere eorum formas, quarum ratione de figuris eorum agitur, non ratione primarum qualitatum, quæ eorum virtutes dicuntur.

c. 4. tex. 59. Quinto, quod idem Aristoteles li. 2. de Anima in ea disputatione, quam contra Empedoclem instituit, perspicue doceat, elementorum formas non posse diu in misto perseuerare, nisi in eo sit aliquid, quod eas contineat: alioqui ignis in sublime ferretur, & flueret ex eo aqua, terra ad centrum properaret, aerq; inclusus vaporaret ad externum; sentit igitur eorum formas manere in misto, eisq; superadditam esse in quolibet misto propriã eius substantialem formam quæ reliquas cõtineat: materia enim non est apta ad eas continendas, cum alias appetat.

Sexto, quod ex eisdem constemus, quibus alimur: nec dubium, quin alamur elementis, vel synceris, vt aqua: vel coniunctis, & contemperatis: quod si elementis, & ipsis: ergo & eorum formis, neque enim qualitatibus, aut materia sola quam qualitatibus nutriri possumus, sed certis substantiæ compositis.

Septimo, quod mixta perspicue videantur in elementa resolui, vt patet in ligno viridi, cum incenditur: cernimus enim illud partim abire in aquam effluentem per extremitates: partim in fumum resolui, qui mox in aerem euanescit; partim in ignem conuerti; partim in puluerem redigi quod idem cerni potest in cadaueribus, cum putrescunt & in saniem exhalationes, vapores, terramq; aperte resoluuntur: quod si mixta in hæc resoluuntur; ergo ex his constabant, iuxta eam Physicorum regulam, vnumquodq; in ea resolui, ex quibus constabat. *l. 1. c. 7. tex. 65*

Postremo, quod in mixto nullæ qualitates elementorum relinqui videantur, sed vna qualitas simplex, quæ sequatur formam substantialem mixti, vt autores secundæ sententiæ suadebant; nulla enim maior ratio est, cur elementa suas habeant simplices qualitates, quæ eorum formas consequantur, quam mista, cum vtrorumque formæ sint substantiæ simplices, vt tertiæ sententiæ autores dicunt. Quod si virtutes elementorum propriæ non manent in mixto, sed alia quædam simplex qualitas ab eis omnibus specie diuersa dici non potest elementa manere in eo per suas qualitates.

Soluuntur obiecta.

SECTIO IV.

SEd ad primum dicendum, quatuor vulgata elementa sæpe ab † Aristotele dici non esse proprie elementa: sed cum additione, (*nempe vulgo sic appellata*) quia non primo insunt in rebus, quæ ex illis constare dicuntur, cum tamen elemẽtum definiatur esse id, ex quo aliquid ita fit, vt primo insit. Non insunt autem primo elementa in misto, quia prius insunt eorum materiæ; nec eorum formæ in eo insunt, nisi ratione suarum qualitatum, per quas etsi per se inesse dici possunt, quia per suas proprietates, tamen nõ dicuntur inesse primo. Itaque secundaria ratio-

Quatuor vulgata non esse proprie elem. *† Vt 2. de generat. c. 1. tex. 1. & 4. 1. phy. c. 4. tex. 32. & l. 3. c. 5. tex. 45*

ratione comprehenduntur vulgata elementa in tradita elementi definitione, non primaria eo scilicet modo, quem explicauimus lib. 5. *cap. 3. q. 1.*

Secundum nihil aliud probat, quam quod elementa non sint formaliter in misto, sed per suas vires, ac virtutes contemperatas, idque quia non ingrediuntur eius compositionem per suas formas, sed per suas materias: tametsi per suas virtutes ingrediantur eam dispositionem, per quam forma illius inducitur, & conseruatur, & ad suas operationes fit idonea.

Ad tertium dicendum, mista moueri sursum, vel deorsum & ratione formarum substantialium eorum elementorum, quæ ad mistionem concurrerunt: & ratione qualitatum motiuarum, quæ in misto relictæ sunt: sed non inde effici, vt formæ, à quibus hæ qualitates originem duxerunt, in ipso misto maneant. Nam & ipsa etiam elementa moueri dicuntur principaliter à suis generantibus, quorum substantiales formas in se ipsis non habent, neque etiam fortasse iam tunc in rerum natura existunt.

Ad quartum dices, si elementa proprias haberent figuras, sine quibus conseruari non possent, vt habent omnia viuentia, fore quidem, vt non essent ad mistionem apta, vt recte concludit Aristoteles: verum non inde efficitur, vt, quoniam non habent proprias figuras, necessario dicendum sit ea ingredi mistionem cum suis formis substantialibus. Nam etsi hæ, quia figuras proprias sibi non vendicant, permittunt, vt elementa ipsa se inuicem penetrent; alia tamen ratione non ferunt, vt, quandiu distinctas materiæ particulas informant, forma mixti in easdem particulas inducatur.

Ad quintum dicito, argumentationem illam Aristotelis esse ad hominem. Ponebat enim Empedocles elementa esse formaliter in quolibet misto, hoc est, secũdum integras suas substantias, quas putabat esse simplices, & nequaquam compositas ex materia & formis substantialibus: quo pacto quidam existimant corpora cœlestia esse substantias diuersæ naturæ inter se, nec tamen compositas ex materia, & forma. Quod si ita res haberet in elementis, oporteret vtique adiungere cuilibet elementorum aggregationi, cũ ex illis mistum conflatur; vinculum aliquod naturale, quod ea contineret, ne eorum quoque dissoluta mistione in suum locum discederet. At posita vera sententia de compositione quatuor elementorum ex materia, & propriis earum substantialibus formis, resolutionisque cuiusque in proprias materias, suscepta forma misti, nullo alio prætereа naturali vinculo opus est ad ea retinenda, ne in varia loca diffugiant: cum nec formæ ipsæ elementorum substantiales in eorum materiis relinquantur, nec ea temperatio qualitatum, qua eorum materiæ disponuntur ad suscipiẽdam formam misti, sit contra naturam misti, sed potius ei naturalis, & ad virtualem cõseruationem elementorum in eo accommodata. Quod vsque adeo verum, & receptum est, † vt multi valde probabiliter sentiant, mista non viuentia nunquam corruptum iri ab intrinseco, si desit extrinsecum agẽs, quod eam temperiem dissoluat: cuius oppositum de viuentibus omnes asserunt propter distinctionem dissimilarium partium, quibus constant variasque earum dispositiones, quibus aliæ in alias agunt, remoto et externo agente, quod earum dispositioni aduersetur. Quæ opinio tum demum admitti potest, si excipiantur ea mista non viuentia, ex quibus proxime, vel etiam non valde remote fiunt viuentia, & in quæ eodem modo corrumpuntur: nam & semina, & fœtus nondum animati, & cadauera, poma, & stirpes euulsæ, earumque partes decisæ, & vita priuatæ, ab intrinseco etiam corrumpuntur, vt perspicuum est. Denique in iis mistis inanimatis, quæ similaria omnino sunt, vt in vitro, aut adamante verisimile est, si nullum adesset externum corrumpens, fore, vt perpetuo subsisterent: tametsi vix, ac ne vix quidem fieri posset, vt nullum esset externum agens, à quo illa corrumperentur, si mundus æternum duraret: cum probabile sit non defuturum longo admodum seculorum spatio motum aliquem influentiamve cœlestem, qua illa tandem aliquando in aliam speciem mutarentur. Atque hac ratione vera esse potest contraria plurium sententia de necessaria corruptione cuiuslibet misti ab extrinseco secundum communem naturę ordinem propter concursum externorum agentium quibus illa subordinata sunt.

An mista nõ viuentia corrumperentur si deesset externum agẽs.

† Ita Dur. in 2. d. 30. q. 1. num. 1.

Ad sextum dicendum, neq; omnino verũ esse viuentia simplicibus ali, vt Aristoteles docet; nec quatenus modo aliquo eis alũtur, illis seruatis nutriri, sed corruptis, & in naturas ipsorum transformatis.

2. de generat. c. 8. tex. 49. & l. de sensu & sensib. c. 5.

Ad septimum dices, posse quidem mista in elementa proxime resolui; sed ex propositis exemplis id non colligi. Ea enim, in quæ proxime lignum viride, cadaueraq; resoluuntur, mista adhuc sunt, sed propinquiora resolutioni in pura elementa. Regula vero Physicorum proposita, intelligenda est proprie de materialibus partib. vt sit vniuersalis: qualis est resolutio domus in lapides, & ligna, cæteraque, quibus constructa est: eodemq; modo resolutio

Explicatur commune illud, vnumquodq; in ea resolui ex quibus constat.

resolutio numeri in vnitates, ex quib. est constitutus. Nam in formam non dicitur fieri resolutio, nisi ea sit per se subsistens, vt est sola humana: nihil enim proprie resoluitur resolutione reali, nisi in ea, quæ post resolutionē permanent, tametsi mens multa componit ex iis, ac in ea resoluit, quæ in rerum natura aut non existunt, aut non eodem modo existunt. Dici tamen vtcunque potest, quemadmodū mista constant materiis elementorum secūdum se acceptis, eorumque formis virtute relictis, ita in hæc ipsa posse resolui: vel etiam regulam sic intelligendam esse, vt vnūquodque dicatur resolui in ea, ex quibus cōstabat, non tamen semper modo eodē accepta, quo pacto paulo ante diximus eisdem nos nutriri ex quibus constamus: cum interim alimenta alio modo sumātur ad nutritionem, alio modo in nobis sint, cum iam nobis sunt copulata: alioqui lignum constaret fumo, cadaueraque ex sanie erumpente, quod in hæc ipsa resoluantur.

Sitne temperamentum mistorum simplex qualitas an composita?

SECTIO V.

Prima sent.

AD vltimum dicendū, varias esse de qualitatibus mistorum quatenus ex elemētis constare dicuntur, opiniones. Nam quidam existimant (quod iam in exponenda secunda sententia diximus) ex mutua elementorum actione, quæ generationem misti præcedit, resultare in omniū materiis coniunctis vnā qualitatem simplicem, quæ virtute contineat temperamentum quatuor primarum qualitatum, quæ cum ipsis elementorum formis expelluntur; vt quemadmodum ex elementorum actione vna resultat simplex forma misti, pereuntibus elementorū formis, ita vt vna resultet simplex qualitas propria eius misti, quod generatur pereuntib. etiam specie propriis elementorum qualitatibus.

Vide quos sec. 1. citauimus pro secunda opin.

Secunda.

Alii credunt resultare quidem in materiis elementorum cum forma misti eam simplicem qualitatem: sed non idcirco perire quatuor primas qualitates cum elementorū formis: qualitas enim illa simplex, quam faciūt propriam eius misti, quod generatur, est vt aiunt, illis naturale temperamentum: at temperamenta naturalia non variantur, dum mista subsistunt; cum interim magna admodū varietas primarum qualitatum in quolibet misto cernatur per totam eorū vitæ, aut subsistentiæ periodum, & singulis pene momentis sole, vento, cibo, potu, quiete, motu, mille que aliis circumstantiis earum proportio varietur. Atque in hac varietate sanitatem, & morbum consistere certum est haud mutato naturali temperamento, quod in animalibus complexio appellatur.

His videtur fauere D. T. opusc. 33. & in 4. d. 44. q. 1. a. 1. q. 1. ad 4

Tertia sent. tempera. hcc nō esse simpl. qualitatē leg. quos sect. 1. citauimus pro tertia opin. Item Vales. controu. med. li. c. 6.

Alii deniq; sentiunt, nec perire in mistione prima elementorum qualitates, aut eas, quæ ex illis sequuntur, sed easdem specie comitari formam misti contemperatas; cū præsertim earū ratione elementorum formæ in eo censeautur remanere, vt ex dictis patet: neq; etiam ex illis resultare simplicem illam qualitatem, quam superiores duæ opiniones ponunt.

Primum, quia elementaribus similes temperatione adhibita satis sunt ad præstanda omnia, ad quæ simplex illa ponitur.

At plane ita sensit Gal. 1. l. de elem. c. vlt. & Hipp. in l. de carni.

Deinde, quia si ea sola ponatur in misto expulsa elementarium qualitatum multitudine mirum, aut potius impossibile merito videatur, quo pacto illa, simplex cum sit, possit esse proximum principium calefaciendi simul, & refrigerandi, humectandi, & exsiccandi. Nam quod idem remotum, ac primū principium harum actionum esse possit: ac re vera sæpe sit ipsa misti substantialis forma, haud difficile declaratur, cum (*exempli causa*) manus temperate calida calidiorem refrigeret, & frigidiorem calefaciat ipsius formæ misti virtute, cui in agendo subordinata est.

Tertio, quia aut qualitas illa simplex est vnica, ac vniformis in toto viuente, aut quælibet totius dissimilaris pars suam habet peculiarem: si vnica, & vniformis in omnibus; ergo idem est temperamentum cordis, & cerebri, oculorum, & pedis, quod aperte falsum est: si vero quælibet eiusmodi pars suam habet peculiarem, innumerabiles pene erunt eiusmodi simplices qualitates iuxta numerū dissimilarium partium, quæ vix internosci & numerari possunt: aut certe ex omnium huiusmodi partium simplicibus temperamentis, vnum totius viuentis temperamentum, vt ex partibus integrantibus componetur, vt iam simplex eiusmodi qualitas simplex non sit, sed ex pluribus composita.

Mista ratione formar. habere proprias qualitates, præter eas quas accipiunt ab elem.

Neq; ea, quæ contra allata sunt, quicquam huic sententiæ obstant. Nam præter primas qualitates elemētarias, & secundas, quæ illarum coniunctionem sequuntur, alias quoq; sibi proprias habet vnumquodq; mistū, quæ iam nō pertinent ad dispositionem materiæ, quam facit mutua elementorū pugna, sed sequuntur ipsas mistorum formas: qualis est in non viuentibus virtus magnetis, succini, & aliæ huiusmodi: & in viuentibus nutritiua, generatiua, & locomotiua, quas omnes simplices qualitates esse non negamus.

Quod

De immutabilitate naturalis temper. seu complex. Non esse proprietat. illius misti.

A Quod autem additur de naturalis temperamenti, complexionisque immutabilitate, cum primarum quatuor qualitatum proportio sæpissime mutetur, magnamque varietatem valetudinis in animalibus efficiat, facile in hunc modum dissolui potest; complexionem, & omnino temperamentum naturale, non esse proprietatem illius misti. Id quod in viuentibus, & familiarissime in nobis intelligere possumus. Si enim certa complexio esset proprietas humanæ naturæ, omnes homines essemus vnius, & eiusdem complexionis: B nullæ enim sunt proprietates indiuiduorum, quæ non sint omnibus eiusdem speciei communes, vt diximus superiori capite, & libro quinto ostendimus; alioqui indiuidua vnius, & eiusdem infimæ speciei differrent essentiali discrimine, ac proinde specie, quod contradictionem inuoluit. Cum igitur variæ sint admodum hominum cõplexiones, quemadmodum & cæterorum animalium; ea ratione C vnaquæque dici potest propria eius indiuidui, cui conuenit, & esse inuariabilis naturaliter in illo, quia temperamentum mistorum etsi oritur à primarum qualitatum varia proportione, tamen cõpletur per secundas qualitates; vt patet in quatuor humoribus, quibus animalium complexiones distinguuntur, quibus in cæteris viuentib. & mistis non viuentibus, alia temperamenta proportione D respondent: status enim dispositionis materiæ, qui completur per secundas qualitates propinquius eam disponẽtes ad formam misti, vt per raritatem, aut spissitudinem, mollitudinem, aut duritiem, & alias huiusmodi, aut nunquam (*nisi quodammodo per ætates*) aut vix vnquam variatur, vt vehementissimo aliquo morbo, casuve insignis alicuius calamitatis. Vbi enim primum forma misti occupauit materiam morosiore illa (*vt ita dicam*) se- E cũdarum qualitatum dispositione affectam, sic conseruat complementum eius temperamenti, in quo virtus primææ proportionis primarum qualitatum tanquam in suo effectu continetur, vt illud dissolui (*nisi vt diximus*) aut nunquam, aut vix vnquam patiatur, variata interim sæpe proportione earundem primarum qualitatum actione externarum causarum in non viuentibus & internarum quoque partium dissimilarium in viuẽtibus. Potest etiam dici (*quod gratius fortasse Medicis erit*) natiuum temperamentum in sola primæua qualitatum proportione consistere, in ea videlicet, cum qua res res genita, aut (*si sit viuens*) nata est; si modo illa non actu, sed habitu intelligatur esse fixa, & pene immutabilis. Quãuis enim ea proportio sæpe varietur actu, habitu tamen semper ferme est eadem, quia facile vnumquodque mistum se reducit ad illam tum virtute suæ formæ substantialis, tum etiam adiumento: & limitatione secundarum qualitatum, quibus materia propinquius ad illam disposita est: forma enim substantialis ipsa per se non magis hoc vel illud temperamentum indiuiduale, quam aliud quodlibet ad eandem speciem pertinẽs sibi vendicat. Nec certe alia ratione distingui potest natiuum temperamentum singulariũ mistorum ab inconstanti temperie quatuor primarum qualitatum, quæ deinceps in quolibet eorum sæpissime cernitur: nisi quis temere recurrat ad reprobatam sententiam de compositione formæ misti ex realitatib. substantialium formarum elementarium, quam qui admittunt, diuersam quoque illam faciunt in diuersis indiuiduis prout realitates formarum elementarium permiscentur in compositione formæ misti: hanc enim compositionem dicunt eorum nõnulli esse natiuum, ac inuariabile temperamentum, siue complexionem. Cuius opinionis absurditas hoc nouo refutatur argumento, quod nõ distinguit substantias singularium mistorum ab eorum complexionibus.

q. vn. sect. 2. c. 28. q. 10. sec. 2

Cur sit inuariabil. in vnoquoque indiuiduo.

Alia responsio, habitu, non actu esse immutabil.

Vide Valles. l. 1. controuer. cap. 6.

ΚΕΦ. ιζ.

Τί δὲ χρὴ λέγειν, καὶ ὁποῖόν τι τὴν b οὐσίαν, πάλιν ἄλλην οἷον ἀρχὴν ποιησάμενοι λέγωμεν.

CAPVT XVII.

Qvid a vero, & quale quid substantiam dicere b *oporteat ab alio rursus quasi princi-*

CAPITIS DECIMISEPTIMI EXPLANATIO.

Quam connexione habeat huius capitis cum superiorũ doctrina.

Q*Vid a vero & quale.*] Docuerat Arist. à c. 4. vsque 12. multa de Substantia, hoc est, quiditate rerum materialium (sub qua ratione eo loco de substantia se deinceps acturum dixit) vtpote ex quibus attributis, siue prædicatis constaret; quarum esset rerum; essetne idem cum iis, quorum esset quiditas; gigneretur ne, & ex quibus partibus cõstituta esset. Deinde c. 13. & trib. sequentibus, paululum digressus à præcipuo instituto, ostenderat contra Platonem vniuersalia, vt talia sunt, nõ esse rerum quiditates; nec enim esse substantias, nec si essent definiri posse; nec vero vniuersalia iuxta sanam de vniuersalibus sententiam substantias esse actu, vt Plato existi-

existimabat. Nunc rediens ad id, de quo præcipue disputationem instituerat, de ipsa, inquam, quiditate rerum sensibilium, siue materialium, verisque eius conditionibus; docet hoc extremo cap. quiditatem esse principium & causam omnium eorum, quæ de re dicuntur; & eo pacto esse in re, vt nec elementum sit, nec ex elementis constet; sed esse substantiam quandam formalem, sola ratione separabilem.

b *Substantiam dicere.*] Hoc est, quiditatem; vt sit sensus, Quid autem, & qualis sit quiditas rerum sensibilium, ad rem propositam redeuntes, iterum dicamus.

γενόμενοι· ἴσως c γὰρ ἐκ τούτων ἔσται δῆλον καὶ περὶ ἐκείνης τῆς οὐσίας, ἥτις ἐστὶ κεχωρισμένη τῶν αἰσθητῶν οὐσιῶν, ἐπεὶ d οὖν ἡ οὐσία ἀρχὴ, καὶ αἰτία τίς ἐστιν, ἐντεῦθεν μετιτέον. ζητεῖται e δὲ τὸ διὰ τί ἀεὶ οὕτως; διὰ τί ἄλλο ἄλλῳ τινὶ ὑπάρχει, τὸ γὰρ ζητεῖν διὰ τί ὁ μουσικὸς ἄνθρωπος, μουσικός ἐστιν ἄνθρωπος, ἤτοι ἐστὶ τὸ f εἰρημένον ζητεῖν διὰ τί ὁ ἄνθρωπος μουσικός ἐστιν, ἢ ἄλλο. τὸ μὲν οὖν διὰ τί αὐτό ἐστιν αὐτὸ, οὐδέν ἐστι ζητεῖν: δεῖ γὰρ τὸ ὅτι: καὶ τὸ εἶναι g ὑπάρχειν δῆλα ὄντα. λέγω δ' οἷον, ὅτι ἡ σελήνη ἐκλείπει. αὐτοῦ h δὲ, ὅτι αὐτὸ εἷς λόγος, καὶ μία αἰτία ἐπὶ πάντων: διὰ τί ὁ ἄνθρωπος, ἄνθρωπος, ἢ ὁ μουσικὸς, μουσικός: πλὴν

principio facto dicamus: ex c his enim forsitan & substantia illa, quæ à sensibilibus substantijs separata est, aperta fiet. Itaque d cum substantia principium sit, & causa quædam hinc ordiendum est. Quæritur e autem ipsum propter quid hoc pacto semper? propter quid aliud alij alicui insit? hoc enim quærere, cur musicus homo sit musicus homo, aut est quærere quod f dictum est; propter quid homo sit musicus, aut aliud. Quærere igitur cur ipsum sit ipsum, nihil quærere est: nam g & inesse & esse manifesta sint oportet; veluti quod luna deficiat. Cur h autem ipsum sit ipsum, vna ratio, vnaque est causa in omnibus, cur, inquam, homo sit homo; aut musicus, musicus: nisi

c *Ex his enim.*] Hoc est, ex iis, quæ toto hoc libro; & sequenti de sensibilium quiditate disseruntur, via parabitur ad separatarum substantiarum cognitionem, de quibus lib. 12. agendum est. Nam etsi illæ non sunt eiusdem rationis cum nostratibus, vt Plato existimauit, ex iis tamen, quæ sensibus subiecta sunt, inuestigandæ & cognoscendæ erunt.

d *Itaque cum substantia.*] Institutum est prioris partis huius capitis: sensus vero est, cum substantia, siue quiditas, omnium sententia principium sit quoddam; prius de hoc agendum est; quasi de quæstione minus difficili & ordine naturæ priori, quam quale principium illa sit, exponatur. *Quiditatem esse principiũ quoddam. text. 59.*

e *Quæritur autem*] Vt propositum concludat, ostendit primum quibus in rebus locum habeat quæstio propter quid: hæc enim sola quæstio est, quæ aperte quærit principium & causam. Docet igitur hanc quæstionem non habere locum, nisi cum aliud de alio quæritur. Cuius rei ratio est, quia, cum idem de se ipso quæritur, aut nulla quæstio est, aut inanis, & puerilis quæstio. Omnis enim quæstio, quæ nomine quæstionis digna sit, talis esse debet, vt quanquam supponat aliquid notum (*nemo enim quicquam rogat de re, quam penitus ignorat*) de eo tamen, quod expresse quæritur, merito dubitari possit, nemo autem mentis compos dubitarit, cur homo sit homo, aut homo musicus sit homo musicus: nisi posterior hæc quæstio sic intelligatur, cur homo, qui est musicus, sit musicus, est enim causa aliqua, propter quam sit musicus, cum musicum esse effectus quidam sit. Vt autem homo sit homo, aut totum hoc homo musicus sit totum hoc homo musicus, nulla causa est, cur effectum nunquam sit, vt homo est homo, aut homo musicus esset homo musicus. *In quæstione propter quid, debere aliud de alio quæri.*

f *Quod dictum est.*] Hoc est, aliud de alio, vt musicum de homine, vt mox exponitur [*Aut aliud.*] Hoc est, aut alterum illud propter quid homo musicus sit homo musicus, vt verba ipsa sonant, quod est, idem de eodem quærere.

g *Nam & inesse*] Exponit, quid cognitum supponi debeat in quæstione, Propter quid, aitque, duo esse ante cognoscenda. Vnum est, in existentia prædicati, hoc est, quod prædicatum conueniat subiecto, quod significatur dictione ὅτι, alterum, existentia subiecti, hoc est, quod subiectum sit res, cui non repugnat esse in rerum natura; quam rem omnem Aristoteles, quia vniuersalem esse voluit, putauit, aut semper, aut statis temporibus existere; quod tamem simpliciter, & absolute non est necesse, cum multa vniuersalia sint; quæ nunquam fuerunt, aut futura sunt per sua singularia. Prætermisit autem cognitionem, Quid nominis, terminorum, quia hæc in omni sermone supponitur. *In ea duo præcognita supponi. Ex sententia Arist. omnẽ rem vniuersalem saltem statis temporib^9 existere.*

h *Cur autem ipsum.*] Admittit vtcunque Aristoteles dari causam, cur homo sit homo, & similium identicarum connexionum; verum ineptam, & puerilem, quemadmodum & ipsa quæstio est, & quæ vere causa si esset, non tamen esset quærenda, cum sit omnibus manifesta Si quis enim quærat, Cur homo sit homo, responderi poterit, quia est homo. Si enim vlla causa est, *Quærere cur homo sit homo, & causã reddere vtrũ-que ineptum.*

est, nulla propinquior, & interior inueniri potest. Vtraque tamen tam quæstio, quam responsio ridicula est: quæstio quidem, quia causa, quæ redditur omnibus quantumcunque rudibus manifesta est, proinde non quærenda quasi dubia, responsio vero, quia nihil est causa sui, quæ tamen hic causa redditur.

πλὴν i εἴ τις λέγοι, ὅτι ἀδιαίρετον πρὸς αὑτὸ ἕκαστον τοῦτο δ' ἦν τὸ ἓν εἶναι. ἀλλὰ τοῦτο κοινόν τι κατὰ πάντων, καὶ σύντομον.

ζητήσειε δ' ἄν τις διὰ τί ὁ ἄνθρωπος ἐστὶ ζῶον τοιονδί. τοῦτο μὲν οὖν δῆλον, ὅτι οὐ ζητεῖ διὰ τί, ὅς ἐστιν ἄνθρωπος, ἄνθρωπός ἐστι. τὶ ἄρα l κατά τινος ζητεῖ, διὰ τί ὑπάρχει. ὅτι δ' ὑπάρχει, δεῖ δῆλον εἶναι· εἰ γὰρ μὴ οὕτως, οὐδὲν m ζητεῖ. οἷον, διὰ τί βροντᾷ; διότι ψόφος γίνεται ἐν τοῖς νέφεσιν.

ἄλλο γὰρ οὕτως κατ' ἄλλου ἐστὶ τὸ ζητούμενον. καὶ διὰ τί ταδί, οἷον πλίνθοι καὶ λίθοι, οἰκία ἐστί; φανερὸν n τοίνυν ὅτι ζητεῖ τὸ αἴτιον. τοῦτ

nisi quis i dicat, quia vnumquodque ad se ipsum indiuisibile est, quod quidem erat vnum esse. Verum hoc & commune quiddam est ad omnia & nimis compendiosum.

Quærat autem aliquis, cur homo sit animal tale? atque hoc quidem perspicuum est, non illum quærere, cur is, qui homo est, homo sit: quærit l igitur aliquid de aliquo, cur insit. Quod autem insit, manifestum sit oportet; sin minus nihil m quærit. Verbi causa, cur tonat? quia fit in nubibus sonus.

Hoc enim pacto aliud de alio est id, quod quæritur. Et cur hæc, veluti lateres, & lapides, domus fiunt? Causam n igitur illum quærere perspicuum est. Qua

Obiectio.
a 5 q. 1. sect. 4.
Solutio.

i *Nisi quis dicat.*] Dicat fortasse aliquis causam, cur homo sit homo, non esse quia est homo, sed quia est indiuisibilis à se, seu quod idem est, vt ex quinto libro patet, quia est vnum sibi, quod quidem non videtur esse notum omnibus nec Philosophi responsione indignũ. Occurrit tamen Aristoteles, eam & communem esse, quæque omnibus quæstionibus propter quid reddi possit, & compendiosam, hoc est, quæ si bona esset, infinito quoq; labore liberaret Philosophos. Nam cum hominem esse hominẽ nihil aliud sit, quam hominem esse idem homini, hoc est, esse idem sibi; si causa data satis esset ad respondendum propositæ quæstioni, satis quoque esset ad respondendum omnibus quæstionibus propter quid recteque responderet Philosophus, cum rogatur, cur homo sit disciplinæ capax, quia est disciplinæ capax. Nam hominem quoque esse disciplinæ capacem, nihil est aliud, quam esse idem disciplinæ capaci. Ita fieret, vt nullus esset labor respondendi ad quæstiones propter quid, quod qui diceret, merito ridiculus haberetur. Nec refert, quod indiuisio, siue vnitas rei, quæ prædicatur, cum re quæ subiicitur, sit fundamentum, ac proinde causa identitatis (quæ relatio quædam est) eius quod prædicatur, cum eo, quod subiicitur: Philosophi enim cum de rebus agunt, non quærunt causas relationum, sed rerum ipsarum, earum ve realium, & fundamentalium coniunctionum, quibus res cum rebus copulantur. Cum igitur nulla quæstione quæratur, cur ipsum sit ipsum, relinquitur nullam omnino dari quæstionem propter quid (quæ quidem digna sit homine Philosopho) in qua non quæratur aliud de alio, quod erat probandum, veluti cum quæritur, cur homo sit animal tale, vt ait Aristoteles. Caue tamen accipias verbum [*tale*] vt significat qualitatem essentialem, siue specificam hominis differentiam, sed solam proprietatem; hæc enim per veram causam conuenit subiecto, illa non item.

l *Quærit igitur aliquid de aliquo.*] Id est, aliquid de alio.

Non esse philosophi falsum, aut dicere, aut innuere.

m *Nihil quærit.*] Nempe Philosophi more. Neque enim Philosophus dicere, aut innuere debet falsum aliquid, cum sit veritatis amator; qui autem quærit, cur tonat, aut cur luna deficiat, ipso quærendi modo innuit se, nosse quod tonet, quodque luna deficiat, vel in præsentia, vel suis temporibus: quare si id quærat ignorans an tonet, lunave deficiat, non proponit vtique quæstionem homine Philosopho dignam. Eodemque modo inepte quæreret aliquis, cur lateres ac lapides essent domus ipsa, seu in domum conformati, nisi nosset domum ex lateribus, & lapidibus confectam esse.

Non fieri satis quæstioni, propter quid, nisi reddita quidditate subiecti.

n *Causam igitur.*] Hactenus docuit, quibus in rebus haberet locum quæstio propterquid; ostenditque hoc genus quæstionum non vsurpari à Philosophis, nisi cum id, quod prædicatur, est aliud à subiecto; & cum ipsa coniunctio prædicati cum subiecto nota est, & ipsum subiectum existit, & (quod hinc sequitur) ipsum etiam prædicatum, quod nescitur inesse subiecto. Nunc ostendit, ad huiusmodi quæstionem non satis omnino fieri, nisi reddita quiditate subiecti. Vnde fit, vt quidditas rei sit principium, & causa omnium, quæ de re dicuntur; quod in hac priori parte capitis ostendendum diximus Nomine autem quiditatis, seu qũod quid est, intelligit Aristoteles formam rei, vt patebit sub finem capitis; seu formæ vocabulum accipias pro forma, quæ est altera pars compositi; nam & ad hanc reuocationem potest quæstio propter quid, tanquam ad primam causam intrinsecam) seu potius pro ipsa natura, siue essentia rei, quatenus.

tamen

tamen distincte sumitur in formam definitionis more logico resoluta, sic enim assumitur in demonstrationem. Atque hæc est vna ratio, cur Aristoteles addiderit, Vt logice dicam. Altera vero est, vt complecteretur obiecta multarum definitionum, quæ per causam finalem aut efficientẽ traduntur, vt in rebus artefactis, & plerisque naturalibus; quæ etsi apud logicum, hoc est, probabili disputandi ratione vtentem pro veris quiditatibus sumantur, non sunt tamen veræ quiditates, cum aliquid includant, quod non contineatur in essentia rerum, quæ definiuntur. *Obiecta definitionũ precedentium per causas finales & efficientes, non esse veras quiditates. Artefacta ferme definiri per finem.*

τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ τί ἦν εἶναι, ὡς εἰπεῖν λογικῶς. ὃ ἐπ' ἐνίων μέν ἐστι τίνος ἕνεκα, οἷον ἴσως ἐπ' οἰκίας, ἢ κλίνης: ἐπ' ἐνίων δὲ τί ἐκίνησε πρῶτον, αἴτιον γὰρ καὶ τοῦτο: ἀλλὰ τὸ μὲν τοιοῦτον αἴτιον, ἐπὶ τοῦ γίνεσθαι ζητεῖται καὶ φθείρεσθαι, θάτερον δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ εἶναι.

λανθάνει δὲ μάλιστα τὸ ζητούμενον ἐν τοῖς μὴ κατ' ἀλλήλων λεγομένοις, οἷον, ἄνθρωπος τί ἐστι ζητεῖται: διὰ τὸ ἁπλῶς λέγεσθαι; ἀλλὰ μὴ διορίζειν, ὅτι τάδε, ἢ τόδε. ἀλλὰ δεῖ διορθώσαντας ζητεῖν: εἰ δὲ μή, κοινὸν τοῦ μηδὲν ζητεῖν, καὶ τοῦ ζητεῖν τι γίγνεται.

ἐπεὶ

Quæ quidem, vt logice dicam, est ipsum quod quid est; atque in quibusdam est id, cuius gratia, vt in o domo fortasse, aut in lecto; in quibusdam, quod primum mouit, est enim & hoc causa: sed tamen p huiusmodi causa in ipsa generatione, & corruptione quæritur, altera vero in ipso etiam esse.

Latet q autem maxime etiam id, quod quæritur, in iis, quod aliud de alio non dicitur, vt cum quæritur, propter quid est homo, eo quod simpliciter, nec definite dicatur, hæc, aut hoc. Oportet igitur quæstionem corrigere; sin minus commune quippiã fit eius, quod nulla quæstio est, & eius, quod aliqua quæstio.

Cum

o *In domo fortasse*] Fortasse, inquit, quia sæpe artefacta non definiuntur per finem, tametsi ferre soleant definiri per finem, idque vsurpatius, quam naturalia, quia magis perspicuum est nobis ea fieri propter finem.

p *Sed tamen huiusmodi causa*] Sic intelligendus est hic locus, vt omnis causa efficiens quæratur in ipso fieri, non omnis autem in ipso esse; cum interim omnis causa finalis quæratur in vtroque. finis enim rei non solum est causa, cur res fiat, sed etiam cur conseruetur; at causæ efficientes, etsi concurrunt omnes ad generationem effectus, non omnes tamen concurrunt ad eius conseruationem, cuiusmodi fere sunt causæ efficientes particulares; vt patet respectu filii, & faber respectu lecti. Pro qua re lege, quæ diximus lib. 5. cum de huiusmodi causis ageremus, & hoc etiam libro ad caput septimum. *Causam efficientem quæri solum in ipso fieri finẽ etiam in esse. Ad cap. 2.*

q *Latet autem maxime.*] Occurrit obiectioni quæ fieri potest contra illud primum, quod docuit, quæstionem scilicet propter quid non habere locum, nisi cum aliud de alio quæritur: videtur enim falsum esse, cum sæpe fiat quæstio propter quid, in qua non quæratur, cur aliud alii conueniat, sed propter quid sit hoc, aut illud, vt homo, aut domus, aut quid simile. Ait igitur in iis etiam quæstionibus, in quibus aliud de alio non dicitur, hoc est, non expresse dicitur, illud obseruari, vt re vera aliud de alio quæratur, si modo corrigantur, tametsi id ante correctionem lateat, quia simpliciter dicitur, hoc est, quia vnum tantum extremum quæstionis definite proponitur, & alterum indefinite; vt pote exprimendo in particulari hoc, aut hæc, à parte subiecti. Corrigetur autem quæstio, si id, quod indefinite intelligitur à parte subiecti, perspicue ponatur; vt si quæstiones illæ, Propter quid est homo? propter quid est domus? hunc in modum exponantur: Propter quid Socrates; aut materia, & forma hominis; aut caput, manus, thorax, pedes hominis, sunt homo? aut lapides, lateres, & ligna sunt domus? Tunc enim patebit quæri de alio. Quæ vt melius intelligas, aduerte quæstiones huiusmodi, propter quid sit homo, propter quid sit domus, non proponi ab Arist. in eo sensu quasi quærat, cur existentia conueniat homini, aut domui, sed quasi diceret, propter quid aliquid, vel aliqua sint homo, aut dom⁹? Solus enim hic sensus colligitur ex contextu, vt patet ex antecedentibus, & consequentibus. Quæstionibus autem sic propositis, apertum est non definite dici cur hoc, vel hæc sint homo, aut domus; sed indefinite, cur aliquid, vel aliqua; ac proinde non determinate exprimi alterum quæstionis extremum. Hinc fit, vt in quæstionibus propter quid, cum hoc modo proponuntur, lateat, num aliud de alio quæratur. Nam etiam cum idem de se ipso quæritur aliquid de aliquo, aut aliquibus, quæritur. Proinde corrigendas esse huiusmodi quæstiones, definiteque proponenda esse earum subiecta, & in particulari, ne communes sint aptis, & ineptis, id est, ne nõ solum in sensu apto, sed etiã in inepto intelligi possint. Illud etiã aduerte, vbi nos vertimus, Propter quid est homo, haberi Græce ad verbũ, Quid est homo. Verum cum particula [*quid*] sumatur hoc loco pro [*cur*] vel [*vel propter quid*] vt Alexander recte aduertit, quemadmodum sæpe apud Græcos, & Latinos, potius vertendum duximus [*propter quid*] vt fecit Argyropylus; ne occasionem daremus tam multa præter rem comminiscendi, quam multa hoc loco latini interpretes excogitant, vt Aristotelem ad rem, & ad veritatem loqui faciãt de quæstione, Quid est. *Semper in quæstione, propter quid, aliud de alio quæri, etiamsi non exprimatur. Quomodo corrigendæ quæstiones, vt illud aliud exprimatur. Text. 60.*

 r Cum

ἐπεὶ r δὲ δεῖ ἔχειν τε, καὶ ὑπάρχειν τὸ εἶναι, δῆλον δὴ ὅτι τὴν ὕλην ζητεῖ διὰ τί ἐστιν: οἷον, οἰκία ταδί: διὰ τί: ὅτι ταδὶ ὑπάρχει, ὃ ἦν οἰκίᾳ εἶναι. καὶ ἄνθρωπος τοδὶ, ἢ τὸ σῶμα τοῦτο τοδὶ ἔχον. ὥστε τὸ αἴτιον ζητεῖται τῆς ὕλης: τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ εἶδος, ᾧ τί ἐστι: τοῦτο δ' ἡ οὐσία. φανερὸν t τοίνυν, ὅτι ἐπὶ τῶν ἁπλῶν οὐκ ἔστι τις ζήτησις, οὐδὲ δίδαξις, ἀλλ' ἕτερος τρόπος τῆς ζητήσεως τῶν τοιούτων.

Cum r autem & f habere, & existere ipsum esse oporteat; perspicuum sane est de materia quæri, propter quid sit. Exempli causa, ista sunt domus: cur igitur? quia hæc sunt, quod erat esse domui. Et homo cur hoc? aut corpus, cur hoc tale habet? Itaque causa materiæ quæritur; hæc autem est forma, qua aliquid est; hæc vero substantia ipsa. Patet igitur t in simplicibus quæstionem nullam esse, nec vero doctrinam; sed alium earum rerum esse quæstionis modum.

ἐπεὶ u δὲ τὸ ἔκ τινος σύνθετον οὕτως, ὥστε ἓν εἶναι τὸ πᾶν, ἀλλὰ μὴ ὡς σωρὸς, ἀλλ' ὡς ἡ συλλαβή: ἡ δὲ x συλλαβὴ οὐκ ἔστι τὰ στοιχεῖα, οὐδὲ ταὐτὸ τὸ β καὶ α, οὐδ' ἡ σὰρξ καὶ πῦρ, καὶ γῆ (διαλυθέντων γὰρ, τὰ μὲν οὐκ ἔτι ἐστὶ, οἷον, ἡ σὰρξ, καὶ ἡ συλλαβή. τὰ δὲ στοιχεῖά ἐστι τὸ πῦρ, καὶ ἡ γῆ) ἔστιν ἄρα τι ἡ συλλαβὴ οὐ μόνον τὰ στοιχεῖα, τὸ φωνῆεν, καὶ ἄφωνον, ἀλλὰ καὶ ἕτερόν τι: καὶ ἡ σὰρξ οὐ μόνον πῦρ, καὶ γῆ, ἢ τὸ θερμὸν, καὶ ψυχρὸν, ἀλλά.

Quoniam vero u id, quod ex aliquo compositum est, ita ex eo constat, vt totum sit vnum non autem vt cumulus, sed veluti syllaba; syllaba vero x non est ipsa elementa, nec idem quod B. & A; nec caro, ignis, & terra (iis enim dissolutis non amplius illa sunt, caro inquam, & syllaba, cum interim elementa existant, ignis videlicet ac terra) aliquid profecto est syllaba, non solum elementa, vocalis, inquam, & muta, sed etiam aliud quippiam: & caro non solum ignis & terra, calidumve, & frigidum,

r *Cum autem.*] Docet, quid exprimendum sit in quæstionibus, quas dixit corrigendas esse; aitque, exprimendum esse id, quod materiale est: semper enim in eiusmodi quæstionibus quæritur, cur id, quod materiale est, pertineat ad talem, aut talem speciem; veluti, cur lapides, & ligna sint domus? cur hoc, nempe Socrates, aut quiuis alius sit homo? (*nam & Socrates censetur hoc loco aliud ab homine, id est, distinctum ab illo ex natura rei*) cur corpus vitam habeat? & ideo ad eas reddenda est causa formalis; vt lapides, & ligna esse domum, quia sunt, quod quid erat esse domus, id est, quia habent in se formam, siue quiditatem domus; & ita in cæteris. Id quod ex eo probat, quia in eiusmodi quæstionibus supponitur & coniunctio prædicati cum subiecto, & existentia illius, vt ex dictis patet; species autem non conuenit habentibus speciem, & distinctis ab illa ex natura rei, nisi tanquam iis, quæ sunt materialia respectu illius.

f *Et habere.*] Hoc verbo significatur coniunctio prædicati cum subiecto, seu quod prædicatum conueniat subiecto. Sed melius vteretur Aristoteles verbo haberi, loquitur enim de prædicato, quod est ipsum esse, id est, species, siue quiditas.

Quonam modo in substantiis separatis non sint quæstiones & demonstrationes propter quid.

t *Patet igitur in simplicibus.*] Colligit ex dictis, in simplicibus, hoc est, in substantiis separatis à materia, quæstionem non esse, nempe Propter quid, & qua vera principia, & causæ internæ quærantur, neque etiam doctrinam demonstratiuam, quæ per huiusmodi principia, & causas tradatur, (*de hac enim quæstione, & doctrina proximus sermo erat, nec in alio sensu recte colligitur ex dictis consectarium hoc*) sed alium esse modum quærendi, & demonstrandi, cum agitur de substantiis separatis. Vsurpantur enim in earum tractatione quæstiones, An est, & Quid est, & Quale est, interdumque propter quid est, quæ causas externas petat, & doctrina demonstratiua per effecta, aut causas externas, vt patebit ex libro 12. Ratio huius rei est, quia substantiæ separatæ non constant materia & forma, vt per eas tanquam per interna principia possint demonstrari passiones, aut materia per formam; nec constant genere, & differentiis nobis notis, per quæ tanquam per Principia interna affectiones earum demonstremus. Vnde etiam fit, vt neque etiam genus in eis per differentias (quod in aliis facimus) demonstrare possimus. Nam quod per genus non demonstretur differentia (quo pacto per materiam propriam & peculiarem demonstratur forma) in materialibus etiam substantiis apertum est, cum genus latius pateat, quam differentia. Aduerte tamen duobus modis posse aliquid demonstrari à priori, etiam per entitatem intrinsecam de substantiis separatis. Vno, quatenus substantiæ sunt; hac enim ratione conueniunt cum materialibus. Altero, non tanquam per entitatem, quæ sit vere causa, sed aliquid prius nostro intelligendi modo; vt si quis demonstret de Deo esse ens infinitum, quia est actus purus.

Demonstratur interdum fieri vnum simpliciter, interdum secundum quid.

u *Quoniam vero id.*] Vt doceat quiditatem rerum materialium nec esse elementum, nec ex elementis, exponit prius, seu potius innuit, duobus modis fieri vnum ex multis; vno, ita vt id, quod fit, sit vnum simpliciter, quo pacto syllaba fit ex literis, & mistum ex elementis; altero, vt non fit vnum simpliciter, sed secundum quid, quo pacto aceruus lapidum fit ex

lapidi-

lapidibus in vnum locum congestis, nulloque certo ordine dispositis; & populus tumultuarius nullis certis legibus deuinctus. Ex eisdem autem rebus, ex quibus fit vnum secundum quid, potest fieri vnum simpliciter, vt si ex aceruo lapidum fiat paries, aut ex populo tumultuario fiat respublica, aut exercitus. Id tamen solum, quod priori modo fit ex multis, merito vocat Aristoteles compositum ex aliquo, quia quod non est vnum simpliciter, non tam compositum, quam aggregatum dici debet. Aduerte autem, non, quidquid est vnum simpliciter, & absolute, continuo esse vnum ens per se, hoc est, vnius naturæ; potest enim complecti plures naturas non componentes vnam; quo pacto erit vnum per se ordinatum, non autem per se compositum.

Quid proprie dicatur compositum.

x *Syllaba vero non est.*] Alterum præmittit ad rem propositam concludendam; nempe ea, quæ sunt vnum priori modo, non esse ipsas partes materiales duntaxat, quas vocat elementa, sed aliquid etiam aliud: Nam, cum in eo genere totius, dissoluto toto, partes quidem materiales maneant, ipsum vero totum non maneat, necessario efficitur non esse eiusmodi totum partes ipsas absolute sumptas; sed etiam aliquid aliud, quod sit intrinsecum ipsi toti, non extrinsecum; quo pacto locus est extrinsecus aceruo lapidum, qui ratione illius dicitur vtcunque vnum aliquid. Est autem triplex adiunctum illud intrinsecum, quod totum continet præter partes, vt D. Thomas aduertit. Vnum est, ordo, vt in republica, aut exercitu. Alterum, compositio, quæ fit per contactum, vt in contignatione tabularum. Quæ duo sæpe reperiuntur simul, vt in domo, in naui, in syllaba, & aliis huiusmodi. Tertium est, forma substantialis, vt in iis mistis, in quibus formæ eorum, quæ miscentur, pereunt, veluti in viuente, quod ex quatuor vulgatis elementis constat. Nam in cæteris, quale est mulsum, antequam ea, quæ miscentur, corrumpantur, nihil est vltra ea, quæ miscentur, nisi compositio quædam. Atque hinc sumi potest optimum argumentum ad probandum dari formam substantialem in mistis, si ponamus, ea, vt talia sunt, esse substantias. Quod si elementa formaliter manerent in misto, nihil concluderet hæc ratio: diceret enim aduersarius, habere quidem mistum aliquid aliud præter elementa, verum id nihil esse aliud, quam compositionem quandam, qua partes elementorum permiscentur; quemadmodum dicimus de mulso, antequam vinum & mel corrumpantur. Quod si verum esset, non esset vtiq; mistum formaliter substantia, sed substantiarum quædam compositio. Quapropter cum Aristoteles ait, carnem esse non solum ignem & terram, sed etiam aliquid aliud, nominibus ignis, & terræ, non ignem, & terram actu, sed virtute, vt ipse alibi exponit, intelligere oportet.

Quia sunt vnum simpliciter, esse aliquid præter partes materiales.

Dari in mistis formam substantialē.

Obiectio.

Quod si quis contra ea, quæ dicta sunt, obiiciat, etiam aceruum lapidum dispersis lapidibus perire, seruatis interim lapidibus, ergo parem esse rationem in vtroque genere totius: occurrendum est, huiusmodi tota duobus modis spectari posse; vno, quatenus eorum partes sese contingunt, aut propinquæ sunt inuicem; altero, quatenus sunt multitudines quædam. Priori modo multi lapides dicuntur aceruus, & multi homines dicuntur caterua; & quatenus hoc pacto sumuntur, efficiunt vnum simpliciter, nempe ratione propinquitatis partium inter se, quæ propinquitas est intrinsecus quidam respectus aliarum ad alias; vnde non mirum est, si dissipatis partibus pereat totum. Posteriori autem modo multi lapides non dicuntur aceruus, nec multi homines caterua; sed vtrique dicuntur quædam multitudines, quæ quidem esse esse non desinunt, quantumcunque partes disiungantur. Atque hoc posteriori modo sumuntur aceruus lapidum, & caterua hominum, cum dicuntur vnum secundum quid, nempe ratione solius externi loci, non interni respectus propinquitatis aliarum partium ad alias: tametsi absolute & sine adiectione nec aceruus lapidum dicendus est vnum simpliciter, neque hominum caterua; aut aliud simile, quod ratione solius loci, in quo est, dicatur vnum. Ex iis, quæ dicta sunt, colliges numerum non esse vnum simpliciter, nisi quatenus mens ordinem aliquem in vnitatibus constituit; vt 5. lib. diximus.

Solutio.

Numerū non esse quid vnū simpliciter.

c.13.q.4.

λὰ καὶ ἕτερόν τι. εἰ y τοίνυν ἀνάγκη κἀκεῖνο ἢ στοιχεῖον, ἢ ἐκ στοιχείων εἶναι: εἰ μὲν στοιχεῖον, πάλιν ὁ αὐτὸς λόγος ἔσται, ἐκ τούτου γὰρ, καὶ πυρὸς, καὶ γῆς, ἔσται ἡ σὰρξ, καὶ ἔτι ἄλλου: ὥστ' εἰς ἄπειρον βαδιεῖται. εἰ δὲ ἐκ στοιχείου, δῆλον ὅτι οὐχ ἑνὸς, ἀλλὰ πλειόνων, ἢ ἐκεῖνο αὐτὸ ἔσται. ὥστε πάλιν ἐπὶ τούτου τὸν αὐτὸν ἐροῦμεν λόγον, καὶ ἐπὶ τῆς σαρκὸς, ἢ συλλαβῆς: δόξειε z δ' ἂν εἶναι τι τοῦτο, καὶ οὐ στοιχεῖον, καὶ αἴτιόν γε τοῦ εἶναι:

gidum, sed aliud etiam quippiam. Quod si y & illud aut elementum, aut ex elementis esse necesse est; si elementum quidem fuerit, eadem rursus erit ratio; ex hoc enim, & igne, ac terra caro constabit, & insuper ex alio; itaque in infinitum progrediendum erit: si vero ex elemento, palam est non ex vno, sed ex pluribus, quam illud ipsum fore: quare de hoc rursus eandem, atque de carne, aut syllaba, rationem esse dicemus: Videbitur z autem, illud esse aliquid eiusmodi, non elementum, & causa tamen essendi; hoc vero caro esse, illud

εἶναι; τοδὶ μὲν σάρκα, τοδὶ δὲ συλλαβήν, ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. οὐσία δὲ ἑκάστου μὲν τοῦτο: τοῦτο γὰρ αἴτιον πρῶτον τοῦ εἶναι. ἐπεὶ δ' ἔνια οὐκ οὐσίαι τῶν πραγμάτων, ἀλλ' ὅσαι οὐσίαι κατὰ φύσιν, καὶ φύσει συνεστήκασι, φανείη ἂν ποιν καὶ αὕτη ἡ φύσις οὐσία, ἥ ἐστιν οὐ στοιχεῖον, ἀλλ' ἀρχή. στοιχεῖον δ' ἐστιν, εἰς ὃ διαιρεῖται ἐνυπάρχον εἰς ὕλην, διον τῆς συλλαβῆς τὸ α καὶ τὸ β.

syllaba, & in cæteris eodem modo. Atque hoc quidem substantia est vniuscuiusque: est enim prima essendi causa. Cum autem rerum quædam non sint substantia, sed quæcunque substantia sunt, secundum naturam, & natura constitutæ sint: non deerunt profecto, quibus hæc natura substantia esse videatur, quæ quidem non elementum, sed principium est. Est autem elementum id, in quod insitum, vt in materiam res diuiditur, vt A. & B. ipsius syllabæ.

Quiditatem rerum materialium neque esse elementum, neque ex elementis.

y *Quod si & illud.*] Iam probat, quiditatem rerum materialium neque esse elementum, neque ex elementis. Vocat enim quiditatem illud, quod res naturalis habet præter partes materiales, siue elementa. Probatio est, si est elementum, eadem difficultas erit, qua ratione ex illo, & cæteris, quæ primo sumebantur, fiat vnum simpliciter, atque vna substantia; quod si quis assumat aliud elementum ad eam vnitatem efficiendam, eadem redibit quæstio de illo assumpto, quippe cum eadem sit ratio de omnibus: quo fiet, vt, qui adiunctum illud elementum esse dixerit frustra in infinitum progredi compellatur quærendo aliud atque aliud. Si vero non est elementum, sed ex elementis constitutum, (*neque enim fingi potest constare illud ex vno tantum elemento, quia contra rationem partis est, quod Socium non habeat*) cur non à principio dicebatur, mistum constare ex ipsis elementis duntaxat, nec quidquam aliud adiungi oportere, vt illa sint vnum; eadem enim est ratio de vtroque.

Esse substantiam.

z *Videbitur autem illud.*] Docet, quiditatem rerum materialium esse hoc aliquid, id est, substantiam, & primam causam intrinsecam essendi, hoc est, formalem, & sola ratione separabilem. Quod enim sit hoc aliquid, siue substantia, ex eo patet, quia dat esse substantiæ, veluti carnis; quod adeo verum est, vt videri possit nihil interesse inter carnem, & quiditatem carnis: quarum tamen distinctionem Aristoteles agnoscit libro tertio de Anima, capite 4. nosque de ea diximus libro quinto, cum sextum caput exponeremus: tametsi, quod quiditas sit substantia, etsi forsitan vniuerse alicui videatur verum, non ita tamen est. Neque enim res omnes sensibiles, quæ fiunt, substantiæ sunt; (quandoquidem syllaba, & alia pleraque arte confecta non proprie appellantur substantiæ,) sed eæ tantum, quæ secundum naturam, & natura constitutæ sunt, hoc est, naturali ordine, ac forma. Quod vero sit causa formalis, ex eo patet, quia primo dat esse; quiditate enim carnis inducta, tum primum est caro, ea abiecta esse definit, remanentibus interim partibus materialibus, ex quibus caro constabat. Quod denique sola ratione sit separabilis, etsi non expresse dicitur hoc loco, tamen ex iis, quæ Aristoteles ait ad finem capitis satis innuitur. Ex eo enim iterum probat, quiditatem non esse elementorum, quia elementum definitur esse aliquid intrinsecum, in quod vt in materiam res diuiditur, eo pacto, vt post diuisionem permaneat; (*sic enim locus intelligendus est*) quiditas autem non solum non permanet in rerum natura dissoluta re, sed nec subit rationem materiæ; vnde patet, illam sola ratione esse separabilem, vt ipse author dixerat hoc ipso libro, cap. vndecimo, & mox repetet primo capite libri sequentis. Loquitur autem de prioribus duabus conditionibus quiditatis more dubitantis, quia hæc consideratio quiditatis physica est, & quæ potius ad librum sequentem videatur pertinere. Quod si quis obiiciat contra ea, quæ dicta sunt, fieri non posse, vt quiditas sumatur hoc capite tum pro natura rei, tum pro forma substantiali, vt initio diximus; (*nam quiditas misti constaret ex elementis, quod tamen hic videtur negare Aristoteles si recte illum exposuimus, & forma substantialis hominis videretur elementum, cum post resolutionem hominis remaneat*) hunc in modum respondendum est: Aristotelem non sic esse intelligendum hoc loco, quasi dicat, quiditatem mistorum non constare omnino ex elementis, aut aliis quibusuis partibus materialibus: sed non constare ex iis solis, vt ea, quæ sunt vnum secundum quid, siue per aggregationem: quo pacto Democritus, & Anaxagoras res naturales vnum esse putabant. Formam vero hominis, etsi permanet dissoluto homine, non tamen in illam diuidi hominem, vt in partem materialem, seu accipientem esse, sed dantem: quod tamen de aliis formis, quæ pendent in suo esse ab esse totius, non omnino dici potest: vnde fit, vt quodammodo subeant rationem materiæ, non tamen elementi, quia non remanent resolutis compositis. Attamen viri sancti sæpe appellant animam rationalem elementum, eo quod ita sit pars hominis, vt permaneat post mortem; & iterum cum corpore coniungenda sit. Quin etiam ipse Aristoteles, sumpto elementi nomine pro quauis parte intrinseca, nonnunquam formas omnes substantiales comprehendit, vt lib. 5. diximus, cum de elemento ageretur.

text. 9 & 10.

Esse causam formalem.

Esse sola ratione separabilem.

text. 37.

text. 3.

Obiectio, non videri hic sumendam quiditatem tum pro natura rei, tum pro forma substantiali.

Diluitur.

Animam rationalem interdum dici elementum.

c. 3. q. 2. sect. 1.

Num

Num totum ab omnibus simul partibus re ipsa distinguatur.

QVÆST. VNICA.

De quo genere totius hæc quæstio præcipue intelligatur, quidque de cæteris dicendum sit.

SECTIO I.

OCCASIONEM nobis præbet hoc loco Aristoteles hanc quæstioné tractandi, cum non semel dicat totum non esse elementa, hoc est, partes, ex quibus constat, sed præterea aliquid aliud; vbi plane distinguit totú non solum ab vtraquaque eius partium, sed etiam ab omnibus, eo quòd pereunte per dissolutionem toto, non singulæ modo partes, sed etiam omnes permanere possint. Verum, quia multiplex est totum, & corú quodque peculiares sibi partes vendicat; vidédum est primum, de quo genere totius quæstio præcipue intelligatur; deinde, quid de cæteris dicendum sit; postremo expendetur præcipua quæstionis difficultas, quæ de reali distinctione totius ab omnibus partibus simul sumptis proposita est.

Quinque genera totius. Cum ergo quinque sint genera totius, vnum essentiale physicum ex materia & forma compositum, alterum essentiale metaphysicum, constans genere, & specifica differentia, aut specie, & differentia indiuiduante; tertium integrale ex partibus intensionis aut extensionis similaribus, aut dissimilaribus constitutum; quartum vniuersale, quod complectitur prædicationis suæ ambitu plures partes subiectas, quintum potentiale, seu virtuale, continens in seipso, non actu tamen, sed virtute, plures facultates: Aristoteles in hoc capite de solo toto primi generis loquitur, nec id quidem comparatione materiæ, & formæ, sed quatenus confertur cum partibus materialibus, si ex pluribus constitutum esse dicatur, vt mistum ex elementis, quemadmodum diximus in expositione contextus.

De solo physico essentiali. Verum nos, quia distinctio realis totius physici à partibus materialibus simul sumptis perspicua est; continet enim præter partes materiales formam substantialem, quam veteres non agnoscebant, quæ forma re ipsa distinguitur ab omnibus materialibus partibus simul acceptis: id solú discutiemus, num totum physicum re ipsa distinguatur à materia, & forma simul sumptis. Nam quod ab vtraquaque per se hoc pacto distinguatur, luce clarius erat: cum distinguatur à materia inclusione formæ, & à forma inclusione materiæ. Accedit illud Aristotelis in 1. Physicorum, cap. 2. si totum compositum idem esset re ipsa cum parte vna, idem quoque re ipsa esset illa cum quauis altera: quandoquidem quæ sunt eadem vni tertio, eadem inter se sint necesse est, eo modo, quo illi sunt eadem quod pronuntiatum in omnibus rebus creatis valet, in quibus solis totius, & partium distinctio locum habet. *Tex. 17.*

Quid dicendum de toto essentiali metaphysico. Vt igitur nos à cæteris totius generibus, de quibus obiter agimus, breuiter expediamus: quod quidem attinet ad totum essentiale metaphysicum, facile ex dictis colligi potest, illud nec ab omnibus simul partibus, neque etiam a singulis re ipsa distingui. Omnia enim genera, & differentiæ, quæ de vnoquoque indiuiduo essentiali prædicatione dicuntur, sunt vna & eadem res cum quouis indiuiduo, de quo sic prædicantur, soloque graduum essentiæ illius discrimine inter se distinguuntur, vt superius ostensum est: quod si genera, & differentiæ omnes cuiusque indiuidui sunt eadem res cum quouis indiuiduo: ergo & inter se. Ita sit, vt homo idem re ipsa sit & cum animali per se, & cum rationali per se, & cum vtroque simul; eodemque modo Socrates & cum homine, & cum differentia sui constitutiua: atque ita in cæteris. Sed inferius dicetur, si quid hoc loco de distinctione huius generis totius a suis partibus desideratur. *c. 12. q. vnica. sect. 1. & sequentibus.*

Quid de integrali. Quod autem attinet ad totum integrale, dicendum est, illud à singulis partibus re ipsa distingui, non item ab omnibus simul sumptis, sed esse idem prorsus re ipsa atque omnes simul acceptas. Nam quod re ipsa distinguatur à singulis, ex eo patet, quia ratione cuiuslibet earú, quæ vel mente designetur in continuis similaribus, vel sine designatione sit actu ab aliis distincta, vt in discretis, & continuis dissimilaribus, vt dissimilaria sunt, totum re ipsa plus realitatis habet, quam qualibet alia pars per se sumpta, vt inductione perspicuum est. Atque hac ratione in hoc genere totius præcipue intelligitur illud commune effatum, *Omne totum est maius sua parte*. Quod autem non distinguatur re ipsa ab omnibus simul sumptis, ex eo probatur, quia totum continuum similare ante omné operationem intellectus, qua partes actu distinguantur, non est, nisi vnum quippiam actu, cum nulla tunc sit actualis partium distinctio, vt eo pacto dici possit distinctum ab illis tanquam à multis actu: totum autem discretum, totumque continuum dissimilare, vt dissimilare est, iam ante omnem operationem intellectus est plura quædam actu, neque alia; *&*

con-

constat) nisi partes ipsæ actu distinctæ, ex quibus nulla entitas vera resultat, vt realitate sua ab illis distingui possit: quod ex iis, quæ diximus ad caput 4. & 13. libri quinti, perspicuum est. Quod si de distinctione rationis, seu puræ considerationis sermo sit, dicendum erit, totum continuum similare, siue illud permanens sit, siue successiuum, etsi ante operationem intellectus nullo modo distinguatur à suis partibus simul sumptis, quia nullæ sunt designatæ, distingui tamen à designatis per intellectū, quia designatio est de ratione partium designatarum, non autem de ratione totius. Quod idem dicendum est de toto intensiuo, quod ad totum continuum similare reducitur; secus vero res habet in toto discreto, aut continuo dissimilari, vt dissimilare est, quia vt actualis distinctio est de ratione eiusmodi partium, ita & de ratione vtriusque generis totius, tametsi vtrumque totum aliquid addit distinctioni partium quo secundū quid dicatur vnum, cuius additi ratione multa attributa dicuntur de toto, quæ non dicuntur de partibus simul sumptis; & vice versa multa de partibus sic sumptis, quæ non dicuntur de toto, vt quod partes componant totū, totum vero componatur ex partibus; neq; enim totum componitur ex toto, aut partes componunt se ipsas.

q.3. Maxime q.12. sect.5.

Quid si sermo sit de distinct. rationis.

Eandem esse rationem de toto intensiuo.

Quod vero attinet ad totum vniuersale, si illud quidem essentiali prædicatione dicatur de partibus subiectis, iam in secundo genere totius explicando patuit illud esse idem re, non modo cum omnibus eiusmodi partibus simul sumptis, sed etiam cum singulis separatim. Quod si dicatur accidentali prædicatione, aliquando quidem erit idem re & cum omnibus, & cum singulis seorsim: nempe cum forma, quæ significabitur per prædicatum, fuerit idem re cum subiectis; quo pacto se habet figuratum respectu quantitatum, quæ figuratæ sunt, & relatum respectu eorum, quæ fundamentaliter referuntur; aliquando vero re ipsa distinguetur, cum videlicet forma significata per prædicatum fuerit re ipsa distincta à subiectis: quo pacto album se habet ad cygnum, & niuem; semper tamen totum vniuersale dicendum est esse ratione, imo & ex natura rei diuersum à suis particularibus, si de hac distinctione sit quæstio, vt etiam patet ex iis, quæ superius disputata sunt.

Quid de toto vniuersali, non essentiali.

Quod demum attinet ad totum potentiale, seu potius virtuale: nostra quidem, communiorique, ac multo grauiorum authorum sententia, dicendum est, illud neque esse idem re cum singulis partibus virtutis, seu potestatis; nec cum omnibus simul, quia facultates, quibus substantiæ operantur, sunt omnes re ipsa distinctæ ab earum essentiis, vt sæpius libro 5. diximus, tametsi Scotus, & alii nonnulli oppositum sentiunt.

Quid deniq. de toto potentiali.

Vide q.2. q.& sect.3. & 5.

Opinio eorum, qui dicunt, totum physicum non distingui re ipsa à materia, & forma simul sumptis.

SECTIO II.

VT ergo veniamus ad totum physicum comparatione materiæ, & formæ, (*quod præsentis instituti est*) Nominales ferme, Durandus, Paludanus, & multi recentiores existimant illud non distingui re ipsa ab eiusmodi partibus simul sumptis; sed esse omnino cum illis hoc pacto demsi quod etiam nonnulli iuniores Thomistæ D. Th. placuisse volunt, & ad Alexandrum Aphrodisiensem, aliosque Græcos Aristotelis expositores, Aristotelemque ipsum referunt; quod item Patres sensisse existimant.

Authores huius sent. Dur. in 3.d.2.q.2. Æg. ad 1 Ph c.2. Greg. in 1.d.24.q.1.a.1. Palud. in 3.d.1.q.1. Niph. hoc lib. q.19. & recētiores ad c.2. lib.1 phys.

Ac Aristotelem id voluisse probant ex initio secundi libri de Anima, vbi ait, vt pupilla, & aspectus est oculus, ita anima, & corpus est animal: quod non diceret, si animal non esset idem re ipsa cum anima, & corpore. Idem colligunt ex primo Physicorum, capite secundo, vbi Aristoteles eo pacto loquitur de hac quæstione, vt in affirmatiuam partem omnino videatur inclinare; nec dubitet Auerrhoes eodem loco, & alibi sæpe, illum in eum sensum exponere: qua in expositione videtur Græcos etiam enarratores sequutus. Diuum autem Thomam idem sensisse probant ex 4. contra Gent. c.81. vbi sic ait: *De humanitate vero non est intelligendum, quod sit quadam forma cōsurgens ex coniunctione formæ ad materiam, quasi realiter sit alia ab vtroque*: & alia plura in hanc sententiam.

c.1. tex.10.

tex.17.

Vt hoc lib. com.20. & 44.

Idem quoq; voluisse asserunt Athanasium in Symbolo, cum dixit: *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus*. Itemque August. num.7. de Trinitate: *Homo*, inquit, *nihil est aliud, quam anima, & corpus*: quod idem passim apud alios Patres inuenire licet. Accedit illud Dionysii de cœlesti Hierarchia: *Mors in nobis*, inquit, *non est substantiæ consumptio, sed vnitorum separatio*: quod verum non esse aiunt, si totum esset tertia entitas, quæ in morte periret.

cap.4.

cap.2.

Afferunt etiam complures rationes pro hac quæstionis parte. Earum potiores hæ sunt, quas nos etiam, quantum poterimus, faciemus probabiliores.

Prima est. Si totum physicum distingueretur re ipsa à materia, & forma coniunctis, posset

Rationes pro eadem.

posset illud diuina virtute ab eis separari, aut saltem impediri in ipsa generatione, ne ex earum coniunctione resultaret; vt impedita est personalitas humanæ naturæ propria in ipsa formatione humanitatis Christi Domini: possetque separari quæcunque personalitas suppositi creati, vt eius natura ad subsistentiam diuini suppositi assumeretur, quod omnes Theologi concedunt; at totum separari a suis partibus, etiam diuina virtute, nemo dicat.

Secunda. Totum physicum nullam realitatem substantialem addit materiæ, & formæ coniunctis, sed solam coniunctionem, quæ vel est relatio, vel modus essendi purus, quem habent partes coniunctæ diuersum ab eo, quem habebant disiunctæ; non distinguitur ergo re ipsa ab his partibus simul coniunctis, nisi accidente quodam, aut modo essendi puro ipsarum partium, cum tamen hæc quæstio intelligatur de distinctione reali substantiali, quamquam nec relatio, nec modus essendi purus distinguitur realiter à partibus coniunctis, vt eius ratione totum dicatur realiter ab eis distingui.

Tertia sit. Materia coniuncta cum forma non est iam pura potentia, sed ens actuatum; cum igitur quicquid aduenit enti in actu, sit accidens, non substantia, vt Aristoteles sæpe numero asserit; non est vtique totum physicum substantia, sed accidens, si est re ipsa distinctum à materia, & forma coniunctis, & iis sic coniunctis aduenit.

Vt 1. Metaph. t. 4 ad finem & hoc lib. c. 13. text. 4. & 1. de generat. t. 1. text. 1.

Quarta. Totum integrale, siue integrum non distinguitur re ipsa à suis partibus integrantibus simul sumptis, vt probatum est; ergo nec totum physicum: nulla enim videtur disparitatis ratio in vtrisque: præsertim cum totum integrale sit compositum ex partibus re ipsa diuersis, quemadmodum totum physicum, tametsi modo alio, vt dictum est vt lib. 5.

Ad c. 26.

Quinta. Si quo argumento ostenderetur totum physicum esse aliud re ipsa à materia, & forma coniunctis, illo maxime concluderetur, quia totum physicum est vnum ens per se, materia vero, & forma, etiam coniunctæ, sunt plura entia per se, nec videntur esse vnū aliquid, nisi per accidens, nempe per coniunctionem alterius cum altera per modum informationis: at re vera materia, & forma, quatenus coniunctæ sunt, non sunt plura, sed vnum, alioqui non magis vnum essent cōiunctæ, quam disiunctæ, quod dici nullo modo potest: nulla igitur ratione ostendi potest, illud esse re ipsa distinctum à materia, & forma simul inter se vnitis.

Sextam hunc in modum desumant ex diuino Incarnationis mysterio. Si totum physi-

A cum re ipsa distinctum esset à materia; & forma, ex earumq; coniunctione resultaret, non dubium esset, quin Verbum diuinum dimisisset in morte naturam humanam, quam in Incarnatione suscepisset, cum in triduo mortis forma Christi humana ab eius materia separata sit; at Theologi communi assensu approbant illud Damasceni, nihil assumpsisse Verbum diuinū in Incarnatione, quod postea dimiserit; non distinguitur ergo, &c.

3. de fide c. 3. & 26. & lib. 4. c. 1.

B Postremo pugnat pro hac parte commune illud argumentum, non esse res multiplicandas, vbi non est necesse.

Verior sententia de distinctione reali totius physici à materia, & forma simul sumptis.

SECTIO III.

C Qvanquam vero hactenus proposita, & confirmata opinio suam habet probabilitatem: tamen opposita multo est probabilior, non solum, quia D. Th. Scoti, & aliorum complurium grauium Doctorum authoritate nititur; sed etiam, quia fortioribus rationibus concluditur: nec dubitamus eam fuisse Aristotelis, aut † veteres eius interpretes eam sibi persuasisse; aut certe in eam pedibus ituros fuisse, si vt est diligentius à recentioribus D discussa, sic illis proposita esset; quod idem de Patribus sentire rationi consentaneum est. Certe D. Th. in 3. sententiarū & in 3. suæ* summæ parte aperte ait, Verbum diuinum assumpsisse humanitatē resultantem ex vnione formæ cum materia. Quod autem ille contra videtur dicere loco citato ex 4. libro contra gentes, sic intelligendū est, quasi dicat, totum non ita consurgere ex coniunctione formæ cum materia, quasi sit res quædam ab illis omnino E diuersa, vt sunt qualitates propriæ emanantes ab essentia, quam illę cōstituunt, aut vt forma à materia; quo pacto illum præcipui eius enarratores exponunt.

*Autores affirmatiua & veriorus sent. D. Th. in 3. d. 2. q. 1. a. 3 Item 3. p. q. 6. ar. 5. ad 3 & alijs locis. Scot. in 3. d. 2. q. 2 Capr. ead d. Ferrar. 4. cōtra gent. c. 81. Caiet. ad 3. p. q. 6. a. 5. Argent. in 2. d. 15. q. vn. a. 4 Heru. quodl. 2. q. 14 † Vide Auerr. hoc lib. com. vlt. & lib. 5. com. 6. & 3. de anima cō. 5. * Locis citat. Lege Ferr. ad eū locum.*

Esse autem eam Aristotelis, cum ex hoc ipso capite, tum ex cap. 6. libri sequentis, tum vero ex cap. 1. libri 2. de Anima, licet intelligere. Nam hoc loco plane docet, totum (*loquitur autem de toto, quod constat ex partibus re ipsa diuersis*) non esse solas partes, sed F etiam aliquid aliud, hoc est, non solum includere partes ipsas, sed esse quippiam resultans ex earum coniunctione: verbi causa, syllabam BA (*quam more suo accipit pro ente naturali, non quoniā tamen, sed mist.*) non est solum B. & A, sed compositum resultans ex coniunctione B. cum A, id est, non esse sola elementa sed compositum quippiam resultans ex

text. 6. text. 15. text. 2.

elementorum coniunctione per formam substantialem misti: quod idem ostendit in carne. Et quanquam sumit partes pro partibus materialibus distinctis re ipsa, vt diximus in expositione contextus; tamen eadem ratio est de quibuscunque partibus realiter constituentibus essentiam entis materialis. Libro autem sequenti perspicue scribit, totum (*intelligit autem plane totum physicum*) non esse veluti aceruum, hoc est, res plures nulla vnione coniunctas, sed aliquid præter illas. Si ergo Aristoteles sentit totum physicum esse substantiam quandam resultantem ex materia, & forma, non est, cur dubitetur, sensisse illum distingui reipsa huiusmodi totum à materia, & forma coniunctis. Coniunctio enim quoddam accidens est, aut modus essendi purus, non substantia: coniunctio autem materiæ, & formæ non resultat ex earum coniunctione, sed substantia, & natura entis realis. Denique in citato loco librorum de Anima distinguit tria genera substantiarum, duæ incompletæ naturæ, quæ sunt materia, & forma; & tertium naturæ completæ ex vtriusque coniunctione per se resultans: quod autem per se resultat ex aliquorum coniunctione, non realiter est ipsa coniuncta. Potest etiam sententia hæc his argumentis confirmari.

Rationibus probatur.

Primum (*quod iam in 5. superioris opinionis ratione tanquam præcipuum huius sententiæ fundamentum tactum est*) ex his ipsis locis sic desumi potest. Totum physicum est vnum ens per se: materia, & forma, etiam vt coniunctæ, sunt plura entia per se: non sunt igitur idem reipsa, seu eadem res, huiusmodi totum, ac materia, & forma coniunctæ. Neque efficit quicquam responsio ab aduersæ partis authoribus ibi allata, cum aiunt, materiam, & formam disiunctas esse plura entia per se, coniunctas autem iam non esse plura entia per se, sed vnum per se. Nam etsi aliud est materiam, & formam esse coniunctas, aliud disiunctas, totum tamen physicum, quod vere vnius naturæ substantialis est, non significat earum coniunctionem, neque illas vt coniunctas; sed naturam substantialem per se vnam ex earum coniunctione resultantem.

Reijcitur aduersar. responsio.

Secundum, quod tandem eodem redit, huiusmodi sit. Nulla res eadem se ipsam componit: materia, & forma coniunctæ componunt totum physicum: (*neque enim disiuncta illud constituunt*) non sunt igitur, etiam vt coniunctæ, eadem res, quæ totum physicum. Neque obiicias, milites, vt certo ordine coniunctos, componere exercitum, & simul etiam esse realiter ipsum exercitum; eodemque modo lapides, & cæteras partes domus in formam

Obiectio.

A domus dispositas componere domum, & tamen domum non esse aliud realiter ab illis in eam formam redactis. Nihil enim est ad rem obiectio. Nam nec domus, nec exercitus, nec res vlla artificiosa puro motu locali (*vt alterationem excludamus*) ex pluribus rebus composita est alicuius vnius veræ entitatis, siue naturæ, quæ ex illarum qualicunque coniunctione resultet, vt est totum physicum: quod idem dicendum est de quocunque

Solutio.

B alio composito per accidens, vt de homine albo, aut equo indomito: nisi quod artificiosæ res dicuntur simpliciter, & absolute vnum aliquid, quia sunt per se ordinatæ in se ipsis; cætera vero composita per accidens, quia non sunt per se ordinata, sed vt forte accidit, coniuncta, non dicuntur simpliciter, & absolute vnum quid.

Tertium Si homo V.' .non esset res alia ab eius materia, & forma coniunctis, dici non

Nisi totum distinguatur, &c. non posse dici hominem generare hom. in.

C posset homo generare hominem: cum hoc igitur sit absurdum, illud quoque absurdum sit necesse est. Propositio ex eo patet; quia homo non generat materiam, neque item formam, vt patet, nec denique ipsam earum coniunctionem, aut conflatum aliquid ex materia, & forma, & earum coniunctione, quam aut relationem, aut modum essendi purum vtriusque esse diximus, id enim quod generatur substantia est: nisi ergo genitus homo sit

D res alia ab eius materia, & forma coniunctis, dici non potest ab homine generari.

Huic argumento occurri potest, hominem generare hominẽ nihil aliud esse, quam per dispositiones materiæ formam humanam cum propria eius materia coniungere, vt patet ex iis, quæ superius dicta sunt: quanquam igitur homo genitus non sit tertia quædam res à materia, & forma simul iunctis distincta; adhuc tamen verum est hominem ab ho-

Responsio.

c. 12. q. vnica sect. 6.

E mine generari: sed nihil conficit obiectio. Aliud est enim loqui de actione, aliud de actionis termino tam partiali, quam totali. Quanquam igitur hominis actio in generando homine nulla sit alia, quam actio disponendi materiam; tamen eius dispositionis terminus totalis est ipse homo genitus, qui resultat ex coniunctione formæ humanæ cum humana materia: tametsi terminus partialis propter excellentiam humanæ formæ à

Refellitur.

F solo Deo efficienter causetur; cum tamen in generationibus aliorum entium naturalium vterque terminus accipiat effectiue esse à generante, cuius virtute educitur è potentia materiæ.

Postremo loco confirmari potest hæc sententia ex Athanasio à D. Thoma relato: *Maledictus*, inquit, *qui totum hominẽ, quem assumsit Dei*

3 p. q. 50. a. 3.

ipse Dei filius, denuo assumptum, vel liberatum tertia die à mortuis resurrexisse non confitetur. Ex qua sententia colligit D. Th. non fuisse denuo partes humanitatis Christi tunc assumptas, *(eas enim nunquam dimiserat)* sed totalitatem naturæ assumptæ, quæ in morte dissoluta erat. Ita patet, quam vera, quamque rationi consentanea sit hæc sententia, quæ etiā solutione argumentorum oppositæ magis confirmabitur.

Solutio argumentorum opposita sententia.

SECTIO IV.

Explicantur Arist. & sanctorum loca.

AD ea igitur, quæ ex Aristotele, & aliis referuntur pro opposita sententia dicendum est, cum Aristoteles in lib. de Anima citato comparat oculum cum toto animali, oculum accipi, quatenus est instrumentum videndi: sic enim oculus constat pupilla, & facultate videndi, quæ est in animali viuente, quemadmodum animal constat anima, & corpore. Verum, quia exempla non in omnibus similia esse possunt, in eo differt oculus à toto animali, quod pupilla habens facultatem videndi est compositum per accidens, ac proinde non vnum per se ens, sed multa simpliciter; animal autem est compositum per se, ac proinde vnum per se ens, non simpliciter multa entia. Cum autem 1. Physicorum videtur inclinare in partem non distinguentem totum à partibus simul iunctis, tenereque esse illud suas partes simul vnitas, sensum esse causalem, quo sæpissime non modo ipse, sed plurimi alii præsertim grauiores autores vtuntur, in quib⁹ numerandi sunt Athanasius, & Augustinus in locis citatis, itemq; Dionysius, cum ait mortem hominis non esse substantiæ consumptionem, sensus enim est, neutram hominis partem qua substantia eius cō stituitur, perire in eius morte; quod contra eos dictum est, qui putant animam humanam cum corpore viuente simul extingui

Cur totum nec seiungi queat à suis partib. nec impediri, ne ab earum cō iunctione resultet.

Ad primam vero rationem neganda est illa consequentia: Totum est re ipsa distinctum à suis partibus simul sumptis: ergo potest ab illis separari, aut certe impediri, ne ex earum coniunctione resultet. Nam quia totum ita distinguitur realiter à suis partibus vt illas tamen includat, non efficitur, vt possit illud à partibus seiungi, non solum ab omnibus, sed ne à singulis quidem; vt autem impediatur, ne resultet ex earum coniunctione, propterea fieri non potest, quia totum physicum est effectus formalis suæ formæ quatenus ab illa causatur; at effectus forma-A lis nulla ratione impediri potest posita forma in materia, subiectove, quo pacto posita albedine in corpore nulla potestate fieri potest, vt corpus non sit album, hoc est, albedine affectum. Alia ratio est in personalitate respectu humanæ naturæ, etiam singularis, cum ad eius constitutionem non pertineat, vt patuit lib. 5. vbi diximus, illam esse terminum naturæ singularis, non aliquid, ex quo constituatur. Adde, minus pendere vnum correlatiuorum ab altero, cum ex illo non constet, B quam totum a partibus, ex quibus compositum est; & tamen cum realiter distinguatur, communem sententiam esse non posse alterum sine altero existere. *c.8.q.6 sect.4.*

Lege Ferrar. 4. contra Gent. c. 81.

Tres modi quib. potest aliquid ab alio distingui realiter.

Pro solutione secundæ rationis notanda est illa approbatæ sententiæ autorum distinctio, qua dicunt tribus modis aliquid ab alio posse realiter distingui. Vno, si tota essentia vnius sit realiter distincta ab essentia alte-C rius, quo pacto se habent Alexander, & Bucephalus, Socrates, & Plato. Altero, si vnum includat aliquid realiter à se distinctum, quod alterum non includit; qua ratione distinguitur homo à suo corpore, quia includit animam realiter à se distinctam, quam corpus non includit, & vicissim distinguitur ab anima, quia includit corpus, quod illa minime includit. Tertio, si vnum sit res aliqua per se vna: alterum vero, vel potius alia sint D plura entia simul sumpta, & realiter distincta inter se, etiamsi hæc ad illius compositionem pertineant. Et quamquam difficile sit tradere in commune, quid sit realiter distingui, libro tamen 5. explicauimus, quid de eo distinctionis genere quam probabilissime dici possit, ne omnem distinctionem ex natura rei siue quæ ab operatione intellectus non pendet, dicamus esse realem, quod nonnulli faciunt contra consuetudinem Aristotelis, & o-E mnium Peripateticorum, qui actionem, & passionem, & alia plurima, quæ ante operationem intellectus inter se distinguuntur, negant esse realem. *c.6.q.6.sect.1*

Tertio ex his modis totum distingui à partibus.

Ad secundam igitur rationem dicendum est, totum physicum non distingui à materia & forma simul sumptis per aliquam realitatem adiunctam materiæ, & formæ, ex qua etiam ipsum componatur, sed se ipso, suaque totalitate substantiali, quod erat tertium genus F distinctionis proxime propositum: distinguitur enim ab illis tanquā ens per se vnum substantiale, atque completum a pluribus entibus substantialibus, & incompletis. Nam illud ratione vnius distinguitur realiter ab altera: cur non etiam ratione sui ipsius realiter distinguetur ab vtraque.

Ad tertium sic respondendum est, si to-

tum adueniret materiæ actuatæ per formam substantialem, aut enti actuali per se subsistenti, quale ens putabant veteres Physici esse materiam, esset vtique accidens, vt recte probatum est ex Aristotele: at totum non aduenit materiæ actuatæ per formam substantialem, quasi secunda forma, quæ illis adiungatur, sed ex illis ipsis componitur, & ex earum coniunctione resultat.

Diuersa ratio inter totum physicum, & integrale.

Ad quartum dices, non esse parem rationem in toto physico, atque in toto integrali. Nam etsi in toto integrali ante operationem intellectus est aliqua realis distinctio partium (*in discreto quidem actualis, in continuo autem homogeneo, siue similari potentialis; quam ob causam potentialem distinctionem inter distinctiones reales libro 5. numerauimus*) tamen partes totius discreti, & similiter totius continui heterogenei, vt tale est, non constituunt vnum ens per se, seu vnius veræ essentiæ: partes autem totius continui homogenei, quod est vnum ens per se, etsi modo aliquo distinguuntur realiter inter se, tamen non distinguuntur actu, sed potentia, tanquam entia quædam, cum interim materia, & forma non solum constituant vnum ens per se; sed etiam actu inter se distinguantur realiter tanquam vera entia. Vnde nil mirum, si totum physicum distinguatur realiter sua realitate per se à materia, & forma coniunctis; non autem totum integrale à suis partibus integrantibus.

6. q. 6. sect. 2.

Materia, & forma vnita tantum causaliter sunt vnum.

Ad quintam dicendum, illud ipsum argumentum, quod reprehenditur, esse aptum, & efficax: sed falsum esse, quod additur, materiam scilicet, & formam coniunctas esse vnum aliquid; nisi id intelligatur in sensu causali, quia nimirum sunt causæ cōponentes ipsum totum, quod est per se vnum: neque vllius momenti esse probationem illam: Non sunt vnum coniunctæ: ergo non magis sunt vnum coniunctæ, quam disiunctæ. Si enim, qui sic argumentantur, loquuntur de vnitate per se, etsi recte concludunt, tamen non recte addunt id dici nullo modo posse: nam materia, & forma simul iunctæ non sunt vnum per se, nisi in sensu causali, vt dictum est. Si vero loquuntur de quauis vnitate, non recte concludunt; siquidem materia, & forma, vt coniunctæ, sunt vnum per accidens ratione vnionis & modalis, & relatiuæ; quam vnionem non habent, cum disiunctæ sunt.

Verbū diuinum in resurrect. assumpsisse de nouo humanitat. Proxima sect.

Ad sextam fatemur cum Athanasio, & D. Thoma in locis superius citatis, Verbum diuinum assumpsisse de nouo in resurrectione totalitatem naturæ humanæ, quæ in eius morte dissoluta erat, cum in triduo mortis Christus Dominus homo esse desiit, vt Theologi communi vsu loquuntur. Illud autem Damasceni intelligendum esse de partibus integris per se pertinentibus ad constitutionem humanæ naturæ, vt superius etiam explicatum est: id quod propterea dixit Damascenus, ne corpus Christi Domini in sepulchro ab anima relictum, à diuino etiam Verbo dimissum esse crederetur.

D. Th. 3. p. q. 50. ar. 4. & alij doctores in 3. d. 22.

Ad vltimam dicendum, cum vnum per se, & multa per se, sint attributa repugnantia, inde oriri necessitatem asserendi totum physicum esse aliud realiter a materia, & forma simul sumptis: neque enim res eadem potest simul dici vnum ens per se, & multa entia per se. Et quanquam non desunt, qui contendant satis ad hoc incommodum vitandum videri, si totum physicum dicatur esse aliud ex natura rei à materia, & forma simul sumptis, etiamsi non dicatur aliud realiter ab eis, distinctio tamen realis harum partium inter se, & causalitas earum realis in totum ipsum, maiorem arguunt distinctionem inter totum, & partes, quam ex natura rei, vt huiusmodi totius à partibus distinctio non solum dicenda sit independens ab operatione intellectus, sed etiam realis. In metaphysica tamen compositione speciei ex genere, & differentia, indiuiduique ex specie, & differentia indiuiduante, perspicuum est satis esse distinctionem ex natura rei inter totum constitutum, & constituentia simul sumpta, non solum quia partes metaphysice componentes non sunt res diuersæ; sed etiam, quia earum coniunctio non fit per actionē vllam realem, vt fit coniunctio physica. Nulla enim actio realis efficere potest, vt animal V. G. fiat rationale, aut rationale fiat animal, cum hæ connexiones sint necessariæ, ac perpetuæ. Quod si quis obiiciat id, quod Aristoteles ait, Petitionem esse principii sumere definitionem ad probandū aliquid de definito, aut definitum ad probandum quid de definitione: ergo speciem, quæ definitur, & genus cū differentia, per quæ definitur, non solum non distingui realiter, verum neque ex natura rei, sed sola consideratione nostra: hoc modo respondendum. Non ideo Aristotelem numerare inter vitia petitionis principii (hoc est, eiusdem ad idem probandum) vsum definitionis ad concludendum aliquid de definito, aut contra, quia obiectiui conceptus vtriusq; non distinguantur ex natura rei; & genus cū differentia non sint ante operationem intellectus priora, & notiora notitia distincta, quam species; præsertim cum ea consuetudo passim vsurpetur in demonstrationibus: sed quia apud eos, quibus cum disputamus, si rei propositæ definitionem teneant, perinde læ-

Cur non sit satis distinct. ex natura rei inter totum phys. & ipsius partes cum sit satis in metaphysico.

Obiectio. 8. Top. cap. 5.

Responsio. Cur Arist. numeret inter vitia petitionis principii vsum definitionis, &c.

de sæpissime est vti definitione ad aliquid suadendum, atque vti definito; quod illi dicere possint, æque sibi notum esse definitum, atq; eius definitionem, vti diximus in dialecticis institutionibus.

Lib. 8. c. 13.

Num totum & physicum & metaphys. sit essenti aliter diuersum à suis partibus? item, an diuersam habeat existentiam?

Quærat demum hoc loco aliquis de toto tam physico, quam metaphysico, sitne essentialiter diuersum à suis partibus simul sumptis? Itemque, num habeat existentiam ab existentiis illarum diuersam? Ad quarum dubitationum priorem dicendum, si nomine diuersorum essentialiter intelligantur ea, quæ ita inter se affecta sunt, vt alterum aliquid essentiæ, entitatisve includat, quod alterum non includat, vt homo & equus, homo & animal, non esse tota, de quibus est sermo, diuersa essentialiter à suis partibus simul sumptis, vt ex dictis perspicuum est: si vero intelligantur ea, quæ sunt essentiæ quædam, entitatesve diuersæ inter se, esse illa diuersa essentialiter: tametsi hæc posterior locutio sine explicatione vsurpanda non est; quia si proprie loquamur, diuersa essentialiter aut sunt primo diuersa, vt genera summa, & oppositæ differentiæ diuidentes genera in species, speciesve in indiuidua, aut certe sunt differentia. Differentia autem sunt, quæ cum in attributo aliquo vniuocæ naturæ conueniant, nihilominus inter se differunt. Itaque vt proprie loquamur, vnumquodque totum horum duorum generum differt à suis partibus simul sumptis, vt vna quædam essentia, & entitas à pluribus essentiis, ac entitatibus, ex quibus ipsum essentialiter coalescit. Quod si quis quærat, cur ergo in

Resolut. prioris dubii.

A definiendo toto physico tria quædam adhibeantur, nempe compositum, & materia, ac forma; (*dicimus enim, hominem, verbi gratia, esse compositum quoddam ex corpore recto, & anima rationali*) in definiendo autem toto metaphysico duo tantum vsurpemus, genus scilicet, & differentiam, vt cum dicimus, hominem esse animal rationale? respondendum hoc modo est; Causam huius rei esse, quia in definitione physica materia, & forma simul

B sumptæ declarant differentiam, quæ adhibetur in definitione metaphysica. Itaq; in vtraque cernere est duo tantum attributa, quorum alterum genus est, alterum differentia, alio, & alio modo significata.

Ad posteriorem dubitationem dicendum, aliam esse existentiam totius tum physici, tum metaphysici, alias vero partium simul sumptarum: non ita tamen vt existentia totius quasi confletur ex partium existentia, vt

Resol. poster.

C in toto homogeneo, cum ex partibus prius separatis, deinde coniunctis componitur; sed ita, vt tam totum, quam partes, quia distinguuntur inter se vt vna entitas à pluribus entitatibus, suas peculiares, & inconfusas existentias sibi vendicent. Neque enim, vt entitas totius physici, aut metaphysici constituitur ex entitatibus suarum partium, sic existentia totius ex earum existentiis: omnes enim rerum creatarum existentiæ sunt puri

D quidam essendi modi distincti, & inconfusi inter sese. Atque hæc satis sint pro explicatione libri septimi, quando alia complura temporis angustiis explicare non licet.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

COMMENTARII PETRI FONSECÆ SOCIETATIS IESV,

IN OCTAVVM LIBRVM METAPHYSICORVM ARISTOTELIS,

Procemium.

Institutum Philosophi hoc libro.

EXPOSITA *superiori libro à cap. 4. quiditate rerum sensibilium more logico, nunc explicat eandem more physico. Quod antequam exequatur, initio primi capitis rationem subducit, atque in summam colligit non pauca eorum, quæ de substantia, præsertim superiori libro dicta sunt, vt additis iis, quæ dicenda adhuc videntur de sensibili substantia, disputationi de eius quiditate, & natura finem imponat. Tum vero in reliqua eius capitis parte agit de materia, de forma autem in proximo. Deinde traditis in tertio, & duobus sequentibus, attributis quibusdam vtrique communibus, agit tandem in sexto de earum vnione, ex qua ipsa sensibilium substantiarum quiditas resultat.*

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ τὸ η.

ΚΕΦ. α.

Ἐκ δὴ τῶν εἰρημένων συλλογίζεσθαι δεῖ, καὶ συναγαγόντας τὸ κεφάλαιον, τέλος ἐπιθεῖναι. εἴρηται a δὴ ὅτι τῶν οὐσιῶν ζητεῖται τὰ αἴτια, καὶ αἱ ἀρχαὶ καὶ τὰ στοιχεῖα. οὐσίαι δὲ, αἱ μὲν ὁμολογούμεναί εἰσιν ὑπὸ πάντων: περὶ δὲ ἐνίων ἰδίᾳ τινὲς ἀπεφήναντο. ὁμολογούμεναι μὲν αἱ φυσικαί: οἷον, πῦρ, γῆ, ὕδωρ, καὶ τἆλλα τὰ ἁπλᾶ σώματα: ἔπειτα τὰ φυτὰ, καὶ τὰ μόρια αὐτῶν: καὶ τὰ ζῶα, καὶ τὰ μόρια τῶν ζώων, καὶ τέλος ὁ οὐρανὸς, καὶ τὰ μόρια τοῦ οὐρανοῦ. ἰδίᾳ δέ τινες οὐσίας λέγουσιν εἶναι, τά τ' εἴδη, καὶ τὰ μαθηματικά. ἄλλας b δὲ δὴ συμβαίνει ἐκ τῶν λόγων οὐσίας εἶναι, τὸ τί ἦν εἶναι καὶ τὸ ὑπο-

ARISTOTELIS Metaphysicorum lib. VIII.

1. CAPVT I.

EX iis, quæ dicta sunt, ratiocinari oportet, summaque collecta finem imponere. Dictum a itaque est substantiarum causas, principia, & elementa quæri; substantiarum autem alia ab omnibus concessa sunt, de quibusdam vero nonnulli priuatas opiniones habuere. Concessa quidem naturales sunt, vt ignis, terra, aqua, & alia simplicia corpora: deinde planta, & earum partes, animalia, partesque animalium, & tandem cœlum, ac partes cœli. Priuatim vero quidam formas, & mathematica substantias esse dicunt. Alias b porro esse substantias rationibus efficitur, quiditatem nimirum, & subiectum;

CAPITIS PRIMI EXPLANATIO.

Text. 1.

DIctum a itaque est.] Hoc ex principio libri superioris colligi potest, iunctis iis, quæ initio quarti. & sexti dicta erant. Ostensum est enim 1. cap. lib. 7. ens simpliciter dictum esse solam substantiam, reliqua autem dici entia, quatenus ad substantiam referuntur; sæpe autem dictum fuerat, præsertim locis citatis, entis, quatenus ens est, principia, causas, & elementa quæri. Dictum est igitur, hæc quæri præcipue de substantia, minus præcipue de cæteris, quo pacto hic locus intelligendus est. [*Substantiarum autem alia.*] Hæc dicta sunt cap. 2. lib. 7.

Distinct. & naturā materia, ac forma sola ratione deprehendi.

b *Alias porro esse.*] Hæc fere dicta sunt initio capitis tertii eiusdem libri. Ait autem, rationibus effici quiditatem, & subiectum, hoc est, formam, & materiam esse substantias; quia forma non est separabilis à materia, nisi ratione, vt ipse sæpe ait, & paulo post dicet. Vnde fit, vt sola ratione deprehendatur earum distinctio, & natura, vt nimirum vna det esse, altera suscipiat; & tamen vtraque ad substantiæ sensibilis essentiam pertineat. Potest etiam sumi hoc loco nomen quiditatis, qua ratione formam, & ipsam, quæ proprie quiditas est, complectitur; nomen autem subiecti, vt significat non solum materiam, sed etiam primam substantiam. Nam & speciem ab indiuiduis

diuiduis sola ratio distinguit, præsertim cum nulla potestate alterum ab altero seiungi possit, quod tamen nil repugnat fieri in omnibus formis, & re ipsa fit in humana, quatenus intellectiua est; de qua tamen Aristoteles, cum de naturalibus formis agit, ferme non loquitur, quia partim est naturalis, partim supra naturam.

ὑποκείμενον. ἔτι c ἄλλως τὸ γένος μᾶλλον τῶν εἰδῶν, καὶ τὸ καθόλου τῶν καθ' ἕκαστα. τῷ δὲ καθόλου, καὶ τὸ γένει, καὶ d αἱ ἰδέαι συνάπτουσι: κατὰ τὸν αὐτὸν γὰρ λόγον οὐσίαι δοκοῦσιν εἶναι. ἐπεὶ δὲ τὸ τί ἦν εἶναι οὐσία, τούτου δὲ λόγος ὁ ὁρισμὸς, διὰ τοῦτο περὶ ὁρισμοῦ, καὶ περὶ τοῦ καθ' αὑτὸ διώρισται. ἐπεὶ δὲ ὁ ὁρισμὸς λόγος, ὁ δὲ λόγος μέρη ἔχει, ἀναγκαῖον καὶ περὶ μέρους ἦν ἰδεῖν, ποῖα τῆς οὐσίας μέρη, καὶ ποῖα οὔ. καὶ εἰ ταῦτα καὶ τοῦ ὁρισμοῦ δεῖ. ἔτι τοίνυν οὔτε τὸ καθόλου οὐσία, οὔτε τὸ γένος.

περὶ e δὲ τῶν ἰδεῶν, καὶ τῶν μαθηματικῶν, ὕστερον σκεπτέον: παρὰ γὰρ τὰς αἰσθητὰς οὐσίας ταύτας λέγουσί τινες εἶναι. νῦν δὲ περὶ τῶν ὁμολογουμένων οὐσιῶν ἐπέλθωμεν: αὗται δ' εἰσὶν αἱ αἰσθηταί. αἱ f δ' αἰσθηταὶ οὐσίαι πᾶσαι ὕλην ἔχουσιν. ἔστι g δ' οὐσία τὸ ὑποκείμενον, ἄλλως μὲν ἡ ὕλη, ἄλλως δὲ ὁ λόγος.

ὕλην

iectum; ac modo c alio genus magis, quam species, & vniuersale, quam singularia. Vniuersali autem, atque generi & ipsæ d ideæ copulantur, eadem enim ratione substantiæ esse videntur. Quoniam vero quidditas substantia est, huius autem ratio & definitio, id circo de definitione, & de ipso per se, definitum est. Et quia definitio ratio est, ratio autem partes habet, illud etiam necesse erat, vt de parte videremus, quænam essent partes substantiæ, quæ non item; & num easdem definitionis partes esse oporteret. Adde, neque vniuersale, neque genus substantiam esse.

Ac de e ideis quidem, & mathematicis postea agendum est: has enim quidam præter sensibiles substantias esse dicunt. Nunc autem de iis substantiis, quæ conceduntur, disseramus; eæ vero sunt ipsæ sensibiles. Sensibiles f autem substantiæ omnes materiam habent: sunt g autem substantiæ eæ, quæ subiiciuntur, alio quidem modo materia, alio vero forma.

Materiam

c *Propterea modo alio.*] Rationibus etiam efficitur apud Platonem, vt genus, quatenus genus est, sit magis substantia, quam species; & vtrumque, quatenus quodque eorum vniuersale est, quam singularia. Nam si distinctio speciei ab indiuiduis est in causa, vt illa sit separata, ac proinde per se subsistens, siue substantia; profecto genus, quod remotius est ab eisdem, magis erit de substantia. Quæ quæstio agitata est lib. 3. c. 3. Atq; secundum hanc sententiam Aristoteles superiori libro initio cap. 3. genus, & omnino vniuersale (*intellige autem, quatenus talia sunt*) inter substantias numerauit. Ait autem, Modo alio, quia ipsi non placet hæc opinio, cum libro superiori cap. 13. ostenderit vniuersalia, vt talia sunt, non esse substantias. *Ex Platonis doctrina sequi genus esse magis substantiam, quã speciem.*

d *Et ipsæ ideæ copulantur.*] Hoc exponitur verbis proxime sequentibus. Nec aliud discrimen est inter ideas, & vniuersalia, nisi quod Plato non ponebat genera separata à speciebus, solasque species ideas faciebat; tametsi non aduertebat eisdem rationibus æque effici, genera esse à speciebus separata, ac proinde magis seiuncta à singularibus sensibilibus. [*Quoniam vero quiditas.*] Colligit, quæ dixit cap. 4. & sequentibus libri superioris.

e *Ac de ideis quidem.*] Quia ex distinctione substantiæ, quæ ad Platonem vsque cognita fuit, non colliguntur aliæ substantiæ, nisi sensibiles, ideæ, & mathematica; de secundis quidem, ac tertiis ait se postea disputaturum, ex præcipuo nimirum instituto, quod faciet libro 13. & 14. de primis autem nunc, id est, hoc ipso libro, ex quibus lib. 12. veras substantias separatas esse demonstrabit, quas Plato ea ratione conuincitur non posuisse, (*etsi non omnino prætermisit*) quia idearum functione omnia gignebat: alii fere omnes ne attigerunt quidem. *Text. 2.*

f *Sensibiles porro substantiæ.*] Incipit agere de materia ab hoc pronuntiato, Omnes substantias sensibiles habere materiam, quod pronuntiatum paulo post demonstrabit. Vnde patet, in cœlo etiam Aristotelis sententia materiam esse. Verum, intelligatne primam materiam, & qua secundum se informis sit, an materiam, hoc est, subiectum motus, & aliorum accidentium cœlestium, licet cœli substantia sit forma quædam subsistens, quæstio est. Mihi certe & re vera, & Aristotelis sententia videtur in cœlo esse materia prima substantiali formæ subiecta, vt è vestigio patebit. *Omnem substantiam sensibilem habere materiã. Etiã cœlum.*

g *Sunt autem substantiæ.*] Ex materiæ definitione docet, etsi substantia superiori libro distincta est in materiam, formam, & compositum, non esse tamen materiam eodem modo, substantiam, quo forma, & compositum substantiæ sunt. Nam etsi hæc omnia ea de causa dicuntur substantiæ, quia sua te natura subiiciuntur, siue [illegible] accidentibus; (quæ est ratio nominis *Materiã formã. & cõpos. nõ eod. modo esse substant. c. 3. tex. 7.*

substan- *Tex. 3.*

substantiæ sensibilis, imo etiam substantiæ creatæ, secundum veram sententiam de substantiis separatis) tamen non ita materia est substantia, vt sic hoc aliquid actu, hoc est, pertinens ad aliquam determinatam speciem entis naturalis, quasi per se possit aut esse naturaliter, aut intelligi, cum eius natura in sola potentia consistat, vnde & dicitur pura potentia: forma vero (quæ etiam ratio appellatur, quia ab ea ratio, & definitio rei ducitur) etsi est hoc aliquid actu, non ita tamen id sibi vendicat, vt per se possit existere, sed solum intelligi, quod quidem est esse separabilem ratione. Quo autem pacto intelligendum sit, formam posse intelligi sine materia, mox dicetur. At compositum ideo dicitur substantia, quia potest per se, hoc est, non per aliquid extrinsecum sibi, non solum intelligi, sed etiam existere, quod est esse simpliciter, siue omnino separabile. Id quod ex eo patet, quia solum compositum per se generatur, atque corrumpitur. Hinc luce clarius est, Aristotelis sententiam esse, dari in cœlo materiam primam, & quæ sit ex se ipsa pura potentia. Alioqui non dubium foret, quin crederet, materiam cœli esse hoc aliquid per se subsistens, & simpliciter separabile, quod ipse hoc loco de materia vniuerse negandum censuit.

Compositum esse simpliciter separabile.

ὕλην δὲ λέγω, ἣ μὴ τόδε τι οὖσα ἐνεργείᾳ, δυνάμει ἐστὶ τόδε τι. ἄλλως δὲ ὁ λόγος καὶ ἡ μορφή: ὃ τόδε τι ὄν, τῷ λόγῳ χωριστόν ἐστι. τρίτον δὲ τὸ ἐκ τούτων, οὗ γένεσις μόνου, καὶ φθορά ἐστι, καὶ χωριστὸν ἁπλῶς. τῶν h γὰρ κατὰ τὸν λόγον οὐσιῶν, αἱ μὲν, αἱ δ' οὔ.

ὅτι δ' i ἐστὶν οὐσία ἡ ὕλη, δῆλον: ἐν πάσαις γὰρ ταῖς ἀντικειμέναις l μεταβολαῖς, ἐστί τι τὸ ὑποκείμενον ταῖς μεταβολαῖς: οἷον, κατὰ τόπον, τὸ νῦν μὲν ἐνταῦθα, πάλιν δ' ἄλλοθι: καὶ κατ' αὔξησιν, ὃ νῦν μὲν τηλίκονδε, πάλιν δ' ἔλαττον, ἢ μεῖζον: καὶ κατ' ἀλλοίωσιν, ὃ νῦν μὲν ὑγιὲς, πάλιν δ' κάμνον: ὁμοίως δὲ

Materiam autem dico, quæ non hoc aliquid est actu, sed potentia. Alio vero modo ratio, & forma, id, inquam, quod cum sit hoc aliquid, ratione separabile est. Tertium autem, quod ex his constat, cuius solius generatio est, & corruptio, quodque simpliciter est separabile. Namque h earum substantiarum, quæ rationi congruunt, quædam separari possunt, quædam minime.

Quod i autem materia substantia sit, apertum est: in omnibus enim oppositis l mutationibus est aliquid, quod mutationibus subiiciatur, vt mutationi loci, quod nunc quidem est hic, rursus vero alibi; & mutationi accretionis, quod nunc tantum est, postea minus, aut maius; & alterationis, quod modo sanum est, alias ægrum: eodemque modo in mutatione secundum substantiam,

Formam, sola ratione.

h *Namque earum substantiarum.*] Exponit, quo pacto intellexerit formam esse sola ratione separabilem: aitque, id non esse intelligendum vniuerse, quemadmodum de composito vniuerse verum est, quod sit simpliciter, siue omnino separabile. Formarum enim quædam re etiam ipsa separari possunt, cum sint immortales, vt animæ rationis compotes; aliæ non possunt vt equi, leonis, & similium. Atque hæc est Alexandri expositio, qui nomine substantiarum secundum rationem intelligit solas formas, vt sæpe alibi intelligi solent apud Aristotelem. Verum si nomine substantiarum secundum rationem intelligas substantias ratione separabiles, dices Aristotelem reddere rationem, cur dixerit, composita esse simpliciter separabilia, quia, inquit, substantiarum, quæ ratione separari possunt, quædam re etiam ipsa possunt separatim existere vt composita omnia; quædam non possunt, vt formæ, quod intellige de pure naturalibus, vt superius diximus. Quo autem pacto formæ possint separari ratione, cum sine materia intelligi nequeant, per non repugnantiam intelligendum est: formæ enim, quatenus est actus, non repugnat intelligi sine materia, cum dentur actus, qui nullo pacto à materia pendeant, vt substantiæ separatæ. Opposita omnino est conditio materiæ, quippe quæ etiam quatenus potentia est, sine forma intelligi non potest. Quod si quis obiiciat, materiam, quatenus est ens, posse intelligi sine forma, occurrendum est, non esse hoc loco sermonem de materia, & forma, & composito, quatenus conueniunt in ente, sed quatenus distinguuntur, vt potentia, actus, & constans actu & potentia.

Quo pacto id intelligendũ.

Dari in reb. materiam, & esse substantiam.

i *Quod autem materia.*] Vna eademque probatione ostendit & materiam esse substantiam, & necessario existere in rerum natura. Nam quo pacto probamus materiam secundam, nempe subiecta mutationum accidentalium necessario existere, quia nimirum necesse est, vt aliquid eiusmodi mutationibus subiiciatur, quod vno accidente abiecto oppositum eius, vel positiuum, vel priuatiuum recipiat, quod quidem est munus substantiæ: eodem pacto concluditur, materiam primam necessario esse dandam, in qua vna forma substantiali abiecta, alia substantialis cum priuatione illius succedat. Quod officium materiæ non solum est munus substantiæ, sed etiam videri potest argumentum, quo materia magis esse substantia demonstretur, vt dictum est libro superiori; quo enim subiectum est prius, eo magis videtur esse substantia. Est

c. 3. q. vn. sect. 1.

tamen

tamen hæc ratio fallax, cum intelligenda sit de subiecto, quod potest per se, ac separatim existere, cuiusmodi non est materia prima.

l *Oppositis mutationibus.*] Ex abundanti loquitur Aristoteles, satis enim esset assumere in vnaquaque mutatione; dantur enim in singulis oppositi termini, quorum vnus abiicitur, alter acquiritur. Potest tamen contextus sic intelligi, ac si diceretur, in omnibus mutationibus, quæ quidem omnes sunt inter opposita.

Αἱ καὶ κατ' οὐσίαν, ὃ νῦν μὲν ἐν γενέσει, πάλιν δ' ἐν φθορᾷ, καὶ νῦν μὲν ὑποκείμενον ὡς τόδε τι, ὁτὲ δ' ὑποκείμενον κατὰ στέρησιν: καὶ ἀκολουθοῦσι δὴ ταύτῃ αἱ ἄλλαι μεταβολαί: τῶν δ' ἄλλων ἢ μιᾷ ἢ δυοῖν αὕτη οὐκ ἀκολουθεῖ. οὐ γὰρ ἀνάγκη, εἴ τι ἔχει ὕλην τοπικήν, τοῦτο καὶ γεννητὴν καὶ φθαρτὴν ἔχειν. τίς μὲν οὖν διαφορὰ τοῦ ἁπλῶς γίγνεσθαι καὶ μὴ ἁπλῶς, ἐν τοῖς φυσικοῖς εἴρηται.

substantiam, quod nunc m in generatione est, nunc in corruptione; & nunc n subiectum est, vt hoc aliquid, rursus subiectum & priuatum. Et sequuntur o quidem hanc cætera mutationes, hæc vero aut vnam, aut duas cæterarum non sequitur. Neque enim necesse est, si quid habet materiam mutationi loci subiectam, id & generationi & corruptioni obnoxiam habere. At p quid intersit inter simpliciter fieri, & non simpliciter, in Physicis dictum est.

m *Quod nunc in generatione est.*] Id est, Nunc sub generatione, nunc sub corruptione, tanquam commune vtriusque subiectum.

n *Nunc est subiectum, vt hoc aliquid.*] Hoc est, Nunc est sub determinata forma, per quam & fit demonstrabilis, & ad certam speciem entis naturalis pertineat; iterum autem sub illius priuatione, tametsi sub alia forma. Ex his manifestum est, generationem, & corruptionem duxisse Philosophos in cognitionem materiæ primæ; & ideo veteres materiam non agnouisse, quia generationem, & corruptionem ab alteratione non distinguebant, vt patet ex libro primo.

o *Et sequuntur quidem hanc.*] Docet, non in omnibus substantiis sensibilibus esse materiam generationi, & corruptioni obnoxiam, siue subiectam, quia etsi hanc materiam sequantur cæteræ omnes mutationes, hoc est, licet ex materia generationi, & corruptioni subiecta inferatur aptitudo ad suscipiendas quasuis alias mutationes, nempe secundum quantitatem, qualitatem, & locum; (*nam eadem omnino aptitudine, qua eiusmodi materia propensa est ad formam substantialem suscipiendam, quod fit per alterationem, propensa etiam est ad perfectionem illius, quæ habetur per augmentationem, & ad locum sius conseruatiuum, qui obtinetur per motum localem, vt recte adnotauit Alensis*) non tamen ipsa infertur ex quibusuis aliis mutationibus. Nam etsi mutatio secundum quantitatem, quia semper coniuncta est cum aggeneratione partium substantiæ, non inuenitur, nisi in materia, quæ generationi, & corruptioni subiicitur; alteratio tamen, & loci mutatio, aut si proprie loquendum est, sola loci mutatio sine eiusmodi materia reperitur, nempe in cœlo. Dixi [*si proprie loquendum est*] quia in cœlo non est vera, & proprie dicta alteratio, quæ est via ad generationem; (*hæc enim non est nisi inter qualitates contrarias, quæ in cœlo locum non habent*) sed est sola alteratio improprie dicta, quæ est mutatio inter qualitatem, & priuationem qualitatis, vt inter lumen, & tenebras. Atque hac de causa ait Aristoteles [*Vnam, alteramve.*] In cœlo enim est vna tantum propria mutatio, quæ est secundum locum; altera vero est impropria, quæ fit secundum qualitatem non habentem contrarium.

p *At quid intersit.*] Quia consequens esse videbatur, vt distingueret generationem in generationem simpliciter, & secundum quid, (*nam ex generatione secundum quid, quæ est via à priuatione formæ accidentariæ ad formam accidentariam, non satis est ad colligendam materiam primam*) remittit lectorem ad libros Physicos, hoc est, ad primum, & quintum de naturali auscultatione, & ad priorem de generatione, quibus locis de ea re late disseruit. Itaque innuit, se hoc loco non de generatione secundum quid, sed de generatione simpliciter locutum fuisse. Id quod ex eo perspicuum est, quia alioqui falso docuisset, non esse in cœlo materiam generationi, & corruptioni subiectam.

Generatione, & corruptione ductos in cognitionem materiæ.

Non omnem materiam esse generationi & corruptioni subiectam.

In cœlo non dari proprie dictam alterationem.

POSSITNE MATERIA SINE FORMA SVBSTANTIALI POTESTATE ALIQVA EXISTERE?

QVÆSTIO I.

Opinio eorum, qui negatiuam partem amplectuntur.

SECTIO I.

MVLTI graues authores existimant, veram esse negatiuam partem huius quæstionis, quam nonnulli ad hunc librum discutiunt, occasione eorum verborum, quibus Aristoteles primo hoc capite de materia sic loquitur: *Atque materiam eam dico, quæ non actu hoc aliquid, sed potentia est.* In iis numeratur D. Thomas 1. part. quæst. 66. art 1. & † aliis locis compluribus, maiorq; sectatorum pars ex Dominica familia, Hugo de sancto Victore, Magister sententiarum, Bonauentura, Durandus, & alii non pauci, quorum argumenta, & alia, quæ pro eadem parte se offerunt, hæc fere sunt.

text. 3. † Vt q. 4. de poten. a. 1. & quodl. 3. ar. 1. Capr in 2. d. 13 Caie. ad 5. c. lib. de Ente & Ess. q. 8. Ferr. 3. contr. gen. c. 4. Hen. quodl. 6. q. 1. ‡ li. 1 de s. cr. p. 1. c. 4. Mag. in 2. d. 12. Bonauent. ibid. q. 1. Dur. q. 2. Arg. q. 1. Aeg. lib. 1. ...

Primum, quia contradictio aperta est dari rem actu sine actu; Aristoteles autem hoc loco plane fatetur materiam ex se nullum habere actum: cum igitur proprius actus materiæ adueniens sit forma substantialis, quemadmodum proprius actus adueniens composito est forma accidentalis, fit, vt materia nullo modo esse possit sine forma substantiali. Hanc eandem rationem sic fere alii proponunt. Quidquid est actu in rerum natura, aut actus est, aut proprium, & peculiarem sibi actum habet: materia non est actus; eius autem proprius, & peculiaris actus est forma substantialis: non potest igitur esse in rerum natura sine forma substantiali.

7. Meta. c. 8. text. 15. & 2. de anim. c. 4. text. 36. & 2. Phys. c. 1. tex. 12. Auerr. ib. & 2. de ani. tex. 8. & D. Tho. 2. contr. Gent. c. 54. & 55.

Deinde, quia proprium formæ est dare esse, vt patet ex doctrina ab Aristotele tradita, & ab omnibus recepta; propriumque formæ substantialis est dare esse substantiale: non potest igitur materia, cum sit substantia, habere esse in rerum natura sine forma substantiali.

Ex Aristo. 2. Metaph. c. 1. tex. 4.

Tertio, quia quo pacto se res habet ad esse, ita ad cognosci, quod est commune Philosophorum proloquium: cum igitur materia nullo modo cognosci possit sine forma substantiali, efficitur, vt nullo modo sine illa esse possit.

Quarto, quia si materia posset existere sine forma, haberet vtique propriam, & peculiarem existentiam: at non habet propriam; alioqui, res constans materia, & forma haberet plures existentias, vnam materiæ, & potiori ratione alteram formæ, quod fieri non potest, vt enim vnius rei vna est essentia, ita & vna existentia, quia existentia est proprius actus essentiæ.

Quinto, quia si qua esset ratio, cur materia existere posset sine forma, ea esse maxi-

A me, quia re ipsa distinguitur à forma vt vnum ens absolutum ab alio; siquidem omne absolutum, quod re ipsa distinguitur ab alio absoluto, saltem diuina virtute videtur haud dubie posse sine altero existere: at hæc ratio nulla omnino est, quia multa absoluta distinguuntur inter se realiter, quorum alterum ab altero separari nequit; quo pacto se habent multæ proprietates collatæ cum propriis subiectis, totumque, & eius partes

B constitutiuæ.

Postremo, quia aptior videtur esse natura singularis substantiæ compositæ, vt existat sine supposito, quam materia, vt existat sine forma substantiali, cum illa sit completa, & actualis, hæc autem incompleta, & potentialis: cum igitur natura singularis substantiæ compositæ non possit vllo modo existere sine supposito, quod est prima substantia, (hinc enim factum est, vt in Verbi diuini

C incarnatione suppletum sit suppositum humanum per suppositum diuinum) efficitur vt materia nullo modo existere valeat sine forma substantiali.

Refutantur duo fundamenta, quibus nixi quidam recentiores affirmatiuam partem defendunt.

SECTIO II.

D QVIDAM tamen ex recentioribus D. Thomæ sectatoribus affirmatiuam partem veriorem esse sibi persuadent duobus innixi fundamentis, quæ firma, & stabilia esse existimant. Alterum est, omnem existentiam prouenire à forma, siue actu, ita vt materia, quia pura potentia est, nullam sibi propriam existentiam vendicet; sed omnis, quam in rebus habet, à forma ei communicetur: quo in fundamento cum negatiuæ partis au-

Prius fundam.

E toribus conueniunt. Alterum (quod eorum peculiare est) sic habet posse materiæ separatim existenti diuina virtute communicari existentiam formæ substantialis, per quam in composito existebat. Qua ratione fortasse volunt D. Th. negatiuam sententiam explicare, vt intelligatur de existentia propria materiæ, quam nullam esse volunt non autem de existentia, quam forma illi communicare solet, cum in ea existit, quod virtute diuina eidem

Alterum fund.

F sine forma existenti communicare possit. Verum hanc expositionem si quis probet, falletur plane: D. enim Thom. simpliciter, & absolute docet materiam non posse existere sine forma; quod non assereret, si eam alienam existentiam sibi communicata posse sine forma existere existimasset.

At prius fundamentum non solum argumentis priorum

Confirmatio

Tileta q. 3. a. 2. Albert. in 2. d. ... quodl. 2. q. ... & alii.

...negatiuam partem stabiliunt, sed etiam confirmant ex celebri illo Scholasticorum pronunciato, existentiam esse actualitatem omnis formæ: nec enim ait, omnis entitatis, siue rei, sed omnis formæ: vt significet eam à sola forma ad materiam, & compositum deriuari: id quod ex *Boetio in lib. de † Trinitate*, & in opusculo de vnitate, & vno desumũt. Addunt etiam, si materia aliquam sibi propriam existentiam vendicaret, non diceretur vtiq; apud Augustinum in confession. prope nihil: vere enim, & prope ens est, quidquid veram, & propriam habet existentiam. Denique idem ex Dionys. colligunt. Nam cum ille liber de diuinis nominib. asserat ipsum esse rerum creatarum esse præcipuam diuinæ essentiæ participationem, existimandum, inquiunt, non est, materiam aliquod actuale esse participare posse, quod ei per formam tanquam per actum potentiæ permistum à puro actu non proueniat.

† Cap. 3.
Lib. 12. c. 7. & 8.
Cap. 4.

Confirmatio posterior.

Alterum vero fundamentum ex eo firmũ esse ostẽdere nituntur, quod nullam contradictionẽ inuoluat, communicari materiæ diuina virtute existentiã, quæ illi secundum se non debeatur. Est n. existentia modus quidã essendi; multi autem modi essendi communicantur diuina potestate rebus iis, quibus alioqui non conueniũt, vt accidentibus panis, & vini, quæ in sacra Eucharistia relinquuntur, modus essendi sine subiecto; & corpori Christi Domini in eo diuino mysterio existẽti modus essendi in loco proprius substãtiarum separatarũ, vtpote sine extensione in ordine ad locum; humanitati etiam Domini, vt subsistat ea ipsa subsistentia, qua Verbum diuinum subsistebat.

Prius fundamentũ nullum esse.
Omnem realem entitatẽ propriã habere existent.
Cap. 2. q. 4. sect. 4. 6. 8. 9. 5. sect. 9.

Sed quanquam eorum assertio placet, tamen fundamẽta, quibus eam suffulciunt, infirma omnino sunt, & à veritate prorsus aliena. Nam, vt de priori loquamur, iam ostensum est *lib. 4. & 5* omne ens reale, imo & omnem realem entitatem suam sibi vendicare peculiarem existentiã realem, nõ per se tamen, nisi res sit simpliciter infinita, vt est solus Deus; sed actione causarum, à quibus res ipsæ fiunt, & concursu aliarum à quibus modo alio causantur. Idquod etiam hac ratione ostẽditur, quia cum quæque siue res, siue entitas suam peculiarem habeat potentiam, siue aptitudinem, vt sit in rerum natura, (*neque enim vna est apta, vt sit in rerum natura per aptitudinem alterius*) efficitur, vt vnaquæque, cum iam est actu, suam propriam, & peculiarem habeat existentiam, siquidem peculiari aptitudini peculiaris actus respondere debet.

De materia id pluribus stabilitur.

De materia autem priuatim, de qua sola in hac controuersia dubitatio est pluribus

A argumentis idem probatur. Primum, quia materia creata est initio mundi propria, & peculiari creatione; id quod patet ex propria & peculiari eius cõseruatione. Nam cũ formæ, quæ initio cum materia horũ inferiorũ concreatæ sunt, perierint ipsa vero materia semper cõseruata sit, perspicuũ est eam suam habere peculiarem conseruationem, ac proinde peculiarem existentiam ab existentia formarum diuersam: alioqui si per eam solam existeret, per quam primæ formæ existebant, iis pereuntibus materia quoq; periisset: conseruatio enim nihil est aliud, quam eiusdem numero existentiæ cõtinuatio. Idem autem potiori ratione dicendum est de materia cœlorum. Nam si materia horum inferiorum suam peculiarem habet existentiam ab existentia formæ diuersam, cur non etiam materia cœlorum, quæ præstant à sua non admittit formarum successionem? Nec refert, quod formæ omnes substantiales initio concreatæ post instans suæ creationis concurrerint in suo genere causæ ad materiæ cõseruationem, vt illis expulsis è materia inferiorum necesse fuerit illam perire: suppletur enim primarum formarum causalitas in conseruanda materia per alias formas, quæ primis successerunt, ac succedent.

Vide Gand. quodl. 1. q. 9. Scot. in 2. d. 12 q. 2. Ric. b. q. 4. Gabr. q. 1. a. 3. Greg. q. 1. & alios.

Magis à materia pendent formæ, quam materia ab ipsis ... potentia, quam ab ipsis.

Deinde, quia magis pendent à materia formæ, quæ è potentia eius educuntur, quam ab illis materia; siquidem materia non pendet ab illis in fieri, sed tantum in conseruari; illæ autem pendent à materia vtroq; modo: ergo cum huiusmodi formæ suam habeant peculiarem existentiam, potiori ratione materia habebit suam. Nam quemadmodum causæ efficientes, sic etiam materiales, & formales non causant, nisi prius naturæ ordine existant, quam in suo quæque genere causent.

Non posse permanere rem eand. numero amissa propria existent.

Postremo, quia materia permanet eadem numero sub vtroque transmutationis termino: ergo variata existentia formarum non variatur existentia materiæ, & ex consequenti alia existentia materiæ ab existentia cuiuslibet formæ. Prior consequentia ex eo patet, quia non potest eadem res numero permanere, amissa ea, quam habebat, existentia: vt enim existentia ponit formaliter rem quamlibet in rerum natura, ita ea peremta desinere debet quælibet in rerum natura esse; quandoquidem desitio nihil est aliud, quam existentiæ amissio.

Satisfit confirmationi prioris fund.

Pronuntiatum vero illud. Existentiam esse actualitatem omnis formæ, fortasse ab iis inuectum est, qui negatiuam partem huius quæstionis probant: quanquam D. Thomas 1. par. quæst. 3. art. 4. ipsa veritate dictante non ait tantum [*Omnis forma*,] sed [*Omnis for-*

ma vel natura.] Nec certe ex Boetio recte illud A desumitur, cum ille hoc tantum velit omne esse essentiæ, completum, prædicamentale ab aliqua forma prouenire. Nos certe pronunciatum eo modo probamus, quo nunc illud ex D. Tho. retulimus, si nomine naturæ quæcunque entitas intelligatur.

Iam illud Augustini nihil nobis nocet, cum non dicat materiam nihil esse, sed prope nihil. Nam si est pene nihil, adhuc aliquid est, atque adeo verum ens, peculiaremque cum B peculiari natura existentiam sibi vendicat.

Demum nec ex illo Dionysii loco se iuuare possunt oppositæ sententiæ authores. Nam etsi esse existentiæ (*quamquam ille forsitan de esse essentia loqui videbitur*) sit præcipua diuini esse participatio: non tamen inde sequitur, nullum eius gradum peculiarem à materia participari: alioqui deriuatio esse diuini non descenderet ad omnes rerum creatarum gradus. Descendit autem ad materiam per C formam, non per hoc, quod materia existat per solam existentiam formæ: sed per hoc, quod habet suum esse essentiæ in intrinseca, & essentiali habitudine ad formam: vnde & habet suum esse existentiæ, siue cum naturaliter existit cum forma, siue diuina potestate existeret sine illa.

At materia esse participari diuinum.

Improbatur posterius fundamentum.

Alterum vero fundamentum non solum infirmum est, sed forte etiam infirmius. Primum, quia existentia rerum creatarum non D distinguitur ab earum essentia, & quauis entitate vera, nisi tanquam prius quidam essendi modus, qui declaratur per hoc, quod ponit quamlibet rem extra suas causas. Vel igitur quælibet res, aut entitas, quæ dicitur existere, posita est extra suas causas: vel adhuc est in potentia suarum causarum: si iam extra suas causas posita est, ergo iam vere, ac simpliciter existit sua peculiari existentia, (*neque dici potest, esse posita extra suas causas, ex eo* E *solum, quod res alia extra suas posita est, vt est luce clarius*) tametsi possit aliena simul existere, quo pacto materia hominis existit non tantum sua existentia, sed etiam humana, quia humana natura existit, in qua ipsa existit. Quo fit, vt ad existendum simpliciter nulla res indigeat aliena existentia, licet fortasse indigeat, vt hoc, vel illo modo existat, quo pacto ægrotus indiget existentia lecti, vt ipse existat in lecto. Si vero nondum est posita extra suas F causas, ergo nondum simpliciter existit, & (*quod sequitur*) nec sua, nec aliena existentia existit; nisi forte existentia potentiali aut virtuali, vt in potentia materiæ, aut in virtute agentium, si hæc iam existant.

Nihil existere posse sola aliena exist.

Deinde, quia effectus formalis nec re, nec cogitatione potest separari à sua causa formali, vt album ab albedine: at existere simpliciter, est effectus formalis propriæ, & peculiaris existentiæ, non potentialis, nec virtualis, sed actualis, quæ sola est existentia simpliciter: non potest igitur res, aut entitas simpliciter existens, prout existens est, separari etiam cogitatione ab existentia. Quare nihil existere potest simpliciter, & absolute existentia alterius rei, aut entitatis, nisi ipsum sua peculiari existentia existat.

Existere simpliciter effectum formal. propriæ exist.

Refelluntur confirmationes posterioris fund.

Quæ autem contra allata sunt pro stabilitate huius euersi fundamenti his explicatis refelluntur facile. Dicimus enim implicare cõtradictionem aliquid actu existere sine sua existentia, quemadmodũ esse album sine sua albedine. Nam vt albedo est actus intrinsecus rei albæ, vt alba est, adeo, vt neque esse, neque cogitari possit alba sine albedine; ita actualis existentia est actus intrinsecus rei, aut entitatis existentis, vt existens est; neq; illi inhærens tantum, vt albedo rei albæ, sed identificata cum illa tanquam eius purus essendi modus. Dicere igitur aliquid actu existere, & non sua existentia existere nihil est aliud, quam dicere illud existere & non existere, seu (*quod idem est*) esse extra suas causas, & non esse extra suas causas.

Nec vero allatæ instãtiæ sunt ad rem. Nam etsi complures alii essendi modi possunt communicari rebus aliis, quibus alioqui nõ conueniunt, vt ii omnes, qui à contrariæ partis authoribus proponuntur; tamen actualis existentia, si per eam aliquid dicitur simpliciter existere, non potest esse, nisi propria, & peculiaris eius rei, quæ sic existit: quandoquidem per eam solam potest res quælibet poni simpliciter, & absolute in rerum natura.

Obiectio.

At obiiciunt eorum nonnulli. Actualis existentia creaturarum distinguitur realiter (*sic ipsi putant*) à rebus existentibus, aut saltem ex natura rei: potest igitur separari à rebus existentibus, supplerique à Deo per alterius rei existentiam: quo pacto subsistentia humanæ naturæ separari ab ea poterat in homine iam subsistente, & suppleri per diuinam subsistentiam; de factoque in Incarnatione Domini non separata, sed præuenta fuit per subsistentiam Verbi diuini. Sed consequentia plane vitiosa est, tum quia non quidquid distinguitur ab alio ex natura rei, potest ab illo separari, vt gradus naturæ genericæ à gradu differentiæ, & actio à passione: tum etiam, quia ineptum est ex quibusdam particularibus aliud particulare determinate colligere, præsertim si in eo alia sit ratio, atq; in iis, quæ afferuntur, vt hic re vera est. Nam ratio existendi sine subiecto, quæ supernaturaliter cõfertur qualitatibus panis, & vini in sacra Eu-

Diluitur.

Non omnia ex natura rei distincta posse inuicem separari.

chari-

charistia, non tollit propriam earum existentiam, sed naturalem earum existendi modum; similiterq; modus existendi corporis Christi Domini sine extensione locali nō tollit ab eo propriam eius extensionem corporalem; denique noua subsistentia diuina collata supernaturaliter humanæ naturæ non tollit propriam eius existentiam, sed modum subsistendi naturalem, qui suppletur per supernaturalem: at existentia, qua aliquid non hoc, vel illo modo, sed simpliciter, & absolute existit, ei⁹ conditionis est, vt ea sublata necessario res existens omnino tollatur è rerū natura. Vnde fit, vt etsi contradictionem non implicat tolli naturales illos essendi modos, qui obiiciuntur, & supernaturalibus suppleri, ac commutari, remanentibus rebus ipsis in rerum natura; tamen contradictio aperta sit tolli à quauis re propriam eius existentiam, qua simpliciter, & absolute dicatur existere, & tamen rem ipsam remanere in rerum natura. Atque hæc est communis Theologorum sententia, non posse, inquam, rem vnam simpliciter, & absolute existere per solam alterius rei existentiam, vt patet ex eorum commentariis in tertio sententiarum lib. ad dist. 5. 6. & 9.

Naturales quosdā modos suppleri posse supernaturalib.

Existat ne humana Christi natura sola existentia Verbi diuini?

SECTIO III.

SED quia præcipuum argumentum oppositæ opinionis sumitur ex eo, quod humana natura in Christo, si rationem, Patrumque dicta consulamus, videtur existere sola diuini Verbi existentia; hoc expendam⁹ diligentius. Nam quod ita res habeat, ex eo primum videtur cōstare, quia subsistentia idem est, quod perfecta existentia substantiæ, vt diximus lib. 5. natura autem humana Christi assumpta est ad diuinam subsistentiam, vt per eam subsisteret; ergo & ad diuinam existentiā, vt per eam existeret.

Affirmant Caiet. 3. p. q. 17. a. 2. Capreol. in 3. d. 6. Ferrar. 4. contra gent. c. 35. & 41. Henr. quodl. 3. q. 2. & alij.

Argumenta pro hac parte. c. 8. q. 5. sect. 9

Deinde, quia id, quod terminat actionem realem, est suppositum, vt patet ex 1. lib. vbi Arist. sic exponi solet, ac si dicat, actiones esse suppositorum, quod nos terminatiue etiam verum esse diximus: ergo existentia, quæ per quamlibet actionem realiter obtinetur, est existentia alicuius suppositi, at in Christo Domino non est aliud suppositum, nisi diuinum: ergo existentia, quam humana eius natura per actionem obtinuit Incarnationis, non fuit alia, nisi diuina.

cap. 1.

Tertio, quia si Christus Dominus haberet existentiam humanam simul cum diuina, haberet vtique duplex esse, ac proinde duplicē vnitatem, quia vnitas rerum sequitur earum

A esse: cum ergo ille non sit duo entia, sed vnū, fieri non potest, vt habeat existentiam humanam simul cum diuina.

Accedunt multa Patrum dicta à Theologis relata, quibus sentire videntur in Christo Domino duplicem quidem naturam; sed vnum tantum Esse concedere oportere. Ex quibus est illud Patriarchæ Sophronii de duabus naturis, quæ sunt in Christo Domino: *Vnum*, inquit, *esse sortitur natura duplex*: & alia

B plura in hunc sensum.

Confirmatur ex Patribus.

In Epist. ad 6 Synod. habetur q. act. 11.

Hæc tamen nihil traditæ à nobis doctrinæ nocent; quin potius ex ipsa diuini Verbi incarnatione peculiaria quædam argumenta sumuntur, quibus plane ostenditur humanā Christi naturam non existere sola diuini Verbi existentia, sed etiam humana, ac sua. † Primum, quia alia fuit actio, qua Christi humanitas Spiritus sancti virtute formata est; alia, qua diuino Verbo vnita; tametsi vtraque eo-

C dem temporis momento perfecta: id quod constat ex duplici vtriusque termino. Terminus enim formationis fuit ipsa humanitas ex materia præexistente, & forma humana creata; terminus vero vnionis fuit Verbum caro factum, hoc est, Filius Dei factus homo: at naturæ humanæ formatio præcedit natura vnionem sui cum Verbo diuino: (*siquidem extrema prius natura existunt, quam ex ijs tertium aliquid resultet*) nulla autem natu-

D ra formatur, nisi cum accipit existentiam: ergo in Christo Domino existentia humanæ naturæ præcessit natura vnionem sui cum Verbo diuino, & ex consequenti eam participationem, quam per vnionem assecuta est, diuinæ existentiæ, quatenus scilicet naturæ humanæ existentia per coniunctionem cum diuina facta est suo modo diuina. Deinde, quia natura humana eodem naturæ ordine præcessit sui assumptionem ad subsistentiam

E Verbi diuini: ergo prius natura extitit, quam ab illo assumeretur. Consecutio aperta est, quia non assumitur, quod nondum est, sed q iam est, & ex consequenti, q vel tempore, vel natura assumptionem præcessit. Differunt autem assumptio, & vnio, q quemadmodū assumptio actiua ex vna tantum parte intelligitur, ita etiam passiua ex altera duntaxat; Verbum enim solum assumpsit, solaque natura humana assumpta est: at vnio non distingui-

F tur in actiuā, & passiuam, sed ex vtraq; parte denominat extrema vnita: vt enim humanitas vnita est Verbo, ita & Verbum humanitati. Tertio, quia humanitas assumpta dimitti potest, & suæ naturæ relinqui, vt omnes Theologi concedunt; qua dimissione (*si fieret*) resultaret in ea noua personalitas humana, q etiam admittitur; tametsi nonnulli vlterius

Humanam Christi naturæ esse propriam exist. Ita Altisiod. lib. 3. sum. tract. 1. cap. 1. q. 8. Albert. in 3. d. 6. q. 2. a. 4. & ibi Scotus Dur. Gabr. Bonau. d. 5. a. 2. q. 1. Henr. d. 9. q. 1. a. 3 & alij.

Quo differat assumptio, & vnio.

Non posse humanam [naturam] con[cedi manere] non personatam.

addunt, posse illam hoc modo dimitti impedita simul resu'tatione personalitatis, sicque non personatam existere: quod non probamus Si ergo eadem numero natura conceditur manere posse post dimissionem, perspicuũ est eam non existere nunc per eam solam existentiam diuini Verbi, per quam suo modo est diuina; sed existere simpliciter, & absolute per suam ipsius existentiam.

Addi solet alia ratio ex cognitione angelica hunc in modum. Si humana Christi natura non existeret, nisi per ipsam diuinam existentiam, non posset Angelus suæ naturæ viribus perspicue intelligere eam existere in rerum natura: quia non potest clare suis viribus diuinam existentiam cognoscere. Verum si hæc ratio quicquam efficit, eadem probari posset Angelum non posse suæ naturæ viribus clare intelligere humanam Christi naturam esse personatam: neque enim potest suis etiã viribus clare conspicere diuini Verbi personalitatem, qua est personata: cum ergo necesse sit fateri desertores Angelos cognouisse perspicue naturam humanam Christi esse personatam, nec tamen cognouisse eam esse personatam diuina personalitate, (*alioqui perspicue cognouissent eum hominem esse Deum*) non recte inde concluditur naturam Christi non existere per solam diuinam existentiam, quod alioqui non potuerit Angelus, seu bonus, seu malus, suis viribus perspicue cognoscere illam esse in rerum natura.

Quid circa personalit. & existentiam humanæ Christi naturæ Dæmon cognouerit.

Quare, ne in nos etiam redundet huius rationis vitium, dicimus Cacodæmonem clare cognouisse naturam humanam Christi esse personatam, quemadmodum & existentem in rerum natura: neque id tantum à posteriori, argumento scilicet desumpto ab eius actionibus, sed etiam à priori existere quidem per suam existentiam peculiarem, humanam scilicet, sine qua existere nullo modo poterat; personatam vero per aliquam personalitatem indefinite, quia personari & propria personalitate naturaliter, & aliena supernaturaliter poterat; quod Cacodæmonem non latebat, tametsi dubitabat, quidnam de facto accidisset, non permittente nimirum diuina prouidentia, (*saltem ad tempus*) vt perspicax mali Dæmonis ingenium aduerteret non esse in Christo Domino personalitatem creatam; quemadmodum non permisit, vt aduerteret beatissimam Virginem concepisse, ac peperisse integram.

Solutiones argumentorum.

Dupliciter accipi subsistentiam.

Ad primum igitur oppositæ sententiæ argumentum dicendum est, subsistentiam duobus modis accipi posse, quatenus huic loco est satis. Vno pro supposito subsistente; alio pro existentia propria suppositi, quæ sola in

A rebus creatis est perfecta existentia: natura enim substantiæ creatæ etiam singularibus, antequam intelligatur suppositata, non vendicat sibi perfectam existentiam, sed quandam quasi inexistentiam, quia non potest existere, nisi in supposito ex natura rei à se distincto. In hoc ergo posteriori sensu concedimus subsistentiam idem esse atque perfectam existentiam. Vnde etsi natura humana assumpta est ad diuinam subsistentiam,

B vt per eam subsisteret, seu perfecte existeret, tamen non est assumpta, vt per eam solam simpliciter, & absolute existeret. Nam existentia, qua aliquid simpliciter, & absolute existit, est actualitas, qua vnaqua quæsiue res, siue entitas in suo quæque gradu causabilis, ponitur extra suas causas; in Christo autem Domino omnia, quæ sunt assumpta, sunt etiam (*imo, & prius natura*) causata, siue extra suas causas posita.

Duobus modis actionem ad supposit[um] terminari.

C Ad secundum dicito duobus item modis actionem terminari posse ad suppositum; vno, vt suppositum incipiat esse, veluti cum Angelus creatur, aut homo generatur. altero, vt incipiat habere aliquod esse superadditum veluti cum homo fit iustus, aut cum Deus factus est homo. Vtroque igitur modo per actionem acquiritur aliqua existentia, sed non in eadem re. Nam cum suppositum incipit esse, ipsum est, quod existentiam accipit; cum

D autem incipit habere aliquod esse superadditum, siue substantiale illud sit, siue accidentale, tunc non ipsum incipit simpliciter, & absolute habere existentiam, sed ea sola quæ illi superadduntur, si antea non existebant: quamquam & ipsum suppositum incipit ea, quæ illi adueniunt, eorumque existentias suppositare, eisque subsistentiam, perfectam ve existentiam communicare vicissimque ab eis aliquod esse, nomenque accipere.

E Quanquam ergo in Christo Domino, vt obiiciebatur, non est aliud suppositum, nisi diuinum; non inde tamen sequitur humanam naturam in Incarnatione diuini Verbi non accepisse aliam existentiam, nisi diuinam. Nam etsi ratione assumtionis solam diuinam subsistentiam obtinuit; prius tamen naturæ ordine in ipsa scilicet humanitatis formatione, quæ in eodem instanti esse cœpit, acceperat existentiam humanam.

Quo pacto in Christo duplex esse concedi possit.

Quo itẽ illud Patres negẽt.

Vide quæ diximus lib. 5. c. 8. q. 5. & Baron. tom. 4 anno Christi 362.

F Ad tertium dicendum, si de re ipsa sit quæstio, duplicem esse in Christo Domino existentiam quemadmodum & duplicem naturam: diuinam scilicet, & humanam: atque hoc modo potuisse in Christo Domino duplex esse affirmari. Sed quia verbum, esse, cum agitur de substantiis, sæpe sumitur pro substantia, pro qua non sumitur existentiæ vocabulum;

Animam, nomen autem substantiæ & apud Patres, & apud ipsum Aristotelem duobus modis potissimum vsurpatur, vno pro supposito, altero pro natura substantiæ; nō ausi sunt Patres confiteri in Christo Domino duplex esse, ne quis putaret admitti ab eis cum Nestorio duplex suppositum in Christo. Iuxta hanc ergo Patrum cautam, & piam vsurpationem negatur prior illa consequentia [Christus Dominus habet duplicem existentiam, ergo & duplex esse.] posterior autem illa [Si haberet duplex esse, (sumpto esse pro supposita li, haberet duplicem vnitatem] propterea conceditur, quia vnitas suppositi multiplicatur cū multiplicatione suppositi, non autem cum multiplicatione naturæ siquidem vnum, & idem suppositum (*saltem diuinum*) potest plures naturas supposiitare, etiam completas, & substantiales Dixi[saltem diuinū]quia multo probabilius est solū diuinū posse suppositare plures naturas substantiales completas.

Atq; hoc modo intelligēdus est Sophroni⁹ & cæteri omnes Patres, cum dicunt duplicem Christi naturam sortiri in eo vnum, & idem esse, nempe suppositale, quod nihil est aliud, quam eas subsistere per vnam suppositi diuini subsistentiam. Nam cum alioqui accipiunt esse pro existentia, plane fatentur humanam Christi naturam habuisse suum esse in Verbo, non autem per Verbum, quasi per solam Verbi existentiam.

Vt Damasc. lib. 3. fidei c. 2. & 13.

Quod si lubet contra multorum D. Thomæ sectatorum opinionem sententiam ferre, placet nobis Paludani iudiciū, qui existimat D. Thomam nunquam negasse naturam humanam habere in Christo Domino, habuisseque prius natura, quam assumeretur, propriam existentiam, sed solum negasse eam habuisse perfectum esse nisi per ipsam Verbi subsistentiam: quod cum ex aliis locis compluribus, tum vero ex 3. p. q. 2. ar. 6. & q. 17. ar. 2. videtur aperte colligi. Priori enim loco dicit, humanam naturam assumptam esse in Christo ad vnum esse, non vt est esse naturæ, sed vt est esse personæ: id quod propterea dicit, quia esse, siue existentia naturæ præcessit naturæ ordine assumptionem: in posteriori autem loco ait esse pertinere ad naturam, & ad hypostasim, hoc est, suppositum; ad naturam, vt ad id, quo aliquid habet esse, ad hypostasim vero vt ad id, quod habet esse: cuius rei hæc est ratio, quia existentia naturæ est imperfecta, tanquam eius, quod per se esse non potest; sed potest tamen dare aliquod esse, & esse id, quo aliquid est: existentia vero hypostasis est perfecta, & completa existentia tanquam eius, quod omnino per se existit. Quare etsi D. Thomas non putauit materiam habere peculiarem existentiam, quia est pura potentia, sed eam acciperet a forma [illegible] non pauci eius doctrinæ [illegible] dissentiunt tamen crediderim illum [illegible] humanam Christi naturam, quia est [illegible], propriam sibi vendicare existentiam per quam ipsa existit tametsi à Verbo dum vnito; atque in illo habeat personalem existentiam, siue subsistentiam, quæ sola in creaturis est perfecta existentia.

Paludan. in 3. d. 6. q. 2. ar. 3. Thomam in hac esse sententia.

Concluditur materiam diuina virtute posse sine forma substantiali existere.

SECTIO IV.

EX iis, quæ dicta sunt, patet materiam habere propriam, siue peculiarem existentiam suæ naturæ debitam, nec posse existere in rerum natura per solam existentiam formæ, aut cuiusquam rei alterius. Num autem diuina, supernaturalique virtute sine forma substantiali possit existere, (nam sine omni accidentali impossibile est, cum non possit existere sine relatione actualis dependentiæ à Deo) id iam videndum est. Namque id fieri non posse naturaliter nullus Philosophus dubitat; tum quia naturæ institutum non est spoliare materiam forma aliqua, nisi vt alia inducatur: (*neque enim agentia intendere possunt meram priuationem, sed actum aliquem perfectionemque, cui coniuncta sit aliqua priuatio*) tum etiam, quia ex naturæ præscripto nihil otiosum permittitur, cum vnaquæque res propter aliquam operationem sit condita, materia autem sine forma absoluta existens nihil possit agere.

Materiam non posse naturaliter sine forma substantiali.

Posse igitur illam supernaturali Dei virtute sine substantiali forma existere, ex eo primum probatur, quia nulla in ea re implicatur contradictio. Illa enim, quam solam oppositæ sententiæ autores afferunt, ac afferre possunt, fore, inquam, vt materia existat actu sine actu, non est vera contradictio; quia aut in ea æquiuocatio committitur, aut assumitur id, quod negatur. Nam si nomine actus in priori loco intelligitur actus, seu actualitas existentiæ, in posteriori autē actus substantialis, seu substantialis forma, aperta est æquiuocatio: sin vtroq; loco intelligatur forma substantialis, iam sumitur in priori id, quod non damus, & impingitur nobis contradictio, quā non inducimus, nempe materiam existere sub forma substantiali, cum ponimus illam sine forma substantiali existere.

Probatur posse diuina virtute.

Deinde, quia non minus credibile est fieri posse, vt materia supernaturali Dei virtute existat sine forma substantiali, quam vt accidentia in sacra Eucharistia existāt sine subiecta sub-

substantia; neque enim minus pendent accidentia a subiecta substantia, à qua in aliam migrare non possunt, quam materia à forma substantiali, quæ aliam, atque aliam subire potest: at certo credimus diuina virtute accidentia illa sacra existere sine subiecta substantia; ergo dubitare non debemus fieri posse eadem virtute, vt materia existat sine forma substantiali. Nec iam locum hic habet illa responsio, Accidentia esse actus quosdam, atque idcirco non ex eo, quod actu existant sine subiecto effici, vt actu existant sine actu; quod tamen de materia dici debet, cum sit pura potentia; iam enim ostensum est, non recte concludi materiam esse actu sine actu, si ponatur existere sine forma substantiali. Nam etsi ipsa non sit actus, est tamen actu per ipsum existendi actum: vnde impertinens est dicere accidentia esse actus quosdam, vt negentur esse actu in sacra Eucharistia sine actu: aliud enim est illa esse actu, quod habeant per solam existentiam actualem, & non per se ipsa formaliter: aliud esse actus, quod per se habent etiam tunc, cum actu non existunt in rerum natura.

Quidquid Deus conseruat per causas secundas [illegible] potest solus conseruare non tamen facere, quidquid cũ eis facit.

Tertio, quia quicquid Deus conseruat per causas secundas non pertinentes ad constitutionem rei conseruatæ, se solo conseruare potest; cum igitur conseruet materiam per formam substantialem, quæ non pertinet ad illius constitutionem, poterit eandem sine forma conseruare. Non dixi [*Quidquid facere potest*] sed [*Quidquid conseruare*] quia multa facit Deus per causas secundas, quæ non potest se solo facere: quo pacto concurrit effectiue ad actus vitales creaturarum, & ad alia quædam opera non vitalia, quæ tamen ipse solus efficere non potest; veluti ad actum comedendi, ambulandi, tangendi eo modo, quo non viuentia tangunt. Additum est [*Non pertinentes ad constitutionem rei conseruatæ*] quia Deus non potest conseruare totum cõpositum sine suis partibus non modo omnibus, sed ne singulis quidem. Excipiunt quidam aduersæ partis authores à pronuntiato, quod sumpsimus, ea, quæ conseruantur per causas formales: quia effectus formalis, inquiunt, non potest conseruari sine causa formali. Verum indistincte loquuntur, nec colligunt institutum. Nam existentia materiæ non est effectus formalis proximus, & immediatus formæ substantialis, (*in solo enim genere proximorum effectuum formalium verum est effectum formalem alicuius formæ non posse sine ea conseruari, vt patet in calido, vt calidum est, & in calore, quo est calidum*) sed est eius effectus mediatus, & remotus; proximus enim est informatio materiæ; remotus vero

Effectus formalis proximus non potest à solo Deo conseruari.

A est conseruatio eiusdem in genere causæ formalis: quo pacto etiam calor in genere causæ formalis conseruat existentiam rei, quæ est calida, si calor ad eius conseruationem est necessarius. Quanquam ergo nulla virtute fieri potest, vt materia sit informata sine forma, tum quia forma est de intima ratione rei informatæ, vt informata est: tum etiam quia Deus non potest supplere per se ipsum vicem causæ formalis, quoad informatio- B nem, quia informare importat imperfectionem formæ; tamen diuina potestate fieri potest, vt materia conseruetur sine forma, quia Deus supplere potest per se ipsum vicem formæ quoad conseruationem materiæ in genere causæ formalis, quatenus illam continere potest in suo esse, quia id nullam imperfectionem secum affert, vt lib. 5. diximus.

cap. 2. q. 11.

Accedunt nonnulli Patres, qui non solum fieri posse concedunt, vt materia existat sine C vlla forma substantiali, sed etiam id factum esse initio mundi asserunt: hoc enim volunt Moysen de materia significasse, cum dixit: *Terra autem erat inanis, & vacua*, hoc est, informis: quod idem quidam Scholastici Doctores sentiunt, quanquam id factum fuisse minus est verisimile.

Materiam sine forma conditam insinuant Aug. de Gen. contra Manichæ. c. 7 confess. li 12. Ambr. 1. Hexam. c. 8. Basil. hom. 2. Chrys. Eucher, & alii ad eund. locũ. Mars. in 2. q. 8. ar. 2. & Gabr. d. 12. q. 1. art. 3. & q. 2. ar. 1.

D *Solutio argumentorum partis aduersæ.*

SECTIO V.

QVARE ad primum argumentum negatiuæ partis dicendum est nullam inuolui contradictionem in eo, quod materia sine forma existere ponatur, vt ostensum iam est: nam contradictionem ex eo recte concludi, quod Aristoteles ait materiam ex se nullum habere actum. Quanquam enim primus actus, qui ei de facto aduenit, est forma sub- E stantialis: potest tamen habere actum existendi sine illa. Tum demum autem fieret, vt materia esset actu sine vllo actu, si aliquando illa daretur in rerum natura non solum sine vlla forma, sed etiam sine existendi actu. Ad aliam vero extructionem eiusdem argumenti concedendum est, quidquid ex actu in rerum natura, esse actum, aut peculiarem sibi actum vendicare, si nomine actus etiam actus existendi, & non sola forma, quæ veram entita- F tem habet intelligatur Quanquam vero proprius, & peculiaris actus materiæ sit forma substantialis: potest tamen materia eo spoliari conseruata eius existentia supernaturali Dei virtute, supplentis nimirum in genere causæ formalis, vt continens est, defectum substantialis formæ.

Ad secundum dicendum proprium quidem

dem

dem esse formæ substantialis dare esse substantiale, tum informando materiam, tum etiam conseruando illam: cæterum, etsi Deus illam se solo informare non potest, posse tamen se solo conseruare, suppleto ad id conseruatiuo concursu formæ substantialis, non mutato in effectiuum, vt quidam non recte existimant.

Exponitur illud, vt res se habet ad esse, ita ad cognosci.

Ad tertium dicendum propositionem illam [*Quo pacto se res habet ad esse, ita & ad cognosci*] intelligendam esse quoad rerum essentias, non quoad earum existentias: alioqui non posset vlla forma substantialis existere sine materia, neque vlla accidentalis sine subiecto; quia illæ sine materia, hæc autẽ sine subiecto intelligi non possunt.

Compositum tam phys. quam metaphys. habere suam pecul. existentiam.

Ad quartum dices nihil obesse vnitati compositi, quod materia peculiarem habeat existentiam distinctam ab existentia formæ: nam præter eas existentias, totum etiã ipsum habet suam peculiarem existentiam, eamque vnicam, siue sit physicum, siue metaphysicum; quia, vt est per se vnius essentiæ, vnitatisve distinctæ ab entitatibus & vnitatibus partium, ita etiam est vnius peculiaris existentiæ.

Ad quintum dicendum, verum esse, quod dicitur, omne absolutum distinctum realiter ab alio absoluto posse diuina virtute sine illo conseruari, si modo aliud non pertineat ad constitutionem illius: at formam substantialem non pertinere ad constitutionem materiæ; proinde nihil impedire, quo minus materia sine forma substantiali diuina virtute conseruetur. Quod autem obiicitur de proprietatibus rerum, & partibus, ex quibus totum conficitur, partim negandum est, partim concedendum, illæsa sententia, quam sequimur. Nam proprietates eæ, quæ sunt vera entia, & non aptitudines quædam puræ, ita se habent ad subiecta, vt subiecta sine illis, & illæ sine subiectis diuina virtute conseruari possint, vt lib. 5. diximus; totum vero sine partibus, ex quibus constituitur, conseruari nullo modo potest, vt ostendimus lib. superiori.

Quæ proprietates possint sine subiecto conseruari. cap. 5. q. 1. sec. 5. c. 17. q. vn. sect. 4.

Ad postremum negandum est aptiorem esse naturam singularem substantiæ compositæ, vt existat sine supposito, quam materiam, vt existat sine substantiali forma. Nam etsi singularis substantia composita est completæ, & actualis naturæ, quia includit actum substantialem, materia vero incompletæ, & pure potentialis, quia nullum actum includit: tamen in eo sunt pares, quod nec natura existere potest naturaliter, nisi in suo proprio supposito, nec materia, nisi sub aliqua forma substantiali, cuius sit capax: supernaturaliter autem vtraque potest, cum Deus per se ipsum

A supplere possit & terminum naturæ, quo naturaliter completur suppositum, & causalitatem formæ, qua materia per illam conseruari solet. Pro qua re lege, quæ fusius diximus ad caput octauum libri quinti.

Maxime q. 6 sect. 4. & 5.

B

Num in corruptione rerum naturalium fiat omnium formarum resolutio vsque ad materiam primam?

QVÆSTIO II.

De quibus formis hoc loco possit esse dubitatio.

SECTIO I.

C

Etsi huius quæstionis occasionem arripiunt nonnulli ex iis, quæ Aristoteles tradit cap. 4. cum ait duobus modis hoc ex hoc fieri solere, aut cum progressione ad interiora, aut cum resolutione ad principium; tamen quia materiam primam attingit, neque admodum aliena est à superiori, eam hoc loco tractare non grauabimur. Est autem quæstionis sensus, An cum res quælibet naturalis corrumpitur, omnes formæ, quæ in eius materia erant, expellantur, vt formæ rei, quæ generatur, introducantur? Cumque hoc intelligi possit vniuerse tam de formis substantialibus, quam de accidentalibus, quod quidem ad substantiales attinet, paucis expediri res potest.

Text. 18.

Quæst. sensus

D

Tres fere sunt hac de re Philosophorum sententiæ. Vna eorum, qui in nulla corruptione putauerunt fieri earum resolutionem vsque ad materiam primam, quod in omnibus rebus, quæ gignuntur, & intereunt posuerint formam corporeitatis materiæ coæuam, quam sententiam paucissimi sunt, qui sequantur. Altera eorum, qui crediderunt in aliis eam resolutionem admittendam esse, in aliis non esse, quod existimarunt in solis viuentibus dari corporeitatis formam ab anima diuersam, vt quæ eam præcedat in generatione, & in corruptione, seu resolutione comitetur; tametsi aliter hi, atq; illi superiores corporeitatis nomen accipiunt, videl. pro organizationis, vt sic dicã: proinde non admittunt eam resolutionem, de qua est quæstio, nisi cũ elementa corrumpuntur, vt gignantur alia elementa, vel mista; aut etiã corrumpuntur mista non viuentia, vt gignantur quæcunq; non viuentia. Nã cum viuens ex nõ viuente generatur,

E

Variæ sent. circa formas substant. resolut.

Vide quæ diximus lib. sup. c. 12. q. vn. à sect. 7.

F

tur, non putant illi aliquam ibi esse corruptionem, sed solam nouæ formæ viuentis introductionem: cum autem viuens corrumpitur fatentur iidem esse ibi resolutionem, sed non ad materiam vsque primam, cum adhuc in materia remaneat illa eorum corporeitatis forma, quam mistionis appellant. Atque hæc sententia nec paucorum est, nec ignobilium Philosophorum, ac Theologorum. Tertia est eorum, qui dum vnam tantum substantialem formam in quolibet ente naturali ponant, consequenter fatentur in omnibus corruptionibus fieri resolutionem formarum substantialium vsque ad materiam primam, quia expulsa vna, quæ adest, nulla restat expellenda: quæ sententia vt est plane Aristotelica, potioribusque Philosophis placet, ita & nobis probatur, eaque ex superiori libro perspicua relinquitur.

Aristotelica sentent. hac de re.

De accidentalibus autem formis, quæ in vnaquaque re multæ sunt, & eo plures, quo illa est perfectior, tota reliqua est dubitatio. Verum nec de omnibus æquum est, vt disseratur, cum certum omnino sit quædam accidentia esse, quæ partim materiam, partim formam nequaquam deserant, sed semper comitentur vel materiam, quouis modo illa mutetur: vt relatio actualis dependentiæ illius à Deo; & existentia eius in loco, ac tempore: vel formam substantialem, quæ expellitur, siue cum ea permaneant extra materiam vt intellectus, & voluntas cum anima rationali: siue cum ea pereant, vt facultates propriæ brutorum animantium. De his enim omnibus non est, cur disputetur, cum constet, quid de singulis dicendum sit. At de iis, quæ æque videntur conuenire rei, quæ generatur, atque ei, quæ corrumpitur, vt est quantitas, multæque qualitates vtrique consentaneæ, aut certe neutri repugnantes, merito quæri potest, ac debet, permaneat ne re vera in re genita, quemadmodum fuerant in ea, quæ interiit, an potius omnes expellantur, vt aliæ introducantur. Sensus enim (*imo & intellectus, cum sensuum iudicium, & experientiam sequitur*) iudicat non esse diuersas, vt calorem in cibo, & sanguine in quem conuertitur, aut in sanguine & carne, quæ ex illo generatur. Intellectus vero secutus quædam principia, & fundamenta, quibus generatio ex materia prima, & forma substantiali stabilitur apud Aristotelem, & alios primarios Philosophos, iudicat, quandocunque pellitur forma substantialis quæ prima est in quaque re, accidentia omnia, quæ non sunt materiæ propria, & peculiaria simul cum ea expelli; vt quæ postea cernuntur in re genita, non sint eadem numero, sed ad summum sola specie. Itaque cum

Quædam acciden. semper in corruptione comitari materiam alia formã.

De quibus accidentalib. formis procedat quæst.

Sensum in hac re cum ratione pugnare.

A ratio in hac re pugnet cum sensu, neque omnes rationi assentiantur contra sensuum iudicium, nisi cum valde luculenta est demonstratio, operæ pretium erit controuersiam hanc aliquanto diligentius discutere.

Opinio eorum, qui sentiunt non fieri resolutionem accidentium vsque ad materiam primam, quoad ea, quæ consentanea sunt rei genitæ, atque
B *corruptæ, aut etiam neutri repugnantia.*

Sectio II.

IN hoc igitur communi accidentium genere non fieri resolutionem vsque ad materiam primam, sed eadem numero manere in genito, quæ fuerant in corrupto, sententia
C est multorum: non eorum tantum, qui plures formas substantiales ponunt in eodem composito, quarum aliqua aut semper, aut sæpe relinquatur in materia: sed etiam quorundam ex iis, qui vnam tantum huiusmodi formam in eodem agnoscunt: quorum argumenta hæc sunt ferme.

Vt Auic. 1. suff. c. 7. Gad. quodl. 15. q. 7. Ock. quodl. 2. q. 18. Greg. in 2. d. 12. q. 2. & Gabr. d. 16. q. 1.

Primum, quia si accidentia omnia rei, quæ corrumpitur, & cuius forma esse desinit, (*vt hominem excipiamus*) in ipso instanti corruptionis pereunt, non est, cur potius forma huius,
D vel illius speciei, quam cuiuslibet alterius introducatur: nulla enim tunc erit dispositio in materia, quæ illa potius ad hanc, quam ad illam speciem determinetur.

Argumenta pro hac sententia.

Deinde, quia nullum in eo instanti erit instrumentum, quo agens principale educat formam è potentia materiæ: sicque aut nihil gignetur, aut dabitur effectus in actu sine causa in actu, quod fieri posse ipse Aristoteles negat lib. 5. cap. 2.

text. 3.

E Tertio, quia si in eo instanti necesse est alias numero dispositiones præcedentibus similes succedere, nulla omnino est ratio, cur præcedentes perire debeat; natura enim nihil frustra, ac sine ratione facit.

Ex Arist. 1. de cælo. c. 4. text. 33.

Quarto quia nullum est agens in eo temporis momento à quo illæ expellantur; siquidem solum generans (*concurrentibus tamen iis agentibus, quibus illud in agendo subordinatum*
F *est*) eas induxerat, vt earum interuentu induceretur forma rei generandæ: non potest autem vllum agens in agendo sibi esse contrarium.

Quinto, quia non est agens vllum, à quo in momento introductionis formæ dispositiones illæ nouæ gignantur; aut enim præcedent natura formam, aut subsequentur, quorum neutrum fieri potest. Nam si præce-

dunt

dunt natura quonam pacto introducuntur in materiam nudam, qualis præcedit natura in eo instanti formam substantialem? agens enim naturale in materiam nudam agere non potest. Sin sequuntur formæ introductionem; ergo forma eo temporis momento introducta est in materiam indispositam, quod fieri nequit: agentium enim actus, vt Arist. ait 2. de Anima cap. 2. sunt in patiente dispositio. Accedit, quod dispositio materiæ non est proprietas formæ, vt eius introductionem consequatur.

Text. 14.

Sexto, quia in cadaueribus recens genitis ex nimio frigore reperitur calor: is autem nō potuit induci à nimium frigido agente: relictus ergo fuit idem numero in ipsa animalis materia, etiamsi nulla in eo sit forma corporeitatis ab anima diuersa.

Septimo, quia & quotidiana experientia, & pia obseruatio in hanc eandem opinionem conspirant. Nam & mistis experimur variam temperationem primarum qualitatum, quæ fuerant in elementis, & in pharmacis compositis varias virtutes simplicium, ex quibus conflata sunt, easdemque veneramur cicatrices sanctorum corporum, & easdem ossium figuras; vt cum communi hominum sensu, & sana religione pugnare contraria opinio videatur.

Octauo, quia etsi nullum aliud accidens concedatur in genito, quod fuerit in corrupto, certe quantitas nunquam materiam deserere videtur; quod multis, & magni momenti rationibus graues authores probant, vt paulo post dicetur.

Postremo, quia si quid obstaret, quo minus eadem communia accidentia eius, quod corruptum est, permanerent in genito, id esset maxime, quia cum res corrumpitur amittitur vnica forma substantialis, quæ in quolibet ente naturali est, vt ex superiori libro constat: ea autem amissa nullum superest subiectum, in quo huiusmodi accidentia conseruentur, quod subiectum esse debet actuale, non pure potentiale, vt est materia prima: at hoc falsum esse multis quoque rationibus nobiles Philosophi ostendunt, contendentes materiam primam æque accidentium corporalium, atque formarum substantialium, esse proprium, & germanum subiectum, vt paulo etiam inferius dicetur. Accedunt plura Aristotelis testimonia, quibus illum hanc quæstionis partem sibi persuasisse non dubitant huius sententiæ patroni: quale est illud 1. de Generat. easdem affectiones perspicuitatis, & frigiditatis esse in aere genito, quæ fuerant in aqua corrupta: & illud 2. lib. eiusdem operis, faciliorem esse transitum in

a. 11. q. vnic. sect. 1. & seq.

c. 3. text. 24. c. 4. text. 25. & c. 5. tex. 34

A elementis, quæ eandem communem qualitatem, quasi commune symbolum, habent, quam in iis, quæ non habent.

Num quantitas eadem numero perpetuo materiam comitetur?

SECTIO III.

B VT hæc controuersia dirimatur, duo prius videnda sunt. Vnum est an quantitas eadem numero semper comitetur materiam? si enim res ita habet, saltem hac ex parte constabit non fieri resolutionem omnium accidentium communium vsque ad materiam primam, habebiturque via facilis ad ostendendum, qua ratione cætera accidentia, quæ in quantitate recipiuntur, permanere possint eadem numero in genito, quæ fuerant in corrupto. Cuius dubitationis partem affirmatiuam C probat Auerrhoes multis in locis, quam vt stabiliat, distinguit dimensiones (sic enim appellat quantitatem trinæ dimensionis, quæ in materia cernitur) in eas, quæ interminatæ sunt, & in eas, quæ terminatæ: interminatas appellat non eas, quæ careant termino in rerum natura, cum nullæ sint, sed ipsas terminatas, quatenus secundum se spectantur, suamque terminationem, figurationemque naturæ ordine præcedunt: terminatas vero, cum D iam spectantur vt his, vel illis terminis circumscriptæ. Ait ergo interminatas esse coæuas materiæ; terminatas sæpe variari, seu potius ipsas interminatas, figuratasque hoc modo esse, nunc illo. Auerrhoem sequuntur non solum Arabes, sed multi etiam ex Latinis in quibus sunt complures recentiores Philosophi eius sectatores in iis, quæ ad naturæ doctrinam pertinent; & ex Theologis scholasticis Aureolus, Gregor., & alii non pauci: pro E qua re multa congerunt argumenta, ex quibus hæc pauca licet desumere.

Auerr. opin. 1 Phys. cōm. 63. & lib. de subst. orbis c. 1. & 4. & in Epitome Metaph. tract. 2. c. vlt.

Aureol. apud Capr. in 2. d. 11. q. 1. ar. 2. Greg. d. 12. q. 2.

Primum. Vt qualitas est propria formæ, ita quantitas materiæ: at qualitates, quæ sunt propriæ formarum, nunquam eas deserunt, vt inductione patet in forma humana, equina, bouina & cæteris: ergo quantitas, quæ est propria materiæ, nunquam deserit materiam.

Argumenta pro Auerrois sentent.

F Secundum. Si qua de causa quantitas non esset coæua materiæ, ea maxime ratione non esset, quia esset actus natura sua posterior, quam forma substantialis; sicque eam supponeret in materia, vt illa adueniente adueniret, recedenteq; recederet: atqui hoc dici non potest, tum quia quantitas, cum extendat materiam, vt habeat partes extra partes, necessario præcedit non solum natura, sed etiam

iam tempore, formam quamlibet substantialem, quæ recipi omnino non potest, nisi in materia extensa, vt inductione patet; tum etiam, quia introductio formæ substantialis supponit distinctionem materiæ, in qua recipitur, à materiis aliarum rerum: non expellitur ergo præcedens quantitas à materia, sed est illa coæua.

Tertium. Aut quantitas, quæ dicitur esse alia, atque alia cum alia etiam, atque alia forma substantiali, recipitur in materia quanta, aut non quanta; si in materia quanta, superuacanea est, quæ aduenit; si in non quanta, ergo in materia indiuisibili: at quæ indiuisibilia sunt, diuisibilia fieri non possunt, quemadmodum quæ immaterialia, non possunt fieri materialia: non potest igitur materia nouam quantitatem recipere, sed semper habet eandem sibi coæuam.

Quartum. Si in corruptione substantiæ præexistens quantitas expellitur à materia, aut expellitur per se, aut per accidens, nempe ad expulsionem substantialis formæ: at per se expelli non potest, quia nulla forma siue substantialis, siue accidentalis, quæ in materiam induci potest, contraria est quantitati, aut ei modo aliquo repugnat; nec vero ad expulsionem formæ substantialis præexistentis, quia æque congruit cum subsequenti. Ergo nullo modo expellitur, sed perpetuo materiam comitatur.

Postremum. Si in generatione substantiæ noua quantitas introduceretur, educeretur sane è potentia materiæ: at quandocunque actus vnius speciei est in materia, nullum agens intendit inducere alium eiusdem speciei; quia intentioni agentis æque satisfit per vnum, atque per alterum; non ergo introducitur quantitas noua in generatione vllius rei.

Quid efficiãt hæc arg. Sed argumenta hæc, si qua eorum aliquid probant, illud tantum efficiunt, vt ostendant, quantitatem nunquam per se, siue ex intentione agentium, aut ex propensione materiæ expelli à materia, sed semper ab eis supponi, & quantum in ipsis est, foueri, & conseruari; quia neque actio, aut passio vlla esse potest, nisi in materia quanta, siue extensa, (*indiuisibilia enim moueri, & omnino pati ab agentibus naturalibus non possunt*) satiusque illis esset hac ex parte pro generatione rerum complenda, si eadem numero quantitas semper in materia perseuerare posset. *Quo sensu quãtitas dicatur mat. ria coæua.* Itaque hæc quantitatis species ex intentione quidem agentium, & propensione materiæ coæua ipsi materiæ est, adeo vt etiam à D. Thom. qui alias perspicue docet, eam amitti in cuiusuis rei corruptione, sæpe numero dicatur illi coæua, vt patet ex iis, quæ ille scribit de dimensionibus interminatis in 4. sent. *d.* 12. *q.* 1. *&* *d.* 44. *q.* 1. & 4. *contra Gent. cap.* 80. *Cur non ita qualitates.* *& aliis locis*: hoc autem de sola quantitate molis dicitur, quia de nulla qualitate specie dici potest: nulla enim est in rebus corruptibilibus, cuius expulsio non intendatur ab aliquo agente naturali, & ab ipsa etiam materia non appetatur, vt introducatur alia diuersæ speciei. At si intentio agentium, propensioque materiæ non attendatur, sed solum quæratur, quid re ipsa in corruptione cuiusque rei per accidens eueniat; (an scilicet propter defectum subiecti, in quo quantitas conseruatur, præcedens esse desinat?) hoc, inquam, ex ea dubitatione explicanda pendet, *Decisio huius dub. vnde eijcienda.* Quodnam subiectum assignandum sit huiusmodi quãtitati, & quanam ratione illud eam suscipiat, & retinere possit; quæ dubitatio mox discutienda est.

Satisfit arg. Auerroist. Quare ad primum argumentum dicendum, etsi quantitas modo aliquo dici potest proprietas materiæ, nempe quatenus materia nunquam naturaliter esse potest sine quãtitate aliqua, dubium tamen esse, num semper eadem numero in illa esse debeat, an satis sit, si sit eadem specie. *Quantitas quonam modo sit proprietas materiæ.* Nam etsi proprium, etiam cuiusque corporis, dicimus esse in loco, non est tamen necesse, vt illud sit semper in loco eodem numero. Nec refert, quod aliter accidat in proprietatibus formarum substantialium, quarum vnamquamque certum est eandem numero suæ formæ coæuam esse, vt animæ humanæ eundem numero intellectum, & formæ solis, seu potius soli ipsi eandem numero lucem: sunt enim varii proprietatum gradus, quibus variæ conditiones conueniunt. Sed num eadem numero materia, an eadem specie tantum, sit in re genita; quæ fuit in corrupta, paulo post patebit: satis sit hoc loco argumentum nihil conficere in eo sensu, in quo quantitas modo aliquo materiæ proprietas dici potest.

Ad secundum dicendum, si quantitas re vera posterior est natura, quam forma substantialis, non esse dicendum recipi formam in materia formaliter extensa, sed extensionis capaci, & ex consequenti in materia capaci distinctionis ab alia materia. Et quamquam dum durat actio introductiua, (*quæ in generatione non distinguitur à motu*) adhuc materia est formaliter quanta ad recipiendum motum; in ipso tamen introductionis momento dubium adhuc relinqui, an sit formaliter quanta prius natura, quam formam recipiat.

Ad tertium eodem modo dicendum est, quantitatem nouam, si datur in generatione,

Materiã sine quantitate esse diuisibilem remote.

ne, recipi in materia non quanta, sed quantitatis capaci; materiam autem, etsi quatenus talis est, non est proxime diuisibilis, esse tamen diuisibilem remote, vtpote per quantitatem, cuius est capax: quo fit, vt etsi eo pacto indiuisibilis priuatiue dici possit, (*non negata videlicet aptitudine ad diuisionem*) negatiue tamen indiuisibilis dici nequeat, negata eiusmodi aptitudine: quo pacto nunquam id, quod indiuisibile est, potest fieri diuisibile; sicut neque materiale id, quod est immateriale.

Quantitatẽ non desinere per se in corruptione.

Ad quartum, & quintum dices, ea nihil aliud colligere, nisi quantitatem non desinere per se in corruptione, cum quo tamen verum esse potest, desinere illam per accidens ac desitionem, aut expulsionem formæ rei, quæ corrumpitur, etiamsi æque congruat cum forma rei, quæ generatur: hoc enim necesse est fateri, si illa in suo esse, aut à re, quæ corrumpitur, aut ab eius forma pendet. Pro cuius resolutione iam secundo loco videndum est, quodnam sit subiectum accidentium materialium, à quo illa in suo esse pendeant.

Num accidentia materialia inhæreant materiæ, an toti composito?

SECTIO IV.

IN hac altera dubitatione nihil refert, quod proprietates materiales compositorũ cum ipsis compositis incipiant esse, ac desinant, vt propterea videantur sine controuersia illis inhærere, non materiæ: possunt enim cum compositis incipere esse, ac desinere, & nihilominus in materia esse, vt in subiecto inhæsionis, si à formis compositorum pendeant. Itaq; de omnibus accidentibus materialibus, siue propria sint, siue communia, hæc dubitatio proponitur.

Prima sent: Greg. in 2. d. 12. q. 2. art. 2. Gabr. d. 16. q. 1. art. 1.

Tres sunt in hac re sententiæ. Prima est Gregorii, Gabrielis, & fere Nominalium, qui dicunt, subiectum inhæsionis accidentium materialium esse materiam primam sine vlla dependentia à certa forma substantiali, sed solum ab aliqua differenter, quatenus materia non potest naturaliter sine aliqua earum existere: quam dependentiam alii vocant dependentiam per accidens, alii conditionem sine qua non: ita tamen, vt si materia sine forma substantiali posset naturaliter existere, nihil iam ad recipienda, sustinendaque vera, & absoluta accidentia ea requireret, quod ipsa per se sit sufficiens subiectum materialium accidentium.

Huius opinionis argumenta hæc sunt præcipua: Vnum, quia quemadmodum accidentia immaterialia insunt formæ sine dependentia per se à materia: ita materialia inesse debent materiæ sine dependentia per se à forma: est enim par in vtrisque ratio.

Alterum: quia in eo subiecto insunt accidentia materialia, è cuius potẽtia educuntur: certum est autem, illa educi de potentia solius materiæ, non formæ, nec compositi, nisi forte ratione materiæ: cum igitur nemo dixerit illa educi de potentia materiæ ratione formæ, seu dependenter à forma eius rei, in qua sunt, (sæpe enim ei formæ repugnant, vt patet in aqua, quæ calefit) sequitur ea in sola materia vt subiecto inhæsionis in esse sine vlla per se dependentia à forma substantiali eius rei, in qua sunt, multoque minus à forma alicuius alterius.

Tertium: quia in eo subiecto inhærent huiusmodi accidẽtia, quod ad formam substantialem disponunt: cõstat autem ea solam materiam ad illam recipiendam disponere; quod si materia sola disponitur, & prius natura disponitur, quam formam substantialem recipiat, non vtiq; materia recipit huiusmodi accidentia dependenter à forma, sed potius formam dependenter ab illis.

Postremum: quia materia prima est commune subiectum formarũ omnium, tam substantialium, quam accidentalium, quod Aristoteles sæpius tradit; cum ergo non recipiat substantiales, nisi interuentu accidentalium, perspicuum relinquitur, esse eam subiectum inhæsionis accidentium sine dependentia per se à substantialibus, sed solum per accidens, quatenus naturaliter existere in rerum natura non potest sine aliqua forma substantiali.

Vt l. 4. Phys. c. 9. text. 84. hoc c. text. 4. & l. 2. de gen. c. 1. tex. 6. quo ad accidentales, quoad alias passim.

Secũda sent. D. Th. 1. p. q. 76. a. 6. & q. 77. a. item 6. & q. de spiri. cre. a. 3. Alb. in sum. de ho. 2. p. q. An nu trit. fi. tex fi. mi. a 1. Dur. in 1. d. 8. 2. p. q 4. Cap. in 2. d. 13. q. 1. cõcl. 3. Caie. de Ente & Ess. c. 7. q. 16. Ferr. 4. cont. gen. c. 81.

Secunda sententia est complurium sectatorum D. Thomæ, quam non modo dicunt esse illius, sed etiam eius præceptoris Alberti, & Durandi. Ea vero est subiectum inhæsionis accidentium materialium nõ esse materiam primam, sed totum compositum ex materia, & forma, quod his fere argumentis probant.

† Arg. quib. probatur.

† Primum, quia eadem sunt subiecta formarum, quæ mutatione aliqua acquiruntur, & ipsarum mutationum, cum mutationes, & formæ, quæ per eas acquiruntur, re ipsa non differant: at de Aristotelis sæpe* repetita, & ab omnibus recepta sentẽtia hoc differt subiectum mutationum accidentalium, seu motuum, à subiecto substantialium, hoc est, generationis, & corruptionis, quod harum subiectum est pura potentia, illarum autem ens actuale, quod est totum compositum; igitur hoc differt subiectum accidentium, quæ motu ac-

** Vt lib. 1. de gene. c. 4. tex.*

ta acquiruntur, à subiecto formarum substantialium, quę generatione introducuntur, & corruptione abiiciuntur, quod harum subiectum est materia prima, illorum autem totum compositum.

Deinde quia illud est proprium, & germanum accidentium subiectum, & sustentaculum, cuius virtute illa operantur, tanquam quædam illius instrumenta: quis autem dicat, accidentia materialia virtute solius materiæ tam multa, & tam varia operari? Etsi enim materia omnia fieri potest, tantum abest, vt omnia possit facere, vt nihil potius facere possit. Quanquam vero hæ duæ rationes non de omnib. omnino accidentib. loquuntur, sed de iis tantum, quæ mutatione aliqua acquiruntur, & de iis, quæ sunt instrumentaria agendi principia; non est tamen, cur non idem dicendum sit de cæteris.

Tertio, quia illud est subiectum accidentium, à quo illa essentiali habitudine pendet, & per quod essentialiter definiuntur, vt patet ex primis capitibus *lib* 7. at accidentia materialia non pendent essentiali habitudine à sola materia, sed à toto composito; nec per eam solam, sed per totum compositum definiuntur, vt apertum est: ergo, &c.

Quarto, quia, vt dictum, & probatum est in procemio primi libri, omnes veræ, ac reales actiones sunt suppositorum, hoc est, singularium naturaliter per se subsistentium, vt eo loco interpretati sumus suppositorum vocabulum in hac re vsurpatum à Scholasticis: cum ergo eo loco ostensum sit eas esse suppositorum non solum effectiue, & terminatiue, sed etiam subiectiue; materia vero naturaliter non per se subsistat; efficitur, vt materia non sit earum subiectum, ac proinde nec accidentium materialium, quæ per eas in rebus naturalibus introducuntur, sed ipsa naturalia composita, quæ per se subsistunt.

Postremo, quia subiecta omnium accidentium sunt primæ substantiæ, vt sentit Aristoteles in prædicamentis, cum docet, cætera omnia, quæ prædicantur de primis substantiis, aut de eis dici essentiali prædicatione, si sunt substantiæ, aut in illis inesse, si sunt accidentia: cum ergo materia prima non sit prima substantia, sed soli composito in rebus materialibus hæc dignitas competat, non illa, sed compositum dicendum est subiectum accidentium materialium.

Tertia sententia à recentioribus quibusdam Diui Thomæ sectatoribus ex prima, & secunda explicatis, & correctis quasi conflatur. Alii enim distinguunt subiectum in subiectum Quo, & subiectū Quod: alii (tametsi eodem pene sensu) in subiectum inhæsionis proprium, & subiectum denominationis præcipuę. Tum dicunt, primam opinionem, si intelligatur de subiecto Quo, siue inhæsionis proprio, nempe cuius interuentu accidentia in composito insunt, seu cui proprie inhærent, veram sententiam continere, si alioqui corrigatur; secundam vero, si intelligatur de subiecto Quod, præcipua que denominationis, (*quod scilicet accidentia vi sua sufficienter sustinet, præcipueque denominatur, vt aqua à calore calida, non tantum habens calorem, quod etiam de materia aqua dici potest*) si hoc, inquam, modo intelligatur, veram quoque esse, nosque eam probamus, si modo & in ipsa nonnihil caueatur.

Quod igitur subiectum Quo, siue inhæsionis propriæ accidentium materialium sit sola materia, recte probant omnia argumenta primæ opinionis, neque opus est alia adiungere; sed illud in ea corrigendum, quod tollit dependentiam per se eorum accidentium à formis substantialib. compositorum, & ex consequenti ab ipsis compositis, in quibus existunt, & à quibus per se sustinentur; quam dependentiam secunda opinio recte probat, & aperte, physico tamen, & metaphysico more, demonstrat.

Vnde ad primum argumentum primæ opinionis, quatenus tollit dependentiam per se materialium accidētium à formis substantialibus dicēdum est, disparem esse rationem in iis accidentibus, atque in immaterialibus. Propterea enim immaterialia non dependent per se à materia, quia materia non est illorum causa, à qua nimirum accipiant esse simpliciter; licet possint accipere aliquod esse secundum quid, quo pacto intellectus accipit à corpore humano, vt intelligat cum phantasmatibus: at materialia accidentia per se pendent à forma substantiali eius compositi, in quo sunt, cum per se pendeant ab ipso composito à quo sustinētur in suo esse, quod compositum ab eadem forma essentialiter pendet.

Ad secundum, quatenus contendit, eiusmodi accidentia non pendere per se à forma eius compositi, in quo sunt dicendum est, etsi illa non educantur è potentia materiæ ratione talis formæ, seu dependenter ab illa, quasi illi sint consentanea, sed ratione potentialitatis ipsius materiæ; sustineri tamen per se in suo esse ab ea forma, & à composito, quod ex ea constat.

Ad tertium, quatenus eandem dependentiam inficiari nititur, dicendum, dependere quidem formam substantialem à dispositionibus, quæ ad illam disponebant materiam in re, quæ corrupta est potius, quam eas dispositiones

positiones ab illa: (*quandoquidem dispositiones præcedentes formam non accipiunt esse à forma, quæ nondum introducta est, sed potius forma ab illis, quatenus sunt agentis instrumenta*) at dispositiones, quæ existunt in ipsa re genita, potius pendere ab eius forma substantiali, quam ab illis formam: pendent enim illæ à forma, tanquam à sua causa per se, quod eam consecutæ sint, & ab illa accipiant esse in ipso eius introductionis momento; forma autem non pendet ab illis, nisi quatenus ab eis conseruatur in materia.

Ad vltimum, quod attinet ad eandem dependentiam, eodem modo respondendum. Materia enim, etsi recipit formam substantialem interuentu accidentalium, quæ præcesserant in re corrupta, tamen non recipit ea interuentu accidentalium, quæ consequuntur in ipsa re genita; sed has potius interuentu illius, cuius beneficio illæ, & incipiunt esse in re genita, & in ea vicissim conseruantur. Quo fit, vt non recte dicant, authores primæ opinionis, accidentia materialia communia (*de his enim loquuntur*, non pendere per se à forma substantiali eius rei, in qua sunt, sed per accidens, & tanquam à conditione sine qua non; à sola autem materia pendere per se vt à subiecto sustinente: neque etiam sit verum id, quod addunt, si per impossibile materia posset naturaliter existere sine forma substantiali, fore, vt ad sustentanda vera, & absoluta accidentia eam minime requireret. Adhuc enim ei deesset ratio sustinendi eiusmodi accidentia, quæ est forma substantialis, vt ex dicendis patebit.

Etiam communia accid. materiial. pẽdere per se à forma rei, in qua sunt.

Materia sine forma nõ posset sustinere accident.

Quid in secũda sent. eiusque argum. cauendum.

In secunda vero sententia illud cauendum, ne accidentia materialia credantur sic inesse in toto composito vt subiecto Quod, & præcipuæ denominationis, vt insint vtrique eius parti, quod Durandus existimat: neque enim insunt formæ substantiali. Itaque insunt toti, sed non totaliter; quia per solam materiam, cui proprie inhærent, insunt, seu inhærent toti.

Quod si quis quærat: Num saltem proprietates, quæ oriuntur ab ipsa essentia compositi, inhæreant proprie toti composito, vt distinguitur à materia, & forma simul sumptis? respondendum est, eas proprietates, si vera sunt accidentia, hoc est, veram habent entitatem, & inhærentiã, non inhærere proprie, nisi materiæ, quia materia est commune subiectum non solum formarum substantialium, sed etiam accidentalium materialium. Non sunt tamen ponendæ in hoc numero proprietates quædam spirituales, quæ homini conueniunt per animam, quatenus est rationis particeps; siquidem hæ ab anima oriuntur, vt in hominem redundent, & in materia inesse non possunt. Quod si proprietates totius compositi non sint vere accidentia, vt veram habeant existentiam, sed sint propensiones quædam naturales, quæ in puris essendi modis numerandæ sunt; hæ vt non habent veram entitatem, nec peculiarem sibi vendicant existentiam: ita nonnulli rei inhærent, sed sunt idem cum rebus ipsis, quarum sunt proprietates, sola modali distinctione ab eis distinctæ. Ita patet, quodnam sit subiectũ materialium accidentium, tum Quo, & propriæ inhæsionis, tum etiam Quod, & præcipuæ denominationis; primamque materiam non posse sustinere vera, & absoluta accidentia, nisi informatam substantiali forma.

In quo inhæreant proprietates, quæ ab essentia compositi oriuntur.

In omni corruptione fieri resolutionem vsque ad materiam primam.

SECTIO V.

EX his facile intelligi potest, affirmatiuam quæstionis partem esse amplectendam, non solum quoad formas substantiales, vt ostensum erat, sed etiam quoad accidentales: tametsi necessario excipiendæ videantur ex accidentales, sine quibus materia existere non potest, vt est relatio actualis dependentiæ illius a Deo, & existentia in spatio extensiuo, & successiuo; ab his enim nunquam nudari potest, si manere debet in rerum natura, etiam si diuina virtute sine forma substantiali creetur, aut conseruetur. Vnde non recte dicunt nonnulli, ne relationem quidem vllam posse dari in materia sine forma substantiali, cum necessario sint excipiendæ illæ, quæ non possent non sequi materiam, si absoluta Dei potestate sine forma substantiali existeret.

Conclusio. Est D. Th. 1. p. q. 76. ar. 6. & l. 1. de gen. c. 4. text. 24. Alen. 4. p. q. 57. m. 4. Caiet. c. 7. lib. de ente & ess. q. 17. Cap. in 2. d. 13. q. & in a. 3. & aliorũ.

Quæ accid. semper in materia perseuerent.

Quod igitur hoc pacto in omni corruptione fiat resolutio formarum accidentalium vsque ad materiam primam, (ea tamen exceptione, quam modo fecimus, necessario subaudita) patet primum ex eo, quod de subiecto accidentium definitum est. Nam cum eorum subiectum principale, seu quod ea in suo esse sufficienter sustinet, sit totum compositum, cui soli inter materialia conuenit per se subsistere, eo dissoluto necesse est, vt omnia materialia accidentia, quæ in eo erant, esse desinant; alioqui iam migrarent è subiecto in subiectum, quod non minus impossibile est, si sermo sit de subiecto, quod ea omnino in suo esse sustentabat, quam de eo, cui illa proprie inhærebant. Nam etsi accidentibus non aliud, seu alia natura sit esse, alia inesse, eo modo, quo initio libri superioris explica-

Probatur rationibus.

1. q. 1. sect. 11.

explicatum est: tamen quodammodo prius eis conuenit esse, in quo cum omnibus entibus côueniunt, quam in esse, quod est eorum proprium. Vnde fit, vt si illa naturaliter non possunt inesse in alio subiecto, quam in quo inerat: minus etiam esse possint in alio, quam à quo plene suum esse habebant.

Deinde idem probatur ex ordine essendi simpliciter, & secundum quid ipsius materiæ. Nam cum prius natura aliquid esse debeat simpliciter, quam secundum quid, vt inductione patet; (*prius enim natura est, hominem esse, quam eundem esse album, & ita in cæteris*) materia vero naturaliter non possit esse simpliciter in rerum natura, nisi per formam substantialém, fit, vt naturaliter esse non possit per solam formam accidentalem: quare si materia in corruptione compositi spoliatur omni forma substantiali, omni quoque accidentali nudetur necesse est. Quod plane vidit Scotus, & alii, qui vt defenderent eadem numero accidentia mansisse in corpore Domini sepulti, necessario concedendum esse dixerunt, mansisse quoque in eo substantialem corporeitatis formam.

Scot. in 4. d. 11. q. 3. & Henr. quodl. 2. q. 2. & aliis locis.

Tertio idem probatur ex ordine primi actus, & secundi, qui inter se sunt essentialiter subordinati. Vt enim se habet actus secundus in operando ad actum primum in operando; ita se habere debet actus secundus in essendo ad actum primum in essendo: actus autem secundus in operando non potest vllo modo elici sine actu primo: vt actus videndi sine potentia visiua, & actus intelligendi sine potentia intellectiua: ergo & actus secundus in essendo, cuiusmodi est forma accidentalis respectu substantialis, non potest vllo modo esse sine substantiali.

Actum 1. & 2. vt in operando, ita & in essendo esse natura subord.

Obiectio.

Sed contra sic aliquis obiiciat, conseruari quidem formas accidentales rei corruptæ, antequam corrumpatur, per eius formam substantialem, eiusque concursum: sed tamen eum concursum, quo illæ per eam conseruantur, posse suppleri per formam substantialem rei genitæ quoad eas formas accidentales, quæ vtriq; formæ substantiali sunt consentaneæ; quemadmodum & concursus formæ rei corruptæ in conseruanda materia suppletur per formam rei genitæ. Huic obiectioni vt planius respondeatur, aduertendum est, cum omnes qualitates recipiantur in materia interuentu quantitatis, (mittamus enim relationes) perspicuum esse, omnem difficultatem propositæ obiectionis reuocari posse ad quæstionem de sola quantitate, vt si eadem numero quantitas, quæ conseruabatur per formam rei corruptæ, conseruari potest per formam rei genitæ, idem quoque dici possit de qualitatibus corporalibus in cæteris: si vero illa non potest, neque etiam hæ possint. Non posse eandem numero quantitatem, quæ côseruabatur per formam rei corruptę, conseruari per succedentem formam rei formam rei genitæ, ex eo patet, quia etsi quantitas aliquando dicitur proprietas materiæ, eo quod omnis substantia materialis sit corporea; non est tamen re vera eius proprietas, sed totius compositi ex materia, & forma. Materia enim, cum sit pura potentia in toto genere entium, non potest ex se sola quasi parturire quantitatem, quæ est ens actuale, sed simul copulata cum forma substantiali, quatenus ea forma dat esse corporei in genere substantiæ. Oritur enim quantitas trinæ dimensionis ex substantia corporea, quemadmodum & cæteræ proprietates corporales, quæ in materia interuentu quantitatis recipiuntur: nisi quod quantitas oritur ex coniunctione primi gradus essentialis materiæ, & formæ; cæteræ autem huiusmodi proprietates ex coniunctione inferiorum graduum earundem. Quanquam infra primum gradum formæ substantialis tot sunt eius gradus essentiales, quot sunt species substantiarum corporearum, quas constituunt; sub primo autem gradu materiæ non sunt plures eius gradus immediati, quam duo; vnus materiæ corruptibilium, quæ amplitudine suæ naturæ potentialis sub eodem gradu capax est successiue infinitarum formarum; alter materiæ incorruptibilium, quæ sub se tot gradus essentiales continet, quot sunt species corporum incorruptibilium. Vnde quemadmodum aliæ materiales proprietates substantiarum corporearum, pertinentes ad prædicamentum qualitatis, pereunt dissolutis earum subiectis, neque conseruantur in eadem materia per succedentes formas substantiales: ita & quantitas, quæ est proprietas huius, vel illius substantiæ corporeæ, cum illa dissoluitur.

Nô posse eandem numero quantit. manere in re genita.

Cuiusnam sit proprietas & à quo oriatur.

Atque hæc sit vltima, & præcipua ratio pro conclusione proposita, quę sic habeat. Quantitas cuiusque substantiæ compositæ ex materia, & forma perit per corruptionem ipsius substantię corporeę, cum sit eius proprietas, & ex consequenti omnes materiales qualitates, quæ illius interuentu materiæ inhærent: ergo in omni corruptione fit resolutio omnium formarum absolutarum ad materiam vsque primam: neque enim alias formas accidentales absolutas ponimus præter quantitatem, & qualitates.

Præcipua ratio pro conclus.

Ad obiectionem ergo respondendum est, non esse parem rationem in concursu formæ substantialis rei genitæ ad conseruandam eandem

Dissoluitur obiectio.

eandem numero quantitatem rei corruptæ, & ex consequenti cætera accidentia absoluta vtrique consentanea, atque in concursu eiusdem formæ ad conseruandam eandem numero rei corruptæ materiam. Nam quemadmodum quantitas rei corruptæ erat propria illius formæ substantialis, sicut & totius compositi, à quo oriebatur; ita & concursus ipsius, vnde non potuit per aliam formam suppleri: at formæ rei corruptæ concursus ad conseruandam materiam non erat proprius illius, sed communis cuicunque formæ substantiali, quæ in ea existeret, vt perspicuum est; proinde posse eius concursum ad conseruandam materiam per formam rei genitæ suppleri.

Postrema ratio ex authoritate Arist. Num. 14.

Postremo probatur eadem assertio ex aperta Aristotelis sententia in primo de Generat. cap. 4. docet, corruptionem substantialem esse mutationem totius nullo eodem sensibili manente: vnde ille pari ratione vult colligendum esse, generationem esse mutationem in totum nullo eodem sensibili manente. Ait autem, corruptionem esse mutationem totius, hoc est, totius compositi, qualecunque sit, (*siue per se scilicet, siue per accidens*) ab esse ad non esse; quia omnis corruptio tendit ad aliquod non esse rei: quo etiam modo generatio est mutatio in totum aliquod compositum, quia omnis generatio tendit ad aliquod esse. Addit autem, *Nullo eodem sensibili manente*, vt distinguat generationem, & corruptionem substantialem à cæteris mutationibus: in cæteris enim semper aliquid sensibile manet sub vtroque mutationis termino. Cur ergo Aristoteles excludat à generatione, & corruptione substantiali omne commune subiectum sensibile: materia vero cum accidente materiali sit subiectum sensibile; perspicuum relinquitur, illum docuisse eo loco nullum accidens materiale, siue sensibile relinqui in materia geniti, quod fuerit in materia corrupti.

[illegible] explicatio [illegible] Arist.

Respondent quidam negatiuæ partis defensores, Aristotelem se ipsum mox interpretatum esse in eam sententiam, quam ipsi sustinent. Aiunt enim, cum ille dixisset, *Nullo eodem sensibili manente*, propterea addidisse, *Vt subiecto*, [illegible], nullum sensibile accidens remanere in genito, quod fuerit in corrupto: id enim dicunt ab eo non negari, sed tantum negari, remanere illud vt subiectum. Sed hi multis modis peccant. Primum enim non recte sic argumentantur, [*Non negauit, ergo affirmauit.*] Deinde quis sanæ mentis Philosophus in dubium vertat, num accidens sensibile sit commune subiectum in generatione, & corruptione, vt Aristoteles hac explicatione, quam adhibet, tam ineptæ dubitationi occurrat? Præterea, etsi quis temere admittat, Aristotelem accepisse verbum [*sensibili*] pro accidente sensibili, non pro subiecto sensibili; tum addere eam explicationem, vt intelligatur non remanere illud vt subiectum transmutationis; quid inde habetur, quod pertineat ad explicationem subiecti generationis, & corruptionis, quod ibi erat tradendum, & opponendum subiecto alterationis quod proxime traditum erat? Qui enim docet non manere accidens sensibile vt subiectum, non docet, quid maneat vt subiectum. Postremo sub finem capitis, cum iuxta ea, quæ dicta erant; generatio, & corruptio conferuntur cum cæteris mutationibus, nomine manentis sensibilis perspicue intelligitur subiectum sensibile, non accidens sensibile; sic enim dicitur: *Ac cum id non manet, in quo affectio altera, aut omnino accidens insit, tum omnis generatio est alterius corruptio.* Itaque explicatio illa, *Vt subiecto*, ab Aristotele addita eo pertinet, vt verbum, *sensibile*, non sumatur pro accidente sensibili, vt sæpe accipi solet, sed pro subiecto affecto accidente sensibili, vt nimirum sententia loci sit; Cum totum mutatur non manente eodem subiecto sensibili, seu actuali sub vtroque termino, sed pure potentiali, tum esse vnius generationem, alterius corruptionem. Neque insuetum est, sed maxime vsurpatum, vt particula *vt*, sumatur pro, Quatenus, quo pacto hic sumitur, vt sensus sit, *Nullo eodem sensibili manente*; quatenus verbum, *sensibili*, sumitur pro subiecto sensibili, non pro sensibili accidente. Ita patet non modo rationibus, sed aperta etiam Aristotelis sententia, nullum accidens sensibile, seu materiale manere in genito, quod fuerit in corrupto, etiamsi sit quantitas ipsa quæ omnibus rebus, quæ generantur, æque atque iis, quæ corrumpuntur, congruit, sicque in omni substantiali corruptione fieri resolutionem formarum tam substantialium, quam accidentalium vsque ad materiam primam, iis exceptis, quæ materiæ necessario conueniunt, si diuina potestate existeret sine forma substantiali.

Solutio argumentorum negatiuæ partis.

SECTIO IV.

Per quid determinetur materia ad formam substantialem.

AD primum igitur negatiuæ partis argumentum dicendum est materiam determinari ad formam substantialem, quæ introducenda est, per dispositiones immediate præcedentes; quia productio substantialis

Mmm formæ

formæ in eo instanti, in quo introducitur, non est actio, si illa educitur è potentia materiæ; sed actionis immediate præcedentis terminatio: quod si non educitur è potentia materiæ, quod soli humanæ contingit, eius productio est vera actio, quia creatio; sed eius introductio, quæ posterior natura est, quam creatio, est etiam actionis præcedentis terminatio; quia homo cum hominem generat, etsi non dat formæ geniti esse, dat tamen illi inesse, seu coniungi materiæ, quod est terminare humanam generantis actionem virtute seminis exercitam.

Ad secundum dicendum, actionem, qua forma educitur à potentia materiæ, immediate præcedere instans introductionis; tunc autem, cum actio existit, existere instrumenta, quibus forma educitur, nempe dispositiones proxime præcedentes. Neque opus esse, vt instrumenta existant, cum effectus est absolutus, sed cum fit; quo pacto semen non est, cum fœtus est genitus, sed cum generatur. Illud autem, quod Aristoteles lib. 5. de causa in actu, & effectu in actu docet, non sic intelligendum est, vt causa tunc actu causet, cum effectus iam causatus est, sed cum adhuc causatur.

Dum actio est, cum fit, opus est existere instrumenta.

Ad tertium sic respondendum, si fieri posset, vt eædem dispositiones, quæ fuerant in corrupto, manerent in genito, id quidem natura faceret; frustra enim præcedentes expelleret è materia, vt alias similes introduceret: at quod dici solet, *Naturam semper meliora moliri*, intelligendum est de sibi possibilibus.

[illegible] Arist. 1. de gener. animal. c. 4. lib. 2. de partib. animal. c. 1. & lib. 4. c. 10.

Ad quartum dicendum sæpe per accidens fieri, vt agens aliqua ex parte sibi sit in agendo contrarium, veluti cum correpentino metu salutis suæ causa ad se trahit dilectum sanguinem, cuius copia aliquando suffocatur. Sic ergo generans (*potissimum vero generale*) cum disponit materiam, vt per dispositiones, quas inducit, formam substantialem non solum inducat, sed etiam conseruet, dum formam præcedentem per eas dispositiones, expellit, ipsas quoque dispositiones, quibus sequentem induxerat, necessario cum præcedente expellere cogitur.

Sæpe agens sibi est per accidens contrarium.

Ad quintum dicendum, dispositiones completas, quæ cum forma geniti in eodem instanti introducuntur, non præcedere natura formam, sed sequi: sunt enim propriæ eius formæ, quæ introducitur: non esse tamen simplicia accidentia, vt sunt aliæ plurimæ proprietates, sed plurium accidentium coniunctiones. Vnde non efficitur, formam introduci in materiam indispositam, cum proxime disposita fuerit à generante, & ad formam determinata, vt dictum est.

A Ad sextum dicito, esse quidem nimis frigidi agentis intentionem totum calorem animalis viuentis expellere, sed quia minor frigoris intensio satis est ad illud interimendum, inde fieri, vt cum illud interimit, nondum sit in partibus interioribus omnis calor expulsus, si de expulsione per se, & ex intentione agentis sit quæstio: at de expulsione per accidens non est dubium, quin omnis calor tum expellatur, quem tamen alius similis in interioribus cadaueris partibus sequitur, propter

B qualitates in materia immediate præcedentes, quas agens non potuit tam celeri alteratione omni ex parte vincere.

Cur [illegible] frigus [illegible] [illegible]

Ad septimum dices in iis, quæ non sensu, sed ratione examinanda sunt, qualis est identitas, & diuersitas numeralis rerum, maxime vero similium, repugnandū omnino esse sensui, cum ratio oppositum demonstrat: vt in duobus eiusdem gallinæ ouis omnino similibus, si quis successiue ea videat; neque enim

C ex vi visionis ea poterit numero distinguere, quæ tamen diuersa esse ratione demonstrabit ei, qui nouerit eam gallinam bis tantum peperisse, & ouum, quod idem homo prius viderat, ab alio comestum esse. Idem interdum accidit in magnitudinibus, vt solis, & lunæ, quas æquales, aut etiam maiorem esse lunam sensus iudicat; cum tamen ratio ex distantia, quam comperit inter vtrumque astrum, de-

D monstret solis magnitudinem pene quingentis partibus lunæ magnitudinem superare. Certe qui tantopere sensuum iudicium contra iudicium rationis extollunt, parum absunt videntur ab eorum veterum sententia, qui quidquid videretur esse, id re vera esse credebant, vt Iridis colores esse veros, quia viderentur. Quare etsi qualitates primæ, quæ sunt in mistis, videantur esse eædem numero, atque illæ, quæ fuerunt in elementis, & alterE trices cadaueris, ossiumque figuræ eædem numero, atque illæ, quæ fuerunt in corporibus, & ossibus viuentium: potius tamen credendum est rationi oppositum demonstranti, quod ad eius tribunal interior illa, & insensibilis differentia numerica similium rerum, potius quam ad externum sensuum iudicium pertineat. Quo fit, vt neque ad communem vulgi opinionem, neque etiam ad pietatem spectet huius distinctionis examen. Quod si

F quis miretur, cur [illegible] usque adeo similia [illegible] accidentia, vt videantur eadem numero, is sciat mirari magis se oportuisse, si non ita similia sequerentur: talis enim dispositio materiæ præcedit, vt dissimilia prouenire, nisi magno miraculo non possint.

Ad octauum iam patet ex dictis, ne quantitatem quidem eandem numero manere in genito

genito, qua fuit in corrupto, tametsi à multis autoribus eadem dicatur, quia nunquam per se ab agentibus expellitur, vt superius ostensum est.

Ad vltimum dicendum, materiam primam non esse subiectum accidentiũ, nisi vt informata est substãtiali forma, à qua etiam, atque adeo præcipue illa quoad existentiam pendent, vt etiam superius est ostensum.

Ad ea vero loca Aristotelis, quæ videntur admittere eadem numero accidentia in genito, atque in corrupto, dicendum est, primum quidem locum sic esse intelligendum, quasi dicat Aristoteles, etsi quis ponat (*neque enim rem affirmat*) eandem numero qualitatem manere in aere genito, quæ fuerat in aqua corrupta non propterea tamen inde colligi posse eam mutationem esse alterationem, & non potius generationem. Neque enim quouis modo manente eodem sensibili di- A ctum erat fieri alterationem, sed manente eodem subiecto sensibili: constat autem qualitatem aquæ corruptæ, quæ manet in aere genito, (etsi ponatur esse eadem numero) non esse subiectum sensibile, circa quod versetur mutatio aquæ in aerem. Alia ratio est, cum homo albus fit homo niger, aut homo musicus fit homo immusicus: manet enim semper idem sensibile subiectum homo mutatis qualitatibus.

B Ad alia vero duo loca respondendum est, non propterea dici ab Aristotele faciliorem esse transitum in symbolicis elementis, quam in asymbolicis, quia idem numero symbolum maneat in genito, quod fuit in corrupto, sed quia minor est pugna, cum fit transmutatio in symbolicis. Nam quæ symbolum non habent, duabus qualitatibus contrariis vtrinque decertant; quæ autem habent vnica duntaxat.

ΚΕΦ. Β.

Ἐπεὶ δ' ἡ μὲν ὡς b ὑποκειμένη καὶ ὡς ὕλη οὐσία, ὁμολογεῖται, αὕτη δ' ἐστὶν ἡ δυνάμει, λοιπὸν τὴν ὡς ἐνέργειαν οὐσίαν τῶν αἰσθητῶν, εἰπεῖν τίς ἐστι. Δημόκριτος μὲν οὖν τρεῖς c διαφορὰς ἔοικεν οἰομένῳ εἶναι. τὸ μὲν γὰρ ὑποκείμενον

CAPVT IV.

Qvia a vero substantia ea, qua est vt b subiectum, & materia, ab omnibus esse conceditur, hac autem est illa, qua potentia est; sequitur, vt de ea sensibilium substantia, qua est actu, quænam sit, exponamus. Democritus c igitur

CAPITIS SECVNDI EXPLANATIO.

Qvia a vero substantia.] Exposita superiori capite materia quam Philosophi omnes, tametsi non eodem modo, quo ipse posuerunt; exponit hoc capite formam, de qua, cum præcipuũ esset rerum sensibilium principium, superiores partim nihil dixerunt partim perperam, aut obscure locuti sunt, vt 1 libro dictum est. In hac igitur disputatione proposita prius eum opinione Democriti, qui hac in re magis naturaliter videtur loquutus, eaque deinde impugnata, reliquũ esse vult, vt intelligamus veram formam, & quæ ad essentiam rerum pertinet, non esse has externas, quas cernimus, sed eam partem interiorem, & minime patentem sensibus, per quam res est huius, aut illius speciei. proinde non esse ens potentiale, quasi eius natura nullam dicat perfectionem, sed solum perfectionis fundamentum, (vt est materia de qua iam disputatum est) sed esse actum, & perfectionem, qua essentia cuiusque rei naturalis absoluitur, atque perficitur. *Formam esse actum & perfectionem.*

b *Qua est vt subiectum.*] Hic loquendi modus, materiam esse vt subiectum, formam esse vt actum, non significat similitudinem, quasi materia non sit subiectum; formam esse vt actum; non significat similitudinem, quasi materia non sit subiectum, sed similis subiecto, aut forma non sit actus, sed actui similis; sed exprimit modos essendi, quos materia, & forma habent in rebus naturalibus, quorum alterum est subiici, alterum actuare, ac perficere. Quod idem passim apud Arist. obseruandum est. *Modos, quos inuicem habent materia & forma, significat Arist.*

c *Tres differentias.*] Differentias vocat vt sæpe alibi, contrariarum differentiarum complicationes. Nam figuræ nomine intelligit rectum & curuum: nomine situs, supra & infra, ante & retro, dextra, & sinistra, nomine ordinis prius, & posterius, quod videtur intelligere secundum locum. Semper enim in principio formali ponendo Philosophi, qui de eo physice loquuti sunt, contrarietatem aliquam constituerunt. Quod si petas, quid differentiarum nomine intelligamus, cum dicimus complicationes differentiarum contrariarum: sunt, qui dicant, differentiarum nomen non accipi hoc loco pro formis, sed pro iis, quæ denominatiue dicuntur à formis, quod formæ non prædicentur de rebus, quarum sunt formæ, sed quæ denominatiue dicuntur à formis, cuiusmodi est non curuitas, sed curuum, non rectitudo, sed rectum & itares habet in cæteris. Sed hi non videntur aduertere Aristotelẽ sæpius vti hoc loco denomi- *Text. 5. Quid hoc differentiarum nomine.*

 nantibus,

antibus, vt duritie, mollitudine, densitate, & raritate quam denominatiuis: sin vero non ... denominatiuis, nisi cum sumuntur pro denominantibus, aut cum denominatiua iunguntur cum absolutis, vt ex vtrisque fiant definitiones: quod etiam accidit in quauis alia forma, quae significatur, cum per eam res naturalis definienda est. Dicendum est igitur differentiarum nomine intelligi hoc loco formas, siue principia formalia, quibus res naturales inter se differunt, siue denominatiuis nominibus significentur, siue denominantibus.

κείμενον σῶμα τὴν ὕλην, ἓν ᵈ καὶ τὸ αὐτό: διαφέρειν ᾗ ᵉ ῥυσμῷ, ὅ ἐστι σχῆμα: ἢ τροπῇ, ὅ ἐστι θέσις: ἢ διαθιγῇ, ὅ ἐστι τάξις. φαίνονται ᶠ δὲ πολλαὶ διαφοραὶ οὖσαι: οἷον, τὰ μὲν συνθέσει λέγεται τῆς ὕλης, ὥσπερ ὅσα κρᾶσις, καθάπερ μελίκρατον: τὰ ᵍ δὲ γόμφῳ, οἷον κιβωτός: τὰ δὲ δεσμῷ, οἷον φάκελος: τὰ δὲ κόλλῃ, οἷον βιβλίον: τὰ δὲ πλείοσι τούτων: τὰ δὲ θέσει, οἷον οὐδὸς καὶ ὑπέρθυρον, ταῦτα γὰρ τῷ κεῖσθαί πως διαφέρει: τὰ δὲ χρόνῳ, οἷον δεῖπνον καὶ ἄριστον: τὰ δὲ τόπῳ, οἷον ʰ τὰ πνεύματα: τὰ δὲ τοῖς τῶν αἰσθητῶν πάθεσιν, οἷον σκληρότητι καὶ μαλακότητι, καὶ πυκνότητι, καὶ μανότητι, καὶ ξηρότητι, καὶ ὑγρότητι: καὶ τὰ ⁱ μὲν ἐνίοις τούτων, τὰ δὲ ˡ πᾶσι τούτοις: καὶ ὅλως ᵐ τὰ μὲν ὑπεροχῇ, τὰ δὲ ἐλλείψει. ὥστε ⁿ δῆλον ὅτι καὶ τὸ ἔστι, τοσαυταχῶς λέγεται. οὐδὸς γὰρ ἔστιν, ὅτι οὕτως κεῖται, καὶ τὸ εἶναι, τὸ οὕτως αὐτὸ κεῖσθαι σημαίνει: καὶ τὸ κρύσταλλον εἶναι, τὸ οὕτως πεπυκνῶσθαι.

tur tres ᶜ esse differentias videtur existimare: censet enim subiectum corpus, quod materia est, vnum, ᵈ atque idem esse: differre autem aut ᵉ ῥυσμῷ quod est, figura: aut τροπῇ, quod est situs: aut διαθιγῇ, quod est ordo. At vero ᶠ multae differentia esse videntur: exempli causa, quaedam compositione materiae esse dicuntur, vt ea omnia, quae temperamento constant, veluti mulsum: alia ᵍ clauo, vt arca: alia vinculo, vt fascis: alia glutino, vt liber: alia horum pluribus: quaedam vero situ, vt limen, & superliminare, haec enim certa quadam collocatione differunt: alia tempore, vt coena, & prandium: alia loco, vt ʰ venti: alia sensibilium affectionibus vt duritie, mollitudine, densitate, raritate, siccitate, & humore: atque alia ⁱ horum quibusdam: alia ˡ his omnibus: & omnino ᵐ alia excessu, alia defectu. Hinc ⁿ patet esse ipsum esse totidem modis dici. Est enim limen, quia sic est positum, eiusque esse, sic illud positum esse significat, & glaciem esse, hoc pacto esse concretam ...

ᵈ *Vnum atque idem esse.*] Quanquam enim Democritus infinitas atomos principium materiale esse censuit, tamen quia omnes posuit eiusdem rationes inter sese, idcirco Aristoteles ait vnum atque idem omnium rerum principium ab illo assertum fuisse.

Quid de formis senserit Democritus.

ᵉ *Ῥυσμῷ.*] Aristoteles ipse interpretatur verba, quibus Democritus suam sententiam significabat. Affectabat enim ille in ipsa dictione obscuritatem vt de & τὸ σκότος nomen inuenit vt in proœmio diximus: significat autem ῥυσμὸς graece quidem fluxum, Abderitarum autem lingua figuram. Itaque Democritus aut peregrina lingua significationem occultare voluit, aut vsus est nomine fluxus ad significandam figuram, quia fluida facile in omnem figuram verti possunt pro ratione receptaculi, cui facillime omnium corporum se accommodant. Nomine τῆς τροπῆς, quod est conuersio, ideo significabat situm Democritus, quia situs partium sola conuersione mutari potest, etsi locus non mutetur. Denique nomen τῆς διαθιγῆς, quod significat contactum, idcirco accipiebat pro ordine prioris, & posterioris secundum locum, quia quae immediato ordine disposita sunt, sese mutuo contingunt.

Reprehenditur.

ᶠ *Videntur tamen complures.*] Reprehensio prima Democriti est, quod quando ei satis esse videbantur formae accidentariae ad distinguendas, constituendasque res naturales, multo plures afferre debuisset. Sunt enim accidentaria discrimina, quae ex accidentariis formis ducuntur, prope infinita, quorum plurima ad ea, quae Democritus posuit, redigi non possunt, vt ipse Aristoteles exemplis declarat. Itaque complures differentias seu complicationes differentiarum esse ait, ac si dicat, complures alias.

ᵍ *Alia clauo.*] Dicet aliquis, Quorsum ista, quae non natura, sed arte conficiuntur? Democritus enim de differentiis artefactorum agere non instituit, nec id ad naturalem Philosophum pertinet. Si quis tamen attendat, non abs re loquitur Aristoteles. Qui enim accidentarias formas principia rerum naturalium constituit, is nullam accidentariam respuere debet; praesertim cum figura, situs, & ordo, quae ille principia naturalium rerum facit, de iis etiam, quae arte inducuntur, aeque dici possint.

Venti tantum differunt loco vnde flant.

ʰ *Vt venti.*] Nec enim differunt substantia, sed loco, vnde flant, vnde ab Austro Australes, a Septentrione Septentrionales appellantur.

ⁱ *Alia horum quibusdam.*] Vt elementa inter sese.

ˡ *Alia his omnibus.*] Vt mista ea, in quibus omnes primae qualitates sensibiles reperiuntur, & aliae, quae has consequuntur, quanquam aliter, & aliter.

ᵐ *Et omnino alia excessu.*] Ad ea, quae differunt sensibilibus qualitatibus, videtur hoc referri.

Diffe-

[illegible] sæpe inter sese si non contrariis qualitatibus, (*[illegible] habent, vt de mi[illegible] est*) at intentione earum, & remissione; tametsi quæ con[illegible] differunt, excessu etiam & defectu differre dici possunt, quia alterum contrariorum semper [illegible] vt excessus, alterum vt defectus, cum alterum semper excedat alterum perfectione. Alii aliter interpretantur locum, reducentes iam hic omnia principia formalia ad excessum, & defectum, cum tamen Aristoteles inferius loquatur de eorum reductione.

Vnum contrariorum semper alterum perfectione [illegible]

n *Hinc patet & ipsum esse.*] Cum forma det esse, siue essentiam rebus, quorum est forma, ex dictis effici, ait Aristoteles, tot modis dici rei essentiam, quot prædictæ formæ dicuntur. Omnes enim sunt vere formæ, si illæ, quas posuit Democritus, in formis numerandæ sunt. Quibus verbis tacite mihi videtur reprehendi Democritus. Nam etsi res artificiales, vt limen, & alia etiam quædam naturales, quæ sunt composita accidentalia, vt est aqua gelata, flumen, & similia, habeant suum esse à formis accidentalibus; substantias tamen ipsas à formis accidentalibus essentiam habere, ex dictis videtur facile posse intelligi, quam sit à ratione alienum. Erit enim hoc pacto necesse, vt paulum remissa, aut intensa forma, essentia rei mutetur. Nam & hoc accidentarium quoddam discrimen est.

Artificialia, & composita accidentalia habent suum esse à formis accidentalibus.

o *Quorundam vero esse his omnibus.*] Non quod aliqua sint, quæ his omnibus definiantur, sed quod inter ea, quæ ab huiusmodi formis habent esse, quædam his, quædam illis, quædam aliis similibus, definiantur; quod sequentia verba declarant.

[illegible Greek text]

φανερὸν [illegible] ... λόγον

nam. Quorundam vero esse his omnibus definitur, quod eorum quædam misceantur, alia temperentur, alia vinciantur, alia densentur, alia aliis differentiis gaudeant, vt manus, aut pes. Sumenda p sunt igitur differentiarum genera: hæc enim ipsius esse principia erunt, vt ea, quæ in ipso magis, aut minus, aut raro, & denso, & aliis huiusmodi consistunt: hæc enim omnia excessus sunt, atque defectus. Si quid autem figura, aut leuitate, aut asperitate tale est, id omne à rectitudine, aut curuitate dicitur. Quorundam vero esse erit mistum esse, non esse vero opposito modo se habere.

Perspicuum q est igitur ex his, si substantia causa est, vt vnumquodque sit, in his quærendum esse, quidnam sit causa essentiæ vniuscuiusque horum. Ac nihil quidem istorum, etiamsi plura simul accipias, substantia est, sed tamen est vno quo-

p *Sumenda sunt igitur.*] Vtcunque res habeat, docet Arist. reuocandam esse varietatem tam multarum differentiarum ad prima capita, quemadmodum Thales Milesius reuocabat ad rarum, & densum, quæ plus, vel minus habere de materia significant; plus autem & minus sunt excessus quidam & defectus. Primæ enim differentiæ, & quæ cæteras suo ambitu complectentur, essentiæ totius generis rerum naturalium principia erunt. Videntur enim res omnes naturales ad vnum genus reuocari, ac proinde differentiæ omnes reduci ad primam aliquam vnam contrarietatem. Vnius enim generis vna est prima contrarietas, vt Arist. ait 1. *Phys.* & 10. *huius operis libro.* Quod si non omnes isto modo reduci possunt ad vnam duntaxat primam contrarietatem, quæ duo tantum contraria complectatur, (*eo quod forsitan non omnes res naturales sint vnius generis*) constituantur certa quædam earum capita, vt rectum, & curuum earum, quæ figuras [illegible] mistum & simplex earum, quæ res mistas, & quouis modo temperatas, ac simplices; & sic in cæteris, [illegible] communis ratio ex propriis principiis reddi possit de iis, quæ ad vnumquodque genus pertinent.

Rarum & densum significans plus vel minus habere de materia. *t. 6. tex. 50. & 56. t. 10. [illegible]*

q *Perspicuum est igitur.*] Iterum aperte reprehendit Democritum; caput autem reprehensionis (*quod præcipuum habetur in hac re*) huiusmodi est: Si substantia, hoc est, forma, est causa præcipua essentiæ rerum naturalium, (*vt re vera est*) & eæ differentiæ, quas posuit Democritus, ac aliæ id genus, sunt formæ rerum naturalium, nec aliæ interiores quærendæ sunt; non dubium esse, quin in iis ponenda sit causa formalis, & præcipua vniuscuiusque rei naturalis: hoc autem absurdissimum est: (*[illegible] paululum [illegible] huiusmodi formis essentiam rei mutari necesse foret, vt paulo ante diximus [illegible] recte colligit, eadem res haberet plures formas substantiales inter se non subordinatas; & quarum vna non esset in potentia ad aliam, quod fieri nullo modo patet*) potius igitur [illegible] differentiarum, quæ exte-

Non posse formas accidentales esse substantiæ formalia principia [illegible].

externus patent, esse veram formam rei naturalis, (*tametsi vnaquaque earum proportionem habeat cum vera forma, quatenus est quidam actus, & perfectio*) sed intus latere formas, quæ sint primaria essendi principia, quæque eædem non obiiciantur quauis accidentaria mutatione, ac per has esse res naturales definiendas, quemadmodum res artificiosæ, & alia quædam composita per accidentarias definiuntur.

Dandam esse formas substantiales [illegible]

r *Vniuscuiusque horum.*] Hoc est, vniuscuiusque rei naturalis, quæ quidem res proprie dicitur. Nec enim his verbis intelligendæ sunt ipsæ formæ accidentariæ, quia idem non quæritur pro causa sui.

s *Etiam si plura simul.*] Eandem rationem ait esse Arist. si plura accidentia simul accipiantur pro forma rei naturalis, atque si vnum tantum sumatur. Omnia enim accidunt substantiæ iam constitutæ per formam substantialem.

Quo pacto formæ prædicentur de materia.

t *Id quod de materia prædicatur.*] Forma dicitur prædicari de materia, quia denominatiuum formæ prædicatur de materia, vt de ligno, aut lapide, per quod quasi genus definitur lignum. Nec enim de ligno prædicatur talis situs aut collocatio, sed collocatum esse hoc vel illo modo, nec de lateribus, & lignis, per quæ definitur domus, tanquam per materiam, prædicatur dispositio, sed disposita hæc est certo quodam modo, & ita res habet in cæteris. Qua autem ratione genus non sit ipsa materia, nec differentia ipsa forma, sed tamen illud à materia, hæc à forma sumatur, superiori libro exposuimus.

λέγεσθαι [illegible] καὶ ὡς ἐν ταῖς οὐσίαις τὸ t τῆς ὕλης κατηγορούμενον, αὐτὴ ἡ ἐνέργεια, καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ὁρισμοῖς u μάλιστα: οἷον εἰ οὐδὸν δέοι ὁρίσασθαι, ξύλον ἢ λίθον ὧδὶ κείμενον, ἐροῦμεν: καὶ οἰκίαν, πλίνθους καὶ ξύλα ὡδὶ κείμενα. ἢ ἔτι καὶ τὸ οὗ ἕνεκα ἐπ' ἐνίων ἔστιν. εἰ δὲ κρύσταλλον, ὕδωρ πεπηγὸς ἢ πεπυκνωμένον. ὡδὶ: συμφωνία δέ, ὀξέος καὶ βαρέος μίξις τοιαδί: τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων.

Φανερὸν x δὴ ἐκ τούτων, ὅτι ἡ ἐνέργεια ἄλλη ἄλλης ὕλης, καὶ ὁ λόγος. τῶν μὲν γὰρ ἡ σύνθεσις, τῶν δ' ἡ μίξις, τῶν δὲ ἄλλο τι τῶν εἰρημένων. διὸ y τῶν ὁριζομένων, οἱ μὲν λέγοντες τί ἐστιν οἰκία, ὅτι λίθοι, πλίνθοι, ξύλα, τὴν δυνάμει οἰκίαν λέγουσιν: ὕλη γὰρ ταῦτα. οἱ δὲ ἀγγεῖον σκεπαστικὸν χρημάτων καὶ σωμάτων, ἤ τι καὶ ἄλλο τι τοιοῦτο προστιθέντες, τὴν ἐνέργειαν λέγουσιν. οἱ δ' ἄμφω ταῦτα συντιθέντες, τὴν τρίτην, καὶ τὴν ἐκ τούτων οὐσίαν.

quoque eorum quædam proportio. Et quemadmodum in substantiis t id, quod de materia prædicatur, ipse actus est, ita res habet in cæteris definitionibus u maxime: verbi causa, si limen definire oporteat, lignum, aut lapidem hoc modo positum dicemus, & domum lateres, & ligna sic collocata: ac forsan in quibusdam id etiam, cuius gratia, adiungendum erit: si vero glaciem, aquam congelatam, & compactam hoc modo: concentum vero certam quandam grauis & acuti mistionem: ac in cæteris eodem modo.

Ex x his patet, aliam materiam alium sibi actum rationemque vendicare. Quorundam enim ratio compositio est: aliorum mistio: aliorum aliquid aliud eorum, quæ dicta sunt. Quocirca y eorum, qui domum definiunt, quodque ea sit, exponunt, ii quidem qui lapides, lateres, ac ligna esse dicunt, domum potentia declarant: sunt enim hæc materia: qui vero aiunt esse receptaculum ad tuendas res, ac corpora accommodatum, aut aliquid aliud eiusmodi aliud adiungunt, ii actum dicunt. Iam qui hæc ambo adhibent, tertiam, & quæ ex his constat, substantiam explicant.

Ratio.

u *Maxime.*] Ait [*maxime*] quia cum formæ accidentariæ magis à subiecto pendeant, quam substantiales à materia, vt perspicuum est, magis illæ, quam hæ, dici possunt prædicari de subiecto, quemadmodum & à subiecto pendere.

Diuersarum materiarum diuersas esse formas.

x *Ex his patet.*] Colligit ex dictis duo consectaria: Alterum est, diuersarum materiarum diuersas esse formas: quod cum ex dictis inductione patet, tum vero ea ratione probari potest, quia diuersæ formæ indigent materia alio ac alio modo disposita, vt ipse alibi sæpe docet. Et quanquam, quod attinet ad res naturales, diuersa materia sumitur hoc loco pro materia prima alio atque alio modo disposita, vt diximus; non ita tamen res habet, quod attinet ad arte confecta, & alia accidentia composita, quæ constant materia secunda, siue composito substantiali. In his enim diuersa materia pro diuerso composito naturali sumenda est, vt patet in domo, in mulso, & cæteris huiusmodi.

Res naturales & arte factæ quando perfecte definiantur.

y *Quocirca eorum.*] Alterum consectarium est, non perfecte definiri res naturales, aut artificiosas, cum sola materia explicatur, aut sola forma: (*etiamsi aliquid aliud explicetur, vt forma adiungatur, vt finis, aut efficiens*) sed tum demum, cum materia simul, & forma declarantur. Hæc conclusio satis patet ex dictis. Materia enim non est res ipsa actu, sed potentia, vt patet in lapidibus, & lignis comparatione domus. Forma vero, etsi est actus, per quem res est talis naturæ, non tamen est res ipsa, sed id, quod ex vtraque constat, est ipsa res.

z Ra-

ὁρισμός.

Ὁ μὲν z γὰρ διὰ τῶν διαφορῶν λόγος, τοῦ εἴδους καὶ τῆς ἐνεργείας εἶναι· ὁ δ' ἐκ τῶν ἐνυπαρχόντων, τῆς ὕλης μᾶλλον. ὁμοίως δὲ καὶ οὓς Ἀρχύτας ἀπεδέχετο ὅρους· τοῦ συναμφοτέρου γάρ εἰσιν· οἷον, τί ἐστι νηνεμία; ἠρεμία ἐν πλήθει ἀέρος· ὕλη μὲν ὁ ἀήρ, ἐνέργεια δὲ καὶ οὐσία ἡ ἠρεμία. τί ἐστι γαλήνη; ὁμαλότης θαλάττης· τὸ μὲν ὑποκείμενον ὡς ὕλη, ἡ θάλαττα· ἡ δὲ ἐνέργεια καὶ ἡ μορφή, ἡ ὁμαλότης. Φανερὸν aa δὲ ἐκ τῶν εἰρημένων τίς ἡ αἰσθητὴ οὐσία ἐστί, καὶ πῶς· ἡ μὲν γὰρ ὡς ὕλη, ἡ δ' ὡς μορφή, ὅτι ἐνέργεια, ἡ δὲ τρίτη ἐκ τούτων.

Ratio z enim, quæ per differentiam traditur, formæ, ac actus videtur esse; quæ autem ex iis, quæ insunt, conficitur, materiæ potius. Huiusmodi sunt definitiones, quas Archytas probabat: sunt enim vtriusque simul, veluti, Quid est serenitas? Quies in aeris multitudine. Hic materia est aer: actus, & substantia quies. Quid tranquillitas? Maris æquabilitas: vbi subiectum vt materia mare est, actus, & forma æquabilitas. Perspicuum aa est igitur ex iis, quæ dicta sunt, quænam sit substantia sensibilis, & quo pacto sit. Est enim alia vt materia: alia vt forma, cum est actus: tertia, quæ ex his constat.

z *Ratio enim, quæ per differentias.*] Hæc verba quasi per parenthesin legenda sunt, vt confirmatio ex definiendi modo, quem vnum Archytas Tarentinus admittebat ad definitiones, quæ per materiam, & formam traduntur, planius referatur. Quod igitur ait, rationem, quæ ex differentiis traditur, formæ ac actus esse, &c. non sic intelligendum est, quasi sentiat Aristoteles, solam formam per differentias definiri: sed ita accipiendum, ac si diceret, definitionem, in qua non plane posito genere solæ differentiæ adhibentur formam potius explicare, quam materiam, aut totum compositum; quæ autem traditur per ea, quæ insunt, hoc est, per solas partes integrantes, ex quibus res constat, materiam potius, quam formam, aut compositum exponere. Nam vt differentiæ sumuntur ab eo, quod formale, ac perfectius est in re, & genus ab eo, quod est materiale, siue minus nobile; ita partes integrantes, earumque extensio, & diuisibilitas materiæ potius, quam formæ attribuuntur, præsertim cum res immateriales huiusmodi partibus non constent.

aa *Perspicuum est igitur.*] Epilogus est eorum, quæ hactenus hoc libro explicata sunt.

ΚΕΦ. γ.

Δεῖ a δὲ μὴ ἀγνοεῖν, ὅτι ἐνίοτε b λανθάνει πότερον σημαίνει τὸ ὄνομα τὴν σύνθετον οὐσίαν, ἢ τὴν ἐνέργειαν, καὶ τὴν μορφήν, οἷον ἡ οἰκία πότερον σημεῖον τοῦ κοινοῦ, ὅτι σκέπασμα ἐκ πλίνθων, καὶ ξύλων, καὶ λίθων ὡδὶ κειμένων· ἢ τῆς ἐνεργείας καὶ τοῦ εἴδους, ὅτι σκέπασμα. καὶ γραμμή, πότερον c δυὰς ἐν μήκει, ἢ ὅτι δυάς. καὶ ζῷον, πότερον ψυχὴ d ἐν σώματι, ἢ ψυχή· αὕτη γὰρ οὐσία, καὶ ἐνέργεια σώματός τινος. εἴη e δ' ἂν καὶ ἐπ' ἀμφοτέροις τὸ ζῷον, οὐχ ὡς ἑνὶ λόγῳ λεγόμενον, ἀλλ' ὡς πρὸς ἕν.

ἀλλὰ

CAPVT III.

NON a ignorare autem oportet, interdum b latere, vtrum nomen compositum substantiam significet, an vero actum, & formam: veluti domus, sitne signum eius, quod commune est, tegumenti, inquam, ex lateribus, & lignis hunc in modum collocatis, an potius actus, & formæ, vtpote tegumenti: & linea, dualitatene c in longitudine, an ipsam dualitatem significet: & animal, num sit anima d in corpore, an anima ipsa: hæc enim substantia est, & actus cuiusdam corporis. Fuerit e autem & in vtrisque animal, nontamen vt id, quod vna ratione, sed vt id, quod ad vnum dicitur.

Verum

CAPITIS TERTII EXPLANATIO.

NON a *ignorare autem.*] Tradito vtroque principio constitutiuo quiditatis rerum sensibilium, materia, inquam, & forma; in his tribus sequentibus capitibus addit quædam vtriusque attributa, vt melius cognoscantur: priusque hoc capite agit de iis, quæ conueniunt formæ, (*de hac enim proxime loquutus fuerat.*) quam differat de iis, quæ materiæ conueniunt. Et quia solus Plato ex tota antiquitate perspicue visus est principium formale substantiam posuisse: tota hæc dubitatio vertitur in tractandis quibusdam quæstionibus de forma, quæ Aristoteli cum Platone erant communes, ex quarum explicatione partim ea attributa colligenda esse vult, quæ Plato formis ascribebat, partim contraria. Exorditur autem ab huiusmodi quæstiuncula, Vtrum nomina substantiarum sensibilium significent totum compositum, (*quod hic vocat id, quod commune est, quia materiam & formam complectitur*) an vero solam formam? Quod enim non significent solam materiam, luce clarius est, cum materia secundum se sit communis, ac indifferens ad omnia, quæ gignuntur, & intereunt, nomina autem cuique generi, & speciei peculiaria. *Text. 7.* *Quæstio. Vtrum nomina substantiarum sensibil. significent compositum an formam.*

b *Interdum latere.*] Ait [*interdum*] vel quia nemo dubitat, quin nomina accidentium, præsertim abstracta, significent formas: vel potius, quia certũ & indubitatũ est, nomina singularium sub-

substantiarum sensibilium significare composita ipsa. Quæstio enim de solis nominibus substantiarum sensibilium videtur proponi, vt diximus, tametsi Arist. more suo sumit exemplum à re factis, & mathematicis.

Text. 8.

c *Dualitatemne.*] Apud Platonem dualitas erat forma lineæ, longitudo autem, hoc est, magnitudo materia. Æquius est enim, Platonem hoc pacto longitudinis nomē accepisse, cum longitudo ipsa sit linea, magnitudo autem commune genus lineæ, superficiei & corporis. Dicebat autem Plato, lineæ formam esse dualitatem, quia linea est primus progressus puncti, quemadmodum dualitas est primus progressus vnitatis.

d *Anima in corpore.*] Hoc est, anima, & corpus simul, quod est totum compositum.

e *Fuerit autem & in vtrisque.*] Permittit, vt nomen animalis more Platonico dicatur de anima seorsum, & de anima, ac corpore simul: quo pacto ipse etiam hominis vocabulo nonnunquam vtitur, vt 9. Ethicorum libro cap. 8. cum ait, Videri quemque esse suam mentem: verum id accommodate ad mores, non autem spectata ipsa hominis natura physice, vt Plato videtur spectare, cum in priori Alcibiade hominem esse animam solam, non solum ait, sed etiam probasse se putat. Verum ne quis existimet, hoc pacto solui quæstionem; subdit Arist. idem nomen non dici de forma & composito eadem ratione, sed attributione vnius ad alterum, proinde non dissolui hoc pacto difficultatem, quandoquidem quæstio hoc in sensu intelligitur, formamne an totum compositum præcipue significet vocabulum.

Sensus quæstionis.

ἀλλὰ f ταῦτα πρὸς μέν τι ἄλλο διαφέρει: πρὸς δὲ τὴν ζήτησιν τῆς οὐσίας τῆς αἰσθητῆς, οὐδέν: τὸ g γὰρ τί ἦν εἶναι, τῷ h εἴδει καὶ τῇ ἐνεργείᾳ ὑπάρχει. ψυχὴ μὲν γὰρ καὶ ψυχῇ εἶναι, ταὐτόν: ἀνθρώπῳ δὲ καὶ ἄνθρωπος, οὐ ταὐτόν, εἰ μὴ καὶ ἡ ψυχὴ ἄνθρωπος λεχθήσεται. οὕτω δὲ τινὶ μὲν, τινὶ δ᾽ οὔ. οὐ φαίνεται δὴ ζητοῦσιν, ἡ συλλαβὴ ἐκ τῶν στοιχείων οὖσα καὶ συνθέσεως: οὐδ᾽ ἡ οἰκία, πλίνθοι τε καὶ σύνθεσις: καὶ τοῦτο ὀρθῶς: οὐ γάρ ἐστιν ἡ σύνθεσις, καὶ ἡ μίξις ἐκ τούτων, ὧν ἐστι σύνθεσις ἢ μίξις: ὁμοίως δὲ οὐδὲ τῶν ἄλλων οὐθέν: οἷον οὐδὸς θέσει, οὐκ ἐκ τοῦ οὐδοῦ ἡ θέσις, ἀλλὰ μᾶλλον οὗτος ἐξ ἐκείνης. οὐδὲ δὴ ὁ ἄνθρωπος ἐστι τὸ ζῷον καὶ δίπουν, ἀλλά τι δεῖ εἶναι, ὃ παρὰ ταῦτά ἐστιν, εἰ ταῦθ᾽ ὕλη: οὔτε δὲ στοιχεῖον, οὔτ᾽ ἐκ στοιχείου, ἀλλ᾽ ἡ οὐσία, ὃ ἐξαιροῦντες τὴν ὕλην, λέγουσιν.

εἰ οὐν

Verum f quo pacto hæc habeant, ad aliquid quidem aliud refert, ad quæstionem vero de sensibili substantia, nihil: quiditas g enim h formæ, atque actui conuenit. Namque anima, & animæ esse idem sunt: hominis vero esse, & homo, non idem, nisi & anima homo dicatur. Hoc autem modo alicui conueniet, alicui non item. At i quærentibus profecto non videtur syllaba ex elementis, & compositione constare, neque domus esse lateres, & compositio: & id quidem recte. Neque enim compositio, aut mistio ex iis est, quorum est compositio, aut mistio, eodemque modo nec aliorum quicquam: vt si limen collocatione est, collocatio non est ex limine, sed magis hoc ex illa, nec homo est animal, & bipes, sed aliquid sit oportet, quod præter hæc existat, si hæc materia sunt; nec vero elementum, aut ex elementis, sed ipsa substantia, quam materia sublata significant.

Si

Reiicitur ad Dialecticos.

f *Verum hæc.*] His verbis reiicit quæstionem ad Dialecticos, quod sit de nominum significatione. Neque enim ad Dialecticos parum refert, hoc, an illud primo significet vocabulum; vt pro eo simpliciter, & absque cauillationis periculo sumi possit; cum interim artifices, qui de rebus sensibilibus agunt, nihil de vocabulorum significatione curent, satisque hac in re suo munere fungi se putent, si intelligant formam esse priorem composito, eique Esse, propriamve naturam conferre. De quæstione tamen proposita alii existimant, nomina substantiarum sensibilium præcipue significare formam, minus præcipue compositum, vtpote attributione quadam ad formam, à qua compositum accipit esse; alii contra sentiunt; alii vtrosque conciliant. Veritas est, nomina sensibilium substantiarum ipsa composita primo ac præcipue significare, vt ex cap. 4. huius libri colligitur; sed tamen formas esse rationes, ob quas composita significent. Namque omne nomen sumitur à forma, aut à proprietate aliqua, aut actu, qui à forma progrediatur.

Resolutio. text. 11. 12.

Formam esse suã essentiã, compositum nõ item, quo pacto intelligendum.

g *Quiditas enim forma.*] His verbis docet, formam esse priorem composito, quia forma est suum esse, siue quiditas, hoc est, non accipit essentiam suam formaliter ab alio: (*vt sensus sit negatiuus*) compositum autem non est sua quiditas, id est, accipit essentiam suam formaliter ab alio, (*vt sensus sit oppositus superiori*) eo quod eam accipiat à forma. Quo pacto exposito contextu non habet locum ambiguitas, quæ hic sese offert de identitate rei cum quiditate sua, de qua actum est libro superiori, cap. 6. Nam si de ea hoc loco loqueretur Aristoteles, plane secum pugnaret. Etenim iuxta doctrinam eius loci, & compositum in commune sumptum est sua

quidi-

[illegible]; & forma physica in particulari non est sua quiditas: [illegible] eadem ratio est de [illegible] & de composito, quod hic negatur, nisi quis sumeret formam pro specie, quo pacto hic non accipi luce clarius est, quippe cum anima dicatur forma, homo vero compositum: sitque apertissimum, animam non esse speciem compositorum ex corpore, & anima, cum pars physica de toto non dicatur. Quod si quis Platonem sequutus dicat, hominem esse solam animam, tum demum dicere poterit, idem esse hominem, atq; hominis esse, in eo [illegible] sensu, quem exposuimus. Itaq; hoc pacto, id est, spectatis his duabus opinionibus de homine, ait Aristoteles [*Alicui conueniet, alicui non item*] hoc est, homini Platonico conueniet esse suum esse, homini vero Aristotelico, cum sit compositus ex anima & corpore, non conueniet. Ex propositae quaestionis explicatione, quae libro superiori fusius tractata est, & iis, quae hoc loco adiuncta sunt, hoc attributum formae colligitur, ipsam esse cuique rei sensibili rationem essendi, & cuiusque vocabulo rationem significandi: quandoquidem ratio significandi sequitur rationem cognoscendi, & ratio cognoscendi, rationem essendi.

Adnot. Formā esse rei sensibili rationem essendi, & vocabulo rationem significandi.

h *Forma atque actui conuenit.*] Vtpote non per aliud, quo pacto quiditas compositi conuenit composito per formam. Id quod verbis sequentibus declaratur iuxta traditam expositionem.

i *At quaerentibus profecto.*] Ex alia quaestione, quae eo tempore agitabatur, aliud attributum formae colligendum esse vult. Quaestio erat, An ne forma eo modo concurreret cum materia ad compositionem rerum naturalium, quo materiales partes concurrere solent, (*Veluti lateres ad conficiendam domum, & elementa ad constitutionem misti*) nempe per se ante existentes, & ex noua coniunctione inter se nouum esse à toto accipientes. In qua quaestione etsi placet Aristoteli Platonis sententia, quatenus asserebat formam non eo pacto concurrere ad constitutionem compositi, (*neque enim mistio, hoc est, forma misti, censenda est esse ex genere aliarum partium, quae extrinsecus ad misti compositionem conueniunt, quod idem dicendum est de caeteris formis*) ea tamen ex parte displicet, qua dicebat, formam, quae daret esse compositis, esse substantiam separatam: sic enim substantiae nomen in fine huius particulae contextus accipienda est. Nam cum forma sit causa essendi non efficiens, sed constituens, ac absoluens, atque hoc, id est, res, cuius illa est causa essendi, sit substantia quaedam per se, vt Socrates, aut Plato, non poterit vtiq; forma dici substantia per sese, ac separatim existens: aut sic (*vt exponit Alensis*) non poterit forma dici substantia huius, cuius dicitur forma. Implicant enim haec contradictionem, quod aliquid sit separatum ab hoc, & quod sit substantia huius. Quod vero attinet ad duo exempla interiecta liminis, & hominis, sic intelligendus est contextus, vt dicat Aristoteles, si limen à collocatione, siue situ formaliter habet, vt sit limen: non esse collocationem ex limine, id est, non accipere esse ex limine, (*quo pacto partes materiales conuenientes ad compositionem accipiunt esse à toto*) sed potius limen esse ex collocatione, quia ab ea accipit esse liminis, tametsi non est ex ea, vt ex parte materiali, vt dictum est. Item si homo constat ex animali, & bipede, tanquam partibus materialibus, non est vtique formaliter animal bipes, sed aliquid praeterea detur oportet, quod praeter eiusmodi partes ad constitutionem concurrat, quod idem eas vniat, atque in materia tertiam naturam iungat: quodq; non ante existat, veluti pars materialis, sed simul cū toto esse incipiat. Et omnino semper praeter elementa, hoc est, partes materiales, dandum est aliquid, quod, cum substantia sit, non sit tamen elementum, aut ex elementis, vt ad finem superioris libri dictum est. Ex hac quaestione illud attributum formae colligitur, quod constituat rem non tanquam aliquid concurrens ad compositionem, quasi ante per se existens, sed simul in composito, & cum composito incipiens.

Adnot. Cā concurrere animam ad compositionem [illegible] materiam.

Quid recte hac in re Plato quid improbarum.

Text. 9. Formā concurrere ad compositionem totius, simul cum ipso & cum ipso incipiendo.

[illegible]

Si hoc igitur causa essendi est, atque hoc substantia est, non vtique eam substantiam dixerint. Necesse l vero est, hanc aut sempiternam esse, aut certe corruptibilem sine corruptione, & quaesitae generatione gignatur. Demonstratum est autem, ac declaratum alibi, neminem esse qui formam faciat, nullamque esse, qua gignatur, sed fieri hoc, idque demum generari, quod ex his constat. An vero m rerum earum quae intereunt, substantiae separatae sint, nondum est manifestum, nisi quod perspicuum est, quasdam non posse separari, ea, inquam, omnia, quae praeter quaedam esse non possunt, [illegible] vas. At forsitan n vtique [illegible] aliquid [illegible]

l *Necesse vero est.*] Alia quæstio de formis erat celebris apud Platonem, essent ne sempiternæ, an caducæ? cuius solam priorem partem Plato admittebat, quia veras formas à materia separabat. Aristoteles igitur etsi ea ex parte cū Platone non conuenit, quatenus ille omnes sempiternas esse censebat, cum ipse credat illas incipere ac desinere cum compositis, quæ esse incipiunt ac desinunt, vt dictum est, tamen ea ex parte sententiam Platonis approbat, qua Plato eas negabat habere generationem, aut corruptionem. Docet enim Arist. eas posse generari & corrūpi, hoc est, incipere ac desinere sine generatione, & corruptione, qua ipsæ per se generentur, aut corrumpantur. Quod libro superiori cap. 8. ex eo ostenderat, quia quicquid per se generatur, præterquam quod singulare est, constitui etiam debet ex his, id est, ex partib. materiæ designatæ. Ex huius quæstionis definitione hoc formæ attributum colligimus, quod eius non sit per se generatio, aut corruptio, quod illi cum materia cōmune est, licet hoc habeat proprium, quod in quibusdam esse, ac non esse cum compositis incipiat.

Forma nō est per se generatio, aut corrupt.

Nondū cōstitutū apud Arist. an formæ naturales separari possint.

m *An vero rerum.*] Quod attinet ad opinionem de separatione formarum, ob quam Plato illas sempiternas esse dicebat, vt ex superiori annotatione patet, subdit Aristoteles nondum esse omnino constitutum quid dicendum sit, quod de ea extremis duobus libris huius operis late sit disputaturus; nisi quod de formis artificialium (*quæ μορφαὶ etiam, & εἴδη, quemadmodum & formæ rerum naturalium, appellari solent*) nil sit, quod lector dubitet, cum plane & omnium consensu à rebus naturalibus, in quas inducuntur separari nequeant: Id quod in causa fuit, vt Plato rerum, quæ arte conficiuntur, ideas non posuerit.

Artefactorū nō esse ideas apud Plat.

Horū formas separari non posse.

n *An forsitan neq; hæc ipsa.*] Reddit rationem, cur formæ domus, & vasis, aliorumq; arte factorum separari nequeant etiam apud Platonem, cuius causa dubitandi verbo vti voluit. Causa vero est, quia forma artificiosa non est substantia, aliquidve per se existens, siue non in subiecto. In iis enim, quæ gignuntur, & intereunt, ea sola forma, quæ est natura, siue principium motus intrinsecum, substantia dicenda est.

τῶν ἄλλων ὅσα μὴ φύσει συνέστηκε: τὴν γὰρ φύσιν μόνην ἄν τις θείη τὴν ἐν τοῖς φθαρτοῖς οὐσίαν.

ὥστε o ἡ ἀπορία, ἣν οἱ Ἀντισθένειοι, καὶ οἱ οὕτως ἀπαίδευτοι ἠπόρουν, ἔχει τινὰ καιρὸν λυθῆναι, ὅτι οὐκ ἔστι τὸ τί ἐστιν ὁρίσασθαι (τὸν γὰρ ὅρον, εἶναι λόγον μακρὸν) ἀλλὰ ποῖον μέν τι ἐστιν, ἐνδέχεται καὶ διδάξαι: ὥσπερ ἄργυρον, τί μέν ἐστιν οὔ, ὅτι δὲ οἷον καττίτερος. ὥστ᾽ p οὐσίας ἔστι μὲν, ἧς ἐνδέχεται εἶναι ὅρον καὶ λόγον, οἷον τῆς συνθέτου, ἐάν τε αἰσθητὴ, ἐάν τε q νοητὴ ᾖ: ἐξ ὧν δ᾽ αὕτη πρώτων, οὐκ ἔστιν: εἴπερ τι x κατά τινος σημαίνει ὁ λόγος ὁ ὁριστικὸς, καὶ δεῖ τὸ μὲν ὥσπερ ὕλην εἶναι, τὸ δὲ ὡς μορφήν.

φαν-

que quicquam aliorum, quæ naturā non cōstant: naturam enim solam, quæ in reb. caducis est, substantiam quis merito posuerit.

Quare o dubitatio ea, quam Antisthenis sectatores, & eiusmodi inerudit homines agitabant, opportune nunc dissolui potest, non posse, inquam, quid res sit, definiri: (namq; definitionem orationem esse longam) sed quale quid quicquam sit, posse doceri: veluti argentum non quid sit, sed quale est stannum. Itaq; p est quidem substantia, quæ definiri possit, qualis est composita, siue ea sit sensibilis, siue q intelligibilis: illa autem, ex quibus primis hæc constant, definiri non possunt: quandoquidem definitiua oratio x aliquid de aliquo significat, & alterum vt materia sit oportet, alterum vt forma.

Illud

o *Quare dubitatio ea.*] Cum Arist. hactenus sæpe dixerit ea, per quæ aliquid definitur, eiusmodi esse debere, vt alterum velut materia sit, alterum vt forma; ex hoc documento sumit occasionem soluendi dubitationem illam, hoc est, difficilem argumentationem, vt putabatur, qua Antistenis sectatores, & alij inerudit homines, hoc est, Dialecticæ expertes (*hos enim fere Videri sequi significat, cum ἀπαιδεύτους vocat*) nullam omnino rem definiri posse contendebant. Nam cum definitio, si vlla est, debeat esse sermo longus hoc est, pluribus verbis constans; idque ex dictis videatur sequi, cum debeat continere, vt minimum, duas partes, quarum altera sit vt materia, altera vt forma; ea autem, per quæ res definitur, definienda etiam sint, ne ex ignotis ignotum declaretur; effici omnino videtur, vt nunquam definitio rei propositæ absolui possit. Quæcunque enim ad definiendas partes assumentur, per alias priores partes declaranda erunt, sicque nullus erit finis in definienda re proposita. Ita videtur concludi nihil omnino posse definiri, sed solum quale sit, declarari, veluti non quid sit argentum dicere, sed quod tale quiddam sit, quale est stannum atq; ita in cœteris. Qualitas enim rei potest exponi per similitudinem aliarum rerum, natura autem explicari non potest, nisi omnia, quæ in ea continentur, definiantur. Quo loco aduerte, potius verba illa λόγον μακρὸν, conuersa à nobis esse, sermonem longū, vt vertit Bessario, quā orationē longā, vt alij, quia λόγος interdū sumitur pro quacunq; voce articulata, & significante, quæ quidem est genus dictionis simplicis, & orationis, hoc est, dictionis cōplexæ, quod

ex dictis nihil posse definiri.

xæ, quod

[illegible] genus, etsi innominatum est, tamen vocari potest vel locutio, vel dictio, vel, quod magis placet, sermo. Alensis accipit orationem longam, vt habet vetus interpres, pro oratione infinita, quod non placet, tametsi alioqui eius expositionem, quam hoc loco sequimur, expositioni Aphrodisiensis, D. Th. & aliorum complurium prætulerimus.

p *Itaq; est quidem substantia.*] Quoniam proposita argumentatio ex dictis ab Arist. videbatur accepisse vires, oportune eam his verbis dissoluit, concedens quidem aduersariis, omnem definitionem constare, cum minimum, duabus partibus, quarum altera sit vt materia, altera vt forma, sed negans, omnia, ex quibus definitio constat, definienda & ipsa esse, oportet enim deuenire ad aliqua prima, quæ nullo pacto sint composita, sed omnino simplicia, cuiusmodi sunt sola genera summa, & differentiæ omnes, quibus illa diuiduntur; hæc autem definiri non possunt, sed alio modo, quam per definitionem cognoscenda sunt, vtpote per descriptiones quasdam à posteriori, quo pacto substantiam dicimus ens per se, siue non in subiecto existens; rationale ens, quod potest ratione vti. Eodem modo dissoluit Arist. 1. de posteriori resolut. similem argumentationem eorundem Philosophorum, qua nihil demonstrari posse probabant, quasi necesse esset, vt omnis enuntiatio, quæ ad demonstrandum sumeretur, demonstraretur etiam ipsa: quod ea ratione negat Arist. quia necesse est tandem deuenire ad pronuntiata medio carentia, quæ sunt per se, ac ex suis tantum extremis nota. *Solutio propositæ veterum argumentationis.* *Genera summa, & differentias non posse definiri.* *c. 3. tex. 6.*

q *Sine intelligibilis.*] Substantias intelligibiles vocat entia mathematica, vt aiunt Alexander, & Auerroes, idq; quia forsitan Antisthenes ea substantias esse dicebat, vt Alexander addit. Possent autem verius intelligi substantiæ separatæ; nam & huiusmodi substantiæ habent sua genera, & differentias, quibus definiantur, quarum genera se habeant vt materiæ, differentiæ vt formæ. Itaq; non sunt numerandæ huiusmodi substantiæ inter prima illa, quæ non definiuntur, vt D. Th. hoc loco innuit, & l. superiori c. 17 apertius docuit. Nec enim sunt simpliciter simplicia, sed composita ex genere & differentia. Verum quia Arist. in his duobus libris non loquitur ex instituto, nisi de substãtiis materialibus, nihil repugnat huic veritati, quod substantiæ intelligibiles sumantur hoc loco more Platonis pro substantiis materialibus intelligibilibus, hoc est, quæ sola imaginatione apprehendi possunt, cuiusmodi sunt entia mathematica, vt diximus superiori lib. tametsi re vera non sunt substantiæ; aut potius pro substantiis materia, & forma constantibus: cum & hæ, vt vniuersales sunt, non subdantur sensibus etiam internis. *Substantias separatas habere genera & differ.* *Lib. 7. tex. 35. Tex. 10.*

r *Aliquid de aliquo significat.*] Hoc est, alterum, quod directo & naturaliter de altero prædicari possit, cuiusmodi est differentia respectu generis.

φανερὸν s δὲ καὶ διότι, εἴπερ t εἰσί πως ἀριθμοὶ αἱ οὐσίαι, οὕτως εἰσί, καὶ οὐχ ὥς τινες λέγουσι μονάδων. ὅ, τε γὰρ ὁρισμὸς ἀριθμός τις (διαιρετός τε γὰρ, καὶ εἰς ἀδιαίρετα: οὐ γὰρ ἄπειροι οἱ λόγοι) καὶ ὁ ἀριθμὸς δὲ τοιοῦτος. καὶ u ὥσπερ οὐδ' ἀπ' ἀριθμοῦ ἀφαιρεθέντος τινὸς, ἢ προστεθέντος, ἐξ ὧν ὁ ἀριθμός ἐστιν, οὐκέτι ὁ αὐτὸς ἀριθμός ἐστιν, ἀλλ' ἕτερος, κἂν τοὐλάχιστον ἀφαιρεθῇ, ἢ προστεθῇ: οὕτως οὐδὲ ὁ ὁρισμὸς, οὐδὲ τὸ τί ἦν εἶναι, οὐκέτι ἔσται ἀφαιρεθέντος x τινὸς, ἢ προστεθέντος. καὶ y τὸν ἀριθμὸν δεῖ εἶναι τι ᾧ εἷς, ὃ νῦν οὐκ ἔχουσι λέγειν τίνι εἷς, εἴπερ ἐστὶν εἷς: ἢ γὰρ οὐκ ἔστιν ἀλλ' οἷον σωρός: ἢ, εἴπερ ἐστὶ, λεκτέον τί τὸ ποιοῦν ἓν ἐκ πολλῶν. καὶ ὁ ὁρισμὸς εἷς ἐστι: ὁμοίως δὲ οὐδὲ τοῦτον ἔχουσι λέγειν. καὶ τοῦτο εἰκότως [illegible] συμ-

Illud s etiam perspicuum est, t si quo modo substantiæ numeri sunt, qua nam de causa eo pacto sint, & non vt quidam aiunt, numeri vnitatum. Nam & definitio numerus quidam est, quippe cum sit diuisibilis, atq; adeo in indiuisibilia: neq; enim definitiones infinitæ sunt: numerus vero tale quiddam est. Et u quemadmodum si quid eorum ex quibus numerus constat, ablatum à numero, aut additum fuerit, non idem iam numerus, sed diuersus existet, etiamsi minimum quid auferas aut adiungas: ita neque definitio, aut quidditas eadem consistet, si quicquam x aut auferatur, aut adiiciatur. Esse y etiam aliquid oportet, quo numerus sit vnus, quod nunc dicere non possunt, quo, inquam, sit vnus, si vnus quidem est: aut enim vnus non est, sed veluti cumulus: aut certe si est, dicendum sane est, quid sit illud, quod ipsum efficit vnum ex multis. Definitio quoque vna est: sed

s *Illud etiam perspicuum est.*] Erat alia quæstio, quæ ætate Aristotelis agitabatur essent ne formæ numeri, vt Plato, & Pythagorici affirmabant, ex qua tandem colligit Arist. hoc loco quædam attributa, in quibus formæ sunt numeris aliqua ex parte similes. Aduerte tamen formas non appellari in hoc textu nomine formarum, sed substantiarum, quia non agitur immediate de similitudine formarum physicarum cum numeris, sed quid. tantum specificarum, quæ etiam formæ appellantur, vt sæpe diximus: tametsi ex earum attributis similia quædam formarum physicarum attributa colligi possunt cum ex gradibus formarum oriantur gradus specierum, vt superiori libro dictum est.

Nam[illegible]

Prima quiditatis specificarum cum numeris similitudo.

t Sicut quemadmodum substantia.] Negat quidem Aristoteles quiditates specificas esse numeros simpliciter, hoc est, conflatos ex ipsis vnitatibus: sed tamen hoc primum attributum illis esse commune cum numeris commune, vt quemadmodum numeri diuiduntur in vnitates indiuisibiles, ita quiditates specificæ diuidantur, siue resoluantur in prædicata indiuisibilia, siue irresolubilia in alia priora, vtpote in genus summum, & differentias, ex quibus constant. Neque enim definitiones infinitæ sunt, id est, diuisibiles in infinitum, quemadmodum neque numeri.

Secunda.

u *Et quemadmodum.*] Alterum, quo fatetur species esse similes numeris, huiusmodi est, additione, & subtractione differentiarum mutari species rerum, quemadmodum species numerorum mutantur, cum additur, aut detrahitur vel sola vnitas. Iam enim dictum est differentias esse indiuisibiles, siue irresolubiles in alia priora prædicata, qua in re sunt vnitati similes. Exemplo esse possunt ternarius, addita aut detracta vnitate: & animal, addito rationali, aut detracto sensitiuo.

Tertia.

x *Siquicquam.*] Non potest autem minus aliquid auferri, quam differentia. Genera enim subalterna non sunt minima, quia resoluuntur in genera, & differentias: genus autẽ summum, etsi minimum quid est, & quod in minora resolui nequeat, tamen si tollatur, omnes differentias secum aufert.

y *Esse etiam oportet.*] Hoc tertium habere species rerum cum speciebus numerorum commune docet Arist. vt quemadmodum in numeris oportet exponere, quæ sit formalis ratio, & causa, quare multæ vnitates, alioqui discretæ inter se, sint vnum quid, ita in speciebus rerum, earumq; definitionibus assignari debet, quid sit in causa, cur prædicata, quæ de specie secundum essentiam dicuntur, sint vnum quid, atque vna natura. Alioqui nec numerus esset vnum quid, sed veluti aceruus quidam lapidum, nec species vlla rerum, aut illius definitio. Quid autem sit illud tam in numero, quam in specie & quiditate rei, quod ex multis vnum constituat, cap. 6. docebit Aristoteles. Interim tamen admonet eos, qui numerum nihil aliud esse dicunt, quam vnitates ipsas, docere non posse, quid illum formaliter efficiat vnum ex multis. Eodemque modo rem habere in definitione, ipsaque natura rei definitæ, si nihil aliud in ea requirant, quam vt sit multa quædam prædicata, in quorum aliquo conueniat cum multis, & in alio vel aliis ab eisdem differat.

συμβαίνει· τοῦ αὐτοῦ z γὰρ λόγου, καὶ ἡ οὐσία ἓν οὕτως, ἀλλ' οὐχ ὡς λέγουσί τινες, οἷον μονάς τις οὖσα, ἢ στιγμή, ἀλλ' ἐντελέχεια, καὶ φύσις τις ἑκάστη. καὶ aa ὥσπερ οὐδὲ ὁ ἀριθμὸς ἔχει τὸ μᾶλλον, καὶ τὸ ἧττον, οὐδ' ἡ κατὰ τὸ εἶδος οὐσία; ἀλλ' bb εἴπερ, ἡ μετὰ ὕλης. περὶ cc μὲν οὖν γενέσεως καὶ φθορᾶς τῶν λεγομένων οὐσιῶν, πῶς ἐνδέχεται, καὶ πῶς ἀδύνατον γίνεσθαι, καὶ περὶ τῆς εἰς τὸν ἀριθμὸν ἀναγωγῆς, ἔστω μέχρι τούτων διωρισμένον.

sed eodem pacto neque in hac id docere possunt: id quod merito accidit, cum vtrumque z eiusdem rationis sit, & substantia sit vnum hoc modo, non vt quidam dicunt, quasi vnitas, aut punctum, sed actus, & natura quædam vnaquæque. Et aa quemadmodum numerus magis, & minus non habet: ita neq; substantia, quæ secundum formam dicitur: sed bb si qua id habet, ea est, quæ cum materia est. Ac cc de generatione quidem, & corruptione earum substantiarum, quæ dictæ sunt, quo pacto accidant, & quo pacto esse nequeant, itemq; de reductione ad numerum, hactenus definitum sit.

z *Cum vtrumq; eiusdem rationis sit.*] Numerus, & definitio rei, ipsaq; natura, quæ per definitionem explicatur, eiusdem rationis sunt quoad hoc, quod non sint vnum quippiam indiuisibile, veluti vnitas, aut punctus, vt Plato videbatur existimare, sed vnum hoc modo, id est, vna quædam forma, siue natura ex multis constituta. Aduerte tamen videri Aristotelem loqui his verbis de sola natura rei naturalis, & de compositione reali ex materia & forma: tametsi verum sit omnem naturam specificam esse alio modo cõpositam. Id quod dixerim, quia Plato non negabat species, rerum naturalium, siue ideas earum, constare suis generibus & differentiis, sed tantum dari in illis compositionem ex materia & forma.

Quarta similitudo.

aa *Et quemadmodum numerus*]Quartum attributum, quod colligit ex similitudine specierum cum numeris, huiusmodi est: Quemadmodum species numerorum non dicuntur magis & minus (*neq; enim hic ternarius est magis aut minus ternarius, quam quiuis alius, & idem in cæteris numeris*) ita neq; species rerum: quas vocat substantias secundum formam quia non includunt materiam designatam: vt forma sumatur hoc loco pro natura communi, quemadmodum sæpe alibi.

Obiectio. Solutio.

bb *Sed si quæ id habet.*]Cum omnis natura specifica, de qua hic erat sermo, cum materia existat, etiam ipsi numeri, diceret aliquis Aristotelem his verbis aperte contradicere proximo pronuntiato. Hac de causa dicendum est ea, quæ Arist. docuit de natura specifica in hac extrema

 parte

[illegible] speciei comparatione numeri, etsi de natura, quæ est substantia, præcipue intelligenda fuit, vberioris tamen doctrinę causa de omnibus speciebus communiter dicta esse. Nulla enim species abstracte accepta [*quo pacto ratione forma habet*] dicitur de suis indiuiduis, cum aduerbiis magis, & minus; tametsi multæ sunt, quæ ne concrete quidem semper cum huiusmodi aduerbiis dicantur, cuiusmodi sunt omnes species substantiæ, & numerorum. Cum ergo Arist. ait, si qua species dicitur magis & minus, eam esse, quæ cum materia est, nomine materiæ intelligendum est subiectum inhæsionis, vt quod dictum est, verum sit in accidentibus, non omnibus tamen, sed in quibusdam, vt albo, calido, & similibus de qua re explicatius disserendum hoc loco est.

cx *Ac de generatione*] Epilogus est eorum, quæ præcipue in hoc cap. tractata sunt, de generatione quam, ac ratione formarum, quo pacto concedenda sit, & quo pacto neganda, & de reductione naturarum specificarum ad numeros.

POSSIT NE DARI VERA INTENSIO, & remissio formarum?

QVÆSTIO I.

Quod nulla forma videatur intendi, aut remitti posse.

SECTIO I.

DISPVTATIO hæc de intensione, & remissione formarum, quę multas quęstiones complectitur, excitari hoc loco solet occasione eius pronuntiati, quo Aristoteles ait, formas, siue essentias rerum esse veluti numeros, quibus si quid addatur, aut detrahatur, non iā idē sit numerus, specie videlicet. Ex quo pronunciato primum, ac præcipuum argumentū desumitur contra formarum intensionem, ac remissionem. Ex eo enim cōstat, rerum essentias constitui per formam aliquam indiuisibilem, quemadmodum quęlibet numeri species constituitur per vltimam vnitatem: vnde cum formam intendi, aut remitti, nihil aliud esse videatur, quam gradum aliquē nouæ perfectionis acquirere, aut veteris amittere: quod diuisibilitatem formæ perspicue arguit, sit, vt nulla earum intendi, aut remitti possit, nisi mutata in aliam speciem, quod iam non est intendi formam eandem, aut remitti, sed vni aliam succedere.

Alterum argumentum est, quia si forma vlla vere, & in seipsa intenderetur, aut remitteretur, diceretur vtique magis, aut minus talis, [*quam ratio efficacis subiecto perfectiui, aut imperfectiui potest, similiter ipsa sua indiuisibili perfectione seruata, vt sanitas aliquo modo in sano corpore est modo in ægro*] atqui non dicimus aliquando albedinem esse magis, aut minus albedinem, aut lucem magis, aut minus lucē, & quę in cæteris: ergo nulla vere, & in se intenditur, aut remittitur.

Tertium, quia si quæ formæ essent, quæ hoc modo intendi aut remitti possent, maxime essent illæ, quæ secundum se habent ordinem essentialem ad obiecta, vt essent perfectiores, cum plura attingerent, imperfectiores autem, cum pauciora; cuiusmodi sunt habitus operatiui, vt scientiæ, & virtutes: at Aristoteles docet 7. *Physicorum lib.* ad primā speciem qualitatis, in qua sunt omnes habitus, non esse per se alterationis motum: sine motu autem nulla intensio, aut remissio dari potest: nulla ergo forma vere, ac in se intendi potest, aut remitti. [c. 3 à tex. 19]

Postremum, quia si quo modo forma vlla intendi posset, aut id fieret per expulsionem formæ contrariæ, aut per accessum ad summam eius perfectionem, aut per recessum à nullo perfectionis gradu, seu à non gradu, vt dicitur, aut quia semper forma acquisita expelleretur, & alia perfectior acquireretur, aut per maiorem radicationem in subiecto, aut denique per additionem gradus noui realiter aduenientis, eademque ratione per modos oppositos remitti posset: hi enim sunt modi, quibus dici solet posse formas intendi, & remitti. At primus modus non est satis, quia dātur formæ intensibiles non habentes contrarium, vt lumen: secundus non videtur possibilis, quia non datur in formis intensibilibus tāta perfectio, quin maior dari possit: tertius non est ad rem, quia negatio omnis gradus perfectionis non debet esse regula, & quasi norma maioris, minorisue perfectionis: tres denique posteriores non sunt admittendi, quia multa habent incommoda, vt in progressu ostendetur: nullo igitur modo aliqua forma intendi, aut remitti potest.

Non omnes formas, sed quasdam, intendi, ac remitti posse, & qua ratione possint.

SECTIO II.

Non idem esse formam extendi, atq; intendi.

VT quæstio hæc explicetur, illud in primis intelligendum est, nō idem esse formam eandem extendi, atque intendi: potest enim extendi non aucta perfectione propria, vt forma ignis, eiusq; qualitates, cum serpunt longius in eodem ligno, cum interim nihil aliud sit formam intendi, quam nouam perfectionem sibi intimam acquirere, quemadmodum & remitti nihil aliud, quam aliquid intimæ perfectionis amittere. neq; enim satis est ad intensionem, & remissionem formarū, si aliquid externæ sibi perfectionis aut acquirant, aut amittant: qua ratione nec superficies vultus intenditur, aut remittitur, cum eius color viuidior fit, aut marcescit; neque item anima rationalis cum in scientia, aut virtute proficit, aut deficit: sed ipse color est, qui intenditur, aut remittitur, quia alicuius internæ perfectionis gradum acquirit, aut amittit, eodemque modo scientia, & virtus, cæteraque huiusmodi.

Quid sit eā intendi, quid remitti.

Deinde illud considerandum, imo & ex eo, quod iam dictum est, colligendum, vt antiqua forma intendi, & remitti possit, necesse esse, vt aliquam perfectionis internæ latitudinem habeat, secundum quam possit incrementum, & decrementum perfectionis accipere; quare cum perfectio rerū specifica consistat in indiuisibili essentiæ gradu, vt hoc loco perspicue docet Aristoteles, cum ait rerū essentias esse similes numeris, in quibus species, vel vna tantum vnitate addita, vel detracta, variatur: fieri non potest, vt forma vlla secundum ipsam speciem intēdatur, aut remittatur, vt nunc ad maiorem specificam perfectionem promoueatur, nunc in minorem degeneret: tanta enim specifica perfectio est duorum graduum caloris, quanta est trium, (*alioqui non ex æquo conuenirent in speciem caloris*) etsi non tanta indiuidualis. Vnde fit, vt etsi latitudo perfectionis, quæ ad intensionem, & remissionem formarum necessaria est, in natura specifica in communi repetitur, tamen ipsum intēsionis, & remissionis, vt ita dicam, exercitium in perfectione indiuiduali inueniatur, vt in hoc, & illo calore, & in hac, & illa virtute.

Nullam formam secundum ipsam speciem intendi, vel remitti posse.

Obiectio. a.28.q.16.

Siquis autem nobis obiiciat id, quod lib. 5. ostendimus, nulla eiusdem infimæ speciei indiuidua inæqualis perfectionis esse inter se, ex qua re videtur perspicue effici, nullam formam habere intimam latitudinem perfectionis indiuidualis, secundum quam intendi, aut remitti possit: respondendum est, id, quod eo loco diximus, hanc sententiam continere, nulla indiuidua eiusdem infimæ speciei esse inter se inæqualis perfectionis, si ab eis detrahatur omne accidentarium dis-

Dilutio.

A crimen, qualis est varia terminatio qualitatū diuersorum graduum inter se. Nam etsi gradus perfectionis formarum ad internam cōstitutionem earum pertinent, tamen vnicuique, etiā singulari formæ earum accidit constare pluribus, vel paucioribus; cum eadē differentia indiuidualis ex pluribus, vel paucioribus re ipsa constare possit. Itaque non diximus eo loco qualitatem duorum graduū esse eiusdem perfectionis indiuidualis cum qualitate trium, sed cum alia qualitate duorum, B quia nullo accidentario discrimine inter se differunt: quam æqualitatem perfectionis indiuidualis negant ii, qui credunt omnia indiuidua eiusdem speciei infimæ esse inæqualis perfectionis essentiarum indiuidualium, contra quos eo loco disputabamus.

In quo omnes conueniant circa intensionem, & remissionem formarum.

Postremo illud animaduertendum, etsi alii aliter de intensione, & remissione formarum sentiunt; omnes tamen in eo conuenire, vt C concedant, necessariam esse latitudinem aliquam internorum graduum perfectionis in iis formis, quæ intenduntur & remittuntur, siue ii gradus sint re ipsa distincti inter se, siue sola virtute, de qua difficultate præcipua est in hac re controuersia.

Quæ intenduntur, & remittuntur, quæ non ita.

His positis perspicuum relinquitur, dicēdum esse ad propositam quæstionem omnes formas, in quibus datur latitudo intimæ perfectionis, vt modo in eadem specie perfectio- D res esse possint, modo minus perfectæ, posse (*si nihil obstet*) intendi, & remitti, eas autem in quibus huiusmodi latitudo non datur, nec intendi, nec remitti posse: atque hinc patere rationem, & causam, cur aliæ intendi, ac remitti possint, aliæ non possint.

Dari augmentum, & decretum in aliquibus supernaturalib. omnino certum.

Esse autē plurimas huiusmodi formas experientia quotidiana constat in primis quatuor qualitatibus, & in iis, quæ ex earū com- E mistione resultant, itemque in habitibus scientiarum, virtutum, aliarumq; dispositionum tum corporis, tum animæ. Neque id tantum compertum est in naturalibus, & acquisitis qualitatibus, sed etiam omnino certum in supernaturalibus, vt in gratia, fide, spe, & charitate, aliisque donis spiritualibus, quorum incrementum Dei Opt. Max. beneficio decrementum autem nostræ negligentiæ ascribi passim ex diuinis Scripturis constat. Ac in qualitatibus quidem vtriusq; generis, si non F omnibus, certe plurimis, hæc reperiri perspicuum est. Num autem quantitas aliqua aut forma substantialis intendi & remitti possit, (nam de cæteris formis, vt de relationibus, & aliis, si quæ sunt, non est in hac re habenda ratio) ex iis, quę disputabūtur, patebit. Nunc de sola qualitatum intensione, ac remissione, de qua nihil dubitatur, agendum est, quo pa-

[illegible] ad argumenta [illegible] proposita.

Solutio argumentorum partis negatiuæ.

SECTIO III.

Specificas differentias dici formas indiuisibiles.

AD primum dicendum est, formas indiuisibiles, per quas essentiæ rerum speciales constituuntur, esse differētias specificas, quæ propterea dicuntur indiuisibiles, quia in genera & differentias diuidi non possunt: quo fit, vt quauis addita, aut detracta, mutetur species, vt si animali addas rationale, constitues speciem humanæ naturæ, si detrahas sensitiuum, constitutam relinques aliam speciē, quæ est corpus animatum, seu viuens. Nihil autem repugnat differentias rerum habentiū intrinsecam latitudinem graduum, quibus integrantur, esse ex ratione sua indiuisibiles in genera & differentias metaphysica diuisione, & tamen re ipsa esse diuisibiles diuisione physica in diuersos gradus, seu re ipsa, seu virtute distinctos: quo pacto nihil repugnat rationale esse differentiam indiuisibilem metaphysice, physice autem esse re ipsa diuisibilem in materiam, & formam, aut in partes integrantes humanæ naturæ, cum quibus re ipsa est idem.

Posse eandē formam indiuisibilem esse metaphysice, physice diuisibilem.

Ad secūdum negandum est formam, quæ intenditur, aut remittitur, posse dici magis, aut minus talem, nisi sumatur non solū concrete, sed etiam connotatiue, hoc est, eo pacto, vt connotet subiectum, de quo dicatur accidentaliter, vt si albedo significetur nomine albi, & lux nomine lucidi: sic enim dicimus aliquid esse magis, aut minus albū, magis aut minus lucidum. Ratio vero est, quia forma informans non intenditur, nec remittitur [illegible] accidentaliter con[illegible] rationem nō [illegible] magis, & minus, nomina [illegible] absoluta, sed [illegible] forma connotato [illegible] nomina con[illegible] ratio[illegible]

[illegible] solū [illegible] connotatiue [illegible] dici [illegible]

[illegible]) [illegible] mus, de vllis partibus [illegible] absolutum, quia formæ [illegible] non habent latitudinem gradualem, [illegible] quia vt [illegible] connotant vlla [illegible] quibus [illegible] ad eorum essentias [illegible] pertinent [illegible]

Ad tertium [illegible] habitus operatiuos, vt scientiam, [illegible] quo ex minus [illegible] extensiores fiunt, eo magis [illegible] diximus, libro sexto habitus [illegible] fieri intensiores, cum per ea principia [illegible] conclusiones demonstrantur, [illegible] est de habitibus conclusionum [illegible] alias demonstrandas assumuntur. Cum vero obiicitur, Aristotelem docere ad qualitates primæ speciei non esse alterationem [illegible] intensionem autem, & remissionem sine motu dari non posse, neganda est posterior propositio. Nam & scientiæ, & virtutes per instātia & acquisitionem acquiri, & intendi possunt: eaque fuit causa inter alias, cur Aristot. dixerit, ad qualitates primæ speciei non esse motum alterationis: acquisitio enim, quæ fit per instantia, motus non est.

Habitus operatiuos quo pacto intendantur. c. 1. q. 2. sect. 4.

Intensionem & remissionem sine motu dari posse.

Ad vltimum dicendum est, recte ostensum esse non acquiri primo modo vniuerse maiorem intensionem per expulsionem contrarii. Quod autem ad secundum attinet, non recte [illegible] summā perfectionem qualitatum [illegible] sumatur pro ea, quæ naturaliter acquiri potest: datur enim summa intensio caloris in igne, summum frigus in aqua, & ita in cæteris: *quamquam ea summitas non in puncto indiuisibili sumenda est, sed in latitudine excedente intensionem earundem qualitatum in aliis rebus*) tametsi spectata supernaturali Dei virtute non detur earum tanta perfectio, quin maior esse possit. Ac per eam summam perfectionem naturalem, quasi per normam quandam mensurandas esse aliarum similium perfectiones, iuxta eam regulam, quā tradit Aristot. 2. lib. huius operis, cum ait: Id, quod maxime tale est, esse causam (*subaudi exemplarem, seu quasi exemplarem*) cæterorum: & illam, quam tradit lib. 10. cum ait: Id, quod primum in vnoquoque genere est, esse mensuram cæterorum, & quæ sunt in eo genere. Vnde patet recte probatum esse tertium modum esse inutilem, [illegible] probandum, in quo tamen examinando nonnulli recentiores inutiliter laborant. Num autem aliquis ex trib. posterioribus probandus sit, id iam exponendum superest.

Qualitates habere naturalem terminum perfectionis.

c. 1. tex. 4. c. 2. tex. 2. & seq.

Quonam pacto fiat intensio qualitatum?

QVÆSTIO II.

Qualitatum intensionem non fieri amissa forma præcedente, vt perfectior acquiratur.

SECTIO I.

DVRANDVS ad distinct. 17. 1. libr. sent. Burleus in tractatu de intensione formarum, & alii nonnulli existimant, qualitatum intensionem fieri amissa semper præcedente, vt perfectior acquiratur: nisi quod Durandus ait, qualitatem, secundum quam fit intensio, esse vnam, & eandem continuatione quadam toto corpore intensionis, cæteri autem sentire videntur esse continenter aliam, atque aliam. Eorum omnium argumenta, quæ alicuius momenti sint, hæc sunt ferme.

Argumenta ad probandũ præcedentem amitti.

Primum, quia termini motus, à quo, & ad quem, cum sint contrarii, simul esse non possunt: cum igitur in motu intensionis forma remissa sit terminus à quo, forma autem intensa terminus ad quem, necesse est, vt forma præcedens, quæ remissa erat, expellatur, cum intensa introducitur. Quod vero forma remissa, non autem negatio, seu priuatio formæ intensæ, sit terminus à quo in motu intensionis, ex eo patet, quia in nullo motu terminus à quo est negatiuus, sed positiuus, hac enim ratione differt ille à termino à quo generationis, siue substantialis, siue accidentalis.

Deinde, quia vt se res habet in motu locali, quo mobile magis accedit ad locum in quem mouetur, ita se habet in motu intensionis, cum subiectum ad perfectiorem formam tendit; at in motu locali continenter amittitur locus acquisitus, & acquiritur alius propinquior loco vltimo, omnesq; amissi, seu potius relicti sunt, cum vltimus acquiritur: ergo cum forma intenditur, semper alia, atq; alia imperfectior amittitur, & perfectior acquiritur.

Tertio, quia motus, & forma, quæ per motum acquiritur, idem re ipsa sunt: cum ergo in motu semper id, quod decursum est, amittatur, vt ei id, quod sequitur, succedat, fit, vt forma etiam imperfecta, quæ iam per eum in medio cursu acquisita est, amittatur, vt eã perfectior, quæ nondum est acquisita, sequatur.

Vt Godefr. apud Capr. in 1. d. 17 q. 2 Assertio communis. D. Th. q. 12. q. 52. ar. 2. ad 2. & 3. Scot. in 1. d. 17. q. 2. Och. q. 6. Gabr. & Greg. q. 4 1. 2. q. 53. ar. 1.

Hanc tamen sententiam, quam antiquiores aliqui Scholastici videntur tenuisse, impugnant D. Thomas, Scotus, & Nominales ferme, sibi omnino persuadentes eandem numero qualitatem permanere in toto intensionis tempore, in eoq; nouam perfectionem sensim acquiri; id quod his potissimum argumentis ostendunt. Primum, quia (*vt Diuus Thomas argumentatur*) nulla forma absoluta expellitur, nisi actione contrarii agentis, vel desitione subiecti, vel (*quod addendum est*) remotione conseruantis, vt frigus aquæ, cum ea calefit, calor aeris, cum is in ignem transmutatur, & lumen diaphani corporis, cum ab eo sol recedit: cum igitur nullo ex his modis qualitas, quæ acquisita erat in priori parte motus intensionis, expelli possit; (*nam & agens, & subiectum sunt eadem, & ad eius esse causandum, & conseruandum idonea*) non est, cur id, quod acquisitum erat expellatur, vt perfectior qualitas acquiratur. Deinde, quia vt addit Scotus, si in intensione formarum qualitas acquisita periret, idem habitus operatiuus se per actum intẽsiorem, quo se intendere nititur, interimeret, nempe vt alius perfectior acquireretur: hoc autem dici non potest, cum quælibet res se ipsam nitatur conseruare, ergo, &c. Et quanquam hoc argumentum facile illudent oppositæ sententiæ autores, si nihil addatur; (*dicent enim hoc esse habitum se ipsum per se, siue ex intentione interimere, sed per accidens, & præter intentionem, quod multis aliis in rebus sæpe euenit*) tamen id fieri in vno, & eodem instanti nequaquam admittendum est, nempe vt habitus in eodem instanti operetur, & in eodem alius habitus ei succedat. (quod tamen ab oppositæ sententiæ autoribus concedendum est cum posita sit caussa sufficiens, vt alius perfectior gignatur) sic enim habitus generans perfectiorem habitum erit, & non erit, quia operabitur; [*vt ponitur*] non erit, quia simul cum alio perfectiori esse non poterit. Tertio, quia vel qualitas præcedens amittitur in tempore, vel instanti. Si in tempore, ergo non tota simul, sicque aliquandiu perseuerat eadem, nec semper est alia, & alia præterquam quod eo pacto necesse erit dicere sequentem quoque in tempore acquiri, atque ita vel simul alia amittetur, alia acquiretur, vt ambæ simul existant in eodem subiecto, imperfectior, & perfectior, quod fieri nequit: vel si in diuersis temporibus, sequitur neutram qualitatem fore in medio instãti, quod etiam absurdissimum est, præsertim in qualitatibus, quæ in instanti operantur, vt in lumine, & scientia. Quod si præcedens amittitur in instanti, sequensque in eodem illi succedit, ita vt præcedens desinat per primum sui non esse, sequens vero incipiat, per primum sui esse; (*quod dicimus de formis substantialibus*) tria ad minimum incommoda sequentur. Vnum est motum intensionis qualitatum nunquam fore continuum, ac proinde nec motum. Alterum, inter quælibet instãtia qualitatem eandem numero perseuerare, & non perseuerare; perseuerare quidem, quia (vt ponitur) non desinit, nisi in instanti, quod quidem certum, & designatum esse debet; non perseuerare autem, quia inter quælibet designata instantia dantur infinita in

[illegible] eadem ratione necesse erit, vt perfectior qualitas imperfectiori succedat. Tertio, quia si per instantia fiat intensio, cum eadem sit ratio de omnibus, cur in quolibet certa aliqua perfectio qualitatis acquiratur; dabitur in fine motus intensionis qualitas infinitæ mensa, quod & falsum perspicue est, & impossibile. Postremum argumentum est, quia eadem ratio esse debet in remissione qualitatum, quæ in earum intensione, vnimirum imperfectior qualitas perfectiori succedat. quod tamē etiam ipsi merito fieri posse negant, quia agens, quod inducendo vnam ex contrariis qualitatibus alteram remittit, non habet vim inducendi remissiorem, cum agat per eius contrariam: neque ibi est aliud agēs, à quo remissior inducatur, seu per se, seu per accidens, vt cernere licet cum aer frigid' remittit calorem aquæ prius calefactæ: neque enim vllum agens ibi est, quod vel per accidens inducat minorem calorem, cum maior expellitur, vt est luce clarius. Ita patet nulla ratione fieri intensionem qualitatum expulsa semper imperfectiori, & perfectiori introducta.

Quare ad primum argumentum oppositæ sententiæ dicendum est, formam remissam non esse terminum à quo motus intensionis, nisi quatenus remissa est, seu cum ipsa simul remissione, imperfectioneve; quemadmodum minor quantitas non est terminus à quo in motu accretionis, nisi quatenus est minor: hoc autem modo non manet remissa qualitas cum intensa in fine motus, quemadmodum nec minor quantitas cum maiori: quandoquidem vt quantitas minor iam est facta maior in fine accretionis: ita & qualitas remissa est facta intensior, seu perfectior in fine intensionis.

Ad secundum negandum est eandem esse rationem in motu locali, atq; in motu intensionis, neq; enim, vt loci adæquati acquiruntur, sic acquiruntur gradus qualitatum, qui motu intensionis [illegible]: sed vt loci acquiruntur, sic gradus acquisiti sunt hoc est, [illegible] Alia ratio est in [illegible] loci [illegible] partem post partem [illegible] tem locus non acquiritur [illegible] instanti, sed in eo acquisitus est.

Ad tertium dicendum, etsi motus, & formæ, quæ per motum acquiruntur [illegible] fine, tamen non esse eandem rationem [illegible] tionem. Huiusmodi enim forma non habet ex ratione [illegible] incompleta sit, at [illegible] vt motus [illegible] pleta est, seu [illegible]

nondum perfecta [illegible] perfectione acquirenda, sed tendens in [illegible] huius successionis, & con[illegible] omnes eius præcedentes [illegible] mentes succedant.

Qualitatum intensionem non fieri per maiorem radicationem in subiectis.

SECTIO II.

DIVI Thomæ sententia est intensionem qualitatum fieri per maiorem radicationem earum in subiectis, quod idem sentiunt cum omnes eius doctrinæ sectatores, tum Ægidius, Romanus, Argentinas, & alij nonnulli: tametsi nonnihil in ea constituenda dissentiunt.

Ita sentiunt D.Th. 1.2.q. 52.a.1. & 2. 2 q.24.a. [illegible] Caiet. ibid. & 1 2.q.[illegible] 4. Cap. in 1. 17.q.2 Æg. quodl.2.q.14 & in 1.d 17. q.1 Arg. quæ. 2.

Quid ergo sit qualitatem magis radicari in subiecto, etsi alij aliter exponunt, tamen in eo omnes conueniunt, vt dicant nihil esse aliud, quam perfici magis in eodem subiecto, eademque parte subiecti, si partes habeat: magis autem perfici in subiecto, cum intelligi non possit secundum latitudinem in specie ipsa consideratam, vt ex superiori quæstione constat, sed in indiuiduis, cū in eis dari potest, nihil aliud esse dicunt nonnulli, quam magis dominari subiecto; non quatenus qualitas sit permanentior, aut difficilioris expulsionis à subiecto, in quo est. (sæpe enim *qualitates minus intensæ permanentiores sunt, & difficilius expelluntur, vt mediocris rubor naturalis in facie, quam maior ex verecundia contractus*) sed quatenus magis actuat subiectum. Quod tamen cum idem sit, atque magis illud perficere, nihil noui declarat hæc expositio.

Quid sit qualitatem magis in subiecto radicari.

Magis perfici, quid alij esse.

Alij ita rem explicant, vt dicant qualitatem magis perfici in subiecto idem esse atque magis participari ab illo: idque tum fieri, cum qualitas magis educitur è potentia subiecti. Potest enim educi, quemadmodum ad actum, sic etiam ad maiorem perfectionem actus. Sed nec expositio hæc magis explicat, quod sit hoc, quod est magis perfici eandem numero formam: idem enim est magis perfici in subiecto, atque educi de potentia illius ad maiorem perfectionem: oportet autem exponere, in quo consistat ea maior perfectio. Atq; hoc ipse D. Thom. declarat, cum ait formam, quæ intenditur, perfici secundum esse, hoc est, non secundum nouam entitatē, quæ illi addatur, sed secundum nouam existentiam, vt exponit Capreolus: vel secundum nouum quendam essendi modum, quem Caietanus vocat nouam terminationem eiusdem formæ. Quod [illegible] subiectum, quod [illegible]

Quid D.Th.

q. cit. a. 1. ad 1 Aureol. & a. 2. ad arg. Greg. 1 2 q. 52. a. 4 & 5.

mis, quæ intenduntur, & remittuntur, esse latitudinem quandã virtualem: tum vero nihil esse aliud formam intendi, quã virtute sua sic se habere, ac si noua aliqua entitas gradualis illi accederet, cum tamen nihil ei per intensionẽ adueniat, nisi nouus ille modus essendi, quo virtute sua magis perficit subiectũ, potioremque denominationem ei tribuit, & perfectiorem effectum sibi vendicat; quod contra accidere existimat in remissione. Atq; hæc est verisimilior D. Thomæ sententiæ expositio. Nam illa Capreoli de noua existentia eiusdem formæ adueniente merito ab aliis absurda reiicitur.

Præfertur Caiet. expositio.

Quod igitur intensio qualitatum fiat per maiorem radicationem in subiectis hoc modo explicatam, his argumentis probatur. Primum, quia accidentis esse est inesse: hinc autem fit, vt perfici in subiecto nihil aliud sit, quam perfectius inesse, seu magis radicari in subiecto.

Arg. pro hac opin.

Deinde, quia si qualitas intenderetur additione noui gradus entitatis, aut is gradus esset eiusdem speciei cum præcedente, aut diuersæ: si diuersæ, iam mutaretur species: si eiusdem, ergo nec se haberet ad illum vt actus ad potentiam, nec vt potentia ad actum, quia essent eiusdem rationis, ac proinde non constitueret cum illo vnam per se qualitatem, sed essent duæ qualitates eiusdem speciei in eodem subiecto, quod pugnat cum Aristotelis doctrina lib. 5. cap. 10. vbi docet duo accidentia eiusdem speciei infimæ non posse esse simul in eodem subiecto: quod propterea dictum esse aiunt huius sententiæ autores, quia indiuiduatio non modo compositorum, sed etiam formarũ sub specie infima, fit per materiam subiectum, vt iuxta illud eiusdem Philosophi libro eodem, cap. 6. *Ea sunt vnum numero, quorum materia est vna.*

Tex. 16.

Tex. 12.

Tertio, quia si gradus ille entitatis, qui dicitur addi in intensione esset reipsa distinctus à præcedente (*sic enim sentiunt huius sententiæ autores*) posset vtiq; addi virtute diuina qualitati existenti sine subiecto, vt illi vniri in vnam numero qualitatem: at duæ qualitates non possunt coalescere in vnam extra subiectum: quia nec ratione subiecti (*quod non haberent*) fiet vnum, nec ratione alicuius termini communis, quo iungantur, quemadmodum diuersæ quantitates: quandoquidem in qualitatibus non videtur dari communis terminus, vt datur in quantitatibus.

Quarto, quia si additione gradus ad gradum reipsa distinctum, & non sola additione noui modi essendi eiusdem qualitatis, fit eius intensio, cum in infinitum alij atque alij præexistenti qualitati adiungi possint, neque

A inter eos vt vllus naturæ ordo, nulla erit ratio, cur ab agente hic gradus potius addatur præexistenti quam quiuis alius: at hoc est absurdissimum, siquidem ab indeterminato omnino agente, & patiente nullus determinatus effectus prouenire potest.

Quinto, quia cum corpus, quod densatur, si est album, fiat album, si calidum, fiat calidius nulla addita noua qualitate, non est, cur negandum sit intensionem fieri sine noua additione gradus ad qualitatem reipsa ab eo distinctam.

B

Postremo, quia quantitas in rarefactione perficitur secundum latitudinem perfectionis indiuidualis, ac proinde vere intenditur: nec tamen intenditur additione quantitatis re ipsa distinctæ à quantitate præexistente, nec plures moles corporeæ sint in eodẽ subiecto: ergo pari ratione fieri poterit intensio qualitatis nulla ei noua entitate qualitatis addita, quod si potest, cur non potius fiat, quam additione graduum realium?

C

Idem confirmant tum ex hoc capite, cum Aristoteles ait, si quid addatur formæ, continuo mutari speciẽ, vt in numeris: tum etiam ex 4. Phys. cap. 9. vbi docet, ex calido fieri magis calidum nullo facto calido, quod non esset antea calidum, hoc est. vt ipsi interpretantur, nullo nouo addito calore, qui non antea in subiecto esset.

Tex. 16.

Tex. 84.

D Verum hæc opinio etsi suam habet probabilitatem, potissimum vero propter tanti Doctoris autoritatem, non sine causa tamen cõmuni scholæ non probatur. Primum, quia potissimum fundamentum huius sententiæ est, materiam esse principium indiuiduationis sub specie infima, nec compositorum tantum, sed etiam earum formarum, quæ in materia recipiuntur: quod pronuntiatum vsurpatum est in secundo argumento: patet autem ex iis, quæ loco ibidem citato fuse disputauimus, etsi materia in rebus materialibus modo aliquo dici possit indiuiduationis principium, simpliciter tamen, & vniuerse nõ materiam, sed differentiam indiuiduantem cuiusque rei singularis habentis principium, & causam, esse principium, & rationem, cur illa sit indiuidua.

E

Refellitur hæc opin.

Albert. d. 17. a. 10. Bon. 1. p. dist. 1. q. 1. Scot. q. 9. Rich. a. 2. q. 3. Ock. q. 6. Gr. q. 2. Gabr. quæst. 4. Marsil. in 1. q. 7. ar. 1. Ad cap. 6. q. 4. & 5.

Deinde, quia si qualitates, quæ intendi, & remitti possunt, non haberent gradus reipsa distinctos, sed essent omnino indiuisibiles in partes integrantes, (*quidquid dicendum esset de modo, quo intendi possunt*) non possent haud dubie introduci per motum, sed solum in instanti: at hoc dici non potest, ergo nec illud. Maior ex eo patet, quia quæ in se ipsis indiuisibilia sunt, non possunt diuisibiliter introduci, ac proinde nec per motum.

F

Qualitates habentes contrarii quo pacto produci queant in instanti.

Lumē interdũ produci in tempore.

Minor ex eo probatur, quia huiusmodi qualitates re vera possunt introduci in tempore: imo vero, si habeant contrarium necessario introducuntur in tempore, si per se, & non per accidens naturaliter introducuntur. Nam qualitates habentes contrarium, cum per se introduci non possint, nisi expulsione contrariorum sibi resistentium, non possunt introduci naturaliter in instanti, quantumcunque agens applicatum sit patienti, & intra sphæram actiuitatis illius: tametsi aliter res habet, cum introducuntur per accidens, seu potius consecutiue in generatione, vt calor ille numero, qui simul cũ forma ignis in momento introducitur: aut si supernaturaliter introducantur, expulsis simul in instanti diuina virtute contrariis qualitatibus. Lumen autem v. g. ex qualitatibus non habentibus contrarium, etsi potest introduci in instanti, si patiens sit intra sphæram actiuitatis ipsius agentis, veluti cum primum ignis in aere genitus aerem illuminat: tamen potest etiam introduci in tempore, si per motum appropinquationis luminosi introducatur. Cum enim sphæra actiuitatis agentium non terminetur intrinsecus, sed extrinsecus, nempe superficie quadam ambiente totam eiusmodi sphæram, in quam superficiem agens agere non possit, & circa quam possit: si luminosum moueatur in quamlibet positionis differentiam, cum vltra illam superficiem non detur prima pars spatij, in quam introducat lumen, sed ante quamlibet detur alia minor, quæ prius illuminata sit, (*supposito dimidium cuiuslibet, & dimidium dimidii, & ita in infinitum, retrorsum versus iuxta diuisionem spatii, in quod agit, & temporis, in quo agit*) perspicuum relinquitur lumen illud nouum non introduci in instanti, sed in tempore. Atque in hoc extrinseco sphæræ actiuitatis termino paria sunt omnia agentia naturalia, quæ à summo gradu qualitatis, quem producere possunt, vsque ad non gradum, seu non qualitatem, vniformiter, difformiter, hoc est, eadem semper proportione minorem eam introducunt: siue ea qualitas contrarium non habeat, vt lumen, siue habeat, vt calor. Hoc tantum est discrimen, quod cum patiens est intra sphæram actiuitatis agentis, si qualitas introducenda non habeat contrarium, statim in primo instanti introducetur qualitas aliqua tantæ intensionis, quantam postulauerit propinquitas patientis respectu agentis, quia nihil erit, quod resistat agenti: at si qualitas introducenda habeat contrarium, nulla qualitas introducetur in primo instanti actionis, sed tantum incipiet introduci propter contrarij resisten-

A tiam. Ita fit, vt qualitas intensibilis non habens contrarium possit introduci & in instanti, & in tempore: quæ autem contrarium habet, non possit naturaliter introduci, nisi in tempore, etsi vtraq; habeat latitudinem graduum distinctorum realiter. Hæc de secundo argumento.

Eandem pene vim habet hæc argumentatio: Si nulla qualitas esset partibilis in gradus re ipsa distinctos, omnis qualitas intro- B duceretur in subiectum per primum sui esse: hoc autem fieri nequit, ergo nec illud. Maior patet, quia quæ re ipsa partibilia nõ sunt, aut tota simul realiter producuntur, aut nihil eorum producitur. Minor autem probatur, quia quæ producuntur per motum, non possunt incipere per primum sui esse, quemadmodum nec motus ipse, cum quo realiter identificantur: alioquin in motu daretur C primum mutatum esse, quod fieri non posse demonstrat Aristoteles libro 6. Physicorum. *Cap. 3. à tex. 45.*

Tertio impugnatur eadem assertio hac ratione, quia si qualitates, quæ intenduntur, & remittuntur, non haberent gradus, re ipsa distinctos, introducta iam qualitate nihil deinde inhærens mobili acquireretur per motum, quo illa intenditur: at in omni motu, præterquam in locali, aliquid acquiritur, quod in D mobili inhæreat, vt docet Aristoteles 8. Physic. cap. 7. habent igitur eiusmodi qualitates gradus re ipsa distinctos. Nec respondeas acquiri nouum modum essendi in subiecto: nam is modus quicunque ille sit, non acquiritur per se in motu, sed acquisitione nouæ entitatis realis: neque enim modus essendi est terminus motus, sed forma, quæ acquiritur per motum, vt patet ex diuisione terminorum motus, quam Arist. & omnes Philoso- E phi tradunt.

Tex. 59.

Nullũ essendi modũ esse terminũ motus.

Quarto, quia intensio qualitatum non differt specie à motu, quo illæ producuntur, tantumque est discriminis inter earum productionem, & intensionem, quod productio ex communi ratione sua nihil earum supponit in subiecto: intensio autem supponit: cum ergo earum productione aliqua realitas introducatur, intensione quoque aliqua introducetur.

F Quinto, quia, vt Scotus argumentatur qualitates contrariæ non possunt esse simul in eodem subiecto in gradibus intensis, possunt autem in remissis: aliquid ergo reale habent, cum intensæ sunt, quod non habebant, cum erant remissæ.

[illegible] 3. Phys. c. 6. [illegible]

Nec est, quod ad nouos essendi modos confugias, nam prius natura (*[illegible]*) qualitates contrariæ sibi [illegible]

quam in eodem subiecto, cum ex earum naturali repugnantia proueniat, vt in eo simul esse non possint. vnde fit vt quæ sibi ipsis non repugnant, (*veluti calor, & siccitas*) neque in subiecto eodem repugnant: in entitatibus ergo ipsarum, non in modis essendi quærenda est earum repugnantia: præsertim cum contrarietas sit propria affectio entium, vt ait Aristoteles non modorum essendi.

Postremo, quia si sola maior radicatio in subiecto, seu (*quod idem est*) maior actuatio subiecti esset causa intensionis qualitatum, non posset qualitas absoluta Dei potestate à subiecto separata intendi, seu perfectior effici: hoc autem absurdissimum videtur, ergo & illud.

Nonnulli Thomistæ non putant hoc absurdum esse, quia si qualitas, inquiunt, separaretur à subiecto haberet omnem modum essendi suæ speciei sicque intendi, seu perfici non posset, quia in suo genere esset infinita. Verum hoc absurdius sonat, quam asserere non posse eam qualitatem separatam quacunque potestate intendi, etiamsi non sit infinita, idq; euenturum propter defectum subiecti, non propter infinitatem qualitatis: mirabile est enim solam conseruationem qualitatis extra subiectum effecturam, vt qualitas, quæ finite intensa erat in subiecto, sola separatione fiat infinite intensa.

Colligitur intensionem qualitatum fieri per additionem gradus ad gradum reipsa distinctum: & soluuntur argumenta superioris opinionis.

SECTIO III.

Resol. quæst. pro qua vide Authores sup. sect.

EX his patet intensionem qualitatum non fieri per maiorem radicationem in subiectis seu maiorem eorum actuationem, vt à superioris opinionis autoribus intelligitur, hoc est, sine vlla realium graduum acquisitione: sed re vera intendi qualitatem nihil esse aliud, quam subiectum nouum aliquem eius gradum realem acquirere, qui cum præcedente, aut præcedentibus vnam quandam perfectiorem qualitatem constituat.

Ac mirum sane est, cur D. Thomas in hanc sententiam non venerit, cum locis compluribus tradiderit, prius natura intensionem reperiri in ipsa formæ intensibilis essentia, quam in vllo eius effectu: satis enim patet actuationem subiecti esse effectum formalem formæ actuantis. Non intelligit tamen D. Thomas intensionem reperiri actu in ipsa essentia specifica, sed in essentia singulari, seu indiuiduali, vt supra diximus. Quanquam enim latitudo: quæ ad intensionem requiri-

Vt 1. p. q. 42. art 1. ad 1. & 1. 2. q. 52. art. 1. in corp. 2. 2 q. 24. ar. 4. & de Virtutib. q. 1. ar. 11. sup. q sect. 1.

A tur, reperiatur in essentia specifica, vti diximus: tamen ipsa intensio non reperitur actu, nisi in essentia singulari quemadmodum nec terminatio latitudinis maior, vel minor, quæ ex singulari essentia in specificam suo modo per accidens redundat, vt cœtera accidentaria prædicata realia, quæ primo indiuiduis conueniunt, & per accidens in specificam naturam redundant.

Latitudo ad intens. in specie, intensio in indiuiduis reperitur.

B Quare ad primum argumentum oppositæ sententiæ dicendum est, etsi accidentis esse est inesse eo modo, quo initio libri superioris explicatum est: & eius maior perfectio (*si latitudinem perfectionis habeat*) in eo posita est, quod magis perficiat, aut perficere possit subiectum, tamen eam maiorem perfectionem non acquiri per intensionem, nisi additione nouæ entitatis ad entitatem existentem.

Diluuntur arg. c. 1. q. 1. sect. 3.

C Ad secundum dicendum est, nouum gradum aduenientem eiusdem speciei esse cum præexistente, neque habere rationem actus, aut potentiæ respectu illius, sed vtrumque rationem potentiæ respectu qualitatis, quæ ex vtroque constat; sicque non esse plures qualitates, sed plures partes graduales eiusdem qualitatis, quo pacto duæ aquæ coniunctæ non iam duæ aquæ sunt singulares, sed partes integrantes extensiuæ vnius aquæ singularis. D Quocirca etsi verum esset vniuersale, quod Aristotel. tradit in loco citato, duo accidentia eiusdem speciei non posse simul esse in eodem subiecto, vt multi credunt contra atque nos sentimus: tamen nihil inde concluderetur contra existentiam duorum graduum qualitatis eiusdem speciei in eodem subiecto, cum non sint duo accidentia, sed partes graduales vnius, & eiusdem accidentis. Neque oppositum colligitur ex citata definitione E eorum, quæ sunt vnum numero in qua sola indiuiduatio substantiarum materialium à posteriori explicatur, vt diximus eo loco.

Gradū aduenientē eiusdē esse speciei cū præexistente.

Ad tertium concedimus posse addi diuina virtute qualitati separatæ à subiecto nouum qualitatis gradum, eique vniri in vnam numero qualitatem: non tamen per terminum aliquem communem, (quem ne in mediis quidem quantitatibus continuis actu esse diximus) F sed per hoc, quod Deus suppleat vim sustentatiuam, & vnitiuam illius subiecti, excepta subiectione, quæ in Deum cadere non potest. Putamus enim non alia de causa nouum gradum cum præexistente, & omnino plures gradus inter se in vnam numero qualitatem vniri nisi quia recipiuntur in eodem subiecto, vt posteriori loco citati libri diximus: cuius subiecti vim in eis vniendis

Qualitatē extra subiectū intendi posse à Deo.

Cur plures vniantur in vnam quālitatem.

Deus

Deus supplere potest, aut etiam alicui creaturæ communicare.

Ad quartum dices, etsi in infinitum alii, atque alii gradus præexistenti qualitati adiungi possent ab agente naturali, tamen determinatum esse illum, qui potest in hoc verbi gratia momento, aut tempore ab hoc agente, & in hoc subiectum introduci, non quod vel momentum hoc, aut tempus, vel hoc agens, subiectumve seu patiens, vel hæc omnia simul natura sua sint determinata ad huiusmodi gradus productionem, cum ad omnes eiusdem speciei gradus suapte natura sint indifferentia, solumque agẽs, si sit naturale, determinatum ex se sit ad gradum specificum, ad eumque determinet subiectum, in quod agit, sed quia ex æternitate præscriptum est à primo agente, quinam effectus ex iis omnib. eiusdem speciei quos hoc agens in hoc momento, aut tempore, & in hoc subiecto, aut ex hac materia producere posset, produci debeant. Nec recte philosophantur, qui putant pie magis hoc dici, quam philosophice, cum oppositum & minus pium sit, & à philosophica consideratione non parum alienum. Vt enim ab vno indeterminato nihil determinatum prouenire potest, ita nec à pluribus indeterminatis simul sumptis, id quod Aristoteles recte animaduertit cap. 15 superioris libri, cũ dixit indiuiduum definiri non posse pluribus prædicatis communibus, quantumcunque multa iungantur, quia semper ea, quæ communia sunt, siue vnum siue plura simul sumantur, possunt suapte natura pluribus conuenire.

Agentia naturalia ad effectus singulares determinari à Deo.

Text. 54.

Ad quartum dicendum, corpus cum densatur, si est album, non fieri intensius album, aut si calidum, intensius calidum, sed tamen videri intensius album, aut calidum, quia magis mouet sensum, propterea quod partes ob densitatem magis vniuntur, fortiusque agunt in sensum.

In densatione corporum intendi qualitates.

Ad vltimum, quia præcipuam in hac re ingerit difficultatem, proxima disputatione respondendum est. Quæ vero afferuntur ex Aristotele, facile refelluntur. Namq; ex dictis patet, non omni additione mutari speciem, sed sola additione differentiæ specificæ. Quod autem ex 4. Physicorum libro refertur, non recte exponitur: sensus enim verus est, non ex eo subiectum aliquod fieri magis calidum, quia aliqua eius pars fit calida, quæ ante nõ esset calida, cum totum subiectum minus caloris habebat, (*id enim non esset aliquid fieri magis calidum, sed extensius calidum*) sed tunc iudicandum esse aliquid factum esse calidius, seu intensius calidum, cum etsi nulla alia eius pars facta sit calida, hæc ante calida nõ erat, illa eadem, quæ iam calida erat, nouum calorem concepit. Itaque non solum nõ pugnat is locus cum approbata sententia, sed potius eam haud minime confirmat.

Respondetur locis Aristot.

Num quantitas aliqua intendi ac remitti possit.

QVÆSTIO III.

Partis affirmatiuæ confirmatio.

SECTIO I.

Cvm hactenus de intensione qualitatum disputatum sit, compertumque, quonã modo intensio in eis locum habeat, superest, vt paucis videamus, quid de quãtitate, ac substantia sit sentiendum, num scilicet in aliqua earum, aut in vtraque intẽsione reperiri possit. Ac primum in quantitate aliquam dari intensionem, & remissionem his argumentis probari potest.

Primum, quia cum intendi nihil aliud sit, quam formam perfici intima perfectione indiuiduali, vt ex dictis constat, qualitas autẽ intendatur additione nouæ qualitatis eiusdẽ speciei aduenientis, non est, cur quantitas etiam continua non intendatur aduentu nouæ quantitatis speciei eiusdem, quod fit in augmentatione, & forsitan dici etiam potest fieri in motu, & tempore. Nam si singularis qualitas perficitur additione nouæ qualitatis eiusdem rationis, cur non etiam quantitas singularis successiua additione quantitatis eiusdem naturæ? Nam quid refert, partes motus, & temporis præcedentis labi, si motus, & tempus partibus subsequentibus perficiuntur, vt perfici videntur? perfectius enim est, quod magis ad finem, complementumque propinquat, præsertim cum & motum dicamus intendi, & tempus compleri.

Deinde, quia etsi qualitates non perficiuntur extensione, hoc est, cum extenduntur, quia extensio non pertinet ad earum intimam perfectionem, tamen cum quantitatis natura posita sit in ipsa extensione, non est, cur illa in suis indiuiduis non intime intendatur, seu perficiatur, cum magis extenditur.

Tertio, quia idem sunt intendi, & remitti, atq. suscipere magis, & minus: at multæ quãtitates magis, & minus suscipiunt, dicimus enim res fieri magis, & minus longas, magis & minus latas, aut profundas: ergo in his saltem negari non potest dari quantitatis intensionem, & remissionem.

Postremo, licet in cæteris quantitatibus non detur intensio, & remissio, certe in iis, quibus per rarefactionem, aut condensationem res fiunt maiores aut minores, non videtur illæ posse negari: eadem enim quantitas nulla extrinsecus addita fit extensior per rarefactionem, & contractior per condensationem, ac proinde perfectior, vel minus perfecta indiuiduali perfectione, quod est intendi & remitti.

Nullam quantitatem re vera intendi, ac remitti.

SECTIO II.

In sola rarefactione habere quæstionem difficultatem.

VT hæc quæstio enodetur, animaduertendum est, solam rarefactionem iniecisse hac in re difficultatem, nō ratione ipsius raritatis, in qua, cum qualitas sit tertiæ speciei, propria intēsio cernitur: sed ratione maioris magnitudinis, quæ raritatem sequitur. Nam augmentatio, siue quæ per iuxtapositionem fit in non viuentibus, vt cum lapides in lapidicina adhærente terra paulatim augescunt, siue quæ suscepto intus, & conuerso alimēto fit in viuentib. cum fiat additione nouæ materiæ, nō perficit idem omnino subiectū, sed subiectum auctum noua parte substantiali: quo fit, vt nihil mirum sit, si res huiusmodi augmentatione, & diminutione fiat maior, & minor: at quod nulla materia addita, vel detracta, res fiat maior, aut minor, quod fit in rarefactione, & cōdensatione, hoc difficile perceptu est, nisi intensio, & remissio pari de concedatur in quantitatibus, atq; in qualitatibus: quod tamē nemo concedit. Nā quia raritas, & densitas sunt qualitates contrariæ, vt Aristoteles innuit 4 *Phys. c. 9. & D. Thom. in 1. de generatione, & aliis locis compluribus* plane docet, grauioresque omnes Philosophi, & Theologi tradunt, facile intelligimus eas posse esse terminos oppositos alterationis, permiscerique in gradib remissis in medio motu, quo res fiunt ex densis raræ, aut ex raris densæ. Quo autem pacto magna, & parua quantitas possint esse termini oppositi eius accretionis, & decretionis, quæ huiusmodi alterationem consequitur, nulla extrinsecus accedente, aut decedente materia quanta, hoc videtur omnino capi non posse: aut enim necesse esset quantitatem præexistentem continenter labi, vt noua alia maior, vel minor continenter ei succederet; quod fieri nequit, non solum quia continenter quoque laberentur qualitates omnes materiales, quæ eius interuentu inhærent substantiæ subiectæ, atque adeo ipsa raritas, & densitas: (*Vnde etiam fieret, vt substantia subiecta corrumperetur*) sed etiam, quia iterum redirent argumenta ea, quæ cōtra similem sententiam de qualitatib. continenter fluentib. & succedētib. in alteratione, superius proposita sunt: aut certe opus esset permisceri magnitudinem maiorem, & minorem in media huiusmodi accretione, & decretione, quarū magnitudinum altera paulatim introduceretur, altera abiiceretur, quod etiam fieri nullo modo potest; nec enim duæ magnitudines trinæ dimensionis, hoc est, duæ moles corporeæ possunt naturaliter esse simul.

Text. 85. D. Th. lect. 14. & 3. p. q. 77. art. 2. & super. 4. Phys. tex. 84. Dur. in 2. d. 18. q. 1 Cap. d. 9. q. 11 ar. 4. Burla. ad citatum locum Arist. Sonc. hoc lib. q. 27.

q. 2. [illegible]

Tres sunt de hac re opiniones.

Hac tamen difficultate nō obstante, quod forsitan res minus accurate à nonnullis expensa sit, tres sunt in hac controuersia sententiæ, quæ nobis non probentur. Vna est Marsilii, & aliorum quorundam, qui existimant in rarefactione, & condensatione nouam quantitatem continenter acquiri, & præexistentē continenter amitti. Quam sententiam de nouo impugnare opus non est.

Prima. In 4. q. 9. ar. 2.

Secunda. d. 12. q. 4. [illegible] Caiet. ad 3. p. q. 77. ar. 5. & Hispal. in 4. d. 18. q. 1.

Altera est Scoti, qui in 4. Sent. contendit, necessario in rarefactione nouam aliquam quantitatis partem acquiri, cum substantia subiecta fiat extensior, ex qua eadem ratione sequitur, in condensatione præexistētem aliquam partem amitti, cum per condensationem substantia subiecta fiat contractior. Quæ sententia effugere non potest, quin per rarefactionem admittat duas moles corporeas simul in eodem subiecto, & per condensationem partem aliquam subiecti mole corporea destituat. Nulla enim pars substantiæ, quæ rarefit, caret mole corporea, antequam recipiat aduenientem illam quantitatis partem, quam Scotus inducit, vnde fit, vt nisi præexistentem abiiciat noua adueniente (*quod prima opinio absurde admittebat*) duæ iam moles corporeæ sint naturaliter in eodem subiecto, (*quocunque modo Scotus id intelligat*) siue in toto subiecto permistæ, siue in parte aliqua. Duas autem moles corporeas esse simul naturaliter in eadem substantia subiecta impossibile est, cum naturaliter altera alteram excludat, non solum ab eodem subiecto, sed etiam ab eodem loco. Nulla etiam pars subiectæ substantiæ, quæ condensatur, est, quæ re vera per condensationem mole corporea, seu trina dimensione destituatur; vnde igitur auferatur pars illa quantitatis, quam Scotus amitti existimat in condensatione, nulla ratione apparet.

Impugnatur.

Tertia. d. 18. q. 1. & in 4. d. 12. q. 6. [illegible]

Tertia sententia est Capreoli in 2. & 4. sententiarum, vbi recte quidem asserit, nec in rarefactione acquiri nouam quantitatē, nec in condensatione veterem vllam amitti: quod iam

iam ex dictis patet vere dictum esse: sed tamen nõ recte addit, (*vt mox patebit*) eandem quantitatem, dum magis extenditur aut cõtrahitur, intendi aut remitti. Et quanquam posteriorem hanc partem probat ex D. Tho. qui 1. 2. quæst. 52. art. 2. ad 1. ait duobus modis fieri argumentum quantitatis, vno additione subiecti ad subiectum, vt in viuentibus, altero per solam intensionem absq; omni additione, vt in iis quæ rarefiunt: sunt tamen in primis, qui mendum existiment librariorum esse in verbo [*intensionem*] quod putent à D. Thoma scriptum fuisse [*extensionem*.] Deinde intelligi potest nomine intensionis intensio non quantitatis, sed raritatis, ad quam sequitur maior extensio quantitatis. Nam etiam, cum dixerat augmentum quantitatis vno modo fieri additione subiecti ad subiectum, non intellexit nomine subiecti subiectum vt subiectum, sed vt quantum, siquidem augmentatio viuentium non fit formaliter addito subiecto, sed addita quantitate alimenti, quod in substantiam aliti conuersum, est nouum subiectum quantitatis adiunctæ. Postremo sic exponi potest illud [*Per solam intensionem*] quasi dictum sit [*Per modum solius intensionis*] sic enim loquitur 2. 2. quæst. 24. art. 5. ad primum argumentum, *Quantitas vt est forma accidentalis, habet proprium augmentum, sicut & alia forma accidentales per modum intensionis eius in subiecto, sicut patet in iis, quæ rarefiunt*: vbi non dixit, [*Per intensionem eius*] nempe quantitatis, sed [*Per modum intensionis eius.*]

Sot. cap. de Quantit.

Exponitur locus D. Th.

Dicimus ergo, nec in rarefactione acquiri nouam quantitatem, nec in condensatione veterem vllam amitti, sed eandem omnino extendi, & contrahi sine intensione, aut remissione. Prior pars huius assertionis ex impugnatione primæ, ac secundæ sententiæ satis refutata relinquitur. Posterior autem, quam omnes Thomistæ, vno (quod sciam) excepto Capreolo, tuentur, difficile in opinione D. Thomæ de intensione formarum probari potest. intendi enim forma nihil est aliud, quam perfici in eodem subiecto, eademque subiecti parte, si partes habet; quantitatem autem per raref. ationem perfici in eodem subiecto, eademque subiecti parte, & per condensationem perfectionem aliquam amittere, non videtur dubium. Nam vt tota substantia subiecta per rarefactionem extenditur, sic etiam & qualibet eius pars: quo fit, vt Thomistæ, qui Capreolo succensent, quod dicat quantitatem intendi, & remitti in raref. ctione, & condensatione, recte quidem illi hominem reprehendant, quod communem loquendi modum peruertat; at quod

Ita Greg. in 2. d. 12. q. 2. art. 1. Arg. quodl. 2. q. 11. Sonc ho. lib. q. 27. fauet q. Arist 4. phys. c. 9. tex. 84.

A te ipsa spectata non loquatur consequenter ad opinionem de intensione formarum, quam profitetur, non video, quo pacto probare possint.

Vt ergo posterior nostræ, communisque assertionis pars ex vera sententia de intensione formarum probetur, aduertendum est, partimque ex superius dictis repetendum, intensionem, & extensionem non tantum nominibus, sed re etiam ipsa inter se distingui. B Extendi enim, si vis nominis spectetur, est extra tendere; intendi autem, intus tendere, seu progressum interiorem facere. Quod si de re ipsa sit quæstio etsi in extensione formarum accidentalium omnes conueniunt, vt sit progressio ad alia subiecta, aliasve partes eiusdem subiecti; tamen in earum intensione partim conueniunt. partim dissident. Conueniunt quidem, quatenus omnes cõcedunt, oportere intẽsionem exerceri in eodem C subiecto, subiectique parte, si partes habet: dissentiunt autem quatenus alii concedunt satis esse ad intensionem eiusdem formæ, si illa perficiatur in solo modo essendi in subiecto, quod est Thomistarum placitum, alii autem credunt non satis esse eum perfectionis modum sine noua entitatis additione, vt forma ipsa intendi dicatur: quæ sententia nobis omnino placet. Primum quia omnis motus intensionis est verus motus: omnis autem D verus motus est acquisitio alicuius actus seu formæ, non modi essendi formæ, vt superius patere diximus ex 3 & 5. physicorum, quib. locis traditur motum terminari ad actum, formamve entis, quæ antea erat in potentia, motumq; diuidi iuxta diuisionem prædicamentorum, ad quæ per se motus esse potest, h. e. iuxta diuisionem actuum, formarumve prædicamentalium, quæ per se acquiruntur per motum. Hinc enim fit, vt motus localis cir-E cularis [*ad quem reuocatur mutatio situs non per motum perfecte circularem in eodem loco*] nõ habeat rationem veri motus, nisi quatenus mobile quoad partes suas alias partes eiusdẽ loci relinquit, alias acquirit; acquirere n. animalium situm in eodem loco non est acquirere locum, qui est externa forma mobilis, nisi quoad alias, & alias loci partes; situs enim ipse per se non est forma mobilis, sed modus eius essendi in loco, vt D. Thomas annotauit. F Deinde, quia intensio prius cernitur in ipsa essentia formæ, quæ intẽditur, quam in modo essendi eius in subiecto, quod † superius quoq. nõ sine admiratione ostendimus a D. Thoma pro nostra, communique sententia pluribus locis traditum esse. Hinc enim sequitur non satis esse ad intensionem, si nouus modus essendi eiusdem formæ in subiecto acqui-

Intensio, & extensio quo modo differant.

Non fieri intens. sine acquisitione noua entitatis.

q 2. sect. 2.

Cur, & quãdo circul. motus non habeat rationẽ veri motus.

† q. 2. sect. 3.

acquiratur, nisi acquiratur entitas aliqua pertinens ad ipsam indiuidualem formæ essentiam, in quo posita est ipsa intensionis ratio, formæve intima perfectio. Tertio, quia intendi, & remitti est formam suscipere magis & minus, hoc est, admittere in se aliquid, quod ad eius integritatem pertineat, aut amittere, hoc autem non est acquirere, aut amittere modum perfectiorem essendi in subiecto, quia hoc modo variato potest forma non magis, nec minus quicquam in se ipsa habere. Postremo, quia formam intendi, & remitti in subiecto est magis, aut minus ab illo participari, vt omnes suo quisque modo dicunt: at subiectum magis, aut minus participare formam, si proprie loquendum est, nihil est aliud quam partem eius maiorem, aut minorem capere; quo sensu credendum est, inductam esse à Philosophis hanc loquendi formam. Et quamquam alia ratio est de maiore, & minore participatione formæ separatæ, siue exemplaris, quæ participatio prius à Philosophis vsurpata est, (*siquidem exemplar non est in ipso participante, vt est forma inhærens*) tamen in ea etiam participatione cernitur perfectiorem entitatem esse in eo à quo exemplar, plus participatur, quam in eo, à quo minus: non autem solum perfectiorem essendi modum.

Quid formam intendi, & remitti in subiecto.

Exemplaris participatio qualis sit.

Ex quibus iam patet probatio posterioris partis assertionis propositæ. Nam cum in rarefactione nulla entitas quantitatis acquiratur, nec in condensatione amittatur, perspicuum relinquitur, quantitatem nec intendi in rarefactione, nec in condensatione remitti tametsi perfectiorem essendi modum habeat in subiecto: cum extensior est, quam cum contractior.

Solutio argumentorum partis opposita.

SECTIO III.

AD primum igitur partis oppositæ argumentum dicendum est, cum quantitas quantitati additur, semper cum ea addi nouam materiam, formam autem non intendi, nisi cum in eodem subiecto, eademque subiecti parte noua entitatis additione perficitur vt cum gradus vnus qualitatis adueniens gradui præexistenti adiungitur in toto aliquo subiecto, aut in tota aliqua eius parte. Ita patet, cur quantitas non intendatur, neque in augmentatione viuentium, neque in ea, quæ per iuxtapositionem fit in non viuentibus. Cur autem non intendatur in ea augmentatione, quæ sequitur rarefactionem,

A causa est, quia nulla forma, aut formæ pars in ea acquiritur. Denique nec tempus, nec motus vt fluxus formæ est, (hoc enim modo ad quantitatem spectat) etiam intenduntur, quia etsi partes sequẽtes vtriusque vtrumque absoluunt, seu finiunt: non tamen perficiunt si proprie loquendum est: id enim, quod iam non est, absolutum quidem, finitumque dici potest, at perfectum dici nõ potest; quia perfectio, quæ rei aduenit, existentiam eius supponit. B Quod autem dicimus nihil aliud esse intendi formam in subiecto, quam eam perfici in illo intelligendum sic est, vt id, quod eius acquisitum erat, permaneat cum eo, quod aduenit. Qua de causa Aristoteles 2. physicorum Poetam quendam reprehendit, quod mortem hominis cuiusdam appellauerit finem, ob quem (*vt dicebat*) natus erat, eo quod esset extremum vitæ, credens idem omnino esse extremũ, ac finem, cuius ratione aliquid C fit, aut est. Dicitur tamen motus, & actio aliquando intendi vel ratione formæ, quæ per motũ acquiritur: vel quia intensio pro acceleratione sumitur, qua ad finem, extremum ve magis properatur.

Cur nec motus, nec tempus intendatur.

C. 2. text. 23.

Quo pacto motus aliquando intẽdi dicatur.

Ad secundum dices, duplicem extensionem considerari posse in quantitate continua permanente, (*hac enim sola est, quæ extenditur nulla noua quantitate addita, vt dictum est*) vnam essentialem, alteram accidentalem. D Essentialis est, quæ ponit partes substantiæ subiectæ extra partes, hoc est, alias extra alias in ordine ad totum, vt caput extra collum, & collum extra pectus, & in hac posita est natura quantitatis, quocumque modo partes se habeant inter se, & respectu totius materiæ, aut etiam comparatione loci: quæ extensio non habet oppositam contractionem, quia quantumcunque cõtracta sit res quanta, semper extensionem aliquam habet, vt pote partes alias extra alias. E Accidentaria autem extensio est, qua substantia subiecta habet parum materiæ sub magnis dimensionib vt extensio flammę, cui opposita est contractio, qua nimirum substantia subiecta habet multum materiæ sub paruis dimensionibus, velut contractio ignis in materia densa. Atque hæc extensio, & opposita contractio, nõ tam sunt, aut dici debent quantitates, quam puri quidam essendi modi quantitatis cum natu- F ra, & essentia quantitatis in eo sita non sit, vt inhęreat substantiæ habenti multum, aut parum materiæ, sed vt alias eius partes ponat extra alias.

Duplex permanentis quantitatis extensio.

Accidentaria extensio est modus quantitatis.

Ad argumentum igitur dices, etsi natura quantitatis posita est in extensione prioris generis, tamen quantitatem non intendi in indiuidua vlla quantitate, quia nulla quantitas

Secundū id posse quantitatē perfici in eodē subiecto.

titas in eodem subiecto, eademque subiecti A parte perficitur per aduentum nouæ quantitatis, etsi perfici possit per aduentum noui modi essendi eiusdem quantitatis, qui in noua extensione posterioris generis consistit, vnde patet, quid de contractione dicendum sit.

tex. 84. Explicatur locus Arist.

Aduerte autem hoc loco, quandocunque Aristoteles 4. Physic. lib. c. 9. & aliis locis definiens rarum, & densum, ait, rarum esse, quod parum habet materiæ sub magnis dimensionibus, & densum, quod multum B materiæ sub paruis, iccirco explicasse naturam raritatis, & densitatis, quæ sunt qualitates contrariæ per maiores & minores dimensiones, quia hæ sunt illarum effecta, vt dictum iam est: tametsi quantitas ipsa non sit earundem effectus.

Quopacto sint aut non sint idē intendi ac remitti, & suscipere magis ac minus.

Ad tertium concedendum est, idem esse intendi, & remitti, atque suscipere magis & minus entitatis formæ in eodem subiecto, C eademque subiecti parte, si partes habet, & è contrario aliquid entitatis amittere; atq; ob hanc causam negari ab Aristotele in prædicamentis, quantitatem suscipere magis, & minus. At si suscipere magis & minus ad modum essendi referatur, quo pacto eadē quantitas in rarefactione consequenter fit lōgior, latior, & profundior, & in condensatione oppositos essendi modos suscipit; non idem esse D intendi & remitti atq; suscipere magis & minus, nec ob id dicendum esse vllam eandem quantitatem intendi, & remitti, quod res aliqua per eam hoc pacto magis, & minus longa, lata, aut profunda fiat.

Ad vltimum iam ex dictis patet, dicendum esse, eam perfectionem maiorem, quam eadem quantitas per rarefactionem assequitur, seu potius per eam extensionem, quæ sequitur rarefactionem, non pertinere ad ipsam E quantitatis essentiam indiuidualem, sed esse purum quendam eius essendi modum, vt etiam est contractio, qua eadem fit minus perfecta. Atque ex huius argumenti solutione patet, quid etiam respondendum sit ad vltimum, quod superiori quæstione ad finem sectionis 2. ex eo insolutum reliquimus, quia eius solutio ex huius quæstionis explicatione pendebat. Itaque tota ratio, cur maior perfectio eiusdem qualitatis indiuidualis satis sit ad intensionem, non item maior perfectio F eiusdem quantitatis, est, quia illa perfici potest in eodem subiecto, eademque subiecti parte nouæ entitatis aduentu hæc autem non potest, sed nouo tantum puro essendi modo.

Ratio totalis quare quantitas non intenditur.

Num forma aliqua substantialis intendi, & remitti possit?

QVÆSTIO IV.

Opiniones eorum, qui existimat formas substantiales plures, vel pauciores intendi posse, & remitti.

SECTIO I.

Ant. Andr. vult omnes formas intendi, præter rationalem.

ANTONIVS Andreas in librum 11. huius operis existimat, omnes formas substantiales præter animam humanam intendi, & remitti, nec tantum habere partes extensiuas ad extensionem materiæ subiecti, sed etiam intensiuas, seu graduales, quæ ad earum essentias indiuiduales pertineant.

Argum pro hac opinio.

Primum id probat ex propriis rerum qualitatibus. Calor enim est propria qualitas ignis; ergo cum ille, inquit, ad sensum intendatur, & remittatur, forma quoq; ignis, quæ est eius causa naturalis, intendetur, & remittetur; causæ enim naturales agunt secundum vltimum potentiæ, siue quantum possunt, quo fit, vt si magis, & minus possunt, magis quoque & minus in se ipsis perfectæ sint. Idem etiam ex eo confirmat, quia ignis cum agit in aquam, simul cum calore necessario inducit formam ignis; alioqui, vt ait, daretur proprietas sine forma, à quo oriretur: cum ergo non statim inducat intensam formam ignis, quemadmodum nec calorem intensum; inducet vtique formam remissam, quam deinceps intendet, cum magis intensum calorem induxerit.

Deinde ex partibilitate termini ad quem. Nam in omni motu necesse est mobile, cum mouetur, partim esse in termino à quo & partim in termino ad quem, etiam in generatione: quam probat esse verū motum, tum quia Aristoteles eam perspicue comprehendit in definitione veri motus tradita in 3. Physicorū tum etiam, quia de omni vero motu asserit initio lib. 5. omnem motum esse in tempore, quod alibi sæpius affirmat, etiam de ipsa generatione nominatim: terminus autem, qui in tempore acquiritur, partibiliter acquiratur necesse est.

c. 1. & 2. c. 1. tex. 5. Vt lib. 6. c. 6. tex. 59.

Postremo ex coniunctione vnius formæ cum altera. Nam cum in duabus formis plus perfectionis sit, quam in vna tantum; (*quod probat ex Augustino dicente in libris de Trinitate, perfectionem, quæ potest esse in pluribus, maiorem esse in pluribus, quam in vno tantum*) si Deus ponat formam vnius ignis

lib. 4. c. 1.

palmaris in alio palmari, simul cum forma illius, non dubium, quin resultet vna forma ex duabus, quę forma necessario erit perfectior, & intensior.

Auerroista solas elementares formas intendi & remitti volũt.

Ex Auerrois autem sectatoribus alij de hac re aliter sentiunt. Nam etsi in eo omnes conueniunt, vt nullam substantialem formam intendi, & remitti existiment, nisi elementarem, idque propter compositionem mistorũ ex elementis: tamen in ipsis elementaribus formis constituendis variant.

Alii dicunt eas esse primas qualitates. *Cap. 2. tex. 7. & 8.* *Alex. 12 met. com. 12 & li. 4 q. natural. q. 4. Amo. in prędic. cap. de substãt. Phil. 2. de gener. tex. 7.*

Alij enim volunt formas elementares esse ipsas primas quatuor qualitates, quod Arist. per eas distinguat elementa in 2. de Generatione, easq; differentias illorum esse dicat, & earũ ratione nonnunquã elementa ipsa contraria appellet: quod idem existimant sensisse Alexandrum, & pene alios Graecos Aristotelis interpretes. Neque obesse, quod formæ elementorum (*vtpote substantiarum*) debeãt etiam esse substantiæ: reducuntur enim, inquiunt, ad prædicamentum substantiæ, & hac ratione sunt substantiales qualitates, quemadmodum vt sunt qualitates accidentales, pertinent ad prædicamentum qualitatis.

Dubit. 2. Dist. 7. dicto. 7. *Alii esse eas motiuas.*

Aquilinus vero Auerrois etiam studiosus in libro de Elementis credit potius, qualitates motiuas, nempe duplicem grauitatem, & duplicem leuitatem, vtrasque nimirum inter se specie differentes, esse formas constitutiuas elementorum, idq; suo autori placuisse multis ex locis demonstrare nititur, potissimum vero ex fine libri 3. de Cœlo, vbi Aristoteles ait grauitatem, & leuitatem esse propriissimas elementorũ differentias. Habetque, vt putat, vrgẽtiores pro se rationes, quam superiores. Primum, quia quatuor illæ qualitates actiuæ, sunt principia mouendi res alias: hæ vero mouendi ipsa elementa, in quibus sunt, in quo ratio naturæ consistit. Deinde, quia hæ sunt principia primi motus, nempe localis: illæ secũdarij, qui est alterationis. Postremo, quia per has obtinẽtur loca propria, quasi elementorum fines, non per illas: cum potius per illas elementa extrudantur è propriis locis mixtionis faciendæ causa. Sed tamen habet contra se, quod hæ sint qualitates secundæ, illæ primæ: quodque per has elementa non sint apta ad compositionem rerum præstantiorum, sed potius, ne misceantur, in sua loca discedant.

Ca. 3. tex. 77.

** Phys. q. 4. † Lib. 1. de elemens.* *Esse re vera formas substantiales.*

Iandunus * tamen, Gaspar † Contarenus, & alij non ferunt ascribi suo commentatori, eam sententiam, vt putarit formas elemẽtorum esse qualitates: (*quocunq; etiam modo quis reducere eas velit ad prædicamentum substantiæ*) sed esse re vera substãtiales formas, tãetsi qua ratione credunt eas modo aliquo participare naturam accidentium indicant refringi posse, & quasi mansuescere ad mixtionem. Quo autem pacto id fieri existiment, superiori libro explicauimus.

C. 16. q. 2.

Esse vere substantias elementorum formas: nullamque substantialem formam intendi, & remitti posse.

SECTIO II.

OMNINO tamen ostendere oportet, nullam formam substantialem posse intendi, aut remitti, modo prius missos faciamus eos, qui elementorum formas qualitates faciunt, siue vt eas facilius ad mixtionem remitti doceant: siue quia verba magis spectare solent quam interiorem sententiam in Aristotele quærere. In primis enim pugnant cum Aristotele, qui primo Physicorum celebre illud pronuntiatum statuit, Quod substãtia est, nulli sit accidens quod etiam conuerso ordine accipiendum est, vt quod accidẽs est, nulli sit substantia. Nam etsi nonnunquam substantia reipsa accidens est, & accidens substantia, vt relatio dependentię substantiarum omnium à Deo, & vnio materiæ cum forma, ac formæ cum materia: imo etsi substantia habere potest rationem accidentis extrinsecus adhærentis, vt vestis, aut vas: tamen neq; id, quod natura sua vere, ac realiter inhæret, substantiæ (*cuiusmodi sunt qualitates, de quibus est sermo*) substantia esse potest, neq; substantia accidens. Deinde, non quælibet reductio qualitatum ad prædicamentum substantiæ, sat est, vt illæ possint ingredi constitutionem substantiæ: reduci enim possunt ad substantiam, vt substantiarum proprietates, aut aliquo alio modo, quo pacto plurimæ aliæ reductiones fieri solent: sic autem reduci, vt pertineant ad ipsum esse substantiarum, quarum dicantur formæ, fieri nullo modo potest, siquidem esse substantiæ est per se subsistere: accidentis vero substãtiæ inhærere. Postremo faciunt elementa composita per accidens, vt minus errauerint ij veteres, qui ea simplices substantias, & nequaquã esse compositas dixerunt, his omnibus qualitatibus subiectas. Tametsi hoc commune vitium vtrosque sequitur, quod nullam re vera ponat substantialem elementorum generationem, aut corruptionem.

Elementorũ formas non esse qualitates.

Ca. 3. tex. 27.

Quæ accidentia esse nequeant reipsa substantia.

Quo sensu Arist. innuat qualitates esse formas elementorũ.

Nec refert, quod Aristoteles in locis citatis vocauerit huiusmodi qualitates principia, & differentias elementorum. Locutus est enim in 3. de Cœlo de elementis, vt mobilia sunt loco, quo pacto de primis partib. materialib. vtriusque mundi, Cœlestis nimirum, & sublunaris, in iis libris disserebat, in 2. autẽ

de Ge-

de Generatione, de eisdem, vt alterabilia, & generabilia sunt, ac corruptibilia: & quia eorum formę substantiales per se sensibiles non sunt, merito priori loco vsus est qualitatibus locomotiuis, posteriori autem actiuis, & passiuis, vt quanta esset vis latentium formarum substantialium intelligeretur. Quod idem de Alexandro, & cæteris Græcis autorib. & Arabibus, quandocunq; visi sunt fecisse formas elementorum qualitates, existimandum est. Illud vtilitatis habuit eorũ contentio de qualitatibus actiuæ ne, ac passiuæ an potius loco motiuæ sufficiendæ essent pro formis substãtialibus elementorum, vt facilius considerari posset elementorum status, & conditio. Nam qualitates actiuæ, & passiuæ magis indicant eorum vsum ad præcipuas species huius mũdi sublunaris procreandas, loco autem motiuæ, quib. illa nunquam vtuntur, nisi cum vi aliqua è propriis locis per partes suas pelluntur, ostẽdunt eorum peculiarem dignitatem in vniuerso corporeo, in quo proprias quasi sedes, easq; fixas, ac stabiles, quemadmodum & cœlestia corpora, sibi vendicant. Atque ex hac distinctione soluuntur vtriusque factionis argumenta.

Probatur nullã formam subst. intẽdi, aut remitti posse.

Quod igitur nulla forma substantialis intendi, aut remitti possit, ex eo primum probatur, quia, cum intensio cõtinua sit verus motus: vt patet ex iis, quæ Aristoteles tradit 5. Physicorum, & omnes fatentur, si forma aliqua substantialis continue intendi posset, daretur verus motus in prædicamento substantiæ: cum tamen verus in eo motus nõ admittatur ab Arist. sed tantũ in tribus illis prædicamentis, Quantitatis, Qualitatis, & Vbi: loquimur autẽ de intensione continua, de qua loco citato agit Aristoteles, vt excludamus intensionem momentaneam, qualis datur in habitibus intellectus, & voluntatis: sola enim continua verus est motus. Non est autem dubium, quin oppositæ sententiæ autores continuam intensionem substantialium formarum admittant. Nam etsi eorũ aliqui fortasse dicent primum earum ingressum in materia non esse, nisi momentaneum: tamẽ deinceps nihil erit apud eos, quod continuam earum intensionẽ impediat, si gradus habent, quib. intrinsecus, siue in se ipsis perfici possint.

1. de subst.

Deinde, quia si forma aliqua substantialis intenderetur, & remitteretur, iam substãtia susciperet vtiq; magis, & minꝰ: quod item negat Aristoteles in Prædicamentis. Nec recte occurrunt aduersæ partis autores id intelligi de substantiis compositis, vt de equo, aut de lapide, non de earum formis. Nulla est enim ratio, cur composita non fiant perfectiora, & minꝰ perfecta sub specie sua, cum earum for-

A mæ sub propria specie perficiuntur & minus perfecta fiunt. Alioqui neq; ex perfectiori albedine, aut calore fieret aliquid perfectius album aut calidum, Minus etiam apte respondent alij sententiam Aristotelis esse, substantias nõ suscipere magis, & minus in speciebus sed in indiuiduis, quia non perficiuntur secũdum speciem, sed secundũ gradus indiuiduales: quasi vero non idem dicendum sit in qualitatib. quas ipse docet suscipere magis, & minus. Verum eorum quidam, cum res premitur, quemadmodum deuorant incõmodum prioris argumenti admittentes verũ motum in substantia, ita & incommodum huius, concedentes in eadem magis & minus.

B

Tertio, quia formæ, quæ intenduntur, & remittuntur, si introducuntur expulsione aliarum sibi repugnantium, patiuntur illas simul esse secum in gradib. remissis, vt inductione patet, si ergo forma vlla substantialis est, quæ intendatur, & remittatur, cum semper necesse sit illam introduci expulsione alterius sibi repugnantis, & resistentis, vt ẽt experientia cõstat, fiet vtiq;, vt dũ illa paulatim ingreditur, & altera egreditur, nõ minus vtraq; sit in eadem materia, quam sunt qualitates cõtrariæ vtrinq; depugnantes in eodẽ subiecto: quod etsi ab aduersariis admittitur, magna tamen importat incõmoda. Ex his enim duab. formis, præsertim si non sint subordinatæ in eodem cõposito (vt nullæ re vera sunt) duo cõposita substãtialia constabunt, duæque primæ substantiæ, tunc præsertim cum ad medium, & quasi æquilibrium venietur) forma n. quælibet substantialis constituit hoc aliquid vt patet ex initio 2. de Anima) eruntq; in aqua calida, in eo potissimum euentu, duæ primæ substantiæ. Ignis ẽt, qui ex aqua generabitur iam simpliciter erit, cum generabitur: quod Aristoteles negat & fieri negat. Eius quoque generatio nõ erit generatio simpliciter, quia forma ignis adueniet enti in actu, vtpote materiæ informatæ per formam aquæ. Quod si ad denominationes recurrant, vt cõpositum quod generabitur, nõ dicatur ignis, nisi cum eius forma medietatẽ graduũ excesserit: præterquam quod in formis, quæ dant esse simpliciter, ea regula non habet locum quid dicendum erit, cum gradus formarum æquati fuerint? Certe neutrum compositũ aut aqua, aut ignis erit: cumque non ad aliquam aliam speciem substantię pertineat: & tamen sit ens, constetque non esse accidens: erit medium quid inter substantiam, & accidens, sicq; nec per se existens, nec in alio.

C

Cap. 1. tex. 2.

D

6. phy. c. 6. tex. 59. & lib. 8. c. 8. tex. 689.

E

F

Quarto, quia si formæ substantiales partibiliter acquiruntur per gradus, non incipiunt vtique per primum sui esse, nec datur mini-

minimum intrinsecum in generatione substantiarum, quod est contra communem scholæ doctrinam. Denique omnia pene dogmata philosophiæ, quæ ad generationem, & corruptionem substantialem spectāt, convelluntur, si, hæc formarum substantialium intensio, & remissio vel in vna tantum admittatur.

Solutio argumentorum partis opposita.

SECTIO III.

Quo pacto calor proprium sit ignis.

QVARE ad primum partis oppositæ argumentum dicendum est, calorem non sic esse proprium ignis, vt alias quasdam qualitates, quæ ita sunt propriæ quarundā rerum, vt ab aliis participari non possint, qualis est potentia ridendi comparatione hominis, & sentiendi comparatione animalis: sed ideo dici proprium ignis, quia in summo gradu soli igni in sua naturali dispositione conuenit. Quocirca semper ignis esset summe calidus ea caloris perfectione, quam naturaliter habere potest, si nulla re impediretur: prodit enim ex illius natura summus calor naturaliter possibilis, tanquam à sua causa, & origine naturali. Vnde patet, non propterea quod eius calor remittitur, à causis externis, vel etiam intenditur, cum se ipse ad natiuum calorem reducit, recte colligi eius formam aut remitti, aut intendi. Atque hinc patet solutio confirmationis adiunctæ: non enim cum quocūq; calore introducitur forma ignis, sed cum summo, aut certe eo tanto vt cum alia forma esse non possit.

Cum quo calore introducatur forma ignis.

Terminū motus, prout est generatio, nō esse partibilē.

Ad secundum dicendum omnem terminum motus, vt motus est, esse partibilem, & partibiliter acquiri: non autem omnem terminum motus, vt generatio est. Nam terminus motus, vt motus est, acquiritur per totū motum, & in quolibet eius durationis instanti aliquid illius acquisitum est, vt patet in calefactione ligni, ex quo generandus est ignis: at terminus eiusdem motus, vt generatio est, cum partibilis nō sit partibiliter acquiri non potest: sed acquiritur in toto generationis tempore, in quo id, quod generatur, nondum est, & in solo vltimo eius instanti totus simul acquisitus est. Quod autem Aristoteles ait in omni motu, dum fit, partim mobile esse in termino, à quo partim in termino ad quem, intelligendum est in motu, vt motus est, non vt generatio est.

Duplex consideratio motus qui mato ria ad subst[..] diale forma[..] disponit.

Quod vt melius intelligas, aduerte, motum, quo disponitur materia ad introductionem formæ substantialis, esse simul motum dispositiuum, & generationem substantialem: neq; vnquam Aristotelem aliam generationem posuisse, nisi illum eundem motum, quo materia ad formam disponitur, ob eamque causam illam comprehendisse in definitione motus, vt ex eo loco patet: atque ob id etiam sæpe dixisse, generationem fieri in tempore: & quod generatur, dum generatur, non esse. Vnde distinctio inter generationem, & motum dispositiuum, vt motus est, ex terminis sumenda est: terminus enim dispositiui motus, vt est generatio, si de formali quidem sit sermo, est forma substantialis: si de totali, est substantiale compositum: terminus autem eiusdem motus, vt alteratio est, si de formali sit quæstio, est talis dispositio, qualis formæ substantiali congruit: si de totali, est subiectum dispositiuum. Quare cum alter terminus formalis sit partibilis, alter impartibilis, etsi vterque, eodem motu acquiritur, tamen is, qui partibilis est, partibiliter acquiri potest: quia autem impartibilis est, partibiliter acquiri non potest. Vnde patet non esse simpliciter verum id quod assumebatur in argumento, terminum, qui in tempore acquiritur, necessario acquiri partibiliter, tametsi ratione partibilis dispositionis, qua acquiritur, partibiliter acquiratur.

v I li. c. I ph[..] cap. 6. tex. 59. & l. b. 8 tex. 69.

Obiectio.

Sed vrgeri potest argumentum hunc in modum. Ignis, quo lignum disponitur ad recipiendam formam ignis, prius disponit ligni medietatem, quam totum lignum; priusque medietatem medietatis, quam totam medietatem, & ita retrorsum versus in infinitum eadem proportione: ergo nulla est pars ligni, quæ primo disposita sit ad formam ignis, seu qua nō sit alia pri' disposita: aut igitur forma ignis non introducitur ab igne in quamlibet partem dispositam, sed expectat, vt tota aliqua certa quantitas ligni omnino disposita sit vt in eam introducatur; aut partibiliter introducitur, quemadmodum & ipsa dispositio: at dici non potest eam expectare, vt certa aliqua pars sit omnino disposita: prius enim erit disposita eius dimidietas, à qua forma ligni necessario expelletur, quia non potest simul esse cum dispositionibus, quæ debentur formæ ignis: igitur necesse est fateri formam ignis partibiliter introduci, quemadmodum & ipsam dispositionem ad formam ignis: alioqui expulsa forma ligni ab ea dimidietate oporteret materiam manere sine forma substantiali, quod naturaliter fieri non potest.

Solutio.

Verum in hoc argumento dissimulanter transitur à partibilitate intensiua, de qua erat sermo, & quæ cernitur in qualitatibus, ad partibilitatem extensiuam, quam non negamus in iis formis substantialibus, quæ per accidens

eidens extensæ sunt ad extensionem materiæ dispositæ, qualis est forma ignis. Quanquam ne in hoc quidem sensu colligitur formam ignis, aliamve similem, partibiliter acquiri à principio generationis, seu motus dispositiui, sed tantum ex eo momento, quo primo lignum inflammatum est. Est enim deinceps continua generatio seu potius aggeneratio ignis serpentis per reliquam ligni materiam. Quod vero additur, prius dispositam fuisse medietatem eius partis, quæ primo inflammata est, concedendum id quidem est, sed negandum inde effici, continuo ab ea expulsam fuisse formam ligni. Nam cum difficilius sit deserere materiam, quam forma semel occupauit, quam nouam quasi sedem inuadere; non sine caussa patitur natura rei corrumpendæ, vt pars aliqua suæ materiæ tantisper retineat propriam formam cum dispositionibus alienæ formæ congruentibus donec cogatur totam deserere.

Quando acquiratur partibiliter forma substantialis extensa partibilis.

Ad tertium dicendum est, quomodocunque Augustinus intelligendus sit, si duæ formæ ignis pedalis in eadē materia iungātur, (quod fieri diuina virtute posse non negamus) eas nō effecturas vnam numero formam, ac proinde nec formam perfectiorem, quia nō sunt aptæ, vt inuicem iungantur tanquam gradus diuersi vnius & eiusdem formæ substantialis, quemadmodum iunguntur duo gradus caloris in vnum calorem perfectiorem. gradus enim, qui vniuntur in vnam numero qualitatem diuisibiles & ipsi per se sunt, quemadmodum & tota qualitas, imo & diuisibiles in infinitum, at formæ substantiales eiusdem speciei non sunt per se diuisibiles: ex rebus autem diuersis eiusdem speciei, si per se diuisibiles non sint, nullum ens per se constare potest. Informabunt igitur illæ duæ formæ ignis diuina virtute eandem materiam, sed non efficient vnam intensiorem formam.

Duas formas substantiales vniri non posse in eadem numero materia.

ΚΕΦ. δ'.

Περὶ a δὲ τῆ ὑλικῆς οὐσίας, δεῖ μὴ λανθάνειν, ὅτι εἰ καὶ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πάντα πρώτου, ἢ τῶν αὐτῶν ὡς πρώτων, καὶ ἡ αὐτὴ ὕλη ὡς ἀρχὴ τοῖς γιγνομένοις, ὅμως ἔστι τις οἰκεία ἑκάστου: οἷον b φλέγματός ἐστι πρώτη ὕλη τὰ γλυκέα, ἢ λιπαρά: χολῆς δὲ τὰ πικρὰ, ἢ ἄλλ' ἄττα: ἴσως δὲ καὶ ταῦτα ἐκ τοῦ αὐτοῦ. γίνονται c δὲ πλείους ὕλαι τοῦ αὐτοῦ, ὅταν θατέρου ἡ ἑτέρα ᾖ: οἷον φλέγμα ἐκ λιπαροῦ καὶ γλυκέος, εἰ τὸ λιπαρὸν ἐκ τοῦ γλυκέος: ἐκ d δὲ χολῆς τῷ ἀναλύεσθαι.

CAPVT IV.

De a *materiali autem substantia non lateat, oportet, etsi omnia sint ex eodem primo, aut iisdem tanquā primis, eademque materia vt principiū sit eorum, quæ fiunt, esse tamen aliquā cuiusque propriam: verbi caussa pituitæ* b *materia prima, sunt dulcia, aut pinguia: bilis vero amara, aut alia quædam, forsitan autem & hæc ex eodem fiunt. Sunt* c *autem eiusdem rei plures materiæ, cum altera alterius est: quo pacto pituita ex pingui & dulci fit, si pingue fiat ex dulci, ex bili* d *vero ea ratione, qua in materiam primam bilis resol-*

CAPITIS QVARTI EXPLANATIO.

De a *materiali autem.*) Tradidit Arist. superiori cap. quædam attributa formarum, nunc, in hoc capite & sequenti exquirit quædam alia, quę materiæ conueniunt. Distinguuntur autem hæc duo capita ea ratione inter se, quod in hoc exponuntur ea, quæ pertinent ad materiā, quatenus res ex ea constant, aut in ea habent esse, in sequenti, quatenus ex ea fiunt. Ac in hoc quidem primum agitur de materia eorum, quæ gignuntur & intereunt; deinde de materia sempiternorum corporum, tertio de materia, subiectove accidentium. Quod igitur primum tradit de materia rerum caducarum, huiusmodi est. Etsi omnes constant ex eodem primo principio materiali, aut ex eisdem primis, tamen vnamquamque speciem habere suam propriam, & peculiarem materiam Si enim attendamus ad ipsam materiam nudam, quo pacto prima simpliciter appellatur, omnes ex eadem materia constant: si autem ad materiam dispositam, quæ dicitur secunda, elementa quidem possunt dici quoquo modo materia prima mistorum omniū, nempe quatenus mista sunt mista: attamen tam mistorum, quam ipsorum elementorum datur propria & peculiaris materia in vnaquaque specie; idque quia formæ diuersarum specierum indigent diuersis dispositionibus, non solum vt introducantur a suis agentibus; sed etiam vt composita, quæ ex illis constant, proprias operationes exerceant. Id quod ex earum definitionibus patet, cum per materiam aliter ac aliter affectam definiantur.

Vnamquāque speciem rerū natural. habere propriā materiam. Text. 11.

b *Pituita materia prima.*) Vt sæpe vtitur exemplis artificialium, ita nunc medicinalium, in quo genere dulcia, aut pinguia censeri possunt materia prima pituitæ siue flegmatis. Fit enim pituita ex dulcibus, aut pinguibus, nec Medici vlterius progrediuntur in ea resoluenda, tametsi hæc ipsa, & alia omnia, quæ fiunt, ex eodem principio materiali fiunt apud Physicos, vt dictum est: qua de causa vtitur particula, forsitan, vt solet.

Eiusdem rei quo pacto nō sint, aut plures materiæ.

c *Sunt autem eiusdem rei.*] Alterum, quod de materia tradit, tale est, eiusdem rei non esse plures materias, nisi cum altera constat ex altera, quo pacto omnes res naturales constant duplici materia, prima nimirum, & secunda, quia secunda constat ex prima, & quædam etiam constant duplici secundæ materia, vt mista omnia ex propria sua, & communi elementorum coniunctione, ex qua materia peculiaris cuiusque constat, & quædam etiam mista ex duplici materia secunda specialis mistionis, vt si pingue fiat ex dulci, vtrumq; potest dici materia pituitæ, alterum propinqua, alterum remota.

Duobus modis aliquid ex alio fit.

d *Ex bili vero.*] Hoc etiam pertinet ad exemplum multiplicis materiæ eiusdem rei, sed opposito modo, nempe per resolutionem. Nam cum bilis resoluatur in pituitam, dicere quoque possumus pituitam esse ex bili, tanquam ex materia, & ex eo humore, qui in bilem resoluitur, vt ex sanguine: nam particula (*Ex*) materiam designat. Duobus autem modis aliquid ex aliquo fieri dicitur; Vno, quia aliquid vlterius erit, hoc est, cum in materia forma perfectior acquiritur, vt cum ex non viuente fit viuens, & ex pituita fit bilis; (*est enim pituita crudus adhuc humor; bilis autem magis iam decoctus, & formatus*) altero, quia, resoluta, in principium reditur, id est, cum res perfectior in imperfectiorem resoluitur, vt cum ex viuente fit non viuens, & ex bili fit pituita. Ita non dubium est, quin dicere possimus rem eandem habere plures materias, ex quibus per resolutionem fiat, quo pacto pituita habet pro materia bilem, & interdum sanguinem, si sanguis in bilem resoluatur, verum satis improprie vsurpatur nomen materiæ, cum accipitur pro re, ex qua alia imperfectior per resolutionem fit. Nec enim animal proprie dicitur materia cadaueris. Potest & alio modo intelligi locus, vt non significet Arist. id ex quo aliquid per resolutionem fit, posse dici illius materiam, sed materiā posse dici dupliciter, siue quia ex ea aliquid componatur, siue quia in eam resoluatur, & vtroque modo rem eandem posse habere duplicē materiam, vnam propinquam, & alteram remotam, aut etiam plures ordine quodam. Multa enim resoluuntur in aliqua, ex quibus non fiunt (*saltem proxime*) vt animal in cadauer, & tamen dicuntur resolui in ea, vt in materiam.

σθαι εἰς τὴν πρώτην ὕλην τὴν χολήν. διχῶς γὰρ τόδ' ἐκ τοῦδε, ἢ ὅτι πρὸ ὁδοῦ ἔσται ἢ ὅτι ἀναλυθέντος εἰς τὴν ἀρχήν.

ἐνδέχεται e ἢ μιᾶς τῆς ὕλης οὔσης, ἕτερα γίνεσθαι διὰ τὴν κινοῦσαν αἰτίαν: οἷον ἐκ ξύλου, καὶ κιβωτὸς καὶ κλίνη. ἐνίων δ' ἑτέρα ἡ ὕλη ἐξ ἀνάγκης, ἑτέρων ὄντων: οἷον πρίων αὖ οὐκ γένοιτο ἐκ ξύλου, οὐδ' ἐπὶ τῇ κινούσῃ αἰτίᾳ τοῦτο· οὐ γὰρ ποιή-

σει

resoluitur. Duobus enim modis hoc fit ex hoc, aut quia aliquid vlterius erit, aut quia resoluta in principium reditur.

Accidit e autem, vt materia existente vna, diuersa tamen propter mouentem causam efficiatur, veluti ex ligno & arca, & lectus. Quorundam vero cum diuersa sint, necesse est, vt materia sit diuersa: quo pacto nunquam ex ligno fit serra, neque id in potestate mouentis est, neque enim vnquam aut ex lana, aut ex ligno

serram

Eadem existente materia fieri diuersa specie composita ob diuersitatem agentium.

e *Accedit autem vt materia existente vna*] Tertium, quod docet de materia rerum caducarum, est huiusmodi, ea existente vna, fieri diuersa specie composita propter specificam diuersitatem agentium, vt patet in arca, & lecto, quæ ambo fiunt ex ligno, sed tamen in quibusdam necessario esse diuersam, vt in serra, & naui, cum illa necessario debeat esse ferrea, hæc vero lignea, nisi quis æquiuoce sumat hæc nomina, neque enim serra lignea est vera serra, aut nauis ferrea vera nauis. At statim dices hoc pronuntiatum esse falsum in rebus naturalibus, propter quas Aristoteles exempla accepit in artefactis, nisi inepte, & præter rem loqui velit.

Obiectio.

Nam si intelligatur de materia prima, posterior pars est falsa, si de secunda, falsa est prior pars, vt perspicuum est ex dictis hoc ipso capite. Quod si prior pars intelligatur de materia prima, posterior vero de secunda, vt quidam intelligunt, inepte videbitur loqui Aristoteles, vt qui loquatur æquiuoce de materia in eodem pronuntiato. & ineptius affirmabit in quibusdam necessario esse diuersam materiam secundam, cum necesse sit, vt in omnibus sit diuersa, quemadmodum primo pronuntiato dictum est.

Solutio.

Occurrendum est tamen materiam in hoc pronuntiato accipi pro materia secunda, nec Aristotelem de solis artefactis loqui, sed de naturalibus etiam, tametsi latius, ac pressius in vtroque genere intelligi potest materiæ vocabulum. Nam quod attinet ad priorem partem pronuntiati (in quo tota est difficultas) etsi materiæ nomen accipi potest pro materia permanente, quatenus in artefactis cernitur, vt patet in exemplo arcæ, & lecti, tamen quatenus spectatur in naturalibus, accipi debet pro materia transeunte, vt cum ex materia, quam equa ad generationem suppeditat, fit equus, aut mulus, pro diuersitate marium, & cum ex eodem pabulo fit caro diuersarum specierum, pro diuersitate animalium, quæ eo vtuntur. Nam etsi diuersæ species artificialium possunt constare eadem specie materia, in naturalibus tamen id negandum est, vt recte annotauit Auerroes, dummodo materia

pro

pro secunda accipiatur. Ex iis, quæ dicta sunt colliges nomina artefactorum non significare solas formas per artem introductas, sed peculiarem etiam materiam, alioquin serra lignea, & nauis ferrea, aut papyracea vniuoce his nominibus significarentur, quod in forma, siue figura nihil differant.

Nomina artefactorum & formam & materiā significare.

σει πρίονα ἐξ ἐρίου ἢ ξύλου. εἰ f δ' ἄρα τὸ αὐτὸ ἐνδέχεται ἐξ ἄλλης ὕλης ποιῆσαι, δῆλον ὅτι ἡ τέχνη, καὶ ἡ ἀρχὴ ὡς κινοῦσα, ἡ αὐτή. εἰ γὰρ ἡ ὕλη ἑτέρα, καὶ τὸ κινοῦν, καὶ τὸ γεγονός. ὅταν g δή τις ζητῇ τί τὸ αἴτιον (ἐπεὶ πλεοναχῶς τὰ αἴτια λέγεται) πάσας δεῖ λέγειν τὰς ἐνδεχομένας αἰτίας: οἷον, ἀνθρώπου τίς αἰτία ὡς ὕλη; ἆρα τὰ καταμήνια; τί δ' ὡς κινοῦν; ἆρα τὸ σπέρμα; τί δ' ὡς τὸ εἶδος; τὸ τί h ἦν εἶναι. τί δ' ὡς οὗ ἕνεκα, τὸ

serram conficiet. Quod f si ex alia materia idem facere accidat, perspicuum est artem, principiumque mouens idē esse. Nā si materia sit diuersa, itemque mouens, id etiā, quod fit, diuersum erit. Cū g igitur quis rogauerit, quanam sit causa rei proposita; quoniam multis modis causa dicuntur, omnes, quæ illius causa esse possunt, reddere oportebit: verbi causa, quanam est causa hominis, vt materia? nempe menstrua. Qua vt mouens? vtique semen. Qua vero, vt forma? h quidditas. Qua autem vt id, cuius

f *Quod si ex alia materia.*] Quartum pronuntiatum de materia est huiusmodi; Cum materia est diuersa specie, & effectus idem specie necessario causam agentem esse specie eandem. Id quod ex eo probatur, quia si materia sit specie diuersa, & caussa agens diuersa item specie, necesse est, vt effectus sit specie diuersus. Exemplum in naturalibus esto. Cum ex diuersis speciebus fit caro humana: in artefactis, si phiala vna fiat ex auro, alia ex argento, & alia, si placet, ex luto. sed dices, ergo si phiala aurea, argentea, & fictilis sunt eiusdem speciei, non includitur profecto certa materia in significatione phialæ, eademque ratione neque in significatione aliorum artefactorum, quod pugnat cum eo, quod proxime deduxeramus ex dictis. Occurrendum est tamen, omnia artefacta vendicare sibi peculiarem aliquam materiam, tametsi multæ artefactorum species possunt fieri ex eadem, vt de arca & lecto dictum est. Verum cum dicimus ea vendicare sibi certam materiam, nomine certæ materiæ intelligendā est omnis ea, quæ apta est ad vsum artefacti, vt secandum, ad seruandas res, quæ suis terminis continentur, aut fluidas, & ita in cæteris. Quo fit, vt etiamsi artefactum fiat ex diuersis specie rebus naturalibus, si tamen eæ sunt aptæ ad vsum illius artefacti, eiusdem speciei censendæ sint, veluti aurum & argentum, & lutum decoctum ad vsum phialæ. Eodem modo occurri potest ei, qui obiecerit, artem argētarii, aurificis, & figuli, à quibus fiunt vasa eiusdem speciei, diuersas esse; ergo falsum esse, quod docet Aristoteles cum ex diuersis materiis idem specie compositum per artem efficitur, eandem esse artem specie. Dici enim potest, has materias, etsi sunt diuersarū specierum simpliciter, quod tamē attinet ad vsum artis censeri eiusdem speciei. Vel potius dicito, artis nomine intelligi hoc loco, vt sæpe alibi, exemplar formæ, quæ introducitur, quod quidem non est negandum idem esse in huiusmodi artificibus, etsi artes ipsæ, habitusve operatiui, quibus illi sciunt, quo pacto res efficiendæ sunt, diuersi sint. Alexander ait huiusmodi artes, etsi ex ea parte sint eædem tamen simpliciter esse diuersas, quia multa fiunt ab vna, quæ ab aliis fieri nequeunt, sed media solutio magis placet. Illud etiam obiiciat aliquis ex semine, & putredine, quæ sunt materiæ specie diuersæ, generari eundem specie murem & à mure, & à sole, quæ agentia differunt specie, ergo nec probationem qua vtitur Arist. nec ipsum pronuntiatum admitti debere. Sed dicendum est, solem etsi differt specie à mure generante, tamen virtute sua, siue eminenter eo modo, septimo libro explicitum est, continere vim & naturam muris, nec aliarum rerum, quæ generantur virtute solis, efficientia autem diuersarum specierum hoc loco nō esse iudicanda, nisi quæ ita sunt diuersa, vt alterum in altero non contineatur virtute, vt sunt homo, & equus. Quod si quis dicat, ab equo, & asino, qui hoc pacto differunt specie, ex diuersis specie materiis generari mulum eiusdem speciei, puto respondendum esse mulum genitum ab equo differre specie ab eo, quem asinus generat, quod & figura, & proprietates nonnullæ satis declarant.

Cum materia est diuersa, & effectus idem specie, agens esse specie idem.

Non videri artefact. nomina significare materiam.

Responsio.

Alia obiectio.

Solutio.

Tertia obiectio.

Diluitur. c.7.9.2.

Mulos ab equo, & asino genitos videri specie diuersos.

g *Cum igitur quis rogauerit.*] Quintum, extremumque pronuntiatum est; Cum igitur de rebus caducis, & mortalib. non est sola materia reddenda pro causa [quod faciebant veteres physici vt ex 1. lib. patet,] sed cętera etiam tria causarum genera, idque assignatis causis quantum fieri possit propinquissimis. Quod pronuntiatum ex eo probatur ab Arist. quia res, quæ gigni ac interire possunt, omnes huiusmodi causas habent, nec quicquam perfecte sciri potest, nisi omnes illius causæ teneantur, quod de maxime propinquis præcipue intelligendum est.

Non solam materiam assignandā pro causa rerum natur.

h *Quiditas.*] Hoc est, id vnde res habet speciem & quiditatem, vt sensus sit causalis, quod sæpe diximus, vel ipsam naturam specificam vocat formam more Platonis.

i *At*

τὸ τέλος· ἴσως i δὲ ταῦτα ἄμφω, τὸ αὐτό. δεῖ δὲ καὶ τὰ ἐγγύτατα αἴτια λέγειν. τίς ἡ ὕλη; μὴ πῦρ, ἢ γῆν, ἀλλὰ τὴν ἰδίαν.

περὶ μὲν οὖν τὰς φυσικὰς οὐσίας καὶ γεννητὰς, ἀνάγκη οὕτως μετιέναι. εἴ τις μέτεισιν ὀρθῶς, εἴπερ ἄρα αἴτιά τε ταῦτα καὶ τοσαῦτα, καὶ δεῖ τὰ αἴτια γνωρίζειν. ἐπὶ δὲ l τῶν φυσικῶν μὲν, ἀιδίων δὲ οὐσιῶν ἄλλος λόγος. ἴσως γὰρ ἔνια οὐκ ἔχει ὕλην, ἢ οὐ τοιαύτην, ἀλλὰ μόνον κατὰ τόπον κινητήν. οὐδ' ὅσα m δὴ φύσει μὲν, μὴ οὐσίαι δὲ, οὐκ ἔστι τούτοις ὕλη, ἀλλὰ τὸ ὑποκείμενον ἡ οὐσία: οἷον, τί αἴτιον ἐκλείψεως, τίς ὕλη; οὐ γάρ ἐστιν, ἀλλ' ἡ σελήνη τὸ πάσχον. τὸ δὲ αἴτιον, ὡς κινοῦν, καὶ φθεῖρον τὸ φῶς, ἡ γῆ. τὸ δ' οὗ ἕνεκα, ἴσως οὐκ ἔστι· τὸ δ' ὡς εἶδος, n ὁ λόγος,

cuius gratia? finis: ac fortassis i hæc ambo idē sunt. Oportet autem quam propinquissimas etiam causas reddere; vt si materia reddenda est non ignem non terram, sed propriam.

Ac de naturalibus quidem substantiis, & quæ gigni possunt, hoc pacto agendū est, si quis recte velit disserere, quandoquidem hæ ac tot causæ sunt omnesq; causas cognoscere oportet. De l naturalibus autem substātiis, sed sempiternis alia ratio est: fortasse enim quædam materiam non habent, aut nō talem, sed loco duntaxat mobilem. Neque m vero quicquam eorum, quæ natura quidem sunt, sed tamen non sunt substantia, materiam habent, tametsi id, quod subiicitur, substantia est: Exempli caussa. Quænam eclipsis caussa est? quæ quidem vt materia? Nulla, sed luna est id quod patitur. Quæ vero vt caussa, vt quod mouit, lumenque corrumpit? Terra. Id autem, cuius gratia, forsitan non est; forma vero n ratio ipsa; tametsi o ratio

Quædam corpora sempiterna aut habere materiam aut non qualem corruptibil.

i *Ac fortassis*] Explicatum est hoc lib. 5 c. 2.

l *De naturalibus autem*] Iam de materia sempiternorum corporum hoc tradit Aristoteles, quædam eorum aut nullam materiam habere, aut non talem, qualem ea, quæ gignuntur & intereunt. Ait autem quædam, vt excipiat elementa integra quæ tota nunquam intereunt, cum interim habeant eandem materiam, quam cætera mortalia. Videtur autem Aristoteles loqui in hoc pronuntiato de materia cum priuatione coniuncta, quæ quidem nulla est in cœlo, si priuatio sumatur pro priuatione formæ substantialis. Neque enim materia cœli est capax alterius formæ vt cum illa careat, priuata dici possit. Si vero priuatio sumatur pro priuatione alicuius accidentis, negari non debet materia in cœlo respectu huius, & illius loci partium, quæ semper ex vno in alium mutatur. Verum hæc materia non est prima illa, & informis ex se, sed est corpus ipsum cœleste atque adeo informatum quantitate, quæ necessaria omnino est ad mutationem loci, tanquam ratio formalis occupandi locum. Vtrum autem corpus ipsum cœleste corporum sit ex materia prima nec ne colligitur ex hoc loco vtra pars asserenda sit de Aristotele sententia, sed aliis ex locis id iudicandum est, cum hic videatur loqui de sola materia priuata.

Accidentia naturalia non habere materiam.

m *Neque vero quidam.*] Agit de tertio illo, habeant ne accidentia materiam. Qua in re exclusis ea forsitan ratione accidentibus artificialibus, quia nomina artefactorum significant formaliter etiam ipsum subiectum formæ inductæ per artem, vt paulo ante diximus, docet accidentia naturalia non habere materiam tametsi habeant pro subiecto ipsam rei substantiam, quæ quoquo modo materia eorum dici potest. Quo loco videtur Aristotelem existimare totum compositum, non autem materiam primam esse subiectum immediatum inhæsionis accidentium corporalium. Additque huiusmodi subiecta reddenda esse pro caussa materiali accidentium eo modo, quo illa materiam habere possunt; neque vero accidentium duntaxat, sed priuationum etiam, vt defectus lunæ explicandam esse materiam subiectumve, simul tamen cum aliis causis, vt dictum fuerat de substantiis, quæ gignuntur & intereunt. Nam etsi sempiterna corpora non habent causam efficientem naturalem, nec (*quod sequitur*) naturalis effectionis, tamen accidentia, & accidentium priuationes, quæ per motum aliquem quoquo modo efficiuntur, habent non modo huiusmodi causam materialem, sed etiam cætera causarū genera, nisi quod priuationes, vt docet Aristoteles, non habent forsitan causam finalem; idque vt ait D. Thomas, quia ea, quæ ad defectum pertinent, potius proueniunt ex necessitate naturæ, vel caussæ agentis, quam propter finem, vel quia potius eueniunt per accidens, quam ex intensione. Adde neque proprie habere causam efficientem, sed deficientem potius, nec item veram, vt ita dicam formalitatem, & quæ aliquid ponat in rebus, sed pro essentia & formalitate, ipsam defectus & informitatis rationem. Ait autem (*forsitan*) quia per accidens non dubium est, quin priuationes habeant causam finalem, quo pacto finis eclipseos lunæ est ipse idem finis interpositionis terræ, cuius datur vera & propria causa finalis.

n *Ratio ipsa.*) Id quod definitioni respondet, siue ratio obiectiua definitiua, dicitur forma, quem-

quemadmodum & natura specifica more Platonis. Quanquam in priuationibus hæc omnia improprie dicuntur.

λόγος· ἀλλ' ἄδηλος, ἐὰν μὴ μετὰ τῆς αἰτίας ᾖ ὁ λόγος. οἷον, τί ἔκλειψις; στέρησις φωτός. ἐὰν δὲ προστεθῇ ὑπὸ γῆς ἐν μέσῳ γιγνομένης, ὁ σὺν τῷ αἰτίῳ λόγος οὗτος. ὕπνου δ' ἄδηλον τί τὸ πρῶτον πάσχον. ἀλλ' ὅτι τὸ ζῷον; ναί, ἀλλὰ τοῦτο κατὰ τί, καὶ τί πρῶτον; καρδία, ἢ ἄλλο τι. εἶτα ὑπὸ τίνος. εἶτα τί τὸ πάθος τὸ ἐκείνου, καὶ μὴ τὸ τοῦ ὅλου, ὅτι ἀκινησία τοιαδί; ναί. ἀλλ' αὕτη τῷ τί πάσχειν τὸ πρῶτον.

o *ratio non erit manifesta, nisi cum causa sit coniuncta. Verbi causa, quidditas eclipsis, est priuatio luminis: si autem addatur, A terra in medio interposita, hæc erit ratio cum causa simul. De somno* p *vero obscurum est, quid sit id quod primum patitur. At dices esse animal: fateor, sed hoc ratione alicuius accidit, estque aliquid primum, cor, inquam, aut aliquid aliud. Deinde ab aliquo patitur. Iam etiam, quænam sit illius affectio, non autem quæ sit totius exponendum est. Ais esse certam quandam immobilitatem? sit ita, sed hæc accidit, quia ipsum primum aliquid patiatur.*

o *Tametsi ratio non.*] Duplex est definitio accidentium seu quasi accidentium; notionis vna, causalis altera: seu (*quæ idem valent*) quid est, & propter quid est; de quibus agit Aristoteles libro 2. de posteriori resolutione. Prior explicat solum conceptum formalē, simplicem ve notionem definiri, per ea quæ interna sunt definito: posterior adiungit causam, cur id, quod definitur cōueniat subiecto Vtrumq; genus tangit hoc loco Arist. præfertque posterius priori quod faciat rem omnino manifestam. Data enim definitione secundi generis cessat omnis quæstio de accidentibus, quia satisfacit quæstionibus quid est, & propter quid est, quarum prior supponit quæstionem An est, posterior autem, Quale est, seu An conueniat alicui, quo pacto quæstio, quale est accidentibus, & quibusuis attributis quatenus talia sunt, accommodatur. *Duplex accidentium definitio. c. 10. tex. 9. & 10.*

p *De somno vero obscurum est.*] Quia dixerat, quam propinquissimas caussas esse reddendas, docet hoc solo in reddenda materia, subiectove affectionum non solum reddendum esse subiectum principale, ac primum denominationis, cuiusmodi est animal respectu somni, sed etiam primum inhæsionis, quod in animali est pars illa, quæ est prima sedes vigiliæ oppositæ, siue ea sit cor, vt credit Aristoteles, siue cerebrum vt Plato existimauit, & medici asserunt. Nam etsi proprie non dicimus cor, aut caput dormire, sed animal ipsum: ipse tamen somnus non inhæret primo, aut quasi inhæret toti animali, sed interuentu eius partis, in qua est fons & origo sensuum, vnde aliis partibus communicatur. Deinde vt sit definitio propter quid, ait Aristoteles oportere adiungere causam efficientem proximam, & immediatam, ac (*quod sequitur*) finalem: vt refrigerationem à vaporibus cibi & potus exhalantibus ob quietem animalis, aut simile quid. Nec satis esse dicere somnum immobilitatem sensuum totius animalis, tametsi id verum est: sed oportet explicare qualis sit immobilitas, siue quies illius partis, quæ primum patitur somnum, & ad cœteras illum diffundit, & quæ eius rei causa sit. *Quo pacto sit definit propter quid, assignanda sua causa accidentium.*

ΚΕΦ. ε.

Ἐπεὶ δ' ἔνια ἄνευ γενέσεως καὶ φθορᾶς ἐστι, καὶ οὐκ ἔστιν, οἷον αἱ στιγμαί, εἴπερ εἰσί, καὶ ὅλως τὰ εἴδη, καὶ αἱ μορφαί (οὐ γὰρ τὸ λευκὸν γίγνεται, ἀλλὰ τὸ ξύλον λευκόν, εἰ ἔκ τινος, καὶ τὶ πᾶν τὸ γιγνόμενον γίγνεται) οὐ πάντα τἀναντία γίγνοιτο ἐξ ἀλλήλων, ἀλλ' ἑτέρως λευκὸς ἄνθρωπος ἐκ

CAPVT V.

Quoniam a vero quædam sine generatione, & corruptione sunt, & non sunt, veluti puncta, (si illa existunt) & omnino species, ac forma (neque enim ipsum album fit sed lignum album, si quicquid fit, & aliquid, & ex aliquo fit) non omnia vtique contraria alia ex aliis fiunt: sed alio modo fit albus homo ex homine nigro:

CAPITIS QVINTI EXPLANATIO.

QVONIAM vero.] Docet hoc caput quæ conueniant materiæ, quatenus ex ea res fiunt. Exponit igitur primum, quænam res fiant ex materia: deinde quo pacto materia se habeat ad ea, quæ, etsi ex materia non fiunt, in ea tamen esse incipiunt. De reb. quæ fiunt, hoc pronunciat Arist. ea sola fieri ex materia, quæ per se generantur, & corrūpuntur: hæc vero non esse formas, aliquidve aliud simplex, vt punctum sed composita, eo quod omne, quod fit per se, & ex aliquo præcedente fiat, & aliquid efficiatur (vt patet ex superiori libro cap. 8.) quod quidem nisi per nouæ formæ acquisitionem accidere non potest: alioqui nihil differret id, quod fit *Sola cōposita per se fieri ex materia.*

fit, ab eo, ex quo fit: &(quod est consequens) id, quod fit, nequaquam fieret, sed iam omnino esset, quod contradictionem inuoluit. Quo circa docet Aristoteles non omnia contraria eodem modo fieri ex se inuicem. Composita enim, vt homo albus, & homo niger fiunt per se: simplicia vero, vt album, & nigrum per accidens, idq; quia incipiunt esse cum compositis, quæ per se fiunt. Eodemque modo dicendum est de corruptione. Ea enim sola dicuntur corrumpi per se, quorum forma abiicitur, & materia remanet, quo pacto sola composita esse desinunt. Nam formæ ideo dicuntur corrumpi, quia desinunt esse dissolutis compositis, ea forma excepta, quæ propriam operationem habere potest, absq; materia. Aliter Alexander exponit: vt contraria composita fiant ex se inuicem vt ex materia (*intellige tamen vnum fieri ex alio, id est, ex parte alterius, vt dicitur inferius*) at simplicia non item, sed fieri ex se inuicem, id est, vnum post alterum.

Tex. 14.
Quæ contraria per se, quæ per accidens.

ἐκ μέλανος ἄνθρωπος, καὶ λευκὸν ἐκ μέλανος: οὐδὲ b παντὸς ὕλη ἐστίν, ἀλλ' ὅσων γένεσίς ἐστι, καὶ μεταβολὴ εἰς ἄλληλα: ὅσα δ' ἄνευ τοῦ μεταβάλλειν ἐστίν, ἢ μὴ, οὐκ ἔστι τούτων ὕλη:

ἔχει c δ' ἀπορίαν, πῶς πρὸς τἀναντία ἡ ὕλη ἡ ἑκάστου ἔχει: οἷον, εἰ τὸ σῶμα δυνάμει ὑγιεινὸν ἐναντίον δὲ νόσος ὑγιείᾳ, ἆρα ἄμφω δυνάμει; καὶ τὸ ὕδωρ δυνάμει ὄξος, καὶ οἶνος: ἢ τοῦ d μὲν καθ' ἕξιν, καὶ κατὰ τὸ εἶδος ὕλη τοῦ δὲ κατὰ στέρησιν, καὶ κατὰ φθορὰν τὴν παρὰ φύσιν: ἀπορία δέ τις ἐστὶ καὶ διὰ

nigro: alio ex nigro album: nec b *cuiusuis rei materia est, sed eorum quorum mutua generatio est: quæ autem sine mutatione & sunt, & non sunt, eorum non est materia.*

Existit c *autem dubitatio, quonam modo cuiusque rei materia ad contraria se habeat, vt si corpus potentia sanum est, contrariumque morbi est sanitas, num vtrumque sit potentia: & aqua potentia acetum, ac vinum? An* d *alterius quidem secundum habitum, & formam materia est: alterius vero secundum priuationem, & corruptionem præter naturam? Est* e *item dubitatio quædam, cur vinum non fit*

Materiam non esse æque in potentia ad formas oppositas.

b *Nec cuiusuis rei materia est.*] Sumit materiam non solum proprie, vt excludatur subiectum actuale, quo non carent accidentia: sed etiam vt est cum priuatione cõiuncta quemadmodum superiori capite. Hoc enim pacto verum est so'a ea, quorum est mutua inter se generatio & corruptio, materiam habere: alioqui cœlum habet veram, & proprie dictam materiam.

c *Existit autem dubitatio.*] Quo pacto se habeat materia ad contraria, quæ in ea succedunt (*hæc enim sunt quæ non fiunt ex materia, sed in ea esse incipiunt*) docet Aristoteles in hac posteriori parte capitis duabus tractandis quæstionibus, quarum prior est, Num materia ex æquo sit in potentia ad vtrumque contrarium hoc est, ad formam nobiliorem, & ad minus nobilem, veluti corpus sensitiuum ad sanitatem & morbum, & aqua, iuxta sententiam Thaletis, ad formam vini & aceti.

d *An alterius quidem.*] Respondet propositæ quæstioni, materiam non ex æquo esse in potentia ad formas contrarias, seu oppositas. Est enim alterius secundum habitum & formam, id est, in potentia ad formam nobiliorem, tanquam ad habitum & formam: alterius vero secundum priuationem & corruptionem præter naturam, hoc est, in potentia ad formam minus nobilem, tanquam ad priuationem & corruptionem alterius. Cuius rei hæc est ratio, quia materia etsi appetit omnes formas, magis tamen appetit eas, quæ conferunt nobilius esse. Quo fit, vt cum illis informata est, tum demum formam habere censenda sit, cum vero eisdem caret, priuata videatur, tametsi sit informata ignobiliori forma Addit autem (præter naturam) quia etsi forma etiam nobilior vtrumq; dici potest priuatio & corruptio ignobilioris, tamen, quia materia natura sua magis est propensa ad nobiliorem dicetur vtique nobilior, naturalis priuatio & corruptio ignobilioris: ignobilior autem priuatio & corruptio præter naturam nobilioris. Itaque summa solutionis est, materiam, si eius naturalis propensio spectetur, propinquius esse in potentia ad alterum contrariorum, quippe cum semper alterum sit altero nobilius, neque quodammodo esse in potentia ad minus nobile, nisi quia non semper habere potest id, quod est nobilius. Vnde sequitur, eam quodammodo esse per accidens in potentia ad ignobiliorem formam, hoc est, secundaria quadam ratione. Est etiam alius modus, quo materia potest dici non esse ex æquo in potentiam ad vtrumq; contrarium, quia etsi, quando est sub forma animalis, est in potentia proxima ad formã cadaueris, tamen cum est sub forma cadaueris, non est propinque in potentia proxima ad formam animalis, vt in fine capitis docet Arist. quod in plerisque rebus cernere est.

Quomodo et forma nobilior sit priuatio ignobilioris.

e *Est item dubitatio.*] Altera quæstio cur res, quæ corrumpuntur in eas ex quibus non fit immediatus regressus ad formam præcedentium, non dicantur materia earum, in quas corrumpuntur: cum tamen hæ ex illis fieri dicantur, veluti cur non dicamus, viuens esse materiam mortui

mortui & vinum aceti, cum tamen dici soleat mortuum fieri ex viuente, & acetum ex vino, idque ex quo aliquid fit, alias materia illius merito dicatur.

Διὰ τί ὁ οἶνος οὐχ ὕλη τοῦ ὄξους, οὐδὲ δυνάμει ὄξος: (καίτοι γίγνεται ἐξ αὐτοῦ ὄξος) καὶ ὁ ζῶν δυνάμει νεκρός; ἢ f οὔ, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκὸς αἱ φθοραί: ἡ δὲ τοῦ ζώου ὕλη αὐτὴ κατὰ φθορὰν νεκροῦ δύναμις, καὶ ὕλη, καὶ τὸ ὕδωρ ὄξους: γίγνεται γὰρ ἐκ τούτων ὥσπερ ἐξ ἡμέρας νύξ. καὶ g ὅσα δὴ οὕτω μεταβάλλει εἰς ἄλληλα, εἰς τὴν ὕλην δεῖ ἐπανελθεῖν: οἷον, εἰ ἐκ νεκροῦ ζῷον, εἰς τὴν ὕλην πρῶτον, εἶθ' οὕτως ζῷον, καὶ τὸ ὄξος εἰς ὕδωρ, εἶθ' οὕτως οἶνος.

sit materia aceti, neque acetum potentia: (tametsi ex eo acetum fit) neque is, qui viuit potentia sit mortuus. An f non ita res habeat, sed per accidens sunt ipsa corruptiones? ita vero animalis materia ratione corruptionis potentia est, & materia mortui, & aqua item aceti? fiunt enim hæc ex illis, quemadmodum ex die fit nox. Ac g sane quæcunque hoc pacto mutuam subeunt mutationem, in materiam redeant oportet: velut si ex mortuo anima oriri debet, primum in materiam regressio fiat necesse est, deinde hoc pacto animal gignetur: & acetum in aquam mutatur, deinde fit vinum.

f *An non ita res habet.*] Respondet secundæ quæstioni, merito nec viuens dici materiam mortui, nec vinum aceti, quia corruptiones ipsæ, hoc est, res deteriores, in quas nobiliores corrumpuntur, (*vt recte Alexander, & D. Thomas exponunt*) per accidens sunt, ac fiunt ex nobilioribus. Ideo enim ex illis esse, ac fieri dicuntur, quia fiunt ex eorum materia, quæ, quia non semper potest esse sub forma nobiliori, est deterioris formæ capax. Nam quod attinet ad ipsa integra composita, non aliter deterius fit ex nobiliori, quam ex die nox. Vt enim nox non fit ex die permanente, ac ingrediente compositionem noctis (*quod tamen necesse foret, vt dies esset materia noctis*) ita neq; res deterior ex meliori. Id quod accidit ratione formarum, quarum altera alteri succedit, vt nox diei. Aduerte tamen, etsi res nobilior non potest dici materia ignobilioris, quia non perficitur per introductionem formæ ignobilioris, nec in perfectione ignobilioris continetur: tamen ignobiliorem modo aliquo posse dici materiam nobiliores. Nam etsi vtraque corrumpitur, cum altera generatur, tamen res minus perfecta quodammodo continetur in perfectiori. Atque hac ratione dictum est supra, elementa esse materiam misti, & semen materiam viuentis, & cibum materiam sanguinis, non modo transeuntem, sed quodammodo etiam permanentem. Quo fit, vt res nobiliores quodammodo per se fiant ex ignobilioribus.

g *Ac sane quæcunq;.*] Ex iis, quæ hic addit Aristoteles, patet illum non fuisse loquutum in hac quæstione de quacunq; generatione deterioris rei ex perfectiori, sed de ea, à qua non potest fieri immediatus regressus in perfectiorem. *Non vniuersum de rebus nobiliorib. sermonem fuisse.*

Docet igitur his verbis in huiusmodi rebus non fieri regressum ex deteriori in meliorem, nisi prius redeatur in materiam aptam ad accipiendam formam similem ei, quæ amissa est: quod quidem nunquam fit, nisi interuentu multarum generationum: vt si ex cadauere futurum sit animal, prius ex illo oportet fiat herba, deinde ex herba sanguis, tum ex sanguine semen, ex semine embrio, ex quo tandem fiet animal. Vel breuius, ex carnibus cadaueris sanguis, ex sanguine semen, &c.

Quo etiam pacto, vt ex aceto fiat vinum, opus est vt prius veniatur ad aquam, aut aliquid simile, quod sit aptum ad recipiendam formam vini. Quod certe non accidit in generatione cuiuscunque rei imperfectioris ex perfectiori: possunt enim elementa ex sese mutuo generari, cum interim non sint æqualis perfectionis. Causa vero huius rei est, quia quædam formæ, vt introducantur, indigent materia prius disposita per alias quasdam medias dispositiones, quæ secum afferunt medias etiam quasdam formas: quædam vero sunt eiusmodi, vt materia ad illas immediate disponi possit. *Cur quædam non immediate gignantur ex aliis.*

Quod autem ad verba attinet, quidam codices Latini habent: [*Quæcunque hoc pacto mutuam subeunt mutationem, in materiam primam redire oportere, vt si ex mortuo futurum sit viuens, aut ex aceto vinum*] sed præterquam quod Græci codices non ita habent, interpretatio etiam ipsa non est ad rem, nisi nomen materiæ primæ sumatur pro materia secunda, ex qua prius facta est res perfectior. Si enim materia prima sumatur pro materia nudata omni forma, nunquam fit resolutio ad illam, quia nunquam materia existit sine forma. Si vero ad materiam primam secundum se, vt sensus sit, nihil in generatione restare oportere ex re corrupta in genito, nisi solam materiam, in omni generatio-

ne fit huiusmodi resolutio: aut certe si nō fit in omni, nisi cum generantur elementa, aut ex elementis mistum (*vt est quorundam sententia*) non est necesse resolui cadauer hoc pacto in materiam primam, vt ex eo fiat animal, quod patet ex propositis exemplis. Vnde patet nō recte dicere Alexandrum, Auerroem, & Albertum non posse ex mortuo fieri viuum, nisi mortuum prius resoluatur in elementa.

AN RES ALIQVA, POSTQVAM ESSE desiit, possit per causas naturales eadem numero redire.

QVÆST. I.

Quibus argumentis eadem res numero natura viribus videantur redire, aut certe redire posse.

SECTIO I.

OCCASIONE sumpta ex iis, quæ Aristoteles & hoc, & superiori capite scribit, haud præter rem quæri potest hoc loco, redire ne possint res eædem numero, per naturales causas, aut saltem absoluta Dei virtute, nec ne?

Ac missis falsis quibusdam reuocationibus mortuorum ad vitam, quas vel Poetæ fingunt, vel delusoria malorum dæmonum fictio mentita sæpe est: vel re vera nonnūquam accidisse multi crediderunt, quod quidam, nondum omnino anima à corpore separata, remediis, ac medicamentis quibusdam vitæ functionibus sunt restituti: explosa denique illa Pythagoreorum erroris plena palingenesia, siue animarum regressu ad eadem corpora post varias aliorum corporum informationes, non desunt argumenta, quibus ostendi videatur multa, quæ iam esse desierūt, vel naturaliter eadem numero redire, vel certe redire posse.

Primum, quia eædem res artificiosæ, postquam dissolutæ sunt, aut dissipatæ, iterum ex eisdem partibus per causas naturales instaurantur, vt domus, vestis, exercitus, & similia: sumimus enim hoc loco causas naturales, nō vt distinguuntur ab artificialibus, & aliis liberis, sed à supernaturalibus. *Quo pacto hic sumamus causas naturales.*

Deinde, quia in naturalibus idem sæpe accidit, vt si quis aquæ sextarium in plures partes diuidat, easque iterum coniungat: desinet enim esse per solam diuisionem, deinde per solam iteratam coniunctionem idem redibit. Sed & vera generatione per alterationem facta videmus rem eandem redire post veram corruptionem, amissionemque substantialis formæ, vt cum nasus abscissus, & iterum coniunctus alterationis interuentu eandem formam amissam recuperat. Quid enim iam

A deest, quominus idem sit nasūs, eadem materia, & eadem forma constans?

Tertio, quia idem eodem modo se habens, vt Aristoteles ait 2. de Generatione, semper aptum est facere idem, si modo (*quod subaudiendum*) agit in eandem materiam, subiectumve, vt hoc ipso loco dicitur. Cum ergo sæpe accidat, vt agentia naturalia eodem modo se habeant ad easdem materias, *Cap. 10.*
B circa quas versantur, quo se ante habuerant: non dubium videtur, quin eadem iterum efficiant, quæ antea fecerunt, & quæ postea esse desierunt. Atque huic quasi fundamento inniti videtur non modo vetus illa conuersio, & reuersio perpetua rerū omnium, quam Empedocles confingit: itemque id, quod Aristoteles posita mundi æternitate docet primo * de Cœlo, & primo etiam † Meteorologicorum opiniones, inquam, easdem *Vt habes 1. de cœlo c. 10 tex. 102.*
C infinities redire: vterq; enim forsitan putasse videbitur causarum omnium dispositionem post longissima tempora certis interuallis infinitis vicibus eandem rediisse, ac redituram. Quo etiam pertinet illud, quod Platoni tribuitur, completo cursu anni maximi, hoc est, motu eius orbis, qui primus contra, atque primum mobile, mouetur, fore, vt omnia eadem redeant, ita vt Plato iterum doceat in Academia, eosdemque auditores **ca. 3. tex. 22. † cap. 3. Platonis placitū de anno maximo. Vide Aug. 12. 12. de ciuit. c. 13.*
D habeat, & sic cœtera eodem modo eueniant: tametsi sunt, qui negent id Platonem sensisse.

Quarto, quia si non accidit vnquam, vt eædem omnino res euenerint, quæ iam esse desierant, eo quod non omnes causæ, quæ ad eundem numero effectum concurrere debuerant, re vera vnquam in eadem dispositione fuerunt, aut erunt: (*siquidem nec mundus ex æternitate fuit, nec tot annorum millibus duraturus videtur, vt annus*
E *ille maximus compleatur*) saltem id nihil omnino videtur repugnare. Nam & vniuersum hoc tam apto ordine dispositum est, vt

est, vt possit perpetuo durare, eodemque modo, quo nunc procedere: & in vnaquaq; etiam causa eadem est potentia ad omnia ipsius effecta, postquam eorum causa fuit, quæ antea fuerat: tum quia, cum causa, quemadmodum nullum esse amittit, ita nulla naturali potentia, seu difficultate priuatur: tum etiam, quia, vt de materia loquamur, sicut illa in generatione transit à priuatione ad habitũ, seu formam, ita in corruptione reuertitur ab habitu ad priuationem: idem enim est terminus ad quem in corruptione, qui est à quo in generatione: at priuatio formæ amissæ non potest esse in materia sine potentia ad illam, cũ priuatio definiatur, *Negatio in subiecto apto nato, vt forma insit.*

Ex Arist. in prædic. c. de oppos.

Postremo, quia cum Angeli videantur posse disponere materiam hominis vita functi eisdem dispositionibus, quibus disponenda est in generali resurrectione, vt iterum eadem anima informetur; idemque facere potuisse in corpore Lazari, vt denuo eadem anima informaretur, non dubium videtur, quin mortui naturali eorum facultate possint ad vitam reuocari.

Non posse rem vere corruptam, aut alioqui propria existentia amissa, iterum per causas naturales eandem numero redire.

SECTIO II.

Quid veri habeat asser. sentent.

Res artificiosæ, & quasdam etiam naturales, redire easdẽ.

IN hac quæstione non desunt Theologi, qui dicant, nihil cum ratione, aut etiam cũ experientia pugnaturum, qui dixerit, posse res complures, postquam esse desierunt, easdem numero per causas naturales redire. Atque id quidem de rebus artificiosis recte dicitur. Videmus enim res multas arte cõfectas, si postea dissoluantur, eadem arte iterum restitui, vt recte in primo argumento assumptum est. Quin etiam & de quibusdam rebus naturalibus, si sola diuisione dissoluantur, in qua nulla formæ substantialis cernatur expulsio, idem dici potest, vt in diuisione aquæ sextarii, iterataque partium vnione, quod exemplum in secundo argumento vsurpatum est. Sed nec de quibusdam partibus quarundam rerum naturalium, id est negandum, vt de naso recens absciſſo; & iterum vnito vt patet ex eodem argumento. Nam cum in ea parte restituenda vera aggeneratio alterationis interuẽtu exerceatur, iterumque eadem materia, eademque forma inter se iungantur, non dubium, quin prior substantia eius partis ea- A dem numero redeat, modo forma substantialis totius compositi sit indiuisibilis, vt est anima rationis particeps, & D. Thomæ sententia, cuiusuis alterius perfecti animalis. In cæteris enim cum tot sint partes formæ, quot sunt partes materię, si pars absciſſa, postquam formæ prioris partem amisit, iterum vniatur, alia iam numero erit eius substantia propter nouam formæ partem è potentia eius portionis materiæ eductam. Atque in hoc B sensu propositæ assertionis omnes, & Theologi, & Philosophi conuenire videntur, ac debent.

1. p. q. 76. art. 8. & 2. contra gent. c. 72

Sed plus volunt eius autores: Richardus* enim, qui propositam sententiam in 4. Sententiarum statuit, & Scotus, † qui eodem libro eam censuit probabilem, non eam intelligunt de solis rebus artificiosis, aut etiam de iis, quæ sola diuisione dissoluuntur, & opposita vnione redintegrantur, aut denique C de partibus, quæ alterationis interuentu iterum formam totius accipiunt, sed etiam de rebus ipsis integris, quæ si non de facto eædem numero redeant, saltem nihil obstat, quominus redire possint: id quod ipsi fere tertio, & sequentibus argumentis sibi persuadẽt, multisque Scoti doctrinæ sectatoribus placet.

**Dist. 43. q. 1. art. 3.*
†q. 3. art. 1.

Vera q. resolutio.

Dicendum est tamen; si sermo sit de rebus integris, quæ vere corruptæ sunt, aut alia ratione D propriam existentiam vere amiserunt, rem nullam, siue substantia sit, siue accidens, per causas naturales redire posse. Quæ sententia est D. Thomæ, & pene reliquorum omnium Theologorum. Quam primum probare licet autoritate Aristotelis, qui ad calcẽ secundi de Generatione, aliisque locis compluribus ait fieri non posse, vt res, quæ semel esse desierunt, iterum redeant; nisi secundum speciem. Deinde sequentibus rationibus Prima E est, quia ad identitatem numeralem effectus necessaria est identitas numeralis formæ, & materiæ, si effectus res naturalis est, vt patet: itemque agentis, patientis, actionis, qua fit, & temporis, in quo fit, quæ communia sunt omnibus effectis naturalibus: (*neque enim aliis indiciis probamus, aut probare possumus, effecta aliqua esse diuersa numero, nisi in his detur numeralis varietas*) at tempus nullo modo idem numero redire potest: qua- F re nec actio vlla naturalis, quæ tempori subditur: quod si non redit eadem numero actio naturalis, ergo nec idem effectus naturaliter.

D. Th. 4. cõt. gent. c. 81. & quodl. 4. ar. 5 Henr. quodl. 7. q. 16. Dur. in 4. d. 43. q. 2. Capr. q. 1. art. 1.
c. 11. text. 70. & 5. phys. c. 4. text 37.

Quæ requiruntur ad numeri eam identitatem effectus.

Altera est, quia etsi agentia naturalia sunt ex se indifferentia ad infinita effecta eiusdem speciei, etiam in eodem momento tem-

c. 2. q. 9 sect. 2. & q. 14 sect. 3

Agentia naturalia à Deo determinari ad singulos effectus.

temporis, vt diximus lib. 5. determinantur tamen à prima causa cum illis concurrente ad vnum tantum ex iis, quæ producere possunt; siquidem omne agens naturale determinatum esse debet in singulis actionibus ad vnũ non solum specie, sed etiam numero, alioqui aut infinita ageret: aut nihil ageret: quare cũ non sit determinatum ex se, nisi ad vnum specie, necesse est, vt ab alio determinetur in hoc tempore, aut instanti ad vnum numero. quæ determinatio ab alio. quam è primo agente B fieri nequit. Cumque primum agens generali concursu agat more naturalium agentium, hoc est, inuariabiliter, inde colligimus illud designasse ab æterno, qui effectus numero ab hoc, aut illo efficiente naturali in quolibet tempore, aut instanti, esset producendus, nec deputasse vnum, & eundem effectum eidem agenti in pluribus temporibus, aut momentis, sed vnum in vno, & alia in aliis. Vnde fit, vt ex hac quasi naturali lege nullus effectus naturalis idem numero naturaliter redire possit; C secus est, si ab hac communi lege effecta aliqua excepit, vt, verbi causa, idem adolescẽs, qui mortuus efferebatur ex ciuitate Naim, iterum per CHRISTVM Dominum in vitam rediret à mortuis excitatus. Quod autem diximus de efficientibus naturalibus, quæ ad certam speciẽ effectorum determinata sunt, intelligimus etiam de efficientibus liberis: postquam se ad hanc, vel illam speciem actionis determinant; D quandoquidem in quolibet tempore & instãti, supposita ipsorum determinatione ad speciem, determinantur à prima causa ad certum effectum numero Atquè ex hac secunda ratione completur à priori prima ratio.

Quid dicendum sit de liberis.

Tertia est, quia si agentia, quæ naturaliter agunt, possent producere naturaliter in hoc, verbi causa, tempore aut momento, non modo vnum illum numero effectum, quem de E facto producunt, sed etiam alium numero, quem antea produxissent: non esset vlla ratio naturalis, cur non possent producere quemlibet alium iam à se productum: Cum igitur hoc dici non possit, ne absurdissime concedatur omnia effecta æque præterita, atq; futura, infinities contineri in virtute naturali suæ causæ, eaque proxime productiua: potius dicendum est, nullum antiquum effectũ naturalium causarum actione eundem numero F redire posse.

c. de oppos.

Sunt qui vtantur ratione alia sumpta ex natura priuationis, hunc in modum A priuatione ad habitum non est regressus, vt Aristoteles tradit in prædicamentis, ergo cũ forma quædam transit ab esse ad nõ esse, non potest iterum transire à non esse ad esse. Sed hæc ratio nec firmo nititur fundamento, nec etiam A est ad rem, siquidem Aristoteles non loquitur de regressu ad eandem numero formam (*quã supponit esse impossibilem naturaliter*) sed ad eandem specie, nec de regressu remoto sed proximo: nec vniuerse de omni priuatione, sed de ea, à quo non potest rediri ad formam nisi per varias transmutationes, hoc enim pacto exponendus est locus ille ex iis, quæ in hoc capite dicuntur.

A priuatione ad habitũ non esse regressum, quo modo intelligendum.

Postrema ratio, eaque precipua est, quia omnis noua dispositio, quæ ab agente naturali fit, est eductiua nouæ formæ è potentia subiecti, si illa est educibilis de potẽtia illius, aut nouæ inductiua, si illa à solo Deo produci potest: quemadmodum & actio ipsa, naturaliter dispositiua, est noua, neque vnquam naturaliter rediens, vt inferius patebit.

Præcipua ratio.

Solutio argumentorum partis opposita.

SECTIO III.

QVARE ad tertium argumentum oppositæ sententiæ (duo enim superiora soluta sunt) hoc modo respondendum Aristotelem iis locis non de eodem numero, sed de eadem specie locutum esse. Nisi quod, illud de reditu earundem opinionum & artium, quia futurum esset, vt ex libera applicatione voluntatis pendent, non ita accipiendum est, quasi Aristoteles putauerit easdem omnino specie reuersuras, sed morali quodam modo, quo pacto futurum esset, vt alii philosopharentur, alii mercaturam exercent, & ita in cæteris. Nam quod de reditu earundem numero rerum Platoni imponitur, nõ est cur à graui vllo philosopho credi potuerit eius placitum fuisse.

Initio superioris sect.

Ad quartum dicendum, etsi mundus in æternũ hoc ipso ordine duraturus esset; quod optime fieri posset (*tanta sapientia is potentiaq; constitutus est*) annusq; ille maximus reuera complendus esset, nunquam tamen eadem numero effecta, sed specie tantum, fore reditura. Quod autem obiicitur de potentia causarũ, quam non amittunt cũ actu causant nihil ad rem facit, cum ad causandum non satis sit potentia, nisi adsit potentiæ determinatio ad effectum: quæ determinatio ad vnũ tãtum numero necessaria est, in quolibet tẽpore aut instanti, vt diximus. Respõderi quoque potest, si de potentia proxima (*vt nonnulli loquuntur*) seu potius de potentia expedita sit quæstio, quãlibet causam effectiuam creatam, cum actu causat, amittere in posterum eiusmodi potentiam actiuam naturalem ad eundem

Ad causandum requiri potentiæ determinationem.

Potentiam proximam ad idem amitti per actum causandi.

eundem effectum, quem efficit. Quo etiam pacto materia in corruptione amittit eius generis potentiam passiuam ad suscipiendam in posterum formam expulsam. Quo fit, vt non sit mirum, si corrupta re non maneat in eius materia priuatio formæ expulsæ, quandoquidem nō manet talis potentia ad illam, sed ad alias, quæ introduci in eam possunt. Vnde plane intelligitur, etsi priuatio, quæ in generatione dicitur terminus à quo, est priuatiue opposita formæ introducendæ tamē eam, quæ in corruptione est terminus ad quem, non esse priuatiue oppositam formæ expulsæ, quia non supponit potentiam proximam ad illam eandem numero recuperandam. Ex qua re patet non omnino eundem esse terminum ad quem in corruptione, qui fuit terminus à quo in generatione, sed esse eundem, quatenus est priuatiuus formæ secundum speciem.

Oppositio priuationis & formæ vel introducendæ vel expulsæ.

Quomodo sit idem terminus ad quem in corruptione, & à quo in generatione.

In 4. d. 43. & 44.

An possit angelus vi propria mortuū suscitare.

Ad vltimum dicendum communem esse Theologorum sententiam non posse angelos propria virtute mortuum ad vitam reuocare, tametsi multi laborant in inuenienda causa, cur id facere nō possint. Neq; enim videtur excedere facultatē naturalem angelicæ naturæ, vt actiua passiuis applicando perinde possit disponere materiam cinerū in die iudicii ad recipiendas mortuorum animas, atq; dispositus est initio mundi limus terræ ad suscipiendam animam primi parentis, & quatriduanum Lazari cadauer, vt eius animā resumeret. Quod si angeli hoc facere posśūt, aut qui creati sunt, aut qui creari possunt (neque enim omnes habent æquales vires naturales) non dubium videtur, quin possint suis viribus mortuos ad vitam reuocare. Nā propterea parentes viuentem prolem efficiunt, quia disponunt materiam, vt animam rationalem suscipiat. Quod si dicatur non posse angelos ita cineres disponere, vt in beata corpora euadant, eo quod sine supernaturalibus gloriæ dotibus beata esse non possunt; quid dicetur de corporibus damnatorum, ad quæ viuificanda satis videtur esse communis humanæ materiæ dispositio? Quanquam nec de beatorum corporibus satis erit ea responsio, cum dotes illæ gloriosæ nō pertineant ad dispositionem materiæ, sed à beatis animabus in corpora redundaturæ sint.

Genes. 2. Ioan. 11.

Quidquid tamē dicendum sit de hac dubitatione, possint ne angeli propria virtute actiua passiuis applicādo perfecte disponere materiam, vt animam rationalem in prima introductione suscipiat, aut saltem animas aliorum perfectorū animalium cū illa gignuntur (*de imperfectis enim non est dubium, quin facere ea possint, cum malorum angelorum opera incantatores Ægyptii ranas, serpentes, & alia imperfecta produxerint.*) non possunt tamen vllum siue hominem, siue aliud animal è mortuis excitare, imo neque vllam formam siue substantialem siue accidētalem, siue quæ ante desiisset, eandem numero in materiam subiectumve reuocare: Ratio vero est illa præcipua; quia omnis noua subiecti dispositio est eductiua nouæ formæ è potentia subiecti, si ea forma educibilis ab eo subiecto est, vel nouæ formæ inductiua, si illa à solo Deo produci potest, vt dictum est; Itaque si angeli eodē modo possunt applicanda actiua passiuis disponere materiam ad formam humanam, aut saltē ad formas aliorum perfectorum animalium recipiendas, quo ipsa animalia, à quibus illa generari solent, eam disponunt, generare quidem ipsi eo modo poterunt ea animalia, nunquam tamen vllum eorum, aliudve compositum naturale regenerabunt, h. e nunquā efficient, vt materia subiectumve vllam formam amissam recuperet. Vnde fit, vt si angeli possunt perfecte disponere materiam cadauerū, aut cinerum in quos illa redacta fuerint, vt animam rationalem accipiāt, possint illi quidem suis viribꝰ perfecta animalia procreare, vt possunt animalia imperfecta, non tamen reparare perfecta ipsa animalia iam emortua; neq; enim disponere materiam poterunt sine Dei concursu, concurrente autem Deo cum illis ad perfectam illius dispositionem, semper ex generali lege primi & vniuersalis agentis subsequetur in ea noua forma animalis generandi, vel educta è potentia materiæ, vel tum primum creata. Non admittūt nihilominus Theologi posse angelos perfecte disponere materiam ad formas perfectorum animalium, siue id accidat, quia Deus id non permittit (*plurima enim & boni angeli & mali facere possent, quæ quia non expediunt nō illis permittuntur*) siue quia aliqua latet repugnantia, cur id fieri nequeat. At mortuum suscitare, restituta nimirum eadem numero anima, à nulla potestate creata suis tantum naturalibus vsa viribus fieri potest; eo quod omnis dispositio & actio naturalis creatorum agentium nouam semper poscat, & inducat formam: nihilque refert si Scotus in 4. d. 43.* & Henricus quodl. 10.† oppositum sentire videantur. Atque hæc est ratio præcipua cur propria sit Dei Optimi Maximi mortuorum resuscitatio. Quod autem de anima probatū est, idem de quauis forma alia intelligere oportet, vt nimirum à Deo solo, aut ab alio agente instrumentaria eius virtute, eadem numero, postquam esse desiit, redire possit: de qua re iam disputandum est, ac primum de rebus permanentibus.

Omnino negandum.

Item, posse perfecte disponere materiā ad formas perfector.

** q. 3. † q. 4.*

An res

An res permanentes postquam esse desierunt, possint diuina virtute eædem numero reparari?

QVÆST. II.

Durandi sententia negatiua, si res omnino, aut quoad aliquam sui partem esse desierunt.

SECTIO I.

Idem videtur sentire Abul. in 22. c. Math. q. 238.

CVM rerum aliæ permanentes sint, aliæ successiuæ *(quarum vtrumque genus duas peculiares habet in hac controuersia difficultates)* de permanentib. quidem hæc sentit Durãdus in 4. sententiarum d. 43. q. 3. nullam omnino rem permanentem, etiam diuina virtute, eãdem numero reparari, si vel ipsa tota, vel aliqua eius pars esse desiit; quod si nulla pars eius periit, sed sola vnio earum inter se, tunc posse à Deo eandem numero restitui. Verbi causa, ea quæ annihilantur, *(si vlla vnquam per annihilationem res pereunt)* & accidentia, quæ expelluntur è subiectis, quia alio modo pereunt, brutum etiam animal, quia cum corrumpitur, etsi materia seruatur, tamen forma perit, non posse diuina etiam potestate eadem redire, at hominem, quia vtraq; eius pars permanet post mortem, eundem numero per nouam earundem partium vnionem reparari posse.

Argumenta pro sententia Durandi.

Priorem partem, in qua tota est difficultas, his potissimum argumentis probat. Primum, quia Deus libere agens non plus potest, quam si ageret ex necessitate naturæ, quandoquidem libertas non ei addet potestatem agendi, sed tantum, vt possit agere indifferenter hoc, vel illud, agere item vel non agere, & hoc aut illo modo agere: at si ageret ex necessitate naturæ, ageret more aliorum agentium naturalium, quæ *(vt probatum est)* non possunt idem numero corruptum reparare, ergò nec ipse poterit, siue res tota, siue aliqua eius pars esse desiit.

Deinde, quia si Deus potest reparare id, quod agens naturale reparare nequit, aut id accidit propter differentiam virtutis agendi, quia nimirum Deus agit infinita virtute, agens autem naturale finita: aut propter modum agendi, quia Deus potest agere sine subiecto, agens autem naturale non item; atqui differentia virtutis finitæ, & infinitæ nihil est ad rem in iis effectibus, quæ Deo, & agentibus naturalibus cõmunia esse possunt; quandoquidem effecta, quæ secundum speciem à virtute finita producuntur, nunquam postulant virtutem infinitam; modus autem agendi eadem effecta semper est cum mutatione aliqua subiecti: quia vt subiectũ aliter se habet, quam prius, actione agentis naturalis, ita & actione solius Dei; ergo, si agens naturale reparare nequit rem permanentem, nec diuina potestas eam reparare poterit.

Tertio, quia si eadem res numero ab aliquo agẽte reparari posset, id proculdubio fieret per actionem aliam numero ab ea, per quã primum esse cœpisset; atque fieri non potest, vt duæ numero actiones terminentur ad rem eamdem numero, quæ per vtramque esse incipiat: (secus est de actionibus, quibus nulla res esse incipit, vt de duobus motibus localibus, qui terminantur ad eundem locum iam existentem) ergo, &c.

Quarto, quia si Deus productum Angelũ annihilaret, eundemque iterum produceret, eæ productiones essent plures numero: at nõ essent plures numero, numeratione producẽtis, qui esset idem numero, ergo numeratione rei productæ, vel *(quod eodem redit)* durationis rei eiusdem, idem enim esse censet durationẽ rei, atque rem ipsam: esset igitur is Angelus vnus numero, & non vnus numero, quod est contradictio.

Quinto argumentatur Aureolus apud Capreolum hunc fere in modũ. Quod est in rebus successiuis successio, id est, in permanentibus permanentia: at in successiuis, interrupta successione motus non iam motus qui sequitur, est idem numero, quia continuitas motus est necessaria ad vnitatem numeralem ipsius, vt tradit Aristoteles 5. Physicorum, ergo in permanentibus, interrupta permanentia, non iam res permanens, quæ post interruptionem sequetur, erit eadem numero res. *In 4. d. 43. q. 1. a. 4. tex. 30.*

Postremo confirmat Durandus suam sententiam *(quod raro solet)* autoritate D. Thom. pluribus locis, in quibus videtur idem, quod ipse sentire, nisi quod in ea re illi repugnat, quod Durandus putat posse eundem hominem numero resurgere, etsi nihil habeat eius materiæ, quam habebat, dum viueret, quia credit nullam determinatam materiam pertinere ad essentiam vnius singularis compositi, sed satis esse aliquam indeterminate, quod Diuus Thomas, & cæteri Theologi negant. Itaque præter hominem, cuius anima esse non desinit, nullum aliud naturale compositum existimat diuina virtute posse idem numero reparari, quia cæteræ corruptibilium formæ in ipsa eorum corruptione per-

In 4. d. 44. q. 1. ar. 2. ad 4. Quæ materia sit essentialis indiuidui. Dist. citata, q. 1. Ead. q. ar. 1. Capr. ibid. Caiet. de Ente & Ess. ad c. 2 q. 3. Heru. de vnitate forma. Ioan. de Neapol. quodl. 21. q. 6. & Marsi. 2. de gener. q. vltima.

perennt. Citantur quoque pro Durandi sententia alij nonnulli, quos videre non libuit. A

Quocunque modo res permanentes esse desinant, posse omnes diuina virtute reparari.

SECTIO II.

Assertio communis. COMMVNIS tamen Theologorum sententia est, res omnes permanentes posse easdem numero reparari, siue nulla earum pars B siue aliqua tantum, siue etiam totæ ipsæ omnino perierint. Atq; homines eosdem numero reparandos esse in generali resurrectione, multosq; diuina virtute à mortuis excitatos olim fuisse, de fide est, vt patet ex Apostolico symbolo ab OEcumonicis Conciliis explicato, & ex vtraq; paginarum noui tum veteris testamenti. Neq; tantum id de fide est, sed etiam possibile esse ex eo ostendi potest, quia C naturali lumine cognosci potest animam humanam esse immortalem: posse autē illam iterum coniungi corpori diuina potentia ex eo intelligitur, quia Deus per se efficere potest, quidquid per causas secundas facit: quod item naturali ratione patet, additis huic pronunciato, quæ addi solent.

In 4.d.43.D. Th.quodl. 4. q.3.a.5. & 4 contra gent. c 81. Henr. quodl. 7.q.16.Egid. Theor.1 Ostenditur possibilitas resurrect.

Confirmatur assertio. Vniuerse autem res omnes permanentes, quocunq; modo esse desinant, posse diuina virtute easdem numero redire, his rationibus D ostenditur. Primum, quia nec Deo repugnat rem permanentem iterum producere, cum eius potestas nihil imminuta sit ex eo, quod illam semel produxit: nec rei etiā ipsi repugnat iterum produci: vt enim semel transiuit à nō esse ad esse, sic iterum transire potest, nec denique alia ex parte id repugnat, vt patebit ex solutione argumentorum partis oppositæ.

Deinde, quia vna ex rationibus, ob quas res permanentes non possunt eædem numero redire per causas naturales, ea est, qua na- E turales causæ vt certam aliquam earum producant, addictæ sunt certo, & determinato tempori, aut momento, quo transacto non possunt vi sua illam eandem producere Deus autem, vt vnam, & eandem producat, nulli certo tempori, aut momento subiectus est: potuit enim hunc eundem mūdum prius, aut posterius creare, & ita cæteras res omnes permanentes, vt interim de successiuis nihil dicamus. Altera ratio est, quia causæ naturales F non agūt denuo, nisi nouo motu, & mutatione: nouus autem motus, & mutatio ad nouā formam, & quæ nunquam fuerat, necessario terminatur, vt ex dictis patet: nisi sit forma extrinsecus acquisita, cuiusmodi est locus, quæ forma hic non est ad rem: at Deus potest agere sine motu & mutatione quamlibet rem permanentem, cum possit quamlibet earum creare: ergo, &c.

Deum ad earū productionem non esse addictum certo tempori. Cap.4.q.sect.2 & 7.q.sect.3.

Tertio, quia facilius ex se creditum est, rem, quæ iam fuit, posse eandem numero reparari, quam quæ nunquam fuit, ex nihilo fieri: hoc enim primum Patres communiter asserunt: vnde est illud Diui Gregorij, *Longe minus est Deo reparare, quod fuit, quam creare, quod non fuit*. Deinde idem constat ex omni antiquitate, cum videamus multos Philosophos sibi persuasisse, aliquando tandem res omnes easdem numero esse redituras, cum interim nullus eorū sibi persuaserit ex nihilo aliquid fieri potuisse, vt Aristoteles asserit 1. Physicorū libro. Postremò ea ratione idē probatur, quia rem quæ iam fuit, constat & ratione, & experientia esse possibilem, vt ea saltem ex parte facilius persuaderi possit eam, cum iam semel extiterit, posse iterum in rerum natura esse: quæ autem nunquam fuit, etsi constare ratione potest esse eam possibilem, tamē non dum id experientia compertum est. Cum ergo demonstratiue constet, ex nihilo aliquid fieri posse, imo & hanc rerum vniuersitatem nullo modo esse potuisse, nisi ex nihilo fieret, vt libro duodecimo patebit: constat facilius, persuaderi posse ex parte rerum ipsarum res permanentes, postquam esse desierunt, quocunque modo esse desierint, easdem numero reparari posse, quam, cum nunquam fuissent, ex nihilo fieri posse.

Facilius est reparare quod fuit, quam denuo creare. Homil.27.in Euan. Vide et Aug.22. de ciuit.c.20. & de Verbis Dom. serm. vlt. c.4 tex.33.

Demonstrari posse orbis creationem.

Solutio argument. partis opposita.

SECTIO III.

QVARE ad primum argumentum neganda est vtraque sumptio. Plus enim potest Deus libere agens, quam si non ageret nisi ex necessitate naturæ: neq; enim iam Deus esset, ac proinde nec haberet potentiam infinitam. Quod si quis fieri potuisse fingat Deum habere potentiam infinitam, nec tamen libere agere: adhuc tamen ageret independenter propter infinitam potentiam, & (quod hinc sequitur) non esset addictus certo tempori, aut momento ad rem quamlibet permanentem producendam: tametsi ex hoc impossibili illud etiam sequeretur, vt, cum libere non ageret, vel in omnibus momentis, aut temporibus rem eandem produceret, vel in nullo.

Plus potest Deus libere agens, quam si ageret necessario.

Ad secundum dicendum ex parte infinitæ potentiæ, vt ex parte modorum agendi posse Deum reparare rem eandem numero quam agens naturale reparare nequit. Nā ex infinitate diuinæ potentiæ prouenit, vt

Deus ex infinitate virtutis & ex modo agendi habet, vt reparare queat rē corruptā.

Deus ad eam producendam non sit addictus certo tempori, aut momento, vt dictum est: quod de agente naturali dici nõ potest. Vnde etsi in effectis, quæ Deo, & agentibus naturalib. communia esse possunt, nũquam res, quæ à virtute finita producuntur, postulent virtutem infinitam in proximo generante: tamen in regenerante eam postulant. Ex varietate quoque modorum agendi Dei, & agentium naturalium, nascitur, vt Deus reparare possit rem eandem, permanentem quam agens naturale reparare nequit. Nam ad reparandam rem eandem corruptam agens naturale indiget motu dispositiuo materiæ. Deus autem minime; motus autẽ dispositiuus si sit diuersus numero, ad formã numero diuersam naturaliter terminatur. Vnde etsi Christus Dominus eandem animam in corpus Lazari defuncti iterum potuit inducere, quia non indigebat dispositiuo motu præcedẽte, nullum tamen agens naturale id poterat. Quocirca nihil refert, quod corpus Lazari mutatum sit ingressa rursus eius anima, vtpote aliter tum primum habens, quam prius, cum eiusmodi mutatio à nullo agente naturali fieri potuerit per ipsum proprium, & peculiarem agendi modum naturalium agentium.

Ioan. 11.

Ad tertium dicendum est, etsi agens naturale non potest semel, ac iterum agere per vnam & eandem numero actionem, nec per duas actiones numero rem vnam, & eandem producere, quia limitatum est à primo agente ad certum numero effectum certo tempore, aut momento, & certa actione producendum, tamen agens supernaturale vtrumq; posse, quia non est alligatum certo tempori, aut momẽto etiam imaginario, pluribusque modis potest rem eandem producere veluti per generationem, & creationem, quod magis patebit ex iis, quæ dicenda adhuc sunt.

Per eandẽ & per diuersas numero actiones potest idẽ sæpius produci.

Ad quartum dicendum non difficilius esse Deo eandem productionem Angeli, quam eundem numero Angelum reparare, etiamsi actio creandi esset accidens absolutũ existens in creatura, vt quidam existimant, & non potius actus diuinæ voluntatis, tam multiplex virtute, quam sunt ea, quæ creantur: proinde non opus fore, vt reparatio, seu reditio illius actualis, aut virtualis sit alio numero productio ab ea, quæ prius productus erat, sed eadẽ altero ex his modis iterata. Nec verum est, quod Durandus addit, durationem Angeli esse ipsam Angeli substantiam, & quæ prius illi conueniat, quam eius vnitas numeralis, vt si eius duratio foret alia ante eius annihilationẽ, alia post reparationem: necessario quoq; alia foret ipsa Angeli substantia: est n. duratio Angeli accidens ipsius, quod mutari potest, manente eadẽ numero substantia. Quanquã & durationem Angeli, quemadmodũ & eius substantiam, eandem numero reparari nihil repugnat, quoad eius entitatem, licet reparari nequeat quoad differẽtiam temporis imaginarij, in qua cœpit, aut finita est, quod magis perspicue ex dicendis intelligetur.

Durationem Angeli non esse ipsam eius substantiam.

Ad quintum concedendum est eandem proportionem esse successionis ad res successiuas, atq; permanentiæ ad permanentes: naturaliterq; quemadmodum interrupta successione, seu continuitate successiua, nec manet, nec redit eadem numero res successiua, sic etiam interrupta permanentia nec manere, nec redire naturaliter eandem numero permanentem. At supernaturaliter, etsi fieri non potest, vt interrupta permanentia non pereat res permanens, quemadmodum fieri nequit, vt interrupta successione non pereat res successiua: tamen de reditu earundem rerum alia ratio est: quanquam enim neutrum genus rerum naturaliter redire potest, vt patet ex dictis: tamen supernaturaliter nihil repugnat redire easdem permanentes, vt etiam probatum est: de successiuis autem non parua est controuersia, de qua sequens disputatio instituetur. Quo loco, quam vim habeat argumentum ex 5. Physicorum desumptum ad negatiuam partem suadendam, planius intelligetur.

Proportio successionis ad res successiuas, & permanentiæ ad permanentes.

Quod demum attinet ad sententiam Diui Th. quam Durandus pro se affert, sunt, qui velint sanctum Doctorem sæpe dubitasse de reparatione rei, cuius forma omninò periisset, & propterea varie de ea re loquutum esse. Etsi enim in locis à Durando citatis, & 4. etiam contra Gent. c. 81. negatiuam partem defendisset: in quodlibeto autem 4. ar. 5. & in opusculo 9. c. 82. affirmatiuam probasset: nunquam tamen satis sibi fecisse, vt alteram omnino assereret. Verisimilius est tamen, quod alij dicunt, illum affirmatiuam partem re vera sibi persuasisse de potentia Dei absoluta, de qua nos loquimur: negatiuam autem, de ordinaria: quod ex eo satis videtur constare, quod nonnunquam in hac re tractãda negat fieri posse quædam, quæ plane constat fieri posse absoluta Dei potestate.

Quid de hac re senserit D. Th.

Illud interim animaduertendum est, id quod diximus de reparatione rerum permanentium, etsi proprie intelligi solet de rebus absolutis, tamen de relatiuis etiam, & relationibus intelligendum esse. Nam præter quam quod argumenta proposita eodem modo valent in relatiuis, cum vera entia permanentia sint, quo in absolutis: quis neget easdem numero relationes filij, & matris fuisse in Christo Domino, & in Beatissima Virgine post resurrectionem

Etiã relationes posse easdem numero redire.

De filiatione ipsa eadem filij & matris in Christo & B. Virgine.

surrectionem Filij primũ resurgentis, de- A
inde Matris à mortuis excitatæ, quæ ante mortem vtriusq; fuerant? itemq; relationes vnionis animæ, & corporis tam Filij, quam Matris, quæ per mortem separata erant? Æque enim easdem numero, atque specie tantum, restituere potuit diuina virtus, & cõsentaneum rationi erat, vt eædem numero repararentur, cum probabile sit in resurrectione quoque cœterorum ad beatam vitam eadem numero accidentia absoluta, quæ ante habe- B bant, restituenda esse, vt resurrectio, & remuneratio omnino sit perfecta: tametsi non erit imperfecta nec resurrectio, nec remuneratio, si alia numero tunc futura sunt: satis enim erit, si resuscitandi, & remunerandi, sint iidem numero.

Quid in hac quæst. sentiendum de puris essendi modis.

De modis essendi puris, possint ne iidem numero redire, vt eadẽ numero sessio, statio, accubitus, & alij huiusmodi, maior est dubitatio. Et quanquam parum referat, quid de C his minitissimis rerum affectib. sentiendum sit, cum neq; vllam entitatem habeant, neq; in eis cernatur vera distinctio numeralis, aut specifica, quæ non cadunt proprie nisi in vera entia, tamen breuiter non nihil de iis dicendum. Quod quidem attinet ad existentiam rerum, eadem potestate, qua res permanentes easdem numero redire posse probatum est, pro certo habendum semper redire easdem nu- D mero earũ existentias, nec satis esse si redeant eædem specie, aut potius quasi specie: semper enim quælibet res numero dum existit, habet eandem numero existentiam, neq; eam vnquam amittit seruata re ipsa, aut cum alia existentia commutat. De cœteris autem earundem rerum puris essendi, aut se habendi modis, nihil videtur repugnare, quin diuina potestate possint iidem numero redire, vt idem numero cõcursus causæ, cum redit idem numero effectus, eademque effectus dependen- E tia, in resurrectione etiam eadẽ numero subiectio formæ, & informatio materiæ, dependentiaq; compositi ab vtraque. Denique de modis essendi, aut se habendi, qui comitantur res successiuas, quatenus successiuæ sunt, hoc est, ipsam motus, aut temporis cõtinuitatem, cuiusmodi sunt celeritas, & tarditas motus, eiusdemq; vniformitas, & difformitas, illud adiungendum, si res ipsæ successiuæ non possunt redire eædem numero, nec modos quoque hos posse reparari. Quod idem videtur F dicendum de modis, qui solo locali motu resultant, vt de sessione, statione, accubitu, & similibus neque enim videntur iidem numero redire posse: sed de hisce tenuissimis rerum attributis fusi⁹ disputare, haud omnino vitio caret.

Non potest existere eadẽ res numero si non eadem numero existentia.

Num entia successiua eadem numero redire possint.

QVÆSTIO III.

Sententia communis, quæ negat posse eadem numero redire.

SECTIO I.

De entibus successiuis, vt sunt motus, & tempus, & fortasse sonus, communis fere omnium sententia est, non posse ea reparari eadem numero. Quæ sentẽtia probari primum potest ex illo communi pronunciato, quod in omnium ore versatur, Fugit irreuocabile tempus. Quod si tempus reuocari idẽ numero non potest, ergo nec motus, ac proinde nec sonus, si successiuum ens est, & motum quendam localem sequitur. Nam si motus reuocabilis esset, cum motus omnis suum peculiare tempus habeat, reuocari quoque posset idem tempus numero, & idem numero sonus. Sed relinquamus sonum.

Assertio communis. D. Th. quod. D. a. 5. Henr. quodl. 7. q. 15 Dur. in 4. d. 43. q. 3. Capr q. 1. Ferr. 4. contra gent. c. 81.

Deinde probari solet hoc argumento, quia cum de ratione eiusdem numero tum motus: tum etiam temporis, sit continuitas, vt patet ex 5. Physicorum, vbi Aristoteles ad vnitatem numeralem motus requirit, vt sit continuus: (*quod idem eadem ratione dicẽdum est de tempore*) certe interrupto motu, vel tempore, non iam idem numero vel motus, vel tempus esse potest, alioqui simul esset idem, & non idem numero.

Rationib. probatur. c. 4. tex. 39.

Tertio probatur hac ratione. Motus, & tempus reale (*de hoc enim solo tempore quæstio est, cum de entibus agatur*) non habent vnitatem numeralem, nisi quatenus incidunt in hoc, aut illud imaginarium spatium successiuum, vt hodiernus motus solis, ac hodiernus dies, ex eo quod incidant in hodiernum spatium imaginarium successiuum: quandoquidem si incidissent in hesternum, iam non essent hodiernus motus, aut tempus hodiernum, sed hesternus motus, & tempus hesternum: atqui nulla virtute fieri potest, vt hodiernum imaginarium spatium successiuum redeat, & sic cœtera huiusmodi successiua spatia, vt ostendimus libr. 5. ergo nec motus, aut tempus reale eadem numero redire possunt.

c. 13. q. 11. sect. 2.

Quarto, quia, vt argumentatur Durandus, si vlla virtute tempus, aut motus idem numero reparari posset, non esset impossibile totũ tempus futurum, motumve primi mobilis, fore vnum tantum diem, aut horam vnam, reparando nimirum semper quolibet die

imaginario eundem diem realem, aut horam, quod tamen nisi absurdissime nemo concedit.

Quinto, quia, vt idem concludit, si motus elapsus, aut tempus præteritum redire posset idem numero, sequeretur vnum oppositorum vere dici de altero, prius nimirum de posteriori quod fieri nequit. Sequela probatur, quia cum differentia prioris, & posterioris necessaria omnino sit in quolibet motu, & tempore, (alioqui non essent successiua) si prior B pars motus, aut temporis reparari posset eadem numero, iam posterior pars vtriusuis esset eadem, quæ prior, vereque iam prior diceretur de posteriori, quod nemo admittet.

Postremo, quia, vt alij ratiocinantur, si motus, aut tempus idem numero reparari posset, daretur potentia ad præteritum, quæ potentia etiam Deo negatur. Quid enim est aliud dari potentiam ad præteritum, quam vt præteritum redeat? Quod si non hoc sit dari C potentiam ad præteritum, sed efficere posse, vt præteritum non fuerit: hoc quoque sequitur, si idem numero motus, aut tempus redire possit. Nam si hora nona redeat hora decima, iam vtique fiet, vt hora nona non fuerit: si enim & tunc fuit, & modo etiam sit, iam eadem hora erit duplo longior seipsa, quod fieri non potest.

Nonnulli etiam sic argumentantur. Facilius est retinere rem eandem, ne elabatur, D quam efficere, vt postquam elapsa est, iterum redeat; nulla autem potestate fieri potest, vt motus, & tempus non elabantur, cum essentialiter sint successiua: ergo minus fieri poterit, vt cum elapsa fuerint, eadē numero redeant. Sed cum maior propositio non sit vera, nisi in permanentibus, vt patet, nihil hoc pacto conficiunt.

Quo sensu recentiores affirmatiuam partem defendant. E

SECTIO II.

RECENTIORES nonnulli quadam adhibita distinctione affirmatiuam huius quæstionis partem magis probant, tum quia rationes, quæ in superiori quæstione pro reparatione earūdem numero rerum permanentium allatæ sunt, idem valere illis videntur in successiuis: tum etiam, quia argumenta omnia, quibus negatiua confirmata est, haud difficile solui posse existimant. Eorum distinctio sic se habet.

Dupliciter spectari entia successiua. Entia successiua duobus modis videntur spectari posse. Vno, quatenus incidunt in certum aliquod spacium successiuum imaginarium, quod tempus imaginarium dicitur. A Hoc pacto motus primi mobilis, qui hodie conficitur, & tempus commune reale: quod simul cum eo motu, & in eo transigitur, incidunt in hoc idem spatium imaginarium successiuum, in quo existunt: in quo spatio nullus motus, aut tempus reale esset, si Deus in primo eius momēto omnia annihilasset, aut à principio mundum hunc non condidisset. Altero, quatenus sumuntur secūdum se, nulla habita ratione spatij successiui imaginarij, vt hodiernus motus primi mobilis pro integra eius reuolutione, siue in hodierno spatio imaginario fiat, siue in quocunque alio fieret: & hodiernus dies pro tempore reali 24. horarum æqualium, siue in hoc eodem spatio imaginario transigitur, siue transigeretur in aliquo alio. Quæ eadem distinctio in motu alterationis, & particulari tempore, quod in ea est, itemq; in motibus accretionis, & decretionis, earumque particularibus temporibus videtur posse obseruari.

Hac igitur distinctione posita, duabus conclusionibus expediunt controuersiam iidem recentiores. *Prior recētiorū conclusio.* Prima est huiusmodi. Si motus, & tempus reale sumantur, quatenus incidunt in certa quædam tempora imaginaria, non possunt eadem numero redire. Hæc conclusio ex eo constat, quia cum partes temporis imaginarij nullo modo redire possint, vt patet ex iis, quæ lib. 5. dicta sunt, consequens est, vt motus etiam ipsi, & tempora realia, *c. 15. q. 12.* quatenus in illa incidunt, redire eadem non possint. Quæ eadem conclusio ex similitudine proportionali, quæ in loco cernitur, ostendi potest. Vt enim locus realis, quatenus incidit in superficiem immobilem, immobilis est, etiamsi multæ superficies continentes locatum imaginarium in illam incidant: sic motus, & tempus reale, quatenus incidunt in tempus imaginarium omnino fluxum, & irreuocabile, fluxa etiam omnino, & irreuocabilia sunt.

Posterior. Posterior eorum conclusio est. Si motus & tempus reale sumantur absolute, non quatenus in tempora imaginaria incidunt, sed quatenus certam extensionem habēt, pro videlicet non ad prædicamentū Quando, sed ad quantitatis prædicamentū spectant, eadem numero diuina potestate redire possunt. Hāc conclusionem ex eo primum probant, quia F (vt existimant) rationes, quæ pro rerum permanentium reditu superiori quæstione propositæ sunt, reparationem quoq; rerum successiuarum esse possibilem ostendunt, si hæ sumantur absolute, & non vt incidūt in tempora imaginaria. Deinde, quia Deus plurimis ante seculis imaginariis potuit creare hunc numero mundum, eisdem numero moti-

bus,

tibus, realibusque eorum durationibus progressurum, neque id videtur posse negari, nisi quis dicat Deum, vt illum hoc pacto crearet, necessario expectasse illud instans imaginarii temporis, in quo illum creauit, eademque imaginaria tempora cõsequentia, vt res conditæ his numero motibus mouerentur: quod si multo ante illũ creare poterit eisdẽ numero motibus, & realibus temporibus progressurum, cur, si illum inde ad centum annos annihilasset, non potuisset iterum sic creare in illo eodem instanti, in quo illum creauit, vt esset eisdem numero motibus progressurus: durum enim videtur admodum hæc negare, cũ nullam cõtradictionem inuoluat. Postremo, quia quod de motu dicendum est, idem quoque de tempore reali, cum quo reipsa idẽ est, dici potest: cum igitur motus idem sit re ipsa cum re absoluta, quæ motu acquiritur, probatumque sit in superiori quæstione res absolutas posse diuina virtute easdem numero redire, non dubium videtur, quin idem dicẽdum sit de motu, ac proinde de tẽpore, si non sumantur, vt incidunt in tempora imaginaria, sed absolute, ac secundum se.

Statuitur vera quæstionis resolutio, & soluuntur recentiorum argumenta.

SECTIO III.

Tria in motu spectari.

NObis tamen alia distinctione præmissa, tribus conclusionibus, quæ distinctius, & verius rem attingant, & cõmunem sententiam planius explicent, expedienda quæstio est. Distinctio sit, in motu tria spectari, formã absolutam, quæ successiue acquiritur, ipsam continuitatem successiuę acquisitionis, & tẽpus, seu durationẽ successiuam motui intrinsecam, h. e. in eo existentem. Quæ tria etsi reipsa idem sunt inter se, tamen rationibus formalibus distinguuntur,

Prima conclusio.

Sit ergo prima conclusio. Si motus sumatur pro forma absoluta, quæ successiue acquiritur, motus quidem alterationis, accretionis, & decretionis, idem numero diuina potestate redire potest; localis autem nõ potest. Prior pars (*in cuius sensu vera est affirmatiua prædictorum recentiorum sententia*) ex superiori quæstione probata relinquitur, vbi ostẽsum est res omnes absolutas, quocunq; modo esse desierint, siue omnino, siue ex parte, easdem numero diuina potestate redire posse: quod si possunt, parum igitur refert, si simul veluti per iteratam creationem, aliamve simplicem productionem, an paulatim, siue per motum redeant. Quam etiam conclusionis partem non negabant communis sententiæ autores, si illis hunc in modum proponatur. Posterior vero pars ex eo probatur, quia forma absoluta, quæ motu locali acquiritur, est locus, vt libr. 5. ostendimus: locus autem, vt locus est, nunquam desinit, vt de eo quæri possit, an idem numero reparari queat. Nam locus, vt locus est, neq; esse, neq; intelligi potest sine immobilitate, alioqui rupes in fluuiis, & turres in aere fluente, continenter locũ mutarent, quia continenter subeunt alias, atque alias superficies aquæ, aut aeris: nunc autem propterea dicuntur semper esse in eodem loco, quia id, quod in eo quasi formale est, & rationem loci complet, semper est idem numero, neq; vnquam mutari, aut desinere potest, nempe ipsa loci imaginarii superficies, in quam incidit realis locus. Secus res habet in motu alterationis, accretionis, & decretionis, in quibus formæ, quæ acquiruntur, incipiunt esse, ac desinunt, vt merito de illis quæratur, an diuina potestate eædẽ numero redire possint. Itaque nec locus, qui motu recto acquiritur, neque is, in quo mobile motu circulari voluitur, & alio atque alio modo illum obtinet, iidem numero redeunt, quia re vera non redeunt, cum formaliter esse non desierint. In hoc autem sensu neq; ii recentiores, qui oppositam huius quæstionis partem tuentur, hanc conclusionis partem negabunt, nisi qui contra Aristotelis expressam sententiam crediderint per motum localem acquiri formam quandam absolutam distinctã formaliter, & essentialiter à loco, & mobili inhærentem, quorum opinionem libr. 5. refutauimus.

C. 15. q. 7. sect. 2. & q. 9 sect. 4.

Locum, vt locus est, nũquam posse desinere.

Locis citatis & c. 15 q 7. sect. 5.

Secunda conclusio.

Secunda cõclusio. Si motus, & tempus sumantur, quatenus incidunt in tempora imaginaria, non possunt eadem numero redire, siue motus sumatur pro re absoluta, quæ acquiritur per motum, siue motus, & tẽpus pro ipsorum successiuis continuitatibus. Hæc conclusio eodem modo probari potest, quo probata est prior iuniorum conclusio: in ea enim eiusq; probatione omnes omnino conueniunt.

Tertia.

Tertia conclusio. Si motus sumatur pro continuitate successiua, qua forma absoluta acquiritur, aut alio & alio modo obtinetur, tempus vero pro duratione successiua in ipso motu existente; non possunt vlla virtute seu motus, seu tempus eadem numero redire. Hæc conclusio, quæ præcipuum sensum huius quæstionis continet, & de qua est tota, aut præcipua controuersia, ex eo probatur, quia, etsi motus hoc pacto sumptus est ens reale, & tempus etiam ens reale; motusque non potest vllo modo esse sine particulari

c. 11. & 12. 6 11. tex. 101. & 108.

tempore in ipso existente, (*est enim tempus propria & per se affectio motus, vt 4. Phys. tradit Arist.*) tamen tempus, quo definitur eodem lib. *Numerus motus secundum prius, & posterius*, necessario complectur per prioritatem, & posterioritatem, successiuam temporis imaginarii. Oportet enim eam prioritatem, & posterioritatem sumere non ex partibus successiuæ continuitatis motus, vt motùs est, cum celerius, aut tardius possint aliæ alias præcedere: sed ex partibus successiuæ continuitatis totius spatii successiui imaginarii, quia hæ sic aliæ alias præcedunt, vt semper certam, & ratam habeant suæ durationis moram, quę certitudo, &, vt ita dicam, ratitudo, necessaria est in quolibet tempore tam vero, quam imaginario, tam particulari etiam, quam communi.

Tempus verum compleri prioritate & posterioritate temporis imaginarii.

c. 4. tex. 41.

Immobilitas loci vnde sumenda.

Hoc enim pacto docet Arist. eodem libro non esse accipiendam immobilitatem loci ex immobilitate huius, vel illius rei, in qua est superficies continens locatum, cum moueri omnes possint, sed ex immobilitate totius vniuersi corporei, quod ipse putauit simpliciter esse immobile: nos autem dicimus, aut potius interpretamur, sumendam esse ex immobilitate totius spatii extensiui imaginarii, quod simpliciter immobile est, in cuius certã superficiem concauam incidit superficies realis concaua corporis continẽtis, quæ etiam, quemadmodum & totum spatium, est simpliciter immobilis. Quod si continuitas motus necessario secum habet continuitatem temporis realis, continuitas autem huius tẽporis non solum communis, & extrinseci, sed etiam intrinseci, & particularis, necessario complectur per continuitatem temporis imaginarii, cum continuitas imaginarii temporis non amplius redeat eadem numero, non redibunt etiam tempus, & motus, quatenus continua successiua sunt, eadẽ numero. Hoc autem facillime intelligetur, si ponamus entitatem temporis non esse aliam ab entitate continuitatis successiuæ ipsius motus, quod probabile esse diximus lib. 5. nunc autem eo probabilius existimamus, & libentius amplectimur, quod est opinio plane consentanea huic sententiæ, & superuacanea respuit. Illa eadem entitas continuitatis successiuæ, quæ est continuitas motus, quatenus incidit in certam, & determinatam portionem temporis imaginarii, & ab illa complectur, habere potest rationem temporis veri, ac realis; quemadmodum locus à certa superficie cõcaua loci imaginarii habet rationem veri, ac realis loci.

Tempus non esse aliam entitatem ab entitate continuitatis successiua motus.

c. 13. q. 10. sect. 2.

Obiectio.

Sunt tamen, qui hoc pacto contra argumententur. Motus, & tempora, quatenus quidem sunt hæc, vel illa, complentur per tempora imaginaria, in quæ incidunt, quia re vera non possunt esse hæc, vel illa, nisi quatenus in hanc, vel illam temporis imaginarii portionem incidunt: at quatenus absolute sumuntur, non complentur per tempora imaginaria, quia non est de ratione motus, aut temporis, si absolute sumantur, fieri, aut esse in tempore imaginario, præsertim, cum si per impossibile nullum esset tempus imaginarium, adhuc esset motus, ac tempus reales: possunt igitur motus, & tempus reale hoc pacto spectata eadem numero redire, quia non sunt ad certum tempus imaginarium alligata.

Hæc tamen obiectio multa peccat. Primum, quod, cum tota hæc quæstio, quemadmodum & superior, intelligatur de rebus, quatenus singulares sunt, seu quatenus sunt hæ, aut illæ, præter rem est sumere motum, & tempus, non quatenus hic singularis motus, & hoc singulare tempus sunt, sed absolute, quatenus sunt motus, & tempus. Deinde, quia res quæ desierunt esse, nec desierunt, nec redire possunt, nisi vt sunt hæ, aut illæ. Tertio, quia si de ratione huius temporis realis, quatenus continuum est, (*seu huius continuitatis successiua illius*) est hæc portio temporis imaginarii, de ratione quoq; temporis realis absolute sumpti erit tempus imaginarium: quo pacto, quia de ratione huius loci realis est hæc superficies immobilis imaginaria, in quam, incidit, de ratione quoque loci realis absolute accepti erit superficies immobilis imaginaria, seu (*quod eodem redit*) immobilitas. Postremo, quia ponere nemo potest (*etiam per impossibile*) tempus imaginarium non esse, si simul ponat tempus reale esse; neque enim hæc duo sunt compassibilia.

Refellitur.

Ad primum igitur argumentum eorum, quibus affirmatiuæ partis autorum posterior conclusio suadebatur, negandum est, rationes, quæ pro reparatione earundem numero rerum permanentium allatæ sunt in superiori quæstione ostendere, successiuas quoque redire posse easdem numero, nisi hæ intelligantur quoad ea, quæ per motum, & in tempore acquiruntur, excepto tamen adhuc loco, qui acquiritur motu locali, aut in quo mobile voluitur, qui locus, vt nunquam formaliter esse desinit, ita nunquam potest iterum esse incipere. Atque hinc patet solutio tertii eorum argumenti pro eadem conclusione.

Satisfit argumentis iuniorum.

Solutio tertii.

Ad secundum concedimus, hunc numero mundum, quoad res permanentes multis ante seculis imaginariis creari potuisse, & postea annihilatum eundem numero potuisse re-

Hunc mũdũ non potuisse alio tempore creari eũdem numero.

quoad res successiuas.

se reparari: cæterum quoad successiuas ratione continuitatis earum successiuæ neq; antequam conditus fuit, neq; postquam conditus est, potuisse creari, quia hoc pacto nec motus sine tempore reali fieri potuit, (res nimirum sine sua proprietate omnino inseparabili) nec tempus reale extra certã numero portionem temporis imaginarii, quæ redire eadem numero non potest. Reliquum est igitur, vt quam vim habeant argumenta, quibus communis, meritoque amplectenda opinio probari solet, expẽdamus, & in vero sensu pro nostra conclusione tertia esse ostendamus.

Expenduntur, & approbantur argumenta communis opinionis.

SECTIO IV.

Recte dici tempus irreuocabile.

PRIMVM argumentum recte sumitur vulgatum illud, *Fugit irreuocabile tempus*, cum verum sit non modo quoad tempus imaginarium, sed etiam quoad reale; cum hoc neque habeat rationem huius singularis temporis, neque etiam temporis absolute sumpti, nisi quatenus incidit in tempus imaginarium. Cum autem tempus neutro modo idem numero reuocari possit, recte inde colligitur, nec motum eundem reuocari posse, cũ tempus sit eius propria affectio, sine qua illud esse non potest, non solum naturaliter, sed ne virtute quidem vlla.

Quodl. 4. art. 5.

Secundum, quod est D. Thomæ, etsi ingeniose impugnat Durandus, *quanquam in negatiua conclusione cum communi sententia conuenit)* altius tamen videtur D. Thomas illud fundasse, quam vt Durandus euertere potuerit. Impugnatio eius hæc est, continuitatem, quæ requiritur ad vnitatem numeralem motus, aut temporis, non esse continuitatem eius cum alio motu, aut tẽpore, quia sine hac potest quilibet motus, aut tempus esse vna numero quantitas continua, neque etiam esse continuitatem eiusdem cum seipso, siquidem eadem quantitas non continuatur secũ, sed esse continuitatem partium constituentium vnum motum, aut vnum tempus: proinde solam interruptionem oppositam huic continuitati soluere vnitatem numeralem motus aut temporis, atque hinc fieri, vt etsi concipiamus eundem motum aut tempus regredi cum omnibus suis partibus, nihil tamen concipiamus repugnans eorum vnitatib numeralibus, etiamsi interruptæ sint eorum durationes, quibus prius, & posterius extiterũt. Vnde colligit Durandus propositum argumentum nihil conficere.

Impugnatio rationis D. Thomæ ex Durando.

A Verum D. Thomas in eo proponendo profundius credendus est vim eius concepisse. Cum enim intellexisset interruptionem cuiuslibet motus, & cuiuslibet temporis realis, soluere continuitatem eorum cum quolibet motu ac tẽpore reali futuro, potiori ratione concepit, eam interruptionem soluere identitatem eorum numeralem. Plura enim requiruntur, vt quantitates A. & B. sint eædem numero, quam vt continuentur inter se: cum B prorsus omnia requirantur eadẽ in vtraque, vt sint eædem numero, sola autem earũ coniunctio sufficiat, vt sint continuatæ inter se. Itaque tota vis argumenti D. Thomæ in hac ratione posita est: Nullus motus, nullumque tempus reale potest continuari cum motu, aut tempore vllo futuro, propter interruptionem sui & ex consequenti temporis imaginarii cum futuro tempore imaginario: ergo potiori ratione nullus motus, nullumq; reale C tempus potest esse idem numero cum vllo futuro: interruptio enim temporis imaginarii efficit, vt non solum ii motus, & tempora non possint continuari, sed multo etiam magis, vt non possint esse eadem numero, quia nimirum numeralis vnitas tẽporis, & ex consequenti motus pendet ex vnitate numerali temporis imaginarii, seu certæ, & designatæ illius portionis.

Propugnatur D. Thomæ ratio.

Plura acquiri, vt dua quantitates sint eadem numero, quã vt inter se continua.

D Tertium argumentum est illud ipsum, quo primo loco probauimus tertiam conclusionem, quæ præcipuum sensum negatiuæ partis huius quæstionis continet.

Quod ad quartum argumentum attinet, oppositæ partis autores ea ratione negant sequelam, quia omnes dies futuri essent partes realiter distinctæ inter se vnius numero temporis: absurdum autem foret admittere rem eandem esse partem sui ipsius integrantem. Verũ etsi dies præcedentes vel E breuissimis quietibus à proxime sequentibus distinguerentur, (*quod fieri posset*) idem absurdum esset dicere: posse eos omnes esse vnum diem, atque dicere id habere posse continuatos inter se, vt hactenus continuati sunt: adhuc enim extensio omnium simul futura esset maior, quam extensio singulorum; (propter extensiones scilicet temporis imaginarii, in quas inciderent) & ex consequenti maior esset extẽsio eiusdem diei, quam eiusdem F diei: neq; id accideret ratione temporis imaginarii tantum, sed etiam temporis realis sic interrupti; ratione videlicet moræ illius intrinsecæ, quam oppositæ sententiæ defensores tribuunt motui, & tempori reali absolute sumptis, etiam sine respectu temporis imaginarii. Accedit, quod nulla ratio est, cur idem dies numero nõ posset reparari immediate.

mediate, postquam esse desiit, & posset mediate: absurdum enim, quod colligunt, si mediate repararetur, non nascitur ex coniunctione, sed ex absurda eorum opinione.

Quintum quoque ex eo vim habet, quia cum vnitas numeralis temporis realis, & ex consequenti motus, pendeat ex vnitate numerali tẽporis imaginarii, seu potius ex certa eius portione, in qua ambo transiguntur, fieri non potest, vt eadem numero redeant, quin id, quod formaliter est prius, dicatur de eo, quod formaliter est posterius, & ex consequenti vnum oppositum de altero.

Postremum denique in posteriori sensu recte concludit, si aduersæ partis autores concedant, moram vnam reparari posse immediate, postquam transacta est: erit enim duplo maior seipsa. Verum si id non concedant, ne suam sententiam coarguant, adhuc illud absurdum non vitabunt, etsi mora aliqua interponatur, nihilominus extensionem intrinsecam repetitæ horæ fore duplo maiorem extensione sui ipsius. Accedit, quod etsi prior sensus non est verus in permanentibus, est tamen (velint ipsi, vel nolint) verus in successiuis.

ΚΕΦ. ζ.

Περὶ a δὲ τῆς ἀπορίας τῆς εἰρημένης περί τε τοὺς ὁρισμοὺς, καὶ περὶ τοὺς ἀριθμοὺς, τί ἐστιν αἴτιον τοῦ ἓν εἶναι. πάντων b γὰρ ὅσα πλείω μέρη ἔχει, καὶ μή ἐστιν οἷον σωρὸς τὸ πᾶν, ἀλλ' ἔστι τι ὅλον παρὰ τὰ μόρια, ἔστι τι αἴτιον. ἐπεὶ καὶ ἐν τοῖς σώμασι τοῖς μὲν ἁφὴ αἰτία τοῦ ἓν εἶναι, τοῖς δὲ γλισχρότης ἤ τι πάθος ἕτερον τοιοῦτον. ὁ δ' ὁρισμὸς, λόγος ἐστὶν εἷς οὐ συνδέσμῳ, καθάπερ ἡ Ἰλιὰς, ἀλλὰ τῷ ἑνὸς εἶναι. τί οὖν ἐστιν ὃ ποιεῖ ἓν τὸν ἄνθρωπον, καὶ διὰ τί ἕν, ἀλλ' οὐ πολλὰ οἷον, τό, τε ζῷον, καὶ τὸ δίπουν, ἄλλως c τε καὶ εἰ ἔστιν ὥσπερ φασί τινες αὐτό τι ζῷον καὶ αὐτὸ δίπουν. διὰ τί γὰρ οὐκ ἐκεῖνα αὐτὰ ὁ ἄνθρωπός ἐστι, καὶ ἔσονται κατὰ μέθεξιν οἱ ἄνθρωποι, οὐκ ἀνθρώπου οὐδενὸς, ἀλλὰ δυοῖν καὶ ζῴου καὶ δίποδος: ὅλος δὴ οὐκ ἂν εἴη ἄνθρωπος ἕν, ἀλλὰ πλείω ζῷον καὶ δίπουν.

Φανε-

CAPVT VI.

De a dubitatione autem proposita circa definitiones, & numeros, quanam est causa, vt vnum sint? Omniũ b enim, quæ plures partes habent, nec vniuersum est vnum quasi aceruus, sed aliquid est totum præter partes, causa est aliqua, cur vnum sint. Nam & in corporibus quibusdam contactus est causa vnitatis, in aliis tenacitas, aliquave alia similis affectio. Definitio autem oratio est vna non coniunctione, vt Ilias, sed quia vnius est. Quid igitur est id, quod hominem facit vnum? & cur vnum non multa sunt exempli causa, animal, & bipes, præsertim c si quid sunt, vt quidam aiunt, ipsum animal, & ipsum bipes? Cur enim homo non sit illa ipsa? neq; erũt homines participatione non vnius, sed plurium animalis, inquam & bipedis? omninoque non erit vnum quid homo, sed plura illa, animal, & bipes.

Perspicuum

CAPITIS SEXTI EXPLANATIO.

Quæstio. Cur principia rei, quæ definitioni respondent, sint vnum. Item cur numerus.

De a *dubitatione autem.*] Expositis hactenus principiis internis sensibilis substantiæ, agit hoc caput de eorum vnione, ex qua sensibilis substantiæ quiditas resultat. Qua in re primum proponit quæstionem, deinde soluit, tertio reiicit oppositas aliorum sententias. Quæstio igitur est; Quid sit in causa, cur definitio, hoc est, principia rei, quæ definitione significantur, itemque numeri, seu potius vnitates, ex quibus numeri constant, vnum sit: de qua re libro superiori cap. 12. & hoc ipso lib. cap. 3. dubitatum est.

b *Omnium enim quæ plures*] Causam dubitationis hanc esse ait Aristoteles, quia omnium, quæ sunt per se vnum, & non per accidens tantum, vt est aceruus, seu (*quod idem est*) in quibus totum non est partes ipsæ duntaxat, sed aliquid aliud præter partes absolute sumptas (*vt dictum est libro superiori cap.* 17.) causa est aliquid, subaudi, cur vnum sint, hoc est, cur partes vnum constituant, quo pacto contactus est causa vnitatis lapidum in parte, & tenacitas, causa vnitatis tabularum in mensa, quæ ex pluribus agglutinatis constat, & aliæ affectiones in aliis generibus totius Satis autem patet definitionem non dici vnum ratione solius coniunctionis, hoc est, Grãmaticæ copulationis, quo pacto historia belli Troiani potest dici vna, sed ea etiam de caussa, atque adeo præcipue, quia explicat naturam vnam. Quare cum definitio significet & genus & differentiam, quæ efficiunt vnum per se, dubium est, cur genus & differentia, cum plura sint, vnum tamen quid constituant. Eadem vero, imo & maior est dubitandi causa de numeris, si numerus est vnum per se. Est enim discretum quid, nihilque aliud esse videtur, quam vnitates ipsæ.

c *Præsertim si quid sunt.*] Augetur dubitatio, si vera sit opinio Platonis de separatione generis & differentiæ à specie, & à se inuicem, quæ separatio colligitur ex illius sententia de Ideis, vt

sæpe

sæpe dictum est. Difficilius est enim reddere rationem, cur res separatæ [illegible] vnum sint, quam si ponantur coniunctæ, quanquam & hoc non careat sua difficultate.

Φανερὸν δὲ δή, ὅτι οὕτω μὲν μετιοῦσιν, ὡς εἰώθασιν ὁρίζεσθαι καὶ λέγειν, οὐκ ἐνδέχεται ἀποδοῦναι καὶ λῦσαι τὴν ἀπορίαν. εἰ δ᾽ ἐστὶν ὥσπερ λέγομεν, τὸ μὲν ὕλη, τὸ δὲ μορφή, καὶ τὸ μὲν δυνάμει, τὸ δὲ ἐνεργείᾳ, οὐκέτι ἀπορία δόξειεν ἂν εἶναι τὸ ζητούμενον. ἔστι γὰρ αὕτη ἡ ἀπορία ἡ αὐτὴ κἂν εἰ ὁ ὅρος εἴη ἱματίου στρογγύλος χαλκός· εἴη γὰρ ἂν σημεῖον τοὔνομα τοῦτο τοῦ λόγου. ὥστε τὸ ζητούμενόν ἐστι, τί αἴτιον τοῦ ἓν εἶναι τὸ στρογγύλον καὶ τὸν χαλκόν; οὐκέτι δὴ ἡ ἀπορία φαίνεται, ὅτι τὸ μὲν ὕλη, τὸ δὲ μορφή. τί οὖν τούτου τὸ αἴτιον, τοῦ τὸ δυνάμει ὂν ἐνεργείᾳ εἶναι, παρὰ τὸ ποιῆσαν ἐν ὅσοις ἐστὶ γένεσις; οὐθὲν γάρ ἐστιν αἴτιον ἕτερον τοῦ τὴν δυνάμει σφαῖραν ἐνεργείᾳ εἶναι σφαῖραν· ἀλλὰ τοῦτ᾽ ἦν τὸ τί ἦν εἶναι ἑκατέρῳ.

ἔστι δὲ τῆς ὕλης ἡ μὲν νοητή, ἡ δ᾽ αἰσθητή· καὶ ἀεὶ τοῦ λόγου τὸ μὲν ὕλη, τὸ δ᾽ ἐνέργειά ἐστιν, οἷον ὁ κύ-

Perspicuum d *sane est*, [illegible] *tractanda res sit*, *vt à quibusdam* [illegible] *explicari consueuit*, *fieri non posse*, *vt reddatur* [illegible] *dissoluatur. Si* e *vero*, [illegible] *materia est*, *alterum forma* [illegible] *actu*, *nullus iam* [illegible] *quod quæritur. Est* f *enim dubitatio* [illegible] *ac si definitio vestis æs rotundum esset* [illegible] *enim hoc nomen huius rationis signum. Itaque* [illegible] *quod quæritur*, *huiusmodi est*, *quænam sit causa*, *cur æs*, *& rotundum vnum sint. Nec vero* [illegible] *præterea videtur proposita dubitatio*, *quia alterum materia est*, *alterum forma. Quid igitur huius rei causa est in iis*, *quæ gignuntur*, *vt id*, *inquam*, *quod potentia erat*, *actu sit præter id*, *quod fecit? Nulla enim alia est causa*, *cur id*, *quod potentia erat globus*, *esset actu globus*; *sed* g *hæc erat vtriusque quiditas.*

Est h *autem materia alia intelligibilis*, *alia sensibilis*; *& semper in ratione alterum materia est*, *alterum actus*, *vt cum circulus dicitur figura*

d *Perspicuum sane est.*] Respondet propositæ quæstioni. Ac primum quidem docet apud Platonem non solum difficile esse, sed etiam impossibile quæstionem dissoluere, quod ad definitiones attinet, cum ex eius sententia colligatur, genus & differentiam esse res per se subsistentes, & à se inuicem separatas. Quo loco videtur innuere, non solum apud Platonem, sed etiam simpliciter insolubilem esse quæstionem quoad numeros, si sumantur vt sunt in rebus ipsis, quo pacto nihil est, quod vnitates coniungat, & vnum efficiat. *Apud Platonem* [illegible] *tex. 15.* [illegible] *numeros.*

e *Si vero, vt asserimus.*] Docet, apud se quæstionem propositam nullam habere difficultatem, quippe ex cuius sententia colligi nequeat, genus & differentiam esse res separatas inter se, sed potius naturali quasi affectu coniunctas, cum sæpe dixerit, genus esse vt materiam, differentiam vero vt formam, quarum illa suapte natura potentia est, hæc vero actus & perfectio illius. *Responsio.*

f *Est enim dubitatio hæc.*] Affert exemplum more suo in artefactis. Estque sensus loci, perinde respondendum esse quæstioni propositæ, ac si quis quærat, cur æs rotundum, quod posset dici definitio vestis (nempe si nomen vestis imponatur toti composito, quod nomine caret) sit vnum quiddam, non potius plura, quemadmodum & vocabula ipsa. Dicendum est enim, causam esse, quia alterum vocabulum significat materiam & potentiam ad perfectionem artis, alterum ipsam formam, & perfectionem inductam. Quo fit, vt nihil opus sit quærere extra naturas materiæ & formæ, quid sit causa vnitatis eorum, quorum alterum vt materia se habet, alterum vt forma, & perfectio illius; cum perfectio, & id, cuius est perfectio & absolutio, naturaliter copulentur. Nisi quis velit adiungere causam efficientem vnitatis, seu vnionis, & (quod consequens est) finalem, vt si dicat causas etiam vnitatis æris cum rotunditate esse fabrum ærarium, & vsum ænei globi. Verum hæ causæ externæ non sunt vniuersales causæ vnitatis, cum in Mathematicis non dentur. [illegible]

g *Sed hæc erat vtriusque.*] [illegible]: Sed causa, quæ est simpliciter, & vniuerse reddenda, est quiditas & natura materiæ, & formæ, vt dictum erat.

h *Est autem materia alia.*] Docet, dictam causam reddendam esse non solum in iis, quæ gignuntur & intereunt, sed in omnibus omnino rebus, quæ naturam habent siue sensibilem, cuiusmodi sunt res omnes naturales, etiam si sint incorruptibiles, siue intelligibilem, quales sunt mathematicæ: semper enim in definitionibus rerum vtriusque generis cernitur materia, & forma: quæ inter se, vt dictum est, naturalem quasi affectum ad vnionem habent, vt in definitione animalis tale corpus, & talis anima, & in definitione circuli superficies recta, & figura rotunda. Itaq; causa, cur genus & differentia vnum quiddam sint, non ea redditur his verbis ab Aristotele, quia genus sit vt materia, & differentia, vt forma, sed quia semper in definitionibus [illegible] *tex. 16.*

huiusmodi rerum reperitur vera materia, & vera forma, quæ etsi sunt diuersa entia, nec de toto prædicantur, forma tamen suapte natura est perfectio materiæ. Videtur autem Aristoteles fecisse transitum à genere & differentia, ad veram materiam, & veram formam, duabus de causis; primum, quia vbi non est compositio ex vera materia, & vera forma, non videtur habere locum proposita dubitatio. Quis enim dubitet, cur genus & differentia coloris, qualitas, inquam, visibilis, sint vnum quid, cum ambo perspicue pro vna eademque qualitate sumantur. Et tamen multi dubitant, cur corpus & animatum, quæ sunt genus, & differentia viuentis, vnum constituant, cum videantur esse res diuersæ, tametsi re vera non sunt. Deinde, quia in iis, quæ ita constant genere & differentia, vt non constent vera materia & forma, non cernimus alteram rei partem ante aliam existere, vt cernimus in plurimis earum, quæ constant vera materia, & vera forma, in omnibus, inquam, quæ gignuntur & intereunt, in quibus quidem semper materia præcedit formam. In his autem ea ratione magis congruit genus cum vera materia, quam in cæteris, quia in his tantum videtur genus existere ante differentiam; quo pacto in generatione hominis prius existit corpus informatum anima viuentis, deinde animalis, & tandem hominis.

In quibus quæstio hæc sit perfectior.

ὁ κύκλος σχῆμα ἐπίπεδον. ὅσα i δὲ μὴ ἔχει ὕλην, μήτε νοητὴν, μήτε αἰσθητὴν, εὐθὺς ὅπερ ἕν τι εἶναί ἐστιν ἕκαστον, ὥσπερ καὶ ὅπερ ὄν τι, τὸ l τόδε, τὸ ποιὸν, τὸ ποσόν: διὸ m καὶ οὐκ ἔνεστιν ἐν τοῖς ὁρισμοῖς

figura plana. Quæcunque i vero neque sensibilem, neque intelligibilem materiam habent, statim eorum quodque quidquid est, vnum quoddam esse est, quemadmodum & quidquid est, ens quoddam est, hoc, l inquam, quale, quantum. Quare m neque ens, neque vnum in definitionibus insunt.

In quibus locum non habeat.

i *Quæcunque vero neque sensibilem.*] Docet, quæstionem propositam non habere locum in iis, quæ neque sensibilem, neque intelligibilem materiam habent. Et quantum primo aspectu apparet, videtur hanc rationem reddere. Quia non constant genere & differentia, sed statim eorum quodque sine vlla comparatione est vnum quoddam esse, hoc est, vnum quid, quemadmodum & ens quoddam. Atque hæc est expositio Alexandri, credentis, nomine materiæ intelligibilis significari etiam quæcunque genera. Verum, quia credendum non est, Aristotelem putasse, substantias separatas carere genere, vt libro duodecimo ostendemus; nec etiam dicendum est cum Alexandro, genera omnia comprehendi nomine materiæ intelligibilis, sed ea sola entia, quæ extensionem habent partis extra partem, vt diximus libro sexto, alio modo est locus exponendus. Sensus ergo est, Ea, quæ prorsus carent materia, non habere vnitatem ab alio formaliter, quemadmodum neque entitatem. Nihil enim in eis reperitur, quod sit pura potentia, ac proinde suapte natura accipiens formaliter entitatem ab alio, vt reperitur in rebus materialibus; sed quicquid in eis cernitur, est actus & forma, ac proinde ex se formaliter est ens & vnum. Hoc tamen non impedit, quo minus res immateriales constent genere, & differentia. Neque enim necesse est, vt genera omnia sint puræ potentiæ; quin etiam paucissima sunt huiusmodi, ea nimirum sola, quæ prædicantur in quæstione quid est de aliqua specie materiæ primæ, seu (quod idem est) quæ sunt materiæ primæ aptæ, vt diuidantur in plures species materias primas. Hæc autem videntur esse tantum duo; vnum materia prima in commune; alterum materia corporum incorruptibilium, quæ diuiduntur in tot species primarum materiarum, quot sunt corpora incorruptibilia specie diuersa, vt patebit libro decimo.

Quæ genera dicantur materia intelligibilis.

ca. 2. q. 6. sect. 1.

Quæ genera sint pura potentia.

l *Hoc, inquam.*] Id est, substantia actualis, quæ sola per se ponitur in prædicamentis. Quod autem Aristoteles connumerat qualitatem inter entia prorsus expertia materiæ, indicat, illum non negasse qualitates immateriales substantiarum separatarum, & animæ rationalis. Quod vero adiungit quantitatem, quæ tamen re vera sine materia non intelligitur, vel referri potest ad quantitatem, quatenus dicitur de numeris idealibus (dicebantur enim ideæ numeri quidam) vel ita late sumitur quantitas, vt de numeris rerum separatarum dicatur.

Agnouisse Arist. qualitates in substantiis separatis.

m *Quare neque ens.*] Elicit obiter ex proxime dictis, cur neque ens, neque vnum in definitionibus poni soleant. Neque enim in definiendo ascendunt Philosophi vltra genera summa. Causa igitur est, quia ens & vnum non sunt genera. Quod enim non sint differentiæ, perspicuum est. Quod autem non sint genera, ex similitudine generum summorum cum rebus immaterialibus colligendum esse vult. Nam quemadmodum substantiæ immateriales non constant pura potentia, & actu: ita neque substantia, qualitas, aut quantitas, ex genere & differentia. Quare si hæc non componuntur ex genere, satis liquet; neque ens, neque vnum esse genera: essent enim horum generum proxima. Et loquitur de vno, quatenus eandem naturam significat, quam ens, vt quarto libro, & alibi sæpe.

Ens & vnum cur nõ ponantur in definitionibus.

ὁρισμοῖς, οὔτε τὸ ὄν, οὔτε τὸ ἕν: καὶ τὸ n τί ἦν εἶναι εὐθὺς, ἕν τί ἐστιν, ὥσπερ καὶ ὄν τι. διὸ o οὐκ ἔνεστιν ἕτερόν τι αἴτιον τοῦ εἶναι ἓν οὐδενὶ τούτων, οὐδὲ τοῦ ὄν τι εἶναι: εὐθὺς γὰρ ἕκαστόν ἐστιν ὄν τι καὶ ἕν τι, οὐχ p ὡς ἐν γένει τῷ ὄντι καὶ τῷ ἑνί, οὐδ' ὡς χωριστῶν ὄντων παρὰ τὰ καθ' ἕκαστα.

Διὰ q ταύτην δὲ τὴν ἀπορίαν οἱ μὲν μέθεξιν λέγουσι, καὶ αἴτιον τί τῆς μεθέξεως, καὶ τί τὸ μετέχειν ἀποροῦσιν. οἱ δὲ r συνουσίαν ψυχῆς, ὥσπερ Λυκόφρων φησὶν εἶναι τὴν ἐπιστήμην τοῦ ἐπίστασθαι καὶ ψυχῆς. οἱ δὲ s σύνθεσιν ἢ σύνδεσμον ψυχῆς, σώματι

insunt, ipsaque n quidditas statim vnum quid est, quemadmodum & ens quiddam. Quo o fit, vt nihil aliud sit causa, cur nullum horum sit vnum, aut ens: statim enim vnumquodque ens quoddam, & vnum quiddam est, nec p sunt in ente, & vno vt in genere, neque vt separata, præter singularia.

Ob q hanc autem dubitationem quidam participationem, & participationis causam quandam aiunt; verum quid sit participatio, addubitant: alii r animæ copulationem; quo pacto Lycophron scientiam copulationem ipsius scire, & animæ dicit: alii s ipsum corporis viuere, compositionem, aut

n *Ipsaque quiditas.*] Si hoc nomine significat formam, vt sæpe, sensus est, formam vt non est vnum per compositionem ex puta potentia, & actu, ita neque ens. Si vero intelligit essentiam in commune, prout cum ente conuertitur, quod magis cohæret cum verbis proxime præcedentibus, sensus est. Quemadmodum nec ens, neque vnum sunt abstracta à generibus summis, sed eorum nomina immediate significant ipsa genera summa; ita nomen quiditatis immediate significare ipsas quiditates generum summorum.

o *Quo fit, vt nihil aliud.*] Sunt, qui hoc referant ad causam efficientem, vt Aristoteles hic colligat, res materiæ expertes carere causa efficiente per motum, quæ tamen concessa fuerat paulo ante rebus caducis, vt efficiens vnitatis earum. Videtur tamen Arist. intelligendus de causa formali vnitatis & entitatis earum, quasi dicat; causam huiusmodi in harum rerum genere non esse aliud quidpiam ab ipsis rebus, vt in rebus compositis ex materia & forma (*est enim forma aliud à composito*) sed quamque ipsarum per se ipsam primo esse ens, & ex consequenti vnum. Tametsi ex hoc pronuntiato illud aperte sequitur.

p *Nec sunt in ente, & vno.*] Duo negat, quorum opposita Plato affirmabat; alterum res materiæ expertes esse in ente & vno, tanquam in genere, quod ex dictis sequitur; alterum esse separatas, & præter singularia, quod Plato de Ideis censebat. Adeo enim hoc posterius sibi persuadet Arist. vt putet, species rerum immaterialium non solum re, sed ne ratione quidem distinctas esse à suis singularibus, ac proinde non plura esse earum indiuidua, quam species.

q *Ob hanc autem dubitationem.*] Reiicit oppositas aliorum sententias de causa vnitatis principiorum sensibilis substantiæ, materiæ, inquam, & formæ, recitatis primum quorundam ea de re opinionibus. Aiunt enim Platonici, participationem esse causam, cur vnum fiat causamq; etiam ipsius participationis adiungunt. Verum quid sit participatio, addubitant hoc est, satis explicare nequeunt. Dicunt enim, homines particulares, quos materiæ nomine appellant, propter participationem hominis communis, quem formam, siue ideam nuncupant, esse idem cum illo: adduntq; causam ipsius participationis hanc esse, vt homines particulares & sint, & modo aliquo sub scientiam cadant. Sed cum ab eis quæritur quid sit ipsa participatio, exponere quidem conantur, sed non omnino satisfaciunt rogantibus: siue enim dicant esse imitationem exemplaris, siue quiduis aliud, non satis videntur reddere causam, cur particularia sint vnum & idem cum cõmuni.

r *Alii vero animæ copulationem.*] Lycophron sophista dicebat, copulationem esse causam vnitatis materiæ cum forma; quo pacto scientia, quam aiebat esse copulationem animæ cum ipso scire, videtur causa vnitatis vtriusque. Quod si scire hic sumeretur pro actu sciendi, non absque verisimilitudine aliqua loqueretur Lycophron. Habitus enim est medium quid inter potentiam & actum; at cum non videatur sumi pro sciendi actu, sed habitu, vt semper copulatio, & ea, quæ copulantur, intelligantur esse simul; crediderim potius locum corruptum esse à librariis, commutatione verborum scire, & scientiæ, vt sic legendum esset [*Quo pacto Lycophron ipsum scire copulationem scientiæ & animæ esse dicit.*] In eandem enim formam sequuntur cætera exempla contextus, & Arist. paulo post ait, eandem esse rationem in omnibus.

s *Alii ipsum viuere.*] Erãt, qui dicerent ipsum viuere esse vinculũ aut cõpositionem animæ cũ corpore, quia tandiu anima esset vnita corpori, quãdiu corpus viueret. Quid aũt intersit inter copulationẽ, vinculũ, & cõpositionem, sic videtur exponendũ, vt copulatio intelligatur media inter copulata, veluti gluten inter tabulas agglutinatas, vinculũ vero aliquid extrinsecus adhærẽs, ac vniens; cõpositio aũt pura cõiunctio eorũ, quæ ante separata erãt; quo pacto lapides quadri, qui pariete absq; calce aut alia media materia cõficiunt, dicũtur cõpositi in pariete, aut parietẽ componere. Atq; his trib. modis significatur omnis ratio vniẽdi res, quæ ante erãt actu diuisæ à se inuicem.

[illegible] Res immateriales [illegible] Non esse separata à singularibus. [illegible] materia, & forma vnum fit. Quam Lycophron. Quam alii veteres Philosophi.

cem. Vniuntur enim aut re alia interiecta, vel extrinsecus stringente, aut sola coniunctione alterius cum altera.

σώματι τὸ ζῆν. καίτοι t ὁ αὐτὸς λόγος ἐπὶ πάντων. καὶ γὰρ τὸ ὑγιαίνειν ἔσται ἡ συνουσία : ἡ σύνδεσμος, ἡ σύνθεσις ψυχῆς καὶ ὑγιείας : καὶ τὸ τὸν χαλκὸν εἶναι τρίγωνον, σύνθεσις χαλκοῦ καὶ τριγώνου· καὶ τὸ λευκὸν εἶναι, σύνθεσις ἐπιφανείας καὶ λευκότητος. αἴτιον u δ᾽ ὅτι δυνάμεως καὶ ἐντελεχείας ζητοῦσι λόγον ἑνοποιὸν καὶ διαφοράν. ἔστι δ᾽, ὥσπερ εἴρηται, καὶ ἡ ἐσχάτη ὕλη καὶ ἡ μορφὴ ταὐτό, τὸ μὲν δυνάμει, τὸ δὲ ἐνεργείᾳ. ὥστε ὅμοιον τὸ ζητεῖν τοῦ ἑνός τι αἴτιον, καὶ τοῦ ἓν εἶναι : ἓν γάρ τι ἕκαστον : καὶ τὸ x δυνάμει καὶ τὸ ἐνεργείᾳ ἕν πως ἐστιν. ὥστε αἴτιον οὐδὲν ἄλλο πλὴν εἴ τι ὡς κινῆσαν ἐκ δυνάμεως εἰς ἐνέργειαν. ὅσα y δὲ μὴ ἔχει ὕλην, πάντα ἁπλῶς ὅπερ ὄντα τι.

aut vinculum animæ asserunt. Atqui t eadem est in omnibus ratio: etenim ipsum sanum esse, animæ, & sanitatis aut copulatio, aut vinculum, aut compositio erit; & æs esse triangulum compositio erit æris, & trianguli, item album esse vnum, compositio superficiei, & albedinis. Causa u vero est, quia potentiæ, & actus rationem vnientem, & differentiam quærunt. Materia autem vltima, & forma, vt dictum est, idem sunt; illud quidem potentia, hoc autem actu. Itaque vnius causam aliquam, & cur vnum sit, quærere non differunt: quodlibet enim vnum quippiam est; & x quod potentia est, & quod actu, vnum quodammodo sunt. Quare causa alia nulla est, nisi vt id, quod ex potentia in actum mouit. Quæ y autem materiam non habent, ea omnia simpliciter quod quid sunt.

Refutantur omnes. t. *Atqui eadem est ratio.*] Refutat propositas sententias. Cum enim eadem sit ratio in omnibus, cur forma & materia vnum efficiant: etsi in quibusdam dubium esse potest, sitne vera aliqua ex prædictis sententiis, vt in vnione animæ cum corpore (de hac enim, quo pacto fiat, alii aliter senserunt; quibusdam dicentibus, animam copulari cum corpore, interueniente quadam substantia media, aliis coniunctione sola, & aduentu ante existentis animæ in corpus præparatum,) tamen de quibusdam perspicua res est, non posse vnitatis causam ad aliquid ex tribus prædictis reuocari. Valere enim nec copula esse potest valetudinis cum anima, hoc est, cum re animata, nec etiam vinculum, cum sit potius effectus valetudinis existentis in animali, & ex consequenti posterius quid suapte natura vnione vtriusque. Nam quod non sit compositio, ex eo patet, quia compositio hoc saltem habet, vt nō sit nisi eorum, quæ ante separata fuerunt, vt dictum est. Quo eodem modo est perspicuum, nec triangulum esse, posse dici causam, cur æs, & figura trianguli sint vnum; nec album, cur albedo & superficies sint vnum; siue hæc dicantur copulationes, siue vincula, siue compositiones. Hæc breuiter potius insinuat Arist. quam aperte docet, significans verbo [*Erit*] adeo perspicua absurda in his exemplis posse cerni contra prædictas sententias, vt explicatione non egeant.

Quæ omnib. fuerit causa errandi. u. *Causa vero.*] Tradit causam erroris dictorum Philosophorum. Ea vera est, quia quærebant rationem aliam, causamve venientem potentiæ & actus præter efficientem, aliam, inquam, ab ipsa natura potentiæ & actus; id quod faciebant, quia perinde quærebant, ac iudicabant de differentia potentiæ & actus, ac si forent res penitus diuersæ, & quæ non essent ad vnionem naturaliter propensæ. Est autem id falsum, quia vltima materia, hoc est, vltima præparatione disposita, & forma, quæ præbet rei speciem, idem sunt quodammodo (*vt paulo post exponitur*) hoc est, vnum & idem ex seipsis conficiunt. *Vnitatis rerum material. quæ sit vera causa.* Quare cum nulla alia sit quærenda causa vnitatis rerum, quam est entitas earum: (*est enim vnitas entitatis proprietas, quæ simul eadem generatione conficitur*) entitatis autem nulla præterea causa quæratur, nisi efficiens, & quæ ex ea sequitur, finalis: ridiculum sane est aliam quærere vnitatis præter ipsam potentiam materiæ, & perfectionem actus, quæ nimirum ab efficiente & fine diuersa sit.

Ens prius potentia, postea actu, idem est. x *Quod autem potentia est.*] Hoc est, potentia ipsa & actus. Nam ens, quod modo potentia est, modo vero actu non quodammodo tantum, sed prorsus idem est. Idem enim ignis numero est, qui ante fuit potentia, & postea factus est actu, tametsi ex hac perfecta identitate nascitur identitas illa inchoata potentiæ & actus, siue materiæ & formæ, ex quibus vnitas, ac identitas rei compositæ conficitur, cum ad eam naturaliter dirigatur.

Quam causam effic. vnitatis rerum neget Arist. rebus immaterial. y. *Quæ autem materiam.*] Repetit, id quod de causa vnitatis rerum prorsus materialium dixerat, videlicet non esse in eis quærendam causam vnitatis ab illis diuersam, siue internam, siue externam, mouentem ex potentia in actum, vt proxime dixerat, hoc est, disponentem potentiam ad introductionem actus. Ex quibus verbis planius intelliges, cum Aristot. paulo ante negauit causam efficientem rerum immaterialium, de mouente sola intelligendum esse necessario, non de quouis modo producente, vt diximus.

COMMENTARII PETRI FONSECÆ SOCIETATIS IESV,

IN NONVM LIBRVM METAPHYSICORVM ARISTOTELIS.

Procemium.

EXPEDITA est adhuc disputatio de ente, vt diuiditur in decem prædicamenta. Tametsi solum ferme primum genus ea ratione explicatum est, quod cætera ratione illius & sint, & dicantur entia, & ipsius natura perspecta de iis sorsim agere non videbatur necesse. Nunc vero, id est, toto hoc libro eam diuisionem entis persequitur Aristoteles, quam lib. 5. cap. 7. post superiorem proxime proposuerat, nempe, qua illud in potentiam, & actum distinguitur. Quæ diuisio non modo complectitur genera omnia superiora, sed in singulis etiam certa quadam ratione reperitur. Et quoniam potentia in naturalibus (à quibus ad supernaturalia gradum facimus) generationis ordine prior est actu, agit primum Aristoteles de potentia vsque ad fin. 5. cap. tum cap. 6. & 7. de actu, postremo in reliquis de comparatione potentiæ, & actus inter sese. libri. Text. 14.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ
τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ
τὸ Θ.

ΚΕΦ. Α.

ΠΕρὶ a μὲν οὖν τοῦ πρώτως ὄντος, καὶ πρὸς ὃ πᾶσαι αἱ ἄλλαι κατηγορίαι τοῦ ὄντος ἀναφέρονται, εἴρηται, περὶ τῆς οὐσίας. κατὰ b γὰρ τὸν τῆς οὐσίας λόγον λέγεται τἆλλα ὄντα, τό, τε ποσὸν καὶ τὸ ποιὸν, καὶ τἆλλα τὰ οὕτως λεγόμενα: πάντα c γὰρ ἕξει τὸν τῆς οὐσίας λόγον, ὥσπερ εἴπομεν ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις. ἐπεὶ d δὲ λέγεται τὸ ὂν, τὸ μὲν τὸ τί, ἢ ποιὸν, ἢ ποσὸν, τὸ δὲ κατὰ δύναμιν, καὶ ἐντελέχειαν, e καὶ κατὰ τὸ ἔργον, διορίσωμεν καὶ περὶ δυνάμεως καὶ ἐντελεχείας καὶ f πρῶτον περὶ δυνάμεως, ἣ λέγεται μὲν μάλιστα κυρίως, οὐ μὴν g χρησίμη ἐστὶ πρὸς ὃ βουλόμεθα νῦν. ἐπὶ πλέον γάρ ἐστιν ἡ δύναμις καὶ ἡ ἐνέργεια τῶν μόνον λεγομένων κατὰ κίνησιν. ἀλλ᾽ εἰπόντες περὶ ταύτης ἐν τοῖς περὶ τῆς h ἐνεργείας διορισμοῖς, δηλώσομεν καὶ περὶ τῶν ἄλλων.

ὅτι

ARISTOTELIS
Metaphysicorum
Lib. IX.

CAPVT I.

AC a de primo quidem ente, & ad quod cætera omnia entis prædicamenta referuntur, dictum est; de ipsa, inquam, substantia. Namque b ratione substantiæ cætera dicuntur entia, & quantum, & quale, & reliqua, quæ hoc modo dicuntur. Omnia enim substantiæ c rationem habebunt, vt in primis sermonibus diximus. Sed d quoniam ens partim dicitur quid, aut quale, aut quantum, partim potentia, & actu, e atque ab opere; de potentia quoque, & actu differemus; ac f primum de potentia, quæ maxime proprie dicitur, tametsi ad id, quod nunc volumus, vtilis g non est. Plura enim complectuntur potentia, & actus, quam quæ solum ex motu dicuntur. Cæterum de hac cum dicemus in h disputationibus de actu de aliis etiam explicabimus.

Quod.

CAPITIS PRIMI EXPLANATIO.

A *Ca de primo quidem.*] Facit transitum initio libri ab iis, quæ in superioribus duobus tractauerat ad explicationem entis potentia, & entis actu, quæ in hoc ipso expedienda sunt.

b *Namq; ratione substantiæ*] Hoc probatum est initio quarti, & septimi.

c *Substantiæ rationem habebunt*] Id est, si omnino resoluantur eorum definitiones, rationesve rationem substantiæ continebunt. Text. 1.

d *Sed quoniam ens.*] Etsi Aristoteles lib. 5. cap. 7. inter has duas diuisiones eam distinctionem inseruit, qua Verum dicitur ens, & Falsum non ens, (*quæ etiam quasi genera quadam suas quodammodo habent species*) hic tamen merito prætermissa est, quod ens hoc pacto sumptum non sit ens reale, sed rationis, & vtrunque ad prædicamenta ipsa suo quodque modo reuocetur. Text. 14.

e *Actu, atque ab opere.*] Duobus nominibus æque significari solet actus apud Aristot. dicitur

enim & ἐντελέχεια, & ἐνέργεια; sed quia verbum ἐνέργεια ὠπὸ τ̃ ἔργου, hoc est, ab opere deducitur, idcirco Aristot. vitandæ similitudinis causa non dixit hoc loco, κ̀ ἐντελέχειαν κ̀ ἐνέργειαν, sed κ̀ ἔργον, quasi dixerit, Et eo nomine, quod ab opere ducitur, quod nomen est ἐνέργεια. Sed de vi vtriusque verbi, & quodam significationis eorum discrimine, inferius non nihil dicemus. Quo fit, vt non recte sentire videantur, qui hoc loco nomen actus & nomen operis, pro eodem posita sentiunt; cum opus minus late pateat, quam actus, etsi nomen τ̃ ἐνεργείας quod ab ope deductū est, omnia actuum genera complectatur.

f *Ac primum de potentia.*] Cum potentia, & actus duobus modis sumi possint; vno, vt contracta sunt ad res mobiles, siue naturales; altero, vt in rebus etiam immobilibus inueniuntur, ratio autem philosophandi postulet, vt ea, quæ sunt in rebus immobilibus, ex mobilibus inuestigentur, merito ait Arist. se prius explicaturum in hoc libro potentiam cum motu coniunctam, actumque ei respondentem (*quod subaudiendum est*) quam differat de potentia & actu, quatenus ad immobilia etiam pertinent, quod ex proprio instituto faciet lib. 12. præsertim cum potentia in communi vsu maxime proprie dicatur de potentia, quæ cernitur in rebus mutationi subiectis, vt hic ait Arist. Qua ex re illud obiter colligi potest, plane cognouisse Arist. potentiam effectiuam sine motu, quod quidam Philosophiæ deprauatores negant. Etenim propter hanc potissimum, & actum ei respondentem, docet hoc loco latius patere potentiam, quam potentiam naturalem, & actum etiam, quam naturalem actum, seu cum motu coniunctum. Alexander tamē in huius loci expositione variat, nec verum sensum attingit. Illud interim aduerte, etsi Arist. ad lib. 12. differt propriam & peculiarem explicationem eius actus & potentiæ, quæ cum motu coniuncta non sunt, in hoc tamen libro cum de actu physico differit, nonnulla de illorum vtroque attingere, vt cap. 6. patebit: quod idem hic pollicetur, cum ait, Cæterum de hac, & quæ sequuntur.

Cognouisse Arist. potentiam effectiuam sine motu.

g *Vtilis non est.*] Potentia, quæ cernitur in rebus materialib', dicitur non esse vtilis ad hanc tractationem, non quia vtilis non sit, sed quia non est vtilis quasi propria solius Metaphysici, quod idem intellige de proprio actu, quem respicit: alioqui vtilem esse vel hic ipse liber satis declarat, quem Arist magna ex parte in ea explicanda ponit. Hinc iudicat Alexander verbum [*vtilis*] pro admodum vtili accipiendum. Quod si non esset tanta consensio codicum legentium ὀ μὴν χρησίμη, probaremus lectionem veteris cuiusdā manu scripti habentis pro χρησίμη χρησιμωτάτη, id est, vtilissima. Dici quoque potest potentia physica non vtilis huic tractationi, quia, si sola ea intelligatur in diuisione entis in actum, & potentiam, non exhauriet vtique totam entis, vt ita dicam, potentialitatem; quemadmodum neque actus ei respondens totam eiusdem actualitatem. Itaque quod ad hanc diuisionem attinet, non est vtilis, etsi alioqui sit non parum vtilis.

Vt sit, aut non sit vtilis huic tractationi potentia rerum naturalium.

h *In disputationibus de actu.*] Vocat librum hunc disputationes de actu, quia etsi in eo de potentia physica & actu physico differit, asscribit tamen tractationem soli actui, quod actus, & perfectior sit, & absolute notior.

ὅτι μὲν οὖν λέγεται πολλαχῶς ἡ δύναμις, καὶ τὸ δύνασθαι, διώρισται ἡμῖν ἐν ἄλλοις τούτων δ' ὅσαι μὲν ὁμωνύμως λέγονται δυνάμεις, ἀφείσθωσαν. ἔνιαι γὰρ ὁμοιότητί τινι λέγονται, καθάπερ ἐν γεωμετρίᾳ καὶ δυνατὰ καὶ ἀδύνατα λέγομεν τῷ εἶναί πως, ἢ μὴ εἶναι. ὅσαι δὲ πρὸς τὸ αὐτὸ εἶδος, πᾶσαι ἀρχαί τινές εἰσι, καὶ πρὸς πρώτην μίαν λέγονται, ἥ ἐστιν ἀρχὴ μεταβολῆς ἐν ἄλλῳ ἢ ᾗ ἄλλο. ἡ μὲν γὰρ τοῦ παθεῖν ἐστὶ δύναμις, ἡ ἐν αὐτῷ τῷ πάσχοντι ἀρχὴ μεταβολῆς παθητικῆς ὑπ' ἄλλου ἢ ᾗ ἄλλο. ἡ δὲ ἕξις ἀπαθείας τῆς ἐπὶ τὸ χεῖρον, καὶ φθορᾶς τῆς ὑπ' ἄλλου ἢ ᾗ ἄλλο, ὑπ' ἀρχῆς μετα-

Quod i igitur potentia, ipsumq́, posse multis modis dicatur, alibi à nobis definitum sit. Et ea quidē potentia, quæ æquiuoce dicuntur, omittantur. Nonnulla enim simili udine quadam dicuntur: quo pacto in Geometria & possibilia, & impossibilia dicimus, quod modo aliquo sint, aut non sint. Quætunq; vero ad eandem speciem pertinent, ea omnia principia quædam sunt, & ad vnam primā dicuntur: quæ principiū est mutationis in alio, quatenus aliud est. Quædā enim est patiendi potentia, quæ in patiente ipso principiū mutationis passiua est ab alio, quatenus aliud est. Quædā vero habitus impassibilitatis in deterius, eius q; corruptionis quæ ab alio mutandi prin-

i *Quod igitur potentia*] Aggreditur disputationem de potentia, de qua quidem secundum se sumpta, deque opposita impotentia differit in hoc cap. In secundo autem de eadem, quatenus inuenitur in his, aut illis rebus; denique in duobus sequentibus de eius distinctione ab actu. Perstringit ergo paucis, quot modis dicatur potentia, reiciens lectorem ad lib. 5. in quo eius multiplicitatem c. 12. explicauit. Ac primum excludit ab hac disputatione potentias, & impotentias æquiuoce dictas cuiusmodi est potentia, & impotentia, ex qua dicimus possibile esse diametrum quadrati duplum quadratum conficere, impossibile autem lateri commensurati; possibile esse hominem esse animal. impossibile esse lapidem; neque enim aut diameter dicitur posse quadratum conficere, aut homo esse animal per aliquam, aut possiuam aliquam potentiam veram ac realem,

Text. 2.

Text. 17.

Quæ sint potentia æquiuoce dicta.

[illegible], quæ in eis sit ad talem actum; sed per quandam conue[illegible], aut repugnantiā terminorum, vt vocant, quæ translatitie dicitur potentia. Denique [illegible] assumit ad disputationem futuram potentias eas, quæ non æquiuoce, sed analogice [illegible], utpote à quibus res vere ac realiter posse agere, aut pati dicuntur, veluti ignis calefacere, & aqua calefieri, quæ aut simpliciter agendi vel patiendi, aut bene agendi, vel bene patiendi principia dicuntur. Atq; has omnes (quas ait ad eandem speciem pertinere, eo quod proprie dicantur, non translatitie, docet eam habere analogiam inter se, vt ad actiuam simpliciter, quæ est principium agendi in alio, vt aliud est, referantur cæteræ. Quæ omnia ex iis, quę loco citato dicta sunt, facile intelligi possunt. Ex quo supplendam esse vult Arist. in definitionibus potentiarum actiuæ & passiuæ particulam [*Aut*] vt sensus sit, potentiam actiuam esse principium mutationis in alio, aut quaten⁹ aliud est, vt est scriptum eo loco, & exemplo medici se ipsum curantis explicatum. Illud forsitan miretur aliquis, cur doceat hoc loco potentias, quas hic reiicit, non dici analogice potentias, sed tantum æquiuoce; nam quæ similitudine dicuntur talia, analogice dicuntur, vt patet ex iis, quæ de analogis lib. 4. exposita sunt; at potentia Mathematica, & Logica dicuntur quadam similitudine, vt ipse author hic affirmat Sed dicendum est pressius hic accipi analogorum nomen quam cum de toto genere analogorum disputatū est, nempe pro iis tantum, quæ non figurate dicuntur talia, sed proprie: ac merito quidem id fieri, quemadmodum in 5. etiam lib. factum est, cum potentiæ analogia explicaretur: neq; enim ad Metaphysicum attinet de potentiis improprie dictis disputare, quemadmodum nec de improprie dictis causis, aut effectibus & huiusmodi aliis.

Reliquas omnes ha[illegible] analog[illegible] ad pot. act.

[illegible]

Cur quasdam poten[illegible] Arist. [illegible] analogice, [illegible] æquiuoce [illegible].

l *Quadam vero habitus impassibilitatis.*] De hoc genere potentiæ, quod etiam loco citato attulit illud intelligendum est, posse eam ad actiuam reuocari: quæ enim resistunt, quatenus aut omnino non cedunt, aut parum, & cum difficultate cedunt, suo quodam modo agere censentur, cum lædentium actionem impediant, tametsi re vera non agant: quo pacto qualitas ea, quam Theologi dotem impassibilitatis appellant, omnino impediet, ne beata corpora ab iniuriis elementorum quicquam patiantur, & durities adamantis in causa est, vt ille difficile admodum frangatur Reliqua ex eodem loco lib. 5. perspicua sunt.

c. 12. [illegible] 17. Potentiam resistendi posse ad actiuam reuocari.

βλαπτικῶς. ἐν γὰρ τούτοις [illegible] πᾶσι τοῖς ὅροις ὁ τῆς πρώτης δυνάμεως λόγος. πάλιν δ' αὗται αἱ δυνάμεις λέγονται, ἢ τοῦ μόνον ποιῆσαι, ἢ τοῦ παθεῖν, ἢ τοῦ καλῶς. ὥστε καὶ ἐν τοῖς τούτων λόγοις ἐνυπάρχουσί πως οἱ τῶν προτέρων λόγοι δυνάμεων.

φανερὸν m οὖν ὅτι ἔστι μὲν ὡς μία δύναμις τοῦ ποιεῖν καὶ πάσχειν (δυνατὸν γὰρ ἐστι καὶ τῷ ἔχειν αὐτὸ δύναμιν τοῦ παθεῖν, καὶ τῷ ἄλλο ὑπ' αὐτοῦ) ἔστι δὲ ὡς ἄλλη: ἡ γὰρ ἐν τῷ πάσχοντι, διὰ γὰρ τὸ ἔχειν τινὰ ἀρχὴν, καὶ εἶναι καὶ τὴν ὕλην ἀρχήν τινα, πάσχει τὸ πάσχον, καὶ ἄλλο ὑπ' ἄλλου. τὸ λιπαρὸν μὲν γὰρ καυστὸν: τὸ δ' ὑπεῖκον ὡδὶ θλαστόν: ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. ἡ δ' ἐν τῷ ποιοῦντι, οἷον τὸ θερμὸν, καὶ ἡ οἰκοδομική, ἡ μὲν ἐν τῷ θερμαντικῷ, ἡ δ' ἐν τῷ οἰκοδομικῷ. διὸ ᾗ συμπέφυκεν, οὐθὲν πάσχει αὐτὸ ὑφ' ἑαυτοῦ: ἓν γὰρ, καὶ οὐκ ἄλλο.

principio quatenus aliud est, prouenit. In his enim omnibus definitionibus prima potentiæ ratio inest. Rursus autem hæ potentiæ aut faciendi solum, patiendive, aut benefaciendi, patiendive dicuntur. Quo fit, vt rationibus quoq; harum modo aliquo insint priorum potentiarum rationes.

Patet m igitur modo quodam vnam esse faciendi, & patiendi potentiam, (est enim aliquid potens, & quia ipsum habet patiendi potentiam, & quia aliud ab ipso) alio vero aliam Nam quædam in patiente est. Etenim quia principium quoddam habet, & quia materia principium quoddam est, patitur id, quod patitur, & ab alio aliud. Pingue enim combusti potest, & quod hoc modo cedit, premi potest. Eodemque modo res habet in cæteris. Quædam vero est in faciente, vt calefacti, vel & ædificandi, illa quidem in eo, quod calefacere, hæc vero in eo, quod ædificare potest. Quare o nihil quatenus congenitum est, ipsum à se ipso patitur. Vnum est enim, & non aliud.

m *Patet igitur.*] Auerroes putat colligi ab Arist. hoc loco potentiam actiuam & passiuam posse respectu diuersorum esse vnam subiecto, hinc in eodem subiecto, vt sunt ea, qua aer humectat terram, & ea, qua idem calefit ab igne; eiusdem vero respectu non posse eandem esse subiecto. Sed obstat quod idem agere potest in illud idem, à quo patitur, nec solum secundum diuersas qualitates sed etiam secundum eandem; vt patet in re calida, quæ secundum calorem simul agit in frigidam, & à frigida patitur. Accedit, quod hoc consectarium non colligitur de potentia actiua & passiua disparatis, cuiusmodi est potentia humectandi, & patiendi calorem, sed de actiua & passiua sibi mutuo respondentibus, vt de actiua caloris, & passiua eiusdem. Dicendum igitur has potentias esse quodammodo vnam, & eandem, vel quia conspirant in vnum & eundem motum, qui ab vna infertur ab altera suscipitur, vt Alexander exponit; vel quia sese mutuo respiciunt, vt ait D. Th. aut potius, seu clarius, vt Alensis scribit, quia inuicem se connectunt & in agendo & patiendo à se inuicem modo aliquo pendent, quatenus altera sine altera nihil

Potentiam actiuā & passiuā esse quodā modo eand.

nihil agit, aut patitur; ideo enim inquit, hoc potest fieri, quia aliud potest facere, aliud vero pati. Esse autem modo alio, atque adeo simpliciter, diuersas ex eo probatur, quia & ratione, & subiecto diuersæ sunt. Ratione quidem, quia definitiones actiuæ & passiuæ potentiæ diuersæ sunt; subiecto autem, quia actiua est in agente, passiua in patiente: nec res eadem potest in se ipsam proprie ac per se agere, nisi forsitan secundum aliam, & aliam partem, quo etiam modo necesse est, vt agendi & patiendi potentiæ subiecto sint diuersæ. Esse autem patiendi potentiam in patiente ex eo probat Arist. quia aliquod principium intrinsecum esse debet in eo, quod patitur vt patiatur; alioqui nihil pateretur ab agente: principium autem tale nihil est aliud, quam potentia passiua; quod similiter de actiua dicendum esse ait. Hinc fit, vt cœlum non incendatur ab igne proximo, quia non habet in se principium patiendi calorem: nec substantiæ separatæ locum repleant, quia non habent molem corporea, quæ sola capax est replendi locum. Cum autem materia sit primum principium passiuum mutabilitatis, ab ea prouenire docet Arist. vt omne id, in quo ipsa existit, sit passibile ac mutabile.

Esse simpliciter diuersas, &c. passiuam esse in patiente, actiuam in agente.

Quidquid habet materiam esse mutabile.

n *Et quia aliud ab ipso.*] Ne sic intelligas [*Quia aliud ab ipso habet potentiam*] sed [*Quia aliud ab ipso pati potest*] significatur enim his verbis actiuam potentiam in agendo à passiua suo modo pendere, vt ex Alensi diximus.

o *Quare nihil.*] Ex eo quod dixerat, potentias agendi & patiendi sibi mutuo respondentes esse in diuersis subiectis, colligit nihil pati à se ipso, quatenus congeneum est, id est, eiusdem naturæ ac conditionis in omnibus partibus, quod idem dicitur similare. Vnum enim, inquit, est, & non aliud atque aliud, non solum ratione continuitatis partium inter se, quæ datur etiam in dissimilaribus, sed etiam ratione qualitatum earundem: vbi autem eædem qualitates sunt non potest dari actio & passio vnius partis in aliam. Atque hoc vocat hic Alexander continuum (*quasi dicat verissime continuum*) quia nec qualitatum quidem, vt ita dicam, contiguitas, in eo cernitur. Bessario pro eo, quod græce est ᾗ συμπέφυκεν, reddit, quatenus connaturale est, magis sane ad verba: quam ad sensum: connaturalia enim sunt os & caro, quæ tamen in se mutuo agunt: quia non sunt congenea.

Nihil quatenus congeneum pati à se ipso.

καὶ ἡ p ἀδυναμία καὶ τὸ ἀδύνατον, ἡ τῇ τοιαύτῃ δυνάμει ἐναντία, στέρησίς ἐστιν. ὥστε τοῦ αὐτοῦ καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ πᾶσα δύναμις καὶ ἀδυναμία. ἡ δὲ στέρησις λέγεται q πολλαχῶς· καὶ γὰρ τὸ μὴ ἔχον, καὶ τὸ πεφυκὸς ἂν μὴ ἔχῃ, ἢ ὅλως, ἢ ὅτε πέφυκε, καὶ ἢ ὡδί, (οἷον παντελῶς) ἢ κἂν ὁπωσοῦν, ἐπ' ἐνίων δέ, ἂν πεφυκότα ἔχειν μὴ ἔχῃ βίᾳ, ἐστερῆσθαι ταῦτα λέγομεν.

Iam p *impotentia, & impotens, & quæ est tali potentia contraria, priuatio est. Itaque eiusdem, & per idem potentia est omnis, & impotentia. Priuatio autem multis* q *modis dicitur. Nam & quod non habet, & quod aptum natura est, si non habeat, aut omnino, aut quando natum est, aut certo quodam modo (veluti omni ex parte) aut vtrumque: in quibusdam vero, si natura sunt apta, vt habeant, & vi non habeant: hæc priuata esse dicimus.*

p *Iam impotentia.*] Disserit de impotentia, quam affirmat esse priuationem eius potentiæ, de qua est actum, non illius metaphoricæ, quæ cernitur in Mathematicis rebus, & pronuntiatis dialecticis; eodemque modo impotens id esse, quod prædicto genere potentiæ præditum est. Quare cum priuatio & habitus circa idem versentur, & secundum idem spectentur, vt visus, & cæcitas circa colorem & in oculis, efficitur, vt potentia & impotentia opposita eandem legem subeant. Itaque potentiæ calefaciendi non alia impotentia respondebit, quam calefaciendi, & sic in cæteris.

Potentiam, & impotentiam priuatiue oppositam, in eod. esse, & circa idem versari.

q *Multis modis.*] Ex tam multis generibus priuationum, quæ tradi solent, innuit hoc loco posse colligi, quam multa possint assignari impotentiarum genera; alio enim modo dicitur lapis habere impotentiam videndi, quod ne naturam quidem habeat capacem videndi facultatis; alio homo cæcus siue in ipso etiam matris vtero, siue eo iam tempore, quo videre poterat, quod etsi naturam habeat ad videndum idoneam, nec eis tamen in ea re beneficio fruatur; alio is, qui vtroque orbatus oculo est, quod nihil penitus videre possit; alio, qui luscus sit, parumque videat: alio denique peculiari ratione is dicitur ad videndum impotens, cui vi adhibita impeditur videndi vsus, vt si cui opeciantur oculi, aut fenestræ claudantur, quod in his omnibus diuersa sit ratio priuationis, aut potentiæ, aut eius vsus.

Varia impotentiarum genera.

Text. 3.

DE DIVISIONE ENTIS IN potentiam, & actum.

QVÆSTIO I.

Qui-

Quinam è tribus huius diuisionis sensibus verus sit, & germanus?

SECTIO I.

Triplex huius diuisionis sensus.

MERITO dubitari potest, quo sensu accipi debeat ea diuisio, qua ens diuidi solet in potentiam, & actum (*cuius explicandæ causa hic liber institutus est*) num eo pacto, vt diuidatur in potentiam, & actum veluti in partes subiectas, quasi omne ens sit vel potentia, vel actus; an vero quasi in partes, ex quibus constet, ita vt omne ens resolui possit in potentiam & actum; an denique sensus huius diuisionis sit is, quem sæpe innuit Aristoteles, vt omne ens sit vel ens actu, vel ens potentia: quo pacto dicimus, rude lignum esse potentia statuam, aut viridem spicam esse potentia frumentum: ipsam vero imaginem, verbi causa, Cæsaris ex ligno confectam, esse actu statuam, & grana tritici matura, esse actu frumentum.

Primum esse falsum, posse tamen ad veritatem reduci.

Ad hanc dubitationem breuiter dicendum est, primum sensum, si nihil addatur, neque vsurpatum esse, neq; verum; cum plurima sint entia, quæ omnium cõfessione nec sint actus, nec potentię, sed composita ex actu & potentia, vt res omnes & naturales, & artificiosæ. Cæterum si tertium quoddam membrũ subaudiatur, vt omne ens dicatur vel actus, vel potentia, vel ex actu, & potentia compositum, & verum esse sensum, & à Philosophorum vsu minime abhorrentem.

Quo pacto secundus sit falsus.

Secundum vero sensum, si quæstio sit de ente in toto ambitu suæ significationis, (loquimur autem de ente per se, ac reali) falsum plane esse, cum Deus Opt. Max. sit actus purus, & prima materia sit pura potentia; tametsi hæc, si sumatur vt existens, constet potentia, & actu. Verum, si sermo sit de eo ente solo, quod ponitur in prædicamentis, dici posse diuisionem esse aptam, neq; inusitatam apud Philosophos, cum omne huiusmodi ens, (quod solum, ac omne creabile est) saltem vt actu existens in rerum natura, constet essentia sua quasi potentia, & existentia quasi actu, vt interim mittamus complures alias compositiones ex potentia, & actu, quæ in plurimis cernuntur, vt in omnibus speciebus & indiuiduis, quæ directo in prædicamentis collocantur.

Et quo verus.

Tertium esse omnino verum.

At vero tertium sensum esse omnino verum & admittendum, siue ens pro quouis ente sumatur, siue quatenus in prædicamenta distribuitur. Nam & Deus Opt. Max. ex se ipso est ens actu, & secundum essentiam, & secundum existentiam, ac proinde nunquam ratione vlla est ens potentia: & omnia alia, si ex A se spectentur, sunt actu entia, sumpto ente, vt significat essentiam, siue illa actu existant, siue non existant; potentia vero entia sunt, si ens sumatur, vt significat existentiam, illa vero actu non existant. Atque hic est præcipuus huiusce diuisionis sensus, tum quia in hoc ipso capite, cum Aristoteles diuisionem propositam ex quinto libro repetit, non ait, eas aut esse actum, aut potentiam; nec item, aut constare actu, aut potentia: sed partim dici B potẽtia, partim actu, vt etiam loco eodem, ex quo diuisio repetitur; tum quia c. 6. huius libri, vt explicet, quid sit actus, exponit, quid sit actu rem existere; tum etiam, quia sæpe innuit, diuisionem hanc omnia entia cõplecti: tum denique, quia etsi loco eodem libri 5. & c. 12. huius significat, diuisionem hanc ad ea sola pertinere, quæ in prædicamentis ponuntur, plane prædicamentorum nomine complectitur non solum ea, quæ directo in prædi- C camentis locum habent; sed etiam ea, quæ reductitie, atque adeo Deum Opt. Max. qui nec directo, nec reductitie in eis ponitur, sed est tanquam id, ad quod reuocantur omnia, vt dictum est ad c. 8. libri 5.

Text. 1.
c. 12. tex. 17.
tex. 11.

Sitne realis, an rationis proposita entis diuisio?

SECTIO II.

Quid tertio sensu.

D EX his facilis est responsio ad eam quæstionem, quæ hunc in modum proponi solet, sitne diuisio entis in actum, & potentiam, realis, an rationis? Nam si tertius diuisionis sensus assumatur, perspicuum est, non esse eam realem, tanquam rei à re; siquidem res, quæ nunc est actu, est illa eadem, quæ antea erat potentia, siue in potentia: quod cum ex se patet, tum vero ab Aristotele traditum est lib. 8. cap. 6. vbi Auerrhoes illud adiungit, E *Actum, & potentiam*, hoc est, rem actu, & potentia, *non facere multitudinem*. Itaq; ens actu, & potentia, non differunt tanquam res à re, sed tanquam res eadem à se ipsa penes modos essendi, nempe vt ante existens in causis suis tantum, à se postea existente in se ipsa. Quæ diuisio neque est realis simpliciter, neque solius rationis, sed ex natura rei, quia non pendet ab operatione intellectus. Tametsi hoc F genus diuisionum à quibusdam dicitur reale, quia non pendet ab intellectu, à quibusdam vero rationis, (*inuenta tamen in rebus*) quia non est rei à re.

Adsi. tex. 15.

Quid in primo & secundo.

Quod si diuisio sumatur in primo, aut secundo sensu, non dubium est, quin partim sit realis, partim rationis; sæpe enim actus, & potentia differunt vt res à re, veluti materia, & forma, facultates naturales, & earum actus

sæpe etiam ratione concepta, seu in rebus inuenta, quæ item dicitur ex natura rei, vt essentia, & existentia; quod luculentius ex sequenti quæstione patebit. Tametsi Aristoteles 1. lib. de Anima, cap. 1. absolute ait, potentiam & actum non parum differre: quod non alia de causa docet, nisi quia etiam tum, cum non differunt vt res à re, eorum rationes sunt admodum diuersæ; quod Auerrhoes in eum locum sic explicat, vt vniuerse dicat, eorum differentias esse valde oppositas.

Text. 6.

Ponanturne res in prædicamentis, quatenus sunt actu, an quatenus potentia, an vero ratione alia.

SECTIO IIII.

SED quærat aliquis, vtra ratione istarum res ponantur in prædicamentis; an vero quærenda sit alia, qua præcipue ad illa pertineant? Quod vt pateat, illud retinendum est, quod nūc ex Auerrhoe diximus, esse actu, & esse potentia, rationes esse oppositas, ac repugnantes inter se: quod enim est actu, iam non dicitur esse potentia, & quod potentia esse dicitur, id nondum est actu; id quod ex Aristotele tum hoc ipso libro, tum vero aliis locis colligitur. Illud etiam addendum, hanc oppositionem non esse immediatam more contradictionis, vt res omnis, siue sit in rerum natura, siue non sit, aut actu, aut potentia sit. Multæ enim res, postquam esse desierunt, neque actu sunt, neque potentia; idque non solum naturaliter, qua ratione dici solet à priuatione ad habitum non dari regressum, sed etiam spectata virtute supra naturam, vt patet in rebus successiuis: tempus enim, quod præteriit, esse omnino irreuocabile, motumque hodiernum quemcunque non amplius posse reuerti diuina etiam potestate, est præstantissimorum Theologorū placitum. Sunt igitur horum rationes oppositæ more quodammodo contrarietatis mediatæ, quod non necesse sit alterum de qualibet re dici. Dico autem, *Quodammodo*, quoniam contraria dicuntur mediata, respectu etiam rei actu existentis, vt calidum, & frigidum comparatione existentis aquæ, cum tamen esse actu, & potentia cum re existente conferri non possit; sed cum re absolute sumpta.

Esse actu, & esse potentia, sunt rationes opposita.

Vt 3. Phys. c. 2. text. 8.

Non contradictoria.

Vide III. sup. q. vlt.

Sed quodammodo contraria.

Hæc cum ita sint, perspicuum est, res non poni in prædicamentis, vel quatenus sunt actu, vel quatenus potentia, vel etiam quatenus indifferenter sunt actu, aut potentia: alioquin, si nec sint actu, nec potentia, ad prædicamenta minime pertinebunt, quod dicendum non est. Esse autem actu, & esse potentia accidunt rebus, quæ ponuntur in prædicamentis; hæ autem non ponuntur in eis per ea, quæ sibi accidunt, sed per se ipsas, & quatenus habent hanc, vel illam essentiam, entitatemve. Adde, quod ea ratione ponuntur, qua definiuntur; ad prædicamenta enim reiicit Aristoteles 1.* Topicorum lib. & 1.† de Anima, eos, qui rerum definitiones exquirunt: at rerum definitiones non includunt earum esse, vt patet ex 2. Posteriorum cap. 7. neque alia sane ratione, nisi quia esse accidit rebus, quæ in prædicamentis ponuntur, quæ solæ etiam definiuntur. Quod si esse actu rebus accidit, ergo & esse potentia, cum esse actu excludat ipsum esse potentia. Postremo, esse actu est esse simpliciter; esse autem potentia est esse secundum quid ait: at esse actu, siue ipsa realis existētia, qua res sunt actu, reducitur ad prædicamenta, vt patuit libro 5. ergo potiori ratione esse potentia. Quo fit, vt neque alterum, neque vtrumque indifferenter ratio esse possit, sub qua res ponantur in prædicamentis.

Non poni res in prædicam. vt sunt actu, aut potentia.

* Cap. 5.

† C. 1. tex. 6.

Tex. 7.

q. 7. q. 4. sec. 2.

Quod si esse potentia sumatur pro esse pendens ab aliqua potētia, non dubium est, quin dici possit collocari res in prædicamētis, quatenus sunt potentia in Deo: omnes enim pendent per se, & secundum suas essentias à diuina potentia, quod ad lib. 5. cap. 5. ostensum est. Verum hic sensus est improprius nec in eo esse actu, & esse potentia, opponuntur, sed potius actus perficit potentiam.

Improprius modus essendi potentia.

q. 1. sect. 4.

Dicendum igitur, etiam poni in prædicamentis, quatenus habent hanc vel illam essentiam, entitatemve, & abstrahunt (quod dicitur) non solum ab omni alia entitate sibi accidentaria, sed etiam ab omni puro essendi modo eorum in se, aut se habendi ad alia entia, vt hominem, quatenus homo est, & animal, quatenus est animal.

Quo pacto ponantur in prædicam.

Quotnam sint genera potentiarum, & actuum?

QVÆST. II.

Si res diligentius expendatur, duo tantum esse apud Philosophos potentiarum genera, actiuam & passiuam.

SECTIO I.

VT hæc quæstio expediatur, illud repetendum est ex iis, quæ in explanatione huius capitis dicta sunt, in quatuor genera contractas esse ab Aristotele omnes potentias proprie dictas, quas lib. 5. fusius tractauerat; missa ea potentia, quæ per translationem dici-

dicitur, quod realis non sit, vt postea dicetur. A Prima potentia est actiua absolute; secunda absolute passiua: tertia facile actiua, aut passiua conuenientis actus; (*nam qua incommodum, & noxium actum facile admittit, impotentia potius vocabulo digna censetur*) quarta demum est potentia ad resistendum apta, quæ vt à cæteris distinguatur, sic intelligenda est, vt non resistat agendo, sed impediendo tantum actionem aduersam, & noxiam. Nam quod ab omni passiua distinguatur, perspicuum est, cum id, quod patitur, siue actionem alterius suscipit, quatenus eam admittit, nullo modo ei resistat.

Quatuor potentiarum genera.

Illud etiam satis apertum est, tertium genus ad primum, & secundum reuocari; cum omnis potentia, quæ facile agit, aut patitur, omnino agat, aut patiatur, vt Aristot. c. 2. ait, neque alia de causa, vt videtur, nisi vt hoc genus ad primum, & secundum reducat. Vnde si res expendatur, perspicuum relinquitur tria tantum esse apud Aristotelem genera potentiarum, actiuam, passiuam, & pure ad resistendum idoneam; multa enim sunt, quæ non agendo resistant, sed solum impediendo actionem contrarii agentis, vt patet in duritie, qua adamas diuisioni resistit; in mole corporis replentis locum, quæ ingressum alterius prohibet, aliisque sexcentis rebus naturalibus, & in illa supernaturali dote corporis gloriosi, quam Theologi Impassibilitatis appellant, qua Beati sine actione vlla iis resistunt, à quibus alioqui lædi possent.

Tertium ad 1. & 2. reuocari. in fine.

Multa non agendo resistere.

Verum ex his tribus potentiis duæ tantum priores habent proprie actum sibi proxime respondentem, actiua quidem actionem, passiua vero passionem. Nam impeditiua potentia (*liceat enim hoc verbo vti actiua ac passiua nominibus persimi i*) non modo actum non habet, si pure impeditiua sit, vt eam sumimus, sed etiam actum impedit. Quod si conseruatio rei dicatur eius actus, verbo quidem actiuæ vocis significabitur, actus tamen re vera non erit, quia quæ solum impediendo lædentium actionem rem conseruant, non per actum vllum, sed per se ipsa conseruant, idque remouendo, seu non admittendo actionem noxiam, quod etiam est genus quoddam per accidens conseruandi. Quapropter & quia actum proprie non habet hæc potentia, (*tametsi realis sit, nec figurate dicatur*) & quia per accidens conseruat, mittenda posthac est, tantumque priores duæ retinendæ, actiua, & passiua, quæ sola duo genera in luce, vt ita dicam, fori apud Philosophos & Theologos versantur.

Potentiam impeditiuam non habere proprium actum.

Ideo omitti, & actiuā solum, ac passiuam tractari.

Sed quærat aliquis, qua ratione factū fuerit, vt cum actiua potentia desumpta sit ex genere causæ agentis, & passiua ex genere materialis, non etiam ex aliis causarum generibus desumpta sint ab Aristotele alia potentiarum genera: neque enim minus potens est finis ad mouendam, trahendamque agentem causam; nec forma minus ad perficiendam materiam, siue extrinsecus per modum sigilli, quod facit exemplar; siue intrinsecus, atque, vt ita dicam, inhæsiue, quod præstat forma inhærens; quam sit agens ad agendum, B & materia, subiectumve ad patiendum; quod etiam nos confessi sumus, atque adeo verum esse ostendimus ad c. 2. lib. 5.

Alia esse potentiarum genera.

Huic dubitationi occurrendum est, tribus de causis id factum videri: vna, (*qua vsi sumus eo loco*) quia potentiæ actiuæ, & passiuæ possunt esse entia distincta à rebus, quarum sunt potentiæ: cæteræ enim non sunt aliud quicquam, quam puri quidam modi se habendi rerum, quod ex eo loco planius intelligas. Altera, quia Aristoteles ea sola potentiarum genera constituit, quę genere suo possent tempore antecedere suos actus, idque vt res dici possint esse potentia in illis, cum nondum ad actum reductæ sunt; qua ratione nec potentiam finis acquirendi, nec formæ informantis inter potentias connumerare debuit, quod hæ potentiæ non antecedant tempore suos actus: sed potius finis sequatur actionē, quæ ad illum dirigitur, forma vero simul fit cum informatione. Neq; obest, quod anima separata habeat potentiā, quæ tempore præcedit eam informationem, qua aliquando corpori vnietur; is enim actus non est possibilis per causas naturales, ac proinde non curatur, aut potius non conceditur ab Ethnicis Philosophis. Tertia est, quia etsi in aliis causarum generib. dantur potētiæ, earum tamen aut nullus, aut pene nullus est vsus; quare merito ab Aristotele prętermissæ sunt: etiamsi alioqui potentia exemplaris ad extrinsecus imprimendam quodammodo sui similitudinem imitatiuam præcedat tempore suum actum. Ita re diligentius expensa patet, cur apud Philosophos duo tantū potentiarum genera propria, realia, ac per se constituta sint, actiua, & passiua. Nam quod his non sit adiungenda potentia obiectiua, quam quidam Scholastici addiderunt, commodius post expendetur. Nunc videndum est, quot sint actiuæ potentiæ, quot item passiuæ, quotque actuum genera constitui debeant.

Redditur ratio, cur ea nō curarit Aristoteles.

Tria esse potentiarum actiuarum genera, duo passiuarum.

SECTIO II.

ACTIVA potentia tribus quasi gradibus ab inferioribus ascendentibus distingui-

Triplex gen° potentia actiua. stinguitur. Aut enim est actiua per motum, sub qua ratione hoc † loco, & lib. 5. * cap. 12. definita est, cuiusmodi esse dicimus potentiam ignis ad calefaciendum, ac generandum ignem, & alias naturales huic similes. Aut est actiua sine motu, sed non tamen sine subiecto, quam potentiam sæpe vsurpat Aristoteles, eiusque discrimen à superiori tradit hoc ipso libro, cap. 6. cuiusmodi est potentia videndi & intelligendi. Aut demum est actiua sine motu, & subiecto, sed non sine differentia essentiali eius, quod producitur, ab eo, quod producit; cuiusmodi est sola potentia creandi, quæ Dei est propria, neque vlli creaturæ communicari potest, vt cum præstantioribus Theologis ad librum quintum ostendimus; quam etiam minime negasse Aristotelem ostendemus ad librum 12.

† *Tex. 2.* * *Tex. 17.* *Tex. 11.* *Ad t. 2. q. 8.*

Cur potentia generatiua, & spiratiua in Deo non sint proprie actiua. Vnde perspicuum est, potentias illas, quibus diuinæ personæ producuntur, (*generatiuam, & spiratiuam appellant Theologi*) non esse proprie actiuas, sed productiuas; quia id, quod per eas producitur, non differt essentiali discrimine à producente, sed personali tantum; neque proprie ibi vsurpari nomina illa generationis actiuæ, & spirationis actiuæ, multoque minus generationis passiuæ, & passiuæ spirationis; quia non est ibi actio proprie, sed productio; nec passio, seu receptio actionis in aliquo subiecto, sed simplex communicatio, & acceptio essentiæ, siue naturæ personæ producentis.

Vide D. Th. 1. p. q. 41. & 42. & in 1. d. 7. q. 1. art. 1. ad 3.

Duplex est potentia passiua. Passiua aut potentia duplex est tantum: Vna est passiua, siue receptiua cum motu, vt potentia aquæ ad recipiendum calorem, & potentia materiæ ignis ad recipiendam formam substantialem ignis: atq; hæc expresse definita fuit hoc loco ab Aristot. quemadmodum & lib. 5. respondetq; potentiæ actiuæ cum motu. Altera est passiua, seu receptiua sine motu, vt potentia visiua, & intellectiua; quæ potentia respondet actiuæ illi, quæ sine motu quidem, sed non sine subiecto agit, & iisdem locis, quibus illa vel vsurpatur ab Arist. vel etiam explicatur. Non datur autem tertium genus passiuæ potentiæ, quæ sit passiua, seu receptiua sine subiecto, & tertio generi actiuarum respondeat, quia inuoluit contradictionem, dari potentiam receptiuam, & id, quod per eam recipitur, non recipi in subiecto. Ad hanc tamen reuocari potest ea potentia, quam habet res qualibet ad suam existentiam realem; quæ simul cum ea, & in ea incipit esse, tanquam actus, quo illa in rerum natura ponitur. Non est tamen ea proprie receptiua, quia, vt proprie reciperet existentiam, oporteret prius saltem natura existere, quam illam reciperet, quod etiam contradictionem implicat.

Tex. 2. & in text. 17.

Cur non detur hic tertiũ genus. *Ad quodnã genus spectet potentia ad existendum.*

Sex esse actuum genera.

SECTIO III.

Primum genus est motus. Actvvm vero sex genera constituenda videntur. Primus, ac infimus est motus, qui, quatenus infertur ab agente, est actio, quatenus vero recipitur à patiente, est passio; quo fit, vt re quidem sit vnus, ratione vero sit duplex. Atque hic actus primo cognitus, ac nominatus fuit, vt tradit Aristot. cap. 3. respondetque primo generi potentiarum actiuæ, & passiuæ. *Tex. 7.*

Secundum operatio immanens. Secundus est operatio immanens, quæ etsi non est motus, siue actus imperfectus, tendensq; continenter in perfectionem, sed perfectus, & completus; est tamen actio in subiecto, qualis est visio, & intellectio, saltem ea, quæ est sine discursu; siquidem discursus intellectus suam quandam habet rationem motus. Atque hic actus respondet secundo generi vtriusque potentiæ.

Tertium est creatio. Tertius est actio agentis sine patiente, seu recipiente actionem, quæ quidem actio est sola creatio, hoc est, productio entis ex nihilo, seu nullo supposito subiecto, ex quo pendeat id, quod producitur: quæ actio nulla esse potest sine essentiali discrimine rei productæ à producente. Proinde hic actus non solum sic respondet tertio generi actiuæ potentiæ, vt nulli passiuæ respondeat; sed neque in hoc habent locum actus illi notionales, quibus diuinæ personæ producũtur, quos Theologi vocant generationem actiuam, & passiuam, actiuamque, & passiuam spirationem, quæ diuinis potentiis generatiuæ, & spiratiuæ respondent: quas potentias diximus non proprie esse actiuas, sed productiuas tantum. Atque hæc tria actuum genera sunt proxima, & immediata suis potentiis.

Actus notionales diuini non huc spectant.

Quartũ formæ informantes. Quartum genus est actuum informantium, qui immediati sunt suis potentiis, & per aliquem ex tribus prædictis actibus accipiunt esse: cuiusmodi sunt inprimis omnes formæ informantes, tam accidentales, quam substantiales, quæ per motum introducuntur, siue illæ per se introducantur, vt formæ, ad quas est per se motus, aut generatio; siue per accidens, vt quæ inde resultant, cuiusmodi sunt plurimæ relationes. Deinde illæ, quæ introducuntur in subiectum per actionem, quæ non est motus, aut ex ea resultant; cuiusmodi est lumen, quod per momentaneam illuminationem producitur, & si qua alia sunt huiusmodi accidentia: in quibus etiam numeranda sunt ea, quæ concreantur cum substantiis immaterialibus; vt intellectus, voluntas, & potentiæ earum motiuæ, omnesque habitus.

etus infusi, siue qui Angelis quasi naturaliter inditi sunt, siue qui & illis, & nobis supernaturaliter communicantur. Postremo in his quasi in supremo gradu numeratur anima rationalis, quæ etsi in subiecto producitur, estque actus informans non accipit tamen esse à subiecto, sed solum à Deo per creationem.

Quintum substantia separata.

Quintum genus est actuum per se subsistentium, & non informantium; cuiusmodi sunt omnes, ac solæ substantiæ separatæ: atque hi iam actus ex genere suo non respiciunt vllam potentiam, siue actiuam, siue passiuam: sed dicuntur actus, quia ex se & actiuitatem habent, & ex genere suo esse etiam ex se habere possunt, quod dictum sit propter Deum Opt. Max. qui inter omnes substantias separatas solus ex se ipso est. Quanquam infra Deum omnes respiciunt potentiam Dei actiuam sine subiecto, seu creatiuam, cui mediate respondent, cum per creationem producantur.

Cur hæ dicantur actus.

Sextum, existentia.

Sextum genus est ipsa existentia, à qua sola res omnes simpliciter dicuntur esse actu, & sine qua nihil dicitur esse in rerum natura, nisi forte diminute, ac in potentia suæ causæ existentis, si causam habet. Hic enim actus ex genere etiam suo non respicit vllam potentiam, seu actiuam, seu passiuam, cum Dei existentia causam non habeat, sed sit omnino independens, vt ipsa diuina essentia, cum qua idem est formaliter. Habent tamen in omnibus infra Deum non solum actiuam potentiam, sed etiam passiuam, tametsi improprie dictam, cum existentia rerum creatarum nec sit entitas vlla; nec proprie recipiatur in ipsis rerum naturis, vt paulo ante dictum est; sed sit quidam modus essendi purus, isque omnium vltimus. Illud hoc loco addendum est, subsistentiam partim directo pertinere ad hoc genus actuum, partim reductitie: Si enim sumatur pro perfecta existentia, qualis est sola existentia primarum substantiarum, non dubium est, quin directo pertineat, cum sit præcipua quædam substantiarum existentia, qua nimirum illæ omnino per se existunt. Si vero sumatur pro ea substantiali entitate incompleta, quæ in creaturis primas substantias complet, ac omnino per se existentes reddit, ad quartum genus, quod erat actuum inhærentium, reduci potest, cum sit entitas quædam, quæ adesse, & abesse potest à naturis singularibus substantiarum: tametsi quatenus nulla facit compositionem cum eiusmodi naturis, (*vt diximus ad cap. 8. lib. 5.*) ad hoc quoque sextum genus reuocari potest. Vt enim existentia realis, quia est modus quidam essendi purus, non efficit rem existentem magis compositam, quam si non A existeret; sic entitas illa substantialis, quam subsistentiam dicimus, quia est purus terminus primæ substantiæ creatæ, seu creati suppositi, non efficit, vt substantia singularis sit compositior, quam si non subsisteret.

Ad finem super. sect.
Ad quod actuum genus pertineat subsistentia.

q. 5. sect. 10. in fine.
Cur suppositalitas non faciat compositionem.

Reduci quoque non possunt (*atque adeo magis proprie*) ad hoc genus actuum alii modi essendi puri, qui reali actione rebus adueniunt, qualis est inhærentia actualis accidentium in subiectis, quæ illis est naturalis, & B motus essendi sine subiectis, quem habere possunt virtute diuina.

Quid de aliis puris modis.

Ita patet, quot sint actiuæ potentiæ, quot item passiuæ, quotque sint actuum genera, siue qui natura sua vniuerse respiciunt vel vtramque potentiam actiuam, & passiuam, vel actiuam solam, vel etiam nullam, si totum eorum genus spectetur; & qui tandem sit actus, à quo solo res simpliciter dicantur esse actu, quique actus ad illum reducantur. C

Sint ne dandæ potentiæ obiectiuæ, & actus obiectiui?

QVÆSTIO III.

D *Sententia eorum, qui superioribus potentiis, & actibus addunt potentiam obiectiuam realem, & actum entitatiuum realem.*

SECTIO I.

ETSI Aristoteles, & alii veteres eius sectatores non agnoscunt alias potentias reales, aliosque reales actus præter eos, qui E superiori quæstione explicati sunt, ex Scholasticis tamen Scotus, & Ochamus in secundum sententiarum, & alii quidam recentiores aliam potentiā realem addiderunt, quam vocant obiectiuam; & alium realem actum, quem entitatiuum appellant. Referunt autem eorum nonnulli hanc opinionem ad Alexandrum Alensem in hunc locum, & in septimum librum huius operis, atque ad eius F pene æqualem Henricum Gandauensem in suis quodlibetis; sed immerito, vt suo loco patebit, quanquam fortasse illis, vt sic opinarentur, occasionem dederunt.

Scot. d. 12. q. 1. & d. 16. q. vn. Och. q. 24.

Quodl. 1. q. 10. & quodl. 3. q. 9.

Dicunt igitur hi authores, potentiam obiectiuam esse rem quamlibet, antequam existat; actum vero entitatiuum esse rem eandem, cum iam in rerum natura existit. Quod

Explicatur, & confirmatur hæc sententia.

autem hæc potentia, & hic actus superioribus potentiis, & actibus adiungi debeant, ex eo probant, quia res antequam existant, sunt possibiles, non solum per potentiam suorum agentium, suorumque patientium; (*si à subiecto aliquo pendent*) sed etiam per potentiam, quam ipsæ ex se habent, vt esse in rerum natura possint, à qua potentia credunt eas prius esse possibiles, quam effectiuam sui causam, aut passiuam respiciant. Neque enim putant eas ideo esse possibiles, quia effici possunt, sed ideo effici posse, quia ex sese sunt possibiles. Cum autem huiusmodi potentia non possit esse aliquid præter res ipsas, (*sublatis enim quibuscunq; rerum accidentibus adhuc ipsa ex se sunt possibiles*) concludunt illi, res ipsas, antequam existant, non solum habere huiusmodi potentiam, sed etiam esse ipsam talem potentiam. Vocant autem rem ipsam, quæ nondum est, potentiam obiectiuam, quia in eam efficiendam intendit agens, tanquam in suum obiectum: actum vero entitatiuum, cum iam est, quia esse est commune omnibus entibus, quæ fiunt, etiam ipsi materiæ, quæ alioquin dicitur pura potentia.

Ratio horum nominum.

Quocirca illud animaduertendum est, totum negotium huius controuersiæ suscipi ab his authoribus, vt doceat materiam non esse omni ex parte puram potentiam. Nam etsi concedunt, eam esse ex se puram potentiam, quatenus potentia distinguitur ab actu informante, cum nec talis actus sit, nec illum includat; negant tamen esse puram potentiam, vt potentia distinguitur ab omni actu, quia per creationem accipit, vt sit actu, atq; adeo, vt sit actus, cum per se ipsam formaliter, & non per quicquam aliud sit actu.

Quo sensu negent materiam esse puram potentiam.

Consectarii.

Addunt denique consequenter ad suam sententiam, res antequam sint, non solum esse in potentia suorum agentiū, aut etiam suorum patientium; (si sunt formæ informantes, idq; saltem quoad informationem) sed etiam in potentia sui ipsarum, cum ex se potentiam habeant, vt in rerum natura existant.

Quo sensu non detur potentia obiectiua.

SECTIO II.

Impugnatur rationibus hæc sententia.

VERUM hæc sententia non est probanda, si facit potentiam obiectiuam distinctam ab omnibus potentiis enumeratis, hoc est, ab omnium causarum potentiis, vt eam eius autores videntur facere; quod his rationibus patet. Primum, quia, vt res, quæ potentia sunt ponantur in actu, satis est, si sint potentia in suis causis, & causæ omnes re-A quisitæ ad causandum applicentur, vt patet, & impedimenta omnia remoueantur. Deinde, (*quod eandem rationem confirmat*) quia omnis potentia concurrit ad suum actum, siquidem omnis actus, qui potentiæ respondet, pendet ab illa: at præter causarum concursus, nullus est alius ad esse rerum causarum necessarius: ergo neque vlla alia potentia. Tertio, quia nulla res est causa sui ipsius; alioqui penderet à se ipsa in suo esse, B seu (*quod idem est*) vt esset, quod fieri nequit, licet pendere à se possit in sua conseruatione, hoc est, à suis operationibus, & aliis suis accidentibus: non est igitur res vlla potentia sui ipsius. Neque obest, quod res eadem, antequam sit, videatur esse causa finalis sui ipsius, & multorum etiam opinione causa sui exemplaris: neque enim hæc vera sunt; siquidem res, quæ est finis, neque est causa finalis, nisi eorum, quæ diriguntur in finem, vt patet C ex lib. 5. neque etiam exemplaria vlla sunt, nisi respectu eorum, quæ ipsorum imitatione fiunt, cum interim nulla res fiat imitatione sui, vt patet ex lib. 7. Postremo, quia nulla res dicitur esse potentia, aut virtute in sua causa, nisi ea causa sit actu: hac enim ratione dicimus res, quæ gignuntur, & intereunt, fuisse potentia in Deo ante mundi constitutionem; non autem in sole, aut in materia, quia nec sol, nec materia tunc realiter existe-D bat: atqui nulla res, antequam producta sit, existit in rerum natura; ergo nulla tunc dici potest esse potentia in se ipsa. Nam præterquam quod fictitium est illud esse reale diminutum, quod Scotus dicitur tribuisse ab æterno rebus factibilibus, vt alibi ostendemus; argumentum hoc innititur vero, ac integro esse reali causarum, non imminuto, & secundum quid, à quo, etiamsi daretur, prouenire non posset verum, ac integrum esse reale E effectorum.

Nihil est causa sui.

Obiectio.

Diluitur.

Cap. 2. q. 10.

Cap. 8. q. 1. & 2. Non dicitur esse potentia in causa non existente.

In 1. d. 35. & 36.

Accedit, quod hi non recte loquuntur de actu entitatiuo, in quem tendere dicitur potentia obiectiua. Nam etsi concedimus actualem existentiam ea ratione dici posse actum entitatiuum, quia est vltima actualitas omnis entitatis, vt diximus ad librum quartum; tamen nec res omnes, quæ fiunt in se ipsis consideratæ, nec sumptæ simul cum suis existentiis possunt dici actus. Nam nec F compositum naturale, nec materia prima sunt actus; sed illud primum est compositum ex actu, & potentia; hæc vero est pura potentia, vt fuse ostendimus ad cap. 7. lib. 1. qui locus repetendus hic est; tametsi & composita naturalia, & materia ipsa dicuntur esse actu: nulla vero est consequentia inferre: Hoc est, actu, ergo est actus. Quod in causa fuit, vt †Sco-

Non recte hos authores loqui de actu entitatiuo.

Cap. 2. q. 4. sect. 4.

q. 3. à sect. 9.

† In 2. d. 12. q. 1. Mentem Scoti & veterum solum fuisse materiam posse creari sine forma.

** 1. p. q. 66. ar. 1. de potēt. q. 4. ar. 1. & alijs locis.*

† Sot. 1. phys. q. 6.

†Scotus in hac controuersia caute dixerit de materia, *siue*, inquit, *existens in actu, vel actus non curo*: tantum enim id proprie confectum esse volebat, materiam esse per se creationis terminum, posseque sine vlla forma creari, quod concedimus, etsi * D. Thomas repugnat; contra quem Scotus tanta probabilitate hac in re disputat, vt eum quoque deserant ex Dominicana familia Franciscus Victoria, Dominicus Sotus nostræ memoriæ illustres Theologi, & alii nonnulli. Atque hoc tantum re vera docere voluerunt Alexander Alensis, & Henricus Gandauensis, posse, inquam, materiam esse per se creationis terminum, habereque propriam existentiam, & esse ens actu, non autem esse actum. Quapropter, quod illa à recentioribus Scoti sectatoribus, & fere à Nominalibus, dicatur actus entitatiuus, siue vt præcedit natura existentiam, siue cum ipsa simul existentia, hoc sane proprium horum videtur esse inuentū. Hanc vero opinionem sibi ex eo persuadent Scoti esse, quia Scotus quidem de potentia obiectiua plane locutus fuerit; actum vero entitatiuum quibusdam verbis, non solum eodem loco, sed alibi etiam non obscure significauerit; quod fecit ille quidem, sed non omnino, vt ipsi, locutus est. Quanquam igitur materia prima cum actu existit, non per aliam entitatem, sed per ipsam suam entitatem fit actu; non est tamen dicendum, illam esse actum, sed accidere ei, vt sit actu, hoc est, vt habeat illum accidentarium essendi modum, quem vocamus existentiam, vt ostensum est ad librum quartum. Ex quibus patet, nullam dari potentiam obiectiuam, si ea ponatur distincta ab omnium causarum potentiis.

Et, prout existit, actu esse, non actum.

Quo sensu dari possit non vna tantum, sed etiam plures potentia obiectiua?

SECTIO III.

q. 2 sect. 1.

Potentiae causæ finalis, & exemplaris vocari à Scot. & alijs obiectiuas.

SI quis tamen ex hac controuersia occasionem sumere velit confirmandi id, quod superius ostendimus, non tantum ex causa agente, & materiali, seu passiua, sed etiam ex aliis causarum generibus desumi posse genera potentiarum; non sine magna verisimilitudine dicet autores impugnatæ sententiæ eum fortasse sensum habuisse in astruenda potentia obiectiua, vt potentias causæ finalis, & exemplaris, actiuæ & passiuæ potentiis adiungerent, aut certe ad id non aduertentes, ipsa veritate non impellente eas tetigisse. Potentia enim obiectiua (*si res significatæ verbis respondere debent*) nihil est aliud, quam potentia rei obiectæ; res autem, quæ agentibus obiiciuntur, vt potentiam actiuam in passiua, aut sine passiua exerceant, sunt causæ finales, & ex non recta quorundam sententia, exemplares: ex qua re fit, vt nomine potentiæ obiectiuæ vtramque potentiam & finis & exemplaris inducere voluerint; aut certe aliud agentes re ipsa induxerint. Ac merito quidem, si de exemplari recte sentirent. Nam cum ex quinque specialibus causarum generibus (*diuisa nimirum formali in exemplarem, & formam informantem*) efficiens materia & forma informans, nihil immediate in suo genere causare possint, nisi actu existant; (*quod nemo non concedit*) solus autē finis omnibus approbantibus causat, cum nondum existit ipse, aut certe cum nondum acquisitus est; opinione autem Scoti, & Nominalium etiam causæ exemplares, quas putant esse res ipsas faciendas, aut acquirendas, vt patet ex lib. 7. reliquū est, vt ex horum sententia non vna tantū obiectiua potentia rerum nondum existentium, sed duplex colligatur; vna causæ finalis, quæ obiicitur vt res facienda, aut acquirenda; altera causæ exemplaris, quæ obiicitur vt res imitanda. Re autem vera ea duplex potentia obiectiua, quæ colligitur, non est vtraq; rerū nondum existentium, sed sola obiectiua causæ finalis; siquidem potentia obiectiua causæ exemplaris non est rerum, quæ nondum existunt, sed idearum diuinarum, quæ ab æterno extiterunt; has enim imitantur agentia in agendo, non res ipsas, quæ agendæ sunt, vt ex eodem loco perspicuum est.

Cap. 8. q. 2. sect. 2.

Quoad potentiam causæ finalis approbatur loquendi modus.

Videri plane hanc esse eorum mentē circa potent. obiectiuam.

Cum hoc autem sensu non parum congruunt fere omnia, quæ à citatis autoribus de potentia obiectiua dicuntur. Quale est illud, quod aiunt potentiam obiectiuam esse rem quamlibet, antequam existat; actum vero entitatiuum esse rem eandem, cum iam existit. Appellant enim nomine potentiarum res ipsas potentes, quia in his tribus causarum generibus, finalis, exemplaris, & formalis informantis, potentiæ causandi nec realiter, nec formaliter (quasi aliquam entitatem habentes) distinguuntur vnquam ab ipsis rebus, quæ sunt causæ, vt sæpe distinguuntur in causis agentibus & patientibus: (*vt paulo superius, & lib. 5. diximus*) sed sunt aptitudines quædam earum ad causandum; quæ aptitudines, quemadmodum sunt puri quidem earum rerum se habendi modi, ita modaliter tantum ab eis distinguuntur. Ipsas vero res, quæ sunt effecta, appellant actus entitatiuos, quia esse effecta nihil adiūgit rebus, quæ sunt effecta, nisi existentiam, & actualem dependentiam à suis causis, sola etiam modali distinctione ab iis rebus distinctas.

Sup. q. 2. sect. 2.

Ad cap. 2. q. 11. sect. 3.

Quod

Quod item potentiam obiectiuam colligunt ex ipsa rerum nondum existentium possibilitate, non solum huic sensui non repugnat, sed etiam plurimum fauet; quia vt agentia actu agant, formasque in potentia inducant, aut per se ac separatim producant, prius naturæ ordine necessaria est in rebus faciendis aptitudo, vt alliciant causam agentem ad agendum, & de eorum sententia, necessaria est in eisdem rebus aptitudo ad specificanda effecta, præscribendaque; re autem vera non in rebus faciendis, sed in exemplaribus diuinis, quæ ab æterno existunt.

In hoc sensu etiam materiam habere potentiam obiectiuam, & dici posse actum entit.

Denique hoc pacto, non solum res actuales, quæ sunt actu, aut actu, & potentia constant, sed etiam ipsa pura potentia, quæ est materia prima, habet potentiam obiectiuam ad causandum, suntque ipsæ potentiæ obiectiuæ, (*vt ijdem authores loquuntur*) quatenus ipsa etiam materia prima per se, ac separatim potest esse obiectum Dei creantis, & ea ratione dici potest, eorundem loquendi consuetudine, actus entitatiuus, quatenus eius peculiaris existentia ab ipsa eius essentia solo modali discrimine distinguitur.

Non tamen dici posse res faciendas in sui ipsarum esse potentia.

Duo tamen sunt, quæ non possunt non reprehendi in eorum sententia. Vnum est, quod aiunt, res faciendas, antequam fiant, esse in potentia sui ipsarum. Neque enim dici possunt esse in potentia, aut virtute in suis causis, nisi illæ actu existant, quo pacto formæ sunt in potentia materiæ, & effecta omnia in virtute primi efficientis, & vt ita dicam, exemplantis, seu præscribentis cuique rei propriã naturam, & rationem. Quod si Scotus & Henricus accipiunt potentiam obiectiuam pro potentia, seu aptitudine rerum faciendarum, quam ipsi putant eas habere secundum illam suam existentiam realem diminutam ab æterno ab ideis participatam, vt per eam accipiant in tempore veram, & simpliciter dictam existentiam realem; ea sane potentia alia esse non potest, nisi passiua, receptiuaque, tametsi improprie talis.

Res esse possibiles quia fieri possunt à Deo. De efficien. c. 5. q. 1. sect. 4. Obiectio.

Alterum est, quod credunt non ideo res infra Deum esse possibiles, quia effici ab eo possunt; sed ideo effici posse, quia sunt ex se, & sine respectu ad illum possibiles. Id enim ex eo refutatum à nobis est libro quinto, quia res omnes, quæ à Deo fieri possunt, pendent ab eo essentiali dependentia tanquam à causa finali, exemplari, & efficiente. Quod si obiiciant, res non dici impossibiles, quia fieri à Deo non possunt, sed fieri ab eo non posse, quia ex se sunt impossibiles: ergo pari ratione nõ ideo esse possibiles, quia fieri possunt à Deo; sed ideo fieri ab eo posse, quia sunt ex se, & sine respectu ad illum possibiles: negan-

A da est consequentia. Alia enim ratio est in impossibilitate, vt merito primum tribuatur ipsis rebus impossibilibus, seu inuoluentibus contradictionem; alia in possibilitate, vt primum respiciat virtutem primæ causæ, ex qua deriuetur in rem possibilem. Impossibilitas enim, cum non possit contineri in virtute, aut potentia alicuius causæ; (*alioqui iam res impossibilis esset possibilis*) non aliunde habet originem, sed ipsi rei ex se impossibili, seu includenti repugnantiam, primo, & immediate tribuenda est. At possibilitas, etsi primo, & immediate conuenit primo possibili, quod est Deus, qui ex se est ipsum esse; tamen non conuenit cæteris possibilibus nisi per illud, seu (*quod idem est*) per dependentiam essentialem ab illo. Potestque exemplum sumi ex primis principiis complexis, & conclusionibus, quarum veritas ex veritate illorum deriuatur; cum tamen earum contradictoriæ non ideo dicantur falsæ, quia non sunt conformes veritati primorum principiorum; (*siquidem etsi illa non essent vera hæ tamen essent falsæ*) sed quia ipsæ in se veritati repugnant. Non obstat autem huic resolutioni commune illud pronuntiatum, *Si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis*; vt si res, quæ esse possunt sunt possibilis, quia possunt fieri à Deo, eæ quoque, quæ esse non possunt, non sint possibiles, quia non possunt ab eo fieri. Neque enim hoc pronuntiatum (vt ipsum præ se fert) locum habet, nisi vbi negatio potest habere causam, à qua pendeat, & non ipsum ex se tale est; cuiusmodi est, non esse nauem seruatam à gubernatore non vigilante à quo vigilante erat seruanda. At negatio possibilitatis non est referenda in aliam causam, sed in ipsam repugnantiam terminorum inclusam in re ipsa impossibili. Quo fit, vt Theologi non solum erroris vitandi causa dicant, non ideo aliquid esse impossibile, quia fieri à Deo non potest, sed ideo fieri à Deo nõ posse, quia est impossibile; sed etiam (*atque adeo præcipue, & secundum veram Philosophiam*) quia res ipsæ impossibiles per se primo sunt impossibiles, neque aliunde accipiunt suę impossibilitatis rationem.

Solutio.

Ex se tamen habere, vt sint impossibiles.

Præoccupatur obiectio. Ex Arist. 1. post. c. 10. text. 30.

Potentia logica non est quid positiuum.

Non est igitur ponenda positiua vlla potentia præter eas, quæ sumuntur ex causis. Nam potentia logica, quæ addi solet, non est positiua, sed negatiua, vtpote negatio repugnantiæ, (seu vt dicitur) non implicatio contradictionis, vt aliquid fit; quæ negatio non est prior ipsa possibilitate, seu entitate rerum, sed est quasi proprietas cuiusque rei possibilis & indicium, quo à posteriori eius possibilitas probari solet; quia quicquid non implicat contradictionem, potest esse in rerum

natura,

[illegible] supposita Dei potentia infinita, quam necessariam esse ostendimus libro duodecimo. Potentiæ vero mathematicæ, quæ dicuntur esse in numeris, ac magnitudinibus, & in vtrorumque figuris, actusq; illis respondentes, itemque potentiæ, & actus metaphysici, ex quibus naturæ inferiorum ex superioribus, adiectisque differentiis constituuntur; & aliæ potentiæ, & actus, quæ sæpe vsurpantur in prima Philosophia, in quibus nec realis compositio cernitur, neque vlla vera, & realis actio, qua potentiæ suos actus recipiant; hæc, inquam, omnia in ipsis positiuis generibus potentiarum, & actuum, quæ enumerata sunt, continentur, aut ad ea vel proprie, vel propter aliquam similitudinem reuocantur.

Potentia & actus mathematici. Potentia & actus metaphysici [illegible]

Quid sit obedientialis potentia?

QVÆSTIO IV.

De diuisione potentiæ in ordinatam, & absolutam, naturalemque, & obedientialem.

SECTIO I.

EX Theologorum disputationibus duæ exstant potentiæ diuisiones sæpe vsurpatæ; vna in potentiam ordinatam, & absolutam; altera in naturalem, & obedientialem. Prior diuisio traditur de potentia Dei; posterior de potentia creaturarum. Illam nos breuiter attingemus, quod videatur Theologorum esse magis propria; hanc (*vtpote quam Philosophi suo sibi iure vendicent*) pertractabimus diligentius, inuestigando, quid omnino sit obedientialis potentia; nam quoad naturalem non admodum difficilis est quæstio.

Potentiam igitur ordinatam (*quæ appellatur à quibusdam* [illegible] *potentia ordinaria, sed minus recte; est enim non solum de effectis ordinariis, sed etiam aliquando de extraordinariis, vt patebit*) ait D. Thomas 1. p. q. 25. ar. 5. esse ipsam Dei potentiam, quatenus determinata est ad aliquid agendum per diuinam voluntatem, quæ nihil nisi ordinate, hoc est, sapienter, & iuste facere potest. Absolutam vero esse eandem diuinam potentiam, quatenus consideratur secundum se, hoc est, vt nondum determinata nostro intelligendi more per diuinam voluntatem ad vllum effectum. Vnde cum nobis non sit nota determinatio voluntatis diuinæ, nisi aut per ea, quæ videmus in rebus fieri, aut per diuinam reuelationem facta esse, aut facienda nouimus; ea

[illegible] ordinata Dei potentia. Item 3. contra Gent. c. 98. Quid absoluta.

A omnia, ac sola iuxta hanc explicationem necesse est dicamus fieri per potentiam Dei ordinatam, quæ [illegible] notitia euenire intelligimus, vt hominem nasci bipedem, & aliquando etiam [illegible], quia vtrumque iam in specie [illegible], vel diuina reuelatione, vt Deum passum & occisum esse in propria persona, sed non in propria natura, mundumque hunc post generalis iudicii diem aliam formam accepturum, B quia vtrumque nobis diuinitus reuelatum est. Ea vero omnia, ac sola iuxta hanc expositionem dicenda erunt fieri posse per potentiam Dei absolutam, quæ cum fieri quidem possint à Deo, nunquam tamen aut facta sunt, aut fient; vt cœlos, & elementa ab æterno fuisse, aut cœli motum in æternum esse duraturum, quia horum opposita nobis diuinitus reuelata sunt. Verum cum hoc pacto nihil vnquam fiat per potentiam Dei absolutam, sed tantum fieri possit, (*quidquid enim fit, determinatione Dei voluntate fit, ac proinde per potentiam Dei ordinatam, iuxta hanc expositionem*) C vsurpatius loquuntur alii fere Theologi, qui quemadmodum dicunt multa fieri per potentiam Dei ordinatam, multa quoque asserunt, non solum fieri posse, sed etiam facta esse, faciendaque per potentiam Dei absolutam, vt creationem mundi, incarnationem Verbi diuini, & alia miraculosa, & inusitata, quæ facta esse, facienda ve nouimus.

Quæ ad vtramlibet pertineant. *Vide Scot. in 1. d. 44. q. 1. & Maiorem d. 43 quæst. 1.*

D Est igitur potentia ordinata, iuxta communem Theologorum, & Philosophorum vsum, ipsa Dei potentia, quatenus accommodata est, & quasi debita exequendæ alicui communi legi à Deo institutæ, siue tanquam ab authore naturæ, siue tanquam ab authore gratiæ. Hoc pacto dicemus omnia, quæ ab eo fiunt per causas naturales, (*siue ordinarie fiant, vt perfectæ proles animalium, siue* E *extraordinarie, vt imperfectæ, monstrosæque, dummodo fiant iuxta communem ordinem in rebus institutum, qui admittit, imo & poscit, vt aliæ causæ aliquando alias impediant*) hæc, inquam, omnia dicimus fieri per potentiam Dei ordinatam, quia eius potentia est quasi debita executioni eius communis ordinis, siue legis, quam ipse in causis naturalibus constituit. Eadem quoque potentia dicimus fieri in rebus, quæcunque à Deo fiunt per communes F inspirationes supernaturales, & habitus diuinitus infusos, siue ordinarie fiant, vt bene mori eum, qui bene vixit; siue extraordinarie, vt eum, qui male vixit, bene mori: quia nimirum his communibus auxiliis concurrit Deus ad executionem eius legis communis, quam ad æternam hominum salutem instituit; quibus auxiliis qui bene vtuntur, dum

Quid potentia sit potentia ordinata. *Exempla ad vtrumque spectant.*

uiuunt, ordinarie in gratia Dei vita excedunt; qui autem ea spernunt in vita, raro, & extraordinarie eisdem bene vtuntur in morte.

Quia absoluta.

Potentia absoluta à plerisque dicitur potentia Dei, quatenus potest, quidquid non implicat contradictionem; quo pacto absoluta potentia complectitur ordinatam. Sed quia nos agimus de potentia absoluta, vt opponitur ordinatæ, dicendum potius est, potentiam absolutam esse potentiam Dei, quatenus soluta est omni lege, seu (*quod idem est*) prout nulli communi ordini diuino in rebus instituto quasi addicta est, & suo modo ei exequendo debita. Per hanc autem potentiam dicimus factum esse mundum ex nihilo; non tamen creari successu temporum animas rationis participes, quia earum creatio necessaria est ad executionem communis legis de generatione successiua hominum. Per eandem quoque dicimus fieri à Deo in rebus naturalibus, quidquid aliquando fit super omnem vim naturalium causarum: quo pacto facta esse creditur iudicio præstantiū Mathematicorum in Cassiopœa noua illa lux, quæ visa est Anno Domini 1572. & quædam alia huiusmodi, quæ variis retro seculis supra regionem elementarem, in ipsis nimirum cœlis apparuerunt. Incarnatio etiam diuini Verbi per hanc inprimis potentiam facta est. Item miracula, quæ à Christo Domino, & à sanctis hominibus diuina virtute patrata sunt: raptus etiam quorundam hominum è medio cursu naturalis periodi vitæ, dum in gratia Dei sunt, qui alioqui conditionata scientia perituri præsciuntur, si totam periodum absoluant. Extraordinariæ quoque quorundam vocationes, & conuersiones eorum, qui conditionata scientia prænoscuntur communibus aliis gratiæ præsidiis, tametsi sufficientibus, non iustificandi. Denique priuilegia, pleraque in rebus ad salutem æternam pertinentibus, vt præseruatio beatissimæ Virginis Matris ab originali peccato. Ac demum quidquid aliter fit, aut fieri potest sine contradictione, modo non fiat per potentiam ordinatam, vt si cui daretur æterna beatitudo sine vllis meritis; aut ex inferno igne damnatorum extraheretur, quod quidam (falso licet) factum esse putant in Traiano Imperatore Diui Gregorii Magni precibus.

Et quæ sub eam cadant.

Quid sit potentia naturalis creaturarum.

Potentia naturalis, creaturarum nimirum est, quæ viribus naturæ earum cum generali Dei concursu potest perduci ad actum, vt potentiæ calefaciendi, & frigefaciendi. Qua potentiæ significatione vnaquæq; etiam potentia libera est potentia naturalis, vt naturalis opponitur obedientiali; veluti potentia equitandi, aut disputandi. Ad hoc genus po-

A tentiæ pertineret ea, quam Scotus in prologo primi sentent. q. 1. vocat Neutram, constituens eam inter naturalem, & violentam; vt naturalis sit, quæ inclinet in actum; violenta, quæ actui repugnet; neutra, quæ nec inclinet in actum, nec illi repugnet. Verum nos nec potentiam violentam agnoscimus; (*quo enim pacto vlla potentia rationem potentiæ sibi vendicaret respectu eius actus, cui repugnat?*) neque eam, quam ille vocat neutram, à naturalibus ex-
B cludimus, vt naturalis potentia à nobis nunc explicata est. Quamuis enim Caiet. 1. p. q. 1. ar. 1. concedit Scoto potentiam neutram respectu formarum pure artificialium, vt statuis, aut statuæ, quod res naturales nec inclinare ad huiusmodi formas, nec illis repugnare videantur; nec vero artifices (vt quidem ars à natura distinguitur) sint causæ naturales respectu earum, sed liberæ; nos tamen, qui causas liberas hoc loco inter naturales
C comprehendimus, non reiicimus à potentiis naturalibus eam, quam illi appellant neutram, cum eius actus viribus naturæ introduci possit: imo addimus res naturales habere inclinationem, propensionemve naturalem ad formas artificiosas; quia etsi ars imitatur naturam, tamen natura arte perficitur ipsius naturæ viribus, neque ad id opus habet supernaturali virtute.

Potentia obedientialis.

Potentia obedientialis etsi facilis est explicatu, si sub communi conceptu, & quasi quid
D nominis sumatur, (*est enim nihil aliud, quam potentia, qua quæque res creata obedit Deo volenti ad nutum supra suam naturam, qualis fuit potentia luti, qua Christus Dominus cæcum à natiuitate illuminauit*) tamen, si inquiratur eius natura, quæ sub eo conceptu latet, non minimas habet difficultates.

Nam quod attinet ad potentiam obedientialem actiuam, aliquibus fortasse videbitur
E eam esse qualitatem aliquam à Deo omnibus creatis rebus impressam, qua vnaquæque eleuari possit ad supernaturales operationes. Non desunt etiam, qui velint hanc potentiam non esse quidquam extrinsecus additum rebus creatis; sed ipsam cuiusque rei essentiam, ex se ipsa inchoate propensam ad huiusmodi operationes. Alii denique dicunt, non esse eam quidquam positiuum, sed solam negationem repugnantiæ ad eas operationes, quatenus
F nihil creatum est, quod Deo repugnare possit, si velit ipse suis creaturis vti ad ea, quæ superant earum vires naturales.

Quotuplex sit.

Sed quoniam de genere obedientialis potentiæ dubitari potest, sitne actiua duntaxat, an etiam passiua, vt respondeant duobus generibus causarum efficientis, & materialis; an vero adhuc addenda sit aliqua alia, quæ

ad

[illegible] pertineat, nostram quoque de hac statuemus sententiam.

[illegible]

Potentiam obedientialem actiuam non esse qualitatem rebus extrinsecus impressam.

SECTIO II.

Astruitur esse qualitatem rebus impressam.

ATQVI vt de potentia obedientiali actiua, quæ præcipua est, potissimum loquamur, erunt fortasse, qui hac ratione ducantur, vt credant, eam esse qualitatem extrinsecus à Deo rebus impressam, quod omni effectiua potentia in creaturis inter qualitates numerari soleat: cum ergo obedientialis non sit dicenda innata, ne quis colligat esse naturalem, efficitur, vt sit extrinsecus impressa; nec sane ab alio, quam a Deo, cum sit ad opera supernaturalia. Atque hoc pacto videmus rem se habere in naturalibus; sic enim ferrum eleuatur à magnete impressa in illud qualitate quadam, & paleam similiter à succinis; sic etiam aqua calefacit deforis ei calore impresso, cum natura sua calefactiua non sit. Hæc sententia consentanea est iis, quæ à Scoto traduntur in 4. d. 1. q. 4. & 5. cum ait, si Christus Dominus miraculosa opera faciebat non morali actione velut impetratoria, sed vere effectiua illorum, quæ physica dici solet (quod ipsi non placet) necessario asserendum esse fuisse in illo qualitatem aliquã superioris ordinis, qua illa posset facere; quandoquidem viribus naturæ assumptæ ea facere non poterat. Nonnulli autem Thomistæ, in quibus est Capreolus & alii non ignoti nominis Doctores recte sentientes de physica Christi Domini actione in faciendis miraculis plane in hanc sententiam venire videbuntur, vt omnia supernaturalia opera, non nisi per superioris ordinis qualitatem extrinsecus impressam fieri existiment, quod in Christo Domino id factum asserant: tametsi in eo dissentiant inter se, quod alii † putent in eo impressam fuisse huiusmodi qualitatem per modum permanentis; * alii per modum transeuntis tantum, nempe tamdiu præcise, quandiu ille miraculose operabatur: hi enim posteriores sentiunt tamdiu motam fuisse sacram illam humanitatem ad miracula facienda, quandiu illa in iis operibus se exercebat, nec sane sentire possunt eam ad id moueri tunc solitam fuisse alio motu, quam qualitatis alicuius superioris ordinis per modum transeuntis.

† Capr. in 4. d. 1 q. 1. & d. 13. q. 1. Palud. d. 1. q. Ferr. 3. contra Gent. c. 56.

** Sot. in 4. d. 1. q. 3.*

Improbatur hæc sentent.

Sed hæc sententia vera esse non potest, siue intelligatur de qualitate permanente siue tamdiu solum durante, quandiu vnaquæque creatura eleuatur ad supernaturales operA tiones. Intelligendæ autem sunt in hac quæstione nomine [illegible] operationũ, non solum illæ, quæ sunt supernaturales quoad essentiam, vt actus fidei, spei, charitatis; sed etiam quoad modum, quo fiunt, qualis fuit operatio luti in restituenda [illegible] cæco Euangelico facultate videndi, quam [illegible] alioqui ex essentia sua erat naturalis.

Quid significetur hic nomine actionis supernatural.

Ratio, qua ab aliquibus impugnatur.

Erunt autem, qui huiusmodi ratione hanc sententiam impugnent. Vel ea qualitas B esset per se ipsam naturaliter propensa ad actus supernaturales, vel per aliam, qua ad illos eleuaretur: si per se ipsam, non obedientialis, sed naturalis esset; si per aliam, qua eleuaretur, procederetur vtiq; in infinitũ, nisi veniretur ad aliquam naturaliter propensam, quod potius dicendum erat de prima; quæ tamen ea de causa non esset dicenda obedientialis, sed naturalis, quia esset naturaliter propensa ad huiusmodi actus. Facile tamen soluetur ratio, C si quis respondeat, esse quidem propensam naturaliter ad actus supernaturales, vt est habitus fidei ad actum credendi, & charitatis ad actum amandi Deum super omnia; nec tamen inde sequi esse naturalem; quia vt esset naturalis, oporteret, vt non solum esset propensa ad eos actus, sed etiam, vt esset, aut esse posset alicui creaturæ naturaliter connexa, quod fieri nullo modo potest, vt patet ex iis, quæ lib. 7. dicta sunt.

Diluitur.

[illegible]

D Addent fortasse & hanc rationem. Aut ea qualitas extrinsecus impressa vnica esset in qualibet re, aut tam multæ essent, quam multa sunt effecta supernaturalia, quæ per quamlibet fieri possunt: at horum vtrumque incredibile est, imo & impossibile. Vnica enim si esset, haberet infinitam virtutem instrumentalem, quandoquidem infinita effecta supernaturalia specie distincta per quamlibet creaturam operatiuam à Deo fieri possunt: at virtus infinita etiam in instrumento E dari non potest. Si vero essent tam multæ, quam multa sunt effecta supernaturalia, quæ per quamlibet creaturam fieri possunt, daretur infinitum numero simul in rerum natura. Verum hæc ratio, etsi efficax est contra eos, qui volunt eam qualitatem esse permanentem; nihil tamen conficit aduersus illos, qui volunt eam imprimi per modum transeuntis, quandiu opus supernaturale per creaturam F efficitur.

Quam vim habeat.

[illegible]

Aliis ergo rationibus impugnanda est hæc sententia. Primum, quia huiusmodi qualitas nec potest esse permanens; siue vna sit sola, siue plures, vt nunc probatum est; nec vero transiens, quia obedientialis potentia comitatur quamlibet rem creatam ab ipso eius ortu, neq; eam vnquam deserit. Deinde, quia etsi nulla

Aliis rationibus refellitur.

nulla qualitas rebus creatis extrinsecus imprimatur, ipsæ tamen res per se non possunt non obedire Creatori ad nutum, quandocunque eis vti velit ad omnes operationes supernaturales, quæ earum ministerio fieri possunt: *Omnes enim creaturæ*, vt ait Hieronymus, *sentiunt Creatorem*, (imperantem videlicet), *non errore*, inquit, *Hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed maiestate conditoris*. Si ergo in eis est aliqua potentia obedientialis actiua, vt supponitur, non potest illa esse qualitas aliqua extrinsecus impressa, sed ante impressionem cuiusque alienæ qualitatis in ipsis rebus reperiri debet. Tertio, quia etsi multæ qualitates imprimantur in creaturis, vt exercere possint actus supernaturales, & habitus fidei, spei, & charitatis intellectui, & voluntati: tamen eæ qualitates se tenent ex parte Dei eleuantis creaturas suas, suntque quasi instrumenta, quibus ab eo eleuantur: potentia vero obedientialis se tenet ex parte creaturarum, quæ eleuantur, & in eis ipsis ante eleuationem vel tempore, vel natura prius reperitur; quod etiam in sequentibus fiet apertius. Possunt igitur huiusmodi qualitates appellari habitus, vel dispositiones; potentiæ autem obedientiales actiuæ haudquaquam. Vnde sententia hæc nullius, quod sciam, authoris est; sed disputationis gratia ex hypothesi à nobis proposita: Scotus enim, qui necessariam esse dicit qualitatem superioris ordinis ad opera supernaturalia vere, seu physice efficienda; & Thomistæ ii, qui eam ponunt in Christo ad opera miraculosa, non dicunt esse potentiam obedientialem, sed habitum, vel dispositionem supernaturalem.

In cap. 2. Matth.

Sententia [illegible] proposita, nullū habere authorem.

Potentiam obedientialem actiuam non esse ipsas rerum essentias ex se inchoate propensas ad supernaturales operationes.

SECTIO III.

Propositio [illegible].

SECVNDA sententia, qua nonnulli volunt potentiam obedientialem actiuam nullatenus distingui ab ipsis creaturarum rerum entitatibus, recentiorum quorundam est propria: qui recte supponentes, nullam qualitatem extrinsecus impressam, vllumve aliud accidens naturis rerum adiunctum, esse potentiam earum obedientialem actiuam, conantur ostendere eas non esse actiuas operum supernaturalium per solum principium actiuum, quod est in Deo; sed necesse esse, vt sint actiuæ per proprium aliquod, & peculiare principium actiuum, quod sit in eis ipsis; quod nullum aliud esse volunt, quam ipsas earum naturas, entitatesve, quibus creaturas A omnes, quotquot sunt, volunt instrumentaliter concurrere cum Deo ad eiusmodi operationes. Probant autem suam sententiam tribus potissimum argumentis.

Argumentum [illegible].

Primum, quia quemadmodum actio, quæ est actus quidam secundus, supponit in agente principali principium actiuum principale, quod etiam est principalis actus primus; ita supponere debet in agente instrumentali principium actiuum instrumentale, quod in B eo sit actus primus instrumentalis; siquidem ex actu secundo recte colligitur actus primus in eo ipso agente, à quo actio procedit. Quod cum ita sit, nec obedientialis potentia sit qualitas vlla extrinsecus impressa in rebus creatis, *(quod illi nobiscum recte sentiunt)* eisdemque rationibus neque aliud accidens illis adiunctum; necessario colligitur, vt aiunt, nullam aliam potentiam obedientialem actiuam in eis esse, quam ipsas earum es- C sentias.

Deinde, quia duæ causæ efficientes non cōcurrunt ad eundem effectū, nisi prius, saltem natura, quam operentur, vniantur inter se, vel loco, vel aliquo alio modo sufficienti, vt simul operari possint: Deus autem, & creaturæ, vt concurrant ad opera supernaturalia, nō possunt inter se accommodate vniri ad eandem operationem, nisi per hoc, quod quemadmodum Deus habet in se potentiam acti- D uam principalem ad illam, ita & creatura habeat in se actiuam instrumentalem ad eandē: cum igitur hæc potentia non possit esse quicquam additum ipsis entitatibus rerum creatarū, vt patet ex dictis, efficitur, vt ab eis nullatenus distinguatur. Propositio perspicua est. Assumptio ex eo probatur, quia vnio localis, siue secundum indistantiam, quam omnes creaturæ habent cum Deo, non est satis, vt Deus per illas agat supernaturalia opera, alio- E qui semper ea ageret: nec alia ratio vnionis se offert, quæ satis sit, vt vniantur cum eo ad huiusmodi opera, nisi quæ nunc dicta est.

Postremo, quia nulla res quicquam efficit per extrinsecum principium actiuum, nisi denominatione extrinseca, & ex consequenti per accidens; instrumentum autem non per accidens, sed per se concurrit cum principali agente ad eandem actionem: concurrunt ergo creaturæ cum Deo instrumentaliter ad F opera supernaturalia per principium effectiuum, quod in se habent, quodquidem aliud esse non potest, quam ipsæ earum entitates, vt iam patuit. Id etiam ex eo confirmant, quia alioqui, si per solum principium, quod in Deo est, agerent; potius illæ agerent per Deum, quam Deus per illas, quod dicendum nequaquam est.

Vo-

Summa huius sententiae, quae etiam procedit de pot. obed. passiua.

Existimant igitur hi Auctores, in omnibus rebus creatis, etiam in materia prima, & in ipsis quoque relationibus, quæ nullius pene entitatis esse dicuntur, inesse hanc potentiam obedientialem actiuam, vt per eas Deus possit efficere vera, seu physica efficientia, quidquid in rebus creatis non implicat contradictionem: quemadmodum in eisdem est potentia obedientialis passiua, vt in illis, & ex illis, concurrente Deo speciali concursu, fiat, quidquid similiter in rebus creatis contradictionem non inuoluit, quam etiam potentiam, quemadmodum & actiuam, volunt nulla ratione distingui ab ipsis rerum entitatibus. Id autem confirmare nituntur ex D. Th. in 4. sentent d. 8. q. 2. art. 3. & ex Alen. 4. p. q. 36. membr. 5. & ex Caiet. 3. p q. 78. art. 4. Nihil tamen aliud inde obtinent, nisi quod quemadmodum in rebus creatis datur potentia obedientialis passiua, ita & actiua; quod est res satis perspicua: neque enim D. Thom. aut cæteri iis locis dicunt, quemadmodum in rebus omnibus datur passiua, ita dari in omnib. actiuam: neque etiam dicunt, siue actiuam, siue passiuam, non esse quidquam aliud, quam ipsam cuiusque entitatem.

Non tamen bene colligi ex D. Thom. & aliis.

Reprobatur.

Nam materiam primam, neque relationes eleuari posse ad operandum.

Dicendum est igitur, hanc opinionem non esse admittendam. Namque inprimis illud probandum non est, materiam primam eleuari posse ad exercendas supernaturales actiones: quod enim nullo modo est actus, sed pura potentia, quo pacto sine contradictione principium effectiuum esse potest? Neque etiam illud probandum, relationes creaturarum esse posse principia effectiua: quanquam enim sunt actus ad actuandum, non sunt tamen actus, nisi ad respiciendum terminum, qui nul'o modo effectus earum esse potest, proinde sunt actus quidam steriles, & quasi appendices, ac sequelæ rerum simul existentium, quatenus modo aliquo inter se affectæ sunt. Tum etiam, si ipsæ omnes rerum creatarum entitates essent ex se ipsis principia effectiua operum supernaturalium, rationi consentaneum foret, vt quæ perfectiores sunt, essent ex se aptiores ad ea efficienda omnia, quæ assumi possunt ad opera supernaturalia, sunt æque apta ad illa exercenda, cum æque obediant creatori ad ea patranda, vt etiam ipsi volunt: non ergo ex principio actiuo, quod ex se habeant, antequam eleuentur, sed ex eo, quod illud in Deo est, habent, vt possint ad ea concurrere. Adde, quod si quælibet res creata habet in se virtutem actiuam ad ea opera, neque expectat à Deo, nisi proportionatum concursum ad ea facienda, non est vtique instrumentalis causa huiusmodi operum, sed principalis subordinata principali; instrumentum enim cum operatur vt instrumentum, nō agit virtute propria, sed virtute principalis agentis, vt est communis [illegible] Philosophorum sententia: quanquam [illegible] disponit ad operationem illius, quod [illegible] non semper habet locum, sed potius [illegible] vt etiam ipsi fatentur.

Vniuersim confutatur ratione.

Præterea, si potentiæ obedientiales sunt ipsæ entitates rerum, vt dicunt, sunt vtique potentiæ naturales earum; quid enim tam naturale est cuiq; rei, quam ipsa eius entitas & natura? Vnde inprimis sequitur, non distingui huiusmodi potentias obedietiales ab iis, quæ dicuntur naturales, tanquam non naturales à naturalibus, sed tanquã quadã naturales ab aliis naturalibus: nos autẽ in hac controuersia agimus de earum distinctione tanquam non naturalium à naturalib. Sequitur etiam, entitatib. rerum creatarum plene cognitis (quod naturaliter fieri potest, ia'tem ab Angelis) posse cognosci effecta omnia supernaturalia, quæ à Deo per eas fieri possunt, quod nequaquã dicendũ est: Sequela probatur, quia cognita plene potentia actiua (*si essentia quadam est*) cognosci possunt omnia, ad quæ illa vim habet. Nec solum hoc verum esse debet in potẽtia agentis principalis, sed etiam instrumentalis, si illa positiue in instrumento est, ac proinde distincta à potentia, quæ est in agente principali. Tum ẽt cum Deus tanquam naturæ author suo modo debeat rebus à se creatis, quicquid necessariũ est, vt earum naturalis appetitus expleri possit, plane colligitur ex eorum opinione, gratiam, & cætera dona supernaturalia deberi à Deo creaturis horum donorum capacibus; hoc autem dici nullo modo potest, cum pugnet cum multis locis scripturæ sacræ. Nec satis est, quod dicunt naturas rerum creatarum non esse simpliciter propensas ad actus supernaturales, sed inchoate; cũ Deus ite inchoate quidem dicendus sit debitor supernaturalium donorum: conniuebunt enim nonnihil, qui hoc concesserint, Pelagianorum reliquiis, vt ex lib. 6. intelligi potest. Quanquam quo pacto inchoate tantum propensæ sunt, si ex totis suis naturis sunt propensæ? Neque enim ideo dicendæ sunt inchoate propensæ, quia expectant à Deo (*quod aiunt*) proportionatum concursum, vt earum propensio, & appetitus expleatur: hoc enim habent omnes causæ naturales secundæ respectu primæ, aliarumque interiectarum comparatione eorum actuum, ad quos sunt naturaliter propensæ; cũ tamen non dicantur ad eos inchoate propensæ, sed integre, siue simpliciter. Adde, absurdissime ab illis concedendum fore, potentiã obedietialem simul esse naturalem, & su-

c. 2. q. 9. [illegible] 14.

& supernaturalem. naturalem, quia ex eorum sententia est positiuum quippiam ipsis rerum naturis cõgenitum, seu potius est ipsæ earum naturæ; supernaturalem, quia iuxta eorum sententiam vnaquæque creatura est per eam in suo ordine effectorum supernaturaliũ productiua in actu primo, tanquam per propriũ, & peculiare principium actiuum, antequam eleuetur ad supernaturalem operationem, quod nulli potentiæ naturali contingit.

B His adiunge, potentiam obedientialem apud eos, si positiuum est quiddam, esse simul & vnius speciei, & diuersarum, atq; adeo prope infinitarum: vnius, quia apud eos est vnius obiecti, quod esse volunt, quidquid per creaturam fieri non implicat contradictionẽ; diuersarum, quia ponũt eam identificatam formaliter cum diuersis, & prope infinitis specie entitatibus existentibus in rerum natura. Ad hoc respondent non omnes potentias specificari, & distingui per suos actus, & obiecta; sed eas, quæ suapte natura, & primaria intentione sunt ordinatæ ad suos actus, cuiusmodi non esse volunt potentiam obedientialem, quia non ordinatur suapte natura ad actus supernaturales. Sed nihil efficiunt. Primũ, quia obiectum potentiæ obedientialis actiuæ non est, quidquid per creaturam fieri non implicat contradictionem, vt ipsi volunt. Nam etsi demus, per quamlibet creaturam posse fieri à Deo quamlibet aliam, (*quod non concedimus*) tamen nulla fieri potest per se ipsam; quo fit, vt creaturæ, quæ habent potentiam obedientialem actiuã, habeant illam specie, aut quasi specie distinctam à potentia obedientiali actiua cuiuslibet alterius. Deinde, quia potentia obedientiali, quatenus obedientialis est, suapte natura respicit actus supernaturales, & supernaturalia obiecta, idq; primaria imo vero omnimoda intentione, quia non alia intentione obedientialis est: at entitates rerum creatarum, vt sunt earũ entitates, nullo modo respiciunt actus, & obiecta supernaturalia: vnde patet, non idem formaliter esse potentiam obedientialem actiuam cuiusq; rei creatæ, atque ipsam eius entitatem.

Potentias obedientiales actiuas, specie, aut quasi specie distingui in singulis creaturis.

Quid sit potentia obedientialis tam actiua, quam passiua, & quouis alio modo causatiua.

SECTIO IV.

DICENDVM igitur inprimis est, nihil positiuum præcedere in creaturis, quod dici possit potentia obedientialis actiua, sed solam negationem repugnantiæ, quam habent ad effectiue concurrendum cum Deo ad quamlibet ex iis supernaturalibus actionibus, quæ per eas fieri possunt. Hæc assertio ex impugnatione duorum præcedentium modorum dicendi probatur: neque enim aliud quicquam relinquitur, cui obedientialis potentiæ nomen conuenire possit, quam huiusmodi negatio. Nec vero alienum est ab vsurpata loquendi consuetudine, vt negationes repugnantiarum dicantur potentiæ, in aliqua potentiæ significatione: quod enim non repugnat fieri, hoc est, quod non est impossibile fieri, dicitur possibile apud Dialecticos: omne autem possibile ab aliqua potentia ducitur, quidquid ea tandem sit. Vnde cum nihil sit in creaturis, à quo possibile dicatur fieri ab eis aliquid supernaturale, cum ad id assumuntur à Deo, nisi negatio repugnantiæ ad concurrendum cum Deo ad huiusmodi opus; non est, cur ea negatio non dicatur earum potentia in latissima quadam potentiæ significatione. Neque obiicias, satis esse, quod id dicatur possibile à potentia, quæ est in Deo; nisi enim simul possibile esset ab aliqua potentia creaturarum, esset vtique ex parte earum omnino impossibile, quod nequaquam dicendum est. Quod autem huiusmodi potentia merito dicatur obedientialis, ex eo colligitur, quia nunquam creatura concurrit ad supernaturalem actionem, nisi cum actu subiicitur, & quasi obedit primæ causæ eam eleuanti ad huiusmodi actionem, per quidquid demum id fiat.

Quid omnino sit obedientialis potentia actiua.

Secundo loco dicendum, ipsas quoque entitates rerum, siue illæ substantiæ sint, siue accidentia, (*si modo ex natura sua aliquid agere possunt*) dici posse non quidem simpliciter potentes, sed obedientialiter potentes respectu actionum supernaturalium, quatenus obedientia quadam eleuandæ, & quasi confortandæ, possunt ad illas concurrere; non tamen, quod, antequam eleuentur, sint suapte natura propensæ, siue integre, siue inchoate ad eas exercendas; sed quia eis non repugnet ad illas concurrere, si à supernaturali agente ad eas exercendas assumantur. Hæc assertio ex superiori facile deducitur; quia si non repugnantia ipsa est potentia obedientialis, cur non ex ea dicentur res obedientialiter potentes? Adde, in sensu etiam identico negatiuo posse huiusmodi entitates dici potentias obedientiales actiuas, nempe non solum nomine connotatiuo *potentium*, sed etiam absoluto *potentiarum*, quia negationes ipsæ repugnantiæ, non sunt res aliæ ab ipsis naturis rerum, quarum sunt potẽtiæ: quo pacto apud Aristotelem vnum, & ens dicuntur eadem natura, quia non sunt diuersæ. Locuti autem sumus de solis entitatibus, quæ ex natura sua actiuæ sunt, quia probabilius est, eas, quæ ex natura

Quo pacto res ab eo dici queant Potentes.

Imo & Potentia.

4. Met. c. 2. tex. 3.

[illegible] nullo modo sunt actiuæ (*quod dicitur* [illegible] *materia & relationibus* non posse eleuari ad supernaturales actiones.

Quid opus sit rebus, vt sint in actu primo ad actiones supernat.

Tertio dicendum, vt res creatæ habentes aliquam efficientem sibi naturalem sint in actu primo ad eas actiones supernaturales, ad quas eleuari possunt, necesse quidem esse, vt habeant aliquod principium effectiuum supernaturale, quod ad ipsas modo aliquo pertineat: verum non esse necesse, vt illud habeant in se ipsis, sed satis est, quod habeant illud in Deo. Hæc assertio non melius probari potest, quam ex ipsis actionibus supernaturalibus, quas Orthodoxa fide confitemur. Prima enim eius pars ex eo perspicua est, quia principia actionum supernaturalium effectiua supernaturalia quoque esse debent: respicit enim sese principia effectiua, eorumque actiones appellatione reciproca, vt vtraque vel naturalia sint, vel supernaturalia: vnde, si res creatæ ad eas concurrunt, aliquod principium effectiuum supernaturale modo aliquo habeant, necesse est, à quo huiusmodi actiones effectiue procedant, quacunque ratione illud habeant. Secunda vero & tertia ex eo simul probantur, quia etsi actus supernaturales secundum essentiam, vt actus fidei, & charitatis, post infusionem habituum supernaturalium effectiue procedunt ab ipsis habitibus, tanquam à principiis supernaturalibus in nobis existentibus; tamen absoluta Dei potestate solo ipsius speciali concursu in nobis elici possunt, vt omnes fatentur: imo etiam sæpe in ipso momento infusionis habituum, prius natura eliciuntur supernaturales actus, quam ipsi habitus infundantur. Eodemq; modo, etsi actus beatificus videndi Deum procedit effectiue ab habitu luminis gloriæ, quo eleuatur intellectus creatus, vt diuinā essentiā videre possit; tamen absoluta Dei potentia solo Dei concursu speciali ab eodem intellectu elici potest, supplente Deo concursum luminis gloriæ in productione eiusmodi actus, vt omnes etiam fatentur. In quibus euentibus nullum principium effectiuum eorum actuum est, aut esset in nobis, sed in Deo concurrente nobiscum supernaturaliter ad productionem illorum. Quin etiam ipsa diuina essentia clare visa, est veluti species intelligibilis intellectui creato, & ex consequenti est principium effectiuum visionis beatificæ sanctorum: nec tamen inest ipsis eorum intellectibus. Idem quoque confirmatur ex actionibus, quæ viribus naturæ fieri possunt. Actiones enim, quæ procedunt ab artificibus per instrumenta, nullum principium effectiuum habent in ipsis instrumentis, sed in artificibus; neque enim

Principia actionum supernatur. debere esse supernatural.

In instrumento artificum nō est principiū effect. actionū artific.

principium effectiuum pingendi, aut scribendi, est in penniculo, aut calamo, sed in pictore, aut scriptore, & sic [illegible]teris. Quo etiam pacto principium effectiuum miraculorum Christi Domini non erat in rebus iis, quibus ipse vtebatur ad facienda miracula, sed in ipso. Hoc tamen aduertendum est, agentia libera in actibus supernaturalibus liberis non esse proprie instrumenta, sed causas principales subordinatas primæ causæ specialiter cum illis concurrenti, vt ostendimus libro sexto contra quosdam, qui oppositum sentiunt: res autem, quæ non agunt libere, quandocunque per eas aliquid fit supernaturaliter, semper esse agentia instrumentalia, quia nec agunt virtute propria: nec si in eis daretur qualitas aliqua supernaturalis impressa, (*de qua re dubium esse potest*) se ipsas determinare possent ad agendum. Quod si in eis insit principium effectiuum naturale earū actionum, quæ per eas fiunt, vt per instrumenta: tunc poterunt illæ quidem dici causæ principales subordinatæ respectu agentium, quæ illis vtuntur: verum non subordinatæ per se, sed per accidens, vt cum quis applicata ignita face comburit syluam, aut conscenso, & directo equo iter facit.

Discrimen inter res liberas, & nō lib. quando eleuantur ad actus supernat. c. 2. q. 5. sect. 13.

Quarto loco dicendum est, quod ostendimus in potentia obedientiali actiua, idem intelligendū esse de obedientiali passiua, & quouis alio modo causatiua; vt nimirum res, quæ à Deo assumuntur ad causandū aliquid supra earum vires, nihil habeant in se, antequā assumantur, quod earum potentia obedientialis dici possit, nisi non repugnantiam ad id, quod per eas causandum est: quanquam res ipsæ, quatenus eis non repugnat, concurrere ad supernaturalē effectum, dici possunt obedientialiter potentes ad illum causandum; & in sensu identico negatiuo obedientiales potentiæ, vt dictum iam est. Hæc assertio non alia ratione necesse est probetur, quā quia eadem ratio est in potentiis obedientialibus, quæ ad alia causarum genera spectāt, quæ est in obedientiali actiua.

Quid sent[iendum] de potentia obedientiali passiua, &c.

Atque hoc pacto in eadem numero materia est non repugnantia, vt simul informetur pluribus formis eiusdem speciei: & in eadem numero forma, vt simul informet plures numero materias. Porro ad genus causæ formalis reducitur non repugnantia eiusdem numero corporis, vt simul sit in pluribus numero locis, aut in eodem simul cum aliis numero corporibus. Repugnantia enim, quam naturaliter habent corpora, vt vel vnum sit in pluribus locis, vel plura in eodem similis est repugnātiæ formarum, vt simul vna sit in pluribus materiis, aut plures in eadem:

Exempla potent. obedientialis, materialis, & formalis.

quæ

quæ tamen naturalis repugnantia supernaturaliter vincitur per potentiam obedientialem ipsorum corporum, & supernaturalem Dei concursum ei similem, quo vel eadem forma ponitur simul in pluribus materiis, vel plures simul in eadem.

Quam potét. habeat corpus Christi ad sustentandu accidétia sacrament.

Hoc eodem pacto Christi Domini corpus in cœlo existens, antequam præsens sit apud nos sub accidentibus sacramentalibus, nihil aliud habet, quod potentia obedientialis dici possit, vt ea sustineat, vt statim probãdum est, & ill s vniatur sine subiectione, quam non repugnantiam quandam ad illa sic sustinenda: quæ sustinentia, siue sustentatio, pertinet ad genus causæ sustentantis, quod commune est materiali, siue subiectiuæ, & non subiectiue.

Quam accidentia ad illud continendum.

Hoc etiam pacto accidentia panis ante consecrationem nullam aliam potẽtiam obedientialem habent ad continendum sacramentaliter corpus Christi Domini post consecrationem, & illud secum ex loco in locum transferendum, nisi solam nõ repugnantiam ad illud continendum sine inhæsione; quæ continentia pertinere non potest ad aliud genus causæ, quam continentis, quod commune est formæ informanti, & non informanti, vt ostendimus lib. 5. & 7. Neque enim hoc fit per solam potẽtiam obedientialem actiuam, quod iidem recentiores volunt; credunt enim, accidentia ante consecrationem habere potentiam obedientialem attractiuam corporis Domini ad se in eo instanti, in quo primo sacramentum confectum est, aut immediate post illud: aut certe corpus Christi ex altera parte habere potentiam obedientialem attractiuam illorum ad se ipsum, quo pacto magnes ferrum ad se trahit: sicque aut accidentia attrahere ad se corpus Domini, aut corpus Domini accidentia, aut ex vtraque parte dari mutuam attractionem. Nam neque id satis esset, si fieret immediate post instans consecrationis absolutæ: oportet enim corpus Domini, & accidentia illa esse vnita sacramentaliter in ipso vltimo instanti prolationis verborum. Neq; etiam satis esset, si fieret in eo ipso instanti: attractio enim ea, si tũc fieret, etsi efficeret immediationem, siue indistantiam accidentium, & corporis Christi Domini: non efficeret tamen eam vnionem, quæ necessaria est inter illa extrema, nisi secum afferret alias causalitates non pertinentes ad causam efficientem, vt nimirum accidentia continerent corpus Domini sine inhæsione, & corpus Domini sustentaret illa sine subiectione: nihil enim aliud facit attractio, quam indistantiam attrahentis, & attracti: (præsertim quæ non fit per qualitates impressas, quo pacto hæc non fieret, si daretur) quæ tamen indistantia per se ipsam non est satis, vt extremorum alterum contineat, alterum contineatur. Quare cum & Patres, & Scholastici Theologi, imo & duæ generales Synodi, conuentu, & vnione vtriusque Ecclesiæ Græcæ, ac Latinæ celebres (*Lateranensis, inquam, sub Innocentio III. & Florentina sub Eugenio IV.*) asserant, vnionem specierum panis tanquam vnius extremi cum corpore Domini, tanquam cum altero extremo esse vnionem continentis, & contenti: necessario dicendum est, hanc vnionem non consistere in effectiua attractione: quæ fingitur; sed ex parte specierum esse illam eandem contentiuam, qua species continebant panem, excepta inhærentia; & ex parte corporis Domini esse item illam eandem sustentatiuam, qua panis sustentabat species, excepta subiectione, seu passiua informatione. Neque enim species continent corpus Domini eo modo, quo vas continet id, quod in illud ingeritur, cum vas solum extrinsecus ambiat, species autem etiam intrinsecus contineant corpus Domini, & ab eo diuina virtute sustentẽtur. Qui modi continendi, & sustinendi, cum ante consecrationem non pertinuissent ad genus causæ efficientis, vt perspicuum est, sed ad duo illa continentis, & sustentantis, non debent etiam post consecrationem ad aliud causæ genus pertinere, quandoquidem per sacramentalem actionem hoc resultat in speciebus, & corpore Domini, vt species relinquant solam inhærentiam, quam habebant in pane, & retineant continentiã respectu corporis Domini, corpus autem Domini non admittat subiectionem, quam panis habebat sub speciebus, sed solam sustentationem, qua illas sustinebat; sicq; fiat mirabilis illa coniunctio sacramentalis, quæ ne Angelis quidem in mentem tanquam futura venisset, nisi Deus tanti mysterii autor nostri causa eam inuenisset, ac reuelasset.

In quo consistat vnio sacramentalis specierum, & corp. Christi.

Quod si hæc coniunctio nulla esset alia, quam quæ fieret ex pacto, quo Deus instituisset, vt species sacramentales nunquam desererent corpus Domini, & per solam indistantiam illud comitarentur, vt quidam videntur existimare; præterquam quod id non satis esset ad vnionem continẽtis & contenti, vt dictum est, non tantopere mirabilis ea esset apud omnes, qui de illa disputant, eiusque difficultatem extollunt. Neque enim valde mirabile est, conseruari semper effectiue à Deo in eadem indistantia species, & corpus Domini, vbicunque species sint, & quocunque moueantur: sed illud ingens miraculum est.

Cur sit mirabilis.

[A] quo pacto species contineant corpus Domini formali continentia sine inhæsione, seu informatione, & vicissim corpus Domini contineatur ab eis, easq; sustentet sine subiectione, seu passiua informatione: in hoc enim vnionis modo valde inuertitur ex vtraq; parte naturalis rerum ordo.

Quænam sit, iuxta quorundam sententiam, actio illa potentia obedientialis verborum sacramentalium, ex qua resultat mirabilis illa vnio corporis Christi Domini cum accidentibus panis?

[B]

SECTIO V.

Ipsa imprimis transubstantiationem.

SED quærat aliquis, quænam sit actio, ex qua resultat vnio illa mirabilis corporis Domini cum accidentibus, quæ fuerant panis præcedentis? Ad quam dubitationem inprimis respondendum est, esse conuersionem panis in corpus Domini, quæ continenter, & [C] proprie à sancta Catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata, vt tradit Tridentina Synodus sessione 13. c. 4. Quod idem est dicendum de actione, qua vinum conuertitur in sanguinem.

Productionem eam esse volunt recentiores.

Verum, quid sit ea conuersio, seu transsubstantiatio, non inter omnes conuenit. Sunt enim ex recentioribus, qui existiment, transsubstantiationem panis in corpus Domini [D] esse productionem substantialem eius corporis, non simpliciter tamen, cum iam illud extet productum, sed productionem eius in loco panis, qui conuertitur; quam productionem hac ipsa de causa volunt eorum nonnulli, conseruationem potius substantialem dicendam esse, quam productionem, sed tamen talem conseruationem, vt si corpus Domini nullibi existeret in rerum natura, posset per eam simpliciter, seu de nouo produci: quo pa- [E] cto ipsa hodierna conseruatio Angeli aut cœli dici posset simpliciter eorum productio, si antea non extitissent. Quam sententiam his fere argumentis probant.

Argumenta eorum.

Primum, quia hæc conuersio non est accidentalis, sed substantialis: (*ob id enim transsubstantiatio est appellata*) nulla autem esse potest substantialis conuersio, nisi per quam producatur aliqua substantia, aut simpliciter, aut vbi prius non erat.

Deinde, quia conseruatio, qua corpus Domini in cœlo conseruatur, non est satis, vt illud conseruetur in sacramento, cum in cœlo sit naturali modo, in sacramento autem supernaturali.

Tertio, quia noua conuersio intelligi non potest sine acquisitione aliqua termini ad quem; nec conuersio substantialis sine nouitate substantiali: cum ergo in sacra Eucharistia non fiat simpliciter noua productio substantiæ corporis Domini, fiet vtique ea in loco panis, cui succedit.

Quarto, quia si formalis terminus sacramentalis actionis non est huiusmodi productio, erit vtique sola præsentia corporis Domini in loco panis præcedentis: at hic terminus est accidentalis, & qui proinde non est huic sacramentali actioni tribuendus.

Vide supra num. 3. disput. 50. sect. 4.

Postremo, quia Patres nonnunquam dicunt, corpus Christi Domini creari in sacra Eucharistia: hoc autem simpliciter dicere non possunt, quod noua productione simpliciter producatur; ergo, quia totali productione & ex parte materiæ, & ex parte formæ producitur in loco panis.

Vera, & communior sententia de eadem re.

SECTIO VI.

Assertio communis.

SED hæc opinio opposita est communiori Theologorum sententiæ, quæ nullam ponit productionem corporis Domini factam per verba sacramentalia, sed solam positionem eius per modum substantiæ sub accidentibus panis præcedentis; vbicunque tamen ponitur corpus Christi, simul semper ponitur eius intima conseruatio passiua, quam habet in cœlo. Quanquam vero hæc sententia tribuitur Scoto, tanquam ei, qui clarius eam proposuit in 4. dist. 10. & 11. tamen eam sequuntur plerique Nominales, & fere reliqui graues sententiarii, si quis eorum dicta considerate perpendat, ac nouissime Cardinalis Bellarminus libr. 3. de Eucharist. cap. 18. Nihil enim aliud ab eis in hac transsubstantiatione requiri videbitur, quam vt virtute verborum sacramentalium corpus Christi Domini ponatur per modum substantiæ sub accidentibus panis; quod fieri posse sine eius productione etiam ipsi aduersæ opinionis authores plane confitentur; sed solum dicunt, probabilius esse, & ad rationem transsubstantiationis accommodatius, si id dicatur fieri per productionem corporis Domini, nō simpliciter, sed in loco panis. Quod ergo contradicendum sit, retinendaq; potius communis [F] sententia, his rationibus probatur.

Scot. in quod. q. 10. In 4. d. 10. & 11. Mair. q. 6. Alens. 4. p. q. 34. [illegible]

Probatur rationibus.

Prima.

Primum, quia in hoc mysterio non sunt asserenda, nisi quæ perspicue significantur per verba sacramentalis formæ, vel vniuersalis Ecclesiæ authoritate intelligenda traduntur; vel ex illis colligi certum est: verba autem formæ sacramentalis, quæ sunt Christi Domini per Sacerdotem prolata, nihil aliud si-

gnificatur, quam illud, quod ostenditur, sub velamine sacramentalium accidentium, esse corpus Christi: neque vlla vniuersalis Ecclesiæ traditio est, quæ declaret, illud noua productione produci in loco panis, vt patet; neq; item vlla ratio est, quæ conuincat ita sentiendum esse, vt patebit ex solutione earum, quæ pro eadem sententia propositæ sunt: ita fit, vt ea productio inducenda non sit.

Secunda ratio.

Deinde, quia superuacanea, ac proinde reiicienda sunt ab hoc mysterio ea, quæ necessaria non sunt ad veram conuersionem totius substantiæ panis in corpus Christi Domini, & totius substantiæ vini in eius sanguinem; illaque sunt retinenda, quæ sunt satis ad hanc conuersionem tuendam, & omni fidelitate venerandam: ad hoc autem satis est, si ponatur corpus Christi Domini sine vlla productione sub accidentibus panis per modum substantiæ, & eius sanguis eodem modo sub accidentibus vini: ergo, &c. Maior patet. Minor probatur, quia ex vi positionis corporis Domini sub accidentibus panis per modum substantiæ, (*quod idem intelligatur de sanguine*) perit tota eius panis substantia: hoc autem dato nihil deest in hac conuersione ad rationem conuersionis vere substantialis, etiam si terminus ad quem illius non producatur in loco panis.

Poni Christi corpus sub speciebus panis per modum substantiæ, duo includit.

Prior propositio huius argumentationis ex eo probatur, quia poni corpus Christi Domini sub speciebus panis per modum substantiæ duo includit: vnum est, poni sub eis indiuisibiliter, siue inextense, seu (*quod eodem redit*) totum sub tota quantitate panis, iisque accidentibus, quæ illi inhærent, & totum sub qualibet eius parte: alterum est, eas sustentare more panis præcedentis, sublata imperfectione subiectionis, quæ in pane respondebat mutuo earum inhærentiæ in illo. Cum ergo panis præcedens non sustentasset eas species, nisi cum subiectione sui respondente earum inhærentiæ, efficitur, vt suppleta earum sustentatione per corpus Domini positi sub illis per modum sustentantis illas, & vicissim ab illis cõtenti sine vlla subiectione, siue passiua informatione, pereat tota substantia panis, quæ suis accidentibus destituta naturaliter conseruari non potest. Prouidentissime autem id institutum est à Christo Domino, quia, si eius corpus poneretur simul cum pane, non sublatis à pane speciebus, (*quod fieri posset*) præterquam quod nulla ibi esset conuersio substantialis, quemadmodũ nulla substantiarum successio, non posset pronomen *Hoc*, quod in forma consecrationis positum est, demonstrare corpus Domini, sed solum panem. Ea enim sola substantia demonstraretur

Cur per positionem, corporis Christi desinat panis.

esse sub his, aut illis accidentibus, quæ illud sustentat, & ab illis continetur, siue per eorum inhærentiam ab eis contineatur, siue per solam continentiam: at in eo casu non corpus Christi, sed panis sustentaret accidentia.

Posterior propositio ostendi potest ex diuisione conuersionis. Nam quod ad rem attinet, duplex est conuersio: altera formalis, in qua vna forma succedit alteri formæ in eadem numero materia, vt cum ex aqua per generationem fit aer: altera subiectiua, in qua vnum subiectum, aut quasi subiectum succedit alteri subiecto, aut quasi subiecto sub eadem numero forma: vt cum ex alimento per nutritionem fit humana caro, deperdita simul per resolutionem parte carnis præcedentis: succedit enim tunc sub eadem forma materia elementi, quod corrũpitur, materiæ eius carnis, quæ resoluitur per calorem natiuum, aut peregrinum, vt noua caro gignatur. Cur autem nomine subiecti complexi simus quasi subiectum, hoc exemplo intelligetur. Duobus modis posset panis diuina virtute in lapidem conuerti: vno, si lapis, in quem conuerteretur, subiret eodem modo accidentia præcedentis panis, quo panis sub illis continebatur; ita scil. vt illa successiue inhærerent vtrique, & consequenti ab vtroque successiue sustentarentur: altero, si lapis ita subiret accidentia panis, vt non subiiceretur eorum inhærentiæ, sed tantum diuina virtute illa sustentaret, ne vicissim illa ei inhærerent, sed tantum eadem potestate illum sine inhæsione continerent. Priori igitur modo lapis succedens pani esset proprie subiectum, quia subiiceretur iis accidentibus, quæ vicissim illi inhærerent: posteriori autem non esset proprie subiectum, quia accidentia illa, etsi inhæsissent pani, tamen non inhærerent lapidi, ac proinde is non proprie illis subiiceretur, sed eatenus tantum diceretur eorum subiectum, quatenus ea sustentaret, & ab illis contineretur. Hoc igitur secundo modo succedit corpus Domini toti substantiæ panis præcedentis, & ideo non succedit illi vt proprie subiectum, sed quasi subiectũ; quia per actionem verborum sacramentalium resultat in eo duplex illa conditio subiecti, in quarum neutra includitur imperfectio; vna, vt accidentia panis sustentet, altera, vt ab eis contineatur.

Duplex conuersio, formalis, & subiectiua.

Quibus ita constitutis probatur propositio ex proportione conuersionis subiectiuæ cum conuersione formali: habent enim inter se proportionalẽ similitudinem. Vtraq; enim est à termino positiuo, qui conuertitur in terminum positiuum, in quem conuertitur: proinde neutra est mutatio simplex, quæ est à termino negatiuo in positiuum, aut ex positiuo in

uo in

ut [illegible] negatiuum; sed complexa, quæ propriè dicitur Græcè μεταβολή, Latinè transmutatio, quia est transitus ab vno termino positiuo in alium positiuum, vt diximus li. 5. cum de motu ageremus. Deinde, quemadmodum in conuersione formali transitur ab vna forma ad aliam formam in eodem subiecto: ita in conuersione subiectiua transitur ab vno subiecto ad aliud subiectum sub eadem forma. Denique, quemadmodum ea sola conuersio formalis est substantialis, qua transitur ab vna forma, quæ est substantia ad aliam, quæ etiam est substantia: ita omnis conuersio subiectiua est substantialis, quia semper in ea transitur ab vno subiecto, aut quasi subiecto, quod est substantia, in aliud subiectum, aut quasi subiectum, quod similiter est substantia. Nam & illud, quod est quasi subiectum, substantia sit necesse est, cum & per se existat, & sustineat accidentia: (*tametsi ab illis non informetur, vt patet ex dictis*) quorum vtrumque proprium est substantiæ creatæ seu finitæ.

Quid sit [illegible] subst.[illegible]

Propositio igitur ex eo probatur, quia quemadmodum conuersio formalis à forma ducitur: ita subiectiua à subiecto, aut quasi subiecto: vt autē conuersio formalis sit substantialis, satis est, si forma succedēs in eadem materia sit substantia, siue producatur in illa, siue iam producta ponatur in ea per modum informantis, vt patet in conuersione aquæ in aerem, & in conuersione cadaueris in hominem rediuiuum: igitur, vt conuersio subiectiua sit substantialis, satis erit, si subiectum, aut quasi subiectū, succedens sub eadem forma sit substantia, siue producatur sub illa, siue iam productum ponatur sub ea per modum substantiæ sustinentis illam; est enim in vtraque conuersione par omnino ratio, seu proportio. Nihil ergo deest conuersioni panis in corpus Domini; quominus sit substantialis, etiamsi corpus Domini non producatur sub quantitate panis, & accidentibus in ea existentibus.

Differentia inter conuer. formalem & subiectiuam.

Ad pleniorem huius conuersionis substantialis intelligentiam ex parte rei, quæ conuertitur, aduertendum est, in conuersione formali nunquam totam substantiam rei, quæ conuertitur, perire: sed vel formam eius tantum conseruata materia, vt cum aqua conuertitur in aerem: vel ne formam quidem ipsam perire, sed solum excludi à materia, veluti cum homo moritur: in conuersione autem subiectiua non semper eodem modo se rem habere. Nam quidquid sit in ea subiectiua, in qua conuersio fit sub aliqua forma substantiali, certe in ea, in qua fit conuersio sub aliqua forma accidentali, vt si panis conuertatur in lapidem vtrouis modo ex supradictis, totum subiectum, aut quasi subiectum, quod conuertitur, perit tam quoad formam, quam quoad materiam: atque hæc sola conuersio dici potest transsubstātiatio, quia est conuersio totius substantiæ rei, quæ conuertitur in substātiam eius, in quam conuertitur; quo pacto panis conuertitur in corpus Christi Domini.

Tertia ratio.

Tertia ratio est, quia si quid impediret, quominus in hoc mysterio daretur vera cōuersio substantialis sine productione corporis Christi Dñi, vbi erat panis, id maximè esset, quia sequeretur, cōuersionem nihil aliud esse, quam adductionē corporis Domini (*vt eā vocat Scot.*) ad locum specierum panis, vt initio huius disputationis oppositæ sententiæ authores argumentabantur: ea aūt adductio non esset quicquam aliud, quam motus quidam localis, cuius terminus ad quem non est substantia, sed locus, siue spatium; at hoc non sequitur, ergo nihil impedit. Quod autem id nō sequatur, ex eo patet, quia adductio corporis Domini ad locum specierum non est motus localis illius, quod ex eo probat D. Tho. 3. p. q. 75. art 2. & 4. quia humanitas Christi Domini non deserit locum, quem occupat in cœlo; nec pertransit loca media, vt inde descendat ad altare; neque est in sacramento localiter (*seu circumscriptiue sed [illegible], seu definitiue*) vnde nec Scoti loquutio caret aliqua improprietate, cum adductio sonet motū localem rei aliunde aduectæ; sed est mutatio quædā simplex, qua corpus Domini ponitur in instanti sub specieb. panis per modum substantiæ. Deinde idem ex eo constat, quia terminus per se, ac primus eius actionis, qua corpus Christi Domini ponitur in sacramento, non est locus seu spatium, vbi erat panis, sed est esse sub specieb. panis per modum substantiæ. Cum primum enim hic terminus acquisitus est siue in hoc spatio siue in quouis alio, tum primum corpus Domini est in sacramento: & quandiu illud est sub hoc termino, tandiu manet in sacramento, siue locum mutet, siue in eodem perseueret; spatiū enim non acquiritur à corpore Domini, nisi consequutiue, & quasi per accidens ad acquisitionem specierum, quia nimirum non possunt in rerum natura poni, nisi sint in aliquo spatio, vt quælibet alia res creata.

Positio corporis sub speciebus non est adductio localis.

Quid ergo.

Quinam sit eius terminus.

Obiectio.

Quod si illi vrgeant, etiam hoc pacto non dari in hac cōuersione actionē substantialem sed accidentalem; siquidem esse sub speciebus est terminus accidentalis respectu corporis Domini, proinde necesse esse, vt detur ibi productio illius: respondendum, positionem corporis Dñi sub accidentibus panis per modum substantiæ, etsi secundū se terminatur ad ter-

Solutio.

minum accidentalem; tamen ex intentione Christi Domini conuertentis panem in corpus suum terminari ad terminum substantialem. Idcirco enim illud ponitur per modum substantiæ sub accidentibus panis, vt succedat pani pereunti ad eius ingressum. Itaque actio illa dici potest & accidentalis, & substantialis: accidentalis, quia terminatur secundum se ad terminum accidentalem, qualis est huiusmodi existentia corporis Domini sub speciebus panis: substantialis autem, quia ex illa iuxta intentionem Christi Domini resultat conuersio totius panis in substantiam corporis Christi, per hoc, quod illud ex vi positionis, qua ponitur per modum substantiæ sub speciebus panis, succedit sub illis toti substantiæ panis pereuntis, in eisq; sustentandis officium panis exercet sine imperfectione subiectionis. Huius autem rei habemus ex parte aptam similitudinem in conuersione formali substantiali, hoc est, in substantiali generatione. Generatio enim rei naturalis ex sententia D. Thomæ, grauiorumq. Philosophorum, ac Theologorum, quam vbique sequimur, est eadem actio cum motu dispositiuo materiæ ad introductionem formæ substantialis: hic autem motus etsi terminatur secundum se ad terminum accidentalem, qui est dispositio eius completa; (*siue extrinsecus scilicet, siue intrinsecus, secundum diuersas opiniones*) ex intentione tamen generantis terminatur ad substantialem formam, quæ secundum veriorem, grauioremque eorundem sententiam resultat in materia ex ipso dispositiuo generationis motu.

Nunc actionem dici posse & accidentalem, & substantialem.

A

B

C

D

Vltima ratio sit, quia ea sententia potius amplectenda est, in qua pauciora, & minora sunt dubia, & ad quam tuẽdam pauciora miracula sunt necessaria, vt patet ex regulis probabilium opinionum: at in hac sententia ita res habet comparatione oppositæ opinionis: ergo ea tenẽda est. Minor probatur primum, quia multi dubitant, num res, quæ iam existit, dum existit, iterum in alio loco produci possit: sunt enim, qui putent, impossibile esse, & implicare contradictionem, vt idem, dum retinet suum esse, iterum illud accipiat, quasi illud non habeat, sicque illud accipiat, & non accipiat: nec credunt, locorum diuersitatem id efficere posse, cum in vtroque ponatur vnum atq; idem esse, quod nõ potest simul accipi, & non accipi. Alii, etsi perspicuam cõtradictionem non inueniunt, probabile tamen credunt eam inueniri posse; quemadmodum & in infinito actu, quod fere omnes putãt dari non posse, cum tamen nemo hactenus apertam contradictionem eius rei inuenerit. At omnes Theologi, etiam ii pauci, qui cõmunis

Vltima ratio. Facilior hæc sententia, & opposita.

E

F

sententiæ aduersantur, fatentur, ad efficiendum hoc sacramentum satis esse, vt Christi Domini corpus ponatur per modum substantiæ sub accidentibus panis, etiamsi illis non producatur, vt initio huius disputationis diximus, (*Nam & naturaliter quæque forma, siue sui productione ponitur in partibus aduenientis, existens simul in aliis partibus per innutritione: & idem Angelus, existens in medietate eius loci, quem naturaliter occupat, potest, ponitur simul à se ipso in alia dimidia parte sine sui productione*) tametsi aduersarii in hoc sacramento oppositũ accidere de facto existimẽt. Præterea etsi possibile sit (neque enim forsan est omnino impossibile) produci corpus Domini in sacramento, dum ipsum alibi existit, tamen ea ratione id videtur re vera non fieri, quia eius productio, si daretur, non satis per se esset ad confectionem sacramenti: corpus enim Domini ex vi talis productionis præcise non efficeret, vt panis præcedens periret; siquidem ex eo solo, quod illud produceretur, non sequeretur tolli à pane accidentia, quæ illum conseruabant: at ex eo tantum, quod illud ponitur sub accidentibus panis per modum substantiæ, plane sequitur perire panem: ex quo fit, vt hoc potius amplectendum sit. Quod si authores oppositæ opinionis dicant se non asserere solam productionem corporis Domini in loco panis, sed simul positionem illius sub accidentibus panis per modum substantiæ; cum hoc posterius etiam ipsorum confessione sufficiat, non est, quod illud prius asserere debeant. Postremo, quia vt alia plura mittamus incommoda, si corpus Domini per consecrationem produceretur, (*quamquam non simpliciter sed in loco panis, vel diuino*) tamen necesse foret, vt quoties fieret, toties quoque illud idem assumeretur à Verbo diuino ad vnionem hypostaticam; alioqui corpus illud non esset corpus Christi Domini: quis autem vel Patrum, vel antiquorum Theologorum diceret, aut ferret, si audiret nouas nunc fieri vniones hypostaticas totius naturæ humanæ cum diuina, non simpliciter, sed in altaribus totius Ecclesiæ, tam multis scilicet myriadibus consecrationum, quam multæ fiunt quotidie: cum re vera vnio hypostatica sit omnium miraculorum maximum: at in ea sententia, quam sequimur, nihil tale necesse est admittere.

Non perire panis præcise ...

Ita patet, actionem illam potentiæ obedientialis verborum sacramentaliũ, qua fit mirabilis illa vnio corporis Domini cũ accidentibus panis, nõ esse productionem eius in loco, seu spatio, in quo erat panis, neque etiam sub illius accidentibus, sed esse nouam positionem eius sub illis per modum substantiæ.

Summa dictorum.

Quo virtute fiat positio corporis Christi sub speciebus.

Compositio principaliter fit per Verbum diuinum ipsius diuinitatis virtute: instrumentaliter autem; tanquam per instrumentum coniunctum, per humanitatem assumptam denique instrumentaliter, tanquam per instrumentum separatum, per ipsa verba sacramentalia seu (*quod in idem recidit*) per Sacerdotem consecrantem. Item ex ea actione resultare concursum ipsius corporis Domini in genere causæ sustentantis ad sustinenda sine subiectione, seu informatione passiua eadem accidentia sacramentalia, quæ à pane cum subiectione sui sustentabantur in eodem cõmuni causæ genere: & viciſſim concursum ipsorum accidentium in genere causæ continentis ad continendum corpus Domini sine inhæsione, cum prius panem cum inhæsione continuiſſent. Quo pacto in generatione substantiali, seu termino eius (*secundum varias opiniones*) ex ipsa actione generantis, aut eius termino (*imo etiam ex actione, qua compositum substantiale aliquando creatur*) resultant concursus materiæ in sustinenda forma cum subiectione, seu passiua informatione sui, & viciſſim concursus formæ in continenda materia cum informatione illius: quod idem proportione seruata accidit in productione compositorum accidentalium, vt ex corpore, & albedine, & ex anima; & scientia. Tantæ vtilitatis fuit, cum ad alias plurimas naturales difficultates, tum ad hæc eadem, & similia fidei mysteria melius intelligenda omnia causarum officia suo loco, hoc est, lib. 5. pressius explicasse, & ea inter ipsa planius distinxiſſe; neque his tribus officiis, quæ nunc tetigimus, confundendis, solius actionis munere (*quod hodie nonnulli faciunt*) ea omnia sine fundamento velle præstare.

Quam vtilis sit distinctio causarum.

lib. 5.

Patet etiam non recte dici ab his authoribus, si humanitas Christi Domini nunc annihilaretur, fore, vt corpus Domini per verba sacramentalia produceretur simpliciter in rerum natura. Id enim non recte dici ex eo primum patet, quia non datur tunc talis productio in loco panis, qualem ipsi fingunt, vt ostensum est. Deinde, quia etsi daretur, tamen si illa fit ex institutione Christi virtute humanitatis assumptæ, vt est quam probabiliſſimum, hac annihilata non poſſet illud per eam produci; præsertim, cum etiam nunc ea productio per ipsam humanitatem existentẽ fieri non poſſit: quia esset re ipsa creatio, quam putamus ne instrumentaliter quidem per creaturam poſſe fieri, vt cum D. Th. aliisque primis Theologis, & Patribus probauimus lib. 5. Tertio, quia communis sententia est esse corporis Christi Domini in sacramento ex ipsa Christi Domini institutione pendere ab

Consideratio, de vi verborum sacramental. si nunc annihilaretur humanitas Christi Domini.

c. 2. q. 2.

A esse naturali eius extra sacramentum, si non effectiue, saltem denominatiue, seu obiectiue: quia tale est, aut fuit in sacramento, quale est, aut fuit extra sacramentum, vt pote nunc gloriosum, vt est in cœlo: in cœna autem viuum, sed mortale, quale tunc erat ante mortem: in triduo vero mortis (*si tunc fortè facta sunt sacramentales reliquiæ*) mortuum, vt erat in sepulchro: ex quo fit, vt si nunc annihilata Christi humanitate, aut à Verbo deposita, Sacerdos in persona diuini Verbi diceret

B (*vt modo dicit*) *Hoc est corpus meum*, non solum nihil conficeret spectata Christi Domini institutione, sed falsam quoque enuntiationem proferret. Alia ratio est, si quæstio sit de potentia Dei absoluta, nec supponamus actionem sacramentalem pendere ab humanitate Christi, sed à sola diuinitatis virtute. Poſſet enim à Deo institui Sacerdos, quo dicente loco Verbi diuini, *Hoc est corpus meum*, in eo in-

Quid de potentia Dei absoluta.

C stanti, in quo significatio verborum compleretur, tria hæc naturæ ordine fierent; primum vt crearetur re vera corpus humanum aut ex aliqua materia fieret: deinde, vt aſſumeretur à Verbo diuino, vt vere dici poſſet corpus Christi Domini; tertio, vt poneretur sub speciebus panis per modum substantiæ; sic enim iam Sacerdos vere dicere poſſet loco Christi Domini, *Hoc est corpus meum*. Nam & hunc naturæ ordinem quoad duo prima signa naturæ

D consideramus in Incarnatione Verbi diuini: prius scilicet formatam esse naturam humanam: deinde à Verbo diuino aſſumptam. Atque id, quod dicimus de potentia absoluta post diuini Verbi Incarnationem, si Sacerdos sic, vt diximus, institutus diceret verba sacramentalia, intelligendum est fieri potuiſſe ante Incarnationem. Quo pacto conciliari poſſunt hac de re opposita Scoti, & Caietani sententiæ, & aliorum vtriusque partis sectato-

E rum, vt Caietanus loquatur de potentia ordinata, Scotus autem de absoluta: quidquid illi re vera senserint.

Solutio argumentorum impugnatæ opinionis de actione, qua corpus Christi Domini vnitur sacramentaliter accidentibus panis.

SECTIO VII.

F

AD primum igitur argumentum impugnatæ sententiæ negandum est, ad conuersionem substantialem (*etiam formalem*) necesse esse, vt per eam producatur aliqua substantia, vbi erat substantia præcedens: cum ad eam satis sit noua succeſſio substantialis termini ad quem in eadem nu-

mero materia, aut sub eadem numero forma, vt palam ostensum est. Vnde in sacra Eucharistia non datur hoc pacto sola substantiarum successio, vt quidam calumniantur, sed etiam successio substantialis, quod etiam ex dictis constat.

Sup. foll. ... nione 2.

Ad secundum dicendum, etsi conseruatio, qua corpus Christi Domini intime conseruatur in cœlo, non sit satis, vt illud sacramentaliter conseruetur in altari; tamen satis eam esse, vt secundum se intime conseruetur, vbicunque ponatur: vbi enim ponitur quæque res, ibi ponitur eius intima conseruatio passiua, de qua est sermo. Quocirca notandum, eandem intimam corporis Christi conseruationem in tot locis poni, in quot corpus ipsum constituitur diuina virtute. Itaque vnam, & eandem pluribus in locis prodire à Deo, iisque causis, quas ille sibi subordinauit.

Ad tertium respondendum est, sicut ad primum: ex qua solutione, & superius tradita doctrina, colligendum est, vbi non datur idem numero subiectum, in quo sibi succedant diuersi termini formales; aut eadem numero forma, sub qua sibi succedant diuersi termini subiectiui, non dari proprie dictam conuersionem, sed simplicem, seu meram successionem vnius rei ad desitionem alterius: vt si Deus hic annihilet, aut corrumpat panem, vt alibi creet, aut generet lapidem. Loquor autem de successione per se, siue ex intentione conuertentis rem hanc in illam; nam successio per accidens nullo modo conuersio dici potest: vt si panis hoc loco corrumpatur, dum alibi forte succedit productio lapidis non intenta à corrumpente panem, vt lapis gignatur. Nec vlla ratione placet sententia Scoti, qui non requirit ad proprie dictam conuersionem aliquid vnum numero commune, in quo, aut sub quo ea exerceatur: concedit enim rem vnam proprie conuerti posse in aliam alibi sibi succedentem. Quod si quis quærat, num idem numero locus, aut vas possit esse forma, aut quasi forma sub qua fiat proprie dicta conuersio substantialis; respondendum est non esse id concedendum. Nam etsi conuersio illa Euangelica aquæ in vinum, quæ in hydriis nuptiarum tempore facta est, fuit proprie dicta conuersio substantialis; non ea ratione tamen videtur fuisse proprie dicta conuersio, quia sub iisdem numero vasibus quasi formis facta est; sed quia credibile est eam fuisse formalem, succedente formæ aquæ forma vini in eadem numero materia per generationem momentaneam, quæ alia est à naturali substantiali. Quanquam enim fieri potuit, vt poneretur

Qua successio huius ad alterum dici possit conuersio.

in 4. d. 10. q. 2.

... fuit, quod sibi succedunt eiusdem vasis? Ioan. 2. De aquæ nuptiis in vinum conuersa.

A Deo, in iisdem vasibus toto vino ex alia materia confecto, periret tota aqua, quæ in illis erat: tamen ea destructio aquæ non fieret per eam actionem, qua vinum produceretur, aut aliunde inibi poneretur; quandoquidem vinum illud non subiuit accidentia præcedentis aquæ, vt dicere possemus suffuratis, vt ita dicam, à vino virtute diuina accidentibus aquæ, aquam illis destitutam periisse: sed Deus illam proprie annihila-
B ret subtracto concursu, quo eam conseruabat

Ad quartum dicendum est, terminum sacramentalis actionis neque esse corpus Domini productum, vt ostensum est, in loco panis, nec solam eius præsentiam sub speciebus panis, cum ea præsentia sit accidentaria corpori; sed esse ipsum corpus Domini sub speciebus panis per modum substantiæ, qui terminus non est accidentalis, sed substan-
C tialis sub eo modo accidentali. Quod etiam necessario admittunt oppositæ sententiæ authores, qui non dicunt solum corpus Domini productum in loco panis esse quomodocunque terminum illius actionis; (esset enim id omnino falsum, quod plane vident) sed vt stat sub accidentibus panis per modum substantiæ.

Ad vltimum dicendum omnes Scholasticos asserere illam loquutionem duorum,
D vel trium Patrum, cum dicunt corpus Domini creari in Eucharistia, esse impropriam, & exponendam Exponitur autem optime, cum dicitur eos significare voluisse corpus Domini incipere esse sacramentaliter in Eucharistia more eorum rerum, quæ creantur; quatenus nec fit ibi ex aliqua sui parte præexistente, vt ea, quæ generantur; nec per motum localem aliunde adducitur: sed totum simul in eodem momento incipit esse sub
E speciebus sacramentalibus, perinde ac si tunc crearetur. Si quis autem huius rei occasione quærat, num panis præcedens annihiletur, cum corpus Domini sub eius speciebus ponitur; etsi Scotus, & alii complures non reformidant id concedere, verior tamen sententia est, non annihilari; quia etsi omnino desinit esse & quoad materiam, & quoad formam, tamen desinit esse consequutiue per eandem actionem, qua corpus Domini sub
F eius speciebus per modum substantiæ ponitur, non autem per meram subtractionem diuini concursus, quo ille conseruabatur; quo pacto annihilari deberet, si annihilaretur; quod tamen à Deo nunquam esse factum in creatura vlla Theologi communiter asserunt.

Scot. in 4. d. 11. q. ... & Maior ... q. 6.

Solutio

Solutio argumentorum vtriusque improbatæ sententiæ de actiua obedientiali potentia, & quædam scitu digna de principio effectiuo causæ instrumentalis, & vnione instrumenti cum agente principali.

SECTIO VIII.

AD argumentum igitur prioris sententiæ respondendum est, id quod dici solet, omnes potentias actiuas creaturarum esse qualitates naturis earum adiunctas, intelligendũ esse de potentiis naturalibus, vt distinguuntur non solum à potentia actiua Creatoris, quæ est ipsa eius essentia, sed etiam à potentia creaturarum passiua, quæ sæpe non est qualitas, sed substantia, vel quantitas; multoque magis vt distinguuntur à potentia obedientiali. Neque exempla illa qualitatum impressarum à magnete, ac succinis quicquam obstant: nam illæ qualitates non se tenent ex parte subiectorum, quæ eleuantur ad motus supra ipsorum vires, sed ex parte rerum, à quibus eleuantur, vt sint quasi earum instrumenta ad illa attrahenda. Iam vero actiones ad quas aqua per calorem eleuatur, sunt ipsi naturales, saltem ex parte materiæ, cum per causas naturales ad eas eleuetur; nec ad id opus sit supernaturali Dei virtute, siue quoad essentiam effectorum, siue quoad modum illa faciendi.

[illegible] Sect. 4.

Ad primum autem posterioris opinionis dicendum est, semper quidem actionem, vt actum secundum, supponere principium aliquod actiuum, vt actum primum: sed tamen cum actio fit per instrumentum per se, & non per accidens, non esse illud principium requirendum in instrumento, sed in principali agente duntaxat, vt diximus de principio actiuo pingendi, & scribendi; & patet etiam in principio effectiuo motus, quo primum mobile secum rapit inferiores orbes, quod in sola intelligentia motrice est; & in principio effectiuo percussionis, qua baculo globũ propellimus, quod in nobis est, non in baculo. Quod cum in actionibus naturalibus accidat, nihil mirum si de supernaturalibus asseratur. Hoc tamen interest, quod in naturalibus sæpe necessarius est motus, quo instrumentum moueatur, vt ad actionem principalis agentis possit concurrere, quod in propositis exemplis cernimus; in supernaturalibus autem etsi aliquando id accidat, veluti cũ Christus Dominus, & Apostoli impositione manuum ægrotos sanabant, nunquam tamen est necessarius. Dixi in naturalibus actionibus sæpe esse necessarium motum, non autem

[illegible]

A semper; quia potentiæ actiuæ, quæ dicuntur instrumenta formæ substantialis, nõ mouentur ab illa, nec noui quicquam patiuntur, siue accipiunt, vt cõcurrant ad actionem substantialis formæ, seu potius suppositi, quod per suam formam substantialem tanquam per principale agendi principium operatur.

Potentiæ non sunt propriè instrumenta.

Non sunt tamen ipsæ potentiæ instrumenta proprie dicta, siue formarum substantialium, siue suppositorum, quia non habent B subsistentiam, sed solam inhærentiam; cum tamen instrumentum proprie dictum subsistentiam aliquam habere debeat, vt iam diximus, saltem partialem, qualem habent manus, ac pes in corpore.

Posse agens nec habere in se principium actiuum, necesse instrumentale.

Aduertendum est tamen etsi quandocunq; agens principale agit per aliud agens sibi subordinatum tanquam per instrumentum per se, semper principium actiuum est in solo agente principali; tamen non esse vice versa C sentiendum, vt quandocunque principium actiuum est in solo agente principali, semper agens illi subordinatum sit agens instrumentale: vt patet in actionibus supernaturalibus liberorum agentium, quandocunque principium actiuum est in solo Deo: nihil enim id obstat, quominus agentia subordinata Deo, si libera sint, ac proinde se ad actiones suas determinent, agant tanquam agentia principalia, vt diximus. *lib. 6. c. 2. q. 2. sect. 13. ad 2.*

Vt duæ causæ efficientes ad eundem effectum vniantur, non sufficit vtramque habere principium effectiuum illius.

D Ad secundum, in quo præcipua difficultas huius quæstionis tangebatur, dicendum est, vt vna causa efficiens vniatur cum alia efficiente ad communem effectum vtriusque, non satis esse, quod quemadmodum vna in se habet principium effectiuum talis effectus, ita alia in se habeat aliud effectiuum eiusdem effectus; siue ambæ sint principales, & per se sufficientes in suis ordinibus, vt sol, & homo; siue principales in eodem ordi- E ne, vt duo equi in trahendo eodem curru; siue vna principalis, alia instrumentalis per se, vt scriptor, & calamus (demus enim his authoribus in calamo esse principium aliquod effectiuum instrumentale ad scriptionem.) Nam sæpe accidit, vt hæ causæ habeant in se huiusmodi principia, nec tamen ex tali vnione virtutis sequatur effectus, quia fortasse adhuc sunt separatæ, vel non applicatæ ad agendum, aut principalis vti non vult ea in- F strumentali. Itaque etiamsi duæ causæ hoc modo se habeant, vt volunt, qui sic argumentantur; erunt quidem illæ suo modo similes in eo, quod vtraque habebit in se principium effectiuum alicuius effectus; vnitæ autem ad agendum non erunt, si nihil aliud addatur. Vnde cum insufficiens, imo etiam impertinens sit hic modus vnionis ad agendũ, cum

& eo dato non semper sequatur actio, & aliquando etiam non dato sequatur, vt ex dictis patet, & magis etiam patebit ex sequentibus; oportet aliam rationem vnionis quærere, vt huiusmodi agentia communem effectum agere possint. Ac vnio localis est illa quidem satis agentibus particularibus naturaliter agentibus, si passum sit intra sphæram actiuitatis vtriusq;, vt cum duæ lucernæ sunt in eadem domo: verum hæc vnio non satis est in aliis quamplurimis, etiam partialibus, præsertim cum vtrumque, aut alterum est liberum maxime si alterum sit supernaturale, vt inductione perspici potest.

Quia sit satis quando ... sunt particulares.

Quid, quando alterum ... alterius instrum.

Quare, vt loquamur de agente principali, & instrumentali, (de hoc enim præcipua est quæstio) quandocunque principale est liberum, siue illud sit naturaliter actiuum, siue supernaturaliter, semper vnio instrumenti cum illo ad communem actionem consistit in ipsa assumptione instrumenti ad agendum, quæ assumptio nihil aliud est, quam actus voluntatis efficax, quo principale agens vti vult instrumento commode præparato, & expedito ad vsum: hoc enim actu communicatur instrumento idem principium actiuum principalis agentis, vt vtrumque per illud agat, principale quidem principaliter, instrumentale autem instrumentaliter. Cum autem principale non est liberum, sed tantum sponte actiuum, actus appetitus sensitiui est, qui eodem modo vnit instrumentum cum principali agente ad sic agendum, vt in pueris, & amentibus, brutisque animantibus. Denique cum agens principale non agit actione libera, nec spontanea, sed mere naturali, seu per naturam, vt natura distinguitur ab anima; id quod vnit instrumentum cum principali agente, est ipsa naturalis propensio principalis agentis, qua non potest non agere per instrumentum præsens, nisi impediatur; quo pacto aqua ab ipso sui ortu vnit sibi frigus ad frigefaciendum; & magnes non solum ab ortu eam qualitatem, qua ferrum ad se trahere potest, sed etiam, cum ferrum adest, eam, quam in illud imprimit, vt ipsum ad se trahat; eodemque modo ignis, cum in arcto bombardæ loco ex puluere tormentario generatur, vnit sibi eam qualitatem instrumentariam, quam imprimit in globum, vt illum à se repellat, sibique tantum spatii tribuat quantum propria raritas postulat. Verum hæ qualitates non sunt instrumenta proprie dicta, vt iam explicauimus, quia non sunt subsistentia etiam partialia: sed quid de semine, quod est instrumentum generantis, & tali modo subsistens? Respondetur, ea quæ dicta sunt intelligi debere de instrumentis, & aliis subordinatis agentibus, quæ simul concurrunt cum principalibus, dum ipsa principalia existunt: & actu cum eis operantur, quale non est semen.

Notandum.

A

Hæc vsque adeo vera sunt, vt etiam cum agentia subordinata non sunt instrumentalia, sed libere agunt, idem possit accidere; vt cum Deus nos mouet ad actus supernaturales ante habitus infusos, quod iam non semel dictum est: tunc enim ipso actu voluntatis suæ efficaci nobis communicat illud idem principium actiuum, quod in se habet, vt eundem actum supernaturalem cum illo agere possimus, quem per nos ipsos non possemus agere. Quod si obiicias non deesse in nobis in hoc euentu actiua principia huiusmodi actuum, antequam à Deo moueamur, nempe intellectum, & voluntatem, quibus eos eliciamus; iam ex dictis patet respondendum esse, nihil positiuum præcedere in eis potentiis, quo illæ siue integre, siue inchoate, propensæ sint ad eliciendos eiusmodi actus; & ex consequenti nullum esse in eis appetitum innatum, quo illos siue simpliciter, siue inchoate appetant; sed solam non repugnantiam, vt eleuentur ad participationem illius ipsius principii effectiui, quod in Deo est, & cuius solius communicatione ponuntur in actu primo, quandocunque in eis non infunduntur habitus operatiui eorum actuum. Est autem hoc principium potentia Dei executiua, siue illa sit ratione distincta ab intellectu, & voluntate, vt quidam existimant, siue ipsa diuina voluntas, vt alii verius iudicant, quod nobis lib. 5. placuit.

Quid, ... [illegible]

B

C

D

Ad vltimum dicendum; postquam principale agens sibi vniuit instrumentum, aut aliud agens subordinatum, quod in se non habet principium effectiuum cooperandi cum illo, sed in ipso principali tantum, non esse iam tale principium iudicandum extrinsecum, aut per accidens ipsi subordinato, cum iam vtrumque agens sit vnitum in illo; & ex consequenti vtrumque per se, & non per accidens concurrat ad eundem effectum. Ad confirmationem vero dicendum, modo aliquo dici posse, & Deum per creaturas agere, & creaturas per Deum, si Deus intelligatur operari per creaturas tanquam ipsius ministras; creaturæ autem per Deum tanquam per eum, à quo potentiam operandi habent. Sic enim & in moralibus dicimus Regem per Magistratum Rempublicam administrare, & ministrum per Regem, hoc est, per potestatem ab eo acceptam: & in naturalibus solem per semina germinare, & semina per solem, id est, virtute solis. Tametsi vsitatior loquendi modus est, vt principale agens dicatur agere per

E

F

re per.

[illegible] ordinatum, non subordinatum per principale; quia particula, *Per*, significato suo simpliciter, & absolute afficit non solum instrumentale agens, cum de eo sermo est, sed etiam illud principale, quod ordine aliquo (etiam solius originis) posterius est: quo pacto Rex dicitur administrare Rempublicam per Magistratus, non vice versa; & Pater in diuinis creasse mundum per Filium, & Spiritum sanctum dedisse rebus virtutem, & efficaciam; non Filius, aut Spiritus sanctus per Patrem.

Habes ex huius quæstionis resolutione potentiam obedientialem, siue actiuam, siue passiuam, aut sustentatiuam; siue etiam formalem, aut contentiuam, esse non repugnantiam rerum omnium creatarũ, vt per eas fiat, & quomodocunque causetur, quicquid earum interuentu supra earum vires fieri, & omnino causari sine contradictione potest; seu (quod eodem redit) esse res ipsas, quatenus hoc ipsum illis non repugnat.

Habes etiam hanc potentiam tunc esse in actu primo, quasi proxime præparatam ad actum secundum, cum res creatæ per actum voluntatis diuinæ efficacem subiunguntur principio effectiuo, & quocunque alio modo supernaturaliter causatiuo. Quod tunc fit, cum huiusmodi principium vel ponitur à Deo in ipsis creaturis, vt cum in nobis infunduntur habitus supernaturalium virtutum comparatione eorum actuum, qui per illos exercentur; vel cum ipsum principium in Deo existens sola creaturarum eleuatione, assumtioneve ad supernaturaliter operandum, aut alio modo causandum, illis communicatur.

Obedient. pot. proprie, & impropria dicta.

Quoniam vero obedientialis potentia solis creaturis conuenit; ipsæq; non solum non possunt supernaturaliter quicquam operari, nisi concurrente Deo cum ipsis supernaturali concursu, sed etiam non possunt esse in rerum natura, nisi à Deo producantur: hinc nascitur diuisio quædam potentiæ huius in propriam, & impropriam in hoc metaphorico obedientiæ genere; vt propria dicatur creatarum rerum, quæ iam sunt, vt supernaturaliter operentur; impropria vero appelletur earum creaturarum, quæ nondum illa ex parte sunt, vt supra vires totius naturæ fiant, hoc est, creentur, siue accipiant esse ex nihilo, & ad solum veluti nutum diuinæ voluntatis quasi vocatæ adsint. Maiori enim impropriętate dicuntur res obedire, cum nondum sunt, etiamsi quasi vocatæ subito extent; quam cum iam existentes sine vlla earum repugnantia diuinæ voluntati obsequuntur. Est & aliud discrimen harum obedientialium potentiarum inter se, quod obedientialis ad esse, est suo modo in solo genere causæ materialis impropriæ, & [illegible] materialis, vt res quasi fiat ex essentia, [illegible] finalis, quatenus intenditur producenda; obedientialis autem ad operari complectitur omnia causandi genera, vt ex dictis in hac superiori quæstione patet.

Definitio interpon. logicæ & obed.

Si quis autem quærat, quid intersit inter potentiam obedientialem, & logicam, quam multi dicunt esse non repugnantiam terminorum; respondendum est, primum quidem logicam potentiam non esse à nobis dictam in expositione contextus solam non repugnantiam terminorum; sed eorum conuenientiam, aut non repugnantiam. Neque enim dicimus, possibile esse hominem esse animal ex eo solo, quod ei non repugnet esse animal; quo pacto dicimus possibile esse hominem esse musicum, aut beatum cœlesti etiam beatitudine; sed quia ita conueniunt extrema eius enuntiabilis, quod significamus hac enuntiatione, [*Homo est animal*] vt vnum necessario sibi vendicet alterum. Deinde latius hac ratione patere potentiam logicam, quam obedientialem: quia logica potentia est ad omnes actus, quotquot esse possunt; obedientialis autem ad solos supernaturales, prout à nobis explicati sunt. Postremo, quia potentia logica intelligitur proprie in ea complexione rerum, quæ explicatur per verbalem copulam; obedientialis vero proprie cernitur in ipsis rebus simpliciter acceptis.

Solutio.

Num aliquid à se ipso moueri possit?

QVÆSTIO V.

Quæ in hac re perspicua sint, quæ item dubia?

SECTIO I.

De quibus mot. non procedat quæst.

SED quia in hoc capite sæpe docuit Aristoteles potentiam actiuam semper agere in alio, aut in eodem, vt aliud est; operæpretium erit intelligere, num aliquid moueri à se ipso possit; quæ quæstio apud Physicos non parum difficultatis habet. Ac primum, si de motu proprie dicto, qui est actus imperfectus, quæstio intelligatur, nec ab eo fiat extensio ad eas actiones, quæ sunt actus perfecti; illud est apertissimum, non esse sumendum in ea motum, quatenus generationem complectitur, quo pacto sumitur in ipsa motus definitione libro tertio Physi-

eorum: luce enim clarius est, rem nullam à se ipsa generari posse, cum id, quod generat, cum generat, sit; quod autem generatur, non sit, vt tradit Aristoteles. *2. Phys. c. 8. text. 69.*

Deinde constat, non esse quæstionem intelligendam de motu, quo aliquid a se ipso mouetur per accidens, cum sit apertissimum multa hoc modo passim se ipsa mouere, vt is, qui vehitur equo, quem agitat, aut traiicit flumen scapha, quam remis impellit; sed solum de eo motu, quo aliquid per se à se ipso mouetur, & non ad motum rei alterius, quam ipsum moueat.

Postremo, nomine motus intelligendum esse motum naturalem; nam de eo, qui fit côtra naturam eius, quod mouetur, aperte falsa est pars affirmatiua, cum constet rem nullam per se sibi esse aduersam: cum autem, qui est præter naturam, ab alio etiam externo fieri perspicuum est, qualis est motus ignis elemétaris, & supremæ partis aeris à motu orbis lunæ. Atque hæc ad explicationem motus pertinent, vt quæstio de motu proprie dicto, per se, & naturali intelligatur. *De quo procedatur.*

Quod vero attinet ad explicationem eius, quod est à se ipso moueri, illud etiam apertum est, moueri à se, vno modo idem esse, atque libere moueri; quo pacto constat hominem à se ipso moueri. Alio modo idem esse, quod moueri sponte affectu nimirum cupiditatis, aut alio simili; qua ratione videmus, animalia omnia motu quæque suo se ipsa mouere. Alio modo idem esse, atque rem à se ipsa motum inchoare, etiam postquam naturaliter quieuit; quo pacto cernimus, non tantum animalia omnia se ipsa mouere, sed stirpes etiam, quippe cum certis temporibus à se ipsis frondescant, floresque, ac fructus emittant; alias vero ab iis motibus quiescant. Quod genus mouendi se, viuentium omnium est proprium, & peculiare; eo enim vel solo quæcunque illa sint, à non viuentibus distinguuntur: quod post Platonem in eo dialogo, qui de Anima, seu Phædrus inscribitur, aliisque locis Aristoteles † sæpe docet, ac in primis 8. Physicorum * libro; quibus locis id propterea accidere affirmat, quod in omnibus viuentibus ea detur partium integrantium distinctio, vt aliæ ab aliis moueri possint, motumque inchoare; in animalibus quidem clarius, in plantis autem obscurius, sed tamen vere, & proportione aliqua cum animalibus seruata; quæ partium distinctio, aliarumque ab aliis motus excitatio in rebus inanimis nequaquam cernitur. Atque hoc discrimen viuentium à non viuentibus, vt illa se moueant, hæc vero minime, vsque adeo vulgus approbat, vt quæcunque videan- *Quot modis res à se ipsis mouentur.* *Quo genere mouendi se ipsa, differant viuentia à non viuentibus.* *† Vt 1. de Anima c. 2. text. 19. & lib. 2. c. 2. text. 13. * c. 4. text 29* *Cur quædam inanima vulgus appellat viua.*

A tur ex se moueri, etsi re vera ex se non moueantur, nomine viuentium appellet. Quam consuetudinem secutæ literæ sacræ ordinem astrorum octaui orbis vocant militiam cœlestem; Astrologi autem inferiorum stellas errantes nominant, interdumque stationarias esse dicunt, interdum retrogradas; communique sermone flammæ ignis viuæ, deuorantesque appellantur; aquæ viuæ, quæ scaturiunt, aut discurrunt; argentumque vi- *Vt Deut. 17.* *Cur scriptura stellas militiam appellet.*

B uum, quod motum ex se multiplicem habere videatur; cum tamen hæc omnia vnicum habeant, ac simplicem, eumque non a se proprie, sed ab alio, vt ex dicendis patebit. Atque hæc quidem in proposita quæstione haud obscura sunt.

Sed quoniam alius est eorum verborum sensus, vt si apertius quæratur, num aliquid primo à se ipso moueri possit, hoc est, non ita vt pars alia aliam moueat, sed vt totum *Quibus sit à se ipso moueri.*

C ipsum se totum moueat; hoc quidem modo haud facilis est quæstio, quod cum Philosophorum communi sententia, & ratione aperte videatur pugnare quotidiana experientia.

Ratio enim Philosophica poscit, vt agentis, & patientis dissimiles sint dispositiones; cum omne agens nitatur assimilare sibi id, quod patitur; nec simile quicquam agat in simile. Quod si ita est, cum nihil similius sit *Ratio, quæ monstrat nihil ita moueri.*

D cuique rei, quam ipsa sibi, seu (*vt proprie loquamur*) cum nulla sibi sit dissimilis, nulla omnino res in se ipsam primo agere poterit, & primo se ipsam mouere. Ex qua ratione videtur ducta communis illa 7. & 8. Physicorum, sæpiusque repetita, & inter Philosophos celebrata sententia, Omne, quod mouetur, ab alio mouetur; & definitio ea, qua quinto libro huius operis, & hoc ipso loco potentia actiua dicitur principium mutationis in a- *c. 12. text. 17.*

E lio, quatenus aliud est. At experientia contrarium videtur ostendere. Videmus enim totam aquam, cum calida est se ipsam totam alterationis motu frigidam facere; & lapidem in aere sibi relictum, ipsum se totum deorsum mittere; neq; enim id ab alia vlla causa efficiente fieri cernimus; quod quidem non solum cætera elementa suo modo faciunt, cum propria loca petunt; sed etiam mista vi, ac potestate prædominantis elementi, cum *Contrarium suaderi experientia.*

F extra eius locum ponuntur.

Argumenta, quibus grauia, & leuia à se ipsis primo videantur moueri.

SECTIO II.

[illegible] communis [illegible] hæc est inter Philosophos & veteres, & recentiores, vt [illegible] modo ex Scholasticis alii cum Scoto [illegible], elementa primo à se ipsis moueri; alii cum Diuo Thoma moueri à generante; [illegible] ipse aut inconstans, aut [illegible] quæstione videatur. [illegible]

[illegible] esse [illegible] elementis principia vere se ipsa mouendi, [illegible] quidem 2. Physicorum in ipsa naturæ definitione id aperte innuit; tradit enim, naturam esse principium per se, internum, ac primum, cuius ratione res omnes naturales, suis quæque motibus mouentur; quod intelligi non potest de solo passiuo principio, siue materiali, cum [illegible] non magis naturale sit terræ descendere deorsum, quam sursum ascendere, eodem quemodo cæteris motibus moueri. Cum igitur intelligi debeat non solum de materiali principio, sed etiam de formali: (*forma enim est, cuius ratione quæque res proprium sibi motum vendicat*) forma vero sit non solum formale principium essendi, sed etiam effectiuum operandi, non dubium est, quin Aristoteles in ipsa naturæ definitione doceat, res omnes naturales, ac proinde grauia, & leuia à se ipsis moueri.

Deinde 4. lib. de Cœlo cap. 1. ait Aristoteles, grauia & leuia habere in se ipsis quasi momenta [illegible] autem cap. 3. asserit, [illegible] mutationum principia, [illegible] differre ab iis quæ mouentur arte, quod hæc non in se ipsis per se, sed foris artificioso motus principium habeant: quæ omnia non de materiali tantum principio, sed de formali etiam, & effe[illegible] intelliguntur.

[illegible] ait septimo Physicorum [illegible] per se ab alio mouetur, aut pelli, [illegible], (mittimus enim [illegible], quæ est motus per accidens) perspicue videtur [illegible], elementa non moueri naturaliter ab alio, sed à seipsis; [illegible] motus pro[illegible] Quam[illegible] [illegible] loca mouentur, aut [illegible] virtute suorum locorum, quæ nulla est, (*[illegible] in centro mundi, quo terra descendit*) aut ab aliquo pelli: quid enim ignem à centro sursum pellit, si nulla in centro vis est? Nam vtrique [illegible], ea à se non moueri, cum proprius eorum motus sit rectus. Quod à cœlo quis dicat alia deorsum tradi, alia sursum trahi, [illegible] causa vniuersalis, [illegible]

[illegible], & hos partic[illegible] cum con[illegible] cætera[illegible] subito di[illegible] aliquis possit. [illegible]

Sunt quoque pro [illegible] a[illegible] non parui momenti [illegible] Scotus, & alii afferunt; [illegible] quamuis [illegible] in [illegible], & effectum in [illegible]; [illegible] Nam cum elementa [illegible], si illa seipsa non moueat, aliquid aliud [illegible] necesse est, à quo actu moueantur: [illegible] cœlum, vt ostensum [illegible] nec [illegible] particulares, quæ illa generantur, cum illa iam sæpe non [illegible], cum grauia mouentur: oportet igitur [illegible], elementa ipsa cum mouentur naturaliter, à se ipsis moueri. Quod enim dicere [illegible] contrariæ partis authores; moueri à virtute relicta à generante, cum virtus illa, si in ipso elemento [illegible] recepta est, non sit alia, quam [illegible] qualitates autem [illegible] principia, sed instrumentalia [illegible] principium [illegible] quæ [illegible] instrumenta, [illegible] principium aliud esse non potest, nisi forma substantialis elementorum, si de proprio & peculiari, non de generali siue communi, qualis est materia, sit sermo)

Præterea, quicquid est causa causæ, est causa causati, vt dici solet, est que [illegible] desumptum ex iis, quæ Aristoteles docuit secundo libro huius operis, cum ostendit non dari in causis per se ordinatis infinitionem: at motus elementorum, cæterorumque grauium, & leuium, quatenus in eis elementa prædominantur plane efficitur à qualitatibus motiuis elementorum; (*neq. enim id quisquam negat*) qualitates autem elementorum motiuæ, sunt eorum propriæ affectiones: propriæ vero affectiones effectiue emanant ab eorum essentiis, præcipue autem ab eorum formis, vt cæteræ rerum proprietates ab iis naturis, quarum sunt proprietates: (*id quod etiam D. Thomas, & cæteri contrariæ partis fautores asserunt*) est igitur motus elementorum, & cæterorum grauium, & leuium, quatenus talia sunt, effectiue ab ipsis elementis, cæterisque grauibus, & leuibus.

Postremo, non minus egent elementa, & cætera grauia, & leuia, quatenus sunt talia, principiis internis, tum principalibus, tum instrumentalibus, vt in propria loca se conferant, quam viuentia, vt se nutriant, magnitudinemque sibi debitam acquirant, [illegible] etiam [illegible], aut in loco moueantur, [illegible] esse in loco, perfectio quædam

Alia rationes.

Ex Arist. 5. Metaph. c. 2. text. 3.

c. 2. text. 3.

dam

tex. 22. & 23.

dam sit, ac forma quædam elementorum, vt Arist. affirmat. 4. lib. de Cœlo, c. 3. at viuentia omnia se ipsa nutriunt, seque augent, & à loco in locum, aut in loco modo aliquo mouentur, cum maiorem, aut minorem locum occupãt; (*quod dixerim propter plantas, imperfectaque animalia, quæ solo dilatationis, constrictionisque motu mouentur*) eisque omnibus data sunt vtraque principia, quibus sese moueant motibus sui ipsorum propriis, quibus proprias perfectiones acquirant: ergo & elementis, cæterisque grauibus, & leuibus non sunt neganda.

Obiectio.

Neque vero huic sententiæ obstat, quod agentis, & patientis rationes sunt oppositæ, quæque eidem omnino rei respectu eiusdem actionis dicantur non posse conuenire.

Solutio.

Ea enim oppositio non est intelligenda inter id, quod agit, & patitur; sed inter ipsa agendi, & patiendi principia: nam in viuentibus etiam videmus, id quod agit, & id quod patitur motum vitalem augmenti, & decremẽti, & hunc, aut illum motum animalem, esse vnum, & idem suppositum; actiones enim, & passiones sunt suppositorum, siue singularium subsistentium, vt dictum est lib. 1. sed tamen in eis forma est principium agendi, materia vero patiendi, quarum non dubium est, quin oppositæ sint rationes. Sic ergo videtur in elementis, aliisque grauibus, & leuibus accidere, vt vnum, & idem sit agens, & patiens; sed tamen forma sit ratio agendi, materia vero patiendi: nisi quod interest inter viuentia, & nõ viuentia, quod viuentia partes etiam habent integrantes, quarum aliæ suo modo agant in alias, quibus carent grauia, & leuia.

Cap. 1. q. 5.

Argumenta quibus contradicendum videtur; grauia, & leuia non à se ipsis primo, sed à generantibus moueri?

SECTIO III.

D. Th. 1. p. q. 18. ar. 1. & 1. contra gent. c. 97. Caiet. & Ferr. iisd. locis Ægid. quodl. 5. q. 16. & Capr. in 2. d. 6. Arg. ex locis Arist. a text. 29. Text. 25.

AT EIS tamen locis oppositam sententiam, quæ D. Thomæ, eiusque sectatoribus, aliisque etiam ex antiquioribus placuit, adeo asseueranter tradit Aristoteles, vt superiorem omnino mutare videatur.

Primum enim multis locis affirmat, grauia, & leuia non moueri à se, sed à generantibus, potissimum vero cap. 4. lib. 8. Physicorum, & cap. 3. lib. 4. de Cœlo. Deinde illo eodem cap. lib. 8. Physicorum conceptis verbis asserit, ea non habere in se ipsis principia agendi, sed patiendi.

Tum etiam loco eodem non solum tradit, sed etiam probat, illa à se non moueri, idque tribus rationibus: & quia moueri à se sit opus vitale, & quia non possint consistere, ac de-

A inde motũ inchoare; & quia non mouentur ad omnes loci differentias. Quod si quis dicat, vt nonnulli respondent, non probasse eo loco Aristotelem, ea non moueri à se, sed non moueri à se more viuentium; id iam ineptum erit. Qualis enim sit hæc ratio: Eorum motus non est vitalis: ergo non mouentur à se more viuentium. Adde non id eo loco satis fuisse probare; sed num omnino à se mouerentur, an ab alio; siue vt viuentia, siue vt non B viuentia mouerentur: id enim poscebat institutæ disputationis ratio?

Refellitur quædam responsio.

Accedit argumentum, quod ille mox subiicit, non moueri à se grauia, & leuia, quod partes non habeant dissimilares, à quarum aliis aliæ moueantur: hanc enim conditionẽ iudicauit necessariam in iis omnib⁹, quæ motu physico, de quo nunc agimus à se ipsis mouerentur; siue ea essent viuentia, motuque multiplici, ac vario mouerentur; siue non viuentia, C quæ vnico mouerentur.

Text. 2. Text. 78. Vide etiam 2. de partib. anim. c. 2.

Hinc etiam est, quod non solum in eo loco, sed in aliis etiam compluribus, vt hoc ipso libro cap. 1. & 1. de Generat. cap. 9. asserit nihil copulatum, siue similare corpus, quod & homogeneum dicitur, à se ipso pati; quod non solum de motu alterationis intelligendum est, sed de omni motu, vt ex citato libri 8. Physicorum loco perspicuum est.

Corruit etiam tota structura demonstrationis D Aristotelicæ ad inueniendum primum motorem immobilem, quæ 7. & 8. Physicorum libris ab Aristotele instituitur, si elementa, & pari ratione corpora cœlestia, quæ etiam carent partibus, quibus aliæ ab aliis mouentur, à se ipsis moueri concedantur. Iam enim non necesse erit quærere omnium motorem immobilem, cum dici possit, primum mouens esse etiam mobile, & à se ipso moueri posse. itaque cæcus pene videatur, qui non E intelligat, Aristotelem plane sensisse, ac docuisse, grauia, & leuia non à se ipsis, sed à generantibus per se moueri, per accidens autem à remouente prohibens, cum illa extra sua loca in aliquo detinentur; quod eisdem capitibus quarto octaui Physicorum, & tertio quarti de Cœlo perspicue tradit.

Text. 23. Text. 25.

Ratio fundamentalis.

Denique cum grauia, & leuia, quatenus talia sunt, duobus tantum modis moueri possint, ad qualitatem scilicet, & locum: F qualitates autem, ad quas illa naturaliter mouẽtur, locaque, ad quæ suapte natura feruntur, sint eorum naturales proprietates; necesse est confiteri, vtraque illis à generantibus simul cum formis substantialibus per se conferri: quare, si quod impedimentũ occurrat, quominus aut huiusmodi qualitates integræ conseruentur, aut propria loca à principio

non

[illegible]antur, vel etiam ab eis postea vi pelluntur: iisdem viribus generantium tribuendum est, quod ea postea recuperentur, aut obtineantur: quo pacto motus rerum proiectarum, cum propter oppositum impedimentum in reflexione aliquantulum interrumpitur, & postea redintegratur, vere, & effectiue tribuitur iis, à quib. illæ initio proiectæ sunt: nisi quod motus rerum proiectarum breui spatio temporis cessat, quia impetus impressus violentus est: propensio autem rerum ad suas proprietates perpetuo cum illis perseuerat, quia naturalis.

Deciditur controuersia de motu grauium, & leuium: & ostenditur, quem vim habeant vtriusque partis argumenta.

SECTIO IV.

HÆc cum recte pro vtraque parte constabilita videantur, enitendum est exponere, quo pacto à suis authoribus, ipsoq; Aristotele, à quo accepta sunt, intelligantur, ne sibi repugnent.

Dicendum igitur, grauia, & leuia effectiue quidem concurrere ad suos naturales motus, non tamen vt agentia principalia: nec proprie à se ipsis moueri, sed per se quidem à generantibus, per accidens autem à remouentibus ea, quæ motum eorum prohibent. Quæ conclusio de solis motibus alterationis, & locali necessario intelligenda est: cum motus augmenti, & decrementi non habeat locum nisi in viuentibus. Atque hos motus solos agnoscit Plato in Parmenide quasi puros, & sinceros: accretio enim, & decretio coniunctam habent aliquam substantiæ mutationem.

Grauia, & leuia effectiue concurrere ad motus sibi natural.

Quod igitur effectiue concurrant, ex eo constat, quia eorum motus ab aliquo proximo efficiente pendeat necesse est, quod quidem tum sit actu, cum illa mouentur actu: nullum vero aliud tunc esse actu, à quo proxime ille motus pendeat, quam ipsa grauia, & leuia, quæ mouentur, inductione perspicuum est. Atque hoc ostendunt argumenta, quæ pro affirmatiua quæstionis parte proposita sunt. Et quanquam primum eorum, quod ex definitione naturæ desumptum est, non videatur rem conficere: quia libro 5. dictum à nobis est, vt ea definitio formis non viuentium conueniat, satis esse, si particula illa [*Principium, & causam*] de eiusmodi formis verificetur, quatenus sumitur pro principio formali, & finali duntaxat, id tamen diximus, quia sub dubio relinquebamus eo loco, an eorum formæ essent principia quoque effe-

Hoc probant affirm. partis argumenta.

c. 4. q. 2. sect. 3.

ctiua eorum [illegible] nec ne. Nunc autem addimus [illegible] formalia, & finalia, sed etiam [illegible] is motus ab eis vere efficienter [illegible] à primo principio interno; [illegible] particulam esse intelligendam de [illegible] effectiuo, quatenus omnes [illegible] complectitur respectu [illegible], quibus ipsa composita [illegible] in omnibus sit principale.

Neque argumenta, quæ pro negatiua parte allata sunt, huic primæ parti nostræ assertionis repugnant, cum id tantum probet grauia, & leuia non concurrere ad suos motus vt agentia principalia; quo sensu intelligendum est id, quod Aristoteles expresse dixit 8. Physicorum, non esse in illis principia agendi, sed patiendi. Nam si de principalibus agitur, est in eis quidem principale principium patiendi, quod est materia, non autem principale principium agendi, quod est forma generantis, vt tunc patebit.

Nec obstant partis negat. obiectiones.

Nam quod grauia, & leuia non concurrant ad suos motus naturales vt agentia principalia; (*quæ erat secunda pars oppositæ assertionis*) ex eo ostenditur, quia motus grauium, & leuium, vt talia sunt, ab eisdem agentibus principaliter oriuntur, à quibus illa formas substantiales accipiūt: sunt enim ii motus acquisitiones naturalium quarundam eorum proprietatum, nempe, vel naturalium qualitatum, vel locorū naturalium: proprietates autem, cum naturaliter sequantur formas substantiales eorum, quibus conueniunt, ab eisdem principaliter procedunt effectiue, à quibus ipsæ formæ effectiue proueniunt. Vnde cum earum acquisitiones ab eisdem sint effectiue, à quibus ipsæ formæ, quæ acquiruntur, necessario efficitur, vt eiusmodi motus effectiue oriantur à generantib. tanquam à principalibus agentibus; à formis autem [illegible] tialibus generantium, tanquam à principalibus principiis agendi. Atque hoc ipsum probant argumēta, quæ pro parte negatiua quæstionis proposita sunt, ex quibus hæc probatio plenius intelligetur.

Non concurrere vt agentia principalia.

Hoc probant negat. partis arg.

Nec vero argumenta partis affirmatiuæ huic veritati contradicunt; cum id tantum probent, grauia, & leuia vere, ac per se concurrere effectiue ad suos motus naturales: neque enim concludunt, ea id facere vt agentia principalia. Quod si quis vrgeat argumento illo, in quo dicebatur, motum ab alio, esse aut pulsus, aut tractus aut vertiginis: eosq; omnes violentos esse; aut saltē nō naturales; respondendum est, ne in rebus quidem corruptibilibus hęc omnino vera esse. Nam & pulsus, quo [illegible] fructus, & foetus, & tractus lapidis

Nec obstant affirm. rationes.

Non omnes motus pulsionis tractus, aut pulsus esse violentos.

pidis à magnete, & palearum à succinis, & quodammodo circularis motus cordis, naturales motus sunt: motus autem grauium & leuium à generantibus quidam pulsus naturalis est, quo illa diriguntur, & quasi mittuntur ad proprias ipsorum perfectiones, data eis forma substātiali, cuius virtute eas assequantur, & amissas, aut labefactatas recuperent, ac redintegrent.

Obiectio.

At obiiciat aliquis: Si grauia, & leuia non sunt agentia principalia respectu suorum motuum naturalium: ergo sunt instrumentalia; quare præter virtutem propriam aliquam accipiant à generantibus necesse est, vt reliqua instrumenta: quæ tamen virtus nulla est, nihil enim amplius habet genitum, quam generās, si vniuoce se respiciunt, quo pacto in hac controuersia sumuntur. Nam etsi aliquando generans est æquiuocum, vt sol in generatione ignis, nihil tamen magis accipit ab eo genitum, quam alias accipiat ab vniuoco.

Diluitur.

Grauia & leuia non esse agentia instrumental.

Natural. instrumenta non indigent virtute addita.

Dicendum est tamen, primum quidem non recte colligi, grauia, & leuia esse agentia instrumentalia (*saltem proprie*) suorum motuum naturalium, quia non sunt principalia, sed hoc tantum effici, esse minus principalia. Deinde, instrumenta quidem non naturalia indigere virtute addita suæ virtuti naturali; vt sagittam ad attingendum scopum, & securim ad faciendum scamnum; at naturalia non item ad suos motus naturales, vt patet in potentiis naturalibus, & membris corporis, quæ suis tantum viribus naturalibus, & nulla alia adiuncta principali agenti ministrant. Quanquam vero generans, & genitum, de quibus loquimur, (*vt ignis genitus, & generans*) vniuoce conueniant in natura specifica, vt vel hac vna ratione neutrum vllo modo videatur dici posse instrumētum alterius, aut minus principaliter agere, quam alterum, cum vtrumq; agit in aliud: non cōueniunt tamen vniuoce ea ex parte, qua alterum pendet ab altero, & est eius effectus. Collatis enim inter se generante, ac genito, quatenus illud generat, hoc autē generatur, generans prius natura est genito: vt hac ex parte genitum modo aliquo inferioris rationis sit, & vtcunque instrumentum generantis dici possit, nempe vt motibus suis naturalibus, virtute suæ formæ à generante accepta se ipsi m perficiat.

Vt præstat generans vniuocum.

Nō moueri proprie à se ipsis, sed à generante &c.

Quod deniq; grauia, & leuia non proprie à se ipsis moueantur, sed per se à generātibus, per accidens vero à remouentibus ea, quæ prohibent, hac ratione probatur. Quia nimirum nulla res, si proprie loquendum est, dicitur moueri à se ipsa, nisi in potestate eius sit, seu libera, seu naturali, vt motum inchoet, & à motu desistat, varieq; moueatur, ac denique

A possit moueri, & non moueri, saltem temporibus diuersis; hac enim de causa dicimus, saxa non moueri à se ipsis, quia nisi pellantur, aut trahuntur ab aliquo, semper immota permanent, neque vllam varietatem ex iis, quas nunc diximus, habent. Quo fit, vt per se non moueantur naturaliter, nisi à suis generantibus, à quibus acceperunt virtutem propria loca petendi, cum extra illa posita sunt: per accidens autem ab iis, qui terram, aut aliquid aliud, cui innitantur, eis subtrahunt.

B Atque hæc est ratio distinctionis, quam initio quæstionis ex communi sentiēdi loquendique consuetudine inter viuentia, & non viuentia posuimus, vt viuentia à se ipsis proprie, non viuentia vero ab aliis moueri dicantur. Quam eandem rationem vsurpauit Aristoteles 8. lib. Physicorum cap. 4. cum grauia, & leuia non solum asseruit, sed etiam probauit, non moueri à se; sed per se à generantibus: (*si de motu naturali sit sermo*) per accidens autem ab iis, quæ prohibentia remouent, vt in

C tractanda negatiua quæstionis parte explicatum est.

Vnde habeant viuentia, vt se ipsa moueant.

Quia vero hæc potestas viuentium, vt se ipsa moueant, ex eo nascitur, quod habeant partes integrantes dissimilium conditionum, talesque, vt alia ab alia moueri possit; hinc ducitur alia quædam ratio quasi fundamentalis, vt grauia, & leuia proprie à se ipsis non moueantur, quod huiusmodi partibus

D careant: elementa quidem, perspicue, cætera vero ratione dominantis elementi. Quam eandem rationem Aristotelem eo loco tetigisse diximus.

Aliud mouere potest res, quam se ipsum nequit.

Accedit, quod mouere se, seu moueri à se præ se fert quandam, vt ita loquar, principalitatem mouendi: cum igitur grauia, & leuia non concurrant principaliter ad suos motus, vt ex secunda parte assertionis patet, non

E possunt vtique dici mouere se, seu moueri à se: etsi proprie dicuntur mouere alia, & moueri ab aliis. Idem cernimus modo quodam simili in motu proiectorum; sagitta enim etsi proprie mouet id, quod percutit: non proprie tamen se mouet sed mouetur à sagittario, etiam remoto, & fortasse etiam subitanea morte vita functo.

Obiectio.

F Sed obiiciat aliquis, etsi viuentia motibus augmenti, & decrementi, & localibus eorum propriis vere à se ipsis moueri dicantur, in eaque re à non viuentibus distinguantur; (*nam nec semper augentur, etiam in ipso accretionis tempore, vt sæpe Aristoteles ait, sed aliquando sunt in statu, aliquando etiam decrescunt*) tamen motu nutritionis quo pacto nutritio vtcunque motus nomine appellari potest, non videri moueri illa à se ipsis, sed à generanti-

Vt 3. de anima c. 12. tex. 59.

Mouentur ne viuentia à se motu nutritionis, an à generantibus.

[illegible] ; tum quia non est in eorum potestate non nutriri, dum viuunt, nec eis deesse alimentum, tum etiam, quia per nutritionem se conseruant ac perficiunt, vt elementa, cum suas natiuas qualitates recuperant, naturaliaque loca petunt. Quare cum viuentia omnia, quatenus viuētia sunt, nutriantur, imo etiam ex eo primum in gradu viuētium constituantur; non esse recte positum discrimen hoc inter viuentia, & non viuentia, quod illa à se ipsis, hæc à generantibus moueantur.

Solutio.

Huic obiectioni occurrendum est, disparem esse rationem in motu grauium, & leuium, atque in motu (*si ita loqui libeat*) nutritionis. Motus enim grauium & leuium non fit per hoc, quod ipsa agant in alia, sed per hoc, quod in eis ipsis resultet motus eorum naturalis more proprietatis cuiusdā inchoatæ, quo illa perfectum statum suarum qualitatum, aut quietem propriam in loco ipsorum naturali acquirunt. At nutritio fit per hoc, quod viuentia primo, & per se agunt in aliud, hoc est, in alimentum, (*quæ est actio propria, & principalis*) non autem in se ipsa, nisi consecutione quadam, quatenus ea nutritione se conseruant, & perficiunt. Neque obest, quod non possunt ab eo quasi motu cessare; cessant enim quoad aliquot effecta, cuiusmodi sunt accretio, status, & generatio, quæ omnia altrici facultati tribuuntur; quod satis est, vt hac etiam ex parte viuentia à non viuentibus distinguantur.

Respondetur quæstioni, & rationibus dubitandi initio propositis.

SECTIO V.

AD totam igitur quæstionem initio propositam respondendum est, motu proprie dicto, de quo illa excitata est, nihil primo, siue quoad omnes partes simul à se ipso moueri; sed viuentia quidem moueri à se ipsis, non tamen primo, sed per hoc, quod pars alia ex integrantibus aliam mouet: non viuentia vero moueri quidem primo, aut saltem posse moueri, vt cum lapis cadit deorsum, aut aqua se reuocat ad natiuum frigus, vel tota scilicet, vel ex parte, à qua remouetur externum calefaciens; non tamen moueri à se ipsis, etiamsi effectiue concurrant ad suos motus; sed per se à generantibus, per accidens autem ab iis, quæ prohibentia remouent. Nec credimus, re ipsa vllam esse inter Scotum, & D. Thomam in hac assertione controuersiam. Nam D. Thomas, etsi in p. q. 77. ar. 6. vniuerse docet, potentias rerum proprias ab essentiis rerum effectiue profluere (*quod fit emanatione quadam potius, quam actione proprie dicta*) [illegible] aliis tamen locis agens speciatim de [illegible] motus grauium, & leuium, vt in [illegible] in 3. item contra Gentes cap. 23. [illegible], esse in eis internum principium [illegible] naturalium eorum motuum. Scotus [illegible] ad 2. & 25. distinctiones secundi [illegible] multis contendit, grauia, & leuia [illegible] concurrere ad suos motus; nunquam tamen eisdem locis negat ea principaliter moueri à generantibus; sed potius id videtur admittere, cum fatetur, eiusmodi motus esse passiones eorum naturales, etsi aliquo fortasse contradicendi studio non id aperte concedat.

Conciliantur D. Thom. & Scot.

Arg. soluitur.

Ex his etiam facile solui possunt argumenta ea, quæ pro vtraque parte de non viuentibus initio proposita sunt. Nam quod eo loco dicebatur, nihil agere nisi in id, quod dissimile sit, de alteratione, quæ sola in qualitate fit, & ad quam similitudo pertinet, intelligendum est, nec de omni, sed de ea, quæ non fit pura emanatio qualitatis ab ipsa rei substantia, sed vera, & propria actio, vt cum aqua calida frigidam calefacit. Namque in id, quod iam tale est, quale ab agente fieri potest, actio non exercetur, vt fiat tale.

Nil agere, nisi in dissimile, explicatur.

Vt verum sit, omne, quod mouetur, ab alio moueri.

Illud autem pronuntiatum, *Omne, quod mouetur, ab alio mouetur*, quod est ab omnibus receptum, verissimum est in viuentibus, & non viuentibus; si modo intelligatur de motu proprie dicto, non de operatione, quæ est actus perfectus, vt inferius patebit. In viuentibus quidem, ratione partium integrantium, quarum alia proprie agat in aliā per veram, & realem potentiam: in non viuentibus autem, ratione totius, quia mouentur à generantibus, neq; habent eiusmodi partes internas, à quarum aliqua moueri posse dicantur. Hinc enim fit, vt de viuentibus vtrumque dici possit, & moueri illa à se, & moueri ab alio, eo quod internum mouens proprie dictum habeāt, à quo moueātur, quod mouens non est idem, quod ipsa. De non viuentibus autem id solum dici potest, (*si quis proprie loqui velit*) ea moueri ab alio, quia internum motorem nullum habent. Nam etsi eorum forma est primū principium effectiuum motus ipsorum naturalis, & materia prima passiuum; tamen nec forma est mouens, nec materia est mota, vt etiam Scotus adnotauit ad 25. distinctionem libr. 2. sententiarum; quod multi eorum, qui se illum sectari credūt, non animaduertunt; sic enim ait: *Manifestum etiam est, cum aqua calefacta redit ad propriam naturalitatem, & frigiditatem, quod tota aqua agit, & tota patitur: forma enim non agit in materiam suam, quam actu informat.*

q. vnica quodlibetorum.

Illud

Actiua potentia vt sit principium agendi in aliud: & passiua patiendi ab alio.

A Illud etiam, quod potentia actiua semper est principium agendi in aliud, & passiua patiendi ab alio, de potentia proprii & principalis agentis, & patientis intelligendum est, modo nomine talis agentis, & patientis non excludantur partes integrãtes dissimilares, quarum alia plane agit in aliam.

Denique illud, quod tota aqua dicitur sese aliquando alterationis motu frigidam facere & lapis sibi relictus se totum locali motu deorsum mittere, improprie dictum esse accipiendum est, etsi ea proprie efficienter ad proprios motus concurrant. B

Cæterum, quia grauia, & leuia duob. tantum motibus naturaliter mouentur, alterationis, & locali; alteratio autem eiusmodi est quædam pura resultatio natiuarum qualitatum, quæ cuique conueniunt: motus autem eorum localis fit interuentu qualitatum motiuarum; quærat aliquis non immerito, cur ad motus eorum locales datæ sint elementis eiusmodi instrumentariæ qualitates, non autem ad eorum naturales alterationes? quod nunc seorsim expendendum est. C

Cur elementis ad motus locales datæ sint qualitates motiuæ instrumentariè, non item ad eorum naturales alterationes: & num eadem, resque aliæ in vacuo moueri possent?

QVÆST. VI.

Tribus de causis id factum videri.

SECTIO I.

Causa quædã, quæ posset assignari.

AD hanc quæstionem dicet fortasse aliquis, ea de causa datas esse elementis qualitates motiuas ad suos motus locales, non item ad naturales eorum alterationes, (*naturales, inquam, ex parte formarum, nec solum ex parte materiæ*) quia elementa per motum localem agunt in externa corpora, vt ea propellant, non item per naturales ipsorum alterationes, vt se ad natiuum statum suarum qualitatum reuocent. Quæ tamen ratio dubia videtur. Nam si qualitates motiuæ necessariæ sunt ad motum localem ratione medii corporis propellendi, simili ratione dici potest, alias esse necessarias ad eorum motum alterationis naturalem, vt expellantur qualitates contrariæ, quæ à contrariis agentibus introductæ sunt. Quod si ad has expellendas satis est ipsa natura rerum, quæ sese ad naturalem statum suarum qualitatum reducit; cur non etiam satis sit ad medium corpus propellendum, ac de proprio loco excludendum.

Non satisfacit.

Tres veræ causæ.

Prima.

Ad hanc quæstionem respondendum est, tribus de causis à natura id factum videri. Vna est, quia qualitates contrariæ, quæ expellendæ sunt à subiecto, quod sese ad naturalem statum reuocat, sunt in eo præter naturam, nempe in alieno subiecto, vt facile sit eas ab eo expellere, remoto externo conseruante: at corpora interiecta, quæ in motu locali expellenda sunt, in suis naturalibus locis quiescũt, vt maiori præsidio ad ea extruenda sit opus. Quanquam hæc ratio in fine motus localis vim non habet; quia medium corpus, quod vltimum locum deserendum occupat, non solum non resistit ingressui venientis, sed etiam suapte natura cedit, vt ad proprium etiam sese reducat; quod facit ea aeris, aut aquæ pars, in qua lapis descendens in superficie terræ quiescit.

Secunda.

Altera est, quia naturalium qualitatum restitutio magis naturalis est, quam proprii loci occupatio; cum locus naturalis sit forma externa: qualitates autem naturales, internæ, seu vere inhærentes, vt ad eas recuperandas satis sit ipsa formæ substantialis propensio.

Tertia, & præcipua.

Tertia, eaque præcipua est, quia qualitates elementorum motiuæ necessariæ sunt non solum ad extruendum corpus mediũ, quod mobili resistit, sed etiam ad ipsum locum pedetentim acquirendum; quia vbi etiam nullum medium corpus esset, non posset totus locus in momento temporis acquiri: cum tamen tota latitudo qualitatis naturalis, quæ recuperanda est ad restituendum naturalem rei statum, si nulla esset contrariæ qualitatis resistentia, in instanti naturaliter acquiri posset.

Cur qualitas vbi deest contrarii resistentia, acquiratur in instanti, non ita locus sine resistentia medii.

Nam si diuina potestate totus calor ab aqua calida in instanti expellatur, in eodem ipso tota reliqua latitudo frigoris recuperabitur ab ipsa elementi natura quasi profluens; quo pacto in eo temporis momento, quo primum lucerna accensa est, tota luminis latitudo, quæ ex eo loco in aere circũstante produci potest, simul introducitur: eo quod in eo nulla sit resistentia ad illud recipiendum, cum lumen non habeat contrarium quod ab aere expellendum sit. At si eadem potestate domus omni corpore fiat vacua, lapisque applicetur, & contiguus fiat supremæ parti parietis, sibiq; ipsi relinquatur, non poterit ille in momento temporis ad pauimentum peruenire; non quidem propter resistentiam medii corporis, quod nullum erit, sed propter extensionem spatii, & parietis deorsum versus percurrendi, quæ nulla virtute potest tota in instanti pertransiri: alioqui lapis

lapis descendens simul in pluribus esset spatij partibus, contiguusque diuersis partibus parietis, quod fieri nullo modo potest. Cum igitur hæc successio sit necessaria, non solum propter medij corporis resistentiam, cum domus est plena, sed etiam cum est vacua propter spatij, parietisque extensionem, quæ simul percurri non potest: necessaria est vtique grauitas maior, aut minor, quæ lapidi descendenti certam moram præscribat. Neque enim ad eam rem satis esse videtur ipsa natura lapidis descendentis: cum natura eadem sit in toto lapide, & in qualibet eius parte, & tamen videamus totum lapidem citius descendere, quam partem ab eo decisam.

Vt possit adhuc responderi.

Quanquam ad hoc fortasse dici posset; totum lapidem descendere citius, quam partem decisam, quia etsi eadem natura, & propensio est in toto lapide, & in qualibet eius parte, minor tamen extensiue est in parte, quam in toto, vt in toto ipso maior quodammodo sit multitudo partialium propensionum naturalium propter minorem multitudinem materiæ: quo etiam pacto in rebus densioribus dicimus esse plus caloris, quam in rarioribus, etsi in vtrisq; æqua sit eius intensio. Nec forsitan obstaret, quod grauitas ipsa manifeste videatur qualitas sensibilis, vt patet in ponderibus, quæ premunt, & lædunt animalia, à quibus portantur: id enim dici posset fieri ab ipso impetu naturæ lapidis tendentis in proprium locum. Quod idem de leuitate aeris in aqua ascendentis, cæterisque grauibus, & leuibus dici posset, vt par esset eorum conditio ad recuperanda loca naturalia solius naturæ vi, nulliusq; qualitatis interuentu, atq; ad restituendum in se ipsis naturalem statum suarum qualitatum. Addi quoque posset, grauitatem, & leuitatem non videri re vera vnquam intendi, aut remitti. Nunquam enim corpora videntur fieri grauiora, aut leuiora, nisi accedente, aut decedente aliqua parte materiæ: quo pacto ligna plus habent ponderis, cum virescunt, aut humido in loco posita sunt, quam cum sicca: & poma leuiora sunt, cum marcescunt, quam cum erant recens ab arbore decerpta. Quæ si concedantur, par erit omnino ratio in acquisitione loci naturalis sine vlla qualitate instrumentaria, atque in recuperatione naturalium qualitatum, earumve naturalis perfectionis.

Reijcitur hæc responsio.

Sed quia communes sententiæ, & ab omnibus receptæ non sunt deserendæ: & omnia, quæ dicta sunt de acquisitione loci naturalis, facilius intelliguntur effici qualitatibus motiuis, quam sola propensione naturæ grauium, & leuium: præsertim cum rationi magis consentaneum sit, vt putemus datas esse elementis qualitates ad agendum in res alias, quam ad agendum in se ipsa, vt in aliis rebus aperte cernimus: & in proiectis etiam negari non possint qualitates motiuæ à proiicientibus impressæ, vt alibi ostendimus: retinendum omnino est, ad eam moram præscribendam, quæ nulla potestate deesse potest in acquisitione loci naturalis elementorum, necessarias esse qualitates eorum motiuas, etsi ad recuperandas naturales qualitates, earumve naturalem statum non sit opus vlla instrumentaria qualitate.

Num re vera & elementa, & alia moueri possint in vacuo, si illud diuina potestate detur?

SECTIO II.

SED quærat aliquis, num in vacuo motus re vera fieri possit, si illud diuina potestate, aut alia creata detur, quod nos paulo ante in descensu lapidis iuxta parietem domus vacuæ concessimus.

Quæ hac in re mens Arist. c. 8. à tex. 64.

Ad hanc dubitationem respondet Aristoteles 4. Physicorum libro, si vacuum daretur, *(existimant enim esse rem possibilem)* fore, vt nec grauia descenderent, nec leuia ascenderent: alioqui eorum motus fierent in non tempore, seu in instanti; quod inuoluit eam contradictionem, quæ ex iis, quæ superius diximus, colligi potest. Eueniret enim, *(quod existimat)* vt corpus, quod in vacuo moueretur, simul esset in diuersis locis, ac proinde esset, & non esset in eorum quolibet. Nam cum eiusmodi motus celeritas augeatur ea proportione, qua resistentia medij corporis minuitur: in vacuo autem *(si detur)* nulla possit esse proportio resistentiæ ad resistentiam pleni, cum in vacuo nulla omnino talis resistentia concipi possit, nulla quoq; proportio erit celeritatis motus in vacuo ad celeritatem motus in pleno, sed omnino fiet in instanti. De motu vero animalium, & proiectorum nihil ait, quia in eo eo loco nihil ad rem erat.

Quid dicendum de motu anim. in vacuo.

Dici tamen ad hanc dubitationem potest, si de motu quidem animalium sit quæstio, cum ille indigeat re aliqua, cui animal innitatur, relicta quidem terra sola in medio mundi, exinanitoque toto reliquo spatio ad orbem vsque lunæ, fore, vt animalia super terram moueri possent (saltem obrependo) tantisper, dum sine respiratione viuerent, aues tamen volare non possent, quia nihil esset, quod eas in volatu sustineret. Si vero

Quid de motu proiectorum.

sermo, sit de proiectorum motu, etsi non desunt, qui velint fore, vt tunc iacula hinc inde contorqueri, ac emitti possent, nobis tamen id non probatur. Nam præterquam quod multi sunt, qui velint, aerem, qui à tergo recurrat ad proiecta pellenda, necessarium esse ad eorum motum: (*de qua re alias*) non esset etiam tunc quicquam, quod iacula hinc inde emissa in medio motu sustineret, vt de auibus dictum est: præsertim cum ij, qui contra sentiunt, existiment grauia, si in medio eius vacui ponerentur, naturaliter descensura, & similiter leuia ibidem posita, naturaliter ascensura: quod non probamus, vt mox dicetur. Accedit, quod credimus, nullo pacto aut iacula in eo euentu desertura manum eius, qui ea mittere eniteretur; aut etiam globum tormentarium relicturum instrumentum, quo emitti solet in pleno: ne ista vacuum permittant inter se, & ea, quæ illa à se separare conabuntur. Hac enim de causa videmus in pleno & leuia descendere, & ascendere grauia: duas tabulas omnino planas nulla vi posse separari, nisi ea ratione flectantur, vt spatium, quod inter se deserunt, alio corpore recurrente possit occupari. [Qu]ià igitur in dato euentu nulla res erit, quæ inter proiicientia, & proiecta possit intercedere, non credimus vlla potestate creata (*tantum abest, vt dicamus naturali*) fieri posse, vt tunc proiecta à proiicientibus separentur, tantam enim dedit naturæ autor propensionem rebus corporeis, ne vacuum aliquid inter se permittant quo earum societas dissolui possit, vt earum quælibet nihil non patiatur potius, quam vt omnino ab omnium aliarum consortio, & quasi contubernio se disiungat Quo nobis sane fit omnino probabile, ne Angelica quidem potestate posse in rerum natura vacuum dari.

Vacuum nec Angel. potestate dari posse.

Quid sentiendum de motu grauium & leuium in vacuo.

De motu tamen grauium, & leuium non vna responsio est Nam si omnia quidem corpora annihilarentur, ita vt relinqueretur inane totum spatium, quod quoquouersum infinitum est, tum si Deus lapidem, aut ignem crearet, vbicunque illum poneret, immobilis vtiq; permaneret, quo enim naturaliter moueretur, nihil haberet, quia nec supra ibi esset nec infra. Atque hæc est Aristotelis plana demonstratio in 4 Physicorum libro.

Quod si relicta terra, & orbibus cœlestibus spatium interiectum potestate diuina inane fieret, sunt, qui dicant, lapidem in concauo orbis lunæ positum continuo descensurum: ignemq; elementarem in terra productum statim ascensurum, & quidem celerrime: quia nihil erit, quod motum retardet, nisi sola locorum distantia, iuxta ea, quæ iam diximus. Quod idem euenturum dicunt, si lapis, aut ignis in medio huiusmodi vacui poneretur: moueretur enim vterque vt aiunt, naturaliter: lapis quidem ad terræ orbem tanquam pars ad locum totius: ignis vero ad lunæ concauum tanquam ad suum locum naturalem.

Nō ea diuulsum iri, si essent rei alteri contigua.

At nobis non idem videtur, sed potius in vtroque euentu & lapidem, & ignem immobilem permansurum. Nam lapis in eo concauo orbis lunæ positus, ne se ab ea rerum societate disiungeret, cum quibus esset coniunctus, vacuumque inter se, ac cœlum admitteret, & in illud se inferret, nullo pacto inde descenderet: multoq; minus, si totum spatium, quod elementa occupant, esset inane: tametsi eorum nonnulli multo absurdius dicũt, etiam tum lapidem descensurum ad centrum tanquam ad suum locum naturalem: quasi vero aut punctus ille imaginarius, aut imaginarium spatium, quod nunc à terra occupatur, sit locus terræ naturalis, & non potius vbique superficies concaua elementi superioris sit naturalis locus inferioris, vt Aristoteles tradit quarto libro Physicorum. Atq; eadem ratione dicendum est, ignem in eo euentu nõ ascensurum è terra, ne inane aliquid inter se, & terram, cui coniunctus esset, medium esse pateretur, vacuoque se ipsum committeret, in quo nulla sibi esset cum cœteris rebus coniunctio.

Non punctum centri, sed superficies a qua est locus terra.

c. 4 & 5. maxime tex. 45.

Quid si essent in medio vacuo.

Illud est difficilius ostendere, cur lapide, ac igne tunc positis in medio inanis spatij inter cœlum, & terram, nec lapis ad terram descenderet, nec ignis ad cœlum ascenderet: cum præsertim tunc darentur loci naturales vtriusque, ad quos se possent naturaliter conferre. Id enim videbatur Aristoteles desiderare in vacuo vndequaque infinito, vt gleba terræ in eo posita ad centrum, naturalemq; locum moueretur. Esset etiam is motus lapidis, & ignis via quædam, vt aduersum sibi, & perniciosum vacuum fugerent, seque cum rebus aliis sibi cognatis optata societate coniungerent.

4. Phys. ca. 8. tex. 67.

Adhuc non mouerentur.

Sed nihilominus dicendum videtur, ne tum quidem fore, vt mouerentur ex ea parte inanis spatij, vbi ponerentur. Vt enim tunc à solo Deo conseruarentur, ab eoque solo penderent, ita neque aliud requirerent. Neque etiam motus eorum per vacuum eiusdem rationis esset cum motu in pleno, vt eorum interuentu sua loca naturalia peterent. Nec vero lapis quasi diuinare posset, vbinam esset terra, aut ignis, vbi lunæ orbis, vt ad illa se conferret. Quod enim in pleno & lapis nunc ex eadem distantia ad terram descendit, &

Cur è medio aere ignis sursum, terra deorsum tendat.

dit, & ignis ascendit ad lunæ orbem, ex eo accidit, quia lapis in medio aere positus habet iuxta se elementum, cui se naturaliter subiiciat tanquam naturaliter superiori: & ignis habet, quod naturaliter superet tanquam inferius, vt ordo vniuersi ab autore naturæ institutus, in quo eorum naturalis conseruatio, & perfectio sita est, seruari possit. Neque obstat illud Aristotelis negantis glebam motum iri in vacuo vndequaque infinito, quod ibi nec esset supra, nec infra: quasi, si esset, iam illa per vacuũ ad suum locum moueretur: non obstat, inquam, quia vt ille negaret, motum ibi futurum, satis erat ostendere non fore ibi locum superum, & inferum: tametsi, vt illum concederet, adhuc medium corpus, in quo gleba moueretur, esset necessarium: eoque magis iuxta eius sententiam, si cum veteribus credidit totam successionem motus localis ex resistentia medij prouenire.

Non sensum, sed rationem hic consulendum.

Sed mirum nobis videtur, quod lapis non sit è medio talis vacui, nempe inter cœlum, & terram interiecti, descensurus, nec ignis ascensurus: quod ideo accidit, quia sensum magis, quam rationem ibi consulimus, vbi totum iudicium à ratione petendum est. Vt, si quis ex media plebe rogetur, num si Deus annihilet interiecta corpora inter nos, & cœlum, sol à nobis conspiciendus sit, continuo respondebit fore, vt multo clarius videri possit: & tamen ratio ostendit nullo pacto conspiciendum, idque propter defectum medij, per quod ad nos perueniant astrorum species visibiles.

In spatio ex altera parte vacuo mouebitur grauia & leuia.

Eo igitur modo duntaxat credendum est futurum motum grauium, & leuium in vacuo, si corpori alicui apte applicentur ad descendendum, ascendendumve: vt si lapis applicetur supremæ parti parietis in domo vacua, vti supra diximus, aut ignis infimæ: mouebuntur enim naturaliter hic sursum, ille deorsum. Ad motum enim naturalem non est necesse, vt totum corpus circumdetur alio corpore, sed satis est, si iuxta corpus fiat, vt ad cap. 13. libri quinti ostendimus: satis enim est, si in motu grauis partes superioris corporis, iuxta quod mouebitur, deserantur, & petantur inferiores: contraque fiat in motu leuis.

Quam vim habeant rationes Arist.

Ad ea vero, quæ Aristoteles quarto Physicorum se ostendisse credit, si daretur vacuum, fore, vt motus fieret in non tempore: ac proinde motus non esset motus. & (quod ex his sequitur) nulla ratione posset dari vacuum: respondendum est, quanquam ille recte concludit, si tota mora, quæ in motu expenditur, proueniret ex resistentia medij corporis,

A (quod forsitan veteres Philosophi senserunt, contra quos disputat, & non simpliciter, vt multis placet) absolute tamen nihil efficere. Nam etsi spatium temporis, in quo fit motus, tantum minuatur, quantum minuitur medij corporis resistentia, semper tamen excipieda est ea mora, qua mobile moueretur, vbi nullam interiecti corporis resistentiam inueniret, quæ nulla omnino esset in vacuo.

B Quanquam enim ea mora parua admodum esset, aliqua tamen esset certa respectu certæ grauitatis, aut leuitatis. Atq; hoc est grauiorum Scholasticorum de demonstrationibus Aristotelis iudicium.

Vide D. Th. in 4. d. 44. q. 2. a. 3. & Sco. in 2. d. 2. q. 9.

Intensionem qualitat. motiua sequeretur motus velocitas, etiã in vacuo.

Quod si intensio grauitatis, aut leuitatis augeretur in infinitum, tum demum mora etiam illa parua in infinitum minueretur; sin autem illa minueretur in infinitum, hæc in infinitum augeretur. Quod si omnino tota

C qualitas motiua tolleretur, iam omnino non moueretur corpus graue, aut leue, quia non esset instrumẽtarium principiuum, quod necessariæ successionis moram præscriberet. Si quis autem è contrario ponat motiuam qualitatem esse factam actu infinite intensam, tum demum Aristoteles demonstrasset absolute, motũ, quia eius impetu fieret, futurum esse in instanti, nec solum in vacuo, sed etiam in pleno: quia motiua qualitas actu infinita

D non solum vinceret omnem medij corporis resistentiam, sed omnem quoq; moram, quæ ratione extensionis spatij expenditur. Ex resumi potest efficax argumentum ad ostendendum nulla potestate dari posse qualitatem motiuam, quæ sit actu infinite intensæ quod ea data fieret motus in non tempore, motusque plane non esset motus. Neq; enim dici potest, ea data fore, vt mobile, quod ea præditum esset, nõ inclinaret ad motum, aut

E extra suum locum naturalem quiesceret: cum id nulli mobili contingat, in quo sit remissior grauitas, aut leuitas. Atque hæc de motu grauium, & leuium sint satis.

Num cor à se ipso moueatur?

F

QVÆSTIO VII.

Neque à calore innato, neque anima moueri.

SECTIO I.

Ratio dubitandi, an à se ipso cor moueatur.

ALIA dubitatio est de motu cordis, qui motus animalis proculdubio est. Quæret enim aliquis, num illud à se ipso, an ab alio moueatur. Nam cum non

 viuen-

viuentia ea ratione non moueantur à seipsis, quia non habent primam aliquam partem internam, à qua moueantur: cor autem sit prima pars animalium, quæ corde prædita sunt, neq; aliam priorem habeat, à quo moueri possit: pari ratione non mouebitur illud à se ipso. Et tamen, si quis consideret duplicem eius motum, diastoles nimirum, quo se impellit, & extendit: & systoles, quo se ipsum contrahit: cum hi motus contrarij videantur, non dubitabit forsitan asserere, illud à se ipso moueri.

Volunt quidam moueri à calore innato.

Ad hanc dubitationem sunt qui dicāt, moueri cor à calore innato, atq; ea de causa dici à se ipso moueri: innatus enim calor, à quo moueri volunt, primam sedem habet in corde. Verum hæc sententia, vt alia mittamus absurda, in quæ incurrit, nō est ad rem. Quærimus enim non principium, quo moueatur: siue principale illud asseratur, quod non potest esse calor, cum sit accidens: siue instrumentale: sed quærimus principium, quod ipsum moueat, seu mouens ipsum, à quo moueatur: quod calor esse nullo modo potest. Quod si nomine caloris innati intelligant substātiam calidam spirituum vitalium, quibus alij motus in animali manifeste administrantur: ea substantia primus cordis motor esse non potest, cum à corde gignatur.

Refelluntur.

Alij moueri ab anima.

Aliorum sententia est, cor non moueri quidem à seipso eo modo, quo animal, ita scil. vt partes habeat integrantes, quarum alia ab alia moueatur, si enim in corde daretur ea partium distinctio, non esset cor prima pars ex integrantibus, à qua motus omnis, qui in animali cernitur, oriretur: sed ea pars sola à qua cœteræ mouerentur: de qua rursus eadē quæstio esset, atq; de corde, num à se ipsa moueretur, an ab alio motore. Sed dicunt illud moueri ab anima, quæ, cum substantia sit, & pars interna tum cordis, tum animalis, potest & cor ipsum, & totum animal ita mouere, vt vtrumque dici possit vere, ac proprie à se ipso moueri: tametsi animal non solum ab anima, sed etiam à corde moueatur.

Probant. Cap. 4. tex. 36. 37. Cap. 8. Item de partib. animal. lib. 3. c. 4.

Hanc vero sententiam confirmant ex eo, quod anima dicitur ab Aristotele 2. lib. de Anima esse in viuentibus causa non solum formalis, sed etiam efficiens, & finalis motuum omnium, siue operationum vitalium. Tum ex eo, quod idem ait in libro de motu animalium, cor esse veluti quoddam separatum animal, quasi in se ipso habeat internum motorem. Cum ergo id (quidquid sit tandem) non sit pars aliqua prima ex integrantibus, (neq; enim iam illud esset prima pars: esset enim diuisibile in priores partes) necessario efficitur, vt sit anima ipsa.

Impugnatur hac sentent. Lib. 2. de anima cap. 2.

Sed neq; sententia hæc probanda est, quia anima, etsi est primum principium effectiuum, Quo, (vt vocāt) omnium operationum vitalium, vt patet ex illa eius definitione. *Anima est id, quo viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus primo*: (quo pacto intelligendum est illud Aristotelis, eam esse causam efficientem vitalium operationum) non est tamen illa ipsum efficiens, quod Scotus recte animaduertit, nosq; superius ex eo citauimus. Non secus accidit in genere artificialiū. Nam etsi ars est principium effectiuū, Quo, artificiosi operis, non est tamen ipsa id, quod efficit opus. Quapropter quærendum est, quid intus sit, quod ipsum cor moueat, non quo principio cor ipsum se ipsum moueat. Hac enim de causa semper Aristoteles in viuentibus corporeis quærit partem aliquam integrantem, quæ primū moueat: ac merito quidem: nam actiones omnes, vt 1. libro dictum est, sunt singularium subsistentium. Etsi autem partes integrantes nō sunt per se subsistentes, hoc tamen plus habent, quam anima ipsa, quod sunt compositæ ex illa, & corpore, potentiasq; habent corporeas, per quas motum administrent, quas ipsa anima in se habet: nisi loquamur de anima rationis participe, quæ etiā non habet in se aliam potentiam motiuam præter eam, quam tum demum exercebit, cum fuerit à corpore separata. Quo fit, vt partes integrantes in hoc magis accedant ad singularia per se subsistentia, quod compositæ sint ex materia, & forma, & in toto ipso peculiares actiones exercere possint per motiuas potentias, quas in se habent, quod formis ipsis non cōceditur. Quin ne anima quidem rationis particeps in hac vita sine concursu eius partis, in qua inest phantasia, quicquam intelligit, nisi valde sit à sensibus abstracta, quod rarissime accidit. Cum igitur motus vitales requirant non solum principium, quo siue cor, siue animal moueatur, sed etiam, quod moueat: anima autem, etiam rationis particeps, nihil mouere possit, sed solum principium primum, quod & animal, & omnes eius partes moueat: efficitur, vt dici non possit cor à seipso moueri, quia ab anima moueatur.

q. 5. sect. 4.

Vt 8. phys. c. 4 tex. 28. Cap. 14. 5.

Cur pars integrans dici queat principium, quod moueat, non item anima.

Motum cordis esse à generante.

SECTIO II.

Quæst. resolutio.

DICENDVM igitur, cor efficienter ad suum motum concurrere, sed tamen, si proprie loquendum est, moueri illud à generante, vt de elementis dictum est. Atque hæc sententia est D. Thomæ in opuscu. 35. quod

Capr. in 2.d. 7.q.2. & Ferrar. lib.1.cōtra gent.c. 97.

quod de motu cordis conscripsit, quem non pauci sequuntur. Hoc tamen interest inter motum cordis, & elementorum, quod motus cordis vitalis est, elementorum non item: procedit enim ab anima tanquam principio effectiuo, non quatenus est forma misti aut etiam viuentis secundum gradum vegetatiuum, sed quatenus est forma animalis habẽtis sanguinem. In hoc enim genere primum inest cor: quanquam in cæteris animalibus aliquid est, quod proportione cordi respondeat, tanquam prima eorum pars, vt Aristot. tradit lib.2. de partibus animalium. Neq; obest, quod motus cordis præuenit sensitiuam apprehensionem, vt propterea non dicatur animalis, est enim in eo genere ad illam ipsam exercendam concessus.

Discrimen inter motū cordis, & elementor.

Anima, quæ forma animal, habentis sanguinē est principiū effectiu. motus cordis.

cap.1.

Ratio huius sententiæ, quod ad priorem partem attinet, ea est, quia motus cordis vere pendet ab anima, à qua illud informatur; nec solum tanquam à principio finali, & formali, siue specificatiuo, sed etiam effectiuo, vt à quo oritur potentia illius motiua: quod idem de elementis est dictum, quatenus effectiue concurrunt ad proprium motum localem. Atque hoc modo intelligendum est id, quod Aristot. ait, cor esse quasi quoddam animal separatum, quia cum moueatur motu quodam animali peculiari, ac suo, non mouetur tamen ab alia parte vt cæteræ, quæ sunt in animali, sed quasi solitarium sua ipsum vi mouetur: tametsi in eo similitudo claudicat, quod non vere moueatur vt animal, sed quasi animal.

q.5.sect.4.

Quod vero attinet ad posteriorem, præter id, quod nunc dictum est de verbis illis [*Quasi quoddam animal*] quibus impropria locutio declaratur, ea ratione ostenditur, quia motus cordis etsi exercetur per quandam potẽtiam motiuam localis motus, vt etiam exercetur localis elementorum, est tamen & ipse proprietas quædam à generante collata ad alios motus animales administrandos. Neque enim præter naturam, aut rationem, qua natura dicitur, est, vt proprietas, vna per aliam oriatur à forma, aut composito, cuius est proprietas, quæ est D. Thomæ recepta sententia, & in ipsis etiam elementis cernitur, nam proprietates, quas habent existendi in propriis locis naturalibus, per motus eorum proprios acquiruntur, & recuperantur. Nisi quod hoc plus habet motus cordis, quod est perennis, & quasi continuus, nec nisi propter reflexionem breuissimis morulis interrumpitur.

Probatur moueri cor à generante.

1.p.q. 77. art.4.

Nec vero est necesse, vt eæ tãtum proprietates, quæ in ipso generationis momento rebus conferuntur, à generantibus collatas esse intelligamus: quæ enim in successione cõ- A sistunt, etiam successiue necesse est conferantur, id quod in motu elemẽtorum patet, præcipue vero in alteratione eorũ naturali, quæ immediate ab essentiis eorum successiue oritur. Dirigi autem motum elementorum ad eorum quietẽ, & motum cordis ad alios perfectiores motus animalis, magna cum ratione accidit, quia vt perfectio elementorum in quiete consistit, ita motus animalium, quæ sanguine prædita sunt, in eo motuum genere, B ad quos motu cordis disponuntur. Nam, vt Arist. tradit initio secundi libri de partibus animalium, vis sentiendi, vis mouendi, vis nutriendi in corde continentur, quod ita interpretatur Auicenna Fen. 1. doctrina 5. vt velit Arist. cor esse omnium facultatum principiũ radicale, etsi facultates in aliis membris exerceantur, vt animales in cerebro, naturales in iecore. Certe Galenus, qui in multis se Aristoteli opponit, scribit libr. 6. de placitis, omnes C Medicos concedere, munus elaborandi sanguinem arterialem, qui venali subtilior est, itemque efficiendi spiritus vitales, qui omnium tenuissimæ partes sunt, cordi demandatum esse.

Non omnia, quæ sunt à generan. dari in generat. momento.

Cap.2.

Accedit, quod ea ratione cor non dicitur proprie à se ipso moueri, quia non potest à se ipso motum inchoare, & cum mouetur, à motu desistere, varieq; moueri, vt possunt omnia viuentia, quæ proprie à se ipsis moueri D dicũtur: quod etiam in ipso toto animali habenti cor euidentius cernitur. Neque obest, quod in corde dentur motus quasi contrarii diastoles, & sistoles, interposita quiete, quique videantur diuersis potentiis motiuis administrari. Nam etsi parum id referat, cum semper eodem modo accidat, neque ea interruptio eueniat nisi per accidens, re tamen vera vna sola est in eo potẽtia motiua, quæ cum impellit, efficit diastolem cum impulsum re- E mittit, efficit systolem, vt præstantes Medici volunt.

Ad motum cordis vnam tantum dari potent.

Neq; etiam obstat, quod motus, qui fiunt à generante, propterea non videantur esse vitales, quod viuentia quatenus talia sunt à se ipsis, non ab alio extra se moueri dicantur. Hoc enim de totis ipsis viuentibus intelligẽdũ est, non de omnibus eorum partib. alioquin motus etiam vitales earũ partium, quæ à corde mouentur, non essent vitales; quod F ab alio, quod in ipsis non includitur, effectiue proueniant. Quin potius maxime consentaneum rationi est, vt quemadmodum viuentia ea ex parte, qua sunt grauia, & leuia, à generantibus mouentur: (quorum generãtium nomine non sunt excludẽda cœlestia corpora, eorumq; motores) ita qua ex parte sunt viuentia, aliquem peculiarem motum habeãt,

Posse motū esse ab alio, & tamen vitalem.

qui generantibus tribuatur, vt ex illis, nõ solum quatenus grauia, & leuia sunt, sed etiam quatenus viuentia, inuestigari possit primus eorum motor immobilis, eo quasi ascensu, quod celebri illo pronuntiato continetur, *Omne quod mouetur, ab alio mouetur*, quod in omnibus gradibus viuentium verum esse suo loco ostendemus.

Quo sensu animal dicatur vt ciuitas externis principiis nõ indigens.

Quod si quis obiiciat illud Aristotelis in libro de motu animalium Animal esse quasi ciuitatem, siue Rempublicam, quæ non eget externo principe, ergo cor non moueri à generante, ne animal ipsum externo motore indigeat: hunc in modum respondendum est, similitudinem hanc, quod ad regimen attinet, de quo aperte intelligitur, veram esse omnino; animal enim sensibus, aut ratione regitur, quæ est perfectissima vitæ functio: vnde est illud eiusdem initio huius operis. cætera animalia imaginationibus, & memoriis, genus autem hominum arte viuere, & ratione. Nec certe hac ex parte indigent animalia externo motore, à quo dirigantur. Quod vero attinet ad alias vitæ functiones, nihil obest, quod ab æterno motore pendeant: quo pacto multæ sunt Respublicæ, quæ cum in regimine sibi sufficientes sint, in rerum tamẽ necessariarum vsu, vt comeatu, aut præsidio, ab aliis pendent: at motus cordis non in gubernando animali, sed in administrandis cæteris motibus vitalibus consistit, vt mirũ non sit, si aliunde pendeat.

Cap. 7.

Cap. 1.

Num motu locali rerum incorporearum proprio, aut motib. improprie dictis, aliquid primo se ipsum mouere possit?

QVÆST. VIII.

Vera explicatio quæstionis.

SECTIO I.

Iam si de motu rerum incorporearum proprio, & aliis operationibus, quæ improprie motus dicuntur, sit quæstio, possitne aliquid se ipsum mouere, tribus conclusionibus breuiter respondendum est.

1. Conclusio. Motum rerũ incorpor. esse proprie dictũ, non tamen phys.

Prima conclusio sit, Res incorporeas primo se ipsas locali motu mouere posse Motus localis, de quo in hac conclusione sermo est, etsi adhuc est motus proprie dictus, vtpote quo locus pedetentim acquiritur, non censetur tamen motus physicus, quia mobilia per eum non acquirunt locum circumscri- A ptiuum, hoc est, in quo partes mobilis respõdeat partibus loci, seu (quod idem est) in quo totum sit in toto, & partes in partib. sed definitum, i.e. in quo totum sit in toto loco, & totum in qualibet eius parte. Quapropter cum res incorporeæ dicuntur immobiles, nõ propterea id dicitur, quod moueri non possint vero motu, sed quia nõ mouentur motu physico, quo pacto mouentur res naturales, quæ omnes sunt corporeæ, & in loco circumscriptiuo continentur. B Itaque hac ratione accipit Arist. nomen motus localis, vbicũque distinguit res naturales, & materiales ab incorporeis, & immaterialibus per differentias mobilis, & immobilis.

Hæc conclusio ex eo perspicua est, quia moueri à se primo, vt supra explicatum est, *q. 5. sect. 2.* nihil est aliud, quam moueri non à parte aliqua integrante interna, quo pacto animalia seipsa mouent, sed ita exercere in se actum C mouẽdi se, vt totum & moueat, & moueatur: patet autem in reb. incorporeis non dari partes integrantes. Atque hoc modo mouentur non solum substantiæ separatæ, sed etiam animæ à corporibus seiunctæ, & participatione quadam immortalia beatorum corpora, imo & aliquando mortalia, diuino concessu, vt diximus cap. 15 lib. 4.

q. 8. sect. 4.

2. Conclusio.

Secunda conclusio sit. Motu improprie dicto posse etiam aliquid primo se ipsum mo- D uere. Nomine motus improprie dicti intelligenda est ea operatio, quam Arist. vocat actũ perfectum, ad distinctionẽ actus imperfecti, hoc est, entis in potẽtia, vt in potentia est; seu (quod eodem redit) intelligẽda est operatio, quæ simul fit, & facta est, vt Arist. eam explicat 6. huius libri ad distinctionem actus, qui non simul fit, & factus est, ac proinde non dicitur absolute actus, sed actus imperfectus, & proprie motus.

Motus improprie dictus quinam sit.

Tex. …

E Conclusio hæc facile probatur in operationibus intelligendi, & volendi, quæ sunt actus perfecti & improprie motus. Nam cum anima se ipsam intelligit, aut amat, imo etiam quamcunque rem aliam, certum est non id fieri eo modo, vt pars moueat partem, cum partium sit expers: vnde cum Aristotel. 3. de Anima appellet omnes operationes intellectus, & voluntatis motus quosdam, tametsi improprie dictos, non dubium, quin anima F huiusmodi motibus dici possit primo se ipsam moueri.

Cap. 3. 9. & 10.

Idem quoque probari potest in operationibus sensitiuarum facultatum, siue apprehensiuæ illæ sint, siue appetitiuæ: nam & has operationes vocat Aristoteles actus perfectos, quod non prius fiant, deinde factæ sint, sed simul & fiant, & sint factæ. Probatio autem

Cit. tex. …

autem inde sumitur, quia etsi huiusmodi facultates sunt extensæ in subiecto, totæ tamen simul suscipiunt actus suos, simul enim videmus vna parte pupillæ, cum videmus alia, & sic in cæteris potentiis sensitiuis: quanquam, si quæstio sit de vero motu, qui sæpe coniungitur cum operationibus harum potentiarum, potissimum vero appetitus sensitiui, vt iræ, tristitiæ, & nimiæ lætitiæ, vna pars subiecti aliam alteret humoris alicuius commotione aut concursu, à quo motu coniuncto operationes appetitus sensitiui B passionis nomen acceperunt, vt D. Thomas aduertit.

Cur operationes appetitus sensit. vocentur passiones. *12. q. 22.*

3. Conclusio.

Tertia conclusio sit; siue res aliqua primo se ipsam moueat, siue non primo, sed quia pars vna mouet aliam, semper tamen dari aliquam distinctionem inter agens & patiens. Hæc conclusio intelligenda est de omnibus motibus siue proprie, siue improprie dictis, modo non sint emanationes naturales. In his C enim fieri potest, vt agens à patiente nullo modo distinguatur, vt cum aqua calefacta se reuocat ad natiuum frigus, tametsi non in omnibus id accidit, vt in motu locali elementorum: in hoc enim agens est elemētum cum qualitate motiua simul, patiens vero ipsum elementum per se: ea enim motiua qualitas non est principium, seu potentia patiendi, sed agendi tantum.

In quib. motibus agens semper distinguatur à patiente.

Probatur autem conclusio ex diuisione actionum. Nam cum omnes actiones sint vel D transeuntes, vel immanentes; In transeuntibus quidem res perspicua est, cum ipsa ratio transeuntis id declaret, modo conclusio intelligatur de immediato agente, & patiente. Quod addiderim propter motus animalium proprie dictos, in quibus etsi suppositum agens, & patiens est omnino idem, tamen immediata non sunt eadem, quia semper pars, quæ agit, est distincta ab ea, quæ patitur. In actionibus autem immanentibus ea ratione E probatur conclusio, quia actiones immanētes vel sunt operationes potentiarum apprehendentium, vel appetentium: in his autem semper aliquid concurrit ex parte agentis, quod non concurrit ex parte patientis. Nam potentiæ apprehensiuæ non operantur, nisi concurrentibus simul obiectis, aut saltem eorum speciebus, tanquam aliis agendi principiis, vt patet in sensibus externis, & internis & in ipso etiam intellectu: appetitiuæ autem nō F nisi concurrentibus notitiis apprehensiuarū, vt patet in vtroque appetitu & sensitiuo, & rationali: *(incognita enim neq; appetuntur rationali, aut etiam animali, neq; item refutantur)* cum interim neque obiecta, eorumve species concurrant cum potentiis apprehensiuis ad A recipiendas earum operationes, nec notitiæ cum appetitiuis ad recipiendos eorum actus appetendi, vt perspicuum est.

Agi hic de immed. agente, & patient.

Num in operatione, qua substantia separata se ipsas intelligunt, agens, & patiens modo aliquo distinguantur.

SECTIO II.

Sed contra hanc conclusionem sic obiici potest. Substantiæ separatæ intelligunt se ipsas non per species vllas, sed per solam ipsarum substantiam, & potentiam intelligēdi, vt est communis Theologorum sententia: ergo in ea operatione nulla est distinctio agentis à patiente, seu suscipiente actionem. Nam vt ipsa earum substantia, & intellectus sunt principia producendi eiusmodi operationem, ita & suscipiendi, tametsi substantia primum & principale, intellectus autem secundarium, & instrumētale. Quod idem obiici potest de anima separata, cum non per speciem vllam, sed per se ipsam se intelligat, tametsi dum est in corpore, nisi per species aliarum rerum, & argutiue, vt dici solet, se intelligere non possit.

Obiectio [illegible]

Huic obiectioni, missa opinione eorum, qui putant Aristotelem sensisse, omnes substantias separatas esse actus puros, ac proinde esse ipsos suos actus intelligendi, quod in solo Deo est verum, occurrat fortasse aliquis, illas quatenus se ipsas per suas essentias intelligunt, non eadem ratione considerari, vt agentes sunt, & vt patientes. Nam & quatenus habent potentiam intelligendi, & quatenus sunt obiecta sui ipsarum, concurrunt actiue ad actum intelligendi, tanquam duæ caussæ actiuæ vnam totalem conficientes, & tamen non concurrunt passiue ad eundem actum, quatenus sunt obiecta sui: *(obiectum enim, vt obiectum est, non est passiuum,)* sed solum concurrunt, quatenus habent potentiam intelligendi, quæ simul actiua est, & passiua, vt cæteræ potentiæ actionum immanentium: has autem rationes diuersas esse nemo dubitauerit.

Lib. 12. met. c. 9 tex. 51.

Solut. quand.

Improbatur.

Verum, quia ratio obiecti, vt obiectum est, si formaliter sumatur, non est absoluta, sed relatiua: absolutum vero illud, quod à relatione denominatur, non est diuersum vllo modo in substantiis separatis ab ipsis substantiis: Aristoteles autem in definitionibus potentiæ actiuæ, & passiuæ plane videtur requirere diuersitatem aliquam inter agens, & patiens, nō in ipsis tantum relationibus, neq; etiam

Ratio obiecti formaliter est relatiua.

Hoc lib. & c. text. 2. & lib. 5. c. 12. text. 17.

etiam in solis rationibus agendi, & patiendi, sed in rationibus absolutis eius, quod agit, & eius, quod patitur, alia solutione vtendum est.

Vera solut. & quæst. decisio.

Dicendum est igitur nihil mirum, si in hac operatione agens, & patiens nullo modo distinguantur, cum actus intelligendi (*quod ită Diuus Thomas, & fere eius sectatores asserunt*) quo substantiæ separatæ se ipsas intelligunt, oriatur ab illis per modum passionis propriç, & naturalis propter intimam præsentiam, qua perpetuo suis intellectibus obiiciuntur, nō solum in esse reali, sed etiam intelligibili. Neque enim spiritualiores, vt ita loquor, sibi fieri possunt, aut coniunctiores suis intellectibus, quam per se ipsas sint, cum sint omnino immateriales. Quo fit, vt semper sine vlla intermissione quasi germinent sui cognitionem, neque ab ea naturaliter diuerti possint, nisi si qua vehemēti attentione in rem aliam eam tantisper intermittant, quæ intermissio interdum nobis accidit, cum apertis oculis in rem aliquam, quam intuemur, aut vehementi applicatione ad nouum aliquid, quod audimus, aut cogitamus, ita diuertimur vt rem præsentem minime videamus. Quod idem dicendum de actu, quo substantiæ separatæ se ipsas naturali amore prosequuntur. Nec mirum est id in puris illis spiritibus accidere, cum nos, qui non semper nobis in esse intelligibili præsentes sumus, tamen frequentissime, & pene in omni re in qua versamur, de nobis ipsis cogitamus, nosq; amādo nobis aliquid boni, aut veri, aut apparentis volumus.

D.Th. 2. contra gent. c. 97. Ferrar. ibid. Heru. in 2. d. 1. q. 4. Durand. q. 8. Capr. [illegible] art. 3. [illegible] 1. p. q. 58. art. 2.

A substant. separatis oriri actum se intelligendi, vt passionē natural.

Idem dic de actu amoris.

Præuenitur obiectio.

Neque obest, quod is actus intelligendi substantiarum separatarū producitur per potentiam intelligendi, vt propterea naturalis earum proprietas dici non debeat. Nam & proprius motus localis elementorum, & cordis, vt supra diximus, sunt eorum proprietates, & tamen producuntur per qualitates ipsorum motiuas. Neq; enim quicquam impedit, quominus vna proprietas à re, cuius est proprietas, per aliam proprietatem oriatur, vt etiam dictum est. Hoc tamen interest, quod in motibus localibus elementorum, & cordis, absoluta ratio agentis est diuersa à ratione absoluta patientis, cum in illis qualitates motiuæ ita pertineant ad rationem absolutam agentium, vt non pertineant ad rationem absolutam patientium, cum tamen substantiæ separatæ recipiant actus omnes intelligendi mediante intellectu, qui non solum actiua potentia est, sed etiam passiua, quæ omnia patent ex dictis. Sed de modo intelligendi substantiarum separatarum, & aliis rebus huic disputationi coniunctis, suo loco, hoc est, libr. 12. ex instituto agendum est.

q. 5. sect. 4. & q. 7. sect. 2.

ΚΕΦ. Β.

Ἐπεὶ δ' a αἱ μὲν ἐν τοῖς ἀψύχοις ἐνυπάρχουσιν ἀρχαὶ τοιαῦται, αἱ δ' ἐν τοῖς ἐμψύχοις, καὶ ἐν ψυχῇ, καὶ τῆς ψυχῆς ἐν τῷ λόγον ἔχοντι, δῆλον ὅτι καὶ τῶν δυνάμεων αἱ μὲν ἔσονται ἄλογοι, αἱ δὲ μετὰ λόγου. διὸ b πᾶσαι αἱ τέχναι, καὶ ποιητικαὶ καὶ αἱ ἐπιστῆμαι, δυνάμεις εἰσὶν ἀρχαί: γὰρ μεταβλητικαί εἰσιν ἐν ἄλλῳ ἢ ἄλλο.

CAPVT II.

Cum a autem huiusmodi principia partim in rebus inanimis: partim in animatis insint, atq; adeo in anima, eaq; animæ parte, quæ est rationis particeps, illud perspicuum est, fore, vt potentiarum aliæ sint rationis expertes, alia cum ratione. Hinc b fit, vt artes omnes, & quæ effectiuæ sunt, & quæ scientiæ, in potentiis numerentur. Sunt enim principia mutationis in alio quatenus aliud est.

Atq;

CAPITIS SECVNDI EXPLANATIO.

Potentia rational. & irrational.

Viuentium potentias esse in anima.

Cum a autem.] Distinguit in hoc capite omnes potentias, quæ principia agendi sunt, aut patiendi, ratione earum rerum, in quibus reperiuntur, in actiuas tantum, vt credit Auerroes: atque potētiarum alias esse rationis expertes, alias cum ratione, siue rationales, quod aliæ insint in rebus inanimis, quæ omnes sunt rationis expertes, aliæ in animatis, quarum rerum cum quædam sint rationis participes, necesse est quasdam etiam earum potentiarum esse rationales. Addit autem rerum animatarum potentias inesse itē in anima ipsa, ac proinde in ea animæ parte, siue specie, quæ est rationis particeps, quia omnes potentiæ rerum animatarum, seu viuentium, ab anima ipsa tanquam à radice peculiari ratione prodeunt, quo fit, vt eis peculiari quoq; ratione inesse nō iniuria dici possint. Nam & cōmune est omnib. potentiis rerum naturalium, præcipue prodire, ac quodammodo pullulare ex formis (namque aliæ formæ alias sibi vendicant facultates, cum interim materia, vt ex se indifferens est ad omnes formas, ita sit ad omnes potentias) tamen cum propter animæ excellentiam proprium sit rerum animatarum à se moueri, non immerito earum, quatenus animatæ sunt, potentiæ seu facultates in anima etiam ipsa peculiari ratione inesse dici possunt: multoque iustius in anima rationis participe, quod

Maxime in rational.

quod potentiæ rationales, non modo ab ea oriantur, sed etiam earum præcipuæ in ea insint tanquam subiecto per se primo existentiam habente. Quæ omnia Aristoteles paucis verbis hoc loco videtur innuere.

b *Hinc fit, vt artes.*] Quia ex conditione artium traditurus est discrimen inter potentias rationales, & rationis expertes, perspicue colligit ex definitione actiuæ potentiæ (generalius tamen sumptæ, quam vt dicitur principium veri ac proprie dicti motus) artes omnes esse potentias: nec tantum eas, quæ effectiuæ sunt, & in externam materiam transeunt, vt sunt mechanicæ omnes: sed etiam eas quas præstantioris scientiæ nomine dignamur, vt sunt scientiæ morales, & aliæ, quæ in agendo versantur, etsi earum artifices nihil extra se operentur, vt Dialectica, cuius officium in dirigendis operationibus intellectus præcipue positum est: sunt enim omnes huiusmodi scientiæ principia agendi in alio subiecto, vt fabrilis in ligno: aut in eodẽ, in quo sunt, alia tamen ratione spectato, vt Medicina in ipso medico, non quatenus medicus est, sed quatenus ægrotus: & moralis scientia in morali artifice non quatenus præditus est recta salutariq; morum cognitione, sed quatenus eius scientiæ directione opus habet, vt affectiones suas operationesq; alioqui liberas rectæ rationi conformet: & ars item Dialectica in Dialectico, non quatenus scit quo pacto recte disserendum sit, sed quatenus in disserendo errare potest, eiusq; artis, ne erret, præsidio indiget. *Omnes omnino artes esse potentias.*

Alexander ait artis vocabulum ita fuse accipi hoc loco, vt per illud intelligantur etiam contemplatiuæ scientiæ, idq; ea ratione, quod hæ quoq; id muneris habeant, vt animam moueant ad aliquid considerandum. Verum scientiæ contemplatiuæ, etsi concurrunt cum intellectu tanquam formæ quædam, quib. producitur ipse actus contemplandi, siue quoad substantiam actus, siue quoad modum, (*de qua re postea agendum est*) non dicuntur tamen actiuæ seu practicæ, sed potius practicis opponi solent, quod nihil agere doceant, nec vllas tradant agendi regulas, tantum abest, vt doceant efficere contraria, quod tamen Aristoteles toto hoc capite iis scientiis attribuit, quas in potentiis actiuis numerauerat. Neq; etiam illud probandum est scientias contemplatiuas mouere animam ad aliquid considerandum, ea enim motio à voluntate est, quæ omnes sibi subiectas potentias ad suum quamq; opus applicat. Tametsi etiam Dialectica modo aliquo dici potest mouere intellectum ad rectam considerationem, quatenus eius operationes dirigit, qua de causa merito à nobis lib. 2. in actiuarum genere comprehensa est: tametsi in contemplatiuis ea ratione quodãmodo numerari videatur, quod contemplatiuis præcipue ministret, vt ibidem diximus. *Scientias contempl. nõ esse potentias.* *Non moueri animam ad considerationem à scientiis cõtempl.* *Cap. 3. q. 2.*

Illud porro animaduertendum est potentiam non accipi hoc loco presse, nempe pro naturali potentia, quæ secundũ genus qualitatis constituit: cum scientiæ, quæ hic potentiæ dicuntur, non sint à natura inditæ. Est enim (*nostra quidem sententia*) verisimilior ratio distinguendi secundum genus qualitatis à primo, quod inter qualitates insensibiles, primum acquisitas continet, secundum vero innatas: id quod ad quintum librum, etsi vtramq; partem liberam reliquimus, non obscure significauimus. *Primum & secundum qualitatu genus, vt distinguantur.* *Cap. 14. q. 1. sect. 4.*

Illud etiam considerandum, cum quælibet scientia actiua dicitur potentia, non significari potentiæ nomine entitatem aliquam, siue naturam additam naturæ, siue entitati scientiæ, quasi potentia sit proprietas eiusmodi scientiæ, sed significari ipsam scientiæ actiuæ naturam sub cõmuniori quodam conceptu. Est enim scientia actiua pars quædam subiecta potentiæ actiuæ fuse acceptæ, quæ analogum est quippiam.

καὶ αἱ c μὲν μετὰ λόγου πᾶσαι τῶν ἐναντίων αἱ αὐταὶ, αἱ δ' ἄλογοι, μία ἑνός: οἷον, τὸ θερμὸν τοῦ θερμαίνειν μόνον, ἡ δὲ ἰατρικὴ, νόσου καὶ ὑγιείας. αἴτιον d δὲ ὅτι λόγος ἐστὶν ἡ ἐπιστήμη: ὁ δὲ λόγος ὁ αὐτὸς

Atque c ea quidem, quæ cum ratione sunt, in contrariis eadem versantur: quæ autem sunt rationis expertes, vna vnius est: quo pacto calidum calefaciendi solum vim habet: Medicina vero morbum, & sanitatem efficit. Huius d rei causa est, quia scientia ratio est: ratio autem

c *Atq; ea quidem*] Tradit discrimen inter potentias rationales, & rationis expertes, quod rationales in contrariis versentur, veluti medicina in sanitate, ac morbo, quorum vtrumq; medicus efficere potest, & aliquando efficit, id; per eam ipsam medicinæ cognitionem, qua præditus est, si ea abuti velit. Rationis vero expertes vnum tantum efficiant: vt calidum per naturã suam calorem tantum, non item frigus, vt frigidum frigus tantum, non etiam calorem. Quod idem de passiuis potentiis, quatenus passiuæ sunt, suo modo dicendum est, cum omnes sunt rationis expertes, idq; tantum admittant, quod ab agente inducitur, non illud & contrarium indifferenter, vt postea patebit. *Rational. potent. in contrariis versari, non item rationis expertes.* *Omnes passiuas esse rationis expertes.*

d *Huius rei causa est*] Exponit quo pacto & cur rationales potentiæ contraria seu opposita

Cur rational. sint ad contraria.

efficiant; quod ostendit in sola scientia actiua, seu practica, quam in potentiis rationalibus nu-meraverat; tametsi post expositionem eius capitis intelligetur, quid de cæteris potentiis modo aliquo rationalibus dicendum sit. Causa vero est, quia scientia est ratio, hoc est, definitiua rei cognitio, quæ & diuisam supponit, & demonstratiuam parit, vt in ea perfectam rei scibilis cognitionem consistere non iniuria dici possit, qui autem definitiuam habet, non solum cognoscit formam rei, sed etiam eius priuationem, vt si sanitas est certum quoddam humorum temperamentum, qui sanitatem definitiue cognoscit, morbum quoque cognoscat necesse est, priuatione videlicet defectuve eius temperamenti, seu (*quod eodem redit*) defectu earum rerum quæ ad eiusmodi temperamentum concurrere debent, siue vna desit, siue plures. Hinc enim fit, vt qui scientiam actiuam habet vtrumque efficere possit, & rem scilicet; & priuationem illius, cum vtrumque cognoscat.

Sed hoc interest, quod, quemadmodum per se, & quatenus artifex, directo cognoscit rem quam sibi ex artis præscripto faciendam proponit, eius vero priuationem non nisi ex accidente, & occasione perfectæ eiusdem rei cognitionis, ita rem ipsam per se efficit, eius autem priuationem per accidens, & non ex intentione artis. Vocat porro Aristoteles id, quod ab arte intenditur, & rem ipsam, & habitum, & quod inest, quia semper est positiuum aliquid, veluti sanitas.

Cur oppositum eius, quod ab arte inditur, dicatur priuatio.

Contrarium autem vocat priuationem, non quia sit mera priuatio, sed quia semper defectum aliquem habet eorum, quæ requiruntur in eo, quod per se intenditur, id quod in morbo perspicuum est; priuatio enim ipsa per se spectata à nullo fit artifice, qui nullum omnino à se habet. Nomine etiam priuationis primæ non intelligit Aristoteles priuationem proprie & quasi in specie sumptam, nempe iis circumstantiis comitatam, quibus habitui priuatiue opposita dici solet, vt cæcitas aspectui (*quod credit Alexander*) sed potius communiter acceptam, & in genere cuiusque defectus, quo sensu ipse libro sequenti ait primam contrarietatem esse habitum & priuationem; accipit enim eo loco priuationem pro negatione cuiuscunque perfectionis, seu (*quod idem est*) pro quocunque defectu; quo pacto in quauis differentia imperfectiori eiusdem generis est priuatio siue defectus perfectioris differentiæ, & in quouis contrario inferioris notæ priuatio nobilioris cõtrarij; sic enim fit, vt priuatio sit primum contrarium (*quod hic appellat contrarium ipsum*) quasi origo cuiuscunque contrarietatis, & in omni contrarietate cernitur.

Quid nomine priuationis intelligendum.

Ca. 7. tex. 25.

αὐτὸς δηλοῖ τὸ πρᾶγμα καὶ τὴν στέρησιν, πλὴν οὐχ ὡσαύτως· καὶ ἔστιν ὡς ἀμφοῖν ἔστι δ' ὡς τοῦ ὑπάρχοντος μᾶλλον. ὥστ' ἀνάγκη καὶ τὰς τοιαύτας ἐπιστήμας, εἶναι μὲν τῶν ἐναντίων, εἶναι δὲ τοῦ μὲν καθ' αὑτὰς τοῦ δὲ μὴ καθ' αὑτάς. καὶ γὰρ ὁ λόγος τοῦ μὲν καθ' αὑτὸ, τοῦ δὲ τρόπον τινὰ κατὰ συμβεβηκός: ἀποφάσει γὰρ καὶ ἀποφορᾷ δηλοῖ τὸ ἐναντίον. ἡ γὰρ στέρησις ἡ πρώτη, τὸ ἐναντίον: αὕτη δὲ ἀποφορὰ θατέρου.

ἐπεὶ e δὲ τὰ ἐναντία οὐκ ἐγγίνεται ἐν τῷ αὐτῷ: ἡ δ' ἐπιστήμη δύναμις τῷ λόγον ἔχειν: καὶ ἡ ψυχὴ κινήσεως ἔχει ἀρχήν: τὸ μὲν ὑγιεινὸν ὑγίειαν μόνον ποιεῖ, καὶ τὸ θερμαντικὸν θερμότητα, καὶ

autem, & rem. & priuationem eadem ostendit, nisi quod non eodem modo cum partim vtriusque sit, partim eius magis, quod inest. Quo fit, vt necesse sit, eiusmodi scientias contrariorum quidem esse: veruntamen vnius per se, alterius non per se. Etenim ratio vnius quidem per se est, alterius vero quodammodo per accidens: negatione enim ablatione que contrarium ostendit, siquidem priuatio prima contrarium est ipsum, hæc autem alterius amotio est.

Quoniam e vero contraria in eodem esse non possunt. scientia vero est potentia, eo quod rationem habet: & anima ipsa principium habet motus: salubre quidem sanitatem efficit solum: & quod calidum efficere potest, calorem, &

Potentia rationis expertes vnum tantum efficiant.

e *Quoniam vero contraria.*] Exponit consequenter, cur potentiæ rationis ex pertes vnum tantum efficiant, non contraria, causa vero est, quia huiusmodi potentiæ non agunt per cognitionem, sed per formam naturalem, quo pacto calefactiua agit per calorem, non per cognitionem caloris, & frigefactiua per frigus, non per cognitionem frigoris: etsi autem cognitio contrariorum simul esse potest in eodem subiecto, quia cognitio vnius non est contraria cognitioni alterius, sed potius ad eam conducit, ipsæ tamen formæ naturales cõtrariæ nõ possunt simul eidem inesse. Itaq; medicus per ipsam medicinæ cognitionem, seu habitualem, siue actualem, qua sanitatem & morbum cognoscit, potest ægrotum sanare, & sanum ægrotum facere; quia medicina per cognitionem, siue conceptum vtriusq; est principium vtrunq; faciendi; at ipsum medicamentum salubre, quia operatur per formam suam, quæ est sanitatis inducendæ principium, non item morbi, nõ potest efficere nisi sanitatem; eodemq; modo res calida solum calorem, quia non agit per formam caloris, & res frigida solum frigus, quia agit per formã frigoris

Medicina est principiũ faciendi sanũ & ægrum.

καὶ τὸ ψυκτικὸν ψυχρότητα: ὁ δ' ἐπιστήμων ἄμφω. λόγος γάρ ἐστιν ἀμφοῖν μὲν, οὐχ ὁμοίως δὲ, καὶ ἐν τῇ ψυχῇ, ἣ ἔχει κινήσεως ἀρχήν. ὥστε f ἄμφω ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἀρχῆς κινήσει πρὸς τὸ αὐτὸ συνάψασα.
διὸ

& quod frigidum, frigus: is vero, qui scientia praeditus est, vtramque: ratio enim vtriusque est, tametsi haud modo eodem, idque in animo, qua motus principium habet. Itaque f ab eodem principio vtrumque mouebit ad idem coniungens.

Quocirca

Repetit autem breuiter hoc loco Aristoteles id, quod paulo ante docuerat: sic nimirum ista intelligenda esse, vt tamen scientia non credatur eodem modo vtrumque contrarium facere, sed vnum per se, alterum non per se, sed per accidens. Quod tamen & falsum videtur & omnino inficiari ipsum discrimen quod hic ponitur inter scientiam ac coeteras potentias rationales, & eas quae sunt rationis expertes: nempe quod illae contraria efficiant, hae vero non item. Nam medicina per se & ex arte aliquando extenuat aegrotum & aliquando pascit & replet atque complura contraria inter se ex arte efficit. Vtcunque autem respondeatur, eam facere alterum per accidens, in promptu est, quod obiiciatur: nempe calidum quoque non solum per se calefacere, sed etiam per accidens frigefacere, quo pacto aer calidus in aestate frigefacit puteales aquas, & stomachum: eodemque modo frigidum non solum per se frigefacere, sed etiam per accidens calefacere, qua ratione idem aer frigidus in hyeme easdem aquas stomachumque calefacit. *Illud per se, hoc per accidens. Tex. 4. Obiectio.*

Respondendum tamen est, cum scientia, siue ars dicitur non efficere per se vtrumque contrarium, sed alterum per se, alterum per accidens, non id intelligendum esse de contrariis, quae directo cadunt sub artis considerationem, vt in medicina de iis, quae faciunt ad sanitatem inducendam: ea enim omnia per se considerantur ab arte, vt à medico salutaris extenuatio, & repletio: sed intelligendum de iis, quorum alterum ab arte intenditur, alterum ab eadem vitatur, cuiusmodi sunt in medicina sanitas & morbus. Cum vero obiicitur potentias quoq; naturales per accidens facere contraria, vnum per se, alterum per accidens: dicendum est magnum esse inter haec discrimen: nam calidum, verbi gratia, nunquam efficit per naturam suam nisi calidum, etsi accidat, vt aliquando calidum efficiendo sequatur frigus in alio subiecto, aut etiam in eodem: at medicina, cuius agendi vis non in forma naturali, sed in cognitione consistit, per ipsam cognitionem suam potest efficere morbum, cum per eam ipsam medicus intelligat morborum causas, mediaque, quibus effici possint: tametsi non ex intentione artis faciet, si morbum intendat, cum sit extra finem artis. Et haec est causa, cur Aristoteles ait medicum per accidens aegrotum facere: vel enim intendens in sanitatem, accidit vt causam morbi non percipiat, & pro salutari medicamento noxio in curatione vtatur, vel peruerso animo sciens ac prudens vtitur noxio ad morbum inducendum. Itaque morbum nunquam efficit ex artis praescripto ac fine, ac propterea dicitur non per se, sed per accidens illum efficere. At, cum ex cognitione artis vtrumque contrarium efficere possit, & id, quod ab arte intenditur, & id, quod ab arte vitandum est (*vtrumq; enim vt medicus cognoscat necesse est*) vtrumque dici potest facere per se, si morbum peruerso animo velit inducere: quia licet morbus sit praeter intentionem artis, tunc tamen non erit praeter intentionem artificis male vtentis cognitione artis. Atque haec videtur esse causa, cur Aristoteles paulo superius non omnino dixerit, rationem siue cognitionem artis efficere per accidens contrarium, sed quodammodo per accidens: quia si consideretur ipsius artificiosae cognitionis finis ab arte praescriptus: nunquam ea cognitio quidquam efficiet contrarium iis, quae ab arte intenduntur: si vero sola cognitio artis spectetur, quae semper ad contraria extenditur, non dubium quin artifex possit illud per se, & ex intentione sua per cognitionem artis efficere: id quod nunquam similiter accidere potest in actione potentiarum rationis expertium, siue naturalium, nunquam enim dicuntur quidquam efficere praeter finem intentum à sua natura, nisi omnino per accidens, hoc est, vi & actione alicuius alterius agentis: tametsi per se multa contraria efficiant sub ambitu suae intentionis, cum agentia sint aequiuoca, quo pacto solis potentia qualitates contrarias efficit, gignitque & corrumpit res easdem. *Solutio. Quae contraria facit ars per se, quae per accid. In faciend. contrar. per accid. discrimen inter artes & potent. natural. Artifex vt dici queat per se vtrumque contrar. ex arte efficere.*

f *Itaque ab eo principio.*] Sensus est, itaque is, qui scientia contrariorum effectiua praeditus est, ab eodem principio formali agendi, quod est ipsa scientia scientiaeq; cognitio, vtrumque cōtrarium mouendo, agendove efficiet ad idem principium ea coniungens, id est, ad ipsam scientiam in eorum effectione respiciens, ratione nimirum eorum conceptuum, quos scientia format de eiusmodi contrariis; sic enim artifex assimilat sibi id, quod patitur, inducendo formas eorum contrariorum, quorum conceptus quasi internas ideas penes se habet; cum *Qua ratione artifex efficiat contraria.*

 interim

Rationales potent facere contraria iis, quæ fiunt à natur.

interim res, quæ agunt per potentiam aliquam rationis expertem assimilent sibi ea, quæ patiuntur, inducendo tantum eas formas, quæ naturales ipsorum formas imitantur.

διὸ g τὰ κατὰ λόγον δυνατὰ τοῖς ἄνευ λόγου δυνατοῖς, ποιεῖ τἀναντία; μιᾷ γὰρ ἀρχῇ περιέχεται τῷ λόγῳ. φανερὸν h δὲ; καὶ ὅτι τῇ μὲν τοῦ εὖ δυνάμει, ἀκολουθεῖ ἡ τοῦ μόνον ποιῆσαι ἢ παθεῖν δύναμις; ταύτῃ δ' ἐκείνη οὐκ ἀεί· ἀνάγκη γὰρ τὸν εὖ ποιοῦντα, καὶ ποιεῖν; τὸ δὲ μόνον ποιοῦντα, οὐκ ἀνάγκη εὖ ποιεῖν.

Quocirca g ea quæ ratione possunt, iis, quæ sine ratione possunt, contraria faciunt: vnum enim principium ratione continetur. Illud h autem manifestum est ex ea, quæ est bene recteve faciendi, aut patiendi potentia, eam sequi quæ solum est faciendi, aut patiendi, ex hac vero illam non semper. Is enim, qui bene quid facit faciat omnino necesse est, is vero, qui solum facit, non necesse est, vt bene item faciat.

g *Quocirca ea.*] Concludit vniuerse potentias rationales facere contraria iis, quæ à ratione expertibus fiant, faciunt enim plura per vnum rationale principium, quod cōtraria indifferenter complectitur: cum rationis expertes vnum tantum faciant per vnum principium naturale quod determinatum est ad vnum effectum: cum igitur plura vni contrarie opponantur, vt † li. sequenti dicetur, & * lib. 4. à nobis explicatum est, perspicuum est rationales potentias facere contraria iis, quę fiunt à potentiis rationis expertibus. Dici quoq; potest illud [*contraria faciūt*] idem valere hoc loco, atque [*contrario modo faciunt*] æquum est enim Aristotelem his verbis significasse potentiam rationalium libertatem in agendo & non agendo præcipue positam esse, quod hæc sint ea contraria, quæ potentia libera potissimum primumque spectantur, vt supra diximus: rationis vero expertium siue naturalium conditionem in agendo tantum. Vt enim præsente materia sublatisque impedimentis, liberæ sic agere possunt, vt possint non agere, ita naturales sic agunt, vt non possint non agere agunt: enim (vt dici solet) necessitate naturæ non electione.

*† ca. 1. tex. 9. * ad c. 2. tex. 4. Vel certe contrario modo.*

Quod pōtest bene facere, posse simpliciter facere: nō è contrario. tex. 2. ex lib. 5. c. 14. tex. 17.

h *Illud autem manifestum.*] Confert modos illos potentiarum, bene simpliciterq; faciendi aliquid, inter ipsos, quos item cap. superiori ex lib. 5. repetierat, aitq; ex priori inferri posteriorem, non etiam necessario ex posteriori priorem.

RECTENE TRADITA SIT DIVISIO potentiarum in rationales, & rationis expertes.

QVÆSTIO I.

Negatiuæ partis argumenta.

SECTIO I.

NON esse recte traditam eam diuisionem potētiarum, quam Aristoteles facit hoc capite, in rationales, & rationis expertes: neque earum explicationem esse congruentem, vt rationales dicantur, quæ circa opposita versari possunt; rationis vero expertes, quæ ad vnum determinatę sunt, ex eo primum probatur, quia non solum rationis expertes, sed etiam rationales sunt ad vnum determinatæ, vt intellectus ad assentiendum per se notæ veritati, & voluntas ad amandam summam bonitatem: neutra enim ferri potest in oppositū, vt aut intellectus dissentiatur per se notæ veritati propositæ, vt per se nota est: aut voluntas non amet summam bonitatem perspicue propositam.

Deinde, quia cum Aristoteles ait potentias rationis expertes esse ad vnum determinatas, si nomine vnius, intelligit obiectum, aut operationem adæquatam potentiæ, quemadmodum rationis expertes sunt per se determinatæ ad vnum, vt aspectus ad colorem, visionemque, & auditus ad sonum, & auditionem, atq; ita cœteræ: sic etiam rationales, vt intellectus ad verum, & veri cognitionem: voluntasque ad bonum, & boni appetitionem: nullum enim potentiarum genus egredi potest ambitū sui obiecti adæquati, nisi per accidens: quo etiam pacto vt aspectus percipit tenebras, & auditus silentium: sic etiam in-
B tellectus assentitur falso, & volūtas sæpe malum expetit. Si vero intelligit obiectum inadæquatum, seu quod sub adæquato continetur, aut inadæquatam operationem circa illud quemadmodum rationales ferūtur per se in opposita obiecta sub adæquato cōtenta, vt intellectus in opposita enunciabilia, alterum negando, alterum admittendo: & voluntas in opposita expetibilia, alterum amplectendo, alterum reiiciendo: ita & rationis ex-
C pertes, vt aspectus, & auditus in oppositos colores, aut sonos. Ita fit, vt nullum sit discrimē, quod ponitur inter potentias rationales, & rationis expertes.

Ter-

Tertio, quia si earum discrimen in eo positum est, quod positis iis, quæ requirũtur ad agendum & sublatis impedimentis, rationales possint opposita agere, aut etiam agere, & non agere, rationis vero expertes nõ possint nõ agere vnum illud, quod certo modo aptæ sunt agere: quemadmodum rationis expertes positis iis, quæ requiruntur ad eam actionem, & sublatis impedimentis, non possunt non agere, ignis verbi gratia non potest non inflammare stupam propinquam, & non impeditam: sic etiam rationales, vt patet in intellectu, & voluntate, quas potentias supponimus aut solas, aut præcipue esse rationales. Intellectus enim, concessis præmissis, & consequentia demonstrationis, non potest non assentiri conclusioni: & voluntas proposita re appetibili, & approbata ab intellectu vt necessaria, non potest illam non amplecti.

Quarto (*qua est confirmatio superioris argumenti*) quia quemadmodum Deus prius natura concurrit cum potentiis rationis expertibus, quia est prima causa, & independens in causando, ita cum potentiis rationalibus: at posito concursu diuino cum causis secundis non possunt earũ potentiæ non operari; quia concursus passiuus causæ primæ idẽtificatur cum effectu causæ proximæ; ergo in causando nullum est discrimen Aristotelicum inter potentias rationales, & rationis expertes: si hoc modo intelligendum est, vt hæ positis omnibus requisitis, & sublatis impedimentis, necessario agere debeant, atque adeo vnum tantum agere, illæ vero possint agere opposita, aut etiam agere, & non agere. Quod si quis respondeat rationales determinare specifice in homine concursum diuinum, qui est indiffe ens ad omnia humana opera, vt homo bene, vel male operari possit: rationis vero expertes esse ex se determinatas ad specifica effecta: vrgeri poterit respondens hoc modo, Deum ipsum determinare concursum omniũ causarum secundarum ad certa indiuidua sub eadem specie contenta, vt sæpius à nobis est dictum; non posse autem diuinum cõcursum determinare effectum ad certa indiuidua, nisi etiam illum determinet ad certam speciem. Vt igitur potentiæ rationis expertes nõ possunt opposita agere, sed determinantur à Deo, non solum ad speciem effectus, sed etiam ad certum numero indiuiduum, ita & rationales.

Responsio.

Dilutio.

Quinto, quia potentiæ rationales, quatenus nondum determinatæ sunt ad vnum oppositorum, nihil omnino operãtur; quatenus vero sunt determinatæ, non possunt alio modo operari: ergo in agẽdo nullo modo distinguuntur à rationis expertibus: quod tamen erat necesse, siquidem ante actionẽ ipsæ quoque rationis expertes sunt indifferentes ad opposita actiones, & obiecta, vt aspectus æque ad videndum album, atque ad videndum nigrum.

Postremo, quia, cum Aristoteles ostẽsurus esset rationales versari in oppositis, non bene diuertit ad habitus scientiarum, tamen quia habitus non sunt potentiæ, sed potentiarum dispositiones ad faciliorem, promptioremq; operationem; tum etiam, quia non inclinant ad opposita, sed ad vnum tantum, vt ipse etiã hoc capite docet, cum ait, Medicinam nõ inclinare per se, nisi ad sanitatem. Nam si vt habitus essent potentiæ rationales, satis foret, si essent vnius oppositi per se & alterius per accidens: eæ quoque qualitates, quæ numerantur inter potentias rationis expertes, essent rationales, veluti calor, qui, cum per se calefaciat, nonnunquam per accidens frigefacit per antiparistasim.

De quibus potentiis hic sermo sit; quæ etiam, & quo pacto quædam earum dicantur rationales, & liberæ, quã item ratione in contrariis versari.

SECTIO II.

Pro resolutione huius dubitationis illud primo recolendum est, quod diximus in expositione contextus, potentiarum nomen non accipi hoc loco pro iis solis potentiis, quæ spectant ad secundam qualitatis speciem, quæ iuxta probabiliorem sententiã de diuisione specierum qualitatis, solas natiuas & minime acquisita qualitates complectitur, sed pro omnibus principiis, tam agendi, quam patiendi; quæcunque illa sint, seu natiua, seu acquisita, ne quis miretur, quod Aristoteles afferat in exemplum potentiarum rationalium scientias practicas: sunt enim re vera quædam agendi principia, quia dirigunt artificiosas actiones, ad easque concurrunt, & in eis facile ostendi potest indifferentia omnium potentiarum rationalium ad earum oppositas actiones & opposita obiecta.

Vt hic sumatur potentiæ nomen.

Illud etiam considerandum, duo esse genera rationalium potentiarum, vnum per essentiam, alterum per participationem. Potẽtia rationalis per essentiam est solus intellectus, quia eius solius natura in eo posita est vt sit ratiocinandi facultas: per participationem vero sunt eæ omnes, quæ intellectum sequũtur, eiq; aliquid dictãti obediunt, politica tamen, seu ciuili obedientia, hoc est, non ser-

Duo genera rational. potent. per essentiam, & per participationem.

uili coactave, si quæ enim sunt, quæ ita ad nutum ei obediant, vt nō possint non obedite, eas ipsa seruilis conditio à rationalium potentiarum genere merito excludet. Ita fit, vt prima, & præcipua potentia ex rationalibus per participationem sit voluntas, tū quia propinquior est intellectui, & ab eo inseparabilis, tum etiam, quia natura sua propensior est ad sequendum intellectum, quam sensum. Secundaria vero ratione vterque appetitus sensitiuus, vt est in homine, & humana phantasia, quæ (*vt alibi diximus*) vnicus est sensus omnino interior, sunt rationales per participationem. Cæteræ enim potentiæ, quæ in homine sunt, rationales dici non possunt, vegetatiuæ quidem, & sensus omnes modo aliquo externi, (*vt communis sensus inter eos aliqua ratione numeretur*) quia in suis operationibus nullo modo rationi per se obediunt: motiuæ autem quia obediunt more seruorum, siue intellectui, siue phantasiæ, concurrente tamen simul appetitu aliquo à quo illæ proxime moueri dicantur, seu rationalis ille sit, seu sensitiuus. Cum igitur potentiæ rationales per participationem non agāt vt rationales, nisi præeunte aliqua intellectus cognitione, efficitur, vt quatenus rationales sunt, non agant contraria, nisi quia intellectus contraria cognoscit, eaque illis dictat, ac suggerit.

Lib. 5. q. 7. sect. 3.

Duo item liberarum.

Eodem modo duo sunt genera liberarum facultatum, vnum per essentiam, alterum per participationem. Potentia libera per essentiā est sola volūtas, quia ea sola est potētia electiua inter ea, de quib. intellectus deliberat. Intellectus autem, quia est omnis libertatis occasio: quatenus n. ostendit voluntati, quid eligi, quid reiici possit, aliquā libertatis rationem participet necesse est: & inter omnes potētias, quæ participatiuæ dicūtur liberæ, ipse primum locum obtinere censetur. Appetitus vero irascibilis, & concupiscibilis propterea modum aliquem libertatis participant, quia etsi sæpe obediūt volūtati, sæpe tamē renitūtur, eamq; trahunt ad amplectenda, aut reiicienda ea, quæ ipsis grata, aut molesta sunt. Deniq; humana phantasia modo etiā suo libertatem participat, quatenus & illa sic voluntati obedit, vt sæpe etiā illi repugnet, multa enim imaginamur, de quibus nullo modo cogitare volumus, imaginatione nimirum voluntati non obsequente. De aliis potentiis, quæ nullo modo rationales sunt, nullum est dubium, quin prorsus è numero earum, quæ participatiuæ sunt liberæ, reiiciendæ sint.

Quæ potent. nullo modo sunt rational. nullo etiam sunt liberæ.

Quæ hic contrarior. nomine comprehendat Arist.

Quia vero potentiæ rationales, ac liberæ dicuntur ab Arist. in contrariis versari, considerandum est tertio loco, aliquando intellectum proponere voluntati ad electionem faciendam duo contraria modo aliquo posita: seu vere contraria illa sint, vt calidum, & frigidum in aqua potanda, seu priuatiue opposita, quorum illud etiam, quod priuatiuū est, ratione subiecti est positiuum, vt maturū, & immaturum in pomo edendo, & omnino quæuis alia duo, quorum alterum intellectus credat, aut suspicetur aliqua ex parte perfectius esse, alterum imperfectius, tametsi alia ratione contra existimet, aut æque de vtroq; dubitet, aliquando vero proponere duo contradictoria, nempe rem quamlibet, & eius negationem, vt deambulare, & non deambulare. Sed cum nemo puram negationem eligat, nisi ratione alicuius coniuncti boni, honesti scilicet, vel vtilis, vel iucundi, illud etiam considerandum, semper intellectum in proponenda pura negatione rei, adiungere positiuum aliquid quod bonum, & eligibile aut sit, aut videatur, vt est sessio in non deambulando, cuius positiui ratione duo etiam contradictoria, inter quæ electio facienda est, modo aliquo contraria dici possunt: semper enim contrarii nomen positiuum aliquid sonat.

Non offert intellectus eligendam purā negat. sine positiuo.

Ita fit, vt merito Aristoteles spectata electionis natura, quæ semper quærit aliquid positiuum, quod ratione aliqua sit melius, non sine causa electionis radicem constituerit in cognitione contrariorum, & eorum nomine contradictoria quoq; modo explicato comprehenderit.

Electionis radix cognitio contrarior.

Quarto loco animaduertendum est, voluntatem duplicem habere libertatem, duplicemque electionem exercere posse circa huiusmodi contraria: vnam contrarietatis, alteram contradictionis, contrarietatis quidem, vt indifferenter alterum amplectatur, alterum reiiciat: contradictionis vero vt vel electionem huiusmodi faciat, vel se ab actu eligendi cohibeat, ipsumve inchoatum eligendi actum suspendat. Quæ posterior libertas & potior est, & vniuersalior, cum per eam voluntas non modo possit in hac vita à quolibet actu suo inchoato cessare, sed etiam nullum nouum inchoare: cum interim non sit ei liberum quodlibet ex duobus contrariis amplecti, aut refutare. Nam proposito vel bono & malo in commune vel felicitate & miseria secundum earum rationes proprias, & peculiares, vel iis rebus, quæ omnino necessariæ sunt ad felicitatem, & vt tales iudicantur, earumque contrariis, non potest volūtas priores partes harum contrarietatū refutare, nec posteriores amplecti, sed, si quēactū circa eas exercere velit, priores quidē amplectatur, posteriores autē reiiciat necesse est.

Duplex voluntat. libertas & electio, contrarietatis & contradictionis.

Contradict. libertas potior & vniuersalior.

Denique.

Ipsa etiam electio sub ratione boni aut mali proponitur Voluntati.

Quando & per actum, quando sine actu exerceatur.

Denique cum quælibet contraria in hac vita proponantur voluntati, vt alterum eligat, non solum intellectus (*si modo plenam attentionem habeat*) ei ostendit, qualia sint, & quid boni, aut mali coniunctum habeant; sed aliquando etiam, quid boni, aut mali sit in ipsa electione, aut in cohibendo electionis actu, si forte dubitetur, sit ne tunc melius agere, an actum eligendi non exercere. Si ergo nihil dubitetur de electione facienda, voluntasque alterum eorum contrariorum, quæ proposita erant, eligere debeat, aliquem actũ eliciat necesse est, vt patet. Quod si de electione facienda dubitetur, euenire potest, vt in ipsa determinatione voluntatis nullus actus exerceatur, saltem distinctus ab actu eligendi alterum è propositis initio contrariis. Nam si voluntas eligat non exercere electionem inter proposita cõtraria, etsi id facere potest per actum positiuum eligendi, quo veluti dicat, volo me cohibere ab eligendo, seu (*quod idem est*) nolo electionem facere, id quod fere semper accidit, potest tamen se determinare ad negatiuam per solã ipsam cohibitionem, seu negationem actus.

Et quamuis etiam potest elicere actum eligendi ipsum electionis exercitiũ, antequam electionem inter proposita contraria faciat, quod non raro fit, tamen per solum actum eligendi alterius propositi contrarii sese ad electionem faciendam determinare potest, quod ipsum passim accidit. Ita patet, quonam modo cognitio contrariorum sit quasi ianua omnis libertatis exercendæ, & eius quæ contrarietatis dicitur, & eius quæ contradictionis; & quo pacto vtraque exerceatur: neque Aristotelem sine causa omnem indifferentiam potentiarum rationalium, quocunque modo libertatem habeant, ad contrariorum notitiam reduxisse.

Diuisionem in potentias rationales, & rationis expertes, recte traditam esse, & membra eius diuidentia apte distingui ab Aristotele.

SECTIO III.

Assertio.

Cap. vlt.

HIs hoc pacto explicatis facile intelliges diuisionem propositam esse adæquatam, eiusque membra diuidentia recte distincta fuisse ab Aristotele. Prior pars ex eo probatur, quia etsi proposita diuisione solæ potentiæ animæ ad calcem primi Ethicorum diuiduntur, tamen si huiusmodi potentiæ absolute, ac in commune sumantur, non datur vlla potentia, quæ non sit rationis A particeps, aut rationis expers, vt inductione patet. Accedit, quod potentiæ rationis expertes sunt eædem, atque naturales, seu naturaliter operantes, vt probatum est. Rationales autem, & liberæ, etsi ex rationibus suis non omnino eædem sunt, (alioqui intellectus, qui magis rationalis est, vtpote per essentiam rationalis, esset magis liber, quam voluntas, & voluntas, quæ magis libera est, tanquam per essentiam libera esset magis rationalis, B quam intellectus, quod falsum esse proxima quæstione apertius intelligetur) tamen reipsa sunt eædem. Nulla enim rationalis, siue per essentiam, siue per participationem est, quæ non aliquo modo sit libera, nullaque libera, quæ non aliquo modo sit rationalis.

Quo pacto sint eæd. potentiæ rationales & libera.

Posterior pars ea ratione ostenditur, quia esse indeterminatum ad plura, & determinatum ad vnum habent vim contradictionis C in genere potentiarum, quod apertum est. Sed de ipsa indeterminatione, ac determinatione quo pacto rationalibus potentiis, & rationis expertibus conueniant, tota hic est difficultas.

Quod si potent. esse indeterminatã ad contraria, vel determinatam ad vnum.

Dicendum igitur, cum Aristoteles ait, rationales potentias esse indeterminatas ad contraria, seu opposita, & rationis expertes determinatas ad vnum, nomine illius vnius non esse intelligendum obiectum adæquatum D potentiæ, aut operationem eidem potentiæ adæquatam: quandoquidem rationales quoque sunt per se determinatæ ad obiectum adæquatum, adæquatamque operationem. Cum etiam ait rationales esse indeterminatas ad agendum, indeterminationis nomen non esse accipiendum pro indeterminatione respectu diuersorum obiectorum, aut materierum, aut temporum, aliarumve circumstantiarum. Nam & rationis expertes E sunt, nonnunquam hoc pacto indeterminatæ, vt calor ad indurandum lutum, & liquefaciendam ceram, contrariosque calores in rem eandem diuersis temporibus inducendos, & alia aliis modis, & sub aliis circumstantiis facienda. Tota igitur ratio discriminis in eo sita est, quod circa idem omnino obiectum, aut materiam singularem, in eodem tempore, vel momento, & sub eisdem circumstantiis, sublatisque F omnibus impedimentis, rationales, quatenus rationales sunt, seu modo aliquo liberæ, sunt indeterminatæ ad cõtrarias actiones ad agendumq; & non agẽdum: rationis vero expertes, quatenus tales sunt, ita determinatæ sunt ad agendum circa idem obiectum materiamve singularem, sub eisdemque circumstantiis temporis, loci, & si quæ sunt aliæ,

quæ

quæ ad rem faciant, vt nec possint non agere, nec etiam alio modo agere.

Interdum rationales determinari ad vnū, & rationis expertes esse indeterm.

Hoc autem dixi de rationalibus, quatenus rationales sunt, & de rationis expertibus, quatenus rationis sunt expertes, quia etsi rationales simpliciter, quales sunt solus intellectus, & voluntas, indeterminatæ sunt ad opposita, quatenus altera deliberat de non necessariis ad finem, altera natura sua deliberationem aliquam sequitur, (*hac enim conueniūt potentiis rationalibus simpliciter*) tamen quatenus omnem deliberationem præueniunt, tā formalem, quam virtualē, & sola naturæ propensione in quædam obiecta feruntur, sunt ad vnum determinatæ. intellectus quidem ad verū, in quo nulla suspicio, aut formido falsitatis cernatur: voluntas vero ad bonū, in quo nulla ratio mali spectetur. Eodemq; modo, etsi appetitus sensitiuus, & phātasia, quæ simpliciter à natura sunt rationis expertes (*cum sint etiam in brutis animalibus*) ex se determinatæ sunt ad vnum, quatenus naturæ impulsu ducuntur: (*hoc enim potentias esse rationis expertes*) tamen quatenus in homine deliberationi alicui subduntur, sunt indeterminatæ ad opposita. Vnde patet, non esse veram eam Scoti sententiam, qua existimat vnius potentiæ vnum tantum esse modum operandi, (*libere nimirum, aut naturaliter*) nisi aliter exponatur, atque à multis intelligitur: de qua re post agendum est accuratius. Itaque eadem potentia rationalis, siue simpliciter rationalis illa sit, siue simpliciter rationis expers, sed participatione quadam rationalis, potest diuersis rationibus spectata, & libere, seu opposito modo circa quædam obiecta operari, & circa alia necessario, ac determinate.

In 1. d. 2. q. 7. & d. 10. q. 1. & in quodl. q. 61.

Solutio argumentorum partis oppositæ.

Sectio IV.

Hinc ad primum argumentum oppositæ partis respondendum est, hac ratione distingui potentias rationales à rationis expertibus, quod omnis rationalis potentia, quatenus talis, indeterminata est ad opposita, omnis autem rationis expers, vt huiusmodi est, determinata est ad vnum, etsi alia ratione illa sit ad vnum determinata, hæc autem ad opposita indifferens.

Ad secundum ex dictis patet, qua ratione accipiendum sit vnum illud, ad quod potentiæ rationis expertes determinatę sunt, & circa quod rationales indeterminatæ.

Ad tertium dicendum, etsi intellectus est determinatus ad assentiēdum veritatibus per se notis, aut euidenter demonstratis, & voluntas ad amplectendam felicitatem, & ea, quæ euidenter iudicentur, esse necessaria ad illam obtinēdam: tamen circa cætera vtramque facultatem esse vtroq; modo indeterminatam: quod ipsum etiam in sequentibus fiet apertius.

Concursus causæ primæ non tollit indeterminat. secundarum.

Ad quartum dicendum est concurrente prima causa ad causandum aliquem effectum cum secunda non posse secundam non concurrere ad eundem, quia id repugnat hypothesi. Quod si tam causa prima, quam secundæ spectentur in eo instanti, aut tempore, in quo causant, sed tamen prius natura, aut consideratione nostra dicendum est, tam primam, quam secundas rationes expertes, seu naturales, esse determinatas ad certum specie effectum, quia prima iam à se determinata determinat secundas ad effecta earum naturalia secundum speciem: cum tamē in ea prioritate naturæ, nec prima, nec secundæ rationales, seu liberæ sint determinatæ ad certum specie effectum, sed in secundo quasi momento naturæ, aut considerationis nostræ, rationales secundæ se ipsas determinent ad effectum specificum, concurrente prius natura, seu independenter, prima causa ad earum determinationem, vt ostendimus libro 6.

Rational. potentias, etiā in instanti, quo operantur, concipi vt indeterminat. non ita alias.

Ad quintum dicēdum, etsi potentiæ rationales nihil causant, nisi quatenus iam sunt determinatæ ad vnū oppositorum, quemadmodum & rationis expertes, tamen in hoc esse dissimiles, quod rationis expertes non possunt concipi in aliquo instanti naturæ, aut considerationis vt indeterminatę ad illud, cū natura sua sint determinatæ: at rationales in eo instanti, in quo operantur, prius tamē natura, aut cōsideratione, quā operentur, nondum determinatæ sunt, cum à se ipsis cōcurrente prima causa generali suo concursu sese determinaturæ sint.

Sect. 2.

Cur habitus inter potent. numerentur.

Vltimum solutum relinquitur ex eo, quod iam dictum est, scientiarum quoque habitus merito hic comprehendi nomine potentiarum. Sunt enim principia multarum operationum, si non omnes quoad eorum substantiam (*de qua re capite 5. disputabitur*) saltem quoad facilitatem, & promptitudinem operandi. Nec incommodum est, quod potentiæ vno modo acceptæ sint dispositiones earum potentiarum, quæ in alia significatione sumuntur. Quanquam vero habitus scientiarum ipsi per se ad opposita non inclinant, sed ad vnum tantum; tamen ii, qui eis præditi sunt, per se, & ex intētione vti possunt eorum cognitione ad opposita facienda, vt patet ex

Cur inter rationales.

iis,

sit, quæ in expositione huius capitis dicta sunt. Neque denique verum est, potentias rationis expertes esse vnquam, vel etiam consideratione vlla, indifferentes ad agenda opposita in eadem numero materia, eodem tempore, & aliis circumstantiis, cum natura sua ad vnicum modum operandi iis suppositis determinatæ sint.

Sit ne libertas præcipue in intellectu, an in voluntate?

QVÆSTIO II.

Opinio eorum, qui ponunt libertatem præcipue in intellectu, & eorum, qui ex æquo in vtraque facultate.

SECTIO I.

ETSI ex superiori quæstione colligi potest libertatem magis esse in voluntate, quam intellectu: tamen quia non desunt, qui aliter sentiant, quibusdam è contrario asserentibus eam præcipue esse in intellectu, aliis vero dicentibus has potentias esse æque liberas, alio sumpto principio tractanda per se est quæstio hæc: neque enim caret difficultate, & quædam digna scitu continet eius explicatio.

Durandus in secundum sententiarum d. 24. q. 3. cum aliis quibusdam existimat, libertatem non esse præcipue in voluntate, sed in intellectu. Quæ opinio his fere argumentis probari solet. Primum, quia intellectus est magis indifferens ad opposita, quam voluntas: siquidem indifferentia voluntatis ab indifferentia intellectus prouenit: nisi enim intellectus esset indifferens ad iudicandum de oppositis, non esset voluntas indifferens ad vnum ex illis eligendum.

Deinde, quia illud est magis liberum, quod est minus dependens: libertas enim seruituti opponitur, quæ est magna quædam dependentia: qua de causa Aristoteles in proœmio huius operis docet eum esse liberum, qui est gratia sui, ... antem ... respectu aliarum scientiarum ... intellectum minus dependentem esse à voluntate, quam voluntatem ab intellectu, ex eo constat, quia voluntas operari non potest, nisi præcedente operatione intellectus: cum tamen multæ operationes intellectus antecedere possint, & re vera antecedant omnem operationem voluntatis.

Tertio, quia primus actus libertatis ad intellectum pertinet, non ad voluntatem: is enim est iudicium illud, quo intellectus deliberationem concludit: siquidem iudicium constat electionem antecedere, quæ est primus actus liberæ ipsius voluntatis. Esse autem huiusmodi iudicium liberum ex ratione patet, quia ex pluribus argumentis, quæ pro vtraque parte in deliberatione afferuntur, intellectus concludit deliberationem, vnum eorum approbando, & alia reiiciendo: quod non dubium videtur, quin sit quoddam libertatis opus.

Quarto, quia libertas non consistit in actu, quo voluntas vult finem, vt finis est, cum voluntas ante deliberationẽ de mediis ad finem sit ad illum determinata: sed consistit in delectu ipsorum mediorum ad finem obtinendum, at delectus mediorum prius pertinet ad intellectum, quam ad voluntatem: nisi enim intellectus prius iudicet, quænam eorũ conducant, aut etiam magis cõducant ad finem, nullum eorum eliget voluntas, vt dictum est in primo argumento.

Postremo, quia vel ipsum liberi arbitrij nomen indicat libertatem præcipue pertinere ad intellectum: siquidem arbitrari, iudicare vera est: iudicare autem operatio est intellectus, non voluntatis.

Intellectui & voluntati ex æquo conuenire libertatem aliqui. In 2. d. 24. q. 1. & 2.

Alij, qui tacito nomine ab Argentinate referuntur, existimant libertatem æque conuenire intellectui, & voluntati. Primum, quia ex æquo intellectus, & voluntas hac conditione præstant aliis permultis facultatibus, vt cogi non possint: quandoquidem intellectus ad omnem apprehensionem, & iudicium propensus est tanquam ad proprias suas operationes, quemadmodũ voluntas ad omnem proprium ipsius actum.

Deinde, quia vt voluntas pendet ab intellectu ad eligendum actum liberum, ita & intellectus à voluntate: actus enim intellectus, qui præcedunt omnem voluntatis actum, mere naturales sunt, quemadmodum actus videndi & audiendi.

Denique, quia liberum arbitrium definiri solet *facultas rationis, & voluntatis*: in qua definitione æquales partes tribuuntur vtrique potentiæ.

Quotuplex sit libertas, & de qua earum sit quæstio: num vtrum liberum arbitrium sit aliquid additum potentiis intellectus, & voluntatis.

SECTIO II.

VT in hac re ordine procedamus, exponendum est primum, quotuplex sit libertas, de qua nobis sit quæstio: deinde,

an liberum arbitrium sit aliquid additum potentiis intellectus, & voluntatis: postremo veniendum ad id, de quo est proposita controuersia.

Triplex libertatis acceptio.

Tribus modis potissimum sumitur libertas. Vno, vt opponitur seruituti: altero, vt coactioni: tertio, vt necessitati: neque enim vna generali definitione tota eius significatio cōprehendi potest.

Primo modo quæ sint libera.

Primo modo ij propie dicuntur liberi, qui seruitutis iure aliis subiecti non sunt, vt liberæ ciuitates, quæ nulli Principi seruiunt: per translationem vero alia multa hoc pacto dicuntur libera, vt quæ exempta sunt, & immunia ab aliqua molesta conditione, quorum libertatem D. Bernardus in libro de libero arbitrio vocat libertatem à miseria: in quo sensu ait Paulus, *Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* *Rom. 8.* *Quæ secund.* Secundo modo libere vagantur aues in aere, pisces in mari: & omnia, quæ sponte sua aliquid operantur, etsi eis naturali necessitate id contingat, libere, seu non coacte operari dicuntur: adeo vt ipsa etiam Spiritus sancti productio, quæ maxime naturalis, & necessaria est, libera hoc pacto dicatur apud Scotum in 1 d.10.q.1.& aliis locis: (*sic enim se ipse re vera interpretatur, etsi quibusdam non videatur id significasse*) & aliquando apud D. Thomam Deus libere se amare asseratur, vt q.10.de potentia Dei art 2. *In quodli.*

Quæ tertio.

Tertio modo ea sola libere aliquid dicuntur agere, quæ positis iis omnibus, quæ ad agendum prærequiruntur, prius natura, aut consideratione possunt opposita agere, aut etiam agere, & non agere, vt ij, qui ex virtute, aut vitiose operantur. Dico autem, prius natura aut consideratione: quia ita Deus libere operatur, vt non prius natura, sed solo imperfecto nostro considerandi modo potuerit, aut possit opposita ad extra operari, aut etiam operari, & non operari. Atque hæc est vera, & simpliciter dicta libertas, ex eo, quodlibet, nuncupata, & de qua nobis in præsentia est quæstio. *Hæc 3. acceptio est propria & de ea agendum.*

Quid sit opus liberum.

Vt autem videamus, num liberum arbitrium aliquid addat potentiis intellectus, & voluntatis, in quibus supponimus præcipue esse libertatem, vt patebit: animaduertere oportet, tria hac in re considerari posse, opus liberum, statum libertatis, & ipsum liberu arbitrium. Quid sit opus liberum, res est ex proxime dictis perspicua, cum nihil sit aliud, nisi opus, quod cum libertate tertio modo dicta exercetur. Statis libertatis est ita se habere eum, qui hoc pacto libere acturus est, vt nullum sit impedimentum, quo minus libere agere possit, seu facile, seu cum aliqua difficultate id præstare queat, id enim iam ad meliorem, aut deteriorem liberi arbitrij statum pertinebit. Hoc pacto ij, qui mentis compotes sunt, si vigilent, nec magna aliqua ecstasi quasi extra se sint positi, statum libertatis habent: non autem amentes, aut phrenetici, nec pueri ante rationis vsum, nec dormientes aut qui sunt in magno aliquo mentis excessu. *Quid status libertatis.*

Quid liberum arbitrium, sit, diuersorum sententia.

De libero autem arbitrio quid sit, & num aliquid addat facultatibus intellectus, & voluntatis, non omnes idem sentiunt, aut certe non ita loquuntur, vt in re ipsa conuenire videantur. Cum enim tria sint in anima, vt Aristoteles tradit 2. Ethicorum c.5. affectus, & omnino actus, habitus, & potentiæ; alij videntur sentire liberum arbitrium esse actum, alij habitum, alij potentiam.

1. sententia constituentium duos actus.

Heruæus ipso initio primi sui quodlibeti videtur ponere liberum arbitrium in duobus actibus: altero intellectus, altero voluntatis: nēpe in cogitatione de deliberando, & in voluntate, seu volitione deliberandi: facit enim deliberationem primum libertatis actum, qui nunquam exercetur, (vt putat) nisi præcedat ea cogitatio, & voluntas. Atque huic opinioni videtur fauere ipsum liberi arbitrij nomen, quod actum plane significat, non habitum aut potentiam: est enim nihil aliud liberum arbitrium, si verbum ipsum spectes, quam iudicium liberum: iudicium autem esse actum intellectus apertum est: cumque actus intellectus non sit libere sine actu volūtatis, inde videtur Heruæus sibi persuasisse eum duplicem actum, quem diximus, esse liberum arbitrium.

Refutatio.

Facile tamen refutatur hæc opinio. Primum, quia nemo dixerit, dormientes, & minus etiam vigilantes, cum non cogitant de deliberando, aut volūtatem deliberandi non habent, nō habere liberum arbitrium. Deinde, quia deliberatio non est primus actus libertatis, seu primus actus liber, sed electio, quæ tamen sequitur conclusionem deliberationis, vt in progressu patebit. Quanquam etsi deliberatio esset primus actus liber, non proinde sequeretur cogitationem, & voluntatem deliberandi esse liberum arbitrium, siquidem hæ duæ liberi arbitrij dictiones, etsi seiunctæ ac per se actum significant, tamen in vnum nomen conflatæ ex communi Patrū vsu, non pro actu, qui transit, sed pro re aliqua fixa, & quæ permanet in liberis agentibus, accipitur. Vnde patet, neutrū argumentum Heruæi vim vllam habere: nisi forsitan illo nomine liberi arbitrij significare voluit, non ipsum liberum arbitrium, sed statum libertatis: nec qualemcunq; statum, sed proximum,

[..]tum, qui tunc habetur, cum de deliberando cogitatur, voluntasque deliberare instituit.

L. sent. esse habitū naturalē voluntati, & intellectui communem.

Magnus vero Albertus in 2. p. suæ summæ q. 91. membro 1. & 2. & in 2. sentent. d. 24. art 5. itemq; Bonauentura 2. sentent. d. 25. art. 1. docent liberum arbitrium esse habitum communem intellectui, & voluntati, non tamen acquisitum, sed naturalem. Nituntur autem hac ratione, quia ex Augustini sententia liberum arbitrium, quod fuit in primis parentibus remansit in nobis eorum delicto imminutum, & debilitatum, quod dicendum non esset, si illud esset potentia; siquidem potentiæ ipsæ in tota eorum posteritate remanent integræ. Quod idem confirmant ex D. Bernardi sententia, qui in libro de gratia, & libero arbitrio definiens liberum arbitrium, ait, esse habitum animi liberum sui itemque ex Magistro sententiarum, qui, asserit illud esse facultatem rationis, & voluntatis, quasi facilitatem ad eligendum, quidquid libet: facilitas autem habitus est, non potentia.

Aug. epist. 106. & de spiritu & anima c. 48.

Lib. 2. d. 24.

Verum & hæc sententia merito ab aliis reiicitur, vel hac vna ratione: quia habitus non inclinat, nisi ad vnum determinate: liberum autem arbitrium est indeterminatum ad opposita. Quod autem Aug. ait de imminutione liberi arbitrij, non de ipso libero arbitrio, sed de statu libertatis dictum esse intelligendum est. Neque enim liberum arbitrium habet in nobis eum statum facilitatis, quem habuit in primis parentibus, cum nondum amiserunt originalem iustitiam quæ illis omnem liberi arbitrij vsum ad opera virtutum facilimum reddebat: cum tamen in nobis ea destitutis sit non parum difficilis. Neq; item Bernardus vtitur nomine habitus, vt distinguitur à potentia naturaliter insita, sed prout significat principium illud operādi, quod non semper est in actu cuiusmodi sunt multæ potentiæ naturaliter insitæ. Nec vero Magister nomen facultatis vsurpat pro facultate potētiis intellectus, & voluntatis adiecta: sed pro ipsis potentiis intellectus, & voluntatis, quæ potentiæ facultates etiam appellantur quemadmodum ipse Aristoteles vicissim hoc capite nomine potentiarum comprehendit ipsos scientiarum habitus.

Vnā potentiā liberum arbitrium esse, non actum vel plures animæ potent.

Esse autem liberum arbitrium potentiā aliquam vnā, non plures, non actum, aut habitū potentiis adiectum, ex refutatione superiorum sententiarum, & paulo ante relata Aristotelica diuisione eorum, quæ sunt in anima; plane colligitur: sed in qua, vel in quibus potentiis illud consistat, non inter omnes conuenit. Refert enim D. Th. in q. 24. de Veritate ar. 4. fuisse quosdam qui dicerent liberum arbitrium esse potentiam quandam vniuersa-

Qui velint esse potentiā intellectu & voluntate superiorem, refelluntur.

A lem, quæ præesset, ac dominaretur intellectui, & voluntati, cæterisque inferioribus facultatibus, in quibus actus aliquis liber inuenitur, siue elicitus, siue imperatus. Sed eorum sententia nihil habet probabilitatis, quia huiusmodi potentia nullo modo est necessaria: siquidem ad cognitionem rerum satis est intellectus: ad mouendas vero, & applicandas cæteras potentias ad actiones liberas, satis est voluntas. verisimilius esset dicere vtramq;
B potentiam intellectus & voluntatis simul acceptas esse liberum arbitriū iuxta vulgarem definitionem ex Magistro sententiarum desumptam liberum arbitrium esse facultatem rationis, & voluntatis. Sed cum diuersa sit libertas intellectus, *si is tamen simpliciter dicendum est liber* & voluntatis: cum illa sit iudicij in rebus non necessariis, hæc vero electionis in eisdem: de quarum libertatū comparatione in hac disputatione agimus, vt vi-
C deamus vtrā sit verior, & principalior: ad hanc autem collationem parum referat, num liberum arbitrium comprehendat vtranque potentiam quasi duplicem completæ libertatis fontem, an vero sit essentialiter vna earum tantum: superest, vt earum proprias, & peculiares libere agendi rationes inter ipsas conferamus; & vtri earum potior libertatis titulus tribuendus sit, exponemus.

An sit intellectus simul & voluntas vide ad fin. sect. seq.

D

Verius, magisque conuenire libertatem voluntati, quam intellectui.

SECTIO III.

D. Th. 1. p. q. 83. a. 4. & in 2. d. 24. q. 1. Scot. d. 25. Henr. quodl. 1. q. 16.

DIVI Thomæ, Scoti, Henrici, & aliorum multorum grauium scholasticorum ac pene communis sententia est verius, magisq; conuenire voluntati rationem libertatis, seu
E potius libere agendi potentiæ, quam intellectui. Id quod imprimis videtur plane constare ex complurib. locis diuinarum literarum: Ecclesiasticus enim ca. 15 ad voluntatem simpliciter & absolute refert hominis libertatem: *Si volueris*, inquit, *mandata seruare, conseruabunt te*: non ait, si intellexeris aut iudicaueris. Item. *Ante hominem vita, & mors bonum & malum quod placuerit ei dabitur illi*: non quidquid iudicauerit. Id quod Paul. 1. ad Corin. 7.
F magis perspicue declarat. *Non habens*, inquit, *necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis*: vt doceret, potestatem, qua liberi dicimur, ad voluntatem verius, quam ad intellectum pertinere. Quod idem in sacris literis sæpe numero significatur.

Assertio.

Probatur ex script. sacra.

Ex patrib.

Patres quoque etsi aliquando vtuntur simpliciter nomine liberi arbitrij, alias tamen inserunt

inserunt verbum voluntatis, vt doceant libertatem præcipue ad voluntatem spectare. Quale est illud Ambrosij secundo libro de fide capite 3. *Operatur*, inquit, *prout vult*, *id est, pro libero voluntatis arbitrio*: & illud Augustini in libro de libero arbitrio, & gratia, capite 2. *Reuelauit nobis Deus per scripturas sanctas esse in nobis liberum volūtatis arbitrium.* Patres etiam secundi Arausicani concilij eadem de causa sæpe vocant liberum arbitrium primorum parentum non sine explicatione *liberum arbitrium*, sed *liberum voluntatis arbitrium*. Denique sacra Tridentina Synodus, cum explicat, qua ratione libere operemur, aut resistamus gratiæ, ait id nos facere libera nostra voluntate, vel sola, cum resistimus: vel cum Dei gratia, quando ipsi gratiæ cooperamur.

Sess. 6. ca. 5.

Rationib. probatur. Prima.

Sunt autem pro hac re magni momenti rationes. Prima desumi potest ex eo fine, ad quem libertas rationali creaturæ præcipue concessa est, nempe ad amplectenda opera virtutum, & fugienda vitia. Si enim libertas verius ad intellectum quam ad voluntatem pertineret, posset homo peccare ante voluntatis consensum: at hoc Theologi omnes negant cum Augustino in libro de vera religione capite 14. dicente, *Peccatum, si voluntarium non sit, peccati rationem non habere.* Quod si quis respondeat in intellectu etiam reperiri peccata, cum totum peccatorum genus diuidatur in peccata ex ignorantia, fragilitate, & malitia; neminemq; expetere ignorantiam vt peccata primæ speciei ad voluntatem possint pertinere: facile respondetur, Ignorantiam, quæ ita antecedit actum voluntatis, vt vitari non possit, vel, si possit, non debeat, non esse peccatum: sed eam tantum, quam voluntas cum vitare valeat, ac debeat, vitare tamen negligit. Vnde patet in voluntate aut formaliter, aut interpretatiue, omne peccatum compleri: proinde etsi in intellectu aliqua libertas concedatur, verius tamen eam, magisque ad voluntatem pertinere.

Quæ ignorantia sit peccatum.

Secunda ratio.

Altera ratio perspicue desumitur ex ipsa absolute, & simpliciter dictæ libertatis natura: Nam (*missa libertate a..., quæ seruituti opponitur, quia hoc loco ad rem non est*) cum libertas, de qua disputamus, coactionem, & necessitatem excludat, necesse est facultatem, quæ ab vtraque magis immunis est, verius, magisque liberam esse: quod sane de voluntate comparatione intellectus dicendum esse, hinc perspici potest. Nam si de actione loquamur, certum est intellectum aliquo modo cogi posse: voluntatem autem cogi omnino non posse. Id quod de actibus elicitis intelligendum est, vt D. Th. docet, non de imperatis: vtraq; enim potentia quoad imperatos cogi potest, vt si pedes alicui ligentur, cum eius voluntas vult, & eius intellectus imperat, vt moueantur. Quod autem intellectus quoad elicitos modo aliquo cogi possit, voluntas autem nullo pacto, ex eo perspicitur, quia etsi intellectui in se spectato violentia inferri non potest, cum omnis apprehensio, & omne iudicium congruat cum naturali propensione intellectus, tamen, vt est potentia suppositi intelligentis, non dubium est, quin multa apprehendat, ac iudicet quæ sunt contra eius sic spectati propensionem, quod supposito aliquod nocumentum afferant, aut afferre videantur: quo pacto Dæmones coacti euidentia maiestatis & potestatis Diuinæ credunt, & contremiscunt, vt Iacobus ait. At voluntas cum sit naturalis propēsio totius suppositi, nullo modo cogi potest, nec ratione sui, cum sit naturaliter propensa ad omnes actus suos: nec ratione suppositi, cum ipsum suppositum per eam propensum sit ad ea omnia, ad quæ illa inclinat. Neq; obest, quod aliquando voluntas videatur cogi ad actus, quos alias nollet: quia suppositum ad eos propensum non sit: vt cum quis naufragij vitandi causa proiicit merces in mare quas alioqui nollet proiicere. Nam neque actus proiiciendi, neq; ipsa proiiciendi voluntas in eo euentu quicquam coactionis habent, cum inspectis, perpensisq; omnibus circumstantiis & ipsa voluntas, & ipsum suppositum simpliciter, & absolute tunc propensa sint ad eas proiiciendas. Vnde patet, non recte dixisse Durandum, æque liberum esse intellectum à coactione, atq; voluntatem. Neque etiam Marsilium, cum scripsit, voluntatem æque cogi posse, atque intellectum.

Quoad actus elicitos, intellectus modo aliquo voluntas nullo cogi potest 1. 2. q. 6. ar. 4.

Cap. 2.

In 2. d. 25. q. 3. & de 25. q. 4.

In 2. q. 1. ar. 5.

A necessitate magis immunem esse voluntatem, quam intellectum.

1. 2. q. 10. a. 1.

Si vero quæstio sit de necessitate, hinc quoque intelligetur, multo magis voluntatem, quam intellectū, ab ea exemptam esse. Nam etsi vtraq; potentia in alia vita æque necessitatur & quoad speciem actus, & quoad exercitium, à summi boni clara contemplatione, & in hac vita à natura in iis motibus, quos vocant primo primos, qui non sunt actus humani, sed hominis, vt ait D. Th. tamen in cæteris alia ratio est. Nam si quæstio sit de necessitate quoad speciem actus, non dubiū est, quin intellectus necessitetur ad assentiēdum omnibus principiis per se notis, & conclusionibus demonstratis: ita vt si ea approbare, aut reprobare oporteat, non possit ea reprobare, sed approbare tantum. Eodemq; modo se habet ille in omnibus pronunciatis per se probabilibus, aut quæ ex per se probabilibus argumentis conclusa sunt.

Id

[illegible] in causa est, vt dicat Aristoteles in [illegible] de Anima, etsi imaginamur, quæcunque volumus, tamen non quæcunque opinari volumus opinari nos posse; quod ea de causa dicitur, quia intellectus nō potest vnquam improbabilia amplecti, quæ probabilia esse videt; aut amplecti quasi probabilia, quæ improbabilia esse intelligit. [illegible] necessitatis genere, solum necessitatur [illegible] bonum in commune, beatitudinemque in communi conceptam, & circa ea, quæ cum illa sic cōcepta necessario coniuncta sunt, vt esse, viuere, intelligere, quæ illa sic vult, vt eadem nolle, refutareque non possit: quo tamen modo operari potest circa reliqua bona, quæcunque sub bono in commune se offerant. Si vero quæstio sit de necessitate quoad exercitium actus, certum est voluntatem in hac vita ad nullum necessitari: potest enim se à quolibet humano eliciendo cohibere, & omne elicitū suspendere, quod inferius ostendetur. Intellectum autem ex D. Th. Scoti, Henrici, Gabrielis, & communi scholasticorum sententia, necessitatur ad assensum principiorum posita clara terminorum cognitione, itemque ad assensum conclusionis conceptæ, & ex illis euidenti consequentia deductæ, eo quod posita causa naturali sufficiente, & sufficienter applicata, ex necessitate sequatur actio, vt visio apertis oculis, & obiecto debite propinquo.

Tertia ratio [illegible] ex collatione indeterminationis [illegible] potentiæ. Intellectus enim non est indeterminatus ex se ad assentiendum, & dissentiendum, nisi cum eius obiectum non proponitur euidenter tale, quale in se est, nempe vt determinate verum, aut determinate falsum: cum tamen re vera, & coram Deo sit determinate verum sit, aut determinate falsum; etiam si sit de futuro contingenti [illegible]. [illegible] intellectus [illegible] sit indeterminatus ad assentiendum, & dissentiendum quibusdam enuntiabilib. quia non omnia euidēter cognoscit; diuinus autem intellectus circa nullum sit indeterminatus, quia omnia, vt in se ipsis sunt [illegible], ac vt vnaquæque esse possunt euidenter cognoscit. [illegible] quia euidenter cognitis plurimis bonis non necessariis ad vltimum finem assequendum potest quodlibet eorum eligere, aut reiicere, præsertim cum id, quod hac, vel illa ratione verum bonum est, siue conueniens ad hunc vel illum finē, alia ratione possit etiam esse verum malum, & inconueniens, siue incommodum ad eundem finem, & vt tale est, euidenter cognosci, cum tamen id, quod intellectui obiicitur, non possit in se simul esse verum, & falsum, [illegible] nimirum [illegible] possit vllus intellectus ad [illegible], aut dissentire. Cum ergo libertas [illegible] indifferentia harum potentiarum [illegible], perspicuū relinquitur, intellectum [illegible] esse quam voluntatem, [illegible] est se liberum, sed solam [illegible] libertas alio modo sumatur [illegible] intellectui, alio vt voluntati.

Quarta ratio sumi potest ex dominatu voluntatis in intellectū, qui dominatus duplex est. Vnus, quo illū mouet, siue applicat ad operandum, & ab operatione cohibet; aut [illegible] vocat alter, quo eius indifferentiam ad hanc vel illam operationem, ad operandumque, & non operandum determinat. Nam voluntas est, quæ applicat intellectum ad contemplandum hoc vel illud, vt patet in iis, qui piis meditationibus, aut literarum studiis dant operam eundemque à contemplatione, & studio literarum cohibet, aut remouet, etiam cum se complacentem maxime delectatur. Eodem modo illum mouet, vt his, vel illis actionibus [illegible] voluntas de signandis [illegible] & aliorum [illegible]. Horum autem dominatuum neutrum habet intellectus in voluntatem, vt patebit quæstione sequenti.

Postrema ratio [illegible] ex eo, quod est in nostra potestate, in hoc enim tota posita est nostra libertas. Nam cum operationis intellectus, quæ omnem voluntatis actum præcedunt non sint in nostra potestate, quia nullo pacto eas impedire possumus, nec proinde nobis imputentur siue ad laudem, siue ad reprehensionem, tantum abest, vt intellectus in suis operationibus sit magis liber quam voluntas, vt [illegible] modo is dicatur liber in operando, nec alia ratione id [illegible] [illegible], nisi quia operationibus voluntatis [illegible] libertatis [illegible], vt Scotus ait, aut metaphorice ianua, vt Henricus loquitur, aut libertatis radix, vt Caietanus, & alii aptius declarant, quod in hac locutione aliquam causandi rationem veramque originem intellectui tribuant. Nisi enim intellectus opposita simul perciperet, eaque inter ipsa, & cum aliquo fine conferret, siue expressa deliberatione id faceret, siue tacite, & virtuali [illegible] esset voluntas libera in suis operationibus.

Ergo ii melius hac de re sentiunt, ac loquūtur, qui dicunt solam volūtatem esse formaliter liberam, intellectum autem esse liberam radicaliter, seu (vt loquuntur) esse radicaliter liberum. hæc enim assertio ex dictis manifesta est. Namque in ea potentia est libertas formaliter, in qua formaliter, siue complete est potestas ad agendum, & non agendum [illegible] dif-

Marginal notes:
Cap. [illegible] 153. [illegible]
D. Th. 1. 2. q. 17. ar. 6. Scot. in 1. d. 2. q. 4. [illegible] quodl. [illegible] 7. Gab. [illegible]
Tertia ratio. Intellectum minus esse indeterminatum, quam voluntatem [illegible]
C. [illegible] 67. [illegible]
Quarta ratio. Duplex voluntatis in intellectum dominatus.
Postrema ratio.
[illegible] intellectum [illegible] Henricus [illegible] Caiet. [illegible] D. Th. 1. 2. q. 17. art. 1.
Vera assertio: voluntatem esse formaliter liberam, intellectum libertatis radicem.

differens, positis nimirum omnibus ad agendum, prærequisitis, & sublatis quibuscunque impedimentis. Ea vero potentia est libertatis radix, & origo, quæ lucem, & quasi facem voluntati præfert, vt ex plurib. vnum eligat aut ab eligendo se cohibeat, aut reuocet. Vnde patet, neque intellectum esse liberiorem voluntate, vt Durandus credidit; neq; has potẽtias esse æque liberas, vt alii putauerunt, neq; etiam liberum arbitrium esse aggregatum quiddam, & coniunctum ex his duabus facultatib. vt Magister videtur significasse: sed esse ipsam voluntatis potentiam, quatenus præeunte intellectu perceptiuo, & comparatiuo mediorum inter ipsa, & cum fine aliquo, vnũ præ aliis eligere potest, aut ab eligendo se cohibere, aut reuocare: nisi in liberi arbitrii definitione adhibere velimus ipsam libertatis radicem, quo pacto recte illud dicitur facultas rationis, & voluntatis, ad eligenda nimirũ ea quæ in nostra potestate sunt. Vnde etiam patet, quid addat liberum arbitrium voluntati, quod non est aliud, quam quidam realis modus se habendi ad ea, de quibus consultatio haberi, & electio fieri potest.

Quid sit liber. arb.

Quid volũtati addat.

Solutio argumentorum oppositarum opinionum.

Sectio IV.

Soluuntur prioris sent. arg.

AD primum igitur argumentum eorum, qui volunt intellectum liberiorem esse voluntate, dicendum est, non ex eo, quod indifferentia voluntatis oritur, ab indifferentia intellectus effici, vt intellectus sit magis liber, quam voluntas. Formalis enim libertas nõ in qualibet indifferentia posita est, sed in indifferentia electionis. Nam cum libertas ad actionem referatur, (*nemo enim dicitur liber, nisi quia est dominus suarum actionum, siue contrarie, siue contradictorie*) non possumus quenquã denominare liberum formaliter ex eo solum, quod indeterminatus sit ad iudicandum de mediis, sed ad ea eligenda. Quo fit, vt recte dicant aliqui D. Thomæ sectatores, cum ille ait libertatem voluntatis pendere ab intellectu, non ita id esse accipiendum, quasi velit libertatem voluntatis pendere à libertate intellectus, sed quasi dicat pendere ab indifferentia illius propria, & peculiari.

Libertas est indifferentia electionis, & refertur ad actionem.

Ad secundum dicendum est, primum quidem non loqui nos in hac disputatione de ea libertate, quæ opponitur seruituti, à qua intellectus ea ratione magis liber dici potest, quam voluntas, quia eius operationes (*si absolute loquamur*) minus pendent ab operationibus voluntatis, quam hæ ab illis, sed de

Minus seruituti, sed non plus vera libert. habet intellect.

A sola libertate, quæ opponitur necessitati: deinde, etsi operationes intellectus nõ pendent absolute ab actibus voluntatis, tamen quandocunque libere eliciuntur, à voluntate vtiq; illum mouente habere, vt sint liberæ, ac proinde ea ratione ab operationibus voluntatis esse dependentes.

Ad tertium negandum est, primum actum completæ libertatis, seu formalis, ac simpliciter dictæ, esse iudicium conclusiuum, nunquam enim huiusmodi iudicium libere elicitur, nisi cum voluntas mouit intellectum ad deliberandum pro vtraq; parte, & ad concludendam eam, quam intellectus probabiliorẽ iudicasset, aut cum determinate illum mouit ad quærenda argumenta pro ea parte quam ipsa optabat esse probabiliorem.

Iudicium conclusiuum quando sit liberum.

Ad quartum dicendum est, delectum mediorum prius pertinere ad intellectum iudicantem, quam ad voluntatem amplectentem, aut reiicientem: attamẽ libertatem formalem non esse positam in iudicando, sed in eligendo.

Ad vltimum dices libertatem voluntatis adeo cõnexam esse, cum aliquo iudicio intellectus vel præsenti vel præterito, vt ad illud significandum non immerito Patres coniunxerint nomen, arbitrii cum adiectiuo, liberi, vt priori dictione significarent potentiam elicitiuam iudicii præcedentis, posteriori autem potentiam elicitiuam electionis subsequentis. Quo pacto Arist. 6. Ethic. cap. 2. ait, electionem posse dici vel appetitum intellectiuum, vel intellectum appetitiuum, cum tamen ea non sit formaliter intellectus, h. e. intelligendi actus, sed appetendi. Adde, quod Patres modestius nomine liberi arbitrii appellauerunt voluntatem, quatenus est eligẽdi potentia, ne si non adhiberent nomen aliquod, quo significaretur iudicium præcedẽs, viderentur dicere libertatem esse appetitum aliquem temerarie in hanc, vel illam partem sine vlla discretione vertibilem. Vsi sunt autem potius nomine arbitrii, quam iudicii, quia arbitrii, etsi iudicio nituntur in componendis litibus, & controuersiis, liberiores tamen sunt, quam iudices, quod hi ex rigore iuris, illi autem ex bono & æquo iudicare soleant.

[illegible] nominis, liberi arbitr.

Cur [illegible] sit voluntas, ut est eligendi potentia.

Ad primum vero eorum, qui ex æquo ponunt libertatem in intellectu, & voluntate, dicendum est, etsi vtraque facultas immunis est à coactione, si sumatur secundum se, neq; in ea collatione habeatur ratio suppositi, vt recte probatur, tamen, quatenus hæ potentiæ referuntur ad suppositum, intellectum quidem cogi posse, voluntatem autem non posse; multa enim intelligunt homines, multaq;

Soluuntur poster. sent. arg.

Multa intelligimus inuiti, nihil ita volumus.

[illegible] recordentur, quas nec nollent, velleut, nec vt ipsis in mentem venirent, vellent, de quo ait Propheta, *Noluit intelligere, vt benè ageret*, & is, qui pollicenti sibi artem mandādi memoriae respondit, velle se potius inueniri artem, qua rerum praeteritarum obliuisceretur, quod videlicet multarum recordaretur, quae illi molestiam afferrent, cum tamen nemo sit, qui vere dicere possit, se inuitum velle, quae vult, quia id contradictionem inuoluit.

Esai. 59.

Themistocles apud Cic. 2. de finibus.

Ad secundum dicendum, etsi quoad actus liberos & intellectus à voluntate, & voluntas ab intellectu pendet, tamen rationē dependentiae diuersam esse ex vtraq; parte. Nam voluntas pendet ab intellectu quoad esse suorū actuum, non quoad eorum libertatem, quasi libertas eius propria, quae est formalis, prius conueniat intellectui: at è contrario intellectus quoad esse suorum actuum non pendet à voluntate, sed quoad eorum libertatem, quandocunque liberè eliciuntur: vnde non sequitur libertatem aeque illis conuenire, sed prius voluntati, quam intellectui.

Quoad actus liberos diuerso modo à se inuicem pendent intellectus & voluntas.

Ad vltimum huius sententiae similiter dicendum, etsi vtraque potentia ponitur in ea definitione liberi arbitrii, tamen diuersa ratione poni: vnde nihil efficit ea coniunctio vtriusque, quominus liberum arbitrium magis, seu potius simpliciter sit liberum à voluntate, quam ab intellectu, siquidem ab illa est liberum formaliter, ab hoc autem radicaliter, quo pacto ferme species quaelibet, etsi habet in sui definitione, genus, & differentiam, magis tamen, seu potius est species à differentia, quam à genere.

A quonam determinentur potētiae rationales ad actus liberos?

QVAESTIO III.

Explicatio tituli quaestionis.

SECTIO I.

QVAESTIO haec proponi solet, sub his verbis: A quonam moueantur potentiae rationales ad actus liberos? Quo pacto triplicem sensum habere potest. Primus est, à quo excitentur, & ponantur in statu libere operandi, seu (quod idem est) expedito ad liberas operationes exercendas, vt cum quis post somnum reducitur ad perfectam vigiliam, aut post aliquem mentis excessum redditur sui compos. Secundus est, a quo earum inde terminatio ad agendum & non agendum, itemque [illegible] diuersos actus ad alteram partem determinetur; quandoquidem nulla potentia [illegible] simul diuerso modo agere: [illegible] non agere. Tertius est, à quo eaedem potentiae effectiue exerceantur, seu (quod eodem redit) quaenam siue obiecta, siue potentiae, siue [illegible] effectiue concurrant ad earum determinationem, qui sensus plane innuitur in verbo mouendi, quod actionem significat. Omittendus tamen est primus sensus, quod minus difficultatis habeat, quam vt per se tractandus videatur, satis enim constat has potentias interdum excitari ab obiectis, interdum ab interiore corporis dispositione, interdum ab intensis habitibus, & exerceri assuetis, interdum ab externis agentibus, siue corporeis, siue incorporeis, seque interius insinuantibus, potissimum vero à Deo, qui solus in mētes nostras illabi potest. Tertius vero, cum sit de qualitate, seu modo concurrendi ad propositam determinationem, commodius, ac distinctius tractari potest post secundum: prius igitur de hoc secundo seorsim agendum est.

Triplex quaest. sensus.

Primus.

Secundus.

Tertius.

Non omittitur primus, quia facilis.

Differtur tertius post secundum.

Nomine igitur rationalium potentiarum intelligendae sunt in hac quaestione non solum eae rationales, quae semper, ac necessario rationalem animam comitantur, & communes sunt omnibus substantiis immaterialib. cuiusmodi sunt solus intellectus, & voluntas, sed etiam illae, quae quatenus animae rationali in corpore existenti obediunt modo aliquo rationales appellari possunt, cuiusmodi sunt imaginatio, seu phantasia, (*quam solam diximus esse sensum omnino interiorem*) & vterque appetitus sensitiuus, vt ex supradictis patet.

Latius sumuntur hic rationales potentiae.

Quaerimus autem à quonam hae omnes potentiae determinentur ad actus liberos, non autem simpliciter ad suos actus; quia ad actus earum naturales à natura ipsa determinatae sunt. Habent enim eae potentiae naturam suam peculiarem, ex [illegible]tione naturaliter determinatae sunt ad certos genere actus, aut etiam ad certos specie, idq; ab ipso naturae autore vt intellectus ad approbandum verum, & reprobandum falsum, aut quod tale esse videtur, & voluntas ad amplectendum bonum, siue conueniens, & ad reiiciendum malum, & inconueniens, aut quod videtur esse tale, imaginatio autem ad apprehenda ea, quae sunt aut videntur conuenientia vtentibus sensu, & ad ea reprobanda, quae eisdem videntur non cōuenire, appetitus vero sensitiuus ad haec eadem amplectenda, aut reiicienda. Omnes enim potentiae, quae modo aliquo sunt liberae, habent in primo suo qua-

Cur addatur ad actus liberos.

Omnes naturaliter potentiae determinatae [illegible]

si [illegible] *gradus dici potest, &* [illegible] *fundamentum libertatis*) determinationem aliquam naturalem, etiam in Deo ipso, qui etsi maxime liber est, tamen naturaliter, & necessario se intelligit, sese que diligit.

Omnes potentias quouis modo rationales, seu liberas, à voluntate determinari ad actus liberos, non solum quoad exercitium operandi & non operandi, sed etiam quoad operationem huius vel illius speciei.

SECTIO II.

IVXTA duplicem indeterminationem, quā habent huiusmodi potentiæ ex seipsis, quatenus liberæ sunt, vnam quoad exercitium agendi, vel nō agendi, alteram quoad speciem huius, vel illius operationis, duplex quoq; earum determinatio, vna quoad exercitium, altera quoad specificationem.

Quoad exercitium. Vide August. [illegible] de ciuit. c. 6. Damasc. 2. fid. c. [illegible] Th. 1 p q. 82. art. 4. & 1. 2. q. 1. art. 1. & 4. Probatur assertio.

Quod ergo attinet ad priorem determinationem, communis ac vera sententia est, omnes huiusmodi potentias determinari à voluntate, ita vt se etiam ipsa ad exercitium determinet. Quæ assertio inprimis quotidiana experientia constat; nemo enim, nisi qui vult, dicitur libere exercere suum intellectum, aut imaginationem, aut appetitum sensitiuum, aut suam etiam voluntatem, aut e contrario ab eiusmodi potentiarū exercitio libere abstinere: si quando enim operatio aliarum potentiarum, quæ voluntati obedire solent, voluntatis actum antecesserit, aut ei obedire renuit, eam nos libere à nobis prodiisse dicimus. Deinde ex eo probatur, quia omnis actus liber est vel elicitus vel imperatus; elicitus autem non potest libere prodire, siue libere exerceri, nisi à potentia formaliter libera, vt est perspicuum; (*elicitus enim* [illegible]) imperatus vero, vt imperatus, non exercetur, nisi imperante superiori potentia, superioris enim est imperare, inferioris obedire. *Sup. q. sect. 3.* Cum ergo superius ostensum sit solam voluntatem esse formaliter liberam, ac proinde in libertate [illegible] quo modo liberis superiorem, plane sequitur nullam potentiam modo aliquo liberam determinari quoad exercitium ad actus liberos, nisi à voluntate.

Tertio, quia ea potentia ceteras exercet, quæ agit propter finem communem finibus ceterarum; hoc enim cernimus & in naturalibus, & in moralibus, siquidem in naturalibus causæ vniuersales, quæ respiciunt bonum commune vniuersi, exercent particulares causas, quæ respiciunt bona quædam particularia, & in moralibus [illegible] qui respicit bonum commune, [illegible] particulares [illegible] respiciunt bona quædam particularia: quia [illegible] obiectum voluntatis [illegible] commune suppositi operantis (*est enim* [illegible] *appetitus rationalis respiciens* [illegible] *intelligibilia, quatenus* [illegible]) sub hoc autem communi bono continentur bona particularia, in quæ tendunt ceteræ potentiæ voluntati subiectæ, per [illegible] relinquitur ad voluntatem pertinere [illegible] omnes, quatenus sibi subiectæ sunt, [illegible] tametsi illæ non raro eius operationem [illegible] tenentant, aut etiam politica libertate eius imperio resistant.

Quarto, quia ad eam potentiam spectat determinatio aliarum ad exercitium operandi, & non operandi, in cuius potestate sunt omnes liberæ operationes, & earum prohibitio, aut cessatio, vt ex ipsis terminis [illegible] est: at ista non sunt in potestate intellectus, [illegible] minus etiam in potestate imaginationis, [illegible] appetitus sensitiui; quia huiusmodi [illegible] ante actum volūtatis feruntur [illegible] sua obiecta, nec possunt in ea non [illegible] commode, & sine impedimento [illegible] nuntur: sola ergo voluntas relinquitur, quæ & se, & ceteras modo aliquo liberas determinare possit ad exercitium operandi, & non operandi; ac merito quidem, quia ea [illegible] quæ posito commode obiecto, & impedimentis sublatis potest operari, & non operari.

Libertas [illegible] *non soli* [illegible] *in potestate voluntatis.*

Postremo, quia cum fieri nequit, vt potentiæ rationales simul in vtroq; [illegible] versentur, vt ex se patet, & [illegible] huius libri ad eam potentiam spectabit & sui, & ceterorum determinatio ad operandum, & non operandum ad quam satis constat [illegible] electionem alterius partis huius oppositionis: at omnis electio ad solam voluntatem spectat, neq; enim iudicio intellectus (vt quis forsitan dicat aliquis electionem pertinere) aliquid eligimus, sed tantum eligendum esse iudicamus.

Non potest rationalis potentia [illegible] *simul in vtroq;* [illegible]

Obiectio.

Sed contra hæc sic aliquis obiiciat. Ceteræ potentiæ, quæ modo aliquo sunt liberæ, non semper obediunt voluntati, quin (vt paulo ante dictum est) sæpe politica libertate resistunt: ergo non semper [illegible] determinantur quoad exercitium agendi & non agendi. Ad quod respondetur [illegible] non sic esse intelligendam propositam assertionem, quasi dictum sit, semper ceteras potentias voluntati subiectas obedire determinationi voluntatis, quoad exercitium operandi, & non operandi, sed sic, vt nunquam ad alteram partem

Dilutio.

Soluitur [illegible] *libera.*

partem huius oppositionis libere determinẽtur, nisi per voluntatem. Quandocunque enim voluntati non obediunt, non libere, sed naturæ impetu, aut renitentia id faciunt, vt cum quis, vel maxime volens, non potest applicare cogitationem, aut imaginationem, aut appetitum sensitiuum ad rem sibi propositam aut è contrario has potentias ab ea diuertere.

Dici solet determi. quoad speciem actus esse ab obiecto cognito.

Quod vero attinet ad posteriorem determinationem, quę est ad speciem actus, fere dici solet voluntatem determinari ab intellectu, seu potius ab obiecto cognito per intellectum: quemadmodum & appetitus sensitiuus ab imaginatione, seu ab obiecto per illam percepto. Ratio vero est, quia quemadmodum potentiæ sumunt speciem ab actib*, ita & actus ab obiectis, vt traditur 2. lib. de Anima. Verum hæc assertio etsi certa est, non est tamen ad rem in hac materia: hæc enim determinatio est naturalis, non libera: quia omnes cognoscendi, & appetendi actus ex ordine ad suum obiectum naturam suam, & speciem sumit obiectumque ipsum, etiam vt cognitum, non habet potestatem determinandi voluntatem ad aliam speciem actus, quam ad illam, quæ in illud suapte natura tendit; nos autem in hac quæstione quemadmodum non agimus, nisi de determinatione ad actus liberos, vt ex ipso titulo quæstionis patet; ita non agimus de naturali determinatione, vt initio explicauimus, sed de libera, vt intelligamus, à quonam potentiæ rationales libere determinentur, non solum, vt potius operentur, quam non operentur; aut contra; sed etiam, vt potius eliciant actum huius speciei, quam illius, cum ex se vtroq; modo sint indeterminatæ.

Cap. 4. tex. 33 Vere, sed non ad rem.

Vera assert. rationales potent. quoad speciem determinari ad actus liberos à volunt.

Dicendum igitur rationales potentias non solum quoad exercitium, sed etiã quoad specificationem à sola voluntate determinari ad actus liberos. Quod vel hac vna ratione patet: quia etsi datur naturalis determinatio ad quosdam actus liberos quoad specificationem, sine determinatione quoad exercitium; vt datur in voluntate ad amplectendum bonum, qua ratione bonum est, & ad reiiciendum malum, qua malum est (*hanc enim determinationem habet voluntas etiam tunc, cum nihil operatur*) nunquam tamen datur determinatio libera quoad vllum actum, quin simul detur determinatio quoad exercitium illius. Cum igitur sola voluntas libere determinet potentias rationales quoad exercitium agẽdi; & non agendi, vt probatum est, necessario efficitur, vt ea sola sit, quæ easdem determinet quoad speciem cuiuscunque actus liberi. Itaque quemadmodum potentiæ naturales à naturales determinatæ sunt ad exercitium, & speciem actus, semperque operantur positis iis, quæ requiruntur; & remotis iis, quæ impedire possunt; ita rationales, quatenus liberæ sunt, vtroque modo determinantur à voluntate. Neque id, quod D. Thomas ait 1. 2. q. 9. ar. 1. determinationem, videlicet quoad speciem actus attribuendam esse obiecto, aut intellectui obiectum proponenti; aliter intelligi potest commodius; quam supposita determinatione exercitij, quæ fit à voluntate. Nam ad quemcunque actum libere se determinat voluntas, eum naturaliter specificat obiectum, & à potentia, à qua illud proponitur.

Non datur libera determinat. quoad specie actus sine exercitio.

Obiectio.

Sed aduersus hanc assertionem sic obiici potest, intellectus ante omnem actum voluntatis libere discurrit per varias materias, & argumenta, modo confirmandi aliquid, modo refutandi causa: non igitur negandum est intellectum libere se ipsum determinare & quoad speciem actus, & quoad exercitium. Sed ad hoc respondendum est, huiusmodi discursum à voluntate non imperatum naturalem esse, non liberum, vtpote natum ex naturali propensione, & sagacitate intellectus, qui etiam ante omnem actum voluntatis, dũ non cognoscit euidenter rem sibi obiectam; sed vel dubius adhuc est, vel cum formidine oppositi eius partis, quam videt esse probabilem, assensum aliquem præbet, non omnino conquiescit à conquirendis argumentis pro vtraque oppositionis parte, vt rem omnino percipiat: qui discursus naturalis per opposita etsi ad radicem libertatis pertinet, tamen formaliter liber non est.

Solutio. Intellectus ante volunta tis actũ naturaliter, non libere, discurrit circa opposita.

Refutatur sententia eorum, qui dicunt voluntatem determinari, & quoad speciem actus, & quoad exercitium ab vltimo dictamine, seu iudicio practico intellectus.

SECTIO III.

Proponitur hæc sententia.

SVNT tamen & multi, & graues etiam autores, qui asserant voluntatem determinari & quoad speciem actus, & quoad exercitium ab vltimo dictamine, seu iudicio practico intellectus, ita vt stante eo iudicio non possit voluntas illud non sequi. Vocant autem vltimum dictamen, iudiciumque practicum, illud, quo intellectus omnibus inspectis iudicat hoc, vel illud hic, & nunc esse faciendum, aut è contrario non esse faciendum. Quod vsq; adeo verum esse asserunt, vt in eo etiam, qui dixit:

Quod nã sit apud eos autores vlt. dictamen.

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas;

locum habere putent: vbi tamen nulla videtur habita ratio iudicij, sed solius voluntatis: imo in eo, qui vel solius libertatis exercendæ causa expressius dicat, Volo oppositum eius, quod hic, & nunc ratio iudicat esse faciendũ. Aiunt enim illud iudiciũ non fuisse vltimum, sed hoc potius, quo is iudicet illi iudicio esse repugnandum; quod vtique iudicium vltimate practicum est, & posterius illo. Ita sentiunt nonnulli D. Thomæ sectatores, potissimum vero ex iis, quæ ille docet q. 24. de veritate art. 2. Durandus item, & alij, quorum argumenta hæc sunt præcipua.

Aled. 12. q. 9. a. 1. Ianuel. hoc lib. q. 4. Bellar. l. 3. de grat. & lib. arb. cap. 8. Durand. in 2 d. 24. q. 2. nu. 23. & seq. & q. 3. n. 18. Arg. pro hoc sunt.

Primum, quia voluntas non potest aliquid velle, nisi præcedente iudicio intellectus seu recto, seu peruerso, cum sit potentia cœca, & manuductione intellectus indigeat: quo fit vt si vltimo eius dictamini repugnet, iam non manuducatur ab intellectu, sed aut temere feratur, quo nescit, aut pedẽ, vt ita dicam, non moueat.

Secundum, quia nullum iudicium intellectus potest esse omnino determinatum nisi vltimum: hoc enim est, quod intellectus præcedentia iudicia, si qua tulit, determinat: cum illud cœteris præferat, eisq; non obstantibus executioni mandandum iudicet: atqui voluntas, cum ex se indeterminata sit, non potest determinari à iudicio, quod nõ sit omnino determinatum: (*quatenus enim non omnino determinatum fuerit, adhuc determinatione aliqua indigebit*) ergo à solo vltimo determinari vtroque modo potest, & quoad exercitium scilicet, & quoad speciem actus, si modo actura aliquid sit.

Tertium, quia nisi voluntas determinetur ab vltimo iudicio practico, non poterit reddi ratio, cur potius velit hoc, quam illud, aut cur potius operetur, quam ab operatione abstineat: cum tamen id promptum admodum sit, si dicamus, quia sic tandem ratio iudicauit.

Quartum, quia id expresse videtur definiri ab Aristotele 7. Ethic. cap. 3. cum docet, qui vniuersale iudiciũ tenet, deinde singulare adiungit, necesse esse, vt continuo agat: vt si iudicet, omne dulce gustandum esse, & id singulare, quod offertur, esse dulce, continuo conclusioni assentiatur, atque adeo gustet necessario. Quo loco nomine singularis iudicij, seu mentalis propositionis de re agenda, quæ concluditur, nihil aliud intelligit, quam vltimum iudicium omnino determinatum ad hic, & nunc.

Postremum, quia si voluntas non determinetur vtroque modo ab vltimo iudicio eo vtique existente recto dari posset vitiosus actus in voluntate: cuius oppositum asserit Aristoteles 3. Eth. c. 1. 3. & 5. cum docet, omnem malum esse ignorantem, imo etiam sacræ litteræ, veluti cum dicitur Prou. 14. *Errant, qui operantur malum*. Quod etiam ex eo probatur, quia nemo intendens ad malum vt malum est, operatur, (quod Dionysius ait) sed vt aliquam boni rationem habet: quo fit, vt qui peccat, in eo sit ignorans, quod præfert eum actum, qui simpliciter malus est, ei qui simpliciter est bonus. Vnde est illud Esaiæ 5. *Væ, qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras*. Non dubium ergo, quin voluntas sic determinetur ab vltimo iudicio practico, vt eo stante non possit illud non sequi.

De diuin. nominib. c. 4.

Hæc tamen sententia, nisi in sensu aliquo cum superiori concilietur, non est probanda: quod his rationibus ostendi potest. Primum, quia voluntas ea ratione dicitur libera, quod positis omnibus, quæ ad eius operationem prærequiruntur, possit operari, & non operari: ergo, si tale iudicium practicum prærequiritur ad omnem voluntatis operationem, eaque non potest illud non sequi, non est profecto libera in operatione vlla. Deinde, quia vel tale iudicium ex necessitate elicitur ab intellectu, vel libere: si necessario, igitur & omnis actus, quo voluntas non potest se illi non conformare, est necessarius: si libere, ergo ab aliquo actu libero voluntatis profectum est, quandoquidem nulla potentia quouis modo rationalis est libera, nisi quatenus subditur voluntati, ea ratione, qua illa est formaliter libera, vt patet ex supra dictis: aut igitur voluntas in eo actu præcedente sequuta est aliud determinatum iudicium intellectus, aut vllum: non quidem nullum quia cœca est, & ad iudicandum inepta: ergo aliud de quo rursus quæri potest, fueritne liberum, an necessarium, & sic in infinitum; nisi dicamus voluntatem stante etiam vltimo iudicio ad hic, & nunc determinato, posse illud non sequi.

Refellitur proposita sent.

Tertio, quia si huius sententiæ autores dicant propterea actum voluntatis, qui vltimum iudicium necessario sequitur, esse liberum, quia voluntas potest se ab eo cohibere, aut diuertere intellectum, vt aliud iudicium suo affectui consentaneum quærat; (hoc enim partim dicunt, partim dicant necesse est, vt libertatem voluntatis defendant) vt ex hac ipsa responsione earum opinio planius refutabitur; tum quia, si voluntas se cohibere potest ab actu sequendi huiusmodi iudicium, ergo eo posito non necessario illud amplectitur, aut asserunt: tum etiam, quia si potest diuertere intellectũ, vt quærat illud iudicium, quod sibi sit gratius; (*quo pacto nonnunquam*

principia

Principes iubet senatui cōdenti leges, quas ipsi ferre nollent, vt alias condant ipsorum affectibus, aut vtilitatibus accommodatiores) aliquo certe actu illum diuertet; quandoquidem per puram suspensionem sui actus non poterit eum diuertere, cum sæpenumero agere illum diuertat, per actum volendi diuertere: aliquo igitur simili iudicio opus habet, saltem ad eiusmodi diuertendi actum, dicunt enim nullum elici posse à voluntate, nisi præcedente tali iudicio. De eo igitur iudicio iterum quæretur, sicut de primo, an voluntas illud necessario sequatur nec ne? atque ita de alio atque alio, nec tandem de re constabit quoad ventum fuerit ad iudicium, quod positum voluntas non necessario sequatur; quod vtique longe expeditius de primo dicendum foret.

Postremo probatur assertio ex ipso vsu quotidiano; experimur enim nos passim repugnare iudiciis omnino determinatis ad hic, & nunc, & sequi alia vel generalia, vel indeterminata, (*vt si quis diuertat intellectum à molesto iudicio particulari per aliud iudicium generale de euitandis rebus molestis*) vel etiam determinata ad hic, & nunc: neque enim re vera pugnant inter se alterum affirmatiuum, alterum negatiuum de eadem re, si ferantur ob diuersa motiua; vt si alterum fit de fruenda hic, & nunc de voluptate hac propter legem carnis vt eam Paulus vocat; alterum de ea non fruenda propter legem Dei. *Rom. 7.*

Explicatio veræ sententiæ.

SECTIO IV.

SED vt vera sententia, quam probauimus, planius intelligatur, simulque vt euidentius dissoluantur oppositæ partis argumenta, illud inprimis intelligendum est, non esse hic directo sermonem de eo, quod nonnulli vocant iudicium præceptiuum, cuiusmodi hæc sunt, *fac hoc, ne facias*: hæc enim re vera non sunt formaliter iudicia, cum non significent verum, aut falsum; sed sunt imperia, quæ vel spectant ad voluntatem, vel ad intellectum intimantem, quatenus permouetur à voluntate; de qua re inferius agendum est: sed esse sermonem formaliter de iudicio iudicatiuo, quod significat verum, vel falsum.

Primum notandum. De quo iudicio hic sermo sit.

Illud deinde animaduertendum, nō quodlibet iudicium indicatiuum satis esse ad eliciendum actum liberum aut ab eo abstinendum. Neq; enim satis est iudicium de bonitate rei propositę, hoc est, de eius honestate, aut vtilitate, aut iucunditate, vt eam voluntas amplectatur; aut de oppositis conditionibus, vt eam non amplectatur, aut etiam reiiciat, vt nonnulli volunt (*nondum enim iudicia hæc sunt actui volūtatis eliciendo proxima*) seu necessariū est iudicium indicatiuum de actu libero particulari hic, & nunc eliciendo, quo nimirum iudicio intellectus dicat, hoc amplectendum esse hic, & nunc; vel non amplectendum, aut reiiciendum: quem iudicandi actum antecedunt vel tempore, vel natura iudicia illa remota de bonitate, seu conuenientia rei propositæ, aut de oppositis eius conditionibus. Intellectus enim quoad potest non solum descendit ad singularia, sed etiam eorum circumstantias necessarias pro dirigenda voluntate; siue ille in ea re vtatur recto iudicio, siue peruerso: id quod satis experimur in nobis cum rationibus intra nos ipsos contendimus, de hac vel illa re amplectenda, vel non amplectenda.

Secundum. Quonam iudic. indicatiuo sit opus ad actum liberum.

Tertio loco illud considerandum, tribus modis iudicium indicatiuum dici posse vltimum, seu omnino determinatum. Primo modo, quatenus habet coniunctam executionem, vt illud solum tale dicatur, quod voluntas sequitur. Verum de hoc modo vltimi iudicij nulla est difficultas, aut dubium de probatione aut voluntatis; siquidem hoc pacto in conceptu vltimi iudicij includitur exceptio actus voluntatis approbantis, seu sequentis illud, & est omnino determinatum, etiam ex parte effectus. Secundo modo, si omnibus inspectis ab intellectu simpliciter, & absolute proferatur rem hanc hic, & nunc esse faciendam, hoc est, debere fieri, aut non faciendam, id est, fieri non debere: quo pacto autores impugnatæ sententiæ dicunt, eum qui proiicit merces suas in mare, in quocunque euentu absolute iudicare tunc esse proiiciendas: & plerique Theologi omni particulari occasione pronunciant non esse tunc mentiendum. Qui modus vltimi iudicij etsi non excludit executionem actus voluntatis approbantis, illud tamen includit efficacem intentionem, siue propositum finis obtinendi: & hoc pacto iudiciū est omnino determinatum, non item ex parte effectus. Quocirca si quis recte consideret, non est hoc iudicium necessarium ad agendum; semper enim iudicium, quo iudicatur aliquid debere fieri humano actu, aut etiam non fieri humana cohibitione, aut desitione, supponit aliquem finem, propter quem iudicatur illud faciendum esse, aut non faciendum; siquidem omnis actus humanus (& quod pari ratione addendum est) omnis humana, vt ita dicam, abstinentia ab actu, propter aliquem finem exercetur, vt in ipso Moralium librorum initio

Tertium. Trib. modis iudicium indicatiuum dici vlt. Primus modus. Secundus.

Iudicium, quo quid iudicatur faciendum humano actu, semper supponit aliquem finem intentum.

1 Eth. c. 1. tanquam omnis doctrinæ moralis fundamentum ab Aristotele traditur, & ab omnibus recipitur. Vnde neque is, qui merces suas in mare iactat, sine vlla suppositione iudicat esse iactandas, sed supposito naufragij periculo, quod vitare cupit. Id quod vel ex eo patet, quia non desunt, qui abiicere eas renuant, reputantes minus malum esse cum omnibus suis facultatibus se naufragij periculo committere, quam eis omnino amissis miseram vitam ducere. Neque etiam, qui omne mendacium fugit sine vlla suppositione iudicat non esse mentiendum: sed supposita rationis rectitudine, quam se secuturum constituit: quam tamen rectitudinem plurimi non supponunt, quod molestior illis sit eius obseruatio, quam reatus, quem ex transgressione eius contrahunt. Itaque in omni iudicio, quod omnibus spectatis simpliciter, & absolute profertur, vt voluntas actum libere eliciat, aut ab eliciendo abstineat, supponitur bonum aliquod siue conueniens iudicanti, quod ab eo prius tempore, aut natura approbatum, & intentum sit, seu (*quod idem est*) cuius gratia aliquid agere, aut ab actione abstinere velit. Verum hic modus vltimi iudicij non præcedit omnem voluntatis actum, quia non præcedit intentionem finis, quem semper supponit, sed electionem mediorum ad aliquem finem.

Tertius modus. Tertio modo illud dicitur vltimum iudicium, quod satis quidem est ad eliciendum actum liberum, aut ab eo abstinendum: sed tamen non profertur simpliciter, & absolute, nempe supposita efficaci intentione finis obtinendi, sed sub hac conditione, si finis hic, aut ille obtinendus est, vt cum intellectus iudicat fruendum esse præsenti voluptate vitiosa, si legi carnis, à qua eiusmodi delitiæ imperantur, obediendum est: aut cum è contrario dictat abstinendum esse ab illa eadem, si parendum est legi spiritus, qua id genus voluptatum interdicitur. Ad quem modum vltimi iudicij reducendum est iudicium illud absolutum, sed inefficax: quod supponit solum velleitatis cuiusdam, seu inefficacem finis obtinendi actum: cuiusmodi actum diuina Scriptura significat, cum ait, *Vult, & non vult piger.* Vtrumque enim iudicium est omnino determinatum quoad id, quod faciendum est, & quoad necessarias circumstantias: non tamen quoad effectum, vt in prima significatione, neque quoad intentionem finis obtinendi, vt in secunda.

Huc reduci iudic. quod supponit solā velleitatem finis.

Prou. 13.

Quartum notand. Denique animaduertendum est, semper cum secundo modo vltimi iudicij coniunctum esse imperium: quia iudicium, quo simpliciter, & absolute aliquid faciendum, aut non faciendum esse iudicatur propter finem intentum, non solum est indicatiuum, sed etiam intimatiuum, & impulsiuum ad agendum, abstinendum ve ab actione: quod imperij proprium est. At cum iudicio tertio modo non est coniunctum imperium, (*saltem proprie dictum, & efficax*) quia tale iudicium præcedit omnem saltem efficacem voluntatis actum circa finem.

Cum quo vl. iudicio coniūctum sit imper.

Primum consectarium. Ex quibus primum patet, (*missa prima significatione vltimi iudicij, de qua nullum est dubium*) etsi voluntas necessario sequitur vltimum iudicium secundo modo sumptum, quandiu ipsa non desistit ab intentione finis, quam illud supponit: tamen simpliciter, & absolute non necessario illud sequi. Prior pars huius assertionis ex eo probatur, quia iudicare omnibus inspectis aliquid faciendum esse, aut non faciendum propter finem qui intenditur, nihil aliud est, quam asserere necessario illud esse faciendum, aut non faciendum, si non est desistendum à proposito eius finis consequendi. Posterior pars ea ratione ostenditur, quia cum voluntas desistit ab intentione finis, eo ipso desistit ab electione eius medij, quod propter illum assumere intendebat. Neque enim datur electio mediorum, vt media sunt, nisi detur intentio finis consequendi.

Absolute nūquam volunt. necessario sequi iudic. secundo modo sumptum.

Secund. consect. Non requiri id iudi. ad actus lib. Patet etiam non esse necessarium iudicium vltimum secundo modo sumptum ad omnes operationes liberas: tum quia voluntas libere se cohibere potest à sequendo iudicio illo etiam efficacia, si desistat ab intentione finis, quem illud supponit, tum etiam, quia ad agendum non opus est iudicio absoluto, & efficaci, cum satis sit conditionatum, veluti, Hoc faciendum est, aut non faciendum, si finis hic, aut ille est obtinendus: aut etiam absolutum inefficax: conditionatum quidem, cum mercator non proiicit merces in mare, iudicante intellectu simpliciter, & absolute omnibus inspectis proiiciendas esse, quia sequitur aliud iudicium conditionatum de non proiiciendis, si quod simul esse potest cum absoluto: vt si iudicet non esse proiiciendas, si malit periculo mortis se committere, quam euadens omnibus suis bonis amissis summa inopia laborare: absolutum autem inefficax, vt si quis habeat qualecunque dictamen corrigendæ vitæ, virtutis, aut honoris consequendi causa, illudque sequatur: cum tamen simul habeat iudicium aliud absolutum de non corrigenda vita, vt quibus assueuit, voluptatibus perfruatur. Quanquam enim duo iudicia absoluta, & effica-

& efficacia de oppositis effectis contradictoriis simul esse non possunt, quia iudicia de contradicentibus sunt contraria, vt dicitur 2. lib. de Interpretatione, cap. vltimo, tamen nihil repugnat dari simul vnum absolutum de vno opposito, & alterum, pluraue conditionata, aut etiam absoluta inefficacia de alio opposito.

Tertium confect. Concilian tur dua superiores sent.

Demum patet, has opiniones ea ratione conciliari posse, si altera intelligatur de vltimo iudicio secundo modo sumpto, non desistente voluntate ab intentione finis; altera de vtrouis modo, secundo videlicet, aut tertio, deposita in secundo propositi finis intentione, & assumpto proposito alicuius alterius finis. Semper enim aliquis finis in omni actione, ac deliberatione præ oculis habēdus est, vt Arist. docet ipso initio Ethicorum ad Nicomachum, vt dictum paulo ante est, siue is proponatur absolute, siue conditionate, siue efficaciter, siue inefficaciter, & frigido quodam, vt ita dicam iudicio. Sic enim verum est, vno modo semper, ac necessario ex suppositione voluntatem conformari vltimo iudicio, alio modo, id est, simpliciter, & absolute posse non conformari.

Solutio argumentorum partis opposita.

SECTIO V.

Nunquam voluntati deest iudiciū vlt. quod sequatur.

QVAPROPTER ad primum argumentum pro opinione Durandi, & aliorum, qui cum eo sentiunt, quatenus constitutæ veritati repugnare potest, dicendum est, etiam cum voluntas vni iudicio vltimo, resistit, non deesse ei aliud vltimum alterius generis, quod sequatur. Cum enim non sequitur absolutū, sequi potest aliquod conditionatum, aut absolutum inefficax de opposito effectu, siue illud sit præsens de re proposita cum præsentibus circumstantiis, siue antiquum generale, quod intellectus applicet ad rem præsentem, & præsentes circumstantias, siue etiam tunc nullum sit absolutum, sed plura conditionata, qualia sæpe dantur ante absolutum, aut etiam nullo secuto absoluto: veluti cum ingrauescente tempestate mercator secum ita loquitur. Proiiciendæ mihi sunt hic, & nunc omnia hæc bona mea in mare, si aliter saluus esse nequeam, vel certe non sunt proiicienda, si mecum statuā, potius me periculo naufragii committere, quam sospes in extrema inopia, & abiectione viuere. Et qui dubius est de mendacio proferendo: Mentiar oportet, si statuam morem gerere petenti à me falsum testimonium, vel oportet, vt non mentiar, si

A Dei voluntatem improbi hominis voluntati antepositurus sum.

Secundum argumentum distinctione vltimi iudicii dissoluitur, absoluti nimirum, & conditionati: vtrumq; enim satis est, vt volūtas illud sequi possit, quia potest esse proxima causa agendi aut ab actu abstinendi.

Semper voluntat. posse reddere facti sui rationem sed non ideo præcipue dici rational.

Ad tertium dicendum nunquam voluntati deesse rationem aliquam, aut re & amaut apparenter rectam, quam sequatur, ac reddere possit facti sui. B Hac enim de causa potest illa dici rationalis: tametsi ea præcipua causa est, quia suapte natura est propensa ad rectam rationem sequendam, quemadmodū ad vere bonum prosequēdum, licet sæpe amplectatur apparentia bona, quia videntur vere bona. Ad hoc autem, vt aliquam facti sui rationem reddat, non est necesse, vt semper eam reddat ex vltimo iudicio absolute, sat enim est, si ex conditionato, aut ex absoluto inefficaci, C quod ad conditionatum reducitur.

Hac ratio nunc erit per se nota, nunc ex alia priore deducenda.

Animaduertendum est tamen, aliquando rationem, quæ à voluntate reddi potest, esse per se notam, aliquando ex alia priori esse deducendam. Nam, quemadmodum roganti, cur videamus niuem, apte respondere possumus, quia colorem habet, & tamē, si idē vlterius roget, cur videamus colorem, seu (quod idem valet) cur color sit obiectum visus, ineptè eius rei rationē reddere conabimur, cum D per se notum sit colorem esse obiectum visus ita in voluntate posse accidere. Quanquam enim quærenti ab aliquo cur ex duabus vestibus, altera serica altera gosipia, potius velit sericam, apte is respōdeat, quia serica est melior, tametsi eligat minus bonam, aut alterā è duabus eiusdē omnino materiæ & formæ, ac magnitudinis, non poterit aliam vlteriorē rationem reddere, nisi quia voluit eam eligere. E Prior enim responsio apte redderetur ex cōmuni ratione obiecti voluntatis, vt voluntas est, quod quidem est bonum. Posterior autē ex peculiari ratione eiusdem voluntatis vt libera est, quandoquidem est bonum non necessario expetendum. Est enim per se notum, voluntatem, quatenus volūtas est, suapte natura ferri in bonum vt bonum, & eo magis, quo magis bonum; quatenus autē libera est, ferri in illud quod non necessario expetitur, quodcunque libuerit. Illud porro addendum, F cum voluntas eligit aliquid minus bonum relicto meliori, non eligere illud vt minus bonum siue deterius: iam enim excederet fines sui obiecti, cum deterius, quatenus tale, & à bono deficit, eatenus non sit bonum, sed malum.

Ex quibus patet, non recte sentire eos, qui

Falli qui putant in eo, quod eligitur, semper debere cerni rationem aliq. melioris.

dicũt semper in eo, quod eligitur cerni oportere rationem aliquam melioris, qua voluntas alliciatur, vt illud potius eligat, quã quod in electione prætermittit. Nam etsi intellectus noster, quia non omnia cognoſcit, ſicuti ſunt, duabus quibuſuis rebus ad electionem propoſitis, nititur quoad poteſt inuenire rationem maioris bonitatis in minus bona, aut in ea, quæ videtur æque bona, vt maiori cum luce ac certitudine proponat voluntati eius obiectum (*vt nimirum voluntas nihil boni in electione imprudens prætereat:*) tamen cum ei liquido cõſtat alteram eſſe minus bonam, aut vtramque æque bonam, frequenti admodum experientia compertum eſt, non arctari voluntatem, vt in priori euentu meliorem eligat: aut in poſteriori ab electione facienda ſeſe cohibeat, ſed ſæpe rem minus bonam aut æque bonam eligere: tunc enim multo perfectius ſuam libertatem exercet, quam cũ non eligit niſi quam intellectus dictat eſſe meliorem: aut, quia neutram videt vllum habere bonitatis exceſſum, ab eligendo abſtinet.

Vt in eo imitamur ſummam Dei libert.

Quod cũ facit, magis imitatur perfectiſſimam Dei libertatem, qui omnes rerum gradus euidentiſſime cognoſcens, multa eligit faciẽda: quæ minus perfecta in ſe ſunt, quam alia infinita, quæ ab eo fieri poſſent, & omnium perfectiſſimo Redemptionis modo genus humanum redemit, cum poſſet aliis ſufficientibus longe tamen in ſe minus perfectis, vt omnes Theologi aſſerunt. Itaque ſolus Deus in eligendo non tenetur reddere rationem ſui facti, quia eius voluntas eſt ipſa eius ſumma ratio, & ſapientia, in eumque ſolum illud conuenire poteſt, *ſit pro ratione voluntas*; quod & Paulus plane ſignificauit, cum dixit: *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Neque enim opus fuit, vt diceret *ſecundum conſilium intellectus ſui*, quia eius voluntas ex natura rei eſt formaliſſime eius intellectus. Qua in re docuit veram & germanam diuinarum actionum rationem tum reddi cum de Deo dicimus, *optime fecit, quia quod voluit fecit*. At nos propterea paſſim tenemur aliũde rationem reddere electionum noſtrarum, quam ex voluntate noſtra, quia noſtra voluntas non eſt ipſa noſtra ratio, quæ eſt noſtrarum actionum regula. Tunc autem ex voluntate noſtra reddere poſſumus factorum noſtrorũ rationem, cum libera nobis relinquitur electio minoris boni relicto maiori, aut vnius æqualis relicto altero æquali, veluti in eligendo ſtatũ coniugii relicto cœlibatu, qui perfectior eſt, aut in eligendo vnius artis exercitio, relicta profeſſione alterius ſimilis: quibus in reb⁹ propterea liberiores ſumus, magiſq; diuinam liber-

Cur is non tenetur ſuæ elect. rationẽ reddere; nos tenemur.

Ephes. 1.

Cur nos nos etiam interdum teneamur.

A tatem imitamur, quia vtramque partem licite atque etiam ſancte, indifferenter amplecti poſſumus.

Qua neceſſitate quis iudicio vniuerſali ſingulare adhibens operari debeat.

Ad quartum dicendum eſt, quando Ariſt. eo loco docet, cum quis iudicio vniuerſali de re agenda adhibet ſingulare, neceſſe eſſe vt continuo agat, intelligendum eſſe de eo, qui voluntatem habet efficacem rei obtinendæ: dum enim eam voluntatem non deponit, neceſſe eſt vt continuo (*hoc eſt data occaſione*) eius obtinendæ cauſa operetur: alioqui plane cõ-B uincetur, depoſuiſſe efficacem voluntatem, quam habebat, nec retinuiſſe niſi fortaſſe quoddam inefficax eius obtinendæ propoſitum. Vnde patet eam neceſſitatem agendi, quam eo loco ponit Ariſtot. ſimpliciter quidem eſſe neceſſitatem quoad ſpecificationem, quia dum non deponitur voluntas illa efficax, non poteſt is, qui ſic affectus eſt, oppoſitum velle, data autem occaſione agendi, C iam neceſſitatem eſſe non ſolum quoad ſpecificationem ſed etiam quoad exercitiũ, quia ſuppoſita voluntate efficaci, & occaſione oblata, neceſſario ex ea ſuppoſitione ſequitur operatio, niſi quid impediat. Voluntas enim efficax ea dicitur quæ data occaſione ſemper habet effectum niſi impediatur, vltimi argumenti ſolutio ſequentem poſtulat quæſtionem.

Quænam voluntas efficax.

Soluitur ad fin. ſolt. 4.

D

Detur ne aliquis actus malus in voluntate ſine vlla ignorantia in intellectu?

QVÆST. IV.

Proponuntur duæ oppoſitæ ſententiæ, earumque argumenta.

E

SECTIO I.

DIFFICVLTAS vltimi argumenti ſuperioris quęſtionis poſtulat ſolutionem illius grauis & antiquę dubitationis, poſſit ne cum perfecta ſcientia in intellectu dari actum malum in voluntate: ſeu (*quod idem eſt*) dari ne poſſit aliquis actus malus in voluntate ſine vlla ignorantia in intellectu.

Scot. q. 1. Gabr. ead. diſt. & in 2. d. 22 q. 2. Och. q. 12. Henr. quodl. 1. q. 17. & quodl. 10 q. 10. Baſſol. in 3. d. 25. Argen. in 2. d. 23. art. 2.

Scotus enim in tertio d. 36. & ibidem Ochamus, Gabriel, & alii complures affirmant F dari poſſe. Primum, quia frequenti experientia id oſtendi videtur: plurimi enim peccant de induſtria, qui autem de induſtria peccant, prætendere non poſſunt vllam fragilitatis aut ignorantiæ excuſationem: neque ab eis talis excuſatio admittitur, ſed ea ſola de

cauſa

causa rei tenentur, quod peccauerint, quia peccare voluerint.

Affirm. sent. argumenta.

Deinde, quia satis est si intellectus iudicet, aut etiam solum apprehēdat, in actione peccati esse aliquid vtilitatis, aut voluptatis, vt voluntas alliciatur ad peccandum, cuiusmodi iudicium, aut apprehensio non continet vllum errorem intellectus, seu falsitatem, vt qui eius ductu peccant, ex ignorantia peccare dici possint.

Tertio quia cum plena scientia & vniuersalium & singularium rerum, quæ voluntati proponuntur, & omnium circumstantiarum cuiusque actionis, datur in voluntate libertas tum contraria agendi, tum etiam agendi & non agendi, ac proinde plusibus modis peccandi: potest igitur dari peccatum in voluntate sine vlla ignorantia in intellectu.

Cap. 2.

His rationibus addunt auctoritatem, non modo humanarum, sed etiā diuersarum scripturarum. Aristot. enim 2. Ethicorum docet scientiam de moribus parum aut nihil valere ad virtutem, quod non dixisset, si cum perfecta scientia dari non posset peccatum contra bonos mores. Diuus quoq; Augustinus multis in locis ait homines sæpe peccare contra conscientiam: sentit ergo nos peccare posse contra exactam scientiam. Conuentus etiam Parisiensis nonnulla decreuit communi consensu in hanc sententiam, nempe errorem esse si quis dicat, ratione existente recta, necessario voluntatem esse rectam, & illud, erroris quoque notandum esse eum, qui asserat post conclusionem syllogismi deliberatiui de agendo vel non agendo, voluntatem nō posse in oppositum. Denique Lucæ 12. ait Dominus: *Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis.* Et Iacobi 4. dicitur *scienti bonum facere, & non facienti peccatum est illi.* Ex quib. locis & aliis compluribus perspicuum videtur dari posse peccatum in voluntate sine ignorantia in intellectu.

Citantur hi art. Parisien à Scoto, & aliis.

Addunt & factum in Angelis, qui peccauerunt, & in protoparente, cum primum transgressus est diuinum præceptum. Neq; enim in eo actu felicitatis naturalis, in qua & Angeli ante peccatum, & primus homo in statu originalis iustitiæ fuit, præcedere potuit primum peccatum ignorantia, cum hæc ad miseriam pertineat, quæ peccatum secuta est.

Negatiua sent. Caiet. & Conrad. eod. loco & Capr. in 3. d. 1. q. 1.

Communior tamen Theologorum sententia est, non posse dari peccatum in voluntate sine aliqua ignorantia, aut inconsideratione in intellectu. Eamque tenet Diuus Th. 1. 2. q. 77. art 2. & aliis plerisque locis, & eius doctrinæ sectatores, Durandus item 2. d. 5. q. 1. & alii plurimi, quam his argumentis nituntur probare.

Argumenta. De diuin. nomin. c. 4.

Primum, quia (vt D. Thomas argumentatur) voluntas, cū peccat, non potest appetere malum, vt malum est, nemo enim respiciens ad malum operatur, vt Dionys. ait: necesse est igitur, vt quidquid peccando appetitur, simpliciter quidem malum sit, sed tamen appetatur, quatenus non simpliciter sed modo aliquo bonum est, h. e. vtile aut delectabile: siquidem, quatenus honestum, nihil mali appetitur: at nemo sine peccato appetere potest, id, quod simpliciter malū est, etiamsi modo aliquo sit bonum, nisi præcedente errore aliquo, aut inconsideratione, in intellectu iudicante illud appetendum esse.

Deinde, quia nemo ea sola ratione peccat, quia intellectus iudicat actionem hanc vel illam prauam esse bonam siue conuenientem ad hoc vel illud obtinendum, sed quia iudicat esse bonam supposito, à quo exercetur: nunquam enim bonum appetitur, nisi sit aut putetur esse conueniens ipsi appetenti, iuxta illud Aristotelis 8 Eth c. 2. *Amabile bonum, vnicuiq; autem proprium*; at hoc iudicium semper est erroneum, seu falsum, aut inconsideratum.

Tertio, quia ad bonam actionem opus est imperio prudentiæ, quæ est omnium bonarū actionum norma, ergo pari ratione in omni actione praua cernitur imperium imprudentiæ, hoc autem semper est coniunctum cum aliquo errore, aut inconsideratione.

Postremo idem confirmant ex Arist. 7. Eth. cap. 3. dicentem, opinionem distantem, quid hic & nunc agendum sit, esse dominā nostrorum actuum; dictare autem, seu iudicare faciendum esse id, quod facere non licet, semper est erroneum.

Examinantur vtriusq; sententiæ fundamenta.

SECTIO II.

Prioris sent. fundamentum est, non determinari voluntat. ab intellectu.

IN hac igitur tantorum virorum controuersia, pro priori quidem sententia animaduertendum est, totum eius fundamentum in eo consistere quod voluntas non determinatur ab intellectu, vt superius ostensum est, sed potius ipsa illum determinat ad alteram oppositionis partem, vt etiam Aristoteles hoc capite & capite 5. docet. Cum ergo res ita habeat, perspicuum est, etiamsi ab intellectu depellatur omnis ignorantia, & inconsideratio, nunquam tamen intellectum determinatum esse voluntatem ad alteram partem oppositionis, semper enim voluntas manebit indifferēs ad vtrāuis: determinaret autem

tem illam manifeste, si ex omni recto iudicio intellectus (*hoc est, ab omni ignorantia & inconsideratione libero*) sequeretur necessario rectus voluntatis actus, id est, bonus moraliter, ita vt eo iudicio posito nullus posset moraliter male operari.

Qua sint satis ad omnē depellendam ignor.

Posse autem depelli ab intellectu omnem ignorantiam & inconsiderationem, quæ malum actum præcedunt, ex eo patet, quia ad id satis sunt duo præsidia tam naturæ, quam gratiæ, quæ nulli denegantur. Vnum est duplicis notitię: alterum vnius considerationis, seu ponderationis. Nam si quis cognoscat genus peccati, quod committendum offertur eiusque grauitatem, & cōsequentem reatum: deinde videat actum committendum ad illud peccati genus pertinere: postremo consideret, quam sit minor vtilitas, aut voluptas actus committendi, qua voluntas allicitur, quam grauitas culpæ & consequentis reatus, quo deterretur, depulsa iam erit omnis ignorantia, & consideratio, quæ actum malū præcedere possunt. Nulla enim iam erit cognitio aut consideratio, quam voluntas sibi defuisse causetur ex parte intellectus, eiusque superni auxilii, quo Deus cum illo concurrit, etiamsi alia plurima ignoret, & ea inter seipsa non conferat. Atqui nemo est, qui non sæpe experiatur in seipso hanc duplicem cognitionem, & vnicam considerationem, seu ponderationem, præsertim cum in ea occasione tētatur, qua vacuus est passionibus, aut leui aliqua tangitur.

Tria notantur in huius sent. arg.

Tria tamen sunt, quæ in argumentis pro ea sententia propositis, notari possunt. Vnum est non recte dici in secundo solam apprehēsionem intellectus satis esse, vt voluntas ducatur ad appetendum, neque opus esse iudicio bonitatis seu conuenientiæ rei appetēdæ: id enim falsum esse nunc supponatur, inferius ostendendum. Alterum est illud Aristotelis ex secundo Ethicorum, non omnino ad rem esse, siquidem Aristoteles non loquitur in ea re de scientia, seu notitia singulari, sed vniuersali, qualis est scientia moralis; hæc enim aut parum iuuat ad bonos mores, aut etiam nihil, si voluntas cum doctrina non concurrat: proportionē tamen seruata, ea ratione ad singularem notitiam accommodari potest quia neq; ita quicquam prodest, si voluntas auersa sit. Tertium est illud de peccato Angelorum, & prima transgressione primi parentis, posterioris sententiæ defensoribus non placere. Multi enim sunt, qui, etsi cōcedunt non præcessisse peccata illa ignorantiam illius duplicis notitiæ quam diximus, astruunt tamen præcessisse considerationem, seu defectum illius ponderationis, quam addidimus: in Angelis quidem, quia peccauerint occupati affectu propriæ excellentiæ: in primo autem parente, quia affectu inuitantis vxoris. Verum tamē cum defectus considerationis, aut negligencia quædam sit quæ peccatum est, aut alia ratione ad defectum aliquem illius felicitatis pertineat: non dubium est, quin prior sententia ea ratione in hac re sit præferenda posteriori quo plus felicitatis tribuit illis statibus, & plus culpæ (*vt par est,*) iis peccatis, quæ in eis commissa sunt, prælertim cum propter illa grauissimæ pœnæ inflictæ sint.

Varii modi defendendi posteriorem sent.

Pro opinione autem posteriori operæ pretium est videre, quam multis modis ea defendi soleat à sectatoribus D. Tho. quem quasi illius patronum scholastici agnoscunt. Alii enim dicunt, cum D. Th docet non dari peccatum in voluntate, nisi præcedat falsum aliquod iudicium, aut saltem inconsideratio, intelligendum id esse vt plurimum, qua intelligentia argumentis superioris sententiæ facile respondent. Verum hæc eorum expositio neque congruit cum ipsa conclusione D. Tho. sæpius vniuerse & sine vlla exceptione asserta, adeo vt eam in illis etiam felicibus Angelorum, & primi hominis statibus, veram esse velit: neque etiam cohæret cum ratione, qua illa probatur. Si enim verum est nunquam malum appeti, nisi apprehendatur sub ratione alicuius boni, neque vnquam malum apprehendi vt bonum, nisi falso, & ignoranti iudicio, necessario efficitur, nunquam omnino ex eius sententia dari actum malum in voluntate, quin detur in intellectu falsum, & deceptorium iudicium, aut inconsideratio.

Primo; vt plurimum præire peccato intellectus errorē. Reiicitur.

Præoccupatur responsio.

Et quamquam ab his respōderi possit D. Th. in loco citato quæstionis 77. non agere nisi de peccatis ex passione commissis, vt patet ex titulo eius articulo, in quo quæritur: *Vtrum ratio superari possit à passione, contra suam scientiam*, hoc est contra rectum iudicium, idq; etiam colligatur ex veteri illa quæstione eo loco repetita, in qua Socrates sentiebat tantam esse vim scientiæ practicæ iudicantis hoc vel illud esse faciendum, vt nulla passio ei posset resistere: tamen quæstione sequenti art. 7. ad primum, plane se Diuus Thom. explicat asserens in omni peccato, etiam ex malitia commisso (*in quo nulla videtur esse ratio ignorantia*) reuera ignorantia laborari. Quanquam enim sciatur, peccatum esse id, quod committitur, tam in generali, quam in particulari, tamen semper in eo cernitur aliqua ignorantia, quia non consideratur maius malū esse, quod peccando incurritur, quam bonum, quod resistendo obtinetur. Quod quo pacto verum sit, paulo post patebit.

Alii

Secundus modus. Vide Cordub. lib. 2. q. 13.

Alij volunt D. Th. vniuersè quidem loqui A vt nunc ostensum est; sed vt se argumentis oppositæ sententiæ defendant, vtuntur ratione illa, quæ secundo loco pro sententia illius proposita est, credentes voluntatē nunquam labi in peccatum nisi cum sequitur intellectū iudicantem hoc, vel illud hic & nunc, omnibusque consideratis, tanquam simpliciter bonum huc supposito esse faciendum, vel non faciendum: cum tamen non sit illi bonū simpliciter, licet sit bonum ad hoc vel illud, B veluti ad diuitias comparandas, aut ad honores obtinēdos. Quod iudicium eorum nōnulli appellant practice practicum, quia absolutum est, & de re omnino determinata, determinatis etiam circumstantiis, vt loci, & temporis, ac modi agendi. Sed neque hi rectè sentiunt ostendimus enim superiori quæstione etsi ad agendum libere, aut libere ab actione abstinendum, necessariū est iudicium de re particulari hic & nunc agenda, aut non C agenda: tamen non necesse esse, vt illud sit absolutum, in quo falsitas esse potest: sed satis esse, si sit conditionatum, in quo potest, non esse falsitas.

Falso eum niti fund.

Tertius.

Alij deinde plura, quam hi, requirentes, non ex quocunque falso iudicio aut inconsideratione, sed ex iudicio imperatiuo, rem vniuersè ostendere conantur. Dicunt enim ante omnem actum liberum, seu bonus, seu malus sit præcedere in intellectu imperium eius a- D ctus. Vnde cum omne imperium includat iudicium absolutum (*qui enim dicit, fac hoc, aut, ne facias, absolute & sine conditione indicat id faciendum esse, aut non faciendum*) colligunt illi nunquam elici actum malum à voluntate, nisi præcedente peruerso iudicio intellectus, aut inconsideratione aliqua. Hæc tamen explicatio longius aberrat à vero, quam superior. Nam imperium intellectus, quo aliquis actus voluntatis imperari dicitur, pen- E det ab alio voluntatis actu præcedente, quo absolute monetur intellectus ad illum imperandum, seu intimandum: is autem prior actus voluntatis non potest non esse malus, cū moneat ad imperandum malum: quare, cum non procedatur in infinitum in quærendis retro malis actibus voluntatis præcedentibus, sed necessario veniatur ad aliquem malum, qui non eliciatur à voluntate, præcedente in ea alio priori malo: efficitur, vt saltem F ille non eliciatur præcedente in intellectu vllo iudicio imperatiuo. Adde, quod in actibus expresse deliberatis nūquam intellectus concludit imperatiue syllogismū deliberatiuū, sed ostensiue tam in bonis, quā in malis: cum omnis conclusio indicatiua sit, non imperatiua: id autem sat est, vt voluntas amplectatur, aut reiiciat id, quod conclusum est: neque ad id necessarium est imperium, siue imperatiua intimatio, nisi ad executionem inferiorum facultatum, aut ad eliciendum alium vlteriorem actum voluntatis, vt inferius patebit. Quod autem dicimus de actibus expresse deliberatis, intelligendum pari ratione est de deliberatis virtute. Accedit illud quod diximus de iudicio conditionato, quod satis esse ostendimus, siue ad bonos voluntatis actus, siue ad vitiosos: quod iudicium longius abest ab imperatiuo, quam indicatiuum, siue ostensiuum tantum.

Ita Capr. Caiet. & Cōrad. locis citatis.

Longius à vero abesse hoc fund.

Quart° mod.

Alij arctius adhuc reducunt sententiam D. Tho. ad iudicium imperatiuum prudentiale, seu (*quod idem est*) supponens appetitu rectum. Sed contra hos illud obiici potest, non videri tribuendum eum sensum D. Th. in re præsertim adeo graui & controuersa, cum pene per se notum sit non esse admittendum, nec nisi ferme pueriliter in hac quæstione adhiberi possit. Id enim nihil est aliud, quam dicere, non posse dari actum malum in voluntate præcedente iudicio prudentiali in intellectu, sed necessario præcedere debere imprudens iudicium: quis enim de hac re dubitet? Accedit, quod 1.2.q.78. citata, art. 2. ad 1. ipse D. Th. reducit ignorantiam omnis peccati ad ignorantiam scientiæ, non ad ignorantiam prudentiæ, seu ad imprudentiam, vt luce clarius est, cum dicat in omni peccante præcedere defectum scientiæ. Deniq; contra hanc explicationē pugnat illud de iudicio imperatiuo, qualecunque sit, quod in superiori damnatum est.

Indignū eum esse mente D. Th.

In quonam sensu vera sit posterior, communiorque sententia?

SECTIO III.

Duplex ignorantia formalis, & interpretatiua.

VT igitur in re difficili aliquid dicamus quod cum grauissima D. Thom. autoritate congruat, atque adeo cum Aristotelica sentētia, quam eandem esse existimamus, distinguenda nobis primum videtur ignorantia in formalem, & interpretatiuam: vt formalis dicatur defectus scientiæ, hoc est veræ cognitionis, interpretatiua autem defectus cōsiderationis, aut eius efficaciæ: ita vt ignorātia interpretatiua complectatur duas quasi species: vnam, quæ sit defectus considerationis, seu ponderationis maioris mali, quod incurritur quam sit vtilitas aut iucunditas, quæ percipitur: altera quæ sit defectus efficaciæ huius considerationis: sæpe enim intellectus adeo inefficaciter confert malum quod peccando incurritur, cum bono, quod

obtinetur, vt videatur eam collationem non A facere. Nam etsi is, qui hanc cõsiderationem non habet, aut inefficaciter habet, scire possit, aut etiã sciat, nec solum habitu, sed etiam actu, maius esse malum, quod incurritur, quam bonum, quod obtinetur; tamen perinde voluntas se gerit in ea re, ac si id ignoraret, aut non consideraret.

Nõ vult semper D. Th. qui peccat habere formalẽ ignor. sed saltem interpret.

Iuxta hanc ergo distinctionem facile est ostendere, sic esse intelligendã, aut certe intelligi posse Diui Thomæ, communioremque B grauiorum autorum sententiam. Neq; enim, si de formali ignorantia intelligatur, verum esse põt, quod ille ait in quæstione citata, omnesq; vidẽtur probare, nullum malũ committi posse, nisi percipiatur sub ratione boni, quod est falsum iudicium: quandoquidẽ hoc iudicium non cernitur formaliter in omni peccato, quia nec in peccato Angelorum, nec in transgressione primi hominis, quem Paulus deceptum non esse in præuaricatione asserit; neq; etiam iis, qui exercitati sunt in motib. animæ cognoscendis, si quando sunt passionibus vacui, aut leuiter iis tangũtur, vt superius diximus: & tamen verũ est, si de interpretatiua intelligatur, vt in moralib. intelligi sæpe necesse est. Qui enim tentati prædictam considerationem in re tanti momenti nõ habent, aut inefficaciter habent merito cẽsendi sunt ignorare actum illum vel in genere, vel in indiuiduo esse malum, vel certe ignorare maius esse malum peccare, quam vtilitate, aut voluptate peccati priuari. Nam & eos, qui postquam conferunt malum cum bono, nihilominus peccant, quia veluti apertis oculis se dant præcipites in peccatum, potius interpretari oportet carere in ea re considerationis vsu, quã scientes, aduertentesq; id facere; vt si quis nimis intẽtus in rem aliquam apertis oculis in foueam incidat. Id quod Arist. li. 7. Ethicorum cap. 3. sapienter docet, dum ait, incontinentes cum propter scientiam, rectũque iudicium, quod de vniuersalibus habent, profitentur se rectum dictamen habere in singularibus actionibus, aut reuera non habere de iis rectum iudicium; aut si habẽt, non esse illud rectum censendum in materia morali, quæ tota dirigitur ad rectas actiones, à quibus illi animo auersi sunt, nec de actibus virtutum aliter loquuntur, quam temulenti, cum carmina Empedoclis, grauesq; eius sententias proferunt. Sic enim intelligendus est F Aristot. eo loco, cum de vltima enuntiatione practici syllogismi, quam continens quasi doctus, & sciens colligit, sic ait, *Hanc aut non habet, qui in passione est: aut certe sic habet, vt etiam habere non sit scire, sed ebriorum more dicere Empedoclis carmina.*

1. Tim. 2.

C D E

Decisio quæstionis propositæ.

Itaque, vt in forma colligatur responsio ad quæstionem propositam, dicendum est, non esse necesse ante omnem actum voluntatis præcedere vllam ignorantiam formalem, sed aut formalem, aut interpretatiuam: atque in hoc posteriori sensu negatiuam quæstionis partem esse veram. Quod si sermo sit de sola ignorantia formali, tunc veram esse primam Thomistarũ expositionem, qua dicunt eam partem esse veram vt plurimum, quandoquidem ante omnia peccata, quæ ex ignorantia committuntur, perspicue præcedit aliqua ignorantia, ex qua illa oriuntur: quæ autem committuntur ex passione, (*quorum multitudo apud nos est omnium maxima*) maxima quoque ex parte admistam habent præcedentem ignorantiam, corrumpente nimirum vt plurimum passione rectum iudicium: quę deniq; ex pura malitia perpetrantur, hoc est, sine vlla formali ignorantia, aut inconsideratione, aut etiam passione iudicium corrumpente, rarissima sunt apud nos; etsi probabilius sit hoc peccatorum genere peccasse primum hominem, & multo probabilius Angelos, qui ceciderunt. Id quod ad maiorem eorum interpretatiuã inconsiderationem referri potest, quod maiorem lucem habuerint, quam ij de quib. Isaias cap. 42. sic ait, *Quis cæcus, nisi seruus meus? & surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? Quis cæcus, nisi qui venundatus est? & quis cæcus, nisi seruus Domini? qui vides multa, nonne custodies? qui apertas habes aures, nonne audies?* Vnde & Aug. in paruis soliloquiis cap. 34. *Miseri, qui nesciunt, quid amittant, & miseriores vtique, qui sciunt quid amittunt, qui cadunt apertis oculis, & descendunt in infernum videntes.*

Non dari malum actum in voluntate sine formali ignorantia consequente in intellectu.

SECTIO IV.

Assertio.

SI vero quæstio intelligatur non de ignorantia præcedente actum voluntatis, sed consequente, (nam & hunc sensum admittit quæstionis titulus) vniuerse dicẽdum est, nullum actum malum dari in voluntate sine formali ignorantia in intellectu. Putamus enim iam dudum necessario dicendum esse, quandocunq; voluntas malum eligit, (*tametsi sub ratione alicuius boni, aut veri, aut apparentis*) semper in intellectu consequi iudicium absolutum, quo actum voluntatis approbet, atque adeo exequendum præcipiat, si is actus efficax est, ac tendit in exercitium alicuius actus vlterioris; vt est actus, quo voluntas eligit exercitiũ alicuius operis externi, aut motionem membrorum, subiectarumve sibi potentia-

Semper electionem sequitur actus intellect. saltem approbatiuus.

tentia.

ventiarum) ita vt etsi ante iudicasset melius A fore, si voluntas oppositum eligeret, tamen eo ipso, quod voluntas hoc vel illud eligit simul etiam determinetur intellectus ad illud approbandum. Vnde fit, vt cum actus voluntatis est malus, necessario iudicium approbatiuum illius sit erroneum, seu falsum.

Rem autem hoc pacto se habere ex eo primum patet; quia quemadmodum positis pronuntiatis per se notis non potest intellectus contemplatiuus nō assentiri conclusionibus, B quæ ex illis deducuntur: ita positis bonis per se intentis (*seu vera illa sint, seu apparentia*) non potest intellectus practicus non approbare actus voluntatis, seu elicitos, seu imperatos, qui ab illa diriguntur. Neque obstat, quod aliquando intellectus videtur reprobare id, quod voluntas amplexus est, aut probare, quod illa reiicit. Si enim voluntas adhuc persistit in eodem actu absoluto, reprobatio illa, aut approbatio intellectus, quæ videtur pugnare cum actu voluntatis, non pugnat absolute, cum re vera, si introspiciatur, condi- C tionate tantum se opponat opposito, absolutoq; iudicio. Quo pacto in ipsa etiam voluntate aliquando videntur esse repugnantes actus, vt cum Sapiens de homine pigro dicit, *Vult & non vult piger*, laborare scilicet: nec tamen sunt repugnantes, non enim vult absolute & efficaciter velleitate tamen quadam & conditionate vult, vellet enim laborare, si labor ei molestus non esset. Itaq; cum voluntas ad aliquem actum malum se determinat, optaret quidem intellectus illum nō approbare, nec re vera approbaret, si volūtas id, quod ipse ante iudicabat, amplecteretur: at quando contra ab ea factum est, non potuit ille factum non approbare. Id quod Paulus indutus personam peccatoris docet, cum ait, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*, hoc est, trahentē me, vt approbem id, quod lex mentis reprobabat.

Præuenitur obiectio.

Prou. 13.

Rom. 7.

Deinde non recte videretur consulere autor naturæ liberis actibus voluntatis, nisi dedisset intellectui propēsionem naturalem ad approbandum simpliciter, & absolute, quidquid illa simpliciter & absolute vellet; licet antequam ea se determinaret, illi se opponeret iuxta sanas agendi regulas. Nisi n. hæ potentiæ hoc pacto conuenirent, non dubium, F quin molesta, & impedita esset rationali creaturæ earū societas. Id quod Bernar. innuit in libro de libero arbitrio, *Est ratio*, inquit, *data voluntati, vt instruat illam, nō vt destruat*. Nam quemadmodum ille mox subdit, [*Destrueret autem, si necessitatem vllā imponeret quominus pro arbitrio suo sese volueret*,] ita par est adiungere: molestam & laboriosam ei futuram intellectus societatem, si illa pro potestate sua se determinante ad hanc vel illam partem intellectus cum ea non conueniret.

Tertio, quia voluntas nunquam se determinat ad hanc vel illam partē oppositionis, nisi præcedente aliquo iudicio intellectus vel absoluto, vel conditionato, quod sequatur, vt supra dictum est, si ergo sequitur absolutum, illud idē conuertatur necesse est directiuo in approbatiuum: (*neq; enim potest intellectus non approbare, quod absolute faciendum iudicauit*) sin autem sequitur conditionatum, consequens est, vt posita iam electione illud ex conditionato mutetur in absolutum. Verbi causa, si dictante absolute intellectu hominis improbi committendum hic & nunc esse peccatū, nihilominus eius voluntas sequatur iudicium illud conditionatū, quo intellectus simul dictabat non esse eiusmodi peccatum committendum, si parendum esset Deo prohibenti: mutato vtiq; fine peccatoris ex malo in bonū consequens est, vt iudicium ea de re conditionatum, posita iam in actu voluntate parēdi Deo, transeat in absolutum.

Vt iudiciū directiuum transeat in approbatiu. & conditionatum in absolut.

Accedit etiam ratio, quæ desumi potest ex Aristotele 3. Ethicorum cap. 5. cum ait, *Qualis vnusquisque est, talis ei videtur finis*, & 2. Rhetoricorum ad Theodecten c. 1. cum scribit. *Amantibus, & obedientibus non eadem videntur*. Est n. horum locorum, & aliorum simi- D lium sententia, iudicium intellectus sequi affectum appetitus. Quod si iam tunc, cum voluntas nondū statuit, quid sequatur sed solū inclinat in alteram oppositionis partē, intellectus quoq; ad eandem approbandam propendet, & eius rei gratia scrutatur rationes, quib. illi obsequatur, quāto propensius inclinabit ad approbandū eius actum iā absolutum, & derminatum. Vsque adeo hoc certum E est, vt ex solo malitiæ cōtagio intellectus fiat cœcus iuxta illud Sapientiæ 2. *Excæcauit enim illos malitia eorum*. Quod si malitia, quæ maxime ex omnibus causis peccati oculata videtur esse, cœcum reddit intellectum, quanto magis illud excæcabit passionis perturbatio? Quāquam Sapiens eo loco accipit malitiam pro quocunque malo actu, aut effectu peccatricis voluntatis. Quin etiam eo serpit corruptio intellectus à malo actu, aut affectu appetitus siue sensitiui, siue rationalis, causata, vt etiam lædere possit, & sæpe lædat eius iudicium circa ipsa prima rerum agendarum principia, liberis alioqui existentibus intellectu, & voluntate. Id quod Theologi docent, & sæpius Aristoteles 3. 6. & 7. libro Ethicorum satis innuit: tantamque differentiam in æstimatione boni, & mali moralis esse ait

Intellectus sequitur, vt affectum, sic & absolutū actū voluntat.

Corruptio à volunt. profecta lædit intellectum etiam circa prima princ. practi.

Cap. 3. libro 1. eiusdem operis in diuersis nimirum A Rebuspublicis, vt ea non natura, sed lege positiua constituta esse videantur: quod compluribus exemplis facile ostendi potest.

Solut. arg. positi sup. q. sect. lit. B. Ex his ergo facile soluitur vltimum argumentũ eius sententiæ, quæ in superiori quæstione refutata est, cuius causa præsentem disputationem suscepimus. Dicendum est enim, duo illa Aristotelis, & diuinæ Sapientiæ loca tribus modis posse intelligi, & omnibus vere ac propriè. B Vno, si intelligantur de ignorantia formali antecedente malum voluntatis actũ, non tamen semper, sed vt plurimum. Altero de ignorantia antecedente, formali tamen, vel interpretatiua, quæ semper præcedit. Tertio de ignorantia, quæ semper consequitur malam voluntatis operationem. Atque hic tertius sensus germanior videtur esse, cum vterq; locus de homine, qui iam malus est, & male agit, aperte loquatur: non de eo, qui vel temporis, vel naturæ ordine futurus est malus, aut male acturus, vt sensus sit: Omnis, qui male operatur, imprudenter agit, etsi maxime sibi in ea re videatur prudens. Huiusmodi enim ex stimata prudentia semper erroneum iudicium includit, nempe absolutum de re mala simpliciter, tanquam bona simpliciter, quia simpliciter approbatur ab eo, qui peccat. Scotus, & alij complures nec de ignorantia præcedente, nec de consequente intelligunt eadem loca, & alia similia, sed de errore vitæ, vt aiunt, vt in eis significetur non ignorantia, & error cognitionis, ac iudicij, sed ipsius electionis, quæ est actus voluntatis: vt iis in locis dicantur non bene eligere, qui operantur malum. Sed, cum ignorantia ad intellectum pertineat, ad quem pertinet opposita scientia, seu certa cognitio, quælibet præcedentium expositionum magis congruit iis, & similibus pronuntiatis, magisque ad rem est in hac disputatione, quã hæc Scoti. Cœtera, quæ in eodem argumento adduntur, ex iis, quæ hactenus dicta sunt, facillime intelligi possunt.

Triplex sensus locor. sacræ script. & Arist.

Tertius germanior.

Locis citatis sect. 1.

Num voluntas seipsam determinet ad omnes actus liberos?

QVÆSTIO V.

Argumenta, quæ astruunt non posse illam se ipsam determinare ad actus primos, idq; videri sensisse D. Thomam.

SECTIO I.

Ratio dubitandi. ETSI ex superioribus quæstionibus patet cœteras potentias, quæ modo aliquo sunt rationales ac liberæ, à voluntate determinari quoad actus liberos, siue quoad exercitium, siue quoad speciem actus: non satis tamen inde constat, num illa se ipsam determinet ad omnes huiusmodi actus. Quanquam enim ex prioribus actibus circa fines sibi propositos se ipsam mouere potest, ac determinare ad eligenda hæc vel illa media interuentu consilij, tamen non videtur se ipsam mouere posse, seu inducere, ac determinare ad primos, quos elicit circa fines tum primũ sibi propositos: cum non præcedant alij priores, ex quibus discurrere possit ad eligenda media, quibus illos assequatur. Huiusmodi autem sunt primi actus operandi, aut etiam intendendi fines, qui nobis tum primum occurrunt, veluti cum primum quis peruenit ad vsum rationis, aut inchoat negotium aliquod pro re, de qua obtinenda nunquam cogitauerat. Cum enim tunc voluntas ex nul- C lo actu priori inducta sit ad eam rem expetendam, necessario quærendum videtur, quidnam illam mouerit, ac determinauerit ad eiusmodi actum, cum, ex se esset ad illum indeterminata.

Quod igitur illa se ipsam determinare *Arg.* non possit ad primos actus liberos, ex eo primum probatur, quia vt intellectus est pura potentia ad omnes actus intelligendi, ita & voluntas ad omnes actus volendi: atqui in- D tellectus non se determinat ad primos actus assentiendi, qui sunt actus approbandi prima principia, sed à primo autore naturæ ad eorum assensum determinatur: ergo nec volũtas ad primos suos actus, appetendi nempe bonum, vt bonum est, summumque bonum, ac demum omnes fines, quandocunque non appetuntur propter alios fines, sed est etiam ab autore naturæ determinata ad eorum appetitionem.

E Deinde, quia omnes actus liberi cadunt sub electionem, vt Aristoteles sæpe ait: cum igitur omnis actus, qui cadit sub electionem, cadat etiam sub consilium, cuius interuentu fit electio: primi vero actus voluntatis non cadant sub consilium, quia in omni consilio supponitur aliquis actus voluntatis prior, quo intenditur finis in consultatione propositus, ad quem obtinendum facienda est mediorum electio: sequitur, vt primi actus vo- F luntatis non cadant sub eius determinationem.

Postremo, quia voluntas non potest se ipsam determinare, ad eum actum, ad quem erat in potentia, nisi se ipsam mouet ad illum exercendum: (siquidem mouere se nihil est aliud, quam se è potentia in actum reducere) cum ergo ipsa non possit simul esse mouens

mouens, & mota, nisi quatenus per aliquem priorem actum mouet, & per se ipsam suscipit motum vlteriorem; (*hoc enim pacto duntaxat potest in ea dari distinctio mouentis, & moti*) fieri nō potest, vt illa se ipsam moueat ad primos actus, ac proinde se ad eos determinet.

Sentent D. Thomæ. Diuus Tho. 1. 2. q. 9. art. 4. hanc negatiuam quæstionis partem amplecti videtur. Ait enim voluntatem non mouere se ad primos actus, sed à principio extrinseco moueri, ab obiecto quidem quoad specificationem, à Deo autem quoad exercitium. Eius sententiam ipsius sectatores varie exponunt, vt illam ab argumētis Scoti, Henrici, & aliorum complurium defendant.

q. 1. ar. 3. ad 8. contra 5. concl. q. 2. art. 3. ad arg. & Hen. Scot. Capreolus enim in 2. d. 24. & 25. existimat voluntatem ex opinione D. Thomæ mere passiue se habere ad primos actus, aut si non se habet omnino passiue, aliquid recipere à Deo, quo possit primos actus elicere, idque ad Deum pertinere, quia est naturæ autor: neq; id esse miraculum, quia ordinarium est, nec aliter fieri potest, quemadmodum non est miraculum creatio animæ rationalis, quæ ad generationem hominis omnino est necessaria. Probatque expositionem hanc, ac sententiam suam, ex eo potissimum, quia voluntas ante actum primum, aut antequam recipiat aliquid, quo eliciat primum actum, non est in actu primo, quo aliquem actum possit producere.

Caietanus in locum citatum D. Thomæ, Ferrariensis in tertium contra gentes ad cap. 89. & alii Thomistæ, sic exponunt D. Thomā, vt non credant eum putasse voluntatem se habere mere passiue ad primos actus suos; sed propterea dixisse illos esse à Deo, quia Deus speciali quadam ratione, mediante voluntate tanquam naturæ autor eos effectiue producit: quo fere modo grauia, & leuia à generātibus mouentur, concurrentibus etiam ipsis grauibus, & leuibus ad suos motus effectiue quidem, sed quasi instrumētaliter, causandos. Quanquam inter eos hoc discrimen est; quod alii existimant voluntatem concurrere ad eos motus & physice, (hoc est vere effectiue) & moraliter, alii autem physice, sed non moraliter, quia non præcedente consilio.

Vera quæstionis resolutio.

SECTIO II.

Assertio quadrimembris. DIcendum est tamen, etsi voluntas non se mouet ad primos actus liberos motu excitatiuo, sed à Deo tanquam naturæ, aut gratiæ autore, tamen mouere se ad illos, quēadmodum & ad cæteros non primos, motu determinatiuo, nec D. Thomam ab hac sententia alienum esse, sed potius hoc pacto exponendum.

Pro intelligentia primæ partis aduertendū est, aliud esse mouere voluntatem (*si proprie loquendum est*) aliud eā determinare ad alteram oppositionis partem. Multa enim mouēt voluntatem, quæ illam non determinant, vt obiecta, quæ illi ab intellectu, & sensib. etiā mediante intellectu proponuntur, suasiones etiam, quæ afferuntur, vt illa aliquid amplectatur, aut reiiciat, causæ quoq; naturales, quæ varios affectus, aut spōtaneos, gratosque, aut molestos nobis ingerunt, tametsi non omnino voluntarios, vt lætitiam, mœrorem, spem, diffidentiam, & alios similes, quos externæ causæ, veluti sol aut luna, imprimunt, vel ex ipsa corporis dispositione oriuntur: Denique Deus ipse non solum vt autor gratię sæpe nos mouet illustrando intellectum, & commouendo affectu aliquo voluntatem, vt aliquid velimus, aut nolimus, quoad supernaturalem beatitudinem sit proportionatum, sed etiam vt autor naturę aliquando nos excitat, vt magni alicuius momenti opus, arduumve quid aggrediamur, quod ad naturalem felicitatem pertineat, aut vt malum aliquod magnum aut extraordinarium euitemus, quam diuinam motionem etiam Philosophi agnouerunt. Nec tamen vlla huiusmodi causarum motio nostram voluntatem determinat, aut etiam determinare potest ad vllum actum liberum, aut liberam eius cohibitionē, suspensionemve, vt ostendimus lib. 6. Itaque hæ omnes causæ modo aliquo disponere possunt, & præparare voluntatem ad aliquem actum liberum, aut liberam actus abstinentiam, determinare autem nō possunt, cum proprium & peculiare sit voluntatis seipsam determinare, quod nihil est aliud, quam eligere, quēadmodum proprium, & peculiare est animalis comedere, ambulare, & alia huiusmodi, quæ causas cum eo ad comedendum, & ambulandum concurrentes denominare non possunt.

Aliud est mouere volunt. atq. eam determinare.

Vide Arist. 2. magn. moral. c. 9. & lib. 7. moral. Eud. c. 17. & 18. Cap. 2. q. 5.

Diximus autē [*Si proprie loquendum sit*] quia causæ etiam superiores aliquando dicuntur mouere inferiores sibi subordinatas ad particularium effecta, quatenus cum eis ad illa concurrunt: verum is loquendi modus improprius est, cum sensus nō sit, quod motum in eis efficiāt, sed quod cum eis efficiant motum, quo ipsæ inferiores sua effectā producunt vt lib. 5. explicatum est.

Causæ superiores vt moueant. infer. Ad c. 2. maxime q. 9. 1. Asser. pars: Non excitari volunt. à se ipsa ad primos actus liberos.

His ergo sic expositis prima pars propositæ assertionis ex eo perspicue constat, quia motus, quo se voluntas excitat ad eliciendum

dum actum, quo alteram oppositionis partē eligat, non est alius, quam is, quo ipsa in extentione alicuius finis procedit ad electionē mediorum, neque alius fingi potest: hic autē progressus non cernitur inprimis in actibus liberis, vt nunc explicati sunt, alioqui necesse esset redire retrorsum in infinitum quærendis huiusmodi progressibus.

Secunda; moueri à Deo vt autore naturæ, aut gratia.

Secunda pars ex eo probatur, quia ad Dei prouidentiam, siue vt autor est naturæ: siue vt autor gratiæ, pertinet expedire potentias omnium creaturarum, vt quæque suo modo proprias operationes exercere possit. Quo pacto per obiecta externa excitat externos sensus, & per externos internos, & per hos intellectum, & vtrumque appetitum. Eo etiam modo ac ordine disposuit hanc rerum vniuersitatem pro omnibus temporibus, ac momentis, vt ipsi, vel directiue, vel permissiue tribuendis sit occursus, & cōcursus omnium rerum naturalium, quibus aliæ ab aliis excitantur. Propter quos excitandi modos ipse etiam sæpe, aut præter, aut supra naturæ ordinem per se ipsum, aut Angelorum ministerio expedit, aut impedit quarundam rerum potentias, vt vel possint operari, vel aliarum facultates impedire. Quia vero solis facultatibus intellectus, & voluntatis datum est, vt, cum aliquem actum ediderunt, ad alios eliciendos se ipsæ excitare ac mouere possent, (*tametsi intellectus naturaliter, voluntas autem libere, vt supra dictum est*) idcirco excitatio earum ad primos actus eisdem tribui non potest; sed necesse est recurrere ad ordinem diuinæ potentiæ, quæ sic omnia disposuit, vt hæ duæ potentiæ, antequam seipsæ excitare possent ad vllum actum, ad primos eliciendos extrinsecus excitarentur. Itaq; vt intellectus habita notitia principiorum sua ipse naturali sagacitate se mouet, ac discurrit ad habendam notitiam conclusionum: ad ipsam vero principiorum notitiam non se ipsum mouet, sed mouetur, & excitatur ab ipso diuinæ prouidentiæ ordine: ita voluntas postquam rem aliquam propter eam ipsam appetiuit (hic enim appetendi actus necessario est primus, ne in infinitum abeamus in quærendis prioribus) ex ea prima appetitione se excitare ac mouere potest ad aliquam aliam exercendam. Ad ipsam vero primam appetitionem se ipsam excitare non potest quia necesse foret, vt alia priore appetitione ad illam excitaretur, sed mouetur & excitatur ab eodem ordine diuinæ prouidentiæ, quæ talem dispositionem in rebus instituit, vt voluntati tunc primum hoc, vel illud obiectum plena aduertentia cognitum offerretur, quod sic oblatum libere amplecti, aut reiicere posset.

q. 5 sect. 2.

A Quod si quis obiiciat primos huiusmodi actus posse esse malos; ergo, si Deus ad illos mouet, ad peccatum vtique mouere: respondendum est Deum non mouere in hoc casu voluntatem, seu (vt purius loquamur) non expedire liberum arbitrium, vt operari possit, quidquid malit, vt ita voluntas malos actus eliciat, sed vt bonos, ad quos solum ipsa naturaliter propensa est, tametsi ea pro sua libertate malos etiam sic ad bonos expedita, eliciat. B Et quanquam Deus sæpe mouet, siue excitat ad actus quosdam arduos & heroicos, aut etiam naturæ facultatem superantes, ad eosque exercendos vires subministrat, nunquam tamen quenquam determinat ad huiusmodi etiam actus, tametsi ad eos efficaciter mouet, ad effectumq; producit, cum in iis occasionibus id facit, in quibus præscit vnūquemque eiusmodi motionib. obediturum, vt dictum est lib. 6.

Quid ad actus malos etiam Deus expedit voluntatem.

Cap. 2 q. 5.

C Tertia pars ex superioribus quæstionibus perspicua est, cum in eis probatum sit voluntatem, nec quoad exercitium nec quoad specificationem actualem, determinari ab intellectu, à quo maxime determinari videri posset. Itemq; ex eo probatur, quod cum ipsa vtroq; modo determinet intellectum, & alias potentias, quæ libertatem modo aliquo participant, vt etiam ex dictis constat, nō potest ab vlla earum determinari: alioqui huiusmodi potentiæ se inuicem impedirent, neq; esset D in nobis potentia vlla huius generis, quæ absolute dominaretur cæteris, quod absurdum est, & contra Arist. qui c. 5. proæresim, hoc est, voluntatem, vt libera, & electiua est, dominā facit etiam ipsius intellectus, qui natura sua suprema est potentia, quod aliter intelligi nō potest, nisi quoad determinationem eius ad alteram oppositionis partem. Adde, quod, vt voluntas se ipsam determinet ad eliciendum E actum amplectendi, aut nō amplectendi rem propositam quātumcunque propter se expetibilem in hac vita, satis est, si ea proponatur cum plena aduertentia intellectus cognoscētis non esse necesse, vt tunc eliciat vllum actū circa illam: at eam hoc modo proponi posse, dum sumus in via, nec cognoscimus summū bonum, sicuti est, nemo est, qui dubitet Accedit, quod si voluntas ab alio, quam à se ipsa, determinaretur ad alteram oppositionis parF tem, etiamsi esset à Deo, non essent eius actus liberi, nisi respectu determinantis, & eligentis alteram partem, ipsaq; iam non eligeret, sed eligenti obediret, ac proinde nō esset formaliter libera, eiusque actus non essent libere ab ea eliciti, sed libere ab alio imperati, quę omnia dici nullo modo posse, ex superioribus manifestum est.

Tertia asser. pars.

Vide q. 3. Volunt. se ipsam determinare etiā ad primos actus lib. Ead. quæst.

Text. 10.

Ad hoc quid sit satis.

Quarta

Non dissentire à nobis D. Th.

1.2.q.9.ar.4.

Non eum negare dari actus volunt. liberos, qui præcedant consilium.

Quarta pars eo libentius probanda nobis est, quo plures sunt, à quibus hac in re D Thomas immerito carpitur. Nam quod quidam existimant, illum in loco citato asserere, eos actus voluntatis, quos non præcedit consilium, non esse liberos, sed necessario elici, alienissimum est ab eius doctrina, tum quia sæpe docet, nullum voluntatis actum in hac vita esse necessarium, quoad exercitium, sed, quemadmodum elicitur, ita etiam posse non elici. Tum etiam, quia ibidem non agit de solis actibus voluntatis circa bonum, vt bonum est, aut circa id, quod concipitur vt omni ex parte bonum, qualis est beatitudo: *fortasse enim aliqui eorum dicant, illum vocare hos actus primos, eosq; facere necessarios quoad specificationē, non quoad exercitium)* loquitur enim plane de omnibus actibus primis circa quamlibet rē, q̄ tum primum propter se, & nō propter aliam expetitur, idq; non quoad exercitium, vt ipse expresse docet, sed quoad specificationem. Tum denique, quia non priuat merito huiusmodi actus primos, quasi sint primo primi, vt vocantur ii, qui sine plena aduertentia eliciuntur, nec humani actus, sed hominis appellantur: præsertim cum dicat Angelos primis suæ voluntatis actibus meruisse, cum interim certum sit, omnem actum meritorium esse liberum. Iam qui volūt, illum existimare hos actus à solo Deo produci, aperte pugnant cū eius non solum sententia, sed etiam verbis expressis: ait enim eo loco Deum concurrere cum voluntate nostra ad eos actus, tanquam primam causam, voluntatem vero nostram tāquam proximam: nec loquitur de efficientia Dei tanquam causæ particularis, quo pacto solus ipse producit animam rationalem, & dona gratiæ, quando illa sine sacramentis infundit. Vnde inter eos non desunt, qui existiment, nulla alia ratione D. Thomę sententiam defendi posse, nisi asserendis duobus actibus in voluntate nostra, quandocunque libere aliquid volumus: vno, qui à solo Deo effectiue causetur, quo feramur in bonum, qui bonum est, aut etiam in felicitatē, quatenus completum est bonum, & cuius ratione cætera bona expectamus, altero, qui à Deo simul & à nobis producatur, quo feramur in particularia bona, seu fines propter summū bonum, siue vltimum finem: quod nullam habet vel speciem probabilitatis. Idem enim actus voluntatis fertur in bonum particulare, & in bonum, quod de omnibus bonis particularibus dicitur, quemadmodum eadem est actio, quia substātia particularis fit, & qua omnia communia eius prædicata essentialia, nisi quod huiusmodi actio attribuitur Deo in producenda qualibet re naturali, quate-

Nec credere eos à solo Deo produci.

Capr. locis cit.

Cum quid libere volumus, non dari in voluntate duos actus.

A nus est ens, aut substantia, aut etiam substantia corporea, quatenus autem talis res particularis, eatenus tribuitur agenti particulari. Nec etiam est necesse, vt quandocunque rem aliquam particularem appetimus, eam propter felicitatem appetamus, sed satis est, si vel propter aliquam felicitatis partem, vel omnino non propter quicquam aliud, sed propter eam ipsam.

Difficultas in D. Thom. mente exponenda.

B Tota difficultas in eo posita est, quo pacto intelligendum sit id, quod ait, voluntatem quoad eos primos actus, de quibus est quæstio, nō moueri à se, sed à Deo. Nam cum illa à se, suaque libertate ex non volente fiat volens, & ex volente non volens, aut etiam nolens, etiam tunc cum elicit primos actus liberos, non videtur vlla ratione negari posse, illam à se ipsa moueri, cum à negatione actus primi ad primum actum transitum facit. Verum ex diuisione motus, qua ex superiore

Tollitur.

C quæstione vsi sumus in 1. & 2. parte assertionis, omnis difficultas tollitur, & Diui Thomæ sententia dilucide explicatur. Eius enim mens est, non moueri voluntatem à se ipsa motu excitatiuo ad actus primos, moueri tamen ad omnes seu primos, seu non primos motu suo determinatiuo, ad alteram videlicet oppositionis partem. Id enim conceptis verbis affirmat ad calcem citatæ quæstionis, cum sic ait: *Deus mouet voluntatem hominis sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac vniuersali*

Art. 6. ad 3.

D *motione* (hoc est, concursu, vt superius exposuimus, vsurpat enim improprie verbum *Mouendi* in ea parte sui pronuntiati) *homo non potest aliquid velle, sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum* Hæc ille Neque obiicias D. Thomam significare his verbis voluntatem posse determinare se ad solos a-

E ctus secundos, non ad primos, eo quod dicat [*per rationem*] quasi dixisset [*per consilium:*] id enim primum pugnat cum eo, quod sæpe docet, vt paulo ante dictum est, voluntatem ad nullum actum necessitari in hac vita necessitate exercitii, ita vt non possit non prodire in illum, quod si potest ex se prodire, & non prodire ad primos, ergo & indifferenter se determinare ad illos, aut ad eorum cohibitionem. Deinde latius patet determinari ratione, quam consilio. Nam determinari ratione,

Latius patet determinari ratione, quā consilio.

F est determinari iudicio, quod potest fieri sine discursu, vt cum quis appetit rem aliquam, quia iudicat eam sibi esse modo aliquo bonā, seu conuenientem, sine quo iudicio nihil appetimus, vt ex solutione argumentorum patebit, at determinari consilio, nunquam accidere potest sine discursu.

Volun-

Voluntatem non esse potentiam pure passiuam.

SECTIO III.

SED pro solutione argumentorum, quæ initio proposita sunt, tractãda est dubitatio illa, sitne voluntas potentia pure passiua, an actiua etiam? nam quod nullo modo sit passiua, nemo est, qui asserat.

Sent. eorum qui volunt intellect. passibilem, & Volunt. esse potent. pure passiuas.

Sunt, qui dicant intellectum possibilem, & voluntatem esse potentias pure passiuas, neutramque facultatem se ipsam mouere, sed vtramque à solis phantasmatibus lumine intellectus agentis irradiari, ordine tamẽ quodam, ita vt prius intellectus, deinde voluntas ab eis moueatur. Hos autores referunt Scotus, & alii ad 24. & 25. distinctionem secundi sententiarum, quorum hæc fere sunt argumenta.

Arg. astruitur. *Text. 12.* *Text. 17.* *Text. 70.*

Primum, quia mouens, & motum sunt distincta subiecto, seu re ipsa, vt colligitur ex primo capite huius libri, & ex capite duodecimo libri quinti, tum quia alioqui idem moueret se primo, quod fieri nequit, vt patet ex septimo & octauo Physicorum, quia tale debet esse mouens in actu, quale est mobile in potentia: nihil autem potest esse simul actu, & potẽtia respectu eiusdem formæ. Tum etiam, quia omne mouens refertur realiter ad mobile, ac proinde distinguitur realiter ab illo.

Text. 70.

Alterum, quia materia, & efficiens non coincidunt in idem numero, vt dicitur secundo Physicorum cap. 7. patiens autem se habet vt materia respectu agentis. Atque hæc argumenta sunt communia intellectui, & voluntati.

Cap. 5. tex. 52

Tertium, quia agens approximatum, patiente disposito, necessario agit: (hinc enim est, cur Arist. dicat in secundo de Anima, si sensus esset actiuus in se, semper vtique ageret, quẽadmodum ignis approximato combustibili) quo fieret, vt voluntas semper esset in actu amãdi se ipsam, aut saltem, quia libera est, posset esse semper in eo actu, quod tamen nemo dixerit.

Vltimum, quia, nisi voluntas esset caussa effectiua sui actus, nobilior esset effectus, quã causa efficiens, quod fieri nequit, in causis præsertim æquiuocis, qualis foret, inquiunt, voluntas respectu sui actus, si esset eius productiua? Prima sequela probatur, quia nobilior est voluntas actu volens, quam ipsa per se sumpta, quo pacto fingitur ea productiua sui actus. Ita concludunt sola phantasmata irradiata lumine intellectus agentis mouere

A intellectum, & voluntatem ad suos actus, ipsaque intelligendi, & volendi potentias esse pure passiuas. Quod si quis dicat phantasmata, quibus repræsentantur obiecta & intellectus, & inuoluntatis, seu (quod eodem redit) in ipsa obiecta vt eis repræsentata, esse necessaria ad intelligẽdum, & volendum tanquam res, siue conditiones, sine quibus nec intellectus intelligeret, nec voluntas vellet, non tamen tanquam veras causas effectiuas actuum intelligendi, & volendi, sed ipsas potentias intellectus, & voluntatis producere huiusmodi actus, præsentibus rerum phantasmatibus: respondent nihil momẽti id habere, quia eodem modo dicere quis posset, ignem non comburere lignum appositum, sed ipsum lignum se ipsum comburere præsente igni, tanquam conditione, sine qua se non combureret.

Dur. in 2. d. 24. q. 2. Arg. d. 25. q. vn. art. 1. Huius sent. censura. Rationibus omnino sim refellitur.

Verum hæc opinio, quam Durandus damnare non audet, Argentinas vero plane sequitur, eamque suo Doctori Ægydio ex parte ascribit, absurda est admodum, & quod ad voluntatem attinet, videtur errorem continere, non tantum in Philosophia, sed etiam in Theologia. Primum, quia de ratione actus immanentis est, vt sit in ipso agente, quod patet vel ex ipso immanendi verbo, significat enim oppositam conditionem ei, quam declarat verbum transeundi, nempe in aliud patiens ab agente diuersum: constat autem omnes actus intellectus, & voluntatis inter immanentes præcipue numerari. Deinde, quia nemo negauerit omnes actus intellectus, & voluntatis esse vitales, cum sint excellentissimæ omnium trium vitarum operationes: actus autem vitales, vt vitales sunt, à principio interno viuentis producantur necesse est, etiamsi non recipiantur ab ipso viuente, aut ab ea parte viuentis, à qua producuntur: patet in actu deambulationis, digestionis alimenti, generationis viuentium, & similibus: etsi ergo actus intelligendi, & volendi non reciperentur in intellectu, & voluntate, tamen quia vitales sunt ad animam rationalem pertinẽtes, ab aliqua eius potentia, aut potentiis producantur necesse est, neque ab aliis, quam ab intellectu & voluntate.

Omnis pot. pure passiua est ad vnum determinata

Tertio, quia omnis potentia pure passiua est, rationis expers, seu (vt ab Aristotele in hoc capite definitur) ad vnum duntaxat effectum determinata, ad eum videlicet, ad quem actiua potentia præsens, & non impedita eam determinat: neque enim vllo modo resistere potest, cum sit apta, & præparata ad recipiendam omnis agentis impressionem: constat autem intellectum, & voluntatem in rationalibus præcipue numerari, & esse ex se ipsis

ad

ad opposita effecta indeterminatas. Adde, quod phantasmata nihil recipiunt ab intellectu agente, quasi irradiante illa, vt per qualitatem aliquam ab eo receptam agere possint, siue in intellectum possibilem, siue in voluntatem, vt lib. 5. diximus. Postremo, quia phantasmatum actio quæcunque illa sit, est naturalis, & vni addicta: ex quo fit, vt intellectum & voluntatem indifferenter ad alteram oppositionis partem determinare non possint. Atq; hæc satis sint pro intellectu simul, & voluntate.

Cap. 28. q. 8. art. 2. & 3.

Impugnatur quoad voluntatem.

Ad voluntatem autem per se hæc alia peculiari ratione pertinent. Primum, quia potentia pure passiua non potest esse libera libertate contradictionis, quæ est plena: & absoluta libertas, cum non possit non recipere actionem agentis debite propinqui, & expediti: negant igitur plenam, & absolutam libertatem voluntati, qui illam faciunt pure passiuã, quod non solum vere Philosophiæ, sed etiam sacræ Theologiæ dogmatis repugnat. Deinde: quia si voluntas esset pure passiua, non posset vtique peccare: quia nec pati malum est malum, nec pati iniustum est iniustum, vt Aristoteles ait quinto Ethicorum, quod etiam Theologi recipiunt: quemadmodum nec præmium virtutis meretur, qui libere non agit. Postremo, cum voluntas omnes sibi obedientes potentias ad suas operationes applicet, vt experientia cõstat, & superius ostensum est: aliquam actiuitatem ex se habeat, nec sit pure passiua, necesse est. Vnde fit, vt non solum in humanis, sed etiam in diuinis literis omnis culpa humanarũ actionum voluntati tribuatur. Qua de re sic Augustinus loquitur lib. 5. de Ciuitate Dei c. 10. *Voluntates nostra faciunt, quidquid volentes facimus: quod non fieret, si nolemus.* Cum autem ab his petitur, quonam pacto in potestate volũtatis esse possit operatio, quæ in ea fit ab alio agente, non concurrente ipsa effectiue ad illam respondet Argentinas, ea ratione eiusmodi operationẽ esse in eius potestate, quia voluntas consentire potest, & non consentire agenti, à quo mouetur, non autem quia te ipsa aliquid agat. Si enim is, qui hinc inde trahitur à duobus dicitur aliquid agere, cum ab hoc aut illo duci se sinit: non quod re vera quidquam agat, sed quod alteri resistat, ab altero vero se trahi patiatur. Verum, vt alia huius responsionis absurda mittantur, nec quæratur à quo sit effectiue is consensus voluntatis, *(quod illi explicare non potest)* certe illud, quod ait de resistentia, falsum omnino est: cum potentia pure passiua nulli impressioni agentis resistere possit, quia ex æquo natura sua est præparata ad quamlibet actionem accipiendam, vt iam diximus: quo fit, vt, si agentia hinc inde sint æqualium virium in agendo, neutri eorum possit illa consentire, ne simul admittat contrarios actus: sin autem alterum fortius agat, non valeat eadem illius impressionem recusare.

q. 3. sect. 2.

Refellitur.

Soluuntur argum.

Neq; argumenta pro hac opinione quicquam efficiunt. Nam etsi verum est, nihil primo in se ipsum agere, semperq; necesse est aliquam esse distinctionem inter agens, & patiens, vt ex locis citatis in prima argumentatione colligitur, nosq; ad caput primum admisimus: non tamen inde sequitur voluntatem non agere in se ipsam, quandoquidem voluntas non agit in se ipsam primo, hoc est, ipsa sola: eodemq; modo spectata, sed simul cum obiecto, aut intellectu: de qua re paulo inferius disputabitur. Vnde patet responsio ad secundum.

Ad tertium respondet Argentinas voluntatem semper esse in actu semipleno amando se, quia vt Augustinus 10. de Trinitate capite 3. & 4. ait, volũtas semper se diligit: quod etiam in Angelis D. Thomas videtur concedere 1. p. q. 60. ar. 3. Sed quia hic nõ agimus de semipleno actu voluntatis, *(qui non potest esse actus, sed habitualis quædam propensio)* non admittimus voluntatem semper esse in actu amandi se, aut posse in hac vita semper esse in eius actus continuatione, vt experientia constat.

Ad vltimum dicendum, si voluntas sola esset productiua suorum actuum fore, vt præstantior vtiq; esset totalis effectus quam eius causa efficiens: at non ita rem habere patebit ex dicendis.

An voluntas feratur in bonum tantum, vt bonum est?

Sectio IV.

Negatiua pars.

Negatiuam partẽ sibi persuadent Ochamus in 3. sententiarum q. 13. Ioan. Maior in 2. d. 28. q. 1. & alii nonnulli. Quibus forsasse occasionem dedit, quod Scotum in ea viderint ancipitem in 1. d. q. 4. & in 2. d. 43. q. 2. Eorum argumenta præcipua hæc fere sunt.

Aug. l. 2. Confes. rum moral.

Arg. pro ead.

Primum, quia peccare ex malitia, nihil est aliud, quam velle malum sub ratione mali: vnde eos malignos appellamus, qui de industria, non ex ignorantia, aut passione aliqua, sed flagitii committendi causa peccant. Id quod Augustinus in confessionibus sibi accidisse narrat, cum fructus alienos sola lædendi causa puer surriperet.

Lib. 2. c. 4.

Deinde, quia inuidus lætatur de malo

Ee ee proxi-

proximorũ, vt malum est, & (quod est consequens) dolet de eorum bono, vt est bonum.

Tertiò, quia non esset voluntas nostra plene libera, nisi malum, quemadmodum & bonum, posset amplecti: est enim libera quoad vtramq; oppositionis partem: non dubium ergo, quin voluntas possit etiam malum, vt malũ est, amplecti. Quod idem diuinæ Scripturæ videntur confirmare, cum dicunt, oppositum nobis esse hic bonum, & malum, vt alterutrum liberè possimus eligere: & cum asserunt quosdam de industria à Deo recessisse. Vnde vel ea sola de causa, vt experiamur omnem libertatem, possumus velle malum, vt malum est.

Vt Deut. 30. & Ecc. c. 15.

Iob. 34.

Quarto, quia ita se habet voluntas ad bonum, & malum, vt intellectus ad verum, & falsum: at intellectus & verum vt verum, & falsum vt falsum percipere potest: ergo & voluntas amplecti non solum bonum, vt bonum est, sed etiam malum, vt malum est.

Quinto, quia vt in nobis esse possunt habitus inclinantes ad bonum, vt bonum est, cuiusmodi sunt omnes habitus virtutum: ita etiam inclinantes ad malum, vt malum est, quales sunt habitus vitiorũ: at voluntas ferri potest in obiecta suorum habituum, quemadmodum & illi: ergo æque in mala, vt mala sunt, atq; in bona, vt bona.

Postremo addi & illud potest, voluntatem esse non solum possibilium, sed etiam impossibilium: (*multa enim appetimus, quæ possibilia non sunt, vt beati non peccasse, postquam peccauerunt, & damnati Deum non esse peccatorum vindicem*) at quod impossibile est, bonum nõ est, quemadmodum neque ens: possumus igitur aliquid appetere, vt bonum non est, ac proinde vt malum.

Contra affirm.

Partem oppositam asserunt Patres omnes post Dionysium capite quarto de diuinis nominibus cum ait, neminem ad malum respicientem operari: itemque, malum esse præter voluntatem: ac demum, omnia bonum appetere. De qua re plurima Augustinus, & reliqui Patres. Causa vero huius rei optima redditur à Diuo Thoma 1.2. quæst. 8. articul. 1. ex ratione ipsius appetitus. Nam cum appetitus nihil aliud sit, quam inclinatio quædam appetentis in aliquid conueniens: conueniens autem idem sit ac bonum, quod cũ ente conuertitur: (neque enim eius boni ratio in eo consistit, quod ens sit perfectum in suo quodque genere, aut in eo, quod existat in rerum natura, quod non recte quosdam existimasse diximus lib. 4.) efficitur, vt omnis appetitus sit inclinatio in aliquod bonum. Sed hoc est discrimen, quod appetitus naturalis est inclinatio in id, quod re vera bonum est [illegible] uus autem, & rationalis, seu intelle[illegible] id, quod sensui, aut intellectui videt[illegible] siue illud re vera bonum sit, siue appa[illegible] bonum. Cum ergo voluntas sit appetitus intellectiuus, fit, vt non inclinet, nisi in id, quod intellectui bonum, siue conueniens videtur.

Vide Aug. de Trin. c. 3. & in Enchir. [illegible] [illegible] [illegible] praedest.

Eius fund. ex D. Thom.

[illegible] 1. q. 7. [illegible] 8.

De prima huius argumentationis propositione non est, quod laboretur: tum quia inductione patet: tum quia appetitus datus est vnicuique rei, vt se conseruet atq; perficiat: res autem non conseruantur, nec perficiuntur, nisi iis, quæ conuenientia, & accommodata sunt ad ipsarum naturas. Ad hanc autem huius affirmatiuæ partis probationem, quam Diu. Thomas inchoauit reuocantur omnes, quæ afferri solent: qualis est illa, ita se habere voluntatem ad bonum & malum, vt se habet intellectus ad verum & falsum: intellectum autem non assentiri nisi vero, aut verisimili, seu quod verum videtur: ergo nec voluntatem amplecti nisi bonum, aut quod videtur bonum. Et illa non alia ratione [illegible], quod melius est, magis mouere voluntatem, (*in quolibet nimirum genere boni, honesti scilicet, vtilis, aut delectabilis*) nisi quia magis continet, aut continere videtur rationem bonitatis, seu conuenientiæ pertinentis ad illud genus: ergo adæquata ratio obiecti voluntatis est bonitas, siue conuenientia rei, seu vera [illegible] stimata, seu in quolibet genere eorum, quæ ab illa appetuntur.

Corroboratur fundamentum.

Hæc tamen, vt melius intelligantur, aduertendum in primis est, etsi bonum, quod conuertitur cum ente in cõmune sumptum, dicitur idem esse, quod conueniens absolute: tamen contractum, siue applicatum cuique rei appetenti, idem esse, quod conueniens ipsi rei appetenti. Hoc enim est, quod Aristoteles octauo Ethicorum capite secundo explicauit, cum dixit, *amabile bonum [illegible] que autem proprium*: quo etiam pronunciato sapienter explicauit illud, quod quasi basim materiæ moralis posuerat ipso initio eius operis, *Bonum est, quod omnia appetunt*. Vnde [illegible] si multa bona appetũtur & naturaliter, & [illegible] faliter, quia sunt aliis rebus conuenientia: (*hac enim ratione aniculæ nidos præparant pullis collocandis, ac fouendis, eisq; nutriendis [illegible] runt homines vero in [illegible] [illegible] sæpissime non sua, sed amicorum placita, [illegible] respiciũt*) tamen ea ipsa, quæ aliis appetuntur, ipsis etiam appetentibus sunt accommodata: [illegible] eo magis, quo excellentius, ac proinde conuenientius cuiq; rei est, aliis se communica[illegible] re, suoq; modo extendere, & quasi multi[illegible] care, quam indigentis more ab aliis a[illegible]

[illegible]nde fit, vt, quo magis quisque se exuere videtur suis commodis, vt Dei gloriam, aut proximorum salutem procuret, eo ipse ex eadem re maiora bona percipiat.

[illegible]

Bonum est non materia[illegible], sed formale obiectum voluntat.

Deinde illud animaduertendum est, cum dicimus voluntatem esse tantum boni, seu (*quod idem est*) bonum esse adæquatum obiectum voluntatis: intelligendum id esse non de obiecto materiali, sed de formali. Potest enim à nobis malum directo, ac expresse appeti, non tantum aliis, sed etiam nobis ipsis, vt perspicuum est in inuido, & auaro: ille enim directo appetit malum alterius: auarus autem cum se bonorum suorum vsu de industria defraudat, malum sibi directo, & ex instituto vult, ac infert. Verum hoc etsi est appetere malum vt malum: non est tamen appetere malum, quia malum appetenti, hoc est, quatenus appetenti inconueniens est, aut ipse sibi inconueniens esse iudicat: cum re vera hi illud appetant, quia ipsis conueniens est, aut videtur, vel ad vindicandam alterius iniuriam, vt in inuido, vel ad bona sua seruanda aut accumulanda, vt in auaro: imo & in eo etiam, qui se laqueo suspendit, vt se præsenti aliquo malo aut vero, aut æstimato liberet.

Tribus modis accipi malum, & solum tertio expeti nequire.

Denique ex his colligendum est, malum siue inconueniens tribus modis spectari posse: vno indirecte, seu quatenus per accidens coniunctum cum bono, seu conuenienti: altero directe, & expresse, siue ex instituto: tertio, vt rationem expetendi aliquid. Et quanquam dici solet malum, non nisi primo modo esse expetibile, re tamen diligentius expensa dicere possumus etiam secundo modo expeti posse, quandocunq; rationem aliquã cõuenientis inducit: nullo autem pacto posse expeti tertio modo, quia iam excederet limites obiecti formalis cuiusvis appetitus. Quanquam secundus etiam modus dici potest appetendi per accidens, quia appetitur ratione coniuncti boni, qua loquendi forma nos aliquando vsi sumus.

Vill. 4. c. 1. q. 7. [illegible] [illegible] D. Th. [illegible] q. 16. [illegible] 13. q. 9. [illegible] 2. d. 34. ar. 1. q. 3. Gab. q. 1. ar. 3. [illegible] 9. [illegible] 14. [illegible]

Dicendum igitur voluntatem non ferri in obiectum (hoc est, non versari circa illud actu prosecutiuo) nisi quatenus rationem aliquam boni aut veri, aut æstimati induit, siue malum, quod in eo est, directo ac expresse expetatur ratione talis boni, siue solum per accidens, & indirecte. Atq; hæc est communis Theologorum sententia, excepto Ochamo, & aliis perpaucis: in quam tandem Scotus venit 4. sent. lib. ad d. 49. q. 10. cum in 1. & 2. de hac re dubitasset.

Quare ad primum argumentum in oppositum dicendum est, peccare ex malitia non idem esse, atq; velle malum sub ratione mali, sed velle malum non ex ignorantia, aut passione, sed eo cognito, & sedato etiam appetitu: qua ratione puer Augustinus furtum cõmittebat ingenii, aut industriæ cuiusdam ostendendæ causa, non quia fructibus indigeret, aut vt gulæ appetitui seruiret. Atque hi dicuntur maligni, quia malum cognitum de industria committunt: tametsi id nunquam faciunt nisi ratione alicuius adiuncti, aut veri, aut apparentis boni. Vnde patet solutio secundi argumenti.

Posse malum qua malum amplecti non pertinet ad libertatem.

Ad tertium dicendum non pertinere ad plenitudinem libertatis, posse voluntate malum, qua ratione malum est, amplecti, tum quia alioqui Deus non esset plene liber: tum etiam, quia iam voluntas transiliret limites sui obiecti formalis. Quod autem dicitur voluntatem esse liberam quoad vtramque oppositionis partem, de partibus oppositionis faciendi & non faciendi, aut faciendi hoc vel illud intelligendum est, modo vtraque pars contineatur sub obiecto formali voluntatis. Neque alio modo diuinæ Scripturæ intelligendæ sunt, siue cum dicunt oppositum nobis esse bonum, & malum, vt alterutrum libere eligere possimus: siue cum eos, qui de industria peccant, acrius reprehendunt. Quanquam Eliû apud Iobum capi. trigesimoquarto non ait eos, de quibus loquitur, de industria à Deo recessisse, sed quasi de industria quia videlic. ipsum malum auersionis à Deo potuerunt non directo expetere, sed indirecte, ac per accidens, vt pro suo arbitratu creaturis abuterentur. Quo fit, vt ne experiendæ quidem suæ libertatis causa, quisquam possit malum propter ipsam malitiam amplecti. Eodemque modo dicendum est: neminem posse bonum ratione ipsius bonitatis, seu conuenientiæ reiicere, aut auersari: licet per accidens possit, aut etiã directo, & expresse propter malum aliquod adiunctum, seu vt tale æstimatum.

Quo sensu, et modo se habeant voluntas circa bonum & malum, et intellectus circa verum & falsum.

Ad quartum dicendum ita se habere voluntatem ad malum, & bonum actibus prosequendi, & fugiendi, seu auersandi, vt se habet intellectus ad verum, & falsum, actibus assentiendi, & dissentiendi, seu reprobãdi iuxta illud Aristotelis 6. Ethicorum cap. 2. *Quod est in cogitatione affirmatio, & negatio (hoc est iudicium approbatiuum per assensum, & reprobatiuum per dissensum) idem esse in appetitu prosecutionem, & fugam.* Vnde cum percipere verum, vt verum est, & falsum, vt falsum, nihil aliud sit in actu exercito, vt vocatur, quã approbare verum, & reprobare falsum, non recte ex ea similitudine concluditur, posse voluntatem, & bonum vt bonum, & malum vt malũ, amplecti: sed illud amplecti, hoc auer-

sari. Quod scite explicat D. Thomas 1.2.q.8. ar.1. cum ait, etsi actus, quo voluntas bonum amplectitur, recte etiam voluntas vocatur, quemadmodum & ipsa potentia: tamen actum, quo malum refugit, seu refutat, non tam voluntatem, quam nolūtatem dici posse: sic enim corrigenda sunt eo loco eius verba librariorum vitio deprauata.

[illegible] vitiosi ve inclinent ad malum.

Ad quintum dicito, neque habitus etiam vitiosos inclinare in malū, qua ratione malum est, seu ꝓpter se auersandum: sunt enim similes iis actibus, à quibus geniti sunt, quia non tendunt in malum, nisi ratione alicuius boni, vt dictum est.

Quia vero vltimi argumenti solutio postulat longiorem disputationem de ea difficultate, sitne voluntas non tantum possibilium, sed etiam impossibilium, operæ pretium erit, si eam seorsim discutiamus.

Sitne voluntas non solum possibilium, sed etiam impossibilium.

SECTIO V.

[illegible]

HAc in difficultate distinguenda primo sunt impossibilia. Quædam enim sunt impossibilia simpliciter, vt quæ nulla potentia esse possunt, quod vel explicite, vel implicite contradictionem inuoluant, vt esse hominem non hominem, esse hominem rationis expertem, Deum non existere, & similia. Quædam vero sunt impossibilia per causas naturales, sumpto nomine naturalium causarum pro causis etiam liberis non supernaturaliter agentib⁹, quo pacto creatio est impossibilis, & huiusmodi alia.

[illegible]

Deinde aduertendum est, voluntatem in hac dubitatione accipi pro quouis actu voluntatis prosequutiuo, vt excludatur omnes auersatiui: actum autem prosecutiuum esse triplicem, vnum omnino absolutū, alterum omnino conditionatum, tertium mistum ex absoluto, & cōditionato. Omnino absolutus est is, quo voluntas sine vlla vel expressa, vel tacita conditione aliquid vult, siue illud propter se expetibile, siue propter aliud: quo pacto Deus vult & se esse, & ea omnia, quæ in aliqua temporis differentia facere decreuit: nosq; volumus ea, quæ determinate facere, aut obtinere statuimus. Omnino conditionatus est ille, quo voluntas non alio modo, quam sub aliqua cōditione, aliquid vult quo [illegible] ii soli vtuntur, qui puro optandi modo aliquid expetunt, vt si quis vellet habere potestatem infinitam, si fieri posset, etsi intelligat id fieri non posse. Partim vero absolutus partim conditionatus est, quo voluntas aliquid re vera determinate vult, sed tamen ad-

A mu[illegible]aliqua, vt [illegible] intelli[illegible] quo pacto pius index [illegible] re hominem suo tribunali oblatum [illegible] iuridice intelligat, illum non con[illegible] men; & Deus vult omnes homines [illegible] eri, modo ipsi obicem peccati [illegible] non opponant.

Cap. 2. q. 10. [illegible]

Deniq; illud præmittendum, quod li. 5. diximus, ante duos illos actus voluntatis, quib: circa fines, & media versamur: hoc est, ante B intentionem, & electionem (adde, & ante illos, qui interiecti esse possunt, vt est [illegible] volendi deliberare de mediis, & si qui sunt alii huiusmodi) præcedere duos alios, amoris [illegible] & desiderii earum rerum, quæ propter [illegible] tenduntur, aut propter illas eliguntur: [illegible] enim intendimus, siue assequi studemus, aut [illegible] obtinendi causa eligimus, nisi quod amamus, & non dum habitum desideramus. Inter quæ duo actuum genera illud discrimen C eodem loco constituimus, quod intentio & electio in voluntatibus creatis sunt in genere causarum finalium effecta rerum, quæ intenduntur: amor autem, & desiderium [illegible] effecta earundem rerum in genere causarum efficientium eo pacto, quo obiecta in genere causarum efficientium concurrunt. Prius n. saltem natura res obiectæ per suas species, ac similitudines ingenerant in voluntate amorem, & aliquando desiderium, quam voluntas eas intendat, hoc est, assequi [illegible] D & propter eas aliquid agere decernat. [illegible] is amor, & desiderium, etsi sponte [illegible] à voluntate allecta bonitate rerum obiectarum & sunt eius actus vitales, non sunt tamen [illegible] liberati etiam virtualiter, quatenus antecedunt omnem intentionem, libere nimirum aliquid agendi propter illas, siue vt eas obtineat, siue vt eis aliquid acquirat: nec voluntas se ipsam mouet ad eos actus eliciendos, E sed mouetur à rebus obiectis ipsa voluntate simul vitaliter concurrente, vt in motib. primo primis. Vnde, fit vt procedant à voluntate non tam per modum actuum, quam per modum passionum naturalium, in quib. nec meritum est, ne demeritum. Cum aūt [illegible] actus intētionis, qui iam libere elicitur à voluntate, saltem virtualiter deliberata, [illegible] operāte ex plena cognitione, aduertentia [illegible] iudicio intellectus, vt inferius patebit, [illegible] F actus amoris, & desiderii, [illegible] nem sequuntur, libere pro[illegible] te se tam libere mouente [illegible] solum actus hominū, [illegible] ac proinde ac meriti, & [illegible] nisi [illegible] desiderium cessat [illegible] aūt perseuerat [illegible] mū statim illum [illegible]

Cap. 2. q. 10. [illegible]

[illegible] vitiosi [illegible] ratur.

[illegible] ipsum intelligimus in actibus etiam A diuinis: amor enim, quo se Deus ab æterno amauit, & creaturas omnes in esse possibili amore complacentiæ, antequam more considerandi nostro vellet mundum condere, etsi vitalis actus fuit, & spontaneus, non tamen fuit liber, sed naturalis, & necessarius, vt diximus l. 7. Postquam autem eodem considerandi modo voluit mundum condere, is actus (*quem eodem loco amorem com[illegible] appellauimus*) liber iam fuit, quo se Deus qui- B busdam creaturis cōmunicare voluit: omnibus n. fieri non potuit. Quem amorem etsi in Deo non est proprie consequutus actus desiderii, antequam existerent creaturæ producendæ: tamen respectu Angelorum, & hominum, quos ad beatitudinem cōditurus erat, quoddā metaphoricū desiderium consequutū est, quo diuina voluntas optabat, vt eo fine non frustraremur. Quanquam huic desiderio non respondet in Deo fruitio ex conse- C quutione nostræ beatitudinis, quia, vt nulla creatura habet rationem finis, sed medii respectu Dei: ita Deus nulla earum fruitur, sed vtitur: vt enim fruitio est finitum, ita vsus est mediorum.

Hinc patet non recte dici à quibusdam actus amoris, & desiderii, etiam quatenus antecedunt omnem intentionem finis, esse in nobis liberos, effecta causæ finalis, ad quam ipsi nos moueamus. Nam, etsi hoc pacto sunt D effecta rei, quæ est causa finalis, nempe rei, quæ à nobis amatur, & desideratur siue amore concupiscentiæ, siue amicitiæ, quia bona, siue conueniens nobis est, nosq; ad eos actus vitaliter concurrimus: non sunt tamen liberi, nisi accedat libera voluntas, qua ipsi nos agamus, & moueamus in illam vt in finem, aut in mediū propter finem: quod fieri posse vno eodem actu inferius patebit. Vnde perspicuū relinquitur, pronuntiatum illud Aristoteli- E cum ab omnibus receptum, *Omne agens agere propter finem*, quo ii auctores suam sententiā defendere nituntur, nihil eos iuuare, cum plane sic exponendum sit iuxta omnium grauiū Doctorum sententiam, vt omne agens dicatur agere propter finem vel à se cognitum, si sit cognitione aliqua præditum: vel non cognitum, si sit cognitionis expers: quod si sit cognitionis capax, vel propter illum cognitū tanquam finem, (vtpote comparatione me- F diorum) si sit intellectus particeps: vel non cognitum vt finem, seu comparatiue si sit intellectus expers: quod si agat propter finem comparatiue cognitum, id sane faciet vel libere, si intendat aliquid, aut eligat: vel naturaliter, [illegible] intendat quidquam, aut eligat, [illegible] (*[illegible]*) [illegible]

Non actus, quatenus tales, nec esse liberos, ex eo[illegible] propter finem, ad quem nos ipsi n. mouemus.

2. phys. c. 8. & text. 48. & 5. Eth. c. 7.

[illegible] amore, aut [illegible] desiderio rei amatæ. Atque hinc nascitur, [illegible] docent Theo. motus illos intellectus, & voluntatis, qui in vocationib. diuinis præcedunt peccatoris consensum, etsi sint spontanei, tamen non esse liberos, nec meriti vllius, donec accedat consensus peccatoris ad id, ad quod vocatur.

His ita constitutis tribus assertionib. expedienda est proposita difficultas. Prima sit voluntatem absolutam non esse impossibilium priori modo, si, vt talia sunt, cognoscatur: posse tamen esse omnino cōd tionatam. Prior pars ex eo probatur, quia nulla potentia transgredi potest fines sui obiecti formalis: at formale obiectum voluntatis est bonū apprehensum vt bonum: impossibile autem priori modo, vt tale est, & vt tale cognoscitur, quemadmodum nec est ens, nec cognoscitur vt ens, ita nec est bonum, nec vt bonū cognoscitur. Item quia contradictoria obiecta non possunt esse simul volita: quia, cum alterum destruat alterum, ipsum quoq; velle hoc, & non hoc, seipsum destruit, qui n. vult non hoc, nō vult hoc: impossibilia vero priori modo aut [illegible] hoc, & non hoc, aut ea includunt. Additum est (*si vt talia cognoscantur*) quia, si putentur esse possibilia, ea ratione possunt cadere sub voluntatem, quo pacto Protoparens nostra à serpente delusa, vt Paulus docet absolute voluit esse Deo similis scientia boni, & mali, quia putauit id esse possibile. Posterior pars ea ratione probatur, quia etsi impossibilia priori modo accepta cognoscantur vt omnino impossibilia: tamen nihil impedit, quo minus conditionata omnino voluntate appeti possint: quo pacto nō transgreditur voluntas terminos sui obiecti formalis. Atq; in hoc sensu recte aiunt, qui dicunt Angelos apostatas potuisse appetere Dei æqualitatem, quasi dicentes, Si possibile esset, vellemus non subiici diuinæ potestati: in qua velleitate persistentes, postquam damnati sunt, suæ superbiæ pœnas luunt. Neque audiendi sunt ii recentiores, qui existimant, quemadmodum in aliis potentiis non datur huiusmodi actus: neq; enim visus elicit actū, qui sit, *Viderem*, sed *Video*: neq; auditus actum, qui sit *Audirem*, sed *Audio*, & ita in cæteris) ita neq; in voluntate dari actum, qui sit *Vellem*, aut *Nollem*, sed *Volo*, aut *Nolo*: addentes non aliud significari à nobis, cum dicimus, *Vellem*, aut *Nollem*, quam quod eliceremus actum voluntatis prosecutiuum, aut reiectiuum circa hoc, aut illud, si quippiam aliud esset, vel non esset: quod non est in præsentia actū voluntatis elicere, vt volunt. Non sunt, inquam, audiendi, cum pugnent cum communi omnium sententia. Nam in potentiis [illegible] intel-

Prima assertio.

Diuersitas conditionum.

intellectus, & voluntatis, quæ reflectuntur in suos actus, hoc sentiunt omnes euenire posse, vt intellectus, quemadmodum sæpe intelligit se in præsentia intelligere, sic actu intelligere possit se intellecturum esse, aut fuisse, si quippiam aliud esset, vel fuisset: eodemque modo quemadmodum voluntas sæpe vult actu, siue in præsentia, se aliquid velle, aut nolle, sic potest actu velle se volituram, aut nolituram, si quippiã aliud esset, aut fuisset. Idq; etiam experietur quisq; in se, si suam mentem consulat. Qua de causa sæpe fit, vt his velleitatib. peccetur etiam lethaliter, quia earum obiectum potest esse malum, atq; adeo graue malum, & deliberate volitum per actum in præsentia elicitum, quo pacto ab initio diabolus peccat, quatenus deliberate elicit eum actum velleitatis, quo quasi dicat, Si possem, Deum è regno suo pellerem; ne me torqueret. Potest tamen velleitas committẽdi actum prohibitum purificari à lethali culpa, si adhibeatur hæc conditio, nempe si is actus nõ esset prohibitus, vt si quis vellet agere, quidquid liberet, si id non esset prohibitũ. Quanquam aut nunquam, aut raro hæc velleitas purificari potest a veniali peccato, quia nulla est necessitas, aut spiritualis vtilitas in ea elicienda.

Sæpe his peccari.

Secunda assertio sit, voluntatem absolutam posse esse impossibiliũ, si posteriori modo sumantur. Hæc facile probatur, quia impossibilia omnia posteriori modo sũpta sunt simpliciter possibilia quia possibilia per absolutam Dei potentiam: horum autem plurima potest volũtas creata absolute, & sine vlla cõditione velle. Itaq; etsi ad ea, quæ per causas naturales esse non possunt, non habemus appetitum naturalem, vt diximus l. 3. tamen possumus habere actum elicitum ea volendi, si cognoscamus, ea esse nobis possibilia per absolutam Dei potentiam. Quo pacto verisimile est Luciferum diuinam subsistentiam appetiuisse, atq; ea de causa in peccatum inuidiæ lapsum adorare Christum hominem futurum renuisse. Ex hac conclusione intelligitur omnes homines, etiam peccatores, dũ in via sunt, absolute velle beari supernaturali beatitudine, quia quidquid boni per alios obtinere possumus, etiam possumus absolute velle. Secus est dicendum de damnatis, quia cum simpliciter impossibile sit Dei voluntatem mutari: cognita determinatione diuinæ voluntatis de eorum perpetua damnatione nullo modo eorum voluntas potest absolute velle beatitudinem, sed tantum conditionata velleitate, si fieri posset.

Secunda assert. *Cap. 1. q. 2.* *Non posse damnatos absolute velle beari.*

Tertia assertio sit, electionem, si proprie de ea loquendum est, nullo modo esse posse impossibilium priori modo, si talia cognoscantur, sed posteriori. Hæc conclusio ex eo primum patet, quia electio proprie dicta significat actum voluntatis determinatum ad agendum: hunc autem perspicuum est non esse pure cõditionatum, vt possit esse impossibilium priori modo, sed esse absolutum, & posse esse impossibilium posteriori modo, vtpote quo Deo autore, absoluta eius potentia possumus adhibere media ad obtinendas res quas per causas naturales assequi non possumus. Deinde, quia electio, si proprie loquamur, supponit consilium: consilium autem non potest esse de impossibilibus priori modo, si vt talia esse cognoscantur: potest autem iniri de iis, quæ absoluta Dei potestate fieri possunt, si cognoscantur eius beneficio nobis obuenire posse, vt in rebus ad æternam salutem pertinentibus.

Tertia assert.

Vnde patet Scotum improprie vsum fuisse electionis nomine, cum scripsit, quemadmodum voluntas potest esse impossibilium, ita & electionem. Nam etsi omnis liber actus voluntatis, etiãsi sit pure conditionatus, potest proprie dici voluntas, quia voluntas est generale vocabulum ex ipsa potentia sumptũ: tamen nullus proprie dici potest electio, aut intentio, nisi sit absolutus, & determinatus. Patet etiam non omnem actum voluntatis liberum esse intentionem, aut electionem, cum possit esse purecõditionatus. Quia tamẽ omnis act⁹ voluntatis fertur in id, quod est finis, aut medium ad finem: cum feratur in bonum propter se, aut propter aliud: intẽtio autem versatur circa finem, electio vero circa media ad finem: omnis vtiq; actus voluntatis reduci potest ad intentionem, aut electionem.

Confirmantur autem tres propositæ conclusiones ex Arist. 3. Ethic. ca. 2. vbi docet voluntatem posse esse impossibilium, electionẽ vero non esse, nisi possibilium: quę non aliter intelligenda sunt, quam vt explicauimus. Ar. vero sequutur non modo Peripatetici omnes Philosophi, sed etiam Nyssenus Gregorius in sua Philosophia l. 5. c. 4. Damascen. l. 2. orthodoxæ fidei c. 22. & sæpe reliqui Patres. Atq; ita patet solutio vltimi argumenti, cuius causa hæc disputauimus.

Consule D. ...

Num omnis actus voluntatis supponat aliquam cognitionem rei, in quam fertur.

SECTIO VI.

TErtio loco ea dubitatio tractanda est, quænam cognitio necessaria sit ad

[illegible] voluntatis determinationem, Sed quia dubitatio hæc plures inuoluit: illam inprimis discutiemus, Num omnis actus voluntatis requirat aliquam cognitionem, neque enim id omnes concedunt: nam Bonauentura in opusculo de mystica Theologia, & in Itinerario animæ, & alii nonnulli ex Dionysio Areopag. cap. 7. de diuinis nominibus & cap. 1. de mystica Theologia asserunt aliquam esse voluntatis operationem, atque adeo excellentissimam earum, quæ in hac vita haberi possunt, quam voluntas exercet in profundissima quadam caligine, sine vlla cognitione. Et quamquam addunt eam operationem non esse liberam, nec meritoriã, quod verum est, si talis operatio voluntatis datur; tamen vtrum dari possit etiam diuina potestate, dubium est. Cuius dubii affirmatiuam partem tuetur Palud. in 4. d. 49. q. [illegible] ar. 2. eandemq; insinuat Ferrar ad cap. 89. li. 3. contra Gentiles.

Qui putant dari operationem volunt. sine cognitione intellectus. Vide etiam Gers. Alpha. 66. litera O, & T.

[illegible] dari posse diuinitus Num. 19.

Eorum igitur, qui re vera dari existimant, alii dicunt eam, etsi non inchoatur sine aliqua præuia cognitione, tamen illa interrupta posse absque ea continuari. Aiunt enim vbi desinit profundior contemplatio, posse incipere huius altissimum voluntatis affectum, relicta omni intellectus operatione. Alii autem existimant, etiam nulla præuia cognitione fortasse cõtingere huiusmodi affectum; quia id diuinæ potestati nihil repugnat nec videatur negandum valde familiaribus Dei amicis.

Sit ergo pro hac parte propositæ dubitationis primum argumentum, nullam contradictionem id implicare: quod si non implicat, non videri negandum saltem aliquando cõtingere, cum à piis Doctoribus asseratur.

Argument. pro hac sent.

Alterũ, multarum rerum nos sæpe optare ac velle cognitionẽ assequi, quam tamen non assequimur; quo fit, vt tunc affectus eo perueniat, quo non peruenit intellectus: contraque sæpe nos efficaciter velle nihil cogitare, quod cum obtinemus, iam datur affectus voluntatis sine cogitatione vlla.

Tertium, sæpe voluntatem applicare intellectũ nihil adhuc cogitantem, vt aliquid cogitet; eodemque modo phantasiam imaginatione vacantem, vt aliquid imaginetur: præcedit igitur aliquando actus voluntatis omnem actum potentiæ cognoscentis: vnde fit, vt potiori ratione possit sine illo continuari: alioqui, si omnem applicationem præcederet intellectio, & omnem intellectionẽ applicatio, daretur progressus infinitus præcedens.

Quartum, experientiam late huic sententiæ & in humanis, & in diuinis rebus suffragari. Nam & qui instrumenta musica pulsant, sæpe integras & exquisitas cantiones persequuntur, cum de [illegible] longe diuersis rebus cogitant; & qui Canonicas preces persoluunt, sæpe etiam nihil [illegible] mente concipiunt, quam quæ verbis proferunt ac demum qui contemplationem diuinarum rerum absoluunt, sæpissime seruant & diu retinent eum mentis affectum, quem contemplando conceperunt, nihil interim de iisdem rebus cogitantes.

Postremum, multa esse in diuinis Scripturis, quibus doceamur actum intellectus non solum non semper esse necessarium ad præcipuos actus voluntatis exercendos, sed etiã sæpe illis esse impedimento: quale est illud, quod Sponsus in Canticis c. 6. Sponsæ præcipit. *Auerte*, inquit, *oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*: quod de oculis mentis intelligitur. Et illud, quod Moses Exodi 3. non audebat aspicere contra Dominum. Et quod Helias caput operiebat, vt frueretur in monte consortio Domini; & alia plurima, quibus saltem significari videtur, etsi intellectus initio præire solet tamen in progressu sæpe voluntatem relinqui, vt excellentioribus actib. vtatur. Vnde est, cur sæpe Patres negationib. potius, quam affirmationibus conscendendũ existiment ad diuini amoris vnionẽ: ex quibus Areopagita Dionysius partem hanc vsque adeo confirmare videtur vt profundissimum contemplantium affectum appellet sapientiam irrationabilem, stultam, amentem, & ex ignorantia prouenientem: horteturq; Timotheum, vt visibilia, & intelligibilia dimittens, ipsam ingrediatur ignorationis mysticam caliginem.

3. Reg. 19.

Cap. 7. de diuin. nominibus.

Videtur tamen semper intellectus præire voluntatem in omnibus eius actibus, si non distincte in hac vita, saltem confuse; sicque intelligendos esse Patres, vt cum pro opposita parte videntur loqui, exponantur de distincta cognitione. Deniq; multo probabilius esse ne diuina quidem potentia oppositũ posse contingere. Intelligo autem nomine confusæ cognitionis eam, sub qua aliquam præstantiam de rebus dilectis credimus, aut suspicamur: quod qua de causa addamus mox aperietur.

Assertio & quæstio [illegible].

Probatur autem primum assertio ex eo, quia voluntas est potentia omnino cœca, vt ne passum quidem progredi possit, nisi ab intellectu manu ducatur. Deinde, quia vt appetitus naturalis sequitur formã naturalem, siue in re existentem: ita sensitiuus formã apprehensã per sensum: & rationalis, siue intellectiuus per intellectũ: alioquin nullũ discrimen esset inter appetitũ naturalem, & superiorem

Probatur.

naturæ-

naturali. Tertio, quia libertas voluntatis ad eliciendos suos actus, aut continuandos, cohibendosve aut suspendendos, oritur ex intellectu viam aperiente ad opposita: quo ergo pacto potest voluntas libere operari, aut hoc vel illo modo operari, ni intellectus ei ostendat, quo se vertat, & quo pacto possit: Quarto, quia obiectum formale voluntatis est bonum non quomodocunq; sed apprehensum vt conueniens: nulla autem potentia operari potest sine suo obiecto formali. Quinto, (quod fere in idem incidit) quia nulla potentia fertur in suum obiectum, nisi illud præsens sit intra suæ actiuitatis sphæram, vt dici solet, quomodocunq; id intelligatur: nihil autem est, quod voluntati præsentet obiectum, vt oportet, nisi intellectus, aliave potentia cognoscens, siqua alia ad id est satis, de qua re paulo post: nihilq; ad id confert, quod res ipsa obiecta alia ratione fiat præsens voluntati, quantacunq; propinquitate alioqui ei cōiuncta sit. Postremo, quia in diuinis etiam intelligentia præcedit amorem: vnde fit, vt productio diuini Verbi præcedat origine S. Spiritus processionē: & in beatitudine prior sit visio, quam fruitio. Accedit Arist. sententia, qui in 3. de anima c. 9. & 10. ait, appetitum moueri ab appetibili apprehenso: & fusa disputatio August. initio decimi de Trinitate, qua disputatione ostendit voluntatem nihil incognitum posse diligere: quem sequitur Bernhardus in l. de gratia, & libero arbitrio, & fere reliqui Patres, qui distinctius hac de re loquuti sunt. Itemq; D. Th. 1. p. q. 82. aliisq; locis, & reliqui ferme Sententiarii ad distinctionem 25. l. 2.

Diximus autem necessariam esse saltem cognitionem confusam, sub qua intellectus credat, aut alia ratione concipiat aliquid maius, aut excellentius subesse in re dilecta quā quod distincte de ea concipit: quia sæpissime videmus, vel solam suspitionem alicuius magnæ bonitatis rei, quæ nobis chara est, satis esse, vt moueamur ad eius prosecutionem: quod nemo faceret, nisi sub ea confusione conciperet maius aliquid, quam quod distincte percipit. Neque hoc alienum à ratione est, cum voluntas non feratur in res fruendas, vt ipsæ concipiuntur tantum: sed præcipue, vt ipsæ in se inueniendæ sperantur, cum obtinebuntur.

Quare ad primum argumentum oppositæ partis dicendum est id, quod est rem nullo modo cognitam amari, hanc cōtradictionē videri omnino inuoluere, quod amor terminetur, & non terminetur ad obiectū amatum: res enim amata non terminat amorem sola præsentia reali, sed obiectiua: sæpe enim est præsens, nec amatur; nunquam vero amatur, nisi obiciatur amanti etiam [illegible] cum ergo nulla sit potentia, quæ [illegible] seu præsentet obiectum amabile [illegible] nisi potentia cognoscens, vt indu[illegible] tet: obiectum vero sit id, quod [illegible] tentiam, vt perspicuum est; [illegible] amor feratur in obiectum non cogn[illegible] ipse terminetur, & non terminetur ad obiectum amatum. Atque in hac sententia videtur esse plane Augustinus in loco citato, estq; communis Theologorum opinio: neque cum ea pugnat experiētia pioru hominum, qui post illos sui ipsorum quasi raptus à sensibus, & ab omni discursu intellectus, non dicunt nihil tunc sibi obiectum fuisse, sed ineffabile quiddam, cuius memoriam suauissime retinent, idque sub conceptu summi boni, & aliorum attributorum superexcedentium, quidquid perfectionis ex creaturis colligunt, aut etiam colligi potest.

Ad secundum sic fere respondet Augustinus. Cum optamus rem aliquam cognoscere non optamus rem non cognitam, sed ipsam eius peculiarem cognitionem, potest enim res esse nobis noxia, & tamen eius cognitio commoda: non potest autem à nobis optari peculiaris eius cognitio, nisi eam, ipsamque eius peculiarem cognitionem confuse concipiamus quo fit, vt ne tum quidem perueniat affectus quo nullo modo peruenit intellectus. Cum autem efficaciter volumus nihil cogitare, plane excipienda à nobis est ea [illegible] cogitatio optatæ vacationis ac omni [illegible] cogitatione: quia saltem cogitandum [illegible] est de vacando ab illa

Ad tertium dicendum, non posse voluntatem applicare vel intellectum ad intelligendum, phantasiam ad cogitandum, vllamve aliam potentiam suæ potestati subiectam ad opus aliquod saltem inchoandū, nisi prius tempore, aut natura intellectus id conceperit. Nec tamen hinc sequitur omnem applicationem præcessisse infinitas intellectiones, & applicationes, oportet enim peruenire ad aliquam primam intellectionem, quæ, vt non potest esse libera, ita fieri ex applicatione voluntatis non necesse est: sed fieri potest vel ex occursu alicuius obiecti externi, [illegible] ni sensus aliquid in se resoluentis, vel ex instinctu primę causæ interius mouentis intellectum, aut ex suggestione alicuius creati spiritus in phantasiam operantis.

Ad quartum dicendum, quod quidem attinet ad experientiam desumptam ex instrumentis Musicis, precibusq; Canonicis persoluendis, satis quidem esse saltem cōfusum aliquem conceptum eiusmodi faciendorum [illegible] operum.

[illegible], quem necesse est intellectus habeat, A dum externæ illę manus, aut linguæ actiones exercentur. Quod vero attinet ad experientiam pie contemplantium: iam dictum est, quemadmodū illi post extraordinarios illos mentis excessus retinerent eundē affectū, ita etiam retinere memoriam eius summi boni quod cōtemplati sunt sub quodam indistincto conceptu transcendente omnium creatarum & creabilium rerum conceptus.

Qui actus intellectus impediant pios affectus.

Ad vltimum dicendum, diuinas illas Scri- B pturas: & alias similes, non loqui vniuerse de actibus intellectus, quasi impediant bonos, & pios affectus: sed de quibusdam eorū circumstātiis, vt de curiosa indagatione, de nimio discursu, de irreuerentia, & aliis huiusmodi: alioqui quo altior est contemplatio, eo præstantior excitatur affectus, vt patet ex ipsa tum naturalis, tum supernaturalis beatitudinis ratione. Nec Patres idcirco aiunt negationibus potius, quam affirmationib. con- C scendendum esse ad diuini amoris vnionem, quasi solis negationibus progrediendum in ea re sit: semper enim affirmatio miscenda est cum eiusmodi negationibus, ne Deo id solum attribuamus, quod ipse non est, quodq; in quamcumq; rem etiam vilissimam conuenire possit. Miscēda ergo semper est affirmatio superexcedentis perfectionis, qua ipsam summam Dei naturam, perfectionemque significemus. Adde, quod in ipsis etiam nega- D tionibus Deo attribuendis intelligentia vtimur. Deniq; nec Dionysius excludit in affectu vllo contemplantium, quantumcunq; excelso intelligentiā, sed solum discursum præcedentem per creaturas alias: per quæ nos ipsos, nostramq; à Deo dependentiam: quippe qui idcirco eum excellentem mentis affectum appellat sapientiā irrationabilem stultam, amentem, & ex ignorantia prouenientē quia coniunctus est cum altissima quadā sa- E pientia, quę iam non discurrit, & ideo parum exercitatis stulta, & rationis expers videtur esse, non coniuncta cum ista communi, & indagatrice eorum sapientia.

Cur Dionysius excellentem mentem affe[illegible] irrationalem.

Quaenam cognitio necessaria sit ad liberam voluntatis determinationem.

SECT. VII.

CVm ergo ex proxime dictis constet omnem actuum voluntatis requirere cognitionem aliquam saltem præuiam: consequens est vt videamus, qualis ea esse debeat, præcipue vero ad liberos actus, de quibus ex instituto disputamus, hoc est, ad liberam voluntatis determinationem.

A Ac primum non satis esse (*saltem naturaliter*) cognitionem sensus ad vllum actū voluntatis ex eo patet, quia voluntas est appetitus intellectiuus, ita se habens ad intellectū, vt appetitus sensitiuus ad sensum, alioqui vnus tantum appetitus sufficeret in homine, quod tamen repugnantia contrariarū appetitionum, quam in nobis experimur, falsum omnino esse cōuincit. Neq; obest, quod voluntas mouetur à bono non solum apprehen- B so per intellectum, veluti à virtute, sed etiam per sensum veluti à deliciis, vt D. Th. annotauit 1.2.q.10 ar.3. nam etiam tunc intellect⁹ apprehendit esse bonum homini secundum partem sensitiuā id, quod sensus tale esse iudicat: siquidem intellectus est potentia vniuersalis apprehensiua eorum, quæ toti homini cōuenientia, & incommoda esse possunt. Nec D. Th. aliter intelligendus est loco cita- C to, quam si apertius diceret, voluntatem non solum moueri, ac trahi ab intelligibilibus sed etiam à sensibilib. tametsi ab his non immediate, (*si naturaliter loquamur*) sed mediante intellectu. Addidi autem [*Si naturaliter loquamur*] quia non videtur negandum absoluta Dei potestate, voluntatem nostram operari posse præuia tantum cognitione sensus: cum ipsa etiā voluntas sit potentia vniuersalis appetitiua, & eorum scilicet, quæ solo intelle- D ctu percipi possunt, & eorum, quæ etiam sensu, vt dictum est: neque id vllam videatur inuoluere contradictionem.

Non satis esse cognitionem sensitiuam.

De potentia Dei absoluta videri satis.

Cum ergo voluntas ad omnes suas operationes naturaliter indigeat cognitione aliqua intellectus illud secundo loco expendendum est, satis ne sit cognitio apprehensiua, an necessario indigeat iudicatiua. Ac videri quidē potest satis esse prima apprehensiua, ea nimirum, qua quæque res percipitur ante apprehensionem conuenientis, aut incōmodi. Pri- E mum, quia prima consideratio cuiusq; rei satis esse videtur ad mouendam voluntatem, vt eam amplectatur, aut reiiciat: consideratio autem conuenientis, aut incommodi posterior est. Deinde, quia res, quæ mouet appetitum, non mouet secundum esse apprehensum, quasi ipsa apprehensio sit ratio, cur ille moueatur, sed secundum esse reale, vt est, aut esse potest, aut videtur esse à parte rei, quę F est vera ratio entis, non autem ratio apprehensi vt conuenientis, aut inconuenientis. Postremo, quia brutæ animantes solis simplicibus, & absolutis rerum apprehensionib. mouentur ad alia appetenda alia respuenda: nec tantum illæ, sed nos etiam ipsi, cum actibus omnino primis aliquid appetimus, nequaquam comparantes res ipsas nobis, vt iudicemus, sint ne commodæ nobis, an incom-

Rationes, quae astruunt sufficere primam intelle[illegible] apprehensionem.

Item Gab.q. 1.ar.3. Marf. q.16.art.1. Holcot.q.3. & alij.

modæ. Itsq; vt illæ non indigent, sic etiã nos nõ videmur indigere vllo iudicio ad res saltem naturaliter appetendas: quidquid sit de liberis appetitionibus, de quibus mox agendum est. Atque in hac sententia videtur fuisse Scotus in 2.dist.6.q.1.

Ad res naturaliter appetendas satis esse apprehẽ. boni & mali discretiuam.

Verum nec Scotus id sentit, nec propositæ rationes probant. Neq; enim Scot. negat necessariam esse ad omnem actũ voluntatis aliquam cognitionem iudicatiuam, seu discretiuam boni, & mali: neq; etiam affirmat satis esse apprehensiuam entis vt ens est, sed negat ad res naturaliter appetendas necessariam esse indicatiuam complexam per affirmationem & negationem, & affirmat satis esse apprehensiuam, vt opponitur iudicatiuæ complexæ, dummodo (*quod subaudiendum est*) sit boni, & mali discretiua, quod solum propositæ rationes conuincunt: qua in re conuenit cum omnibus recte sentientibus, quibus nos etiam subscribimus.

Probatur autem hæc sententia tripliciter. Primum, quia obiectum voluntatis est bonum vt bonum est: quãquam aũt omne ens est bonum, siue conueniens alicui rei: tamen excepto summo bono in particulari sumpto, & clare cognito, in cæteris omnibus, & in eorum appetitione quemadmodum cõcipi potest aliquid commodi, ita etiam aliquid incommodi: ergo vt voluntas aliquid appetat, non satis est, si illud apprehendatur quacunque apprehensione, sed necessario apprehendi debet apprehensione suo modo discretiua conuenientis, & incommodi. Deinde, quia cum dubitamus, sit ne res, quam apprehendimus, commoda, an incommoda, experientia constat voluntatem sese cohibere, ne in eam feratur, id autem non accidit, quia nõ illam apprehendamus, vt ens tale est: ergo quia huiusmodi apprehensio nondum est apprehensio illius vt est nobis conueniens. Atq; hæ duæ rationes nituntur in eo pronuntiato Aristotelis ex 8. Ethic. desumpto: *Amabile bonum, vnicuiq; autem proprium.* Postremo, quia idem accidit in appetitu sensitiuo, ex quo argumentum facile accommodatur ad voluntatem: experimur enim illum non commoueri ad prosequutionem, aut fugã apprehensionibus phantasiæ, quatenus phantasia est, resq; ipsas absolute, vt res sunt, apprehendit, nisi accedat aliqua persuasio intellectus, aut ipsius phantasiæ, quatenus æstimatiua est cõuenientis, aut inconuenientis: hæc autem æstimatio rerum est prima, & absoluta, sed nõ secunda & comparata: ergo pari ratione nec ad commotionem voluntatis satisfecerit: quæuis rerum apprehensio per intellectũ, sed necesse erit, vt illæ apprehẽdantur vt cõmodæ,

Cap. 2.

aut incommodæ. Estq; ratio hæc consentanea iis, quæ Aristoteles tradit 3. de Anima c. 3. Cum autem actus æstimatiuæ, quibus præcedentibus omnia animalia amplectuntur cõmoda, & incommoda reiiciunt, appellentur apud D. Th. & alios graues autores iudicia, quia ex propensione naturæ sunt discretiui conuenientis, & incommodi, iuxta causas & circumstantias, quæ obiiciuntur: eadem, & potiori ratione actus intellectus, qui præcedunt actus volũtatis omnino indeliberatos, seu primo primos, possunt appellari iudicia, quia ex ꝓpensione etiam naturæ sunt discretiui boni, & mali. Itaq; de omnibus actib. voluntatis dicendum est eos, cum minimum, requirere cognitionem apprehensiuam conuenientis, aut inconuenientis, quæ illos saltem naturæ ordine præcedat.

Vt 1.2.q. ... ar.4. ... 2.2. q.47.ar.3.

Posse eam ap[...]

Quod vero attinet speciatim ad actus liberos dicendum est eos, vlterius requirere antecedentem (*saltem naturæ ordine*) cognitionẽ vere ac proprie iudicatiuam: siue ea simplex sit, vt cum proposita interrogatione aliqua simplici actu annuimus, aut renuimus: siue complexa, vt cum formaliter aliquid affirmamus, aut negamus, de qua re li. 6. actum est. Hæc autem iudicatiua cognitio non iam sequitur naturæ propensionem, vt in brutis animalibus, aut etiam in nobis ad actus primo primos: sed colligitur ex deliberatione formali, aut virtuali, aut (*quod nonnulli addunt*) interpretatiua. Diximus eam cognitionem nõ iam oriri ex naturæ propensione, quia nõ est determinata ad vnum, ad illud sc. ad quod præsentes causæ, & circumstantiæ inclinant, sed indifferens est ad opposita. Nomine deliberationis formalis intelligimus eam, quæ fit per expressum discursum inquisitiuum mediorum ad propositum finem qua deliberationem frequenter vtimur. Nomine autem deliberationis virtualis intelligimus eam cognitionem qua intellectus sine discursu sufficienter proponit voluntati non solum opposita (*saltem contradictoria*) sed ẽt eas rationes, quib. indifferenter eorum alterum eligere possimus. Cuiusmodi deliberatio non solũ in nobis dari potest ac sæpe datur, sed etiã in substantiis separatis, quarum conditionẽ nos in hac re participamus. Nec vero necesse est addere interpretatiuam deliberationem, nisi ratione culpæ veluti cũ iudices interpretantur reum cõsulto, seu mala deliberatione permissa, actionem malam perpetrasse, de qua tamen deliberare debuerat ac poterat. Re n. vera deliberatio interpretatiua, si pure interpretatiua est, nõ est actus deliberandi seu bene, seu male, nisi fictus, & imputatus, siue ea ipsa præcesserit, siue non præcesserit.

Interpretatiuam non ... ...

Diuidi-

Plena deliberatio. *Semiplena.*

Dividitur autem à Theologis, & iuris peritis vtraque deliberatio tam formalis, quam virtualis, in plenam, & semiplenam: ad vsum iudicandi de grauitate delicti. Plena est: qua intellectus proponit voluntati, quidquid necessarium est ad perfectum libertatis vsum, ad fugiendum nimirum tam leuia, quā grauia errata in operādo: quod non fit, nisi cùm quis omnino perfecte vigilat, & vehementibus passionibus, aut occupationibus in aliis rebus vacuus est. Semiplena vero, cum intellectus imperfecte id faciat veluti cum quis non omnino perfecte vigilat, aut vehementi passione, aut attentione ad alia occupatum habet animum: qui status modo aliquo delictum minuit, quanquam vterque satis est, vt voluntas libere sese ad alteram oppositionis partem determinet.

Obiectio. Diluitur. Nunquam intellectus vnum tantum aliquid assumendum proponit.

Quod si quis obiiciat, sæpe intellectum proponere voluntati vnum tantum medium: ergo nullo pacto tunc illi ostendere viam ad opposita, vt libere operetur: hoc pacto respōdendum est, nunquam intellectum proponere voluntati vnum aliquid duntaxat libere assumendum, nisi simul ei proponat eius oppositum, saltem contradictorie. Quanquā enim fieri potest, vt ei proponat vnumtātum obiectum positiuum, veluti deambulationem: tamen necesse est, vt simul ei proponat negatiuum, veluti negationem deambulationis: alioqui determinato intellectu ad vnum tantum, non posset voluntas velle oppositū, vt ex supra dictis patet. Quoniam vero duplex est medium, quo voluntas vti potest ad finem obtinendum alterum, quod assumit, vt deambulatio, quod dici potest medium. Quod alterum, quo illud assumit, diciq; potest medium Quo: nempe ipse actus voluntatis, quo illud assumit: (*Neq; enim possumus libere aliquid velle, nisi etiam simul consequutione quadam libere velimus actum ipsum volendi, quo illud volumus*) etiam huius consequutiui medii negationem necesse est proponat intellectus voluntati, si voluntas liberum actum elicitura est. Itaq; iam habemus duo media, quæ voluntas possit assumere, & totidem, quibus illa assumenda sint, quæ omnia intellectus debet voluntati proponere, vt libere ex vtroq; genere, hoc vel illud assumat: tametsi satis est, vt expresse ac directe ei proponat media Quæ: implicite autem, & consequutione quadam media Quibus: sed quia non est satis, quod illi proponat media sumenda, nisi etiam proponat rationes, ob quas assumi debeant, quæ rationes, siue argumenta sumuntur ex debita proportione ad finem propositum, hoc est, ex eo, quod sint vtilia ad illum obtinendum: necesse est, vt intellectus vnam saltem rationem, siue argumentum proponat pro vtraque parte: nihil enim est aliud ostendere viam ad opposita, quod intellectus præstare debet. Quo fit, vt septem quædam, cum minimum, debeat intellectus partim expresse, partim consequutiue proponere voluntati, vt aliquid eligat.

Quod & Quo medium ad finem obtinendum. *Quænam proponenda necessario voluntati vt aliquid eligat.*

Primo quidem ipsum finem intentum, qui quidem est felicitas ipsa, quacunque ratione concipiatur, siue in communi, siue in particulari, aut pars aliqua felicitatis, vt esse, viuere, scientem esse, virtute præditum, sanum, liberum, pacifice ac iucūde vitam ducere, & similia, atq; omnino quidquid per se est amabile, & expetibile. Secundo loco duo opposita media expresse eligibilia, cuiusmodi sunt respectu sanitatis obtinendæ deambulatio, & eius negatio, sub qua continentur cubitus, sessio & statio: nec enim negatiuum quidquam eligibile est, nisi ratione alicuius subintellecti positiui. Sub his autem duobus mediis consequutiue intelliguntur oppositi actus eligendi & reiiciendi alterum ex illis. Tertio demum loco bina saltem argumenta, vnum pro vna, alterum pro altera oppositionis parte, veluti pro eligenda deambulatione, quod vtilis sit ad sanitatem conseruandam: pro eius negatione, quod impediat fortasse opportunam somni quietem, vel certe assecutionem alicuius alterius finis disparati, qui tunc se offert.

Obiectio.

Sed obiiciat aliquis de ipsa etiam in communi sumpta felicitate posse nos deliberare, cum actus voluntatis circa illam sic acceptā sit liber, vt supra dictum est: ergo si pro initio & fundamento deliberationis debet intellectus proponere voluntati aliquem finē amabiliorem iis mediis, de quibus deliberamus, vt modo diximus, dabitur finis aliquis superior supremo, quod fieri nequit.

Solutio.

Ad hanc obiectionem negandum est, posse nos deliberare de ipsa felicitate in cōmuni sumpta expetenda, aut reiicienda per actū contrarium: siquidem ea ratione necessario illā expetimus quoad specificationem, quia intellectus nil mali in ea inuenit, vt volūtas possit illam reiicere. Et quanquam deliberare possumus de eliciendo, aut non eliciendo actu eius expetendæ; sumus n. in hac vita liberi quoad exercitium cuiuslibet actus volūtatis; tn̄ ex hoc non sequitur dari superiorē finem supremo: nam ipsa felicitas est primū fundamentū deliberationis de eliciendo, aut non eliciendo eiusmodi actu: potest n. voluntas ea ratione prouocari ad illum eliciendum, quia laudabilis & honestus est, ac proinde ad felicitatē consequendam accommodatus: contra vero potest retrahi ab eo eliciendo, quia felicitatis

contemplatio tunc impedit aliam actionem utiliorem fortasse ad felicitatis assequutionẽ, aut alicuius alterius finis veræ felicitati repugnantis, qui tamen tunc cordi est, vt impulsi amoris, aut priuatæ vindictæ.

Obiectio.

Demum obiiciat aliquis, voluntatem determinare se posse in instanti ad alteram oppositionis partem, vt constat ex momentaneo consensu in peccatum, & momentanea peccatoris conuersione ad Deum, vt tradunt Theologi: at intellectũ non posse tam multa in eodem momento volũtati ostendere, præsertim cum Aristoteles 2. Topicorum cap 4. doceat, etsi possumus multa simul scire, non posse tamen multa simul intelligere. Sed ad hoc dicendum, quando multa reducuntur ad vnum, *(modo non sint tam multa, vt capacitatem intelligentis excedant)* nihil repugnare, quo minus simul intelligãtur, tametsi minus perfecte, quam si singula seorsim intelligerẽtur: atq; hoc pacto diximus alibi intelligendum esse Aristotelem in loco citato. Habitualis enim scientia simul perfecte haberi potest de multis, ac diuersis rebus, quia habitus vnius, siue scientia totalis sit, siue partialis, non impedit habitum alterius, sed potius alterũ iuuat, aut ad illum disponit. Cum ergo deliberatio virtualis, (hæc enim sola in momento haberi potest ad vnum iudiciũ, quod voluntas in eligendo sequitur, reducatur; nihil impedit, quo minus apprehensiones, & iudicia, quæ in ea includuntur, possint haberi in eodem instanti: præsertim cum alia expresse, alia implicite, & consecutiue proponantur, & intelligantur. Quin etiam quandocunque volumus diuersitatem multarum rerum simul intelligere, *(quod nihil est aliud quam simul intelligere diuersa, vt diuersa sunt)* ad ipsam diuersitatem tanquam ad vnum quippiam reducitur eorum multorum perceptio: ac proinde nihil impedit, quin ea simul vt diuersa sunt, intelligantur, sed potius est omnino necessarium: veluti cum diuersitatem partium totius alicuius ædificii, aut vrbis vno aspectu percipimus: idq; docet Arist. 3. de Anima c. 2. cum de sensu communi disputat. Eo autem facilius percipiuntur omnia, quæ ad deliberationem pertinent, quod sine concepto & intento facile occurrit medium aliquod positiuum ad illum obtinendũ: & quia nihil est immediatius affirmationi, quam negatio, continuo occurrit medium negatiuũ, & aliqua eius vtilitas ad finem assequendum: ex quibus procliue est deliberationem concludere, siue in tempore, siue in momẽto. Accedit, quod habitus sæpius in ratiocinando de rebus dubiis magnam facilitatem adiungit sagacitati, ac perspicaciæ intellectus, vt facilime hæc concipiat. Quod si ex deliberatione æqualis mediorũ vtilitas ad assecutionem finis afferatur: tunc liberior etiam relinquitur volũtas, vt se ad hoc, vel illud eligendum determinet, vt superius ostensum est.

Responsio.

Quo pacto non possimus multa simul intelligere.

Quodlibet deliberatio haberi queat in instanti.

Vt in eo concipiantur, quæ ad illam opus sunt.

Anim. 145.

Summa doctrina hac sect. tradita.

Ex quibus perspicuum relinquitur, quænam cognitio necessaria sit ad liberam volũtatis determinationem. Constat enim ex dictis, nõ satis esse cognitionem sensus, sed requiri cognitionem intellectus, saltem naturaliter: neq; etiã sufficere cognitionem ipsarum rerum, vt res sunt, sed necesse esse, vt percipiantur, quatenus cõuenientes, aut aduersæ sunt, siue id apprehensiua cognitione percipiatur, siue iudicatiua. Vt autẽ finis, & media percipiantur, satis esse apprehensiuã eorum cognitionem: vt vero rationes pro vtraque parte proponantur, & conclusio deliberationis, siue cum discursu, siue sine discursu, colligatur, opus esse cognitione iudicatiua, vel absoluta scilicet, vel conditionata. Denique deliberationem posse concludi, aut vnico tantum iudicio absoluto, quod intellectus proferat omnibus inspectis, & alio, vel pluribus conditionatis: aut solis conditionatis. Vtrumq; autem concludatur, nunquam voluntatem addictam esse ad vllum certum iudicium sequendum, etiamsi sit absolutum, quod intellectus omnibus inspectis proferat: sed ad aliquod indeterminate de eo, quod hic & nunc agendum sit, quod intellectus vel absolute iudicet fieri oportere, vel conditionate, si hoc aut illud obtinendum est.

Solutio argumentorum, quæ initio quæstionis proposita sunt.

SECTIO VIII.

Non vt intellectus, ita & voluntas dici debet pura potentia.

Ad primum igitur argumentum eorum, quæ initio quæstionis pro altera parte proposita sunt, dicendum est, non eandem esse rationem in voluntate, atq; in intellectu, vt quemadmodum intellectus est pura potentia ad omnes actus intelligendi, sic etiam voluntas sit pura potentia ad omnes volendi. Non enim sicut intellectus, vt actum intelligendi eliciat, indiget forma aliqua habituali, specie nimirum intelligibili, qua informatus intelligere possit: sic etiam voluntas, vt actum volendi exerceat, indiget habituali forma, quam informata eliciat actum volendi. Nullam enim formam in se recipit voluntas, vt aliquid velit: tametsi per ipsos volendi actus potest in se recipere habitus aliquos, aut dispositiones, vt facilius, & accuratius versetur circa sua obiecta, veluti habitus virtutum, & vitiorum. Quod autem additur de com-

c[illegible] voluntatis cum intellectu quoad primos actus, partim verū est, partim falsum. Nam etsi quemadmodum intellectus determinatus ita est ab Autore naturæ quoad specificationem ad actus assentiendi principiis, vtilis dissentire nō possit: sic etiā voluntas est ab eodem determinata quoad specificationem ad amplectendum summū bonum, aut bonum in communi, vt illud non possit auersari, ac reiicere: tamen non sicut intellectus determinatus est ab eodem Autore ad ipsum assentiendi exercitiū circa prima principia, vt eis perceptis non possit non elicere ipsum assentiendi actum: ita etiam voluntas est determinata ad exercendum actū amplectendi summum bonum, vt eo proposito nō possit non amplecti illud: nam etsi in eo nullam inuenit rationem mali, ob quam illud reiiciat aut etiam amplectatur: tamen in ipso amplectendi actu recipere potest aliquid aduersi & incommodi, propterquod non solum possit illum non exercere sed etiam auersari, veluti si is actus aliquem alium actum impediat, cuius exercitatio in præsentia voluntati sit charior. Imo etiam satis est, si intellectus iudicet non esse tunc necesse, vt ita illum si non auersari, saltē non exercere possit. Quod vero attinet ad fines particulares, quorum nullus sit summum bonum, sed in eo includatur, cuiusmodi sunt esse, viuere, & intelligere: ad eos etsi naturæ Autor volūtatem determinauit quoad specificationem, etiā quatenus secundum se sumuntur, non tamen vt coniuncta sunt, aut esse possunt cum aliquo incommodo: hoc enim pacto voluntas non solum ea non amplecti, sed etiā auersari potest. Deniq; quod attinet ad inferiora bona, etiamsi secundū se appeti possint, vt sunt comedere, deambulare, & similia, nō tamen ad ea etiam secundum se sumpta determinauit naturæ Autor voluntatem quoad specificationem, quia etiam secundum se aliquod incōmodum coniunctū habent, propter quod reiici possint. Ex quibus liquido constat posse voluntatem ad omnes actus liberos etiam primos (*hoc est, qui alios volun tatis actus nō supponunt*) sese determinare, si non quoad specificationem, quod in multis sit ratione aliqua ab Autore naturæ determinata, certe quoad exercitium.

Similitudo & discrimen [illegible] primas.

Etiam ad primos actus liberos voluntas se determinat.

Ad secundum dicendum est, omnes actus liberos cadere sub electionem, & ex consequenti sub consilium, siue consultationem, siue deliberationem: (*hæc enim tria idem sunt*) sed cum duplex sit deliberatio, formalis scil. aut virtualis, satis esse, si primi actus liberi cadant sub virtuali, ac proinde non opus esse, vt eos præcedant alii priores, quia idem actus primus potest esse [illegible] medii celecti, vt lib. 6. dictum est.

[illegible] virtuali [illegible].

c. 1. q. 4. sect. 3

Ad tertium dicendum, voluntatem tunc mouere seipsam motu excitatiuo, cum ex intentione finis formaliter discurrit ad electionem mediorum: tunc enim alio actu intendit finem, alio eligit medium, nō autem cum vno, & eodem actu eligit hoc propter illud: nihil enim se ipsum excitare potest ad eum actum, quo se excitat, sed ad alium. Ceterum motu determinatiuo, seu reductiuo sui ex potentia ad actū, non dubium esse, quin ipsa se moueat, idq; effectiue: quia etsi est passiua respectu habituū, quos recipit, est tamen actiua respectu omniū suarum operationum, vt superius ostensum est. Cum aūt obiicitur, si mouens debet esse distinctum ab eo, quod mouetur, fieri non posse, vt voluntas se moueat ad primos actus, quia darentur actus priores primis, vt priorib. informata moueret se, & posteriores secundum se spectata reciperet: hunc in modum respondendum, volūtatem non mouere se, ac proinde non agere in se ipsam, nisi concurrente intellectu, & hoc satis esse, vt quatenus mouens distinguatur a se ipsa vt suscipiente motū, quem efficit. Sed quia dubium non leue est, quo pacto intellectus concurrat cum ea ad omnes eius actus, effectiuene, (*quæ erat tertia vsurpatio verbi mouendi ex tribus, quas superius explicauimus*) an vero obiectiue tantum tanquam proponens volūtati obiectum, in quod feratur, aut à quo diuertat, & finem, propter quem operetur: hoc ipsum è vestigio discutiamus.

[illegible] semper voluntas se mouet motu excitatiuo. Semper determinatiuo.

Solutio.

Voluntas, vt mouet, ratione intellectus concurrentis distinguitur a se ipsa vt mouente. q. 3. sect. 1.

Quonam pacto intellectus concurrat ad omnes voluntatis operationes?

QVÆST. VI.

Excluduntur quædam hac de re opiniones.

SECTIO I.

CVm ex dictis constet necessario intellectum concurrere ad actus voluntatis: reliquum est, vt videamus, num effectiue concurrat, an in alio causæ genere: an vero non alia ratione operatio intellectus sit necessaria ad operationem voluntatis quam vt conditio quædam, sine qua voluntas operari nō possit, quo pacto necessaria est propinquitas agentis, & patientis, vt alterum agat, alterum patiatur.

Prima sententia, eiusq; fundamentum.

Sunt, qui hoc vltimum sibi persuadeant. Quod ea ratione probant, quia vt voluntas

[illegible] satis est, si intellectus ei præsentet obiectum: ipsa n. ex se completam vim habet ad complectendum, aut reiiciendum hoc vel illud, si ei commode præsentetur: quod tunc fit, cũ intellectus ei ostendit, sitne illud conueniens voluntatem habenti, an aduersum: constat autem præsentationem obiecti non esse causam vllam operationis, sed conditionem, sine qua potentia non operatur, quemadmodũ de propinquitate agentis, & patientis dictum est. Quod si ita est, plane sequitur intellectum suis operationib. non concurrere ad operationes voluntatis in vllo genere causæ, sed in genere præsentantis causam.

Scot. in 2. d. 25. q. [illegible]. quodl. 9. q. 5.

Ac Scotus quidem, & alii complures post Henricum, sæpe dicunt, notitiam intellectus esse conditionem, sine qua voluntas nõ operatur, quatenus præsentat voluntati suũ obiectum: atq; eo pacto intellectum esse causam per accidens operationis voluntatis: sed cum non negent illum alia ratione esse veram causam operationum voluntatis, aut eas per se pendere ab operatione intellectus, sed potius id sæpe asserant: pauci admodũ erunt, qui expresse primam opinionem sequantur: tametsi non pauci sint, qui in eã nolentes incidant.

Dissolutio.

Nec certe ratio, cui illa innititur, aliquid cõficit, quia etsi voluntas habet ex se vim amplectendi bona, & reiiciendi mala, nõ tamen completam sine intellectu de bono, & malo iudicante.

Intellectum esse veram causam actuum volunt.

Statuimus ergo tanquam communem sententiam intellectum esse veram, & per se causam operationum voluntatis, etsi alia ratione dici possit præsentare causam quia præsentat obiectum, in quocunq; genere illud sit causa: ac proinde ea ratione esse causam per accidens illarum.

Secunda sententia.

Marsilius in 2. q. 16. existimat intellectum esse totalem causam effectiuam actuum indeliberatorum voluntatis: eorum autem, qui deliberati sunt, non aliter esse causam, quam instrumentalem, eo quod credat horum effectiuam principalem esse solam voluntatem. Priorem partem ex eo probat, quia si actus indeliberati essent effectiue à voluntate, non essent vtique naturales, siue necessarii, sed liberi, quod falsum est. Posteriorem autem supponit quasi certam, eo quod actus deliberati sint liberi, libertas autem sita voluntate tanquam à principali causa, ab intellectu autem non aliter, quam vt moto à voluntate.

Refellitur.

Verum hæc opinio facile refutatur quoad priorem partem. Primo, quia omnes actus voluntatis, siue liberi sint, siue non liberi, ab ea potentia effectiue procedunt, cuius sunt operationes vitales. Secundo, quia vt actus voluntatis sint liberi, non satis [illegible] ue procedant à voluntate, nec[illegible] est, vt voluntas nõ sit ad illos naturaliter determinata: quod de ea quoad actus [illegible] les dici non potest. Tertio, quia vnus [illegible] actus voluntatis potest esse prius na[illegible] postea liber, si à principio procedat in[illegible] rate, postea vero continuetur cum ad[illegible] tia intellectus aperientis voluntati [illegible] differentem ad opposita.

Respondetur quorum dici quo instrumentum intellectum instrumentum voluntat.

Quoad posteriorem vero ea ratione reiicienda est, quia etsi intellectus potest modo aliquo dici instrumentum voluntatis quoad exercitium, quia hoc pacto est illi subordinatus, & subiectus, imo etiam quoad indifferentiam specificationis: tamen quoad ipsam specificationem, quam actus naturaliter accipit ab obiecto, non est intellectus volũtati subordinatus, sed potius voluntas intellectui, vt omnes concedunt: at species, & forma effectus nõ tribuitur instrumento, sed principali agenti, vt forma animalis geniti ex semine non semini, sed animali generanti, & forma nauis non securi, sed artifici.

Tertia sent. Henr. quodl. 9. q. 5. & quod. 12. q. 26. Scot. in 2. d. 25. q. 1. Cap. q. 1. a. 3.

Henricus quodlibeto 9. & 12. & post eum Scotus in 2. distinct. 25. Capreolusq; ibidem cum aliis recentioribus D. Tho. sectatoribus existimant intellectum, seu (*quod eodem redit*) intellectionem non concurrere ad operationes voluntatis in genere causæ efficientis, sed tantum causæ finalis, & formalis.

Arg. ad probandum intellectum nõ concurrere efficienter ad oper. volunt.

Priorem partem multis argumentis probat. Primum, quia cum intellectus naturaliter operetur, si is concurret effectiue ad omnes actus voluntatis, nulla voluntatis operatio esset libera: concursus enim naturalis non causat effectum, nisi naturalem.

Deinde, quia intellectus non potest esse efficiens principale liberorum actuum, cum id munus voluntati debeatur: neque etiam instrumentale, cum actus intellectus nobiliores sint actibus voluntatis, neque id quod nobilius natura sua est, soleat esse instrumentum ignobilioris.

Tertio, quia si intellectus effectiue concurret ad actus voluntatis, quo intensiores essent actus intelligendi, eo essent intensiores actus volendi: cum tamen sæpe experiamur fingere voluntatem ad multa, quæ intellectus intensius iudicat esse amplectenda, aut reiicienda: contraque non raro voluntatem incensam esse ad ea, quæ intellectus nullo modo, aut remissius censet esse sequenda, aut relinquenda.

Quarto, quia si qua probabilitate diceretur intellectus effectiue concurrere ad actus voluntatis, ea potissimum ratione id [illegible] sit, quia notitia intellectus videtur efficax [illegible]

ma.

[illegible] quia voluntas operatur, & iuxta diuersitatem notitiarum diuersos actus elicit: at hoc fieri non potest: tum quia forma, qua agens operatur, debet esse in ipso agête: notitia vero intellectus non est in ipsa voluntate, sed in intellectu: tum etiam, quia actio nõ est principium agendi, cum actio, & agendi principium debent esse toto genere distincta.

Quinto, quia stante eadem notitia rei, potest voluntas per se, & non per accidens modo rem amplecti, modo reiicere: idem autem principium effectiuum nõ potest habere per se contraria effecta.

Sexto, quia si actus intelligendi effectiue concurrit ad actus voluntatis, actus quoque phantasiæ pari ratione concurret ad actum appetitus sensitiui: cum ergo phantasia sit in capite, appetitus autem sensitiuus in hepate, aut corde, dabitur causa efficiẽs, quæ agat in passum non sibi immediatum, quod est contra communem Philosophorum sententiam.

Postremo, quia superuacaneum est ponere in intellectu concursum vere effectiuum ad actus voluntatis, cum ad hoc, quod volũtas eliciat actus specie diuersos, satis sit ipsa naturalis consensio, & correspondentia potentiarum eiusdem suppositi inter ipsas: hac enim posita, non dubium, quin voluntas elicitura sit actum huius, vel illius speciei, quo se conformet cum notitia, quam intellectus habet de hac vel illa. Alioqui pari, & potiori etiam ratione, cum voluntas mouet intellectum ad intelligendum hoc, vel illud, dabitur in voluntate concursus effectiuus in intellectum: nec satis erit, vt id fiat naturali quadam obedientia, qua se intellectus conformet propensioni volũtatis: efficere autem voluntatem aliquid in intellectu vera, seu physica effectione, durum admodum videtur, præsertim cum nihil occurrat, quod voluntas in intellectu vere possit efficere, nisi forte cõcurrat ad ipsum intelligendi actum, quod tamen falsum est: operationes enim intellectus non pendent re ipsa ab operationibus voluntatis, cum potius eas suapte natura præcedant.

Addunt Thomistæ quidam hanc sententiam esse D. Th. tum quia 1. p. q. 82. art. 4. & 1. 2. q. 9. art. 1. ait intellectum mouere voluntatem in genere causæ formalis, & finalis: voluntatem autem mouere intellectum, & alias potentias sibi subiectas in genere causæ efficientis. Clarissime autem in 1. contra Gentes cap. 72. ait intellectum non secundum modum causæ efficientis, & mouentis, sed secundum modum causæ finalis mouere voluntatem.

Posteriorem partem assertionis ex eo probant, quia intellectus non aliter est causa operationis voluntatis, nisi quatenus ei proponit obiectum: & quia obiectum voluntatis non est causa efficiens eius operationum, vt aiunt, sed formalis intrinseca, & finalis: non efficiens, quia sæpe non existit, cum appetitur à voluntate, & aliquando est res impossibilis credita possibilis: formalis autem, & finalis, quia operationes voluntatis ab eo speciem sumunt, & gratia illius sunt: non est ergo intellectus causa efficiens operationum voluntatis in genere causæ efficientis, sed formalis, & finalis.

Quidquid tamen argumenta proposita concludant, opinio hæc re ipsa incidit in primam, etsi eius autores id minime videantur aduertere. Si enim intellectus non aliter est causa formalis: & finalis operationum voluntatis, nisi quatenus ei proponit obiectum & finem earum operationum: non erit vtique earum causa formalis, & finalis, nisi per accidens, ac proinde nullo modo erit earum per se causa, si non est efficiens per se. Neque aliter siue pro hac, siue pro illa sententia cũ probabilitate aliqua respõderi potest, nisi si quis dicat intellectum non esse per se causam physicam earum operationum, sed moralem: sæpe enim causæ efficientes per accidens physice, sunt per se efficientes moraliter: quo pacto nauclerus dormiẽs efficit naufragium per accidẽs physice, sed per se moraliter, cum nihil omnino efficiens physice, nihilominus sit per se reus naufragii, & iacturæ mercium. Sed cum multo probabilius sit notitiam intellectus non morali modo tantum, sed reali, ac physico esse causam per se effectiue cõcurrentẽ ad operationes voluntatis: hæc demum sententia expendenda, & constabilienda est.

Verior sententia in hac quæstione.

SECTIO II.

CVm quatuor sint vulgata causarum genera, materiale autem in hac re locum non habeat, in tribus aliis existimat D. Thomas intellectum esse causam operationum voluntatis, nempe in generibus causarum formalis, finalis, & efficientis: atque in hoc vltimo genere esse non solum causam per accidens, quatenus voluntati proponit obiectum, cuius ratione voluntas operetur, & à quo eius operationes specie accipiant: sed etiam per se, quatenus per notitiam obiecti, quam in se producit cum eius specie intelligibili, ad eas effectiue concurrit cum ipsa simul voluntate. Quo pacto Caietanus recte sanctum Doctorem interpretatur, cuiusque

Dur. q. 2. 7. Greg. 25. 3. Gr. Gab. ar. 3. Och. quodl. 1. q. 16. Palu. q. 3. Sonc. q. 11.

eiusque sententiam sequitur prima parte q. 80. art. 2. & 1. 2. q. 9. ar. 2 & q. 22. ar. 2. Eandem sequuntur Durandus in 2. distinct. 24. Gregorius, & Gabriel eodem libro. Ochamus in quodlibet. Paludanus in 4. distinct. 49. Paulus Soncinas in hunc librum, & alii complures.

Et quidem quod sit per accidens causa finalis, & formalis extrinseca earum operationum, quatenus voluntati offert obiectum, cum ex dictis pateat, & ab omnibus debeat concedi, non opus est, vt amplius confirmetur. Quod vero sit per se causa earum efficiens, quatenus concurrit cum voluntate tanquam causa illarum effectiua, his rationibus probatur.

Intellectum esse per se causam efficient. operationum volunt. probatur rationibus. Ferrar. q. 3. sect. 2.

Prima est, quia etsi voluntas & quoad exercitium actus, & quoad specificationem determinet intellectum determinatione libera vt superius ostensum est; tamen intellectus, quoad specificationem determinat voluntatem determinatione naturali; siquidem voluntas ita libere determinat intellectum, vt vicissim ab eo naturaliter speciem eius actus accipiat. Cum ergo danda sit aliqua forma, à qua effectiue specificetur actus; nec alia reperiatur, nisi notitia ipsius suppositi agentis; efficitur, vt quandocunq; voluntas se libere determinat ad exercitium actus huius vel illius speciei, tunc intellectus naturaliter concurrat effectiue ad eiusdem actus specificationem.

Neque obest, quod notitia intellectus non inhæret voluntati, vt voluntas per eam tanquam per suam formam operetur; satis enim est, si inhæreat intellectui partialiter concurrenti cum voluntate, præsertim cum non possit vtrique simul inesse. Quo pacto phantasia, & intellectus agens simul concurrunt effectiue ad productionem speciei intelligibilis per ipsum phantasma, quod soli phantasiæ inhæret: & visio beatifica producitur simul à beatis, & à diuina essentia per ipsam essentiam diuinam supplentem locum speciei intelligibilis; quæ tamen essentia intellectui beatorum non inhæret, vt tetigimus libro 1.

Vt queat voluntas per notitiam intellectui inhærentem tanquam per suam formam operari.

C. 2. q. 3. sect. 6.

Secunda ratio.

Secunda ratio. Actus primo primi voluntatis à notitia intellectus, seu (*quod eodem redit*) ab obiecto voluntatis, vt cognito, simul cum voluntate effectiue producuntur; ergo idem dicendum est de secundis, seu liberis. Antecedens probatur, quia actus illi sunt naturales, & necessarii; eorum autem necessitas aliunde prouenire non potest, nisi ab efficacia obiecti cogniti, vt cognitum est. Consequentia ex eo patet, quia si naturales effectiue causantur ab intellectu concurrente cum voluntate, ergo & liberi, cum iidem ipsi naturales accedente aduertentia, seu reflexione intellectus in eos possunt fieri liberi, quod & ipsa experientia docet. Nec satis est illa quorundam responsio, vt actus primo primi necessario eliciantur, satis esse ipsam naturalem propensionem voluntatis ad bonum apprehensum, nec dum deliberandum: id enim negamus, quia ad eliciendos quoscunque actus voluntatis non satis est qualiscunque eius efficientia; siquidem voluntas non potest efficiens completum sine forma aliqua aut adæquata suo effectui, aut eminenter illum continente; quo pacto etsi sol non operatur per formam adæquatam vni rei corruptibili; operatur tamen per formam eminenter continentem omnes corruptibiles: at voluntas, antequam operetur, nullam formam in se habet, siue particularem, siue vniuersalem, quæ eminenter plures contineat, sed in intellectu, quæ est notitia rei in quam voluntas fertur.

Actus primo primi, cur necessarii.

Tertia.

Tertia. Cæteræ potentiæ superiores effectiue mouent inferiores, exceptis vegetatiuis, quæ non obediunt superioribus: non est igitur, cur id negandum sit intellectui respectu voluntatis quoad id, in quo ei voluntas subiecta est, nempe quoad specificationem suorum actuum. Consequentia patet, quia intellectus nobilior est voluntate, & eleuatior. Antecedens probatur, quia voluntas effectiue mouet imaginationem, appetitum sensitiuum, & potentias loco motiuas, vt videmur experiri. Et confirmatur hæc ratio ex eo, quod Aristoteles addit lib. 1. cætera animalia imagitionibus, & memoriis viuere, hominum vero genus arte, & ratione. Quibus verbis principium instrumentale motionis omnium animalium à se ipsis supremæ omnium potentiæ attribuit. Quod si obiicias; ergo voluntatem non posse vicissim mouere effectiue intellectum, quod tamen omnes asserunt; respondendum est aliam esse rationem effectui motus potentiarum superiorũ in inferiores, aliam inferiorum in superiores; de quo discrimine in solutione argumentorum agendum.

Cap. 1.

Quarta.

Quarta. Magis indeterminata est voluntas creata ad agendum, quam creatus intellectus, vt ex supra dictis patet; at intellectus creatus non agit, nisi per formam aliquam adiectam, ergo nec voluntas creata: voluntati autem nihil adiici potest ad eliciendum actum volendi, ergo per formam adiectam intellectui, qui solus est potentia naturaliter illam præcedens sua operatione.

Quinta ratio ducta ex diuini amoris

Quinta. Quemadmodum ex diuina paternitate, vt Paulus ait, *Omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur*, ita ex diuino verbo, & spiratione... *Omnis paternitas in cœlo, &c.*

cælo & in terra nominatur, hoc est, imitatione quadam intelligitur: ita ex diuini amoris spiratione omnis amoris origo intelligi potest: atqui fides Catholica docet personalem amorem in diuinis produci à Verbo diuino, quod est notitia diuina personalis: ergo & amor actualis creatarum voluntatũ ab actuali notitia intellectus producitur. Id quod Augustinus adeo sibi persuadet, vt sæpe in libris de Trinit. ab origine amoris nostri, quem ait à notitia intellectus & voluntate oriri, assurgat ad diuini amoris spirationem. Neque obest, vt Diuus Thomas ait prima parte quæstione 37. art 1. quod verbum & amor in nobis sunt accidentia, in Deo autem subsistentia: quoniam licet subsistentia adiuncta Verbo tollat imperfectionem causandi, tamen non mutat rationem principii productiui ab vno genere in aliud.

Sexta. Actus fidei concurrit ad actum charitatis iuxta illud Pauli ad Galat. 5. *Fides, quæ per charitatem operatur*: non est igitur, cur notitia negetur effectiue cõcurrere ad actus voluntatis; quanquam enim voluntas est, quæ diligit, non autem intellectus; tamen intellectus dicitur operari per dilectionem, quia ad dilectionem effectiue concurrit: quemadmodum etsi Deus non dicitur comedere, aut ambulare, & alia plura opera nostra facere: tamẽ quia concurrit effectiue ad illa: idcirco Propheta de eo ait, *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine.*

Postrema ratio. Si sola voluntas produceret suos actus: cum ipsa sola eos recipiat, nulla esset in ea distinctio agentis, & patientis quoad absoluta. Ergo cum Aristoteles, & cæteri Philosophi sæpe inculcent necessario dãdam esse distinctionem aliquam inter agens, & patiens, idq; plane intelligant quoad absoluta: (*siquidem quoad relationes nihil erat dubii*) fit vt non sola voluntas producat suos actus, (*cum sola eos recipiat*) sed simul cum intellectu. Nec mihi vnquam visa est carere vitio distinctio illa (quam aliqui vsurpant,) de potẽtia formali, & actu virtuali, vbi nulla est distinctio in absolutis: videtur enim verbis conficta ad euadendum, & sumere quod erat probandum. Vbi ergo nulla est distinctio in absolutis, vt alterum sit actiuum, alterũ passiuum, qualia sunt in eodem viuẽte pars mouens, & mota: vel alterum est forma, qua agens agit, alterum id, in quo est ea forma: *quo pacto diximus superiori capite Angelum esse mouentem, & motum, quia agit motum per potentiam motiuam, & suo modo recipit motum nõ per ipsam motiuam potentiam*) non video, quo pacto seruetur sufficiens ratio distinctionis agentis à patiente. Ita patet intellectum, eiusque notitiam effectiue concurrere ad actus voluntatis.

In hac autem sententia est Aristoteles 3. de Anima c. 10. vbi ait appetibile cognitum esse mouens non motum: appetitũ vero esse mouens motum: mouens, quia mouet ipsum animal: *neq; aliter proculdubio, quam effectiue*) motum autem non quia recipiat aliquid ab appetibili cognito, siue ab ipsa eius notitia: sed (*quod necessario subaudiendum est*) quia eius notitia concurrit effectiue ad ipsum actum appetitus: quo pacto causæ per se subordinatæ superioribus causis dicuntur ab eis moueri, non quod ab eis aliquid recipiant, sed quia superiores ad earum effecta concurrunt.

Qua in re Caietanus ad primam partem q. 80. ar. 2. scite philosophatur exponens ea loca in quibus D. Th. facit voluntatem potentiam non solum actiuam, sed etiam passiuã: sic enim ratiocinatur. Si volũtas patiatur ab appetibili vt cognito, siue intellectu vt cognoscente: nec patitur ab eo, recipiẽdo quidquam præuium suis operationibus: ergo ea sola ratione ab eo patitur, quia est ei effectiue subordinata in operando. Quod idem aperte docet D. Th. q. de verit. artic. 12. cum ait, sicut calor est ratio igni, vt calefaciat, ita notitiam esse voluntati rationem, vt velit.

Nec satisfaciunt, qua dicunt Arist. eo loco esse intelligendum de motione metaphorica qua finis dicitur trahere appetitum: totus enim is progressus, qui eo loco tractatur, est de vero motu, non de metaphorico, vt patet ex antecedentibus, & consequentibus, quæ de causis vere efficientibus traduntur: tametsi cum motione vera, & reali ex parte causarum efficientiũ mediarum, misceatur motus metaphoricus obiecti effectiue causantis per ipsam notitiam intellect⁹. Causę enim mediæ efficientes non solum pendent à prima in genere causæ efficientis, sed etiam finalis, cuius amore trahuntur ad agendum: cum tamen prima à nulla superiori seu efficiente, seu finali pendeat, vt vel metaphorice ab illa moueatur. Quo in sensu propositam assertionem Commentator in librum 12. huius operis aperte declarat pronuntiato illo in vtraq; schola recepto, ac celebrato, *Balneum*, inquit, *in anima* (hoc est, vt apprehensum tãquã conueniens) *efficit desiderium*. Atq; propter coniunctionem earum motionum veræ, ac metaphoricæ, quibus primum mouens mouet secunda mouentia, nonnulli à motione vera ad metaphoricam in causarum efficientium subordinatione diuerterunt.

Gggg Solutio

Solutio argumentorum aliarum opinionum.

SECTIO III.

[illegible]

AD argumētum igitur primæ opinionis; si quis eam, vt sonat amplectatur, ita respondendum est; si sola præsentatio obiecti voluntatis, quam facit intellectus, satis esset, vt voluntas operaretur: neq; ipsum obiectū præsentatum quidquam in eam efficeret: eodem modo eludere possemus omnem actionem agentis propinqui, veluti præsentis colorat in oculum, & præsentis ignis in materiam combustibilem: dicere enim similiter possemus, coloratum præsens non producere sui speciē in oculo, sed oculum ad præsentiam illius; & materiam combustibilem non pati quicquam ab igne præsenti, sed ipsam se comburere ad presentiam ignis. Oportet igitur obiectum voluntatis non solum fieri voluntati præsens per notitiam intellectus, sed etiam ipsum iam eo modo præsens effectiue causare, ac specificare operationem voluntatis, etiam si voluntas sit effectiua causa suarum operationum. Argumenta vero Marsilii ipsa eius sententiæ impugnatione soluta relinquuntur.

[illegible] secunda [illegible] impugnatione [illegible]

Primum denique tertiæ sententiæ soluitur exemplo generalis cōcursus diuini. Nam quemadmodum is, cum effectiuus sit respectu creatarum voluntatum, etiamsi naturalis, ac necessarius esset necessitate naturæ nihil impediret earum libertatem, vt ostendimus lib. 6. quia determinatur ad certum speciei effectum ab electione voluntatis creatæ: ita concursus effectiuus intellectus nostri ad actus nostrarum voluntatum, cum generalis sit, & ad vtramque oppositionis partem indeterminatus, per ipsum concursum voluntatis, cum qua cooperatur, determinatur ad vtramlibet partem oppositionis nullatenus læsa eius libertate. Cum enim intellectus opposita indifferenter proponit voluntati, illaque hoc vel illud amplectitur, eadem notitia, quam ipsa sequitur, cum ea cooperatur in ipso libero amplectendi actu, atq; in cæteris. Alii breuius respondent, cum duæ causæ efficientes concurrunt ad eundem effectum, satis esse, si altera sit libera, vt effectus, libere producatur: sed, cum eius responsionis fundamentum quæritur, hoc ipsum reddendum est, quod nunc tradidimus.

[illegible] 2. [illegible]

Vt concursus intellectus à voluntatis concursu determinetur.

Ad secundum dicendum est, intellectum esse partiale agens in operationibus voluntatis: proinde nec proprie principale, nec instrumentale. Habet tamen similitudinem cum principali, quatenus est indifferens ad omnes voluntatis operationes: cum instrumentali autē, quatenus voluntas [illegible] vel illo eius iudicio ad hoc vel illud amplectendum, vel repudiandum. Sed hæc ratione præcipue distinguuntur concursus intellectus, & voluntatis ad eosdem actus, quatenus sola voluntas concurrit vt determinatiua liberorum.

Tertium facile diluitur ex ipsa voluntatis natura, cuiquemadmodum liberum est hanc potius oppositionis partem, quam illam sequi: ita liberum est intensius aut remissius id facere: nam & hoc consequenter repræsentat intellectus, vt illa libere quasi videat, non solum vtrum malit oppositorum, sed etiam, vtrum malit amplectendi, aut refutandi modum: alioqui libera esset quoad substantiam operationis, non quoad modum operandi. Nec certe hunc modum repræsentādi opposita impedit aut intensio, aut remissio repræsentationis: quantumcunq; enim illa sit intensa, aut remissa, semper opposita repræsentantur, vt dictum est. Alii respondent, etsi intellectus concurrens cum volūtate intensius operetur, non effici tamen, vt intensius operetur voluntas, quia hæc, cum operetur libere, potest moderari naturalem cōcursum intellectus. Sed nō omnino placet solutio, quia voluntas libere ad agendum non tam [illegible] intentionem iudicii, quam indifferentiam oppositionis propositæ ab intellectu, & circa ipsa opposita obiecta, & circa opposita [illegible]ctiones, & agendi modos.

Voluntas [illegible]

Ad quartum dicendum est, cum omnis appetitus animalis, siue sensitiuus ille sit, siue rationalis, sequatur formā in esse apprehenso, & in hoc distinguatur ab appetitu mere naturali, qui sequitur formam in esse reali, necesse idcirco esse, vt sequatur formam, quam in se non habet, sed in ea potentia apprehensiua, cui adiūcta est quæ potentia est sensus, vel intellectus. Vnde tamen abest, vt necesse si voluntatem nō operari per notitiam, quæ in solo intellectu est, vt id sit maxime conueniens, atq; adeo necessarium. Quod autem additur, vnam actionem non posse esse principium alterius actionis, falsum est in diuersis potentiis, vt patet in externis actionibus animalibus, & humanis, ad quas concurrunt vel immediata principia actiones interiores, quibus exteriores per se subordinatæ sunt, de qua re mox dicetur fusius.

Cur appetitus [illegible]

Ad quintum dicendum, nunquam in intellectu esse vnam tantum notitiam, si voluntas libere operatura est, cum necesse sit, vt proponantur opposita, nec tantum quoad obiecta ipsa, sed etiam quoad actiones, & agendi

[illegible] modos, vt superius ostensum est. Alioqui si intellectus vnum tantum oppositorū, & modum operandi proponeret, quod facit sensus in brutis animantibus, nō operaretur libere voluntas, vt patet ex iis, quæ Arist. docet hoc cap. & inferius cap. [illegible]

[illegible] phantasiam effectiue concurrere cum appetitu sensitiuo.

Ad sextum concedendum est, phantasiam quoq; per æstimationem boni, & mali effectiue concurrere cum appetitu sensitiuo ad eius operationes: addendumque nullum esse incommodum, si organum phantasiæ distet situ ab organo appetitus, cum forma quæ est primum agendi principium, sit in toto supposito. Qua in re nonnulla cernitur participatio diuinæ potestatis, quæ vbique præsens est, cum eius ope nihil repugnet res omnino separatas, aut distantes inter se posse alias in alias agere, sine interuentu alicuius interiectæ substātiæ, in quam prius agant, vt Theologi tradunt, & sæpe accidere concedunt: velut cum diuina virtute absentes se vident, & inter se colloquuntur. Quod autem Philosophi dicunt nihil agere in remotum, nisi prius agat in propinquum, neque ab omnibus admittitur, neq; intelligitur, nisi de rebus supposito distinctis, de quib. soli disputat. Quin etiam in reactione sæpe corpora interiecta nihil patiuntur, & tamen agentia & patientia hinc & inde in se mutuo agunt.

[illegible] propinquum. Superiores potentiæ accommodant se inferiorib. quin quicquam imprimant, aut concursu, ab eis [illegible].

Ad vltimum dicendum, in potentiis quidem superioribus apprehensiuis, ad quarum operationes potentiæ inferiores concurrere non possunt, satis esse consensionem, & conuenientiam quandam inferiorum cum ipsis propter commune aliquod bonum suppositi, in quo vtræque sunt: satis, inquam, esse, vt superiores sæpe inferioribus se accōmodent in operando. Hac enim ratione verum est id, quod Arist. ait 3. Ethic. *Qualis vnusquisq; est, talis ei videtur finis*, hoc est, iuxta effectum voluntatis, aut etiam appetitus sensitiui, sæpe indicat intellectus de fine proposito, & ex consequenti de mediis ad illum accommodatis. Quod idem cernimus in æstimatiua, quæ sæpe etiam iudicat aliquid esse conueniens, vel aduersum appetenti, prout appetitus est affectus ad obiectum propositum, cum interim nec voluntas quidquam inprimat in intellectum, aut concurrat ad ipsum intelligendi actum: neq; item appetitiuus sensitiuus in æstimatiuam, aut ad eius actum concurrat. At in potentiis appetiuis, & locomotiuis, quæ apprehēsiuis internis subordinatæ sunt, (excludamus enim motiuam cordis, & genitalium, quæ apprehensiuarum operationem præueniunt) alia ratio est. Quod enim appetitiuæ concurrant effectiue ad operationem motiuarū sibi subordinatarum, pene ocula-

[illegible] appetitiuæ, [illegible] apprehensiuæ.

ta experientia constat, cum more potius instrumentorum separatorum, quæ effectiue mouentur ab opificibus, obediant appetitiuis potentiis. Quod vero apprehensiuæ internæ effectiue cōcurrant cum appetitiuis, iam ostensum est, & nunc pressius ostendetur ex ipsa specificatione actuum voluntatis, & appetitus. Necesse est enim, vt eorum specificationis assignetur aliqua effectiua causa, non quæ solum gradum ipsum specificum producat (nulla enim causa effectiua est, quæ non producat omnes gradus genericos sui effectus simul cum specifico) sed cui peculiari ratione tribuatur eius productio. Quo pacto, etsi equus, cum producit equum, etiam producit animal simul, & viuens, & substantiam & ens: tamen ei, quatenus est equus, solum tribuitur, quod equum produxerit, vt a cæteris speciebus animalium distinguitur. Nam quod equum genuerit quatenus animal, aut viuens, & ipsi etiā, quatenus animal est, aut viuens, & causis vniuersalib. ascribitur: quia animal fit per causas naturales ex non animali, & viuens ex non viuente, quatenus autem est substantia, vt ens, soli Deo attribuitur, quia nulla creatura facere potest aut substantiam ex non substantia, aut ens ex non ente. Cum ergo potentiæ appetitiuæ animales sequantur in operando aliquam formam in esse concepto, seu apprehenso, necessario efficitur, vt illam sequantur quoad omnes eius gradus tam genericum, quam specificum: vnde fit, vt nullum actum elicere possint, nisi concurrente simul apprehensiua aliqua potentia.

Probatio de appetitiuis.

Vt quidam contra philosophentur.

Quapropter non recte sentiunt, qui putant satis esse ad actus voluntatis, & appetitus sensitiui specificandos, ipsa eorum obiecta in genere causæ formalis obiectiuæ, seu terminatiuæ, præmittentes omnino causam effectiuam eorum specificationis, tradentes quæ solam generalem omnium, ipsam videlicet potentiam voluntatis, & appetitus sensitiui. Dicunt enim, quemadmodum loci, ad quos per motum localem tenditur, satis sunt ad specificandos motus locales, quia sunt illorum terminatiui: ita satis esse ad specificandos actus voluntatis eorū obiecta, in quæ illi feruntur, & ad quę terminantur, etiāsi in causa effectiua motus, seu potius in eius principio effectiuo nullū sit specificandi discrimen. Quod confirmant ex ascensu, & descensu grauium, & leuiū, qui motus cum differant specie, sæpe tamen proueniunt à principio effectiuo eiusdem speciei, vt patet in aqua, quæ impulsu eiusdem principii effectiui ascendit in terra, & descendit in aere: & in ascensibus, & descensibus progressiuis animalium,

quæ impulsu eiusdem principii effectiui ascendunt, & descendunt. Nec desunt etiam inter hos, qui vt distinctius loquantur, dicãt principium effectiuum eiusdem speciei, quo vterque appetitus producit actus tam multarum specierum, esse diuersas propensiones voluntatis, & appetitus sensitiui ad diuersa obiecta; neq; opus esse aliam specificam distinctionem principiorum efficientium in causa effectiua quærere.

Impugnantur eorum fundamenta.

Sed ad hæc inprimis respondendũ est, id, quod aiunt de elementis, falsum esse: ascensus.n.& descensus eiusdem elementi, cum in diuersis sursum & deorsum mouetur, nõ esse diuersarum specierum; quia vt sunt ad eundem locum naturalem, ita ab eodem specie principio effectiuo: ascensus autẽ, & descensus diuersorum, quemadmodum sunt ad loca diuersarum specierum, ita & oriri à diuersarum specierum principiis; quod in omnib. aliis motibus naturalibus, vt distinguuntur à motibus animalib. cernere est. Deinde, in ascensibus, & descensibus animalium, cum vt animalia, & non vt grauia, & leuia mouentur, imo & in aliis eorum motibus specie diuersis, vt in progressu, & regressu, saltatione, reuolutione, & similibus, etsi principium generale est idem appetitus; tamen specialia tã multa esse, quam multi sunt ipsi motus: sunt enim tam multa, quam multi sunt ii conceptus, siue apprehensiones locorum, aut situum qui huiusmodi motibus petuntur, ita vt, quatenus hi loci, aut situs res sunt sint causæ formales, & finales terminatiuæ; quatenus aũt concepti, sint principia specialia effectiua talium motuum. Deniq; qui distinguunt propensiones appetituum ab ipsis potentiis appetentibus, tanquam principia effectiua ab efficientibus, parum philosophice loquũtur, quia isto modo confundunt appetitum animalem cum naturali. Nam etsi voluntas, & appetitus sensitiuus, quatenus ex suis naturis & essentiis naturaliter appetunt quælibet obiecta conuenientia rebus appetentib. sunt propensiones quædam in eadem obiecta, neque ad id opus habent noua efficiendi vi, cum cuiusq; earum propensio semper sit in actu ab ipso rerum appetentium ortu; tamen quatenus sunt appetitus animales, nihil appetunt, nisi præuia notitia speciali obiecti conuenientis, in qua includitur notitia omnium graduum generalium ipsorum actuũ. Cũ ergo huiusmodi appetitus non sunt formaliter potentes ad producendos suos actus nisi per formas intentionales, quæ sunt ipsæ obiectorum apprehẽsiones; efficitur; vt nullos producere possint, nisi concurrentibus simul effectiue potẽtiis apprehensiuis, etiamsi denominatio actuum ipsis solis appetentibus conueniant. Nam etsi omne appetens concurrit effectiue ad appetitionem, tamen non omne, quod effectiue concurrit ad illam, etiam appetit, quod vel in Deo ipso perspicuũ est, qui ad omnes appetitiones nostras effectiue concurrit, non tamen omnia, quæ appetimus, appetit.

Est tamen non leue dubium apud Thomistas circa opinionem D. Th. de concursu intellectus ad operationes voluntatis; quod dubium æque haberi potest de phantasiæ concursu ad operationes appetitus sensitiui. Nam D. Tho. vt pro parte opposita dictum est, expresse ait 1. contra gentes ca. 72. intellectum nostrum non secundũ modum causæ efficientis, & mouentis, sed secundum modũ causæ finalis mouere voluntatem: in locis autem supra citatis ait, voluntatem esse potentiam passiuam, nec dubium quin respectu intellectus tanquã efficientis causæ; quæ duo quidem inter se videntur pugnare. Capreolus sic ista conciliare nititur, vt dicat D. Thomam in loco citato cõtra Gentes, intelligendum esse de motu vere effectiuo, in cæteris autem de motu metaphorico, quo nimirum repræsentando obiectum metaphorice dicitur illam trahere, quia cum illam alliciat, habet se more trahẽtis respectu illius. Caietanus 1. parte quæst. 80. articul. 2. vtraq; loca intelligit de causa vere efficiẽte; sed vbi D. Thomas negat intellectum cõcurrere ad actus voluntatis secundũ modum causæ efficientis, idq; concedit secundum modum causæ finalis, & ex consequenti formalis extrinsecæ, seu terminatiuæ, sic ait eius sententiam exponendam esse, quasi dicat intellectum, id est, notitiam intellectus non concurrere ad actus volũtatis tanquam causam, quæ efficit, sed tanquam principium, quo efficiens efficit; quod efficiendi principiũ semper coincidit, seu potius est idem cum conditione, sine qua finis nõ causat, quia sine eo non allicit causam efficientem ad agendũ. Deniq; Ferrariensis in lib. citato D. Thomæ contra Gentes c. 44. quasi arbiter inter vtrũque autorem distinguens actus voluntatis in actus circa finẽ, & circa media, existimat D. Thomam, cum ait intellectum non causare per modum causæ efficientis, intelligẽdum esse de actibus voluntatis circa finem; cum autem significat esse causam effectiuã, intelligendum esse de actib. voluntatis circa media, eo quod voluntas per actum, quo vult finem producat actus, quibus vult media ad finem.

Prima expositio.

Neutra tamen duarũ extremarum expositionum placet, nec prima, inquam, nec tertia.

... non prima, quia etsi finis, vt finis est, hoc est, secundum esse reale, mouet metaphorice voluntatem; tamen secundũ esse apprehensum, seu per apprehensionem sui ipsam mouet effectiue. Vnde fit, vt cum Arist. reducit omnes motus ad motum, quo primum mouens mouet primum mobile, vt causa finalis eius motus quo illud mouet, simul etiam reducat illos ad motum, quo idem mouet illud vt causa efficiens: siquidem primum moues, quatenus est supremus finis, mouet primum mobile tanquam amabilissimũ quid, & propter quod primum mobile mouetur: quatenus autem à se ipso apprehenditur, vt conuenientissimum primo mobili, & cæteris, quæ ab illo pendent, mouet illud vt efficiens motum. Alioqui progressus Arist. quo l. 12. huius operis colligit primum mouens (vera nimirum, & reali efficientia, quam demonstrare nititur) neque vniformis esset, neque etiam certus. Tertia vero expositio, quæ quasi media à suo autore fingitur, nõ est ad rem: aliud enim est actum volendi finem esse principiũ, quo voluntas producit actus volendi media, quocunque modo id verum sit, de qua re in hac controuersia non disputamus: aliud notitiam finis esse principium eorum effectiuũ: quod quemadmodum verum est, ita etiam, atq; adeo potiori ratione est verum eandem finis notitiam esse principium effectiuũ, quo voluntas vult ipsum finem: nisi quod huius est immediatum principium, illorum autem mediatum vt verius etiam dicatur principiũ volendi finem, quam media ad finem.

Cap. 6. & 7. à tex. 3. Reiicitur tertia.

Placet prima.

Placet ergo magis expositio, & sententia Caietani tanquam verior, & melius fundata & in rebus ipsis, & in iis, quæ Diuus Thomas diuersis in locis scribit, etsi recentioribus quibusdam minus placeat. Et vero licet Caietanus bonus Diui Thomæ enarrator aliquando dormitat, & nonnunquam obscurius loquatur, commentationesque suas ita extenuet, vt euanescere, sensumque diffugere neque in rebus extare videantur, nullus tamen sancti Doctoris expositor aut formalius ad disputationem, aut acutius ad examen aut expeditius ad resolutionem videtur loquutus. Itaque notitia intellectus ex sententia Diui Thomæ in loco citato non mouet voluntatem, sed vt principium, quo ipsa se mouet & in se efficit motum: ipsa enim voluntas efficit in se motum volendi, non tamen aliter, quam specificatum à notitia intellectus tanquam à principio effectiuo specificationis illius.

Num intellectus, & voluntas moueantur à phantasia, & appetitu sensitiuo.

SECTIO IV.

Consequens est, vt videamus, moueantur ne vicissim intellectus, ac voluntas ab inferioribus facultatibus, quas illarum arbitrio subesse, & ab eis moueri diximus. Ac de motu excitatiuo non dubia est pars affirmatiua, cum tota sensitiua pars in hac vita sit animæ nostræ quasi suburbium, quo & omnis rerum notitia, & omnium affectuum occasio ad mentem quasi ad aerem ingreditur. Itaque per has potentias ponit diuina prouidentia superiores facultates in eo statu, vt possint suo quæque modo libertatem exercere. Sic enim per se causas naturales omnia extrinsecus disponit, ac præparat, vt tota sensitiua parte certis temporibus suis muneribus apte fungente, in plena nimirum vigilia, adiuncta internorum, externorumque membrorum sanitate mens libero suo dominatu vti possit.

Non ambitur de motu excitatiuo.

De motu autem determinatiuo negatiua pars certa est, quandocunque superiores facultates solutæ sunt, & minime ligatæ: semper enim hoc pacto absoluta determinatio ad alteram partem penes voluntatem est, quidquid inferior pars reclamet, iuxta illud Domini ad Cainum in Genesi: *Sub te erit appetitus eius*, (nempe peccati) *& tu dominaberis illius*. Dixi (*Quandocunq; soluta sunt*) quia si sint ligatæ, & impeditæ vel somno, vel nimio aliquo, ac vehementi affectu sensitiuæ partis, vt nimio dolore, aut voluptate, non funguntur superiores contra impetum passionis libertate sua, nisi supernaturali gratiæ diuinæ subsidio roborentur, quod in Beatis Martyribus, & in multorum sanctorum insignibus maximarum tentationum victoriis accidisse nouimus: Addidi (*Absoluta determinatio*) quia non negamus posse redundare in partem superiorem affectus quosdam indeterminatos, hoc est, extra consensum, quos voluntas superare nequeat. Verum hoc non est vinci ab inferiori parte sed vehementer quasi tangi, & pulsari iuxta illud Augustini, *Non est in potestate nostra visis non tangi*. Atque hæc assertio definita sæpius est ab Ecclesia, & nuper in sessione . Synodi Trident. Canone 5. & 6. cõtra Lutheranorum insaniam, qui nos mancipia faciunt non modo vehementium passionum, sed omnis etiam concupiscentiæ. Non est tamen negandum aliquando penitus trahi voluntatem passionibus etiam leuibus, si plenum intellectus iudicium antecedant, vt in motibus primo primis, in quibus illud

Quid absolute dicendum de determinatiuo.

Cap. 4.

Redundare in partem superiorem inferioris affec.

Lib. ... arb. c. ...

illud verum est, etsi intellectus aduertat ad id, quod pars sensitiua proponit, non tamen plene aduertere.

Quid censendum de concursu phantasiæ cum intellectu.

Denique de motu effectiuo, & omnino causatiuo in quouis alio causæ genere distinctione opus est. Nam de phantasia illud est non minus probabile, quam vulgatum inter Peripateticos Philosophos, & grauiores Theologos, concurrere illam effectiue cum intellectu agente ad productionem primarũ specierum intelligibilium: nec minus etiam probabile eandem effectiuo etiam causandi modo concurrere cum intellectu possibili specie aliqua intelligibili informato, ad determinatam singularium materialium notitiam: idque in huius mortalis vitæ statu, in quo natura aliquanto parcior phantasmatis suppleri voluit nostratium specierum intelligibilium inopiam, quæ inopia nulla erit siue in statu animæ separatæ, siue glorioso iterum corpori vnitæ, de qua re non nihil actum est lib. 1. & fusius agetur lib. 12. De appetitu autem sensitiuo non eadem est ratio, cum instructa iam parte intellectiua vniuersali, & particulari rerum cognitione, nihil opus sit vlla efficientia appetitus in intellectum, ac voluntatem, siue vt intellectus singularia cognoscat, siue vt voluntas eadem amplectatur, aut reiiciat.

Communis assertio.

Est ergo communis Theologorum sententia, appetitum sensitiuum nõ mouere effectiue intellectum, aut voluntatem: posse tamen indirecte voluntatem mouere in genere causæ finalis, & quodammodo formalis. Prior pars huius assertionis ex eo primum cõstat, quia vt proxime dictum est, efficientia sensitiuæ partis intellectum, ac voluntatem nullo modo est necessaria, instructa iam parte intellectiua vniuersali, & particulari rerum cognitione. Deinde, quia rationi consentaneum est, vt potentiæ superiores se habeant ad inferiores quoad efficientiã eo modo, quo superiores orbes cœlestes se habent ad inferiores, quod innuit Aristotel. 3. lib. de Anima cap. 10. præsertim, cum homo paruus mundus appelletur: at superiores orbes effectiue mouent inferiores, nec vicissim ab eis mouentur.

Præmunitur obiectio.

Neque obest id, quod dictum est de efficientia phãtasiæ in intellectum: nam præterquam quod in rebus æque rationi consentaneis non quoad omnia quærenda est similitudo, certum est phantasiam nec solam, nec propria virtute agere in intellectum possibilem, sed virtute intellectus agentis, aut etiam ipsius possibilis: efficientia vero appetitus sensitiui in intellectum, aut voluntatem ne virtute quidem earum potentiarum vlla pacto necessaria est, siue vt intellectus aliquid intelligat, siue vt voluntas aliquid velit, aut nolit, vt iam patuit.

Posterior pars ea ratione probatur, quia cum intellectus iudicat de rebus appetendis, & respuendis, prout sunt conuenientes, aut aduersæ toti supposito, aut cuicunque eius parti si appetitus sensitiuus vehementiori aliqua passione seu gratæ rei, seu molestæ teneatur, occasionem præbebit intellectui, vt rem eandem repræsentet voluntati vt cõuenientem, & amplectendam, aut aduersam fugiendamque, quam tamen contraria, aut alio modo diuersa dispositione affecto corpore non tale esse iudicaret. Hoc pacto applicatio ad ignẽ iudicatur ab intellectu conueniens, & amplectenda, cum friget corpus, quæ tamen aduersa, & fugienda iudicaretur, si illud æstu laboraret. Eademq; ratione ait Aristotel. 2. Rhet. ad Theodecten, non eadem iudicari ab iis, qui affectu amoris tenentur, & ab iis, qui perturbatione odii: nec ab iis, qui pacato sunt animo: satis autem patet hunc modum, quo appetitus proponit voluntati sibi consentaneum obiectum (*quod nunquam fiet, nisi mediante intellectu*) non esse directum sed indirectum, quia appetitus non est potentia apprehensiua, vt directo, ac per se illud possit ei proponere.

Probatur item eadem pars ex triplici illo impedimento, quod Theologi communiter dicunt, appetitum sensitiuum afferre libero arbitrio: namque ratio nunc proposita non ex impedimento, sed ex consensione potentiarum ducitur. Primum impedimentum est ligaminis, vt vocant, alterum distractionis, tertium contrarietatis. Tunc enim necessario quasi ligatur, & omnino impeditur ratio, quæ radix est libertatis, ne suo munere fungatur, cum passio appetitus sensitiui ita est vehemens, vt hominem in insaniam vertat, quæ nihil est aliud, quam tanta perturbatio phantasiæ, vt rite ministrare non possit intellectui, siue id fiat læso omnino eius organo, siue confusis phantasmatibus: quod fit tumultuantibus sine vllo ordine iis spiritibus, quibus animalis, seu sensitiua vita administratur. Atque hoc impedimentum afferri ex parte subiecti perspicuum est. Impedimentum vero distractionis, quod etiam ex parte subiecti rationi affertur, est, cum appetitus sensitiuus ita intentus est in suum obiectum, vt vel magnam partem vigoris animi, vel etiam totum suffuretur, vt parum, vel nihil sit reliqui, quo tunc pars intellectiua vti possit. Cum enim naturalis virtus animæ nostræ finita sit, suæque habeat potestatis terminos, quanto magis ea vtitur vna potentia, eo minus

Tertium contrarietatis.

... quæ vti possunt. Tertium impedimentum, quod affertur ex parte obiecti, est, cum appetitus sensitiuus aduersatur appetitui intellectiuo, & cum eo ex aduerso pugnat oppositum iudicante phantasia ei, quod iudicat intellectus, quæ pugna manifesta est in homine continente, nec dum perfecte virtute edomito passionum impetu. Quam pugnam in se transfigurabat Paulus ad Romanos 7. cum dicebat: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Ita patet appetitum sensitiuū nihil effectiue causare in potentias superioris intellectus, & voluntatis, sed solum obiectiue, idque indirecte, seu, vt Caietanus ait, occasionaliter, cum occasio est, vt intellectus suo iudicio illi se accommodet, vt ex priori ratione patet: vel cum eo depugnet, & illum aliquando vincat, aliquando ab eo vincatur, vt patet ex posteriori. Obiectiua autem causandi ratio (*cum pure obiectiua est*) idcirco in solam finalem, & formalem extrinsecam incidit, quia actus voluntatis tendit in obiectum conueniens vt in finem obtinendum, & terminatur ad illud tanquam ad id, vnde formam, siue speciem quodammodo sumit: effectiue enim à voluntate eam accipit, vt supra diximus, non nude tamen accepta, sed notitia intellectus quasi informata: ac proinde concurrente ad eam effectionem intellectu, obiectoque ipso non secundum esse reale, quo pacto est finis, & quodammodo forma extrinseca, sed vt apprehensum est, hoc est, ipsa sui apprehensione.

Recentiorum opinio de redundantia.

Sunt tamen ex recentioribus, qui per solam redundantiam, vt appellant, existiment appetitum sensitiuum aliquādo mouere voluntatem. Redundantiam autem vocant immediatam sequelam, qua credunt voluntatem nonnunquam se accommodare appetitui sensitiuo nulla mediante repræsentatione intellectus, qua prius tempore, aut natura obiectum sensitiui appetitus supposito appetēti conueniens esse iudicetur: siue id accidat, quia appetitus effectiue eum motum causet, siue quouis alio modo. Id quod primum ex eo probant, quia sæpe euenit, vt cum appetitus intensius afficitur erga rem aliquam, statim ad eam voluntas trahatur. Deinde, quia si nunquam voluntas accommodaretur appetitui contrarium cupienti, nisi variato iudicio intellectus, satis esset ponere virtutes moderatrices passionum in solo intellectu, quia satis esset rectificari iudicium rationis, vt passionibus moderatio adhiberetur: quo fieret, vt virtus continentiæ non in parte appetitiua, sed in intellectiua ponenda esset contra omnes Theologos, & pari ratione cæteræ virtutes morales, verumque esset erronea illa sententia Socratis, virtutes morales nihil esse aliud, nisi quasdam prudentias. Postremo, quia cum phantasia immediate agat in intellectum, non est, cur pari ratione non sit concedendum appetitum sensitiuum immediate agere in voluntatem.

Apud Arist. 6. Ethic.

Refutatur opinio.

Verum hæc opinio tanquam aliena à communi Theologorum sententia reiicienda omnino est, iuxta ea, quæ superius dicta sunt, vbi ostendimus semper voluntatem sequi aliquod iudicium intellectus aut absolutum, aut conditionatum, præeunte semper intellectu voluntatem, vt interiori sensu sensitiuū appetitum: præsertim cum indignum sit reginam voluntatem immediate sequi affectū veluti mancipii appetitus sensitiui. Neque argumenta eorum autorum quidquam efficiunt. Non primum, quia nihil refert, si sæpe accidat, vt voluntas continuo sequatur vehementiorem aliquam passionem, quandocunque prius tempore, aut natura iudicium intellectus accommodatur iudicio sensus. Non secundum, quia etsi necessaria est rectificatio iudicii ad rectitudinem, moderationemque passionum efficiendam, non est tamē id satis, vt appetitus suauiter, ac prompte, (quod ex habitu) operetur, si in eo quoque non sit ipse habitus passionum moderator. Non tertium, quia alia ratio est in phantasia alia in appetitu sensitiuo, vt illius actio in intellectum sit necessaria, huius autem minime, vt paulo ante ostendimus.

Quo pacto potentiæ motiuæ animalium seruiant locomotiuis.

SECTIO V.

Svperest, vt explicemus, quo pacto quatuor interiores potentiæ, duæ apprehensiuæ, & totidem appetitiuæ, quæ suo quæque modo in rationalibus numerantur, vtantur potentiis motiuis, quæ sunt in membris ac musculis, ad motum localem animalium, siue internum, siue externum, exercendum: ad quam dubitationem tria breuiter dicenda sunt.

Primo asserit...

Vnum est, potentias motiuas animalium motu progressiuo (*de his enim hac in re cum Aristotele agimus*) esse distinctas ab apprehensiuis, & appetitiuis, non solum ratione, & natura, sed etiam reipsa. Tum quia in animalib. quæ habent vim progressiuam, apprehensiuæ, & appetitiuæ, quib. progressio dirigitur, & principaliter administratur, habent certas sedes in corpore; motiuæ autē per totū diffusæ sunt. Tum quia sæpe apprehensiuæ

uæ & appetitiuæ sunt integræ, cum motiuæ A sunt læsæ, ac debilitatæ, vt in paralyticis.

Alterum est, non tantum apprehensiuas, & appetitiuas, sed etiam motiuas habere rationem actiuarum, imo etiam motiuas, quatenus motiuæ sunt, esse formaliter transitiuas, apprehensiuas autem & appetitiuas non ita, sed in suis ipsarum subiectis tantum esse formaliter operatiuas: tametsi virtute, & efficacia in aliud subiectum transire possint: satis autem patet rationem potentiæ actiuæ B magis participari à potentiis, quatenus in aliud subiectum transire possunt, quam quatenus in suis operantur. Quod vero motiuæ habeant rationem actiuarum ex eo primum constat, quia sunt principia operationum vitalium: progressio enim operatio animalis est, ne dum vitalis. Tum etiam, quia ab Aristotele, & aliis Philosophis, inter potentias actiuas numerantur, vt patet in 2. de Anima pluribus locis. Tum denique, quia ipse etiam C Aristoteles vbi 3. eiusdem operis cap. 10. & 11. agit de potentia motiua animæ etsi docet animal eatenus esse motiuum, quatenus appetitiuum: (*intellige, rei absentis*) tamen fatetur illud indigere aliquo alio vt instrumento quo se ipsum moueat: & quanquam loquitur de primo instrumento, quod putat esse cor, tamen eadem est ratio in toto corpore, vbicunque sunt peculiaria principia mouendorum membrorum. Quare, cum instru- D mentum omne actiuum sit, & ad genus causæ efficientis reducatur: nō dubium est, quin quatenus instrumētum, potentiam aliquam actiuam habeat. Vnde fit, vt ad motum progressiuum tria principia effectiua sint necessaria: directiuum, quod pertinet ad potentias apprehensiuas, impulsiuum, quod ad appetitiuas, & executiuum, quod ad motiuas. Sed tamen, pro his omnibus merito ab Aristotele tanquam præcipuum principium statuitur E appetitus rationalis in hominibus, & sensitiuus in brutis animantibus: quia est completum principium principale administratiuum includens directionem intellectus, aut sensus, & vtens motiuis potentiis, vt instrumentis: satis enim patet effectum magis attribuendum esse principali principio, quam instrumentali. Vnde fit, vt minus recte sentiant, qui existimant potentias motiuas, quia disponunt membra, vt moueantur ab appetitu, F non esse actiuas, sed passiuas: quasi vero non eadem potentia possit indigere concursu alterius superioris potentiæ (quod est suo modo posse ab ea pati) & simul cum ea effectiue concurrere ad communem effectum vtriusque. Neque existimandum est D. Th. huic sententiæ refragari, sed potius vbicunq; docere videtur potentias motiuas animalium esse passiuas, nihil aliud velle, quam non esse principales actiuas, sed instrumentales animarum: præsertim cum aliquando eas appellet virtutes, quibus se animalia mouent, vt 1. p. q. 78. ad calcem 1. ar. & in materia grauium, & leuium non raro docere soleat, qualitates eorum motiuas, imo & formas substātiales esse principia passiua: quod non alia ratione intelligitur, nisi quia nō sunt motiua principalia, sed quasi instrumentalia generantium, quibus motus grauium, & leuium tribuitur: cum interim constet, eius etiam confessione, ea esse vere, ac proprie actiua.

Tertium est, in brutis quidem animantibus semper duas facultates cum potētiis motiuis effectiue concurrere, phantasiam scilicet, & appetitum sensitiuum: in homine autem quatenus, vt homo est, operatur, & has, & simul intellectum, & voluntatem. Id quod primum ex eo probatur, quia apprehensiuæ semper concurrunt effectiue cum appetitiuis sibi mutuo respondentibus, vt ex superiori disputatione patet: quod autem appetitiuæ eodem etiam modo concurrant cum motiuis, potiori ratione concedendum est. Apprehensiuæ enim ex prima sui consideratione non tendunt in res obiectas, sed eas potius ad se trahunt per earum species, vt eas apud se cognoscant, appetitiuæ autem ex ipsa etiam prima ratione sua feruntur in res, quas appetunt, & ad eas quodammodo egrediuntur: cum ergo apprehensiuę nihilominus virtute sua quasi secundaria egrediantur ad appetitiuas, & ad earum actus concurrant, vt probatum est: potiori ratione appetitiuæ egredientur ad locomotiuas, vt effectiue cum eis concurrant. Vnde fit, vt vtræque tam apprehensiuæ, quam appetitiuæ concurrant effectiue ad operationes motiuarum. Deinde, quia, qui aliquid ex arte conficiunt, per artem ipsam, quæ in ipsis est, sunt causæ efficientes externorum operum, vt omnes fatentur cum Arist. ipso: cum autem non possint illa conficere, nisi applicando ad id voluntate motiuam aliquam potentiam tanquam instrumentum operis faciendi: applicatio autem instrumenti non fiat, nisi effectiue concurrente applicatiuo principio ad opus instrumenti: necessario efficitur, vt in operibus artis superior apprehensiua, quæ est intellectus, & superior appetitiua, quæ est voluntas, effectiue cōcurrant cum motiuis ad ipsarum motiuarum opera. Idem autem dicendū est de operib. quæ non fiunt ex arte, sed solo intellectu, & voluntate: ac demum in motibus, qui sola imaginatione, & appetitu fiunt, vt in brutis animantibus, & in hominibus

[illegible] quandocunq; in suis motibus operatio- A nes intellectus non vtuntur: est enim in omnibus par omnino ratio. Postremo, queadmodum cætera animalia memoriis, aut imaginationibus sine memoria viuunt, hoc est, exercet operationes animalium proprias, ita homines arte, aut ratione sine arte exercent operationes humanas, vt Aristoteles tradit ipso huius operis initio: at omnes huiusmodi operationes cum vitales sint, procedunt effectiue à principiis internis eorum, à quib. ex- B ercentur, ergo omnes operationes brutorum animalium proprie procedunt effectiue ab imaginatione cum memoria, aut sine memoria: & omnes eæ, quæ sunt propriæ hominũ procedunt effectiue à ratione arte prædita, aut adhuc artis experte. Cum ergo motus locales animalium proprii, quos vocamus progressiuos, & in vitalibus operationib. numeramus, nõ procedant ab his principiis nisi per appetitum sensitiuum, aut rationalem: neq; C ab appetitu, nisi per aliquod instrumentum internum, vt idem docet 3. de Anima c. 10. efficitur, vt imaginatio, & appetitus sensitiuus concurrant effectiue cum potentiis motiuis ad omnes motus locales animalium, vt animalia sunt: & intellectus ac volũtas cum potentiis motiuis hominum, vt homines sunt, ad omnes eorum motus locales humanos.

Text. 54.

Primum notandum.

Hæc tamen vt melius intelligantur, nonnulla animaduertenda sunt. Primum, poten- D tias appetitiuas esse per se subordinatas apprehensiuis, quia non sequuntur formas in esse reali, sed in esse apprehenso vt superius † dictum est: verum non omnes esse vtriq; apprehẽsiuæ subordinatas, sed appetitiuam rationalem rationi, & sensitiuã, hoc est, irascibilẽ, & concupiscibilem imaginationi. Quod n. rationalis appetitus sit per se rationi subordinatus, ex eo patet, quod tam in bonis actib. quã in peruersis semper sequitur aliquod E iudicium rationis, vel absolutum scil. vel cõditionatum, vt supra ostensum est. Quod aũt sensitiuus non sit per se rationi subordinatus, non solum ex eo patet, quia in brutis animantibus nulla est ratio: sed etiam, quia in hominibus frequenter etiam sanis, & vigilantib. sæpe appetitus sensitiuus in suis actibus anteuertit omnem operationem intellectus. Vnde fit, vt cum necessario sequi debeat iudiciũ aliquod sensitiuum, non per accidens, sed per F se sit subordinatus imaginationi, quæ omne iudicium sensitiuum complectitur.

† Sect. 2. & 3. Quæ appetitiuæ potent. quibus apprehens. sint per se subordinat.

Secundum. Appetitum sensitiu. non subordinari per se voluntati.

Secundo loco illud considerandum sensitiuum appetitum non esse per se subordinatum voluntati, non solum, quia reperitur etiam in brutis animantibus, in quibus non est voluntas, & sæpe in hominibus anteuertit omnem [illegible] operationem, etiam tunc cum nullo modo [illegible] ligata, seu impedita est: sed etiam, quia sæpe repugnat voluntati contra iudicium intellectus, quod volũtas sequitur, vt patet in continentibus. Vnde patet, non semper voluntatem effectiue concurrere cum appetitu sensitiuo, sed tunc solum cum iudicium imaginationis, quod hic appetitus sequitur, est consentaneum iudicio intellectus, quod sequitur voluntas. Hoc autem cum fit, intensior est actus appetitus sensitiui propter concursum effectiuum voluntatis superadditum ad eiusmodi actum eliciendum. Quia etiam tunc videtur actus voluntatis intensior esse: quam si appetitus sensitiuus ei repugnaret: non quia sensitiuus aliquid agat in voluntatem, sed propter consensionem, qua superiores potentiæ quasi applaudunt operationibus inferiorum politice sibi obedientium, cum hæ se superioribus accommodant.

Quando voluntas cum eo concurrat.

Tertium notandum. Potentia motiua quibus appetitib. per se subordinentur.

Tertio loco illud intelligendum, potentias motiuas, etsi in brutis animantibus, & in homine, etiam cum ratione non vtitur, sunt per se subordinatæ appetitui sensitiuo: in homine tamen cũ ratio soluta ac libera est, non appetitui sensitiuo, sed soli voluntati esse per se subordinatas. Imperante enim voluntate potentiis motiuis, nulla earum eius imperio resistit, quantumcunque repugnet appetitus sensitiuus, vt patet in actu Scæuolæ, cum manum prunis imposuit, & in acerbissimis Martyrum tormentis. Contraq; licet appetitus sensitiuus impellat hominis animum: vt in alium locum etiam optatissimum se conferat, aliumve motum exerceat, qui ei maxime sit cordi, si volũtas repugnet, nihil omnino efficiet motiua potentia. Loquimur enim semper de ea, quæ per se cognitionem aliquã sequitur, ne quis in hac assertione comprehendi existimet motum cordis, aut genitalium membrorum.

Liu. decad. lib. 2.

Cur appetitus non subordinetur per se voluntati.

Ratio autem, cur appetitus sensitiuus sæpe non obediat voluntati, imo etiam aliquãdo obedire non possit: huiusmodi autem potentiæ motiuæ semper, ac necessario illi obediant, nisi vi aliqua, aut indispositione subiecti impediantur, hæc est, quia nimirum appetitus sæpe habet obiectum repugnans obiecto voluntatis: vt sunt in homine continente, & in continente honestas, & impura voluptas: in homine autem forti, & ignauo bellica gloria, & indecora incolumitas, qua de causa non est ille per se subordinatus voluntati: at potentiæ motiuæ, cum non aliud obiectum, seu potius suarum operationum terminum habeant in homine vtente libero arbitrio: nisi quem ratio seu recta, seu per-

At potent. motiua, [illegible]

uersa illi præscribit: necesse est, vt sint per se A subordinatæ voluntati: quicquid appetitus sensitiuus obmurmuret, aut etiam à suo obiecto deflectere, & voluntati obedire non possit. Quod addiderim, quia cum obiectum appetitus est vehementer aut terribile, aut amabile, siue illud exterius sit præsens, vt dira flagella, siue interius sentiatur nimium angere, vt tortiones viscerum: (quod idem de voluptate afficientibus dicendum est,) non posset appetitus sensitiuus obedire voluntati, etiamsi illa præciperet, vt non doleret, aut voluptate non afficeretur. In hac tamen inobedientia nulla culpa esset, tum quia esset imprudens præceptum, vtpote de re impossibili: tum etiam, quia in sola voluntate culpa, & meritum perficitur.

Nequit interdum appetitus voluntati obedire.

Ad quam potentiam pertineat imperium?

QVÆSTIO VII.

Quid sit imperium, & quibus rationibus in voluntate à multis ponatur.

SECTIO I.

Eius iuxta posteriorem descriptio.

IMperium aliquando sumitur pro imperandi potestate, de quo Ciuil s, & Ecclesiastici iuris periti agunt: aliquando pro ipso imperandi, seu præcipiendi actu: eoq; vel externo, qui verbo, aut scripto profertur, de quo iidē: vel interno, de quo Philosophi, & Theologi disserūt. Est enim anima nostra res quædam publica imperantium: & parentium facultatum, quibus paruus hic mundus administratur, de quarum actibus, eorumque ordine in hac consideratione nec nullæ sunt, nec minimæ difficultates.

Est igitur imperium hac ratione spectatum actus quidam internus animæ nostræ, quo suprema facultas mouet inferiores sibi subiectas, intimādo, siue denuntiando, quid cuique earum faciendum, aut nō faciendum sit. Esse enim supremæ potentiæ imperare ex eo perspicuū est, quia obedire, quod ex altera parte imperio respondet, obedientis, & subiectæ facultatis esse nemo dubitat. Esse etiam facultatis liberè mouentis, ea ratione patet: quia potentiæ, quæ naturaliter operātur, quatenus sic operantur, non dicuntur dominari, hoc est, pro arbitrio agere, nec eti?, quæ libere operantur, dicuntur imperare, nisi vim obligandi, ac proinde natiua sua mouendi habeant: qua ratione is, qui consilium alicui dat, etsi libere id facit, non tamen dicitur imperare, quia non eum obligat ex ipsa natura consilii, sed liberum relinquit, etiamsi ei aliquid persuadeat. Oportere item, vt actus feratur in potentias subiectas, ex eo constat, quia vbi subiectio non est, nec obedientia, quæ imperio debetur, esse potest. Deniq; cōpleri actū imperandi imitatione, ea ratione probatur, quia imperiū in hac significatione idem est, quod lex, aut præceptū temporale; id quod ex imperio externo intelligitur.

Intimationem esse de ratione imperii.

B Sunt tamen nec pauci, nec inferioris notæ Philosophi, ac Theologi, qui hanc vltimam imperii conditionē à ratione imperii remouendam existiment. Dicunt n. actum imperandi non pertinere ad intellectum, cuius solius est intimare, siue declarare, quid quæq; inferior potentia facere, aut non facere teneatur; sed solā voluntatem esse, quæ in nobis imperat; nihilq; aliud esse imperium, quā efficacem voluntatis actum, quo illa subiectas sibi potentias libere ad operandum mouet C aut ab operatione inchoāda cohibet aut ab inchoata remouet. In qua sententia est Henricus Gandauens. quodlibet 9. Bonauen. Ochamus, & pene omnes Nominales in 3. sententiarum, & aliis locis, quibus etiam videtur fauere Scotus in eundem tertium lib. distin. 36. eosdemq; sequuntur non pauci ex recentiorib. his fere ducti argumentis.

Sententia eorum qui imperiū dant voluntati.

Henr. q. 6. Bon. in 3. d. 17. ar. 1. q. 1. Och. q. 12. ar. 4. Ang. c. 1. summ. moral. Almain. tract. 3. c. 2.

D Primum, quia cum per solam voluntatem dicamur domini nostrarū actionum, ei soli conuenire potest imperandi actus.

Deinde, quia id persuadere videtur diuisio actuum liberorum ab omnibus recepta in elicitos, & imperatos: nam cum actus imperati non sint imperia, sed imperio subiecti: omnes autem actus aliarum potentiarū, quæ aliter atq; aliter operari possunt, imperentur à voluntate, efficitur, vt soli actus voluntatis sint imperia.

Qua id astruunt, argumenta.

E Tertio, quia cum tres tantum sint operationes intellectus, simplicium apprehensio, cōpositio & diuisio, ac discursus, nullaq; earū sit imperium, vt inductione patet; (*nam neq; affirmare, aut negare, nec ratiocinari imperare est*) efficitur, vt imperium non sit ponendum in actibus intellectus, sed voluntatis.

Quarto, quia imperium est actus mentis nostræ præstantissimus, ac proinde debetur præstantissimæ potentiæ, quam esse vo- F luntatem duabus potissimum rationibus probant. Vna, quia soli voluntati tribuitur meritum: altera, quia est sedes reginæ virtutum omnium charitatis; vnde & apud Theologos charitas omnibus virtutibus imperare dicitur.

Quinto, quia potentia, quæ imperat, habere debet vim mouendi ad exequutionem operis,

operis, vt patet ex priorib. imperii cōditionibus: sola autem voluntas inter omnes animæ facultates est primum mouens ad exercitium operis, vt in aliis disputationib. constitutum est.

Sexto, quia non sunt multiplicandæ entitates, vbi non est necesse: ad executionem autem operis satis est voluntas efficax, qua facultates exequutiuæ ad opus applicentur.

Postremo, quia qui dicunt imperium esse actum intellectus, volunt illud supponere actum voluntatis præcedentem: aut ergo imperium est necessarium ad omnes actus voluntatis, aut ad quosdam est, ad quosdam nō est: si ad omnes, ergo omnis actus voluntatis supponit infinitos præcedentes: (*supponit enim quilibet aliquod imperium, & illud aliquem motum voluntatis, & sic in cæteris*) si ad quosdam tantum, ergo quemadmodum cæteri sine eiusmodi imperio elici possunt, ita & illi poterunt.

Accedunt complura & Patrum, & Philosophorum dicta, quæ ab Henrico, & aliis huius sententiæ authoribus afferuntur, quibus asseritur voluntatem esse eam facultatem animæ, quæ imperat.

Imperium ad solum intellectum pertinere supposito nihilominus aliquo actu voluntatis.

SECTIO II.

Cap. vlt. c. 9. 10. & 11 ca. 3.

SEntentia tamen Arist. 1. & 6. Ethic. 1. Politicorum, & aliis locis complurib. est imperium ad intellectum formaliter, siue secūdum substantiam spectare, tametsi in voluntate quasi radicem habeat, eiusq; aliquem actum supponat. Quod idem docet D. Tho. 1. 2. q. 17. artic. 1. & 2. q. 83. artic. 1. & 10. quem sequuntur Caietanus, Capreolus, & fere cæteri Thomistæ. Idemque sentiunt Richardus, Gabriel, & alii complures, quorum omnium sententia à nobis amplectenda his argumentis probatur.

Caiet. 1. 2. q. 17. & q. 58. a. 4. Capr. in 1. d. 1. q. 2. cōclus. 9. Sco. de inst. q. 1. ar. 1. Rich. in 4. d. 15. art. 4. q. 1. Gab. in Can lect. 61. Probatur rationib. hac sent. 6. Eth. ca. 9. & 10.

Primum, quia imperare est præcipuus actus prudentiæ, vt tradit Arist. siquidem cōsultare de re gerenda, iudicare de mediis ad finem accōmodatis, nisi accedat imperium, quo vir prudens vel aliis, vel sibi ipsi imponat exequutionem operis, incompletum, & imperfectum actum prudentiæ esse nemo negabit: at prudentia in intellectu est, eiusq; omnes actus ad intellectum secundum substantiam spectant, tametsi in voluntate supponant illum, quo finis intenditur, vt etiam tradit Aristoteles, & ipsa rei agendæ ratio docet. Deinde, quia imperium nihil aliud est quam significatio, seu declaratio voluntatis eius, qui imperat, de re, quæ agenda, aut non agenda est, cum intimatione quadam: nullus autem actus voluntatis aut se ipsum, aut alium eiusdem potentiæ declarare potest: omnis enim voluntatis actus ex se occultus est, alteri, nisi ei, qui omnia quantumcunq; occulta nouit, cui tamen nihil præcipi potest. Vnde si vel vnus Angelus alteri Angelo præcipere aliquid debet, actuali potentia declaratiua opus habet, vt suam voluntatem de re facienda illi manifestet: vis autem declarandi in intellectu primum sita est. Tertio, quia proprium est imperii agendorum ordinem præscribere: hoc enim totum est, quod faciunt leges, & præcepta quib. omnia imperia continentur: at ordinem præscribere non est nisi potentiæ cognoscentis, qualis non est voluntas: sed intellectus: tametsi voluntatis est & ex fine aliquo desiderato intellectum mouere, vt ordinem eius obtinendi præscribat, & executrices facultates ad opus applicare. Nec refert, quod Scotus ait, nō solius intellectus esse ordinare, sed etiā voluntatis, dum vult vnum propter aliud: ordinatio enim hæc voluntatis posterior est ordinatione intellectus, & suo modo passiua respectu illius, cum volūtas quasi manuductione intellectus vnum propter aliud appetat.

Intimationē esse de ratione legis & imperii.

Quarto, quia intimatio superioris per modum obligantis est de essentia legis, & præcepti, ac proinde omnis imperii: hinc enim est, cur subditi non teneantur obedire volūtati superioris etiam notæ, atque perspectæ, nisi eis intimetur per modum obligantis: at omnis intimatio, cum declaratione fiat, ad intellectum formaliter spectat. Quod si quis obiiciat necessariam quidem esse intimationem in imperio exteriori, quia nullus homo, aut Angelus obedire tenetur, aut etiam potest, nisi ei præceptum intimetur: at imperio interiori non esse necessariam, quia facultates obedientes intellectui non sunt intelligentes, vt intimationem intellectus percipere possint: hoc modo respōdendum: nullam potentiam proprie operari, sed suppositum per suas potentias: proinde non esse necesse vt potentiæ eiusdem suppositi, quæ superiori facultati subditæ sunt percipiant per se ipsas intimationem intellectus: sed quemadmodum voluntas vult omnia, quæ conueniunt non solum sibi, sed etiam intellectui, & cæteris potentiis, ita intellectum intelligere omnia, quæ non ad se tantum, sed etiam ad voluntatem, & ad cæteras inferiores facultates spectant: proinde omnes potentias intellectu inferiores per intellectum censeri per-

Obiectio.

Responsio.

Qua potētia intimationem percipiat.

ſtri percipiendę, quæ ipſis intimantur, ac declarantur. A

Quinto, quia imperare, & orare, ſeu obſecrare, vt D. Thomas docet 22. quæſt. 83. operationes ſunt eiuſdem potentiæ: & ea ratione, præter alias, differunt inter ſe: quod orare ſubditorum eſt, imperare ſuperiorum: cum ergo oratio procul dubio ſit operatio intellectus, fit, vt imperium etiam ſit operatio illius. Sexto, quia conſcientia interius vnicuiq; imperat, quemadmodum & quemque obligat: id quod non ſolum ad veram, rectamque conſcientiam ſpectat, ſed ſuo etiam modo ad falſam, & erroneam, vt docent Theologi: at conſcientiam ad intellectum ſpectare nemo eſt, qui dubitet. Poſtremo, quia intellectus natura ſua eſt pręſtantiſſima omnium facultatum: quippe cuius eſt præſtantiſſimus actus, qui eſt felicitas, ſiue ſummi boni apprehenſio, & poſſeſſio, imperium autem non niſi ad præſtantiſſimam facultatem pertinere poteſt. B C

Art. 1. & 10.

Confirmatur ex Patribus. Vt Auguſt. 14. de Ciuit. cap. 19.

Accedit Auguſtini, & aliorum Patrum apertior ſententia, qui paſſim ſcribunt rationis eſſe natura, ac dignitate ſua imperare: appetitus autem vtriuſq; & rationalis, & ſenſitiui, inferiorumq; facultatum parere, & obedire: qui iidem non negant, ſed potius aperte innuunt, id non fieri, niſi poſito quaſi fundamento, & radice aliquo actu voluntatis, quod Auguſtinus his verbis exequitur: *Imperat animus, vt velit animus, nec alter eſt, nec facit tamen. Vnde hoc monſtrum, & quare iſtud? Imperat, inquam, vt velit, qui non imperaret, niſi vellet, & non fit, quod imperat.* Atq; hac ratione intelligendum eſt id, quod idem & alii ſæpe contra aſſerere videntur, voluntatem eſſe eam facultatem, quæ imperat: ad cæteras autem, quæ varie operari poſſunt, naturaliter ſpectare, vt voluntati pateant: ac ſi apertius dicerent imperii radicem, & fundamentum in voluntate eſſe, tametſi eius eſſentia, & formalitas ſit in intellectu. D E

8. confeſſ. c. 9.

Ibidem.

Refutatio ſententiæ eorum, qui dicunt imperium aut nullum eſſe reſpectu operationum ipſius imperantis, aut quamuis ſit vtile, nullo modo eſſe neceſſarium.

SECTIO III.

QVanquam vero ex his conſtat imperiū formaliter ad intellectum pertinere, idque non ſolum concedendum eſſe in imperio, quatenus exterius prodit, ſed etiam, quatenus exercetur inter potentias eiuſdem ſuppoſiti, imo vero hac ſola ratione de illo à nobis diſputari, relicta illa alia conſideratione F iuris peritis: tamen quidam contendunt, ſi de imperio, quod eſt actus intellectus, ſermo ſit, nullum exerceri inter intellectum, & alias potentias eiuſdem ſuppoſiti: alii autem recētiores volunt, exerceri quidem aliquando, & vtile eſſe, vt alacrius, & facilius ſubiectæ facultates operentur, ſed non eſſe neceſſarium. Nam de imperio pro actu voluntatis, quod radicem poti⁹ imperii appellauimus, omnes fatentur neceſſarium eſſe omnino ad mouendas libere alias facultates eiuſdem ſuppoſiti.

Nullum exerceri imperiū inter potent. eiuſd. ſuppoſiti, volunt al qui. A ii, vtile eſſe, ſed non neceſſarium.

Ac priores quidem ea ratione ducuntur, quam nos pro priori opinione ſextam fecimus; quia nimirum non ſunt multiplicandæ entitates, vbi non eſt neceſſe, ſatiſq; eſſe voluntatem ad ſubiiciendas cæteras potentias ſubiectionis capaces. Poſteriores autem eo argumento probant dari in nobis aliquando huiuſmodi intimationes intellectus, quia nō raro experimur quaſdam exhortationes intimas, præſertim cōſcientiæ, quæ eſt quaſi bonorum, & malorum actuum tribunal, quib. nobis ipſis præcipimus, *Fac hoc, Ne facias*; quemadmodum & illas reprehenſiones, *Cur feciſti? Cur non feciſti?* cuiuſmodi erant loquutiones illæ, quibus regius Propheta ſe excitabat ad bene ſperandum, aut ſuarum operationum curſum dirigēdum: *Quare triſtis es anima mea,* &c. *Spera in Deo. Conuertere anima mea in requiem tuam,* &c. Quod autem huiuſmodi imperia ſint vtilia ad alacrius, & facilius operādum, ex ipſa quoq; experientia confirmant, præſertim, cum res difficiles, & arduæ nobis obiiciuntur: itemq; ea ratione, quia cum alienæ exhortationes non ſæpe moueant, non eſt, cur eandem vim negemus propriis, & peculiaribus noſtris: præſertim cum nobis ipſi ſimus amiciores.

Ratio priorū.

Ratio poſter.

Pſ. 41. & 42. Pſal. 114.

Sed contra priores illud eſt, quod tollunt de medio omne imperium prudentię monaſticæ, hoc eſt, quæ iis ſolis virtutibus moralibus præeſt, quæ homini ſolitario ſunt neceſſariæ: illudque ſoli prudentiæ œconomicæ, ac politicæ concedunt ad dirigendas actiones aliorum, qui ſunt ex eadem familia, aut Republica. Aut enim imperium eſt actus intellectus, quod negant: aut prudentia, cuius illud eſt actus præcipuus, inhæret voluntati vt ſubiecto, quod manifeſtius abſurdum eſſe nemo dubitabit: aut certe volunt propriū eſſe prudentiæ imperare omnibus virtutib. moralibus, quod eſt contra omnium Philoſophorum ſententiā, nec reperitur vlla virtus moralis in voluntate, cui hoc munus cōcedi poſſit. Accedit quod cum impetum intimatiuum (quod ſolum verum, & formale imperium dicimus) ſoli prudentiæ œconomicæ, & politicæ concedant: idque reſpectu aliorum

Impugnatur prior ſent.

aliorum hominum, non respectu proprii suppositi, priuant has virtutes præcipuo earum munere, quod non tam est dirigere actiones aliorum, quam actiones vniuscuiusq; in ordine ad alios, vt omnes morales Philosophi fatentur, quod ipsi ignorare non debuerant. A

Vt sustineri quoad poster.

Tolerabilius est, quod posteriores dicunt, non esse huiusmodi imperium necessarium, sed vtile: potest enim ea negatio intelligi quo ad omnes actus liberos, vt si dicerent non omnes imperari posse: quod verum est iuxta vtramq; opinionem: actus enim primi liberi non possunt esse imperati, ne aut procedatur in infinitum in quærendis prioribus imperātibus, aut iidē dicantur à se ipsis imperati. Verum non est hic eorum sensus, sed nullum actum liberum esse necessario imperatum imperio intimatiuo intellectus: tametsi sentiūt eius imitationem, cum in aliquem alium actum cadit, faciliorem, & perfectiorem in suo genere illum reddere. B C

Vera resolut. 1.2.q.83.ar.1 & 47.ar.8. & q.51.Adr. quod.8.a.1.

Nos autem dicimus cum D. Tho. & grauioribus Theologis, ac omnibus (*quod rediderim*) Peripateticis Philosophis; non solam prudentiam œconomicam, ac politicam, sed etiam monasticam esse imperatiuam actuū proprii suppositi imperio intimatiuo: non tamen omnium, quia non primorum liberorum, vt modo probatum est. Addimus etiam (*quod notandum est*) omnes, qui imperantur, necessitate quadam naturæ imperari hoc ipso intimatiuo imperio. Nam efficax voluntatis actibus de re agenda, aut nō agenda, qui necessario supponitur in omni imperio, trahit secum intellectum ad approbandum, & imperandum illū eundem actum, quem voluntas efficaciter elicit, idq nō tractu effectiuo, sed consensionis cuiusdam naturalis, qua potentiæ apprehensiuæ naturaliter propensę sunt ad adiuuandam exequutionem potentiarum appetentium, cum earum appetitiones efficaces sunt, vt superius diximus. Nec refert, quod sæpe intellectus retinet apud se iudicium oppositum ei iudicio, quod includitur in ipso imperio, vt patet in incontinente: potest enim illud esse vniuersale, aut habituale, existente hoc particulari, & actuali: quæ duo iudicia, vt Aristot. ait 7. Ethicorum c.3. simul esse possūt in eodē intellectu: quod intelligendum est ex diuersis motiuis. D E

Omnes actus qui imperantur, necessitate quadam natura imperari.

Sup. q. sect. 3. & 4.

Solutio argumentorum prioris opinionis.

SECTIO IV.

Ad arg. primæ sect. proposita.

QVare ad primum argumentum prioris opinionis dicendum est, nos etsi per solam voluntatem sumus formaliter liberi, tamen non per solam voluntatem formaliter imperare: quia per eam nō intimamus, quid fieri aut non fieri velimus. Vnde patet imperium addere liberis actibus voluntatis, non quibuscunque, sed efficacibus, intimationem, qua leges, & temporalia præcepta complentur.

Quid imper addat liberis voluntat. actibus.

Ad secundum dicendum, ex vulgata diuisione actuum voluntatis in elicitos & imperatos: non colligi voluntatem formaliter imperare, sed esse ad summum imperii radicem: cum imperium quoque voluntarium sit, & liberum. Quanquam diuisio illa non proprie est actuum voluntatis, sed actuum liberorū in commune, cuiuscunque potentiæ illi sint: liberi enim actus dicuntur, vel quia libere eliciuntur à voluntate, vel quia libere imperantur, siue exercentur per potentias motiuas, siue etiam per appetitiuas, aut apprehensiuas, vt paulo post patebit. Quo loco notanda est illa Diui Thomæ consideratio: quemadmodum electio formaliter, siue secundum essentiam est actus voluntatis ex vi, & quasi radice intellectus deliberantis: ita imperium esse formaliter, & secūdum essentiam actum intellectus ex vi, & quasi radice voluntatis efficaciter volentis. Vnde oritur, vt motio, & obligatio naturalis, quam imperium imponit potentiis voluntati subiectis, & nonnunquam ipsi etiam voluntati & intellectui quoad aliquos harum potentiarum actus, vt etiam mox patebit, à voluntate ipsa proueniat.

Qui actus diuidi debeant in elicitos, & imperatos.

1.2.q.17.ar.1. & q.17.ar.1.

Ad tertium dicendum, etsi non omnis affirmatio, & negatio est imperium, tamen omnes orationes intimatiuas, si non sint merę promulgationes, esse imperia: intimationes enim, quæ fiunt per ministros Principum leges ferentium, aut aliquid in particulari præcipientium, ea ratione non sunt imperia, quia sunt puræ imperiorum promulgationes. Illæ igitur tantum imperia sunt, quibus superiores aliquid intimant suis subditis immediate, aut iis ministris, à quibus sunt promulganda. Itaque, cum diximus. *Fac hoc, aut ne facias*, (*huiusmodi enim orationes, siue interna sint, siue externa, sunt completa imperia*) sensus est, *Dico me velle, vt hoc cum obligatione facias, aut non facias*: quæ orationes, si interius formentur, semper sunt veræ, si autem exterius, possunt esse veræ, aut falsæ: proinde omnes sunt enuntiationes quædam non puræ indicatiuæ sed intimatiuæ etiam de re faciēda, aut non facienda, habentes totam mouendi & obligandi vim ex voluntate imperantis per modum obligantis declarata. Aliud respondet D. Thomas huic argumento 1.2.q.83.artic.1 quod tamen in idem redit: F

Quæ intimationes sint, aut non sint imperia.

nempe Aristotelem ea diuisione operationũ intellectus non fuisse complexum, nisi operationes speculatiuas. Quæ enim in actu imperandi adduntur enuntiationibus pure indicatiuis, vt illum actum modo explicauimus, ad praxim sine dubio spectant.

22.q.47.a.8. *† 6.Eth.c.10*

Ad quartum, quidquid sit de præstantia imperii, quem actum Di. Thomas cum † Aristotele facit præstantissimum actum prudentiæ, dicendum est voluntatem non esse præstantiorem potentiam intellectu, vt probatum est vltima ratione posterioris sententiæ. Neq; obstant argumenta in oppositum, quia præmium meritorum vitæ Beatorum, quod est clara Dei visio, est præstantius omnibus, & charitate etiam ipsa: cuius summa perfectio nascitur ex aperto Dei conspectu ad intellectum pertinente.

Cur formaliter non voluntas sit imperans, nec intellectus liber

Ad quintum dicendum, etsi voluntas est primum mouens ad exercitium, & intellectus imperans eius vi mouet ad exequutionem operationis, non esse tamen illam formaliter imperantem, quia intimare non potest. Sic enim è contrario dicere solemus, etsi indifferentia ad opposita primum conuenit intellectui, cuius vi voluntas ad vtrumvis eligendum indifferens est, tamen non inde sequi intellectum esse formaliter liberum, quia eligere non potest.

Ad sextum dicito, satis quidem esse ad executionem operis voluntatem efficacem eius faciendi si non excludantur, quæ ex efficaci voluntate nascuntur: cuiusmodi est imperiũ, & vsus etiam earum facultatum, quibus operatio iniungitur: at si hæc excludantur, non esse satis, vt perspicuum est, saltem propter vsum passiuum subiectarum facultatum, qui quemadmodum & ipsum imperium, ex actu efficaci voluntatis naturaliter sequitur.

Non omnes actus volunt. subiici imperio.

Ad septimum dicendum non ad omnes actus voluntatis necessarium esse imperium, quod recte probatum est, neque vnquam à quibusdam D. Thomæ sectatoribus contra opinantibus, sanctique Doctoris sententiam minime capientibus, solutum esse. Itaq; primi actus liberi non solum non indigent imperio, sed etiam non possunt imperari. Nulla vero consequutio est, Hi non indigent imperio, ergo nec cæteri: siquidẽ reliqui & possunt imperari sine illo incommodo, quod contra imperium primorum obiiciebatur, & eorum imperium nascitur, seu potius occasionem accipit ex actibus, quibus voluntas aliquid efficaciter fieri vult, idq; per consensionem intellectus cum voluntate efficaciter aliquid appetente, vt superius dictum est.

Sup. sect.

Deniq; ad ea, quæ ab Henrico, & aliis afferuntur ex Patribus, & Philosophis, vt probent voluntatis proprium esse imperare, dicendum est, iis locis nomine imperii intelligendam esse imperii radicem, ex qua tota vis mouendi, & obligandi ad executionem nascitur, vt sensus non sit formalis, sed causalis: quod passim apud eos in aliis rebus cernere est: atq; in hoc sensu non raro apud D. Thomam actus voluntatis ad quamlibet executionem mouentis imperium appellatur.

Quo sensu Patres imperium tribuant voluntati.

Vt 1.2.q.17. a.3. & 1.2.q. 25.ar.5.

Num omnes potentiæ, quæ sunt in homine imperio subdantur?

QVÆST. VIII.

Potentias vegetatiuas non subdi per se imperio, si earum opera naturaliter spectentur, sed tantum aliquando moraliter, loco autem motiuas semper vtroque modo subdi.

SECTIO I.

VT colligamus ex iis, quæ dicta sunt, quænam potentiæ in homine, & quo pacto subiiciantur eius imperio, eaque familiarius explicemus, ab iis, quæ cõmunia nobis sunt cum omnibus viuentibus corporatis initium sumendum est.

Assertum de vegetatiuis potent.

Illud ergo inprimis aperte constat, potentias vegetatiuas, in quibus numerantur nutritiua, augmentatiua, & generatiua, si earũ quidem opera naturaliter considerentur, nostro imperio nõ subdi per se: posse tamen subdi per accidens. Quod enim non subdantur per se, experientia patet: neq; enim quia homines nutriri volũt, aut maioris staturę, corpulentiores ve esse, aut filios suscipere, eo ipso hæc assequuntur. Quod autem possint per accidens imperio subiici, ipsa item experientia, neque valde rationabili probatur: experimur enim nos libera appositione, aut subtractione cibi, vel exercitatione corporis, quieteve adhibita, aut admisso libere commodo, vel incommodo obiecto opera vegetatiuarũ facultatum melius, aut deterius obire, aut etiam omnino impedire. Experimur quoque, cum aliquod intentius contemplamur, aut commentamur, aut deniq; agimus, vires vegetatiuas suo munere aut ægre, aut nullo modo fungi: quia virtus animæ nostræ finita est, nec potest multis simul actionibus impensius intendere. Itaq; vel antecedenter, vel concomitãter hæc opera nostro imperio subiici possunt: sed tamen per accidẽs, si naturaliter

liter spectentur, quia dum aliquid agimus, aliud naturaliter sequitur. Quod si moraliter, seu ex intentione considerentur, non dubium, quin possint fieri per se: vt cum quis ex intentione copiosiori, aut parciori cibo pinguescere, aut extenuari vult: prolixiori ve, aut vehementiori studio piæ alicuius lectionis tentationem noxiam remouere, aut diuertere; vel diuturniori vigilia, precatione quietem corpori in pœnitentiam denegare. Vnde Theologi colligunt operationes vegetatiuarum facultatum posse esse meriti, aut culpæ capaces, quatenus ex intentione imperio subduntur.

Assertum de locomotiuis.

Illud etiam perspicuum est, potentias locomotiuas: quas cum cæteris animalib. communes habemus, omnino subiici nostro imperio, cum iam ratione vtimur: ita vt nullam habeant ei resistendi facultatem: quo pacto serui (vt Aristoteles primo Politicorum tradit) nullum ciuile ius suis dominis repugnandi habent. Id quod Augustinus 8. l. Confessionum his verbis explicat, *Imperat animus, vt moueatur manus, & tanta est facilitas, vt vix à seruitio discernatur imperium.* Ratio vero non ex eo tãtum ducitur, quia potentiæ locomotiuæ non habent certum obiectum, seu poti⁹ terminum, sed in illud feruntur: ad quod eas appetitus impellit, quo argumento multi cõtenti sunt. Nam cum in homine duplex sit appetitus, vnus rationalis, & alter sensitiuus, & vterq; vim habeat mouendi membra corporis: ambiguum relinquitur (*si nihil aliud addatur*) vtrum eorum sequatur eiusmodi potentiæ, ac proinde, num semper obediant imperio, quod in solo rationali radicem habet.

Cap. 3.

Cap. 9.

Insufficiens quorundam probatio.

Probatur prior pars.

Prior igitur pars propositæ assertionis ea ratione probatur, quia semper id, quod est natura sua supremum (si modo in statu imperandi sit) natura etiam sua imperat, siue ei ab inferiori resistatur, siue obediatur: quod ex humano imperio exteriori, quod etiam proprie imperium dicitur, constat: imo etiam ex improprio imperio brutorum animalium: semper enim animali, quod fortius & valentius est natura sua specifica, aut indiuiduali cætera naturaliter obediunt: at ratio cuius est imperare, natura sua suprema est in homine; quo fit, vt natura sua potentiis motiuis imperet. Addidi [*Si modo in statu imperandi sit*,] quia imperandi actus exerceri non potest à potentia, quę nondum est in statu proprii exercitii: quo pacto hæres, cum paruulus est nihil differt à seruo, cum sit cæterorum eius familiæ dominus, quia nondum est emãcipatus, & in statu imperandi constitutus. Sic ergo rationalis pars, dum est subiecta sensitiuæ, nec propriis actibus vti potest, non imperat potentiis motiuis: sed omnis dominatus, qui tunc in eas exercetur, est penes sensitiuam partem.

Probatur posterior.

Vt imperio obediant potent. motiuæ.

Posterior pars ipsa experientia constat. Nam etiam tunc, cum pars sensitiua repugnat motui, ipsæ motiuæ potentiæ ad nutum obediunt rationis imperio, seu recto, seu peruerso, vt patet in iis, qui aut ne quid turpe admittant, se potius cruciandos offerunt, aut desperationis causa inanisve gloriæ aucupandi cupiditate sibimet ipsi violentas manus inferunt. Quod tamen ita intelligendum est, vt imperante parte intellectiua motum corporis, quantumcunque sensibus molestum, nunquam appetitus sensitiuus habeat actum contrarium absolute, sed solum per modum passionis renitentem. Voluntas enim efficax, quæ in imperio includitur, etsi admittit resistentiam appetitus sensitiui, & eo repugnante mouet membra corporis: non sinit tamen illum elicere actum absolute refutandi eiusmodi motum, sed necessitat illum, vt etiam eo pacto absolute obediat. Qua in re similis est motus sensitiui appetitus motui secundi mobilis in cœlo, quod ita mouetur in oppositas partes primi mobilis, vt tamen nũquam absolute moueatur in partem contrariam respectu spatii imaginarii, quod complectitur orientalem, & occidentalem eius spatii partem: semper enim primum mobile secum trahit inferiores orbes ab orientali in occidentalem spatii partem. Atque hoc pacto accipiendum id, quod Aristoteles docet in 3 de Anima cap. 11. cum scribit superiorem appetitum trahere inferiorem, sicut sphæra superior trahit inferiorem sphæram: quandoquidem appetitus sensitiuus, quod attinet ad motum localem, non solum cum se accommodat imperio rationis, vt in iis, quæ sibi grata sunt: sed etiam cum ei contra nititur, semper à rationis efficacia superatur, & ad absolutum consensum trahitur.

Vt etiam repugnantes obediant appetitui sensitiu.

Tex 57.

Corollarium.

Ex quibus patet, ad motum localem eorum membrorum, quę rationis imperio subiecta sunt, non solum intellectum, & voluntatem, dum ratione vtimur: sed etiam phantasiam, & appetitum sensitiuũ effectiue concurrere: nec solũ cum hic appetitus se voluntati omnino accommodat, sed etiã cum ei repugnat: quippe cum etiã tunc absolute motui consentiant. Itaque cum omnino consentit, vnum tantum tactum elicit motusq; inde sequutus expeditius fit, quia nullatenus sensitiuus appetitus obsistit: cum autẽ repugnat, duos simul elicit, vnum resistẽdi per modum passionis renuentis motum, alterum absolute consentientis: qui quidem propterea non sunt actus contrarii, quia respiciunt diuersa obiecta-

Appetitus, etiamcum renititur, efficienter concurrit cum potẽ. locomotiu. Duo simul actus.

obiecta formalia, seu motiua: vnum molestū partim sensitiuæ, alterum gratum intellectiuæ. Nec mirum, cum intra ipsam partem intellectiuam id non raro cernatur. Sæpe enim pars inferior rationis simul refugit imperiū rationis, quod in parte superiori est, (*per modum scilicet passionis, seu actus, incompleti, & non consummati*) & simul absolutam volūtatem sequitur, & simul absolute, & omnibus inspectis ille obtemperat. A

Etiam in brutis duo simul sunt actus appetitus.

Quin etiam in brutis animantibus, vbi proprie nullum est imperiū, iidem duo actus, vnus per modum passionis, alter per modum absoluti consensus, sæpe simul cernuntur: nempe cum in re obiecta duo sunt motiua, alterum incommodum, quod fugiendum repræsentatur in phantasia, alterum commodum, quod repræsentatur amplectendum: veluti cum canis herbam gustui ingratam carpit euomēdi causa, aut cum feroci lupo ad pugnam congreditur. Itaq; appetitus sensitiuus concurrit effectiue ad motum per actum absolutum consensus, quo in nobis se accommodat rationis imperio, in brutis autem instinctui naturæ, qui æstimatione phantasiæ administratur. B C

Diximus (*membrorum, quæ rationi subiecta sunt*) vt excluderētur duo illa iam sæpius cōnumerata, quæ sicut per se non sequūtur formam in esse apprehenso, sed reali: ita nec potentiis rationalibus: nec sensitiuis absolute obediunt. Tametsi per accidens (*quod etiam de vegetatiuis dictum est*) rationalium, & sensitiuarum potentiarum operationes non parū faciunt ad eorum motus, sed plus potius, quā ad motum vegetatiuarum facultatum: vt patet in iis, in quibus motus cordis præ vehementi mœrore, aut lætitia, quæ ex re obiecta aut commemorata concipitur, ita perturbatur, vt nonnunquam interimat: & in iis, qui diuertendis, aut euocandis turpibus aspectibus, aut cogitationibus, continentes fiunt, aut incontinentes. D E

Qua ratione pars sensitiua imperio subdatur?

SECTIO II.

De sensibus externis.

PARS sensitiua complectitur sensus omnes, & appetitum sensitiuum: si ergo de sensib. externis quæstio sit, illud fateri oportet eos per se imperio nōn obedire, quia mere naturaliter patiuntur ab obiectis, cum speciebus, quas ab eis recipiunt, eorumque præsentia intuitiuam notitiam eliciunt. Neque enim apertis oculis, & obiecto albo præsente, sublatoque omni impedimento possumus non videre album: & ita res habet in cæteris sensibus: per accidens tamen in claudēdis oculis, aut alio vertendis (quod fit ministerio motiuarum facultatum) aut nimia occupatione alicuius alterius facultatis, possūt iidē imperio subesse, si electione ii motus fiat aut nimia occupatio potentiæ in aliqua alia re ponatur. Vnde patet intellectum, & volūtatem nunquam effectiue concurrere ad sensuum externorum operationes, sed tantum ad eos motus locales membrorum, quib. illi applicantur ad operandum, aut ab operatione diuertuntur. F

De phantasia quid censeatur.

De phantasia vero, seu imaginatione, quæ sola omnino interior sensus est, experimento constat, eam per se imperio subesse, idque affirmat Aristot. 3. de Anima cap. 3. cum ait nos imaginari, cum volumus (*imo & quæ volumus, vt montem aureum, aut chimæram*) & eadem ratione ab imaginatione cessare. *Tex. 153.*

Quid de appetitu sensitiuo.

Cum autem appetitus sensitiuus imaginationem sequatur, nec possit vnquam sine actu, aut saltem habitu imaginandi suum munus exequi (quemadmodum nec voluntas sine actu, aut habitu intellectus) vt ex supra dictis patet, necesse est, vt etiam sensitiuus appetitus sit imperio subiectus. Verum hæc vtriusque subiectio non est seruilis, vt motiuarum facultatum, sed ciu lis. Nam cum hæ potentiæ habeant propria, & peculiaria obiecta, quæ sæpenumero sunt opposita obiectis intellectus, & voluntatis; vt cum aliquid repræsentatur imaginationi vt molestum, aut incommodum, intellectui autem vt gratum, aut commodum, sæpe fit, vt hæ duæ potentiæ renitantur potentiis intellectus, & voluntatis, easque ad suum consensum trahant, nisi cum imperium est efficax, vt dictum est. *Sup. sect.* Id quod inductione patet in sumenda potione amara sanitatis causa victoriæ, cæterisq; huiusmodi, quæ ipsa per se quadam ex parte sunt appetitui sensitiuo molesta, alia vero ratione grata.

Discrimen hac in re inter nos & bruta animantia.

Qua in re hac potissimum ratione animalia bruta superamus, quod motum exequendum conferimus cum variis motiuis, quæ se nobis obiiciunt, illudque sequimur in exequendo, aut non exequendo motu, quod pro libito volumus sequi, etiamsi sit molestius: bruta vero animalia illud tantum sequuntur, ad quod sequendum eorum natura interuentu determinatæ æstimatiuæ impellit.

An intellectus & voluntas effectiue concurrāt ad actus imperatos phantasiæ & appetitus?

Verum ex his colligendum non est, quia & phantasia, & appetitus sensitiuus nostro imperio obediunt, ac proinde actibus intellectus, & voluntatis, qui in imperio cernuntur, necessario sequi, actus intellectus, & voluntatis effectiue concurrere ad omnes actus phanta-

phantasiæ, & appetitus sensitiui, qui ex imperio à nobis eliciuntur. Est enim hac in re valde obseruandum discrimen inter potentias apprehensiuas, & appetitiuas: appetitiuæ enim sunt per se subordinatæ apprehensiuis in operando, atq; ab eis formalia principia operandi accipiunt, sine quibus operari non possunt: apprehensiuæ autem non sunt in operando subordinatæ appetitiuis, quia non ab eis, sed à suis obiectis formalia principia operandi capiunt: vnde fit, vt appetitiuæ nullo modo operari possint non concurrentibus effectiue (saltem habitu aliquo) apprehensiuis; apprehensiuæ autem possint, non cõcurrentibus appetitiuis. Neq; obest, quod apprehensiuæ in nobis quoad actus liberos sunt per se subordinatæ supremæ appetitiuæ, quæ est voluntas, quemadmodum & vterque appetitus, & omnes potentiæ motiuæ: actus enim liberi, quatenus liberi sunt, nullam entitatem addunt substãtiæ ipsorum actuum, sed solum respectum, quemadmodum & extrinsecam denominationem fundatam in modo quodam se habendi ad voluntatem. Concurrunt ergo semper intellectus, & voluntas ad actus liberos totius partis sensitiuæ, verum non effectiue ad omnes, sed solum ad actus sensitiui appetitus: ad actus autem phantasiæ non effectiue, sed pure determinatiue, ppter solam subiectionem, quam naturaliter habet phantasia, vt sequatur voluntatis determinationem de hac, vel illa re cogitanda.

Decisio.

Dubium est tamen apud Theologos, quonam pacto phantasia imperio excitata possit causare in appetitu sensitiuo dolorem de peccatis propter Deum, aut affectum exultationis in Deo iuxta illud Pauli ad Corinthios: *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam*: & illud Regij Prophetæ: *Cor meum*, (id est, voluntas mea), *&* *caro mea* (hoc est, ipse meus appetitus sensitiuus) *exultauerunt in Deum viuum*: huiusmodi enim cogitationes excedunt limites obiecti phantasiæ, quæ Deum excipere non potest. Sed hæc dubitatio ita dissoluenda est, vt dicamus huiusmodi actus proprie quidem intellectus, & voluntatis esse: sed quia impossibile est naturaliter intelligentem in hac vita phantasmata non contemplari, id est, simul aliquid corporale per phantasiam quasi cernere: necesse esse, vt cum intellectus de Deo apud se cogitat, phantasia quoque aliquam Dei imaginationem sibi fingat, aut illum denominatiue in aliquo eius effectu concipiat.

Vt queat phãtas. causare in appetitu dolorem de peccatis propter Deũ. *2. Corin. 7.* *Psal. 83.*

Num pars etiam rationalis imperio subdatur.

SECTIO III.

DENIQVE videamus, an pars etiam ipsa rationalis suo imperio subiiciatur. Illud pro parte negatiua se offert, quod imperans, & id, quod imperium suscipit, duo sint oportet: vnum, vt agat: alterum, vt patiatur, seu actioni subsit. Pro affirmatiua autem est illud Augustini 8. lib. Confessionum cap. 6. cum ait, *Imperat animus, & velit animus, nec tamen vult.* Hac igitur in re illud sit certum, semper aliquam distinctionem esse oportere inter id, quod imperat, & id, cui imperatur: quemadmodum inter id quod natura vel lege superius est, & id, quod inferius. Vnde cum rationalis pars duas potentias cõplectatur, intellectum, & voluntatem, perspicuum est intellectum, ad quem imperium pertinere diximus, posse imperare voluntati. Neque obest, quod imperium, vt etiam dictum est, habet radicem in voluntate: potest enim voluntas velle, vt sibi imperetur: quandoquidem & priuati homines Principem, aut Prælatum eligunt, vt ipsis imperet: & quanquam ratio, seu intellectus vna tantum potentia est: tamen quia ratio distingui solet in superiorem, & inferiorem: (quarum prior de actibus humanis iudicat ex consideratione rerum æternarum, posterior autem ex consideratione temporalium) intellectusque distinguitur ab Aristot. in speculatiuum, qui solam veritatem spectat, & practicum, qui præcipue respicit actionem: non est contra rationem imperantis, & obedientis, quod ratio superior imperet inferiori, & practicus intellectus speculatiuo: quia etsi intellectus, vt est speculatiuus, sit nobilioris conditionis, quam vt practicus, vtpote sua ipsius operatione contentus: tamen vt est practicus, & liberas actiones dirigit, superior est speculatiuo, cuius operationes non exercentur libere, nisi quatenus practico subiiciuntur: ex quib. patet solutio allatarum rationum pro vtraque parte.

Rationes dubitandi. *Resolutio quæst.* *3. de anima c. 7. a. tex. 38. & 6. Eth. c. 2.*

Dubitari deinde potest, num omnes actus intellectus, & voluntatis imperari possint. Ad quam dubitationem patet ex dictis negatiue respondendum esse. Nam neque vllus actus intellectus præcedens omnem actum voluntatis imperari potest, vt ex ipsa imperij ratione superius tradita intelligitur: neq; vllus etiam actus voluntatis omnino indeliberatus; siquidem omne imperatum cadit sub aliquam deliberationem imperãtis vel forma-

Non omnes actus intellectus & volunt. imperari posse.

lem, vel virtualem: neque demum vllus actus voluntatis, quo intellectus mouetur ad imperandum, alioqui si is etiam actus esset imperatus, oporteret præcessisse illum infinitos alios, aut ipsum se ipsum præcessisse. Is ergo omnis, ac solus actus seu intellectus, seu voluntatis imperari potest, quem præcedit aliquis actus complete electiuus. Voco autem complete electiuum eum, quo inspectis circumstantiis necessario inspiciendis aliquid eligimus: is enim solus est efficax. Nam, cum aliquid nos acturos eligimus nondum consideratis circumstantiis, quæ ad agendum necessario considerandæ sunt, nondum nobis ipsis imperamus, nosque vrgemus ad operandum, sed suspenso adhuc animo sumus: cum autem omnia consideranda inspeximus, nosque ad agendum resolute determinamus, tunc intellectus se voluntati absolute accommodans id esse agendum intimat. Et quanquam hic ordo apertius cernitur: cum imperium exercemus in inferiores facultates: tamen etiam tunc seruatur, cum complete eligimus nos elicituros aliquem vlteriorem actum intellectus, aut voluntatis, vt cum statuimus nos hac vel illa hora mente peccaturos, vt vniuerse dicendum sit eos omnes ac solos actus siue intellectus, siue voluntatis, inferiorumve facultatum imperari, quos præcedit aliquis actus complete electiuus.

Ad quos præcedit complete electiuus.

Ordo actuum intellect. & voluntat.

Vt igitur totus ordo actuum intellectus, & voluntatis, cum aliquid agendum est, sub vnum quasi aspectum ponatur, hoc modo rem se habere intelligendum est. Primo loco se offert notitia rei propter se, aut propter aliam expetendæ, aut fugiendæ.

Notitia rei.

Naturalis amor aut odium illius.

Secundo loco, si notitia non est plena, hoc est, cum cognitione oppositi coniuncta, sequitur in voluntate naturalis quidam actus amoris, aut odij erga rem illam, nondum tamen completus per modum amplectentis absolute, aut reiicientis, sed per modum passionis cuiusdam: in quo actu non est aut meritum, aut culpa, quemadmodum nec libertas. Quod si notitia plena sit, tunc voluntas libere se determinat, vt rem propositam propter ipsam, aut propter aliam absolute amplectatur, aut reiiciat. Hic autem determinandi actus in bonis quidem iis, quæ per se appetuntur, intentio, & propositum dicitur, in iis autem, quæ appetuntur propter alia, electio virtualis appellatur, quia semper est inter opposita saltem contradictorie: inanimalis vero nomine caret, dicique potest reiectio, & refutatio.

Libera volitio aut nolitio.

Medii inquisitio, & oblatio.

Tertio loco intellectus à voluntate permotus, vel interdum naturali propensione sua **A** sagacitatis incitatus medium aliquando suggerit, quo res proposita obtineatur, si illud certum sit, & determinatum, vt nauis ad nauigandum, & cibus ad famem sedandam: si autem medium certum, & determinatum nõ sit, veluti ad victoriam obtinendam, aut hostem declinandum: inquirit, quænam ad id apposita videantur, & ex iis quænam aptiora: qua in re duplici actu prudentiæ opus est, in**B**quisitione nimirum, & iudicio, quorum ille ad eubuliam pertinet, hic autem ad synesim, quæ sunt partes prudentiæ.

Cõsensus voluntatis, electio & eorum discrimen.

Quarto loco, si vnum ac necessarium oblatum est medium, voluntasque persistit in proposito rei obtinendæ, succedit in ea consensus, quo se accommodat iudicio intellectus: est enim consentire nihil aliud, quam idem cum altero sentire, aut illi quouis alio modo accommodari. Quod si ab intellectu **C** plura sunt oblata media, tanquam plus, minusve accommodata ad rem obtinendam: tũc adhibetur formalis electio, quæ est vnius præ alio approbatio, propriaq; voluntatis determinatio circa media ad finem: siue accõmodatiora illa sint, siue minus accommodata: hoc enim integrum, ac liberum voluntati relinquitur. Qua electione, cum completa est per considerationem earum circumstantiarum, quæ necessariæ sunt ad agendum, se**D**quitur in intellectu imperium, quo actio præcipitur ei potentiæ, à qua exercenda est: non quod voluntas per efficaciam eligendi actum non sit potens ad permouendam potentiam, quæ operatura est: sed quia à natura est institutum, vt intellectus voluntatem complete determinatam adiuuet in promouendis omnibus animæ viribus imperio subiectis ad exequutionem operis. Quæ intellectus operatio est vltimus, ac præcipuus actus pruden**E**tiæ: intelligo autem nomine actuum prudẽtiæ non tantum eos, qui à prudentiæ habitu procedunt, sed etiam eos, quibus habitus prudentiæ acquiritur.

Imperium.

Executio.

Quinto loco facultates, cui executio percipitur, siue illa sit intellectus, siue etiam voluntas, siue aliqua ex inferioribus potentiis, exercet actionem ipsam, quæ ad rem propositam obtinendam oportuna iudicata, electa, & præcepta est. In qua exequutione **F** duplex actus admiscetur, quorum alter dicitur vsus actiuus, qui pertinet ad facultates imperantes: (comprehensa voluntate nomine imperantium) alter vero vsus passiuus, spectat ad facultates exequentes, nec distinguitur ab ipsis actibus imperandi, & exequendi, nisi consideratione quadam, quatenus actus imperandi est superioris agentis, actus autem exequendi inferioris, & quasi instrumentalis;

Vsus actiuus.

strumentalis: vt ducta similitudine quodammodo ex vsu actiuo fabri, & passiuo instrumenti, quo vtitur.

Rei adeptio.

Sexto loco succedit adeptio rei propositæ, quæ per actionem obtinenda erat. Quæ adeptio interdum est actus distinctus ab actione, quæ illius obtinendæ causa exercebatur, veluti contemplatio Dei ab operibus virtutum moralium, quibus obtinetur: & informatio per formam substantialem à generatione præcedente, qua introducebatur: interdum vero est complementum ipsius actionis, veluti domus confecta, & absoluta, & sanitas acquisita, quam non putamus esse qualitatem distinctam à complemento temperamento qualitatum, & humorum.

Fruitio.

Septimo tandem loco sequitur rei acquisitæ, seu finis obtenti fruitio: quæ nihil est aliud, quam quies in bono acquisito, hoc est, actus quidam vitalis à voluntate per modum passionis de præsentia finis acquisiti naturaliter elicitus, non à fine, qua finis est, causatus, vt putat Scotus. Fruitioni autẽ similis est alius quidam actus de malo declinato, vt declinatum est, seu potius de ipsa mali declinatione, quatenus bonum est quoddam, in quo A voluntas conquiescit in fine actionis, qua malum declinatur.

In 1. d. 1. q. 3. Vide lib. 5. c. 2. q. 10. sect. 2. Quiescendi actus in declinatione mali.

An imperium & actus imperatus queant esse idem.

Quæri etiam solet in hac re, num imperium, & actus imperatus possint esse vnus, & idem actus. Ad quam dubitationem breuiter dicendum, realiter quidem nunquam eundem esse posse, quia nihil à se ipso effectiue causatur: moraliter autem, hoc est, si meritum, aut culpam spectes, posse esse & eundem, & diuersum. Nam si actus imperij propter impedimentum non habeat effectum, B hoc est, nõ exeat in actum imperatum, itemque repetatur, & in ipsa sui repetitione effectum habeat: quemadmodum ille prior actus erit moraliter diuersus à posteriori, id est, diuersi meriti, aut culpæ, ita erit diuersus moraliter ab actu, qui imperatur à posteriori imperio: at posterior imperandi actus, cum habeat pro effectu ipsum actum imperatum, qui non est impeditus, idem moraliter cenC setur esse cum eo, quia est eiusdem numero meriti, aut culpæ: vt cum quis eodem actu imperandi interiori non multiplicato actum aliquem virtutis, aut vitij exteriorem sequitur, veluti eleemosynæ, aut furti.

ΚΕΦ. γ.

Εἰσὶ a δέ τινες, οἵ φασιν, οἷον Μεγαρικοὶ, ὅταν ἐνεργῇ, μόνον δύνασθαι: ὅταν δὲ μὴ ἐνεργῇ, μὴ δύνασθαι: οἷον, τὸν μὴ οἰκοδομοῦντα, μὴ δύνασθαι οἰκοδομεῖν, ἀλλὰ τὸν οἰκοδομοῦντα ὅταν οἰκοδομῇ: ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ ἄλλων· οἷς τὰ συμβαίνοντα ἄτοπα, οὐ χαλεπὸν ἰδεῖν.

δῆλον b γάρ· ὅτι οὔτε οἰκοδόμος ἔσται, ἐὰν μὴ οἰκοδομῇ: τὸ γὰρ οἰκοδόμῳ εἶναι, τὸ δυνατῷ εἶναί ἐστιν οἰκοδομεῖν. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τεχνῶν.

ὡς

CAPVT III.

Svnt a autem quidam, vt Megarici, qui ita rem habere dicant, vt cum quis operatur, tum solum possit: cum non operatur, non possit, veluti eum, qui ædificat, ædificare non posse: sed eum, qui ædificat, cum ædificat: eodemque modo in cæteris: quibus quæ eueniant incommoda, non est difficile videre.

Est b enim perspicuum neque ædificatorem fore, si non ædificat: ædificatoris enim esse id ipsum est, quod potentiis ædificare: quæ eadem ratio in aliis artibus.

Quod

CAPITIS TERTII EXPLANATIO.

Veterum error tunc solum dari potentias cum operantur.

Svnt a *autem quidam.*] Egit de multiplicitate, distinctioneque potentiarum: nunc collaturus potentias cum actibus, duos extremos errores excludit, vnum eorum, qui dicebant nec potentias præcedere vnquam tempore suos actus, nec etiam eos subsequi, sed tum solum dari in rerum natura, cum actu operantur; quem errorem hoc caput refellit. Alterum eorum, qui asserebant quasdam esse potentias, quæ actibus suis nunquam indigeant, adeo vt etsi earum actus dari non possint in rerum natura, ipsæ tamen in rebus inueniantur; quos redarguit capite sequenti. Attribuit autem priorem sententiam iis etiam, qui Zenonem Eleatem secuti sunt, vt tradidit Alexander; hos enim ait propterea vocari ab Aristotele Megaricos, quod Zeno Megaris philosophiam docuerit. Missis autem rationibus, quibus illi suam positionẽ confirmabant, quas Magnus Albertus quasi diuidẽdo conatur inuenire, mox illam quinq; refutat argumẽtis.

Tex. 5. Alter error, esse potent. quæ nunquã actus habere queant.

Prior quinque refutatur argum.

Primum arg.

b *Est enim perspicuum.*] Primum est, quia eorum positio pugnat cum communi hominum sententia: vocamus enim artifices non tantum eos, qui actu operantur, sed etiam eos, qui aut nondum operantur, si aliquam artem sibi compararunt, aut postquam operati sunt, ab opere destiterunt: nec certe alia de causa, nisi quia potentiam artificiose aliquid operandi habent; vt ædificatorem eum, qui ædificandi facultate præditus est, & sic cæteros: neq; enim aliud quicquam ædificatoris nomine, quatenus ædificator est, concipere possumus.

εἰ c οὖν ἀδύνατον τὰς τοιαύτας ἔχειν τέχνας, μὴ μανθάνοντά ποτε καὶ λαμβάνοντα καὶ μὴ ἔχειν μὴ ἀποβάλλοντα. τά ποτε (ἢ γὰρ λήθῃ, ἢ πάθει τινὶ, ἢ χρόνῳ: οὐ γὰρ δὴ τοῦ γε πράγματος φθαρέντος, ἀεὶ γὰρ ἐστιν) ὅταν παύσηται, οὐχ ἕξει τὴν τέχνην. πάλιν δ᾽ εὐθὺς οἰκοδομήσει, πῶς λαβών; καὶ d τὰ ἄψυχα δὲ ὁμοίως: οὔτε γὰρ ψυχρὸν, οὔτε θερμὸν, οὔτε γλυκὺ, οὔτε ὅλως αἰσθητὸν οὐθὲν ἔσται, μὴ αἰσθανομένων. ὥστε τὸν Πρωταγόρου λόγον συμβήσεται λέγειν αὐτοῖς. ἀλλὰ e μὴν οὐδ᾽ αἴσθησιν ἕξει οὐδὲν, ἂν μὴ αἰσθάνηται, μηδ᾽ ἐνεργῇ. εἰ οὖν τυφλὸν τὸ μὴ ἔχον ὄψιν, πεφυκὸς δὲ, καὶ ὅτε πέφυκε, καὶ ἔτι ὄν, οἱ αὐτοὶ τυφλοὶ ἔσονται, πολλάκις τῆς ἡμέρας, καὶ κωφοί. ἔτι f εἰ ἀδύνατον τὸ ἐστερημένον δυνάμεως, τὸ μὴ γιγνόμενον, ἀδύνατον ἔσται γενέσθαι: τὸ δ᾽ ἀδύνατον γενέσθαι, ὁ λέγων ἢ εἶναι ἢ ἔσεσθαι, ψεύσεται: τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦτο ἐσήμαινεν. ὥστε οὗτοι οἱ λόγοι ἐξαιροῦσι καὶ κίνησιν, καὶ γένεσιν. ἀεὶ γὰρ τό, τε ἑστηκὸς ἑστήξεται, καὶ τὸ καθήμενον καθεδεῖται: οὐ γὰρ ἀναστήσεται, ἂν καθέζηται: ἀδύνατον γὰρ ἔσται ἀναστῆναι, ὅ γε μὴ δύναται ἀναστῆναι.

ἀεὶ

Quod c si fieri non potest, vt huiusmodi [illegible] habeat, nisi qui eas aliquando didicerit, [illegible] acceperit: easque non habeat, nisi qui [illegible] e amiserit, (aut enim obliuione, aut [illegible] aliqua, aut tempore: neque enim re perempta, cum semper sit) certe cum cessauerit, artem non habebit. At is rursus continuo adificabit: quo pacto igitur accepit? Res d etiam inanimes eodem modo se habebunt: nam nec frigidum, nec calidum, nec dulce, nec omnino quicquam sensibile erit nulla sentiente. Ita eueniet, vt Protagora sententiam sequantur. Sed e neq; sensum habebit res vlla, si nec sentiat, nec operetur. Quod si cæcum est, quod aspectum non habet, cum aptum natura sit, & quo tempore, ac modo aptum est, iidem sæpe die eadem cæci, & surdi erunt. Praterea f si id impossibile est, quod potentia priuatum est, id sane, quod non fit, impossibile erit fieri: qui autem dixerit, aut esse, aut fore id, quod fieri non potest mentietur: hoc enim significabat verbum impossibile. Ita fit, vt huiusmodi sententia & motum, & generationem de medio tollant. Semper enim & id quod stat, stabit: & quod sedet, sedebit, cum fieri nequeat, vt surgat id, quod surgere non potest.

Ergo

Secundum. e *Quod si fieri non potest.*] Secundum arg. est, si quandocunq; artifices non operantur, carent artificiose operandi potentia, hoc est, arte (*idem enim sunt*) fieri potest, vt simul atque operari destiterint, artem amittant, idque nec obliuione, nec morbo, nec tempore, hoc est, longa dissuetudine: quo pacto ars amitti solet rursumq; modico interiecto temporis spatio, si iterum operentur, artem assequamur, non interuentu doctrinæ præceptoris, propriæve inuentionis, quarum vtraque longa exercitatione indiget: at hoc non modo absurdum est, sed etiam ridiculum. Quo loco Arist. illis verbis [*didicerit: atq; acceperit*] duos modos innuit acquirendi artes, doctrina videlicet, ac inuentione propria: parenthesi autem subiecta tres idem modos amittendi declarat, obliuione, morbo, & tempore, siue longa dissuetudine: excludit autem quartũ modum, quo videri posset amitti artem quemadmodum vera opinio sæpe amittitur, nempe corruptione, siue desitione rei obiectæ, vt si cum opinaris Socratem, qui sedebat adhuc sedere, ille surgat. Nam, vt ait, res arti subiecta semper est. Quod ideo dictum credit Alexander, quia materia, in qua operantur artifices, semper adest, nec ab eorum artibus pendet. Potest etiam intelligi rei nomine ipsum opus artificiosum vt domus, aut nauis, non quia semper sit absolute, sed quia semper est ex se res factibilis, vt ita dicam, neq; ex huius, aut illius hominis arte, in eo quod factibilis est, pendet, quo etiam modo dicere possumus rem contemplatiuæ scientiæ subiectam semper esse, non quia semper existat, sed quia semper est scibilis; præterquam quod semper est vt res vniuersalis, quæ ob id dicitur ab autore aliis locis semper esse, quia nõ est per se corruptioni obnoxia etsi talis esse potest per sua indiuidua.

Duo modi acquirendi artes & tres eas amittendi.

Desitione rei arti subiectã nunquam abesse.

Tertium argumentum. d *Res etiam inanimes.*] Tertium argumentum est, quia quod dictum est de artibus & scientiis, quæ sunt potentiæ rationales, idem dicendum erit de potentiis irrationalib. inanimatarum rerum: eodemque modo hæ res se habebunt ad illas, atq; homines ad rationales facultates: eodem enim modo dicendum erit neq; aquam frigidam esse; neque ignem calidum, neque mel dulce: nisi cum frigus calor, & dulcedo harum rerum actu sentientur: quo fit, vt nihil aliud sit frigidum esse, quam percipi vt frigidum seu (*quod idem est*) iudicio sensuum esse frigidum, & sic coetera. Quare cum fieri possit, vt aliis aliter res appareant, eueniet id, quod Protagoras Sophista dicebat, tales res esse, quales viderentur, quod lib. 4. refutatum est ea ratione, quod inde sequeretur contradictoria esse posse simul vera. Ex iis, quæ in hac ratione dicuntur ea Commentatoris argumentatio extrui potest, si qualitates sensibiles non sint, nisi actu sentiantur, fore vt sublatis animalibus ipsæ quoque tollantur, quod est ridiculum.

Com. tex. 26 & 27.

Quartum. e *Sed neque sensum habebit.*] Quartum argumentum est ex hoc errore consequi animal non

habe-

habere sensum, si actu non sentiat, idemque sæpius eodem die cæcum & surdum fore, si sæpius vtatur aspectu & auditu, sæpius etiam non vtatur, erit enim iuxta hanc sententiam sæpius vere ac proprie his sensibus priuatus, cum careat ipsis sentiendi potentiis, quo quid absurdius?

f *Præterea si id impossibile.*] Quintum argumentum est: Si nulla res habet potentiam agendi quicquam aut patiendi, nisi cum actu agit: aut patitur, impossibile erit fieri, quod actu non fit, mentieturque qui dixerit aliquid fore quod nondum sit: id enim dicitur impossibile, quod potentia priuatum est, siue actiua vt agat, siue passiua, vt patiatur, accipiatve, at hoc est merum cõmentum, tollit enim de medio & motum, & generationem, atque adeo ipsam materiam eorum omnium, quæ actu non mouentur, nec gignuntur, eo quod potentiam tollat ad ea omnia, quæ actu non fiunt. Sequitur etiam ex dictis animal, quod nunc stat, semper futurum esse, vt stet, si horum errore potentiam non habet, vt sedeat, aut cubet, & quod sedet semper fore vt sedeat, si potentiis surgendi & cubandi eorum sententia priuatum sit. *Quintum. Text. 6.*

εἰ οὖν g μὴ ἐνδέχεται ταῦτα λέγειν, φανερὸν ὅτι δύναμις καὶ ἐνέργεια ἕτερόν ἐστιν· ἐκεῖνοι δ' οἱ λόγοι, δύναμιν καὶ ἐνέργειαν ταὐτὸ ποιοῦσι: διό καὶ οὐ μικρόν τι ζητοῦσιν ἀναιρεῖν· ὥστε ἐνδέχεται δυνατὸν μέν τι εἶναι, μὴ εἶναι δέ: καὶ δυνατὸν μὴ εἶναι, εἶναι δέ· ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων κατηγοριῶν δυνατὸν βαδίζειν ὄν, μὴ βαδίζειν δέ: καὶ μὴ βαδίζειν δυνατὸν, βαδίζειν. ἔστι h δὲ δυνατὸν τοῦτο, ᾧ, ἐὰν ὑπάρξῃ ἡ ἐνέργεια, οὗ λέγεται ἔχειν τὴν δύναμιν, οὐθὲν ἔσται ἀδύνατον: λέγω δὲ οἷον, εἰ δυνατὸν καθῆσθαι, καὶ ἐνδέχεται καθῆσθαι τοῦτο, ἐὰν ὑπάρξῃ τὸ καθῆσθαι, οὐθὲν ἔσται ἀδύνατον, καὶ εἰ κινηθῆναί τι, ἢ στῆναι, ἢ στῆσαι, ἢ εἶναι, ἢ γίγνεσθαι, ἢ μὴ εἶναι, ἢ μὴ γίγνεσθαι, ὁμοίως.

Ergo g si hæc dici non possunt, non dubium est quin potentia & actus aliud, atque aliud sint; cum interim illa sententia potentiam, & actum, vnũ, atque idem faciant: quocirca non exiguum aliquid demoliri nituntur. Itaque fieri potest, vt aliquid possibile sit esse, nec tamen sit, itemque possibile sit non esse, cum sit tamen, eodemque modo in aliis prædicamentis: nempe vt aliquid ambulare possit, quod non ambulet. Illud h autem est possibile, cui si is actus euenerit, cuius potentiam habere dicitur, nihil eueniet impossibile. Verbi causa, si sedere res sit possibilis, & hic sedere possit, is si sedeat, nihil eueniet impossibile: eodemque modo si moueri aliquid, aut mouere, aut statui, aut statuere, aut esse, aut fieri, aut non esse, aut non fieri potest.

ἐλήλυθε i δ' ἡ ἐνέργεια τοὔνομα ἡ πρὸς τὴν ἐντελέχειαν συντιθεμένη, καὶ ἐπὶ τὰ ἄλλα ἐκ τῶν κινήσεων μάλιστα. δοκεῖ γὰρ ἡ ἐνέργεια μάλιστα κίνησις εἶναι. διὸ καὶ τοῖς μὴ οὖσιν οὐκ ἀποδιδόασι τὸ κινεῖσθαι, ἄλλας δέ τινας κατηγορίας: οἷον διανοητὰ καὶ ἐπιθυμητὰ εἶναι τὰ μὴ ὄντα, κινούμενα δὲ οὔ. τοῦτο δὲ ὅτι οὐκ ὄντα ἐνεργείᾳ, ἔσονται ἐνεργείᾳ. τῶν l γὰρ μὴ ὄντων, ἔνια δυνάμει ἐστίν: οὐκ ἔστι δὲ ὅτι οὐκ ἐντελεχείᾳ ἐστίν.

Porro i nomen actus, qui cũ forma, perfectioneve copulatur, ad alia quoque ex motib. maxime peruenit. Videtur n. actus esse motus maxime, vnde fit, vt iis quæ non sunt, motus tribui non soleat, sed alia quædam prædicata: sic ea, quæ nõ sunt, intelligibilia, & optabilia dicũtur; moueri autẽ minime: id quod propterea accidit, quod actu nõ sunt, sed actu futura sunt. Eorum enim, quæ non sunt, quædã potentia sunt: non sunt autẽ, quia actu non sunt.

g *Ergo si hæc.*] Colligit ex dictis potentiam & actum diuersa esse, hoc est, separari posse, cum tamen refutatus error ea vnum atque idem faciat, id est, ea non separet, nam quod ipsa distincta sint, etiam autores eius fatentur. Nec mirum quod Arist. vtatur hoc loco sensu affirmatiuo pro huiusmodi negatiuo: nam eodem vsus est lib. 4. cum dixit vnum & ens esse eandem naturã hoc est non diuersam, magis autẽ ad rem 3. physicorum, cum scribit in perpetuis idẽ esse posse atque esse, h. e. potentiam & actum non separari vnquam. Itaque cum hæc sententia nunquam separet potentiam ab actu, illud manifeste eam sequitur, nihil vnquam esse in potentia, sed si quid vlla ratione est, esse in actu, vnde efficitur, vt tollantur de medio multa & magna firmamẽta philosophiæ, cuiusmodi sunt materia, generatio, & ipse motus, qui omnium oculis patet, rerumque naturalium à supernaturalibus distinctionem nobis attulit, quocirca contra hunc errorem è vestigio concludit Arist. aliquid esse in potentia, quod aliquando futurum sit in actu, contraque aliquid esse in actu, quod aliquando non sit in actu futurum, siue id accidat in prædicamento substantiæ, cui præcipue debetur esse, siue in quouis alio. *Posse potentiam ab actu separari.* *Cap 2. tex. 3.* *Cap. 4. tex. 32.* *Text. 7.*

h *Illud autem possibile.*] Quia secundum veram sententiam distinxit, atque adeo separari posse docuit id, quod possibile est, ab eo, quod est actu, definit id, quod est possibile; cuius etiam definitione vsurus est ad alterum errorem cap. proximo refutandum. Ait autem possibile id esse, cuius potentia si ad actum reduci ponatur, nihil euenire impossibile, id quod familiaribus exemplis declarat. Accommodate autem ad veram Christianamque philosophiam lo- *Quid sit possibile.*

quutus est Aristoteles: quia id solum re vera impossibile iudicandum est, quod contradictionẽ inuoluit. alioqui nihil infinitæ Dei potentiæ est impossibile, quantumcunque alia ratione esse non posse videatur, quo pacto Arist. inferius credit cœli motum non posse vnquam cessare.

Ad tex. 1.
Actus nomẽ primo impositum ad significandum motum.
Vnde deriuatum ad operationes motus expertes.
Tum, ad qualitates motus administras.
Postremo ad formas substant.
Quid præcipue significet.
An rerum existentias.

i *Porro nomen actus.*] Ostendit vnde actus nomen originem habuerit, quidq; eo maxime videatur significari: ait igitur nomen actus (*quod græce est ἐνέργεια, & cum ἐντελεχείᾳ, id est forma, seu perfectione copulatur, h. e. cum ea, quæ late patet, vt cap. 1. diximus*) desumptum fuisse maxime ex motibus: motus enim primum appellatus est actus, quod ex iis omnibus, quæ actus nomine significantur, sit patentissimum quippiam; nihil enim iis, qui primum philosophari cœperunt, videbatur magis esse actu, quam quod moueretur. Quare, si vulgus consulatur, motus maxime videbitur nomen actus sibi vendicare. Vnde rebus, quæ non sunt actu, etsi alia prædicata tribui solent, vt quod intelligibiles sint, aut etiam optabiles, motus tamen non attribuitur, neque id alia de causa n̄ si quia actu non sunt. Itaque nomen actus primo quidem impositum est motui, deinde ex motu deriuatum est ad alias operationes, quæ non fiunt cum motu, vt ad videndi actum, & cætera huiusmodi tum vero ex his omnibus accõmodatum est vocabulum ad eas qualitates, quibus motus operationes quæ aliæ administrantur. postremo tribui solet formis substantialibus, quæ sunt prima principia effectiua motus, aliarumque operationum in rebus naturalibus. Si tamen quæratur, quid præcipue significet, primus locus dari consueuit formis substantialibus (*in rebus tamen sensibilib.*) secundus qualitatibus iis, quæ sunt principia motuum aliarumque operationum, tertius iis operationibus, quæ sine motu efficiuntur; postremo ipsi motui, quod hic aliquid potentiæ suo modo admistum habeat, fortasse tamẽ dari debet primus locus ipsis rerum existentiis, deinde ordine proposito formis substantialibus, cæterisque deinceps actibus: quod simpliciter & absolute ea dicamus esse actu siue ἐνεργείᾳ, quæ habent actualem existentiam; ea vero potentia, siue δυνάμει, quæ illam habere possunt, nec dum tamen habent.

Quæ actu nõ sunt, sed esse possunt, dici possibilia, quæ non possunt, impossibilia.
Vtraq; sæpe dici nõ entia.

] Eorum enim, quæ non sunt. Sensus est: Eorum, quæ actu non existunt, quædam potentia sunt, ac proinde possibilia, quædam non sunt potentia, sed impossibilia. Priora dicuntur non esse, quia actu non sunt, vt ii, qui nascentur adhuc; posteriora vero, quia esse non possunt, vt figmenta ea, quæ contradictionem aliquam inuoluunt. Vnde patet priora posse dici entia, etsi actu non sint; posteriora vero non item, quia actu esse non possunt; vtraque tamen sæpe dicũtur non entia, quod actu non existant.

ΚΕΦ. δ.

Εἰ δ' ἐστὶ τὸ εἰρημένον δυνατὸν, ἢ ἀκολουθεῖ, φανερὸν ὅτι οὐκ ἐνδέχεται ἀληθὲς εἶναι τὸ εἰπεῖν, ὅτι δυνατὸν μὲν τοδὶ, οὐκ ἔσται δέ: ὥστε τὰ ἀδύνατα εἶναι ταύτῃ διαφεύγειν. λέγω δὲ οἷον, εἴ τις φαίη δυνατὸν τὴν διάμετρον μετρηθῆναι, οὐ μέντοι μετρηθήσεσθαι, ὁ μὴ λογιζόμενος, τὸ ἀδύνατον εἶναι, ὅτι οὐθὲν κωλύει δυνατόν τι ὂν εἶναι, ἢ γενέσθαι, μὴ εἶναι δὲ μηδ' ἔσεσθαι. ἀλλ' ἐκεῖνο ἀνάγκη ἐκ τῶν κειμένων, εἰ καὶ ὑποθοίμεθα εἶναι ἢ γεγονέναι, ὃ οὐκ ἔστι μὲν, δυνατὸν δὲ, ὅτι οὐθὲν ἔσται ἀδύνατον: συμβήσεται δέ γε, τὸ γὰρ μετρεῖσθαι, ἀδύνατον. οὐ γὰρ ἐστι ταὐτὸ, τὸ ψεῦδος, καὶ τὸ ἀδύνατον: τὸ γὰρ σε ἑστάναι νῦν, ψεῦδος μὲν, οὐκ ἀδύνατον δέ.

ἅμα

CAPVT IV.

Quod a si possibile est id, quod dictum est, quatenus sequitur: perspicuum est fieri non posse, vt verum sit dicere, hoc possibile esse, nec tamen fore, ita vt nos hac ratione impossibilia diffugiant. Exemplum b esto, vt si quis dicat diametrum mensurari posse: nec tamen futurũ, vt mensuretur: non animaduertens, quid sit impossibile, eo quod nihil prohibeat aliquid, quod possibile sit, aut esse, aut fieri: nec tamen esse, aut fore. Sed illud ex iis, quæ posita sunt, necessario sequitur, si supponamus esse, aut futurum esse id, quod non est quidem, est tamẽ possibile, nihil secuturũ impossibile: at plane sequetur, cum mensurari sit impossibile. Neq; enim idem sunt falsum, & impossibile: te enim nunc stare, falsum quidem est, sed non impossibile.

Simul

CAPITIS QVARTI EXPLANATIO.

Refellitur eorum error, qui dicebant dari potẽtias quarũ actus sint impossibiles.
Sequi inde omnia esse possibilia.
Text. 8.

Quod a si possibile.] Refellit eorum errorem, qui contra atq; ii, qui superiori cap. refutati sunt dicebant dari potentias, quæ vsque adeo non indigeant suis actibus seu vt perducantur ad suos actus, vt etsi actus earum nunquam futuri sint, vel etiã eos esse repugnet, ipsæ tamen potentiæ in rerum natura existant. Qua ex sententia absurdissimum illud sequitur, omnia esse possibilia, nihilque omnino esse impossibile. Nam si quis neget hoc vel illud esse possibile, eo quod potentia, cuius ratione illud dicitur possibile, ad actum perduci non possit respondebunt ii, quibus hæc sententia placuerit, non esse id necessarium, vt sit possibile, fieri enim posse, vt detur potentia, cuius actus dari nequeat. Hanc igitur erroneã positionem Arist. coarguit ex de-

definitione possibilis superiori cap. posita, si possibile, inquit, est id, quod diximus, quatenus sequitur (*hoc est, quatenus ex aliqua potentia sequitur, aut sequi potest*) non dubium est, quin falsa sit eorum sententia, qui asserunt rem aliquam esse possibilem, nec tamen vnquam fore, eo nimirũ sensu, vt impossibilia nos fugiant, tollanturque omnino, tollentur enim prorsus, si aliqua sic possibilia dicantur, potentiamque habere vt sint, vt tamen ipsum eorum esse non modo non sit futurum, sed neque etiam esse possit (*quo pacto illi suam sententiam exponunt:*) neque enim iam omnino aliquid restat, quod impossibile dici possit, si tale possibile admittatur, omnia enim impossibilia erunt hoc pacto possibilia. *Text. 8.*

b *Exemplum esto.*] Exemplum est rei, quæ re vera impossibilis est, & tamen istorum sententia est possibilis; nam dicere diametrum quadrati mensurari posse, hoc est, posse habere communẽ mensuram cum latere eiusdem, est dicere rem, quæ re vera est impossibilis, possibilem esse, vtpote habentem potentiam, vt mensuretur, nec obesse quicquam, quod nunquam futurum sit vt mensuretur, imo etiam repugnet eius mensurationem ad actum perduci. At hoc qui dixerit, plane falletur, nec animaduertet discrimen falsi possibilis, & eius quod re vera est impossibile, videns aliqua falsa possibilia, nempe quæ nũquam actu erunt, vt illum habiturum liberos, quos nunquam habebit, simulque credens, idem esse non perduci vnquam potentiam ad actum, atque non posse perduci, quo nihil stultius. *Exemplo res fit apertior.*

c *Sed illud ex iis.*] Hoc est, sed tamen non esse verum, quod isti dicunt ex definitione possibilis necessario colligitur, si enim supponamus mensurari diametrum, illud sequetur impossibile, vt paria imparibus æqualia sint, quod Mathematici demonstrant: quare non est possibile diametrum mensurari. Illi autem in hunc errorem inciderunt, quod ignorarent, vt dictum est discrimen inter falsum possibile, & illud quod re vera est impossibile: hoc enim consistit in repugnãtia alicuius contradictionis, illud in eo tantum, quod aliter habet aut habebit in re atq; dicitur aut creditur. *Discrimen inter impossibilia & falsa possib.*

ἅμα d δὲ δῆλον, καὶ ὅτι εἰ τοῦ α ὄντος, ἀνάγκη τὸ β εἶναι, καὶ δυνατοῦ ὄντος τοῦ α εἶναι, καὶ τὸ β ἀνάγκη εἶναι δυνατόν. εἰ γὰρ μὴ ἀνάγκη δυνατὸν εἶναι, οὐθὲν κωλύει μὴ εἶναι δυνατὸν εἶναι. ἔστω δὴ τὸ α δυνατόν: οὐκοῦν ὅτε τὸ α δυνατὸν εἴη εἶναι, εἰ τεθείη τὸ α, οὐδὲν ἀδύνατον εἶναι συνέβαινεν. τὸ δέ γε β ἀνάγκη εἶναι: ἀλλ' ἦν ἀδύνατον. ἔστω δὴ ἀδύνατον. εἰ δὴ ἀδύνατον, ἀνάγκη εἶναι τὸ α, ἀνάγκη καὶ τὸ β εἶναι. ἀλλ' ἦν ἄρα τὸ α δυνατόν: καὶ τὸ β ἄρα. εἰ ἄρα ἦν τὸ ἀδύνατον, καὶ τὸ β ἔσται δυνατόν, εἴπερ οὕτως εἶχον, ὥστε τοῦ α ὄντος, ἀνάγκη εἶναι τὸ β. ἐὰν δὴ οὕτως ἐχόντων τῶν α β μὴ ᾖ δυνατὸν τὸ β οὕτως, οὐδὲ τὸ α β ἕξει ὡς ἐτέθη. καὶ εἰ τοῦ α δυνατοῦ ὄντος, ἀνάγκη τὸ β δυνατὸν εἶναι, εἰ ἔστι τὸ α, ἀνάγκη εἶναι καὶ τὸ β. τὸ γὰρ δυνατὸν εἶναι ἐξ ἀνάγκης τὸ β εἶναι, εἰ τὸ α δυνατὸν, τοῦτο σημαίνει, ἐὰν ᾖ τὸ α, καὶ ὅτε, καὶ ὡς ἦν δυνατὸν εἶναι, κἀκεῖνο τότε, καὶ οὕτως εἶναι ἀναγκαῖον.

Simul d autem & illud perspicuum est, si cum A. est, necesse est B. esse, illud quoq; effici, vt si A. possibile sit esse, B etiam esse sit possibile. Si enim nõ necesse est esse possibile, nihil prohibet non esse possibile. Sit igitur A. possibile, ergo cum A. possibile fuerit esse, si ipsum ponatur, nihil eueniet, quod esse sit impossibile: B autem necesse est esse: at erat impossibile. Sit ergo impossibile: igitur si impossibile, necesse est A. esse, necesse est & B. esse: at A possibile erat: igitur & B. Quare si A. fuerit possibile, B. quoque possibile erit, si hoc quidem pacto se habebant, vt si A. esset, B. esset necessario. Quod si hoc pacto se habentibus A. B. ipsum B. non sit eodem modo possibile, neq; A. B. sic se habebunt, vt positum erat. Quod si cum A possibile est, necesse est B. possibile esse; si A. quidem sit, necesse est & B. esse. Possibile enim esse B. necessario, si A. est possibile, hoc profecto significat, si sit A. & quo tempore, & quomodo est possibile, tunc etiam illud, & eodem modo est necessario.

d *Simul autem illud.*] Colligit ex dictis in consequentia necessaria ex antecedente possibili semper effici consequens possibile; si enim ex A. necessario sequitur B. & A. est possibile, B quoque possibile sit necesse est, sumpto tamen posibili, vt est commune necessario & contingenti: nam si posibile sumatur pro contingenti, hoc est, pro eo, quod potest esse & non esse, fieri potest vt antecedens sit possibile, & consequens, non sit eo modo possibile, sed necessarium; vt in hac consequentia, Si Socrates ridet, Socrates est homo. Probat autem hoc ex dictis sequi, quia si A. existente possibili B. possit non esse posibile, ponatur igitur non esse posibile, ac proinde imposibile, quare, si A. ponatur in esse, aliquid ex eo sequetur imposibile, quod est contra definitionem posibilis, in qua dicebatur posibile esse id, quo posito in actu nullum sequitur imposibile. Rursus autem regreditur Aristotel. à consequente ad antecedens, vt idem probet; Sit ergo B. inquit, imposibile: igitur necesse est vtrumque, nimirum & A. esse & B. esse nempe imposibile (*quod supplendum est;*) nam, etsi ex imposibili aliquando sequatur posibile ac necessarium, vt si dicas, *In consequentia necess. ex antecedente possibili semper effici consequens possib.*

dicas. Homo est equus, ergo est animal, tamen impossibile non nisi ex impossibili sequi potest, alioqui, si sequeretur ex possibili, iam vitiosa esset prædicta possibilis definitio, quare, si aliquādo videatur impossibile aliquid ex possibili sequi, signum est apertissimum, si A. est non necessario esse B. hoc est, non esse necessariam consequentiam, vt ponebatur, hoc enim significabat, si A. possibile est, necessario B. esse possibile, videlicet necessario B. sequi ex A. si A. ponatur in esse.

ΚΕΦ. ε.

Ἁπασῶν a δὲ τῶν δυνάμεων οὐσῶν, τῶν μὲν συγγενῶν, οἷον τῶν αἰσθήσεων: τῶν δὲ ἔθει, οἷον τῆς τοῦ αὐλεῖν: τῶν δὲ μαθήσει, οἷον τῆς τῶν τεχνῶν: τὰς μὲν ἀνάγκη προενεργήσαντας ἔχειν, ὅσαι b ἔθει καὶ λόγῳ: τὰς δὲ μὴ τοιαύτας, καὶ τὰς ἐπὶ τοῦ πάσχειν, οὐκ ἀνάγκη.

ἐπεὶ c δὲ τὸ δυνατὸν, τὶ δυνατὸν καὶ ποτὲ, καὶ πῶς, καὶ ὅσα ἄλλα ἀνάγκη προσεῖναι ἐν τῷ διορισμῷ: καὶ τὰ μὲν κατὰ λόγον δύναται κινεῖν, καὶ αἱ δυνάμεις αὐτῶν μετὰ λόγου, τὰ δὲ ἄλογα καὶ αἱ δυνάμεις ἄλογοι, κἀκείνας μὲν ἀνάγκη ἐν ἐμψύχῳ εἶναι, ταύτας δὲ ἐν ἀμφοῖν: τὰς d μὲν τοιαύτας δυνάμεις ἀνάγκη, ὅταν ὡς δύνανται τὸ παθητικὸν, καὶ τὸ ποιητικὸν πλησιάζωσι, τὸ μὲν ποιεῖν, τὸ δὲ πάσχειν: ἐκείνας δ' οὐκ ἀνάγκη. αὗται γὰρ πᾶσαι, μία ἑνὸς ποιητική: ἐκεῖναι δὲ, τῶν ἐναντίων. ὥστε ἅμα ποιήσει τὰ ἐναντία: τοῦτο δὲ ἀδύνατον.

ἀνάγκη

CAPVT V.

Cvm a autem potentiarum omnium aliæ à natura insint, vt sensus alia consuetudine, vt tibiis canendi: aliæ disciplina, vt artes: eas b quidē, quæ consuetudine, aut ratione comparantur, ab iis, qui ante operati sint, habeantur necesse est: quæ autem huiusmodi non sunt, & quæ in patiendo consistunt, non est necesse.

Quoniam c vero id, quod possibile est, aliquid potest, & aliquando, & modo aliquo, cæteraq; habet, quæ in definitione necessario addenda sunt: & alia quidem ratione mouere possunt, eorumq; potentiæ cum ratione sunt: alia vero sunt rationis expertia, eorumq; potentiæ ratione carent, & illæ quidē in rebus animatis necessario insunt: hæ vero in vtroq;: in d his quidem potentiis, cum id, quod actiuum est, & passiuum, eo modo, quo possunt, propinqua sunt, alterum agat, alterum patiatur necesse est: in illis autem non est necesse: harum enim omnium vnaquaque vnius effectiua est, illæ vero contrariorum. Faciunt igitur simul contraria: at hoc fieri nequit.

Ali-

CAPITIS QVINTI EXPLANATIO.

Potētiarum alias esse natura insitas. Alias consuetudine comparatas. Alias doctrina. Tex. 10.

Cvm a *autem potentiis.*] Refutatis duobus erroribus, quorum alter nullam potentiam ante actum esse dicebat, alter etiam ad actus impossibiles potentiam extendebat, docet primū hoc cap. quænam potentiæ actum præcedant, quæ vero minime, deinde quo pacto eæ, quæ actum præcedunt, ad illum perducantur: postremo tacitæ cuidā obiectioni respondet. Ait igitur tria esse potentiarum genera: vnum earum: quæ natura insunt, siue illæ nimirum actiuæ sint, vt calefaciendi: siue passiuæ. vt accipiendi calorem, siue vtrumque munus habeant, vt sentiendi facultates. Alterum earum, quæ consuetudine acquiruntur, vt tibiis canendi, aut citharam pulsandi, siquidem huiusmodi facultates fere sola consuetudine comparantur, tametsi nonnullis præceptionibus opus habeant. Tertium earum, quæ disciplina, vt sunt artes eæ, quæ lōga præceptoris doctrina & industria indigent, velut medicina & cæteræ actiuæ scientiæ. Quæ duo posteriora genera actiuas tantum potentias continere mox docebit.

Virtutes assuetud. acquiri. In Menone Phædro, Phæd. & 10. de Repub.

Quo loco animaduertendum est, cum virtutes quoque non minus quam scientiæ, potentiarum nomine comprehendi debeant, eas non in tertio genere, vt Plato existimabat, ponendas esse, sed in secundo, vt quæ assuetudine magis, quam doctrina comparentur. Cæterum Plato non modo in re hac non recte sentiebat, sed in eo etiam, quod non credebat scientias disciplina comparari, sed magistrorum industria ordine interrogantium iam inde ab ortu quasi dormiētes in nobis excitari.

Quæ potent. sint actib. posteriores quæ contra. Nullam potent. acquisitam esse passiuam. Obiectio.

b *Ea quidem, quæ consuetudine.*] Docet ex tribus potentiarum propositis generibus eas omnes, quæ secundi, ac tertii generis sunt, necessario esse posteriores quibusdam actib. iis videlicet, quibus acquiruntur, eas vero, quæ nec ad secundum, nec ad tertium genus pertinent, passiuasque omnes (*neque enim vllam excipit*) non esse necesse, quippe cum ingenitæ sint, & ab ortu habeantur. Quibus verbis satis declarat nullas secundi, ac tertii generis esse passiuas. Nec moueat quenquam, quod multæ virtutes in patiendo positæ videantur, vt sobrietas, abstinentia, & ipsa, quæ à patiendo dicitur, patientia; multæ quoque habituales dispositiones sint, quæ

longa

[ex]ercitatione comparentur ad durandum corpus, laboresq; perferendos, quarum apud Lacedæmonios magnus erat vsus: nam illarum virtutum munus haud quaquam præcipue in patiendo positum est, sed in actibus internis, quibus formatur animus, ne vitiis contrariis succumbat, dispositiones vero, quibus corpus ad labores fit robustius, non perpetiendi causa, sed præcipue resistendi aduersis rebus, comparantur: aut resistere, non pati ac succumbere, sed agere est, aut saltem actionem à rebus aduersis illatam impedire. *Diluitur.*

Ex his colligitur potentias à natura insitas præcedere suos actus, si non omnes omnino, omnes tamen exceptis iis, si quos habuerunt, cum primum productæ sunt: quo pacto materia non præcessit tempore formas eas, cum quibus à Deo condita est: eas vero, quæ consuetudine, vel doctrina comparantur, non præcedere eos actus, quibus acquiruntur: sed cum eiusmodi actus imperfecti sint, nec producantur ab iis facultatibus, quæ per eos gignuntur: si de actibus quidem earum sermo sit *(quo etiam modo de actibus insitarum potentiarum loquimur)* vniuerse dicendum est, omnes omnino potentias præcedere suos actus: nisi siquæ sint potentiæ, quæ cum aliquibus simul in rerum natura esse incipiant, quos tamen adhuc naturæ ordine præcedunt. *Vniuerse omnes potentias præcedere suos actus.*

c *Quoniam vero id.*] Vt doceat, qua ratione potentiæ ad suos actus reducantur, explicat familiarius definitionem possibilis, repetitque duas potentiarum diuisiones, quæ cap. 2 propositæ sunt. Ex his enim in vnum collectis facilius rem conficiet. Porro hic verbum *δυνατὸν* duplici significatione vsurpatur, priori loco pro possibili, posteriori pro potente: ac merito quidem, si res enim recte consideretur, quicquid possibile est, aliquid potest, nempe aut esse aut agere, aut pati, aut horum opposita, quocirca melius esset, si verbum illud priori loco poneretur græce, posteriori vero verteretur latine in altera tantum significatione, *(quod fecimus lib. 5. cap. 12. in verbo ἀδύνατον)* nisi ipsa possibilis insinuata definitio, quæ hic explicatur, nos cogeret, vt priori etiam loco latino possibilis nomine vteremur. *δυνατὸν hic acceptum & pro possibili, & pro potente.* *Tex. 17.*

d *In his quidem.*] Iam docet, quonam pacto potentiæ rationis expertes *(quas etiam naturales vocamus)* ad actum reducantur. Ait igitur nulla re alia ad id opus esse, quam ipsa earum rerum quæ per eas agere & pati possunt, conuenienti propinquitate: nam cum huiusmodi potentiæ vnius tantum effectiuæ sint, hoc est, eius solius, ad quod agentis naturalis forma & patientis naturalis propensio inclinant, fieri non potest vt, si actiua & passiua naturalia conuenienti modo iungantur *(ita nimirum vt adsint omnes circumstantiæ ad agendum necessariæ, omniaq; actionis impedimenta remoueantur)* alterum non agat, alterum non patiatur: alioqui huiusmodi potentiæ otiosæ essent, aut certe suarum actionum dominæ, ac proinde rationis participes, non rationis expertes. Alia ratio est in rationalibus potentiis, quatenus modo aliquo sunt liberæ: nam, vt ait Arist. etsi ea, quæ his potentiis agunt aut patiuntur, conuenienti modo propinqua sint, *(nempe adhibitis omnibus ad agendum requisitis, semotisque iis omnibus, quæ actionem impedire possunt)* non est necesse, vt alterum agat, alterum patiatur: possunt enim indifferenter non tantum contraria modo aliquo positiua agere vel pati, sed etiam agere & non agere, *(quæ nos etiam in contrariis necessario intelligenda esse superius diximus)* quod in indifferentia agendi & non agendi præcipue libertas posita sit: alioqui si iis positis necesse esset alterum agere, alterum pati, sane aut ij, qui libere aliquid agere dicuntur, naturæ impetu in agendo ducentur, nec suarum actionum domini essent, ac proinde non liberi: aut certe per vim agerent, quod non modo repugnat libertati, sed etiam ipsi rationi agendi, nulla enim res per vim agit, sed patitur: tametsi quod ad mores attinet, ij dicuntur per vim seu coacti agere, qui iusto timore aliquid contra voluntatem suam faciunt. *Potentiæ naturales per conuenientem rerum propinquit. reducto ad actum.* *Non ita rationales.* *Ad cap. 2.*

Nec certe in hoc genere timendum est, ne potentia libera otiosa sit, si cum omnia præparata sunt ad agendum, ipsa non agat, suo enim quasi iure libertatis vtetur. Huc accedit, quod ipsum non agere pro actione computatur, cum propter aliquod bonum coniunctum, aut quod bonum esse videatur, *(quod semper accidere superius diximus)* actioni proponitur. Minus etiam verendum est, ne quis dicat fore, vt agens vtrumque contrarium simul efficiat: id enim fieri non posse constat, cum sit contra primum illud omnium commune principium, nihil simul esse, & non esse posse: de quo fuse actum est lib. 4. proinde verba illa [*facient igitur simul contraria*] cum hoc moderamine intelligenda sunt [*si more potentiarum rationis expertium egerint*] *(nisi interrogatiue more legantur, vt legit Perionius:* neque enim iam potior erit ratio, cur vnum efficiant, quam alterius. *Dum hæ positis omnib. requisitis non agunt, non esse otiosas.* *Ad c. 2. q. 5. sect. 4.* *Cap. 3. q. vnica.*

ἀνάγκη e ἄρα ἕτερόν τι εἶναι τὸ κύριον: λέγω δὲ τοῦτο ὄρεξιν, ἢ προαίρεσιν. ὁποτέρου γὰρ ἂν ὀρέγηται, κυρίως τοῦτο ποιήσει, ὅταν ὡς δύναται ὑπάρχῃ, καὶ πλησιάζῃ τῷ παθητικῷ. ὥστε τὸ δυνα-

Aliquid e ergo aliud sit necesse est, quod principatum teneat: appetitus, inquam, aut electio: vtrumuis f enim appetierit, id dominantis more faciet, cum erit, vt potest, eique proximum fuerit id,

δυνατὸν κατὰ λόγον ἅπαν ἀνάγκη, ὅταν ὀρέγηται, οὗ ἔχει τὴν δύναμιν, καὶ ὡς ἔχει, τοῦτο ποιεῖν. ἔχει δὲ παρόντος τοῦ παθητικοῦ, καὶ ὡδὶ ἔχοντος, ποιεῖν: εἰ δὲ μή, ποιεῖν οὐ δυνήσεται.

id, quod patiendi vim habet. Itaq; id quod rationi potest, necesse est, vt cum id appetierit, cuius potentiam habet, & quomodo habet, tum id faciat: habet autem, vt faciat præsente, & sic se habente eo, quod pati potest: sin minus facere non poterit.

τὸ g γὰρ μηθενὸς τῶν ἔξω κωλύοντος, προσδιορίζεσθαι οὐδὲν ἔτι δεῖ: τὴν γὰρ δύναμιν ἔχει, ὡς ἔστι τῷ δυνάμει ποιεῖν: ἔστι δ' οὐ πάντως, ἀλλ' ἐχόντων πῶς ἐν οἷς ἀφορισθήσεται καὶ τὰ ἔξω κωλύοντα. ἀφαιρεῖται γὰρ ταῦτα τῶν ἐν τῷ διορισμῷ προσόντων ἔνια. διὸ h οὐδ' ἐὰν ἅμα βούληται, ἢ ἐπιθυμῇ ποιεῖν, δύο, ἢ τὰ ἐναντία οὐ ποιήσει: οὐ γὰρ οὕτως ἔχει αὐτῶν ἅμα τὴν δύναμιν, οὐδ' ἔστι τοῦ ἅμα ποιεῖν ἡ δύναμις, ἐπεὶ ὧν ἐστιν, οὕτως ποιήσει.

Nam g illud nullo externorum prohibente nihil iam necesse est adiungere: habet enim potentiam eo modo, quo licet, vi sua faciendi: licet autem non quouis modo, sed certo quodam se habentibus, quib. etiam separabũtur ea, quæ extrinsecus prohibent: hæc enim remouentur nonnulla eorum, quæ in definitione insunt. Quare h nec si simul velit, aut cupiat, aut duo, aut contraria faciet: neque enim hoc pacto simul habet eorum potentiam: neque etiam potentia, ipsa est simul faciendi: quandoquidem quorum est, ita faciet.

Vt potentiæ rationales ad actum reducantur, quid sit opus.

e *Aliquid ergo*] Colligit ex dictis, & monstrat quo pacto potentiæ rationales reducantur ad actum. Demonstratio vero est, quia, cum ad vnum determinatæ non sint, vt rationis expertes, nec fieri possit, vt vtrumque simul agant necessario efficitur, vt si quatenus tales sunt, & aliquo modo liberæ, agere debeant, aliquid adsit, quod earum indifferentia ad agendum patiendumve determinet, quodque principatum teneat & pro arbitratu alterum eligat: quod certe nihil aliud esse potest, nisi appetitus, aut electio seu (*quod credendum est Arist. his verbis innuere*) voluntas, quatenus appetitus electiuus est, vt verba illa (appetitus, aut electio) in hoc sensu accipienda sint (*appetitus aut potius electio, siue appetitus electiuus.*) Nam si quo in actu voluntas non est electiua, sed naturæ impetu in obiectum fertur, nec potest ab eo actu cessare, in eo iam non est libera, sed plane naturalis, quod solum accidere posse in summi boni clara & perfecta contemplatione Theologi demonstrant: appetitus vero sensitiuus si quando hominem ratione vtentem ad alterum contradictorium determinat, nunquam id fit, nisi annuente aut permittente voluntate.

Obiectio.

Obiiciat fortasse aliquis electionem non esse finium, sed mediorum ad finem: & tamen circa plurimos fines voluntatem esse liberam: ergo non omnem determinationem rationalium potentiarum ad suos actus esse à voluntate, quatenus electiua est, sed aliquando etiam ab ea, quatenus appetitiua duntaxat: atq; ea de causa fortasse Aristotelem vsum fuisse disiunctione, cum dixit (*appetitus, aut electio.*) Sed respondendum est, etiamsi circa bonum in commune, finemque

Solutio.

vltimum secundum generalem rationem summi boni, atq; adeo circa alios fines non vltimos, qui ad illum consequendum omnino necessarij iudicantur, non possit dari electio contrarietatis, ita scilicet vt voluntas aliquem horum finium postponere possit alteri cuiquam rei, ac proinde aliquem eorum non solum amare, sed etiam odisse possit: tamen circa hoc omnes posse dari, & reipsa dari frequenter electionem contradictionis, qua illi amari, & non amari possunt. Ita fit, vt omnis libera determinatio voluntatis, aliarumq; potentiarum rationalium quatenus modo aliquo sunt liberæ, fiat à voluntate, quatenus electiua est. Illud etiam, quod ad verba attinet, notandum est, eundem sensum reddidisse veterem interpretem cum illa verba, ἕτερόν τι εἶναι τὸ κύριον pene sic vertit (*aliquid aliud esse, quod proprium sit:*) nam verbum κύριον, vtrumq; significat, & proprium & principale, siue, quod hic aptius dicitur, quod principatum tenet, aut quod dominatur: namq; voluntas, quatenus electiua est, proprium quid recte dici potest, cum indifferentiam suam, intellectusque ad vnum contrariorum determinat; est enim electio vnius veluti causa particularis & propria, quæ sub intellectu, & voluntate quasi sub duabus causis vniuersalibus vtramq; appropriat, vt ita loquar, ad certum & peculiarem effectum.

Liberam determin. & voluntatis, & aliarum potentiar. fieri ab ea, qua electiua est.

Voluntas quando possit dici quid proprium.

Solam eam dici appetitũ rational.

Deniq; illud aduerte, etsi voluntas & vterq; appetitus sensitiuus appellantur potentiæ rationales nempe per participationem, vt supradictum est: tamen solam volũtatem dici appetitum rationalem & electiuum, vt ab appetitu sensitiuo distinguatur.

Quomodo potent. rationales in actum prodeant.

f *Vtrumuis enim appetierit.*] Explicat quo pacto in actum exeant rationales potentiæ sub dominatum appetitus electiui: sensus vero est, non satis esse, si agens & patiens propinqua sint, sed necesse esse, vt agens ita se habeat, vt potest, hoc est, cõuenienti modo ad agendum dispositum sit (quod idem de patiente intelligendum est ad patiendum) neque id quocunq; tempore ac modo, sed certo quodam & peculiari, vt paulo superius in hoc cap. dictum est, cum defi-

nitio

initio possibilis explicaretur; sic enim se habentibus agente & patiente, necesse erit, vt alterum agat, alterum patiatur, si tamen (*quod ex dictis supplendum est*) voluntas electiua alterum contrariorum efficaciter amplexa fuerit, alioquin nihil fiet.

g *Nam illud nullo.*] Respondet obiectioni tacitæ, qua quis dicat non recte explicatam esse possibilis definitionem, cum dictum est, possibile esse id, quod aliquando & modo aliquo, id est, certo tempore, certoq; modo aliquid potest, cęteraq; quę in definitione addenda sunt: cum hactenus non sit additum hoc, quod necessario addendum videtur (si tamen impedimenta omnia remoueãtur. Ait ergo additionem hanc esse superuacaneam, cum in prædictis verbis plane intelligatur; sic enim agens & patiens eo modo disposita esse debent, quo alteri licitum est agere, alteri actionem recipere, perspicum est id fieri nõ posse, nisi remoueantur omnia, quæ actionem impedire possunt. Itaque, si verba hæc adderentur, nonnulla eorum tollenda essent, quæ in definitione posita erant: quo fit, vt & superuacanea essent & inepte adiungerentur. *Obiectio contra defin. possibilis.* *Responsio.*

h *Quare nec si simul*] Ex eisdem verbis colligit, nec si simul quis velit, aut cupiat diuersa aut etiam contraria (*quod fieri potest, si diuersis rationibus ea velit, aut cupiat, aut si vnum ratione approbet, alterũ vero sensuum iudicio*) fore, vt vtrumq; simul facere possit: nam etsi alioqui ipsa contrarietatis repugnantia nihil impediret, ratio tamen potẽtiæ, qua dictum est, id, quod potest, non ferri in quiduis & quouis modo sed in certum aliquid, & certo quodam modo satis est, vt intelligamus, quæcunq; simul repugnat fieri, ea à potentiis ad vtrumq; idoneis simul fieri non posse: neq; enim potentia vlla fertur in vtrunq; vt vtruq; simul faciat, aut patiatur, sed vt eorũ alterum. Quo loca verba illa ὧν ἐν credibile est irrepsisse pro ὧν ἐν vt legẽdum non sit (quorũ est, sed, quomodo est: alioqui, vt aptus sit sensus, aliquid supplendum, quod facit Alexander, cum sic interpretatur. Quorum est, hoc est, quorum habet facultatem, vt simul ipsa efficiat: verum hoc modo non ad contraria, aliove modo pugnantia, id referendum est, sed ad alia quæ simul fieri nihil repugnat. *Non posse potentiam simul facere contraria.*

SINT NE HABITVS IN NOBIS NEcessarij, an non?

QVÆSTIO I.

Quibus argumentis non videantur.

SECTIO I.

QVONIAM Aristoteles in hoc capite quædam tradit de generatione habituũ resque ipsa per se consideratione digna est, nec parum difficultatis habet; rationi consentaneum est, vt cum communi Schola de ea tota hoc loco disputemus.

Tex. 15. *Duplex habitus acceptio.* Nomen habitus, quod ab habendo dicitur, multis modis vsurpatur apud Aristotelem ad finem prædicamentorum, & 5. lib. huius operis cap. 20. vt tamen habitus est qualitas, qua res bene, vel male habere dicitur duplex est: alter, qua bene vel male habet ad suum esse; cuiusmodi sunt sanitas & morbus, pulchritudo & deformitas: alter, qua bene vel male habet ad suam operationem, vt scientia & error, virtus & vitium; quæ duo habituum genera complexus est Aristoteles posteriori loco, cũ dixit habituum esse dispositionem qua aliquid bene, vel male se habet ad se vel ad aliud. Sed quia Aristoteles hoc capite non agit de habitibus prioris generis, sed posterioris; iisque tantum, quæ vel doctrina, vel assuetudini acquiruntur: de eisdem quoque nos fere solis hoc loco disseremus. *De vtris hic agendum.*

A Habitus ergo, qui censetur qualitas acquisita, & ad operationem destinata, communi ratione describi solet, *Qualitas sensu nõ percepta, & ex natura, aut modo inhærendi suo fixa, & stabilis, nostrisq; actibus acquisita, qua potentiæ faciliores & promptiores redduntur ad certas quasdam, & determinatas operationum species.* Hoc habituum genus numerat hoc loco Aristoteles inter potentias, late accepto potentiarum nomine, diuidens illas in eas, B quæ innatæ sunt, & ad secundam speciem qualitatis spectant, & in eas, quæ sunt acquisitæ, & innatis adiunctæ, quæ ad primam speciem pertinent. De his ergo habitibus nobis disserendum est, tametsi eos quoque, quatenus locus patietur, necessario attingemus, qui à nobis non acquiruntur, sed à Deo infunduntur. *Habitus descriptio.*

Nullos ergo huiusmodi habituum esse necessarios his argumentis suaderi potest. C Primum, quia, cum potentiæ naturales, antequam his habitibus informentur, possint omnes operationum species ad se pertinentes exercere, non est, cur ad maiorem earum facilitatem, & promptitudinem determinationemque, aliæ qualitates adiungantur. Nam, cum tria hæc, facilitas, promptitudo, & determinatio ad certam speciem, *Arg. ad tollẽdos habitus acquisitos.*

non idem sint, qua ratione ad huiusmodi determinationem opus esset his qualitatib. adiectis, eadem opus esset ad maiorem facilitatem, & promptitudinem, sicque habitus acquisitus non esset qualitas vna, sed tres, quod nemo dixerit.

Deinde, quia multæ potentiæ facilitantur ex vsu, promptioresq; fiunt ad certa & determinata effecta, quibus assueuerunt, nulla insuper addita qualitate, vt gustatus ad certos, & consuetos sapores: quod in aliis quoq; sensibus notari solet. Quin etiam in potentiis vegetatiuis id euenit, vt in virtute retentiua, & digestiua, quæ assuetudine faciliores & promptiores fiūt ad quosdam cibos retinendos, & dirigendos, à quibus antea abhorrebant: at in his facultatibus nemo habitus acquisitos ponendos existimat.

Tertio, quia maior facilitas, & promptitudo, determinatioq; ipsa potentiarū ad certas quasdam actiones & obiecta, videntur esse modi quidam puri se habendi earum ad illa, ad quos se habendi modos nulla opus esse videtur noua entitate potentiis adiuncta: alioqui non posset vlla res alio modo se habere ad aliam, nisi nouam aliquam entitatem in se reciperet, quod falsum esse patet in re, quæ mouetur loco, aut situm in eodem variat, & in aliis quamplurimis, quæ nulla in se recepta forma inhęrente, alio modo se habent ad alias, quam ante habuerant.

Quarto, quia maior facilitas & promptitudo potentiarum ad has operationes potius, quam ad illas, reduci potest ad maiorem intensionem ipsarum potentiarum, vt celerior & vehementior actio caloris rei calidæ in frigidam: quo fit, vt ad hæc non opus sit nouæ qualitatis acquisitione.

Arg. ad tollē dos infusos. Postremo idem probari potest ex collatione horum habituum cum infusis: nullos enim infusos necessarios esse hac ratione probatur, quia omnia effecta, quæ illis tribuuntur, sine illis haberi possunt, vt gratum esse Deo sine qualitate vlla, sed sola Dei acceptatione: & actus credendi, sperandi, & amandi Deum super omnia, solo Dei concursu speciali cum intellectu & voluntate, vt Theologi asserunt. Cum ergo in operibus naturæ nihil superuacaneū sit, vt omnes Philosophi docent, efficitur, vt nulli sint concedendi habitus, qui adiungantur potentiis, & à nobis acquirantur, cum ad id potentiæ ipsę sint satis concurrente prima causa solo generali & quasi naturali concursu ad omnia earum effecta.

Dandos re vera esse habitus non modo infusos à Deo, sed etiam à nobis acquisitos, qui in nobis inhæreant: quid ij sint, & quæ eorum necessitas.

SECTIO II.

Certum est dari habitus infusos. DARI tamen in nobis re vera habitus aliquos, vt nomen hoc & acquisitos, & infusos complectitur, sine magna temeritate, imo etiam errore negari non potest. Nam de iis, qui sunt per se infusi, hoc est, naturalibus viribus acquiri nequeunt, vt sunt gratia fides, spes & charitas, non modo error in fide est, sed etiam hæresis: siquidem in Tridentina Synodo aperte definitum est, cum in baptismo *Sess 6.c.7.* hæc dona nobis communicātur, aliquid nobis inhærens infundi: nec dubium quin fixū, & ex se stabile, & ad bonam operationem idoneum. Cumque multa naturalia ex supernaturalibus confirmata sint, & certius etiam probata, hinc quoque constabiliri possunt similitudine quadam ij habitus, qui naturaliter à nobis acquiri dicuntur.

Probatur dari acquisitos. Quod igitur hi posteriores, de quibus ex instituto agimus, dandi re vera sint, ex eo primum probatur, quia pręter omnium opinionē esset, si quis eos negaret. Vnus enim (*quod sciam*) Ioannes Maior est, qui præter habitus infusos existimat facile defendi posse nullos *In 4.d.4 q.1* alios esse necessarios, cum reliqui quotquot sunt Philosophi, & Theologi, non modo qui Scholastici dicuntur, sed etiam qui scholæ quasi fontes extiterunt, asserant negari non posse huiusmodi habitus esse aliquid aduenientes ipsis potentiis, eisq; inhærens: tametsi non omnes volunt esse qualitates, de qua controuersia mox dicendum.

Deinde experientia ipsa aperte constat ex assuetudine, aut doctrina aliquid in nobis relinqui plus, minusve fixum, & stabile, cuius adminicula postea facilius & promptius operamur, quod vocamus habitum.

Tertio, quia potentiæ rationales, in quibus vel solis vel maxime habitus acquiri dicuntur, quod indifferentes sint ad bene vel male operandum, nihilominus sunt naturaliter propensæ ad sui ipsarum perfectionem: alioqui non dedisset nobis naturæ autor aptitudinem, vt quatenus ratione vtimur, perficeremur ipsi, sed alia perficeremus, veluti vt domos, aut naues recte fabricaremus, quod absurdissimum esset, & ab omni ratione alienum.

Quarto idem probatur ex ipsa ratione, nostra;

ſtratum actionum: aut enim ſunt tranſeuntes, aut immanentes; ſi immanentes, cum hæ potentiis ipſis inhæreant, habitus quoque in eis relicti eiſdem inhæreant neceſſe eſt; ſiquidem immanentes actiones, vt immanentes ſunt, nihil extra efficiunt: ſi tranſeuntes, cum quatenus humanæ ſupponant immanentes, quibus humanæ adminiſtrantur, eadem ratio erit de tranſeuntibus, vt per eas immanentes, quas ſupponunt aliquid in nobis ipſis acquiratur, quo faciliores ad externa opera, & promptiores ad bene aut male aliquid efficiendum reddamur, quod appellamus habitum.

Sine habitibus ruit perpetuitas naturalis felicitatis.

Quinto loco ex ipſa ſtabilitate in virtute. Neceſſe eſt enim, ſi tendendum nobis eſt in felicitatem naturalem, ad quam natura ipſa propenſi ſumus, vt ſemper, & vbique boni ſimus; non poſſamus autem ſemper eſſe boni per operationes, quæ non etiam ſemper operari poſſumus: ergo per aliquid in nobis relictum ex bonis operationibus, quod bonum habitum vocamus.

Habitibus adſcribendũ, quod ſi bonis operibus illi malis gaudeant.

Sexto ex ipſo habituum effectu. Alii enim delectantur operibus rectæ rationi conſentaneis, & oppoſitis triſtantur; alii contra vitioſis gaudent, & triſtantur bonis, ac laudabilibus: aliquid ergo in ſe ipſis habẽt omnes, qui permanenter ſunt boni, & qui praui, per actiones proprias acquiſitum, quo iis actionibus gaudeant, quibus alii triſtantur, iiſque triſtentur, quibus ii gaudent; ipſæ enim naturales potentiæ ex ſe ipſis hoc diſcrimen nõ habent in diuerſis hominibus.

Poſtremo ex ipſa neceſſaria rationalis naturæ præuentione. Nam ad diuinam prouidentiam pertinet aliquid inſtituiſſe in nobis qui rationem ducem ſequi debemus, quo in ſubitis motibus, in quibus deliberandi locus non eſt, parati eſſe poſſemus ad recte, & rationi conuenienter agendum: cum hoc igitur ab ortu nõ habeamus (alioqui omnes in huiuſmodi motibus eodem modo operaremur) aliquid, quod in nobis permaneat, acquirendum nobis eſt, quo in iis motibus ad recte agendum præparemur, idque in nobis ex aſſuetudine recte operandi relinquatur, quod habitum dicimus.

De habituũ natura varia ſcientia. Prima ſent. eos eſſe puros ſe habendi modos.

Quid autem hoc ſit, non omnibus ſatis conſtat. Neque enim deſunt apud Paludanum in tertio diſt. 23. qui exiſtiment habitus, qui in potentiis acquiruntur, nihil eſſe aliud, quam modos quoſdam ſe habendi rerum, quos puros appellamus; eoſque conſurgere volunt ex varia diſpoſitione corporum. Idque probant ex ſimilitudine ſanitatis & pulchritudinis, & contrariorum morbi & deformitatis, qui habitus ſunt ſenſibiles; neque enim ſunt qualitates ſimplices, ſed, vt aiunt, modi quidam ſe habendi aliarum ſimplicium ad alias. Quod argumentum confirmare poſſent ex eo, quod Galenus tradit animi mores corporum complexiones conſequi; de qua re librum compoſuit.

Refellitur.

Sed hi neſcio, quo pacto non vident, exiſtente in nobis eadem diſpoſitione corporis, imo etiam cum mutatur a meliore in deteriorem, ſæpe maiorem facilitatem, & promptitudinem ad quædam opera in nobis animaduerti: vt patet, cum æque bene habemus, & tamen multa opera, vel bona vel mala, auidius, quam antea, exercemus: & cum a media ætate in deteriorem corporis ſtatum labimur, ſæpe facilius & promptius contemplari, & bona opera exercere. Accedit, quod etſi maior facilitas, & promptitudo, & ipſa etiam noua determinatio ad certam ſpeciem operationum, ſint puri ſe habendi modi ipſarum potentiarum; tamen non inde efficitur, vt ea, per quæ potentiæ ad eas operationes tales redduntur, ſint puri etiam modi ſe habendi earum, ſed veræ entitates, quas ii modi ſequantur. Denique cum certius ex diuinis humana confirmemus, quam ex humanis diuina; diuino autem oraculo in Tridentina Synodo accepto, vt dictum eſt, intelligamus habitus infuſos inhærere in nobis ipſis; inhærere autem non ſit eorum modorum, quos puros vocamus, ſed verorum accidentium: certiſſime hinc colligimus habitus illos eſſe vera accidentia, non puros ſe habendi modos. Quod ſi infuſi ſunt vera accidentia, cur non acquiſiti?

Euertitur eius fundam.

Quod autem dicunt, ſanitatem, & pulchritudinem eſſe modos ſe habendi aliquarũ qualitatum ad alias, verum non eſt, cum potius ſint ipſæ qualitates commenſuratæ certo quodam modo inter ſe, nõ ipſæ earum cõmenſurationes, quẽadmodum nec ſimplices qualitates, vt 7. lib. diximus. *Cap. 16. q. 2.* Quod vero Galenus ait, ſic in vero ſenſu accipiendũ eſt, quaſi dicat, iuxta complexionem cuiuſq; eſſe vnumquemq; ad hos aut ad illos mores propenſiorem. Quam tamen propenſionẽ non negat aſſiduitate contrariarum actionum, & acquiſitione conſequentium habituum ſuperari poſſe.

Secunda sent. habitus eſſe relat. quaſdã apud Argen. in 3. d. 23. art. 1.

Sunt alii, qui habitus in potentiis acquiſitos, & in eis re vera inhærentes, relationes quaſdam eſſe credunt. Id quod ex eo præcipue probant, quia Ariſtot. 7. Phyſ. ait, idcirco ad habitus non eſſe motum, alterationis ſcilicet, quia ſunt ad aliquid; & 5. lib. huius operis affirmat, ſcientias dici ad aliquid. *C 3. tex. 17. & 18. C. 15. tex 20.* Sed horum ſententia facile ex eo refutatur, quia relationes effectiuæ non ſunt, vt eſt omnium Philoſophorum communis ſententia; habitus

bitus autem, de quibus loquimur, quemadmodum ex actibus acquiruntur, ita & natura sua operatiui sunt actuum similium, eo modo, qui postea explicabitur. Quod autem Aristoteles ait, ad habitus non esse motum, quia sunt ad aliquid, seu relatiua quædam, hunc habet sensum: quia acquiruntur more relationum, nempe consecutiue ad aliquem motũ determinatum ad aliquid aliud, quod relatiuum non est. Vt enim noua similitudo Platonis cum Socrate acquiritur consecutiue ad motum acquisitionis nouæ qualitatis in vtroque aut altero, sic habitus, qui sunt in potentiis apprehensiuis, & appetitiuis, acquiruntur consecutiue, seu concomitanter ad verum aliquem motum factum in organo phantasiæ, aut appetitus sensitiui. Quo auté pacto scientia dicatur ad aliquid in loco posterius citato, ibidem expositum est, vt intelligatur quoad denominationem sui obiecti comparatione suarum specierum: dicimus enim scientiam esse alicuius scibilis scientiam, non sic medicinam alicuius medicabilis, &c.

Cur Aristot. dicat habitus esse ad aliquid.

Cum igitur habitus, qui nostris actibus acquiruntur, non sint puri modi se habendi potentiarum, à quibus dicuntur acquiri, sed vera accidentia inhærentia ipsis potentiis, neq; etiam relationes, vt probatum est, nec deniq; ad aliud prædicamentum pertinere possint, quam qualitatis, vt inductione patet, efficitur, vt sint verę qualitates: cumq; non sint innatæ, vt potentiæ & impotentiæ, neq; etiam sensibiles, siue illæ intus & extra existere possint, siue in sola superficie iuxta aptioré qualitatis diuisionem, de qua dictum est lib. 5. cõsequens est, vt sint qualitates primæ speciei; siue sumantur, vt distinguuntur speciei à dispositionibus ratione causarum suapte natura vendicantium sibi aut non vendicantium firmitatem in subiectis siue vt differunt ab illis sola maiori aut minori perfectione intra eandem speciem. Reliqua, quæ addita sunt in explicatione notionis huiusmodi habituum, perspicua sunt ex dictis.

Tertia & vera sent. habitus esse veras qualit.

C. 14. q. 1. sect. 3 & seq.

Quo autem pacto hi habitus sint necessarii, an potius dicendum sit non esse necessarios, ex dictis colligitur. Patet enim non esse simpliciter necessarios, etiam ad finem, si cõparentur cum operationibus absolute, nam cum acquirantur per potentiarum operationes manifestum est nõ esse simpliciter necessarios, vt illæ operentur Si tamen comparentur cum perfectio, ac permanente statu recte, ac commode agendi, non dubium, quin necessarii sint, vt etiam apertum est ex dictis. Quod idem, sed alia distinctione, dicendum est de infusis: absoluta enim Dei potestate ne-

Quam sint necessarii habitus.

A cessarii non sunt, vt probatum est vltimo negatiuæ partis argumento, ordinata vero necessarii sunt, cum diuinitus reuelatum nobis sit, sine habitu gratiæ, & virtutum Theologicarum non posse nos salutem consequi.

Solutio argumentorum negatiuæ partis.

SECTIO III.

B AD primum igitur argumentum negatiuæ partis dicendum est, per vnam & eandem qualitatem obtineri tres illos se habendi modos potentiarum ad suas operationes. Per quam enim qualitatem potentiæ ad has potius operationes, quam ad illas, vsu & consuetudine se applicant, per eandem facilius, & promptius illas exercent.

C Ad secundum, disparem esse rationem in potentiis modo aliquo rationalibus, & in iis, quæ rationis sunt expertes. Nam cum rationis expertes sint ad vnum naturaliter, & secũdum vltimum potentiæ determinatæ, nõ indigent vtique habitibus, quibus ad vnum potius, quam ad alterũ applicentur. Nam quod aliquando facilius, & promptius, quam antea, certas quasdam operationes exercent, vt argumentum recte probat, id prouenit ex varia dispositione subiectorum, aut contrariorum agentium remotione.

Cur potent. rationis expertes non egeant habitibus.

D Ad tertium dicendum, maiorem facilitatem, & promptitudinem, nouamque determinationem (non natiuam, & essentialem) potentiarum ad quasdam operationum species, esse modos quosdam potentiarum se habédi puros; sed eos tamen nouam qualitatem in potentiis acquisitam sequi. Nec tamen necesse esse, vt quidquid nouum modum huiusmodi se habendi acquirit, illum acquirat per nouam qualitatem in se receptam: potest enim E illum acquirere acquisitione nouę formæ externæ, aut noua eiusdem circumpositione, vt patet, cum quis mutat locum, aut situm in eodem, aut etiam per nouam rei alterius prę-sentiam. & propinquitatem, aliave ratione, vt patet in agentibus, & patientibus, cum sibi mutuo propinquant, & in aliis rebus quamplurimis.

Facultas maior promptitudo, & noua determinatio ad certas operationum species sunt puri modi potentiarum.

F Ad quartum dicito, potentias non intendi ex assuetudine operandi, etiamsi sint ex illis, quæ recipiunt magis & minus, vt est calor ignis, & frigus aquæ: neque enim ignis, cum calefacit, fit calidior, aut nix frigidior cum frigefacit, vt experientia constat, & ea ratione probatur, quia alioqui agentia actionibus transeuntibus se ipsa interne perficerent, quod Aristoteles omnibus consentientibus

Potentias nõ intendi vsu operandi.

tibus

Text.16. tibus negat inferius hoc ipso lib. cap. 9. Tantum abest, vt potentiæ quæ nõ recipiunt magis & minus, veluti intellectus & voluntas, suis operationibus intendantur. Adde, quod si potentiæ his aut illis operationibus intenderentur, faciliores & promptiores redderentur per eas ad cęteras omnes operationes; neque enim possunt esse intensæ, verbi causa, vt quatuor vel quinque gradibus respectu quarundam operationum, respectu autem cæterarum pluribus aut paucioribus: non fieri autem intensiores respectu omnium per hoc, quod magis exerceantur in quibusdam, luce clarius est, cum potius difficiliores reddantur ad contrarias: quo pacto intellectus assuetus vsui vnius opinionis difficilior redditur ad assentiendum cõtrariæ, & voluntas, quo magis exercetur in actibus virtutum, eo difficilius se tradit vitiorũ actibus, & vice versa. Causa vero cur habitus vsu intendantur, nõ item potentiæ, duplex est. Vna, quia potentiæ sequũtur naturas suorum subiectorum, ac proinde quemadmodum subiecta certæ, ac mutatæ naturæ sunt, ita & eorum potentiæ etiã illiæ, quę magis & minus suscipiunt; siquidem ignis, verbi causa, non vẽdicat sibi natura sua quemlibet calorem, sed summum naturaliter possibilem, & eadem proportione res habet in cęteris: habitus autem non sequuntur suorum subiectorum naturas, cum idem subiectum æque habere possit vnum habitum, atq; eius contrarium. Altera causa est, quia potentiæ non acquiruntur vsu, sed vnica subiecti generatione, aut creatione cum eo esse incipiunt, habitus autem, quemadmodum exercitatione acquiruntur, ita, si ea frequentior aut diuturnior sit, intendi ac perfici possunt.

Cur habitus intendantur, non item potentiæ.

Ad vltimum dicendum, quemadmodum habitus infusi non sunt necessarii, si potentia Dei absoluta spectetur, sed si ordinata, nobisque diuinitus reuelata, ita habitus acquisitos non esse absolute necessarios ad operandum, sed ad perfecte operandum, vt explicatum est.

Qua ratione species intelligibiles, & sensibiles interiores habituum rationem habeant?

SECTIO IV.

DE speciebus sensibilibus, & intelligibilibus dubitari potest, num verorum habituum rationem habeant. Neque enim ea de causa hoc genere excludi debent, quia non acquiruntur assuetudine, quasi frequentatione actuum paulatim introducantur, cum gignantur in momento, quemadmodũ & actus sentiendi, & intelligendi in momento esse incipiunt, vt tradit Aristoteles c. 6. huius libri: nam & habitus principiorum, & cõclusionum in momento gignuntur, & tamen veri habitus sunt, atq; adeo ex præcipuis.

Quomodo hæ species sint habitus, non obest eas acquiri in instantia.

A

Ad hanc dubitationem dicendum est inprimis, non esse eam intelligendam de speciebus expressis, vt vocantur, & in intellectu, & phantasia ponuntur, quandoquidem eiusmodi species sunt eædem cum ipsis actibus cognoscendi, neque ab eis distinguuntur, nisi quatenus ratione solius egressionis à potentiis habent rationem verborum internorum, præsertim in intellectu; quatenus vero ab eis egrediuntur & in eisdem recipiuntur, habent rationem actuum cognoscendi, vt diximus ad lib. 7. Dicuntur ergo hæc verba species, quia sunt rerum intentionales quædam similitudines: cæterum, cum non permaneant, sed tamdiu durent, quamdiu potentiæ ipsæ operantur, nullo modo habitus dici possunt.

Species expressas constat non esse habitus.

B

C.8 q.2.sect.5.& q.3.sect.1.& ult.

C

Non est etiam intelligenda dubitatio hæc de speciebus externorum sensuum siue impressis ab obiectis, siue expressis à sensibus affectis huiusmodi speciebus. Primum, quia non permanent, sed tamdiu durant, quamdiu ipsi sensus externi operantur, tametsi post se aliquando relinquunt qualitates quasdam ex vehementia rei sensibilis, aliquãdiu impressas, quibus non solum ipsi læduntur, sed etiam deluduntur potentię internæ: vt cum oculos auertentes à sole, quem attentius aspeximus, videmur alibi videre alium solem, & cum intuiti sumus rem intense rubram, omnia tantisper nobis rubra apparent. Neque enim putamus species ipsas externorum sensuum, vel ad minimum temporis spatium permanere in organis sentiendi absentibus obiectis; hoc enim Aristoteles tradit 2. de Anima cap. 5. sed aliquando eas qualitates, quas modo diximus, quibus cum lædantur organa, non mirum est, si deludamur credentes nos sentire, quæ re vera sensu non percipimus: quo pacto exponi potest idem Aristoteles, cum in libello de insomniis videtur oppositum significare. Deinde, quia species huiusmodi non sunt institutæ à natura, vt per eas facilius, & promptius sentiremus, sed omnino vt sentiremus, seu (*quod idem est*) non sunt datæ ad modificationem actuum, sed ad eorum substantiam; siquidem potentiæ apprehensiuæ, quæcunq; illæ sint, nullo modo operari possunt sine speciebus rerum, quas apprehendunt: vnde fit, vt potius sint complementa huiusmodi potentiarum

Idem dicendum de omnibus sensuũ exterior. speciebus.

D

Relinqui interdum in iis quasdam qualitates.

E

Tex.59.& 60.

F

tiarum in esse potentiarum actiuarum (qua ratione actus primi earum dici solent) quam habitus adiecti potentiis ipsis acceptis in esse completo.

Vniuersim species impressas non esse proprie habitus.

Duabus etiam de causis species impressæ, tam intelligibiles, quam sensibiles, non proprie sunt habitus acquisiti: & quia non acquiruntur per actus earum potentiarum, in quibus sunt, sed per actus aliarum facultatũ præcedentium in operando, species quidem intelligibiles per actus phantasiæ, & intellectus agentis simul, sensibiles autem interiores per actus sensuum exteriorum, & sensus etiã communis, qui est quoddam quasi eorum cẽtrum, atque etiam præses: & quia datæ sunt à natura non facilius & promptius cognoscendi causa, sed omnino cognoscendi. Dicũtur tamen habitus suo modo acquisiti, quia neque habentur ab ortu, sed nouis actionib. adduntur potentiis, neque etiam transeunt cum actibus, à quibus gignuntur; sed, quemadmodum gignuntur per operationes quasdam, ita & aliarum productiuæ sunt (*eo modo, qui inferius explicabitur*) quarum etiam ratione actus primi appellantur.

Num habitus principiorum veri habitus sint, & à nobis acquirantur?

QVÆST. II.

Refutantur tres de hac re opiniones.

SECTIO I.

† Cap. 1. q. 4. sect. 3. & 4.
** Cap. 1. q. 2. sect. 2. 3. & 4.*

NOn est tamẽ prætereunda dubitatio de habitibus principiorum, quos in proxima quæstione à nobis acquiri diximus Nam etsi ad lib. †1. & * 6. id explicatum, probatumque est, non pauci tamen sunt, qui vel vniuersé, vel ex parte id negent; quorum sententia hoc loco quid valeat, paucis videndum est.

Prima opinio

Refertur à D. Thoma 2. contra Gentes cap. 78. fuisse quosdam, qui dicerent nullum esse habitum acquisitum, quo primis principiis assentiamur, sed quidquid muneris huiusmodi habitibus tribuimus, id totum conuenire intellectui agenti, atque ea de causa illum ab Arist. in 3. de Anima c. 5. appellatum fuisse habitum. Verum hi facile ex eo refutantur, quia omnis habitus inhæret potẽtiæ, quę per illum operatur: intellectus autem agens

Tex. 18.
Refellitur.

A non est forma inhærens possibili intellectui, qui solus intelligit principia. Nec vero Arist. illum vocat habitum in loco citato, sed quasi habitum, quia in ea re similis est habitui cõparatione intellectus possibilis, quod non recipiat quidquam in se ad agendum: quo pacto habitus artium, & virtutum nihil recipiunt in se ipsis, vt intellectus, & voluntas eorũ adminiculo operentur; sed ipsi suo modo iis potentiis vim facilius & promptius operandi conferunt.

Quare Arist. intellectum agentem vocet quasi habitum.

Secunda opinio.

B Durandus in 2. sententiarum d. 24. quæst. 2. Nominales fere omnes variis locis, & ex Thomistis Scotus 1. de Iustitia, & Iure, quæst. 4. cum aliis pluribus sentiunt habitum principiorum esse ipsum intellectum possibilem, quatenus perceptis principiorum terminis naturaliter illis assentitur; quod tribus potissimum rationibus probant. Prima, quia vt voluntas nõ indiget habitu acquisito ad amplectenda ea bona, quæ per se primo appetibilia sunt, vt bonum in communi, summumque bonum, ita nec intellectus ad assentiendum iis, quæ per se primo sunt vera; eiusmodi sunt omnia principia, quæ simpliciter & absolute principia sunt, nec solum sumuntur vt principia inferioris scientiæ, cum tamen in superiori demonstrentur. Secunda, quia habitus acquisitus non ponitur, nisi vt potentia vt facilius & promptius certas quasdam operationes exerceat, vt initio superioris quæstionis dictum est: at intellectus est ex se determinatus ad assentiendum principiis per se primo notis, nec ad id habet vllam difficultatem, aut tarditatem, quemadmodũ nec sensus externi ad sentiendum, in quibus nemo proinde ponendos esse habitus ad sentiendũ. existimat. Tertia, quia si indigeremus habitibus acquisitis ad assentiendum his principiis (*saltem prompte ac facile*) nulli principio hoc modo asſẽtiremur sine habitu acquisito: hoc autem aut inducit infinitatem habituũ præcedentium, nempe si ante omnem actum prompte ac facile assentiendi dandus est aliquis habitus, aut negandũ est vllum esse principium per se notissimum, cui facilime ac promptissime assentiamur, quod est contra id, quod Arist. tradidit lib. 4. huius operis de communissimo principio.

Prima ratio pro hac sententia.

Secunda.

Tertia.

C. 3. tex. 9.

Refutatur.

Sed hæc sententia ex eo facile refutatur, quia intellectus possibilis non determinatur ad assentiendum his, vel illis principiis, nisi per has vel illas species intelligibiles, quibus eorum termini repræsentantur, species autem intelligibiles præcedunt saltem natura actum intelligendi tam simplicia, quam complexa omnia, ac proinde notitiam iudicatiuam

catiuam

[illegible] principiorum; quemadmodum hac necessitate habitus iudicatiui principiorum in nobis relinqui possint, sicut relinquuntur habitus scientiarum, & virtutum ex actibus sciendi, & recta cum ratione agendi, superuacaneum est ponere in nobis habitus principiorum ante ipsam specierum receptionem; ac proinde (*quia hoc statim [illegible] profertur*) dicere habitus principiorum nihil esse aliud, quã ipsum intellectum possibilem, quo principiis assentimur.

Solutio communis propositar. rationum.

Quare ad omnes tres huius sententiæ rationes simul dicendum est, habitus principiorum non esse necessarios ad primos actus, quibus principiis assentimur, quemadmodum nec habitus conclusionum ad primos actus, quibus assentimur conclusionibus; sed vt iis facilius ac promptius assentiamur, quibus iam assensum præbuimus, etiamsi primis actibus facile ac prompte assensum præbuerimus.

Ad primam rationem. In voluntate relinqui habitum ad facilius amplectendum [illegible] bonum.

Ad primam vero priuatim dicendum, in voluntate relinqui habitum facilius amplectendi bonum in commune, & summum etiam bonum, ex assuetudine non solum eorum actuum, quibus illa primo amplexi sumus, sed etiam ex vsu amplectendi bona particularia, & participata; quo enim facilius & promptius hæc amplectimur, eo facilius & promptius amplectimur bonum, vt bonum est, ac summum bonum, quorum illud in omni particulari bono includitur, hoc autem ab eis participatur.

Ad secundam. [illegible] habitu sentiendi [illegible] habitum expertes.

Ad secundam vero priuatim dicendum, propterea non fuisse institutum a natura, vt ex actibus sentiendi externorum sensuum relinquerentur in eis habitus sentiendi, quia nullo modo sentire possunt in absentia suorum sensibilium, seu (*quod idem est*) quia habere non possunt notitiam abstractiuam, quod de intellectu dicere non possumus.

Ad tertiam.

Ad tertiam dicimus, primum etiam & communissimum principium facilius & promptius à nobis approbari, postquam semel ac iterum approbatum est, etsi nulli cæterorum principiorum, cum quibus illud eo loco comparatur, facilius vnquam aut promptius assentiamur. Adde, quod primum etiam illud & communissimum suas quasdam habet difficultates, quæ cernuntur in reddendis veris conditionibus contradicentium enuntiationum, de qua re Dialectici plus satis disputare solent: sicut etiam illud, *Omne totum est maius sua parte*, quod negant nonnulli eorum, qui infinitum in actu admittunt, alii vero vix defendunt; & illud, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, de quo sunt variæ expositiones apud Theologos. A Quod fieri [illegible] debeat: si quemadmodum vera intelligentia huiusmodi principiorum indiget consideratione, sic intellectus acquisita facilius deinde, ac promptius illis assentiatur.

Tertia opinio.

Ex sectatoribus vero D. Thomæ *Capreolus omnes sentiunt habitum principiorum esse qualitatem distinctam ab intellectu [illegible] eo inhærentem*) Conradus, & Medina [illegible] 2. quæstione 5. aliique nonnulli existimant B illum ex sententia Diui Thomæ, quam profitentur, non esse qualitatem acquisitam, sed concreatam cum anima ipsa, idque aliis tribus potissimum argumentis. Vno, quia sæpe Diuus Thomas eum habitum vocat naturalem. Nam quod 1. 2. quæstione 51. artic. 1. ait illum esse partim naturalem, partim acquisitum, intelligendum esse volunt de habitu principiorum cum iis, quæ ad intelligendum necessario prærequiruntur, cu- C iusmodi sunt species, quas intellectus sensuum ministerio ex rebus acquirit. Altero, quia idem 1. part. quæstione 58. artic. 3. ait Angelicum intellectum ita se habere ad cognitionem rerum naturalium, vt se habet humanus ad cognitionem primorum principiorum: cum ergo Angeli cognoscant res naturales per habitus sibi concreatos, colligunt illi Diuum Thomam plane sensisse concreatos nobis esse principiorum habi- D tus. Tertio, quia si essent acquisiti ipso vsu, vsu quoque intenderentur, ac perficerentur; quod non videmur, vt aiunt, experiri, cum æque perfecte assentiamur initio cuilibet principio tum primum nobis explicatis eius terminis, atque post longum assentiendi exercitium.

Arg. pro hac sent.

P. 1. 2. q. 51. ar. 1. [illegible] 5. ar. 4. ad 3.

Alterum arg.

Rejicitur.

Verum nec sententia hæc admittenda est, illa nimirum eadem ratione, qua secundam rejicimus; quia, inquam, superuaca- E neum est ponere vllum habitum iudicatiuum ante apprehensiuos; cum iudicatiui omnes ex actibus iudicandi relinqui in nobis possint, vt ex actibus sciendi, & recte agendi, relinquuntur habitus scientiarum, & virtutum. Nec primum eorum argumentum persuadet putasse Diuum Thomam habitum principiorum esse animæ nostræ concreatum: dicitur enim sæpe ab eo, & ab Aristotele naturalis, quia intellectus, F cognitis duntaxat terminis, nullius medii interuentu, sed solo ipsius naturali lumine illi assentitur. Neque item secundum quidquam efficit, quia comparatio scientiæ rerum naturalium in Angelis cum habitibus principiorum in nobis in hoc sita est, quod sicut Angeli non discurrunt in cognoscendis effectis ex causarum cognitione, sed

Ad argumenta.

Habitus principior. cur dicatur naturalis.

simul cognoscunt effecta in causis, & causas A in effectis: ita nos non discurrimus in approbandis principiis, sicut discurrimus in approbandis conclusionibus ex principiorum assensibus, sed simul atque apprehendimus eorum terminos in eodem momento illis assentimur. Denique nec tertium veram experientiam assumit, cum re vera maiorem facilitatem experiamur in assentiendo principiis ex frequenti eorum vsu, quod arguit maiorem eorum habituum perfectionem. Adde, B quod non nunquam à D. Th. traditur, quo plures cõclusiones ex principio aliquo deducimus, eo nos perfectius illud intelligere, illique assentiri, vt diximus lib 6.

C.1.q.1.fill. 4.

Vera sententia approbatio, & explicatio.

SECTIO II.

QVARTA, extremaque opinio est ipsa vera sententia D. Thomæ 1. 2. q 51. art. 1. & quæstione 57 art. 6. vt eam explicant Caietanus eisdem locis, & secundo posteriorum, ca. vlt. Ferrariẽsis secundo contra Gentes c. 75. & 78. tametsi nonnulli existimant Caietanum primo loco sentire ex notitia terminorum prius resultare habitum, quam actis eliciatur: quod dicendum non est, cum contra accidat in habitibus artium, scientiarum, virtutum, vt ex hoc capite, & secundo Ethicorum libro patet. Est autem sententia hæc ferme communis, habitum scilicet principiorum esse qualitatem, nõ creatam, sed acquisitam, vt Aristoteles plerisque in locis tradit, & expresse capite vltimo secundi posteriorum, sexto quoque Eth. cap 3. & 6. numerat habitum principiorum inter virtutes intellectuales: quas omnes facit acquisitas. Probari autem primum potest impugnatione duarum proxime superiorum sententiarum. Item quoq; ex eo, quod, quemadmodum intellectus noster, ex se nudus, & indeterminatus ad omnes operationes, determinatur ad primas, siue simplices, habitualiter per qualitates acquisitas, quæ sunt ipsæ species intelligibiles: ita determinari debet habitualiter ad secundas, siue complexas, per qualitates acquisitas: neque enim aliud discrimen hac in re esse potest: nisi quod ad priores qualitates non potest intellectus ipse (*de possibili enim loquimur*) effectiue concurrere, quia ante eas est pura potentia: ad acquisitionem autem posteriorum potest, cum iam sit actuatus speciebus intelligibilibus: atqui per solas species intelligibiles non potest determinari ad secundas operationes (*sunt enim ipsæ species aptæ, vt bene & male connectantur inter se*) ergo habitus principiorum sunt qualitates habituales, seu fixæ ex actibus intellectus acquisitæ, & ad similes producendos propensæ.

Cap. 1. Cõmunis & vera sententia.

Probatur.

Postremo, quia si quis dicat intellectum ex se propensum ad assentiendum principiis, nullamque difficultatem habere ad ea approbanda, si extrema apte copulentur, & cognoscantur, sicque nullo opus esse habitu relicto in intellectu, vt illis prompte & facile assentiamur: eodem modo dicendum erit, nullo opus esse habitu scientiæ relicto in intellectu, vt prompte ac facile assentiamur conclusionibus demonstratis: intellectus enim ex se propensus est, vt illis assentiatur, apta forma dispositis principiis, & plene perspectis. Quare quemadmodum non obstante propensione intellectus ad omnem conclusionem approbandam, postquam tamen se- C mel apte collocauimus principia, eaque penetrauimus, & ex eorum assensu conclusionem approbauimus, promptius deinceps, & facilius eis assentimur: si res habet in ipsis principiis, postquam semel, aut sæpius ea approbauimus.

Num autem semper huiusmodi habitus inductione acquirantur, quæstio est, cuius negatiuam partem cum Scoto in tertio, distinctione vigesima quarta quæstione vnica, D defendunt nonnulli credentes sola principia particularium scientiarum indigere inductione, vt eis assentiamur, non illa maxime generalia, quæ omnibus scientiis, ac pluribus sunt communia. Nobis tamen cum Diuo Thoma, & communioris sententiæ autoribus, imo cum ipso Aristotele pars affirmatiua magis placuit libro primo: non quod inductio sit necessaria tanquam ratio assentiendi (*ea enim ratio continetur in ipsis principio-* E *rum terminis naturali lumine intellectus percaptis, & penetratis*) sed vt ex singularium notitiis simplicibus, & experimentalibus iudiciis, vniuersales rerum simplices conceptus vt plurimum colligantur, & intellectus ad vniuersalia iudicia disponatur, qui nunquam sine aliquo erroris periculo vniuersalia iudicia pronuntiat, nisi illa in pluribus singularibus conferat, neque in eis instantiam inueniat, vt ibidem annotauimus. Tametsi hæc F collatio minus necessaria est in principiis communissimis, quia experientia in eis est facillima, & vbique paratissima: quod in causa est, vt nulla opus esse videatur. Qua explicatione nonnulla loca, & Aristotelis, & Diui Thomæ, qui modo in hanc, modo in illam partem videtur inclinare, conciliari possunt.

An habitus princip. semper inductione acquirantur.

Affirmatiue. Cap. 1. lib. 1.

Quæri hoc loco potest, quot sint principiorum habitus. Sunt enim, qui vnum tantum; sunt, qui duos, sunt etiam, qui plures, imo & plurimos esse dicant. Sed qui vnum tantum asserunt, non illum distinguunt ab ipso intellectu, quos primo loco impugnauimus. Eorum autem, qui duos tantum esse volunt (*alterum ad scientias contemplatiuas, quem peculiari ratione intellectum appellant: alterum ad scientias practicas, quem synderesim nominant*) alij innatos esse dicunt, alij acquisitos: sed qui innatos faciunt iam secundo loco cum iis, qui nullum habitum principiorum ab intellectu distinguunt, reiecti sunt. Qui autem acquisitos esse merito sentiunt, non recte duos tantum esse existimant. Tum quia quemadmodum dantur principia communia pluribus scientiis, & particularia singularium; ita dandi sunt habitus principiorum, vtriusque generis, tam in toto genere contemplantium scientiarum, quam agentium. Vt enim communissima principia non ingrediuntur demonstrationes particularium scientiarum, neque eas ostensiue demonstrant, sic eorum habitus non sunt habitus principiorum ad particulares scientias pertinentium. Accedit, quod principia demonstratiua contemplantium scientiarum, quibus affirmatiue concluditur, debent esse affirmatiua; quia ex negatiua propositione nihil affirmatiue demonstratur, nisi deductione ad impossibile: primum autem principium contemplantium scientiarum (*addo agentium si placet*) est negatiuum illud, *Impossibile est siue non possibile, idem simul esse, & non esse*, patet ex libro quarto, quo fit, vt habitus principij contemplatiui non sit habitus omnium principiorum contemplantium scientiarum. Non recte quoque dicitur synderesim esse habitum omnium principiorum ad practicas scientias pertinentium: neque enim pertinet ad artes, sed ad scientias morum, cum habitus sit boni & mali moralis duntaxat iudicatiuus, non boni & mali ædificij, aut alicuius alterius artificiosi operis: vnde & conscientia dicitur, & regula humanæ vitæ, non regula aut norma rerum, quæ arte conficiuntur. Postremo rationes pene omnes, quas in libro sexto in eam quæstionem coniecimus, quia totales scientias, non qualitates simplices, sed simplicium qualitatum ordinatam collectionem esse ostendimus, eædem valent in habitibus principiorum, quos etiam eodem loco partim supposuimus, partim probauimus esse plurimos. Ex quibus patet tum multos esse principiorum habitus, quam multa sunt ipsa vera principia, quibus indemonstrabilia.

Quænam potentiæ habituum subiecta esse possint?

QVÆSTIO III.

Quo pacto subiecti nomen in hac quæstione sumatur, & quænam conditiones requirantur, ac sufficiant, vt potentiæ sint habituum capaces?

SECTIO I.

C CVM potentiæ sint accidentia quædam; accidentia vero non possint per se ipsa sustinere alia accidentia, quia non per se existunt, perspicuum est illas non dici subiecta, & actuum, & habituum, nisi quia earum interuentu actus, & habitus inhærent subiectis per se existentibus, quæ subiecta vel sunt substantiæ immateriales, vel composita ex materia, & forma substantiali. Loquimur enim de habitibus operatiuis; non de dispositione ad bene, vel male habendum quoad ipsum esse rerum; qui habitus, aut dispositiones inhærent immediate in ipsa substantia subiectorum, D vel in eorum quantitate nullius potentiæ superadditæ interuentu, vt dispositiones ad formam substantialem in materia prima, & sanitas ac morbus, pulchritudoque & deformitas, in toto composito, iuxta eos inhærendi modos, quos superiori libro tradidimus, quæ etiam ratione iuxta probabiliorem D. Thomæ E sententiam diuina gratia inhæret immediate in ipsa essentia animæ rationalis, & Angelicæ naturæ.

Non est autem quælibet potentia eo modo, quo diximus, subiectum habitus, sed ea sola, quæ est productiua actuum immanentium non solum in præsentia obiectorum, sed in absentia. Dixi (*Actionum immanentium*) quia, cum habitus acquisiti relinquantur ex actibus, ipsisque potentiis maiorem felicitatem & promptitudinem ad F cæteras operationes offerant, in eis ipsis potentiis subiectentur necesse est, vbi sunt actus, ex quibus relinquuntur. Nulla enim potentia acquirit maiorem felicitatem, aut promptitudinem ad peculiare aliquod genus operationum, per id solum, quod in alio relinquitur; quod similiter

in luce solis, & calore ignis, quæ qualitates non propterea facilius, aut promptius illuminant, aut calefaciunt, quia prius illuminauerint, aut calefecerint. Vnde patet, nec potentias non viuentium, neque etiam viuentium vegetatiuas, aut localis motus exequutiuas, esse capaces habituum: siquidem nulla earum est productiua actuum immanentium, sed transeuntium.

Potentia habituum incapaces.

Obiectio.

Si quis autem obiiciat, potentias exequutiuas motus localis in viuentibus facilitari magis ex vsu, promptioresq; fieri ad eas operationes, quibus assueuerunt, vt colligi videtur ex assidua saltatione; & exercitio artis gladiatoriæ, & aliis huiusmodi actionibus: ergo esse capaces habituum: hoc modo respondendum est, eam facilitatem, & promptitudinem non acquiri in ipsis potentiis motiuis, sed in membris, quæ ab eis mouentur, actionemq; illarum transeuntem suscipiunt. Motus enim localis viuentium proprius semper egreditur ab aliqua parte in mota, vbi est vis motiua, quod Arist. tradit in libello de motu animalium: nec recipitur, nisi in ea, quæ mouetur, quia nulla seipsam primo mouere potest. Facilitantur ergo potentiæ motiuæ animalium propriæ, promptioresq; fiunt, non ex habitu aliquo in se suscepto, sed quia ipsa motus exercitatione extenuantur humores, qualitatibusq; attemperatis accommodatiora redduntur membra ad suscipiendos eos motus, quibus assuescunt: quo pacto melius præparato calamo facilius, & promptius facultate digitorum motiua scribere solemus, nullo habitu in digitis, eorumve motiua potentia acquisito.

Solutio.

Potent. motiua animalium cur vsu faciliores reddantur.

Addidi oportere, vt potentia, q̃ habitus est capax, sit productiua actuum immanentium non solum in præsentia obiectorum, sed etiam in absentia, quia sensus externi, in quibus primo inueniuntur actus immanentes, ideo non sunt capaces habituum, quia nihil in eis relinquitur ex preceptione obiectorũ præsentium, cuius ratione possint circa ea in absentia versari.

Posterior cond. monstratur.

Multi addunt, necesse quoq; esse, vt potentiæ habituum capaces habeant indifferentiam aliquam, saltem participatam, ad opposita: quod nobis non placet, nisi quæstio restringatur ad habitus, quibus vtimur cum volumus: quo pacto habitus definitur ab Auerroe in 3. de Anima, commento 18. & hac sola ratione requirit Diuus Thomas indifferentiam in potentiis habituum capacibus, vt patet ex iis, quæ tradit in tota quæstione quinquagentesima primæ secundæ, Alioqui satis est, quod potentiæ productiuæ actuum immanentium versari possint circa opposita, etiamsi

Tertia conditionem, quam multi addunt, reiicitur.

P. 1. 2. q. 49. ar. 4.

illæ ex se indifferentiam non habeant, si modo in eis relinquatur aliquid ex earum actionibus, cuius ratione circa eadem obiecta in eorum absentia versentur. Vnde fit, vt negandum non sit, sensus interiores brutorum animalium, & eorum appetitum esse habituum capaces: quia etsi ex se nullam habeant indifferentiam ad opposita, tamen ex naturalibus causis, à quibus interne, aut externe mouentur, interdum circa vnum oppositum, alias circa aliud exercentur, & sæpe diutius circa vnum, quam circa aliud versantur: atque ita ex qualitatibus, quæ ex earum potentiarum actibus relinquũtur, facilius illæ ac promptius similes operationes repetunt, & assuetudine augent. Id quod manifeste deprehenditur in memoria, quæ in plerisq; animalibus est maxima, & tenacissima: vt patet vel in auiculis, quæ ex longissime distantibus regionibus redeunt ad ea reconditissima loca, in quibus nidos anno superiore extruxerant: itemque in psittacis loquutionem humanam imitantibus, & in caniculis certa quadam ratione salientibus, aut saltantibus; id quod in genere tetigit Aristoteles initio huius operis, vbi quandã etiam experientiã quibusdã tribuit, qua ab eis similitudo quædam prudentiæ comparatur. Neque enim quia huiusmodi habitus non sunt vera prudentia, idcirco non sunt habitus ex actibus relicti, de quibus habitibus, quicunque illi sint, hoc loco disserimus.

Brutorum animant. internos sensus & appetitus esse habituum capaces.

Cap. 1.

Reliquum est igitur, vt ex potentiis apprehensiuis solus sensus internus, & intellectus, quia possunt res sibi obiectas & in præsentia & in absentia percipere: & vterque appetitus tam rationalis, quam sensitiuus, quia æque amplecti, & refutare possunt absentia, atque præsentia, sint potentiæ habituum capaces; & quod attinet ad sensum internum, & appetitum sensitiuum, non solum in hominibus, sed etiam pene in omnibus animalium generibus.

Num sensitiuæ potentiæ sint subiecta aliquarum virtutum, quidque in eam re sentiat Aristoteles.

SECTIO II.

DVBIVM tamen graue est, num habitus virtutum in interioribus potentiis sensitiuis vt in subiectis esse possint. Nam quod in intellectu, & voluntate ponantur aliquæ virtutes, ex eo perspicuum est, quia ratio, & libertas rationis vtendi, quæ in omni virtutum vsu requiritur, in his duabus potentiis cernuntur. Vnde nemo est, qui non ponat

De intellectu & voluntate non est dub.

... in intellectu omnes virtutes, quæ ad cognitionem spectant, nempe habitum principiorum, scientiam, sapientiam, prudentiam, & artem, in voluntate autem præcipuum genus earum, quę ad omnes pertinent, quod est iustitia cum religione, pietate, liberalitate, ac cæteris, quæ ad iustitiam reuocantur. Num autem in potentiis sensitiuis interioribus dentur virtutes, quæstio non parua est. Atque vt statim excludamus ab hac controuersia apprehensiuam interiorem, quæ phantasia dicitur, (*siquidem nemo in ea veram vllam virtutem ponit, siue quæ ad cognitionem, siue quæ ad mores pertineat*) de sola appetitiua, quæ concupiscibilem, & irascibilem complectitur, reliqua erit disputatio.

[illegible] appetitu sensi.

Sent. Arist. Cap. vlt. Cap. 10.

Aristoteles ad calcem 1. Ethicorum docet non solum in parte animæ rationis participe, sed etiam in rationis experte posse virtutes reperiri: tum lib. 3. ex tribus moralib. temperantia, fortitudine, & iustitia (prudentiam enim non tam moralem vocat, quam intellectualem) tradit temperantiam esse in appetitu concupiscibili, & fortitudinem in irascibili, ac demum in 5. iustitiam esse in voluntate: vt in sexto tradat omnes virtutes, quæ ad cognitionem spectant, & in intellectu vt subiecto existunt. Ratio Aristotelis est, quæ ex virtutibus moralibus quædam versantur in moderandis passionibus, quæ non reperiuntur nisi in appetitu sensitiuo: quædam autem versantur in moderandis (hoc est, rectæ rationi conformandis) iis actionibus, quæ passiones non sunt, quæ actiones, si de interioribus agamus, quæ sunt primæ, ac præcipuæ, & origo externarum, in sola voluntate insunt. Cum ergo virtutes ibi esse debeant, vbi sunt proprii earum actus, perspicuumque sit proprium actum temperantiæ esse moderari passiones concupiscibilis, fortitudinis passiones irascibilis, efficitur, vt temperantia sit in appetitu concupiscibili, & fortitudo in irascibili. Aristoteli autem subscribit D. Thom. 1. 2. quæstio. 56. articul. 4. nec dissentit D. Bonauentur. Durand. Ægidius, & alii non pauci ad 3. lib. sententiarum, quod quidam ita asserunt, vt omnino videantur velle nullum earum virtutum habitum acquiri in voluntate.

D. Tho. 1. 2. Dur. q. 4. Ægyd. quodl. 4. q. [illegible] dist. citata. Thom. 2. contra Gent. cap. 92.

Assertio horu doctorum Argumenta.

Priorem partem huius assertionis probant eo modo, quo Aristoteles. Posteriorem ex eo ostendere conatur Diuus Thomas, quia etsi concurrentibus duabus potentiis subordinatis ad eundem actum, vtraque debet esse bene disposita, vt recte operetur, *quo pacto [illegible] scribit; nisi qui & artem habet scribendi habet, & calamo apte [illegible]*) tamen quia voluntas ex se est bene disposita, vt sequatur bonum rationis in [illegible] ad proprium suppositum pertinens [illegible], cuiusmodi est honestum circa passiones; (nam ad honestum, quod est circa actiones, quæ passiones non sunt, non est [illegible] bene disposita, quia consistunt in communicatione cum aliis, ad quos nemo ita bene afficitur, atque ad seipsum:) appetitus autem sensitiuus non est bene dispositus ad bonum honestum, antequam habitum conformitatis cum ratione acquirat, idcirco per actus temperatos, aut fortes, acquiri habitum temperantiæ, aut fortitudinis in appetitu sensitiuo, non autem in voluntate.

Secundo vtramque etiam partem experientia suadent. Cernimus enim, inquiunt, mutatione facta in corpore multos intemperantes fieri temperatos, multosque timidos fieri fortes, & vice versa. Quod argumento esse volunt non in ipsa immateriali potentia voluntatis, sed in subiecto corporali inesse has virtutes.

Tertio idem probant ex difficultate, ad quam ponitur virtus moralis, vt tradit Arist. 2. Ethic. Nam cum ibi debeat esse virtus, vbi est difficultas superanda, in voluntate autem nulla sit difficultas ad frænandas passiones, sed in sensitiuo appetitu; (*hoc id enim spiritus promptus est, vt Christus Dominus ait, caro autem infirma: & Paulus condelectatur legi Dei secundum interiorem hominem; videt autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ*) non dubium videtur, quin huiusmodi virtutes non sint ponendæ in voluntate, sed in appetitu sensitiuo.

Quarto, quia ibi est virtus vt in subiecto, vbi eius actus consummatur; actus autē virtutis temperantiæ, & fortitudinis non consummantur in voluntate, sed in appetitu sensitiuo, cum in eius passionum moderatione consistant.

Quinto, quia virtutes, quæ circa passiones versantur, sunt veluti fræna, quibus illæ, cum effrenatæ sunt, domantur, & cum languidæ & inertes, excitantur, vt omnes ad mediocritatem reuocentur, at fræna non equitibus, (*huiusmodi voluntas est*) sed equis adhibentur.

Postremo quia propterea in substantiis separatis non sunt morales virtutes, vt tradit Aristoteles 10. Ethic. cap. 8. (*quod potissimum intelligitur de temperantia, & fortitudine*) quia non sunt in eis vllæ passiones.

Communior, & longe probabilior sententia, & quo pacto superior cum ea conciliari possit.

SECTIO III.

Assertio communis.

COMMVNIOR tamen & multo probabilior sententia est, omnes virtutes morales esse in voluntate vt in subiecto, nullamque in appetitu sensitiuo, sed tantum habitualem quandam earum dispositionem & quasi complementum. Quæ sententia est Henrici quodlib. 4 quæstio. 22. Scoti in 3. d. 33. & ibidem Richard. Ochami, Gabrielis, & aliorum plurimorum, ac ferme recentiorum.

Scot. q. vnic. Rich. ar. 1. q. 2. Gab. d. 23. q. 1. & d. 33. q. 1 Occh. q. 10. & 11. Burid. 1. Eth. q. 6.

Prior pars rationibus probatur.

Prior pars hisce rationibus probatur. Primum, quia virtus moralis definitur *Habitus electiuus*, vt patet ex 2. Ethicor cap. sexto. electio autem proprius voluntatis actus est, non appetitus sensitiui, & in ea potentia est habitus, in qua exercetur actus, quod acquiritur. Neque obest, quod prudentia dici etiam potest habitus electiuus, nec tamen est in voluntate: non enim dicitur electiuus, quasi ipsa, aut homo per eam eligat, sed quia indicat, aut præcipit quid eligendum sit.

Prudentia vt sit electiua.

Deinde, quia omnis virtus moralis (cum faciat habentem bonum simpliciter, & eius opus absolute bonum reddat) versatur circa bonum honestum, obiectum autem appetitus sensitiui non est bonum honestum, sed delectabile, aut vtile parti sensitiuæ. Quod si dicatur, ex se quidem appetitum sensitiuum non versari circa bonum honestum, sed tamẽ versari circa illud, quatenus rationi obedit, idque ciuili, & quodammodo libera obedientia: hoc ipsum argumento est non in eo appetitu, sed in rationali parte virtutem residere: virtus enim gubernandi non in iis, quæ gubernantur, sed in ipso gubernante est, vt in equite non in equo, in principe non in ciuibus infimæ plebis.

Tertio, quia idem est subiectum virtutis, ac vitii oppositi: (*idem enim est contrariorum subiectum*) ac vitium oppositum virtuti non in corpore est, sed in anima, illamque comitatur post separationem à corpore, nisi ante detergatur. Eodem tendit argumentum, quod ducitur ex actu peccati, quo habitus vitii contrahitur, neque enim peccatum perficitur, nisi in voluntate, vbi est formaliter libertas.

A Quarto, ex illo eodem pronuntiato, quo vtuntur oppositæ partis autores, quia nimirum actus vnius potentiæ, quatenus alteri subordinatur, nunquam est perfectus, nisi vtraque potentia bene disposita sit ad eum actum: cum ergo actus appetitus sensitiui non pertineat ad virtutem, nisi quatenus hic appetitus mouetur à voluntate rationi conformata, efficitur, vt non sit perfectus, nisi voluntas etiam ipsa bene disposita sit ad illũ, quod

B non fit, nisi per habitum virtutis. Neque oppositæ sententiæ autores satis respondent, cum dicunt voluntatem esse ex se dispositam ad amplectendum id, quod est rationi cõforme, proinde non indigere habitu, quo disponatur ad eiusmodi actum perfecte exercendum, sed solum appetitum sensitiuum, qui cum sit ex se propensus ad bonum conforme sensui, quod sæpissime pugnat cum bono rationi consentaneo, indiget habitu inclinante, &

C afficiente illum ad huiusmodi bonum. Non esse enim id satis his rationibus patebit. Primum, quia intellectus etiam est ex se suo modo dispositus ad approbandum omne verum, & tamen indiget habitibus principiorum, & conclusionum, vt facilius, & promptius approbet hæc, vel illa principia, & conclusiones: neque enim habitus requiruntur propter substantiam actuum (*modo non sit quæstio de supernaturalibus*) sed pro-

D pter maiorem facilitatem, & promptitudinem ad certos quosdam. Quod si quis obiiciat, intellectum indigere speciebus in se receptis ad approbandum falsum, voluntatem autem nihil in se recipere, vt amplectatur bonum, & malum reiiciat respondendum est, quemadmodum intellectus præter species, quibus fit in actu primo, indiget habitibus, quibus facile, & promptius exerceat actum secundum approbandi verum, & re-

E probandi falsum, ita voluntatem propter actum intellectus, quo suo modo fit in actu primo, vt ex supra dictis patet indigere habitibus, quibus facilius, & promptius exerceat actum secundum amplectendi bonum, & refutandi malum. Altera ratio est, quia in appetitu sensitiuo sunt duæ propensiones, vna propria, & peculiaris ad bonum sensus, altera communis sibi, & rationali appetitui ad bonum totius suppositi, in quo

F bono etiam includitur bonum rationis: (*omnis enim potentia habet propensionem ad id, quod conuenit toti supposito, quemadmodum & omnis pars ad conseruandum suum totum*) ita dicendum est in appetitu rationali esse duas item propensiones; vnam ad bo-

[illegible]um proprium, quod est boni rationis, [illegible] alteram communem sibi, & appetitui sensitiuo, ad bonum totius suppositi, in quo bono includitur bonum sensus. Vnde quemadmodum duæ illæ inclinationes appetitus sensitiui sæpe sibi inuicem sunt impedimento, cum appetitus per vnam appetit ea, quæ per alteram refugit, & propterea indiget habitibus, quibus amplectatur illa, quæ magis conueniunt supposito, & contraria fugiat: ita in voluntate accidat necesse est propter illas duas propensiones, quæ sæpe feruntur in contraria, & ancipitem illam reddunt quam in partem se vertat. Tertia est, quia vt appetitus rationalis propensus est ad bonum rationis, ita sensitiuus ad bonum sensus: cum ergo hac propensione supposita, nihilominus in sensitiuo gignantur vitiosi habitus, seu vitiosæ dispositiones, quibus ille magis afficitur ad sensibilia, vt experientia constat: non est cur in appetitu rationali (*etiamsi sit ita propensus ad bonum rationis, vt est sensitiuus ad bonum sensus*) non gignantur, quibus ille afficiatur magis ad ea, quæ sunt rationi consentanea.

Tertia ratio.

Quinto loco ex eo probatur eadem assertionis pars, quia cum omne bonum particulare, quod voluntati in hac vita obiicitur, concipi possit cum aliquo malo aut culpæ, aut pœnæ coniunctum, etiam ipsa beatitudo nondum obtenta; (*neque enim solum sine aliqua difficultate acquisitionis repræsentatur*) opus sane est habitu aliquo, quo voluntas facilius, & promptius illud expetat, superata videlicet difficultate ac tarditate, quam in se experitur ad illud obtinendum. Dixi (bonum particulare) quia bonum sub communi ratione boni nullo modo concipi potest vt coniunctum cum malo; oportet enim descendere ad particularia bona, si inconueniens aliquod cum bono apprehenso coniunctum esse iudicari debet. Vnde fit, vt ad facilius, & promptius amplectendum bonum sub ratione boni nullo alio habitu opus sit, quam illis, quibus particularia bona facilius, & promptius appetuntur.

Sexto loco idem ostenditur ex habitu continentiæ, quem omnes ponunt in voluntate. Nam continentia generatur per actus resistendi vehementibus passionibus tactus, eisdem autem actibus paulatim vincentibus generatur castitas: tum quia nulla potentia resistit contrario, nisi tendendo in alterum; (*[illegible] voluntas non resistit delectationi [illegible] appetendo moderationem [illegible] passionum à ratione præscriptam*) tum etiam, quia continentia [illegible] inchoata castitas, imperfecta [illegible] & perfecta, ad eandem speciem [illegible]. Quare, quemadmodum continentia [illegible] in voluntate ita & castitas ponenda [illegible] eadem ratione dicendum est [illegible] virtutibus temperantiæ subiectis, [illegible] & sobrietate: deque fortitudine & [illegible] ea contentis & eidem annexis; [illegible] acquiruntur cum difficultate, difficultas autem in eo cernitur, quod initio voluntas depugnans contra vehementiores passiones videtur nihil aliud agere, quam resistere, ac vincere: cum tamen non vincat, nisi acquirendo aliquid virtutis contrariæ, & eius oblectationis, & quietis, quam illa secum affert. Itaque omnes virtutes, quæ ponuntur à contrariæ sententiæ autoribus circa passiones, suas quasdam habent continentias vehementium passionum, à quibus non differunt, nisi tanquam perfectæ qualitates ab imperfectis, & inchoatis, quare si imperfectæ in voluntate sunt, in eadem sint perfectæ necesse est.

Postremo idem ostenditur ex iis virtutibus, quas omnes ponunt in voluntate, ex iustitia, inquam, religione, & aliis huiusmodi. Nam & in his acquirendis, & exercendis non parum difficultatis sæpe cernitur in appetitu sensitiuo ex affectu, quem is habet ad sensibilia, quæ sæpissime impediunt earum virtutum exercitium, vt patet in cupido, auaro, homicida, proditore, maiestatis contemptore ac similibus. Quare cum huiusmodi virtutes nihilominus ponantur in voluntate, quia etsi sæpissime moderantur passiones impedientes ipsarum vsum, tamen tendunt per se, ac primo in bonum rationis erga alios, necessario quoque in eadem potentia ponendæ sunt temperantia, & fortitudo cum subiectis sibi, & annexis virtutibus, quia etsi semper versentur in moderandis passionibus appetitus concupiscibilis, & irascibilis, semper tamen, ac per se primo tendunt in bonum rationis vniuscuiusque erga se ipsum. Ita patet prior pars assertionis proposita.

Posterior autem pars & experientia, & ratione conuincitur. Experimur enim nos ipsos per aliquid in nobis relictum facilius, & propensius expetere atque quærere secundum sensum ea, quibus sponte nostra magis assueuimus faciliusque, & promptius secundum sensum reiicere contraria. Ratio quoque id aperte docet, cum habitus nihil aliud sint, quam quædam actuum, quibus assueuimus, vestigia. Atque inde [illegible]

fertionis parte non video vllam inter Philosophos aut Theologos controuersiam, nisi quod alii volunt hos habitus esse veras virtutes, idque sentiunt prioris sententiæ autores: alii autem non esse nisi quasdam earum dispositiones, quatenus frenāt appetitum sensitiuum, eumque magis obedientem rationi, verisque virtutibus reddunt, quod sentiunt ii qui sequuntur posteriorem sententiam, exceptis nonnullis, qui existimant vtrosque habitus, & qui in voluntate sunt, & qui in appetitu sensitiuo verarum virtutum rationem habere quandocunque illum faciunt rationi obedientem. Nobis placet magis, vt habitus qui in appetitu sensitiuo sunt, nec dicantur veræ ac propriæ virtutes, neque item solum verarum virtutum dispositiones, sed etiam earum complementa. Loquimur autem de iis virtutibus, quæ circa passiones versantur. Nā quia etsi potentiæ sensitiuæ interiores obediunt rationi, & inclinant etiam in bonum spirituale sub ratione conuenientis suppositio ex imperio rationis, non tamen ad id inclinant tamen sub ratione boni spiritualis, aut honesti (*neq; enim cognoscūt ordinem ipsum passionum moderandum ad ipsam rationem moderantem*) idcirco in eis non habet locum vera ratio virtutis temperantię, aut fortitudinis sed earum complementi. Complentur enim veræ virtutes temperantiæ & fortitudinis in ipsa passionum moderatione tanquam in eo munere, ad quod potissimum destinatæ sunt. Nam virtutes quæ versantur circa actiones: nec semper moderantur passiones, sed dirigunt puras actiones voluntatis, vt in Angelis, & animabus separatis, & sæpe etiam in nobis, cum vacui passionibus opera iustitiæ, aut religionis, aut liberalitatis exercemus: nec per se ad id munus à natura institutæ sunt. Quāquam non est negandum his quoque virtutibus respondere in appetitu sensitiuo habituales quasdam dispositiones, quæ simul acquiruntur, cum repugnante appetitu sensitiuo ipsæ veræ virtutes acquiruntur.

Vt Gab. in 3. d.23.q.1.ar.2 Habitus, qui sunt in appetitu sensitiuo, potius dici debere virtutum complementa, quam dispositiones.

Ex quibus facile intelligitur, priorem sententiarum cum posteriori conciliari posse, nec reputari illi contrariam, sed eam potius profundius, & securius fundare. Nam virtutes, quæ per se primo in moderatione adhibenda passionibus versari debent, si intra cancellos solius voluntatis contineantur, non assequentur vtique suum finem, hoc est, verum complementum suorum actuū, proinde, ne quisquam fallatur existimans, satis esse ad virtutem temperantiæ, aut fortitudinis comparandas, interiores volūtatis actus circa temperata, aut fortia exercere, (*etiamsi millies velimus temperati esse aut fortes*) prudentes

Conciliatur vtraq; sententia.

Acquirendæ sunt virtutes passionum moderatrices parum prosunt mere interni voluntatis actus.

A Arist. & cum eo D. Th. cæterique prioris sententię autores statuerunt, eas virtutes non in voluntate sola, sed in appetitu etiam sensitiuo esse collocandas, & adeo parum [illegible] earum acquisitionem nudos voluntatis [illegible] vt nisi descendant ad passiones r[illegible] cendas, & rationi subiiciendas, [illegible] his virtutibus acquirendis prosint. Quod [illegible] men de iis virtutibus, quarum in[illegible] nō est versari in moderandis passionibus, dici nō B potest: tametsi D. Tho. aliquando ponit liberalitatem in vtroque appetitu, quia sæpé necessario frenandus est sensitiuus, vt voluntas actum eius virtutis exerceat: quod idem dicendum erit de cæteris virtutibus, quæ ad iustitiam reuocantur, quandócumque ad earum exercitium necessaria est passionum moderatio.

1.2.q.60.ar.3 & 2.2.q.134 ar.4. Etiam in appetitu sens. ponit habitum virtutis [illegible] subiectatur.

C

Solutio argumentorum prioris sententia.

SECTIO IV.

AD argumentum igitur illud, quod pro [illegible] priore sententia ex Aristotele desumptū est, concedimus habitum virtutum in iis potentiis esse, quarum actus sunt earum proprii: modo id intelligatur non de quibus- D cumque propriis, sed de primis: alioqui iustitia, & aliæ virtutes ei subiectæ, & annexæ, essent in potentia motiua, qua fiunt commutationes & distributiones rationi conformes, aliaque earum virtutum externa opera. Quamquam ergo actus, quibus appetitus sensitiuus ex imperio rationis moderationem adhibet passionibus, sunt proprii temperantiæ, & fortitudinis; tamen, quia non sunt pri- E mi, (*prius enim actus voluntatis de passionib. moderandis conformandi sunt cum recta ratione, quam ex eius imperio moderatio adhibeatur passionibus*) non inde efficitur, vt temperantia & fortitudo sint in appetitu sensitiuo, sed in voluntate.

[illegible]

Ad argumentum vero D. Tho. ex dictis patet, dicendum esse non ita bene dispositam in nobis esse voluntatem ad recte operandum, cū appetitu sensitiuo sibi subordinato, quin indigeat habitibus, quibus ad certos quosdam F actus facilius, & promptius exercendos determinetur.

Ad secundum dicendum est, multum quidem conferre bonam corporis dispositionem ad vsum virtutum, non modo earum, quas prior sentētia ponit in appetitu sensitiuo, sed etiam earum, quas omnes ponunt in voluntate. Verum nō inde colligi propriam sedem tempe-

temperantiæ, & fortitudinis esse appetitum sensitiuum, cum virtutes ipsę non aliter vtantur organis corporeis, quam vt subordinatis instrumentis partis intellectiuæ.

Virtutes ponenda in iis potēt. in quibus non maior sed prima est difficultas.

Ad tertium concedendum, in iis potentiis ponendas esse virtutes morales, in quibus aliqua est difficultas, quam superare debeant: non tamen semper in iis, in quibus præcipua difficultas est: sed in quibus prima. Quamquam igitur in appetitu sensitiuo sit præcipua difficultas, quæ vincenda est à virtutibus temperantiæ, & fortitudinis: non est tamen illa prima, sed ea, quæ in voluntate cernitur: quæ potentia, cum formaliter sit libera, prius se ipsam determinare debet, num potius sensuum iudicio, an rationis se accommodare debeat. Et quanquam voluntas, quatenus spiritui seruit, prompta sit ad exercitium earum virtutum, quibus passiones appetitus sensitiui frænantur, & eadem ratione condelectetur legi Dei secundum profundiorem hominis considerationem: tamen, quatenus parti sensitiuæ præest, indiget temperantia, & fortitudine, ne se trahi sinat ad eligenda ea, quæ ei parti consentanea sunt contra rationis iudicium: aut tota ipsa rationalis pars propter affectum, quem habet ad corpus conseruandū, & fouendum, suapte propensione ad noxia corporis commoda inclinet.

Aperitur sensus Arist. & D. Th. hac in re.

Quartum argumentum (vt credere par est) dedit ansam & Aristoteli, & D. Th. vt simpliciter, & absolute ponerent temperantiam, & fortitudinē in appetitu sensitiuo. Nam cum actus interiores harum virtutum non sint completi, nisi cum voluntas efficaciter reducit passiones ad debitam mediocritatem: existimauerunt illi in vtraq; potentia ponendas esse huiusmodi virtutes, sed præcipue in appetitu sensitiuo, quia in eo actus ipse voluntatis interius completur, vt mittamus exteriores operationes, quæ potentiis executiuis exercentur: non quod non crediderint actus ipsos efficaces volūtatis non esse essentialiter siue intrinsece completos: sed quia nunquā hoc pacto completi sunt, nisi cū moderationem passionum efficiunt. Atq; hac de causa quærit D. Th. 1 2. q. 56. art. 2. num vna & eadem virtus possit esse in duab. potentiis, & respondet posse quidē esse in duabus, sed præcipue in ea, q̄ operatur ex motione alterius. Vnde cum in homine sit duplex appetitus, qui quodammodo integrant vnum hominis completum appetitum sensitiuus autem non operetur seu virtutum, seu vitiorū opera, nisi quatenus mouetur à rationali appetitu, aut recta aut peruersa ratione ducto: necesse est ad hoc, vt vterq; recte operetur, vterq; etiam sit perfecte dispositus. Et quanquā D. Th. ait rationalem esse ex se bene dispositū ad operationes virtutum temperantiæ, & fortitudinis: crediderim tamen non sic esse intelligendum quasi nullam difficultatem in eo esse viderit ad eiusmodi operationes: sed quod totam, aut pene totam intellexerit oriri ex consensione illius cum sensitiuo: sicque cum sensitiuus perficitur per habitualem quandam dispositionem rationalem quoq; per habitum sibi peculiarem perfici: atq; his duabus qualitatibus integrari vnum habitum in genere moris, etiāsi sint duo in genere naturæ. Quēadmodum & ipsi actus appetitus sensitiui, & rationalis, etsi sunt duo in genere naturæ: tamen ea ratione sunt vnus & idem in genere moris, quia vnus & idem actus meritorius censentur, si sunt rectæ rationi conformes: & vnum idem numero peccatum, si à recta ratione discordent, eo modo, quo id superius explicauimus. Accedit in confirmationem huius explicationis, quod D. Th. agens de virtutibus ait liberalitatem & magnificentiam esse non solum in voluntate, sed etiam in appetitu sensitiuo: nempe cum acquiruntur superata aliqua difficultate sensitiui appetitus, quod fere semper in nobis fit. Sed tamen hoc est discrimen, quod habitus harum duarum virtutum, quemadmodum & iustitiæ, & præcipue in voluntate ponendos existimat, non solum iis rationibus, quæ à nobis propositæ sunt, quæ illum latere non potuerunt: sed etiam, quia ad eas acquirendas pręcipua difficultas est in actionibus rectificandis, quibus cum aliis communicamus hominibus, cum etiam tunc difficultatem in ea re sentiamus, cum passionibus non vrgemur: quod contra accidit in virtutibus temperantiæ, & fortitudinis, in quibus comparandis præcipuam, ac penę totam difficultatem experimur in sedādis propriis affectibus.

Appetitus rational. & sensitiu. in nobis vnum quodammodo integrant.

Item cum habitus & actus circa eundem.

6. 2. q. Vlt. in fin. 2. 2. q. 134 art. 4.

Ad quintum dicendum est, virtutes, quæ circa passiones versantur, non esse quasi fræna, quæ equitibus adhibeantur, sed quasi manum equitis, aut aurigæ, qua equi gubernantur.

Ad vltimum concedendum est, non dari in substantiis separatis proprie dictas temperantiæ, & fortitudinis virtutes, quidquid Scotus, & alij velint: longe tamen diuersam esse rationem in hominum animis ex iis, quæ dicta sunt, satis apertum est.

Scot. in 3. d. 33.

Quid efficiant habitus in iis potentiis, in quibus insunt.

QVÆSTIO IV.

Explicatio tituli & opinionis Durandi, aliorumque eiusdem sententia.

SECTIO I.

DE proximo, & immediato habituum munere, quod nimirum illi præstant in ipsis potentiis, quibus inhærent, hęc quæstio superiori succedit, qua expedita de eorum generatione, augmento, imminutione, & corruptione commodiori ordine agetur. Et quidem initio primæ quæstionis huius capitis dictum est, proprium munus eorum habituum, de quibus hoc loco cum Aristotele agimus, eorum, inquam, qui nostris actib. acquiruntur, esse reddere potentias faciliores, & promptiores ad certas quasdam, & determinatas operationum speci s Vnde si efficiendi verbum in titulo huius quæstionis fusissime sumatur, (*quo etiam pacto dicimus albedinem efficere papyrum albam, & dispositiones, qua ad introductionem formarum præmittũtur, efficere materiam dispositam, vt nimirum idem sit efficere, quod præstare non solum effectiue, sed etiam formaliter, aut dispositiue*) perspicuum est habitus efficere potentias formaliter faciliores, &c. Ex qua re deinde colligitur huiusmodi operationes esse fines ipsorum habituum, vt quemadmodum potentiæ habituum capaces institutæ sunt ꝑpter suas operationes, ita & huiusmodi habitus, vt illæ facilius & promptius operarentur; alioqui otiosi & inutiles essent. Sed dubitatio restat de modo, quo ad hoc munus sunt vtiles; an ea ratione sola, quod disponant potentias ad eã facilitatem, & promptitudinem agendi; an quod effectiue concurrant cum potentiis facilius, & promptius agentibus: de qua re in hac quæstione agendum est.

Proprium munus habituum acquisitorum.

Formaliter efficiunt potentias faciliores.

An effectiue concurrant cum potentiis.

Durandus, & Paludanus in 3. d. 23. post Aureolum existimant habitum non concurrere effectiue a l ctum facilius & promptius eliciendum, s d tantũ disponere potentiam ad illum, in quam sentẽtiam inclinat Scotus in 1. d 17. q 2. Id quod duabus potissimum rationibus probant. Prior est, quia in actu n hil est, quod per se ab habitu effici possit; non substantia, siue entitas eius; non intẽsio; non bonitas, aut malitia, non facilitas, aut promptitudo: hæc enim sola excogitari possunt effici ab habitu. Nam quod quidam addunt de oblectatione, superuacaneum est, cum oblectatio actum sequatur, tanquam eius comes, & pedisequa, non autem præcedat, etiam naturę ordine. Quod substantia ipsius actus non fiat per se ab habitu, (nam per accidens ea etiam, quæ effectiue non concurrũt, dicuntur aliquid efficere, vt album ædificare) ex eo patet, quia, cum ante habitum acquisitum sola potentia producat actum, eadem etiam sola post habitum acquisitum similem potest actum producere, presertim cũ per habitum sit melius ad similem producẽdum disposita. Quod autem neq; eius intensio, ex eo probant, quia intensio, seu maior perfectio gradualis, aut est purus quidam essendi modus, qui per se non fit; aut est additio entitatis gradualis, de qua iam ostensum putant non fieri per se ab habitu, sed à potentia. Accedit, quod habitus non potest perfectiorem actum producere, quam sit ꝑfectus is, à quo est productus, si re vera ab eo productus est. Quod vero nec eius bonitas, aut malitia, (*quarum nomine moralem intelligunt, præsertim cum transcendens bonitas manifeste nihil reale addat entitati ipsius actus, neque etiam habeat contrariam malitiam*) ea ratione suadet, quia bonitas moralis, & malitia opposita in relatione conformitatis cum recta ratione, aut difformitatis ad illam cõsistunt; relationes autem non fiunt per se. Quod deniq; nec maior facilitas, aut promptitudo operandi ex habitu proueniant, ex eo ostendunt, quia hæc non sunt conditiones ipsius actus, sed eius potentiæ, à qua ille producitur, quæ conditiones ex meliori dispositione subiecti proueniunt, vt quo melius dispositum est subiectum potentiæ, eo potentia facilius ac promptius operetur. Alteram rationem desumunt ex collatione habitus cum actu quoad perfectionem. Nam cum habitus gignatur ex actu; quocunque modo ex eo gignatur (*id enim omnes concedũt*) nec sit eiusdem rationis cum illo sed actus sit habitu perfectior secundum speciem; fieri non potest, vt habitus actum producat, quia nunquam effectus est perfectior sua causa efficiente.

Negant Dur. q. 2. & 4. Palud q 2. Aureol. in 1. d. 17. ar. 4.

Prior eorum ratio.

Posterior.

Vera Aristotelis, D. Thomæ, & longe communior sententia.

SECTIO II.

VERA tamen Arist. sententia, quam D. Thomas 1. 2. q. 49. art. 3. & alibi sæpe, ac fere omnes graues autores sequuntur; in quam etiam Scotus re melius expensa se reduxit in 4. d. 49. q. 1. q. 2. est habitum effectiue concurrere ad ctus, quos potentia illo affecta producit. Primum enim Arist. in hoc ipso capite, & in præcedentibus, ac sequentibus, numerat habitum inter potentias actiuas, vt luce clarius est. Deinde vbicunq; de scientiis practicis, artibus, prudentia, & aliis moralibus virtutibus agit, omnia hæc habituum genera actiua esse docet, neq; id per accidens,

Vera sent. habitus effectiue concurrere cum potentiis.

Caiet. ead. q. Ca. in 1. d. 17. Hern. quodl. q. 13. Och. quod 3. q 20. Gabr. in 3. d. 23. q. 1. Maior. q. 4.

uidens, sed per se. Lege pro scientiis practicis, A eademq; ratione pro earum principiorũ habitibus primum cap. lib. 6. huius operis: pro virtutibus autem moralibus lib. 2. & 6. Ethicorum multis capitib pro scientiis vero contemplatiuis, & earum principiis cap. huius li. vbi Arist. scientias quoq; contemplatiuas, & pari ratione habitus principiorum, quib. illæ innituntur, expresse facit actiuas suorum actuum. Id quod etiam de omnib. scientiis tam practicis, quam contemplatiuis, & B earum principiorum habitibus colligitur ex definitione illa, qua demonstratio dicitur syllogismus efficiens scientiam: id enim non solum intelligitur de scientia actuali, sed etiam de habituali.

1. post. c. 2. tex 5.

Probatur rationibus.

Potest autem eadem sentẽtia probari, primum ex ipsa radice maioris facilitatis, & promptitudinis operandi potentiarum, ad quas ponitur habitus. Duæ n. virtutes cernuntur in qualibet potẽtia habituum capaci C vna ad recipiendos actus, altera ad producendos: nulla enim potentia est capax habituum, nisi potentia actuum immanentium cum ergo in virtute receptiua, quæ est in huiusmodi potẽtiis, nulla sit difficultas aut tarditas ad recipiendos, actus, cum vnaquæque indifferenter se applicet ad omnes, etiam ad contrarios: in virtute autem productiua maior difficultas, & segnities cernatur, cum potentia productura est intensiores, quam cum D remissiores: idque, quia ad intensiores indiget maiori conatu, quã ad remissiores, vt experientia patet: efficitur, vt habitus nihil iuuet potẽtiam quoad virtutem receptiuã suorum actuũ, sed tantum quoad productiuã: ex quo sequitur habitum ea ratione iuuare potentiam, quia supplet eius conatum, cum illa ex habitu operatur: quod idem experientia constat: manifeste enim experimur nos, cum habitum comparauimus, minus conari ad actus producendos, quam ante habitum E acquisitum. Quare cum omnis conatus sit effectiuus, perspicuum est omnem habitum, de quo est quæstio, esse effectiuum.

Habitus supplet potentiæ conatum.

Deinde idem probatur ex ipsa natura habitus, qui est quædam quasi proles ipsius potẽtiæ, quam illa in se ipsa ex suis actibus relinquit: ergo cum vis productiua potentiæ ad ipsam potentiam pertineat: limitatio autem actus, quo habitum producit, pertineat ad speciem intelligibilem, aut sensibilem inte- F riorem, siue impressam, siue expressam, (*quod non solum in apprehensiuu, sed etiam in appetitiuis intelligitur*) necesse est, vt habitus sapiat naturam vtriusque sicque habeat vim effectiuam à potentia, & limitatiuam à specie intelligibili, aut sensibili.

Postremo confirmari potest ex iis habitibus infusis, qui in potentiis animæ subiectantur. Nam omnes hi sunt effectiui, vt Theologi probant: non est autem, cur idem negetur habitibus operatiuis acquisitis in ipsis potentiis.

Solutio prioris rationis partis oppositæ: & num habitus concurrere possit ad actus intensiores iis, à quibus genitus, vel auctus est.

CAPVT III.

AD primam igitur rationem oppositæ sententiæ dicendum est, habitum acquisitum ad omnia illa, quæ ibi assignantur, effectiue concurrere, nec per accidens, sed per se: eo modo tamen, quo illa effici possunt. Concurrit enim ad substantiam actus tanquam principium subordinatum ipsi potentiæ, seu potius comprincipium, ita vt sine potentia nihil possit efficere. Inde patet illum concurrere ad intensionem actus, quia intensio gradualis pertinet ad substantiam actus, vt patet ex lib. superiori. Ad bonitatem vero & malitiam actus, non aliter, quam consequutione quadam concurrit habitus, quemadmodum & potentia: actus enim boni & mali moraliter, si sunt actus voluntatis, sunt per se boni, aut mali, aut indifferentes in specie, idque in 2. modo dicendi per se: proinde bonitas eorum, & malitia, ac indifferentia sunt quædam eorum ꝓprietates, vt quæstione sequenti patebit: cæterarum autem potentiarum actus dicuntur boni, aut mali, aut indifferentes, relatione quadam, aut denominatione extrinseca, aut modo quodam se habendi ad actus voluntatis: quo fit, vt habitus, cum sint actuum productiui, consequentia etiam quadam sint effectiuæ causæ huiusmodi effectuum. Quod vero attinet ad facultatem & promptitudinem, dicendum est, has quidem conditiones ad ipsas potentias pertinere: sed tamen ex ipsis habitibus oriri, vt potentiæ, in quibus sunt, facilius, & promptius producant suos actus ob eas causas, quæ explicatæ sunt. Itaque facilitas, & promtitudo sunt quidam puri modi se habẽdi potentiarum ad suos actus producendos, qui modi non tantum proueniunt potentiis ex meliori dispositione subiecti, sed ex ipsis etiam habitibus: cum ex iis, qui æque bona, aut mala dispositione corporis præditi sunt, multi facilius, & promptius operentur propter solum acquisitum sic operandi habitum, vt dictum est.

Habitus effectiue sed diuersimode concurrunt ad substantiam actus.

Ad intensionem.

Cap. 3. q. 1. & 2.

Ad bonitatem vel malitiam.

Ad facilitatem & promptitud.

Superest tamen illud hac in re, quod difficultatem habeat: num habitus possint producere actus perfectiores, siue intensiores iis,

An habitus queant producere actus perfectiores iis, à quibus producti sunt.

Negãt aliqui.

iis, à quibus producti vel aucti sunt. Non desunt enim, qui negatiuam partem amplectãtur, duobus potissimum argumentis. Vno, quia communis sententia est habitus non esse productiuos, nisi actuum similiũ iis, à quibus producti sunt: cui sententiæ addendum est necessario, vel ab iis, à quibus sunt aucti. Altero, quia nullũ agens producit perfectiorem effectum, quam eius forma præscribat, ne causa efficiens superetur à suo effectu in perfectione, quod fieri nequit. Itaque dicunt, si quando potentia cum habitu producit actum intensiorem, quam ipse habitus natura sua poscit, hoc est, intensiorem iis, à quibus genitus, auctusve est, (*hoc autem sæpe fieri negare nec possunt, nec audent*) non concurrere habitum ad illum totum producendum, sed potentiam solam producere gradum illum vlteriorem.

Eorum arg.

Alterum.

Consectarium.

Refellitur consectar.

Hæc tamen sententia nullo modo probanda est. Nam siue in causis naturalibus per se subordinatis in agendo: siue etiam in supernaturalibus: seu deniq; in partialiter concurrentibus in eadem agendi specie, vt in iis, qui trahunt aut portant vnum atque idem pondus semper effectus quoad totam formam suam producitur ab vtraque causa, ita vt nihil entitatis producatur ab vna, quin producatur simul ab alia. Id fatentur omnes in causis naturalibus, id etiam Theologi in supernaturalibus: ita vt in ipsis etiam operibus gratiæ nihil sit in opere digno vitæ æternę, quod non simul sit à diuina gratia, & à libero operantis arbitrio.

Ad prim. arg.

Ad primum vero argumentum in oppositum dicendum, etsi habitus natura sua non inclinat, nisi ad actus similes ijs, à quibus est genitus, aut perfectior factus: tamen virtute potentiæ, cui coniungitur, posse concurrere ad intensiores, eo quod effectus vtriusque sit vnus, & idem, siue cum minus intensus est, siue cum intensior.

Ad secundum respondetur pronuntiatum illud, perfectionem effectus non posse superare causæ effectiuæ perfectionem, non esse vsurpandum, nisi cum effectus cõfertur cum causa principali, ac integra, cuiusmodi non est habitus, qui nec est principale efficiens, neq; etiam integrum: solam enim potentiam quando sine habitu operatur, esse integrum efficiens, seu potius integrum principium efficiendi: quando autem operatur cum habitu, ipsam quidem esse, principale effectiuum, sed non integrum: cum habitus etiam effectiue concurrat, nec sit principium instrumentale, vt nonnulli putarunt, quia complet vnicum principale. Neque tamen necessario illud complet, quasi sine eo potentia non possit æque intensum actum producere, si maiorem conatum sine habitu adhibeat, sed tantum vtiliter, vt cum quo potentia non opus est, vt ad talem actum tantum conatum adhibeat, quantum sola necessario esset adhibitura. Hinc enim prouenit, vt potentia facilius & promptius eliciat cum habitu vnum, & eundem actum, quam sine habitu eliceret, quia nimirum minus sui conatus (vt ita dicam) expendit.

Habitum nõ esse instrumẽtale actus principium.

Solutio posterioris rationis, & num actus sit habitu perfectior.

SECTIO IV.

PRo solutione posterioris rationis oppositæ partis videndum est, num actus re vera sit habitu perfectior secundum speciem, vt in argumento assumptum est: de hac enim perfectione quæstio esse potest, quæ ad rem faciat.

Sunt, qui existiment actum, & habitũ non differre inter se, nisi tanquam actionem, & terminum intrinsecum actionis, veluti calefactionem, & calorem. Idque ex eo probant, quia actus non pducit habitum mediante actione à distincta: quo fit, vt nihil differat ab habitu, nisi tanquam via, seu tendentia quædam a suo intrinseco termino, quæ differentia non est specifica, sed tanquam incompleti, & imperfecti cuiusdam, à completo, & perfecto in eadem specie. Verum hæc sententia nullo modo est probanda. Nam si actus potentiarum, quibus habitus acquiruntur, pertinent entitatiue ad prædicamentum actionis, vt quidam volũt: cum habitus secundum suam entitatem & essentiam pertineant ad prædicamentum qualitatis, different vtique actus, & habitus non solum specie, sed etiam toto genere: sin autem huiusmodi actus sunt qualitates secundum entitatem suam, quod verius esse putamus, fieri non potest, vt sint qualitates incompletæ paulatim integrantes habitum, sed per se ipsi completæ. Si enim integrarent habitum, manerent vtique post habitum acquisitum in ipso habitu inclusi, vt albedo in fieri in albedine in facto esse, quod falsum est.

Habitũ esse terminum intrinsecũ actus, putat Burid. 2. Eth. q. 3.

Refutatur hæc opin.

Cum ergo actus, & habitus sint diuersæ species completæ, ac disparatæ: nullæque duæ species possint esse æquales in perfectione, vt ex superiori lib. patet: merito dubitatur, sitne habitus specifica perfectione actu perfectior, an contra. Qua in re etsi nõ leuia sint argumenta, quibus videatur maior perfectio habitui tribuenda: nam & est qualitas potentiæ similior, & multorum actuum specie distinctorum productiua: actus autem vnius speciei non est productiuus, nisi vnius speciei

Cap. 3. tex. 10

Ratio, quæ maiorem in habitu perfectionem astruit.

speciei habitus, eius nimirum, qui ex eo relinquitur, qui semper est similis actui, à quo productus est: tamẽ oppositum dicendum est, vt omnes ferme & Philosophi, & Theologi sentiunt. Cuius rei ea est præcipua ratio, quia habitus est propter actum, non actus propter habitum, vt patet in scientiis, artibus, & virtutibus, quarum omnium perfectio, & moralis virtutum bonitas ex perfectione actuum pendet. Accedit, quod beatitudo, quæ est hominis summa perfectio, non in habitu, sed in actu consistit, vt docuit Arist. omnesq; Theologi tradũt: adeo, vt nec habitus luminis gloriæ, quod charitate perfectius suapte natura est, præcedat perfectione actum videndi diuinam essentiam, sed sit illo inferior. Non tamẽ hinc colligas potentiam quoq; isto modo inferiorem esse perfectione suo actu, quod etiã videatur esse propter suum actuum, non actus propter illam: alia enim ratio est de potentia, atque de habitu; habitus enim est quiddã non necessarium simpliciter ad operandum: potẽtia vero non solum est ad operandum necessaria, sed etiam cum ipsa substantia subiecti computatur, & à multis creditur esse idem cum illa: at substantia subiecti (*actualem intelligo, vt materiam excludat*) semper iudicatur perfectior quouis actu illi aduenientе, etiam supernaturali, vt patet ex iis, quæ dicta sunt initio libri 7.

Oppositum tenendum cum Arist. 1. magnor. moral. c. 3.

Arist. 1. Eth. c. 8. & sæpe alibi D. Th. 1. 2 q. 3. ar. 2. Scot. in 4. d. 49. q. 1. Rich art. 1. q. 4. & alii.

Actus cur non sit perfectior pot. qua est propter illum.

Ad argumentum igitur dicendum, etsi actus est secundum speciem perfectior habitu posse tamen ab ipso produci, aut potius comproduci, tum quia habitus non nihil sapit naturam instrumenti in producẽdo actu virtute potentiæ; tum præcipue, quia complet vnum, & idem expeditius principium, à quo actus producitur, quod est ipsa potentia habitu affecta.

C. 1. q. 1. sect. 2. 3. & 4. Dissoluitur ratio opposita.

Si quis autem hoc loco quærat, num dari possit habitus, qui potentiç tantam vim conferat, vt potentia possit aliquid efficere cum illo, quod sine illo non possit: breuiter dicendum est, si de habitibus acquisitis sermo sit, talem habitum dari non posse, cum omnis is habitus acquiratur per aliquem actum potẽtiæ: si vero de iis, qui per se infusi sunt, nullum eorum actũ sine illis produci posse, nisi Deus suppleat eorum concursum, cuiusmodi sunt actus virtutum Theologicarum: namq; ii omnes etiam secundum substantiam, entitatesve suas, supernaturalis ordinis sunt.

Non posse dari habitum ex acquisitis, sine quo potentia nequeat actum producere.

ΚΕΦ. ϛ.

Ἐπεὶ a δὲ περὶ τῆς κατὰ κίνησιν λεγομένης δυνάμεως εἴρηται, περὶ ἐνεργείας διορίσωμεν, τί τέ ἐστιν ἡ ἐνέργεια, καὶ ποῖόν τι. καὶ γὰρ τὸ δυνατὸν, ἅμα δῆλον ἔσται διαιροῦσιν, ὅτι οὐ μόνον τοῦτο λέγομεν δυνατὸν, ὃ πέφυκε κινεῖν ἄλλο, ἢ κινεῖσθαι ὑπ᾽ ἄλλου, ἢ ἁπλῶς, ἢ τρόπον τινὰ, ἀλλὰ καὶ ἑτέρως. διὸ b ζητοῦντες καὶ περὶ τούτων διήλθομεν.

Ἔστι c δ᾽ ἡ ἐνέργεια τὸ ὑπάρχειν τὸ πρᾶγμα μὴ οὕτως, ὥσπερ λέγομεν δυνάμει. λέγομεν δὲ δυνάμει, οἷον, ἐν τῷ ξύλῳ Ἑρμῆν, καὶ ἐν τῇ ὅλῃ τὴν ἡμίσει-

CAP. VI.

Quoniam a vero de ea potẽtia, quæ ad motum accommodatur, dictum est, de actu, & quid sit ipse, & qualis quid sit, definiamus. Nam si hæc distinguamus, simul etiam possibile ipsum perspicuum euadet, non solum, inquam, possibile nos dicere, quod aptum natura est, vt aliud moueat, aut ab alio moueatur, aut simpliciter, aut modo aliquo, sed alia quoq; ratione. Quapropter b quærentium more de his etiam disseremus.

Est c autem actus, rem esse non eodem modo, quo dicimus potentia. Dicimus vero potentia esse, vt in ligno Mercurium, & in tota dimidiam, quod

CAPITIS SEXTI EXPLANATIO.

Quoniam a vero.] Hactenus de potentia disseruit, atque aperte quidem de ea sola, quæ cum motu coniuncta est, nunc de actu aperire incipit, & quid ipse sit, & quæ eius qualitates, conditionesue: ex qua disputatione planius constabit, quid sit possibile, nec tantum illud inueniri in iis, quæ mouere possunt, aut moueri, (seu quouis modo id accidat, seu bene atque apte) sed in iis quoque, quæ sine motu agere, aut pati quocunque modo possunt. Nam, cum ex actu potentia perfecte cognoscatur, quanquam ex actu manifestissimo qui est motus, potentia cognita vtcunque sit, plena tamen eius cognitio ex vberiori cognitione actus pendet, & ab ea petenda est.

Possibile reperiri in omnibus qua agere aut pati quocunq; modo queunt.

b *Quapropter quærentium more*] Quoniam ardua res est de potentia & actu ita distincte agere, vt immaterialium quoque potentiarum & actuum alicuius momẽti cognitio habeatur, idcirco modeste ait se de his rebus quærentis more disputaturum.

Tex. 11.

c *Est autem actus.*] Docet primum, quid nam sit actus, mox dicturus, quanta varietate diuersis in rebus inueniatur; actus, inquit, est, seu potius esse actu, cum res quæ potentia erat, aliter est, quam cum erat potentia. Vbi vero proposuit exempla eorum, quæ sunt potentia, in

Quid sit actus, seu esse actu.

Actum in commune melius cognosci analogia specialium actuum.

in figura Mercurii, quæ est potentia in rudi saxo, quod per certam quandam partium externarum detractionem resultare in eo possit, & in dimidia parte lineæ, & in eo, qui nondum contemplatur, sed contemplari potest, mox proponit alia exempla eorum, quæ sunt actu, neque ea quidem pauca, eo quod tradita explicatio actus non sit perfecta definitio, ac proinde melius censet illum explicari similitudine quadam analogica specialium actuum inter se, ex quibus communis quidam illius conceptus, tametsi imperfectus elici potest. Sic enim suo modo se habere debet actus in commune ad potentiam in commune, vt se habet actus ædificandi ad potentiam ædificandi, & actus vigilandi ad vigilandi potentiam, quæ est in dormiente, & actus videndi ad eum qui videre potest, neq; oculos apertos aut intentos habet, & forma separata, h. e. educta ex materia, subiectove, ad ipsam materiam, siue subiectum, & elaborata aliqua figura, opusve aliud accuratum ad id, quod nondum perfectum est. Actus enim in commune, cum sit quiddam valde generale, omniaque genera transcendat, atque adeo extra genera omnia reperiatur, vt in progressu dicetur, definitionem veram & germanam, quæ ex genere proprio propriaque differentia conficitur, habere non potest: nam propter huiusmodi valde communia & transcendentia potissimum dictum est ab ipso, non omnium quærendam esse definitionem, quod de perfecta intelligendum est. Ita merito explicatus est actus generaliter sumptus per actus speciales.

Esse illum extra omnia genera.

μίσθαι, ὅτι ἀφαιρεθείη ἄν, καὶ ἐπιστήμονα καὶ τὸν μὴ θεωροῦντα, ἂν δυνατὸς ᾖ θεωρῆσαι· τόδε d ἐνεργείᾳ (δῆλον δ' ἐπὶ τῶν καθ' ἕκαστα τῇ ἐπαγωγῇ, ὃ βουλόμεθα λέγειν, καὶ οὐ δεῖ παντὸς ὅρον ζητεῖν, ἀλλὰ τὸ ἀνάλογον συνορᾶν) ὅτι ὡς τὸ οἰκοδομοῦν πρὸς τὸ οἰκοδομικὸν, καὶ τὸ ἐγρηγορὸς πρὸς τὸ καθεῦδον, καὶ τὸ ὁρῶν πρὸς τὸ μῦον μὲν, ὄψιν δὲ ἔχον, καὶ τὸ ἀποκεκριμένον ἐκ τῆς ὕλης πρὸς τὴν ὕλην, καὶ τὸ ἀπειργασμένον πρὸς τὸ ἀνέργαστον. ταύτης e δὲ τῆς διαφορᾶς θάτερον μόριον, ἔστω ἡ ἐνέργεια ἀφωρισμένη, θατέρῳ δὲ τὸ δυνατόν.

quod auferri possit, & scientem eum, qui non contemplatur, si contemplari potest. Hoc d vero est actu. Erit autem id, quod dicere volumus, in singulis inductione perspicuum, neque oportet cuiusque rei definitionem quærere, sed rationum similitudinem considerare: sic enim se habet, vt ædificans ad ædificatiuum, & quod vigilat ad id, quod dormit, & videns ad id, quod claudit quidem oculos, sed aspectum habet, & separatum à materia ad materiam ipsam, & elaboratum ad imperfectū. Huius e autem differentiæ pars altera sit actus definitus, in altera vero sit possibile.

Λέγεται δὲ ἐνεργείᾳ οὐ πάντα f ὁμοίως, ἀλλ' ἢ τὸ ἀνάλογον, ὡς τοῦτο, ἐν τούτῳ, ἢ πρὸς τοῦτο, τὸ δ' ἐν τῷδε, ἢ πρὸς τόδε: τὰ μὲν γὰρ ὡς κίνησις πρὸς δύναμιν, τὰ δ' ὡς οὐσία πρός τινα ὕλην. ἄλλως g δὲ τὸ ἄπειρον, καὶ κενὸν καὶ ὅσα τοιαῦτα λέγεται καὶ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ πολλοῖς τῶν ὄντων, οἷον τῷ ὁρῶντι, καὶ βαδίζοντι, καὶ ὁρωμένῳ ταῦτα μὲν γὰρ ἐνδέχεται καὶ ἁπλῶς καὶ ἀληθεύεσθαί ποτε: τὸ μὲν γὰρ ὁρώμενον, ὅτι ὁρᾶται: τὸ δ' ὅτι ὁρᾶσθαι δυνατόν. τὸ δὲ ἄπειρον οὐχ οὕτω δυνάμει ἐστὶν, ὡς ἐνεργείᾳ ἐσόμενον χωριστὸν, ἀλλὰ γνώσει: τὸ γὰρ μὴ ὑπολείπειν τὴν διαίρεσιν ἀποδίδωσι τὸ εἶναι δυνάμει ταύτην τὴν ἐνέργειαν, τὸ δὲ χωρίζεσθαι οὔ.

Nec f vero omnia modo eodem dicuntur actu, sed quadam similitudine rationum, vt hoc in hoc, aut ad hoc, sic illud in illo, aut ad illud: alia enim vt motus ad potentiam, alia vt substantia ad aliquam materiam. Alio g autem modo infinitum, & vacuum, & alia huiusmodi dicuntur & potētia esse, & actu, atq; alia pleraque entia, vt vidēs, ambulans, & quod videtur: hæc enim possunt & simpliciter, & aliquando vera esse. Dicitur enim videri aliquid, vel quia videtur, vel quia videri potest: at infinitum non sic potentia est, vt actu sit sit separandum, sed cognitione. Etenim diuisionem nunquam deficere hoc tribuit, vt hic actus sit potē-

t ; ina

ia, non item vt separetur.

Quoniam

d *Hoc vero est actu.*] Quasi dicat, hoc vero, quod sequitur, est esse actu, interiecta prius admonitione illa non omnium quærendam esse definitionem.

e *Huius autem differentiæ.*] Hoc est, eius differentiæ, quæ in singulis propositis exemplis cernitur, pars altera sit ac dicatur actu nobis vtcunq; definitus, siue explicatus, in altera vero ponatur possibile, seu potens, potentiaque ipsa.

Generalis varietas, quam in diuersis rebus actus habent ad potent.

f *Nec vero omnia.*] Ostendit quam varie res dicantur esse actu, seu quanta varietate actus in diuersis rebus ad potentiam se habeant. Duo autem discrimina generalia proponit his verbis, quæ sub se etiam alia plurima complectantur. Alii enim actus ita cōparantur inter se, vt quemadmodum hic est in hac re habente potentiam ad ipsum, ita ille in illa, veluti sicut motus, & quilibet alius actus accidentalis est in subiecto completo, à quo recipi potest, sic suo modo actus substantialis (*qui hoc loco vocatur substantia*) ad primam materiam: alii vero sic comparātur, vt sicut hic actus se habet ad hāc potentiam à qua egreditur, sic ille ad illam, vt sicut calefactio se habet ad ignem, quatenus agens est, siue ad eius actiuam potentiam, sic suo modo curatio se habet ad medicum, quatenus facultate curandi præditus est.

g *Alio*

Alia varietas.

g *Alio autem modo.*] Aliud discrimen ponit actuum inter se comparatione diuersarum rerum, in quibus est potentia ad illos. Alii enim sunt actus, qui possunt omnino à potentia separari, id est, perfectè à potentia exire, vt actus potentiæ visiuæ & ambulatiuæ, vt sic loquar: alii autem non possunt omnino à potentia seiungi, & quasi ab illa exire, eaq; quodammodo exui, vt diuisio infinita continui, & vacui, h. e. spatii, eiusque terminorum diuisibilium, quæ à corporibus, cæterisque magnitudinibus occupantur (videtur enim nomen vacui pro loco, seu spatio accepisse, vt in prædicamentis, tametsi vera spatii sententia retenta, non illa veterum fabulosa opinione.) Nam, etsi visio & ambulatio perfectè exeunt à suis potentiis, ita vt nihil eorum in eis relinquatur, infinita tamen continui vacuiq; diuisio nunquam tota exit à potentia eorum diuisibilitatis, vt ita dicam, passiua, neq; item ab actiua passiuæ respondenti, quod idem in diuisione partium gradualium cuiusq; intensiuæ qualitatis accidit. Itaque ad actus prioris generis aliquando res sunt in potentia duntaxat, vt videns, & visum (*nonnunquam enim hæc dicũtur, quia habent solum potentiam, illud vt videat, hoc vt videatur*) aliquando vero, quia habent actum completum, quo illud videat, hoc autem videatur. Ad actus vero posterioris generis, etsi res possunt esse in potentia duntaxat, vt si magnitudo nondum ex parte vlla diuidatur, nunquam tamen esse possunt in actu perfecto & completo; datur enim diuisio magnitudinis cœpta, darique potest quantumuis progressa, at finita & completa dari nunquam potest. Alii aliter vacuum intelligunt, nempe pro superficie ambiente corpus locatum actumque, qui nunquam in eo fieri potest, aiunt esse repletionem, quæ fit à corporibus inuicem in eo succedentibus [*quo etiam modo materiam similem continuo ad diuisionem, & vacuo ad repletionem esse affirmabunt*] sed non placet eorum sententia, quia eadem erit ratio in potentia visiua ad varias visiones sibi succedentes, maxime vero in intellectu, qui perpetuus in futurum est ad infinitas operationes futuras, cum tamen hæc omnia Arist: excludat hoc loco.

Quosdam actus non posse perfectè exire à suis potentiis.

ἐπεὶ h δὲ τῶν πράξεων, ὧν ἐστι πέρας, οὐδεμία τέλος, ἀλλὰ τῶν περὶ τὸ τέλος: οἷον τὸ ἰσχναίνειν, ἡ ἰσχνασία

Quoniam h vero ex iis actionibus, quarum extremum est, nulla est finis, sed in iis numeratur, quæ sunt ad finem; quo pacto extenuandi extenuatio est ipse finis, i ea vero, quæ in extenuando cernuntur, in motu sunt non existentibus iis

h *Quoniam vero ex iis.*] Hæc omnia, quæ ferme ad vltima vsque verba huius capitis pertinent, desunt in Latinis exemplaribus veteris interpretis Argyropyli, & Bessarionis, cũ tamen in Græcis codicibus habeantur, vno (quod sciam) excepto manuscripto, quem Parisienses in Regia Bibliotheca magni faciunt. Proinde Latini expositores ea non explicant, nisi vnus aut alter ex recentioribus, sed & Aphrodiseus Alexander, siue quis alius quorundam sententia eius nomine circumfertur, ea non attingit, quod forsitan valde corrupta erant, vt ea reperit Philoponus, qui tamen minime prætereunda merito putauit, continent enim sententiam & grauem, & vtilem, & Aristotelis doctrinæ non parum consentaneam: nam, præterquam quod alias hæc ferme docuit, hic locus plane respondet initio capitis, vbi pollicitus est se dicturum, quidnam sit actus, & quale, quid sit, siquidem, cum inductione quadam per actus speciales naturam actus exposuisset, cœpissetque diuersam actuum qualitatem tradere, nempe, quod alii aliquando tandem omnino separarentur, siue exirent à suis potentiis, alii vero nunquam omni ex parte, nunc quasi complens id, quod pollicitus erat, docet ex iis etiam actibus, qui omnino exeunt à suis potentiis alios imperfectos esse, alios perfectos, tãdemque ad finem capitis concludit se, quid & quale quid sit actu aliquid esse, eatenus explicasse. Quod autem ad verba attinet, cum constet locũ esse deprauatum, aliosque alia atque alia verba vel demere, vel adiungere, vel commutare, dabitur nobis venia, si quam minima contextus varietate veram germanamque Arist. sententiam reddiderimus.

Hanc cap. partem qua ferme carent Latini, non prætermittendam.

Quod igitur ad sententiam huius loci attinet, Cyriacus Strosa vir præstanti ingenio & eruditione (*quique ausus est octo libris de Republica ab Aristotele compositis nonum & decimum, qui deerant adiungere, eosque legendos & Græcis & Latinis exhibuit*) cum locum hunc restituere conatus esset, pauca quædam verba commentarii loco adiiciens doctam & vtilem distinctionem actus tetigit, seu potius innuit, quæ nobis in eius explanatione vsui esse potest. Ea vero est, etsi Græca nomina τῆς ἐνεργείας καὶ τῆς ἐντελεχείας, quibus actus significatur, communi quidem vsu apud Aristotelem spectato æque late patent, cum ille passim vtroque indifferenter vtatur ad quemlibet actum significandum, vt ad initium huius libri diximus; tamen si vis eorum consideretur ἐντελέχειαν magis significare actum per modum habitus insidentem) *quasi idem sit ἐντελέχεια, quod perfectio habita, seu habitualis, & quæ more dormientis carere operatione potest*) ἐνέργειαν vero solam potius operationem, eamque perfectam & completam, operatio enim ex se nullam imperfectionem præ se fert, tametsi aliquæ operationum formæ imper-

Discrimen inter ἐντελέχειαν, & ἐνέργειαν.

Quæ operationes dici nequeant simpliciter actus.

imperfectæ esse possint. Hinc sequitur operationes imperfectas, hoc est, quæ natura sua tendũt in terminum aliquem, quo perficiuntur & complentur, si vis nominum spectetur, neq; absolute dicendas esse ἐντελεχείας, neque etiam ἐνεργείας, ac proinde neque actus, vt actus hisce nominibus respondet, sed actus imperfectos.

Alios actus esse perfectos, alios imperfectos.

Quasdam actiones habere terminos intrinsecos, alias non itẽ.

Pergit ergo Arist. in ostendenda diuersa actuum qualitate, docetq; in actionibus, quas nomine πράξεως significat, alios actus esse perfectos, alios imperfectos, etiamsi omnino exeant è suis potentiis. Quo loco actionis nomine non est intelligenda ea sola actio, à qua scientiæ dicũtur actiuæ, seu practicæ, sed quælibet actio, à qua scientiæ dicuntur actiuæ, seu practicæ, sed quælibet actio, etiamsi sit pura contemplatio. Probatio autem huic innititur fundamento, quod actionum quædam habent extremum aliquid, h. e. terminum intrinsecum, in quod paulatim tẽdunt tanquam in finem & perfectionem suam, quo pacto se habet actus extenuandi ægrotum ad extenuationem eius futuram, & curandi ac sanandi futuram sanitatem: quædam non habẽt extremum, finemque internum, aut perfectionem ad quam tendant, sed ipsæ in se sunt fines ac perfectiones quædam, quales sunt actus videndi & intelligendi, vt mox patebit. Cum igitur ea, quæ non sunt assecuta fines suos internos, sint in se ipsis imperfecta, quæ vero non tendunt in alium internum finem, sed ipsa sunt imperfectiones quædam, sint in se perfecta, perspicuum est quasdam actiones, ac proinde quosdam actus natura sua esse perfectos, quosdam imperfectos.

i

ἰσχνασία αὐτὸ: αὐτὰ δὲ ὅταν ἰσχναίνῃ, οὕτως ἐστὶν ἐν κινήσει, μὴ ὑπαρχόντων, ὧν ἕνεκα ἡ κίνησις: οὐκ ἔστι ταῦτα ἐνέργεια, ἢ οὐ τελεία γε. οὐ γὰρ τέλος, l ἀλλ' ἐκείνη ἐνυπάρχει τὸ τέλος, καὶ ἡ πρᾶξις: οἷον, m ὁρᾷ καὶ ἑώρακε, καὶ νοεῖ καὶ νενόηκεν, ἀλλ' οὐ μανθάνει καὶ μεμάθηκεν, οὐδ' ὑγιάζεται, καὶ ὑγίασται, ἀλλὰ n καὶ εὖ ζῇ καὶ εὖ ἔζηκε, καὶ εὐδαιμονεῖ καὶ εὐδαιμόνηκεν. εἰ δὲ μή, ἔδει ἄν ποτε παύεσθαι, ὥσπερ ὅταν ἰσχναίνῃ: νῦν δ' οὔ, ἀλλὰ ζῇ καὶ ἔζηκε. τούτων δὴ τὰς μὲν κινήσεις λέγειν, τὰς δ' ἐνεργείας. πᾶσα γὰρ κίνησις ἀτελής, ἰσχνασία, μάθησις, βάδισις, οἰκοδόμησις, αὗται δὲ κινήσεις, καὶ ἀτελεῖς γε: οὐ γὰρ ἅμα βαδίζει καὶ βεβάδικεν, οὐδ' οἰκοδομεῖ καὶ ᾠκοδόμηκεν,

iis, quorum causa fit motus: non sunt hæc perfecto actus, aut certe non perfectus. Neque enim finis est, verum l illi finis, & actio inest, qualis est, videt, & vidit, intelligit, & intellexit; non tamen, discit, & didicit; curatur, & curatus est, sed m &, bene viuit, & bene vixit, beatus est, & beatus fuit: alioqui cessare aliquando oportebat, vt cum sit extenuatio, nunc autem non ita est, sed viuit, ac vixit. Itaque n harum quasdam motus dicere oportet, alias vero actus. omnis enim motus imperfectus est, quo pacto extenuatio, disciplina, ambulatio, ædificatio motus sunt, & imperfecti quidem. Neque enim quisquam simul ambulat, & ambulauit, ædificat,

i *Ea vero quæ in extenuando*] Sensus est, ea, quæ ad extenuandum ægrotum concurrunt, iam esse, cum ille extenuatur; non item ea, quæ completa extenuatione futura sunt.

In his rationem actionis & perfectionis eandem esse.

Non item in illis.

l *Verum illi.*] Hoc est, in illa vero actione, quæ non habet extremum, in quod tendat, sane ratio & actionis, & perfectionis cernitur, cuiusmodi sunt actiones sensuum & intellectus, nam videt & vidit vnum atque idem sunt eodemque modo intelligit & intellexit, vt clarius exponit ad finem capitis, nam videt, significat actionem, quæ actu exercetur, vidit autem perfectionem visionis, quæ simul atque exercetur, perfecta est & completa, nec per aliquem videndi progressum complementum visionis expectat, quod idem euenit in actu intelligendi: hoc autem non accidit in actu discendi, aut curandi, cum nemo simul discat & doctus sit, curetur & curatus siue sanus sit, separatur enim in his actio, quæ aliquandiu durat, à perfectione siue complemento actus, quod per actionem.

Bene viuere & beatum esse actus perfectos.

m *Sed & bene viuit.*] Reuertitur ad exempla perfecti actus, siue non expectantis complementum, cuiusmodi esse ait beneuiuere, & beatum esse. Nam bene viuere, id est, secundum virtutem, simul est bene vixisse, hoc est, habet iam in se perfectionem viuendi: eodemque modo beatum esse (quo pacto in hac vita beatitudo haberi potest) simul est beatum fuisse, non quia necesse sit eum, qui nunc beatus est, in tempore præterito beatum fuisse (quemadmodum nec qui videt antea vidisse, nec qui intelligit, antea intellexisse) sed quia iam nunc complementum, perfectionemve habet beatitudinis, hoc est, quia iam habet beatitudinem ipsam, quemadmodum ille, qui simpliciter beneviuit, perfectionem habet virtutis, id est, ipsam virtutem, alioqui neque ille bene viueret, neque hic beatus esset, sed vterque tenderet ad perfectionem ille virtutis, hic beatitudinis. Nam si is, qui bene viuit non haberet virtutem, & qui beatam vitam ducit, non haberet beatitudinem; sed bene viuere esset via quædam ad virtutem, & beatam vitam ducere ad beatitudinem, certe obtenta virtute aut beatitudine iam neque is, qui bene viuebat, bene viueret, nec qui beatam vitam ducebat beatus esset, quemadmodum is, qui extenuebatur, obtenta extenuatione, in quam tendebat, iam non extenuatur: at hoc dici non potest:

potest: nam quo magis quisque perfectus est virtute, eo melius viuit, & quo maiorem beatitudinem obtinuit, eo viuit beatius, atque hoc est, quod Aristoteles breuissime ait [*sed viuit, & vixit*] nempe bene & beate, hoc est, actionibus completis, & perfectis, nō iis, quæ viæ sint ad complementum & perfectionem.

n *Itaq; harum.*] Concludit actiones, quæ tendunt in aliquod extremum seu finem, quo complentur non esse dicendas simpliciter actus, sed motus, siue actus imperfectos: eas vero, quæ nō tendunt in finem alium, sed ipsæ sunt non solum actiones, sed & fines quidam completi actus nomine simpliciter & absolute appellandas esse: quo loco id, quod non semel ait Aristoteles omnem motum esse imperfectum, non sic intelligendum est, quasi dicat, esse motum imperfectum, sed actum imperfectum. *Omnem motum esse actum imperfectum. Tex. 12.*

ᾠκοδόμηκεν, οὐδ' ὁ γίγνεται καὶ γέγονεν, ἢ κινεῖ καὶ κεκίνηκεν· ἀλλ' ἕτερον, καὶ κινεῖ καὶ κεκίνηκεν· ἑώρακε δὲ καὶ ὁρᾷ ἅμα τὸ αὐτό, καὶ νοεῖ καὶ νενόηκε. τὴν μὲν οὖν τοιαύτην ἐνέργειαν λέγω, ἐκείνην δὲ κίνησιν. τὸ μὲν οὖν ἐνεργείᾳ τί τέ ἐστι καὶ ποῖον, ἐκ τούτων καὶ τῶν τοιούτων δῆλον ἡμῖν ἔστω.

ædificat, & ædificauit: neque o fit, & factus est: aut mouet, & mouit: sed aliud est mouet, aliud mouit: vidit autem, & videt simul idem sunt, itemque intelligit, & intellexit. Atque hanc quidem actionem actum voco: illam vero motum. Quid igitur, & quale sit actu aliquid esse, ex his, & aliis huiusmodi perspicuum nobis sit.

o *Neque fit & factus est.*] Non ad momentaneam generationem hæc referenda sunt, sed ad temporariam, quæ momentaneam antecedit: nec enim momentanea proprie generatio est, sed generationis terminus, vt alibi diximus. Nec moueat quenquam, quod autor sexto Physicorum ait, quicquid mouetur, iam antea motum fuisse, & quicquid fit, iam antea factum fuisse, loquitur enim eo loco de imperfecto termino & incompleto, hic autem de perfecto, & completo. *Cap. 5. & 6. à tex. 40. vsque 59.*

ΚΕΦ. Ζ.

Πότε a δὲ δυνάμει ἐστὶν ἕκαστον, καὶ πότε οὔ, διοριστέον· οὐ γὰρ ὁποτεοῦν, οἷον ἡ γῆ, ἆρ' ἐστὶ δυνάμει ἄνθρωπος, ἢ οὔ, ἀλλὰ μᾶλλον ὅταν ἤδη γένηται σπέρμα, καὶ οὐδὲ τότε ἴσως; ὥσπερ οὖν οὐδ' ὑπὸ ἰατρικῆς ἅπαν ἂν ὑγιασθείη, οὐδ' ἀπὸ τύχης, ἀλλ' ἔστι τι, ὃ δυνατόν ἐστι, καὶ τοῦτό ἐστιν ὑγιαῖνον δυνάμει.

ὅρος b δὲ τοῦ μὲν ἀπὸ διανοίας ἐντελεχείᾳ γιγνομένου, ἐκ τοῦ δυνάμει ὄντος, ὅταν βουληθέντος γίγνηται μηθενὸς κωλύοντος τῶν ἐκτός· ἐκεῖ δ' ἐν τῷ ὑγιαζομένῳ, ὅταν μηθὲν κωλύῃ τῶν ἐν αὐτῷ· ὁμοίως δὲ δυνάμει καὶ οἰκία, εἰ μηθὲν κωλύει τῶν ἐν τούτῳ, καὶ τῇ ὕλῃ, τοῦ γίγνεσθαι οἰκίαν, οὐδ' ἔστιν ὃ δεῖ προσγενέσθαι ἢ ἀπογενέσθαι ἢ μεταβαλεῖν, τοῦτο.

CAPVT VII.

Qvando a autem quaque res potentia sit, & quando non, explicandum est: neque enim quandocunque: veluti sitne terra potentia homo, an non: sed magis cum iam semen euaserit, & ne hoc quidem fortasse: quemadmodum nec quidvis vtique à Medicina sanari potest, neque etiam fortuito, sed est quiddam, quod possibile est, idque est potentia sanum.

Desinitio b autem eius, quod à mente fit actu, ex eo, quod est potentia, hæc esto, cum voluntate alicuius fit, nullo exterius prohibente: illic autem in eo, quod sanatur, cum nihil obstat eorum, quæ sunt in ipso: eodemque modo potentia domus est, si nihil prohibeat eorum, quæ in hoc, ipsaque materia sunt, quominus fiat domus: neque est quicquam, quod addere, aut demere, aut mutare oporteat, hoc, inquam, est potentia

CAPITIS SEPTIMI EXPLANATIO.

Qvando a autem quaque res.] cum docuisset capite superiori quid, & quale quid sit actus ostendit hoc capite quo pacto res, siue in quali dispositione existentes dicantur esse in potentia ad ad actum neque enim quæuis dispositio sat est, vt dicantur in potentia ad quemuis actum: nam neque ex terra dicimus posse fieri hominem, sed ex semine humano, & fortasse ne ex hoc quidem nisi certo quodam modo disposito vt inferius dicetur: aut etiam ex embryone, qui proxime transmutatur in hominem: neque item dicimus quoduis humanum corpus sanari posse siue ab arte Medicinæ, siue fortuito, id est, præter intentionem Medici, efficiente aliquando natura id, quod ars non efficit: nam fieri potest, vt medico desint medicamenta, quibus vtatur in curatione; aut corpus ægroti non sit ad curationem dispositum: quo fit, vt aliquid inueniendum sit, quod sit possibile sanari, idque proxima potentia ad sanitatem recipiendam. *Non quæuis dispositio sat est, vt res dicantur esse in potentia ad quemuis actum. Quando res sint in proxima potent. ad actum.*

b *Definitio autem.*] Iam tradit, quando [illegible] sit in potentia proxima ad actum: ac ex parte

quidem potentiæ agentis per intellectum, tunc aliquid esse ait in potentia, cum voluntate a[illegible] cuius fieri potest, nulla re extrinsecus prohibente: vt si artifex habeat vires & instrumenta ad agendum, nec quicquam extrinsecus impediat, quominus ab eo opus conficiatur. Quod idem mutatis iis, quæ mutanda sunt, videtur dicendum ex parte agentis naturaliter: nempe, cum aliquid naturaliter ab aliqua re fieri potest nullo extrinsecus prohibente; vt si sol in cancro existens non impediatur imbribus ad maturandas segetes. Ait autem [*nullo extrinsecus prohibente*] quia quæ extrinsecus prohibent, quodammodo potentiam agentis imminuunt. Ex parte vero potentiæ patientis (hoc significant verba illa, Illic autem in eo quod sanatur) tunc asserit aliquid esse in potentia, cum nihil obstat eorum, quæ sunt in materia subiectove, quominus introducatur forma: vt si corpus ægroti medicamentis sit obediens, & ligna, ex quibus fabricanda est nauis, sint præparata, neque oporteat aliquid ab eis demere, veluti ab illis, quæ adhuc sunt rudia, aut etiam in sylua: & lateres, ex quibus conficienda est domus, cocti sint, nec molles adhuc, vt eos durari & decoqui prius oporteat. Vocat autem Aristoteles totam hanc explicationem terminum, seu vt nos vertimus, definitionem, quia ex ea colligi potest definitio eius, quod in potentia proxima, vt ex eo fiat aliquid: id enim ex dictis in proxima potentia esse colligimus, quod vnica mutatione formam illius accipere potest, vt ligna præparata formam nauis, non sylua, minus etiam terra, & ita in cœteris rebus, si pluribus mutationibus opus sit, vt ex illis fiat aliquid nam siue impedimenta, quæ remoueri oportet, sint externa, & ex parte agentis, vt ita dicā, se teneant, siue interna, atq; in materia, quæ sunt formæ contrariæ aut repugnantes introductioni formæ rei faciendæ aut generandæ (in quibus etiam locus contrarius, aut ineptus numerari potest) plures necesse est intercedant mutationes, vt id, quod potentia tale aliquid est, fiat actu tale.

Definitio eius, quod est in potentia proxima.

τοῦτο δυνάμει οἰκία. καὶ c ἐπὶ τῶν ἄλλων ὡσαύτως, ὅσων ἔξωθεν ἡ ἀρχὴ τῆς γενέσεως, καὶ ὅσων d δὴ ἐν αὐτῷ τῷ ἔχοντι ὅσα μηθενὸς τῶν ἔξωθεν ἐμποδίζοντος ἔσται δι' αὑτοῦ: οἷον, τὸ σπέρμα οὔπω, δεῖ γὰρ ἐν ἄλλῳ, καὶ μεταβάλλειν: ὅταν δ' ἤδη διὰ τῆς αὑτοῦ ἀρχῆς ᾖ τοιοῦτον, ἤδη τοῦτο δυνάμει: ἐκεῖνο e δὲ ἑτέρας ἀρχῆς δεῖται, ὥσπερ ἡ γῆ, οὔπω ἀνδριὰς δυνάμει: μεταβάλλουσα γὰρ ἔσται χαλκός.

ἔοικε f δὲ ὃ λέγομεν εἶναι οὐ τόδε, ἀλλ' ἐκείνινον· οἷον τὸ κιβώτιον, οὐ ξύλον, ἀλλὰ ξύλινον, οὐδὲ τὸ ξύλον γῆ, ἀλλὰ γήϊνον. πάλιν ἡ γῆ, εἰ οὕτως μὴ ἄλλο, ἀλλὰ ἐκείνινον, ἀεὶ ἐκεῖνο δυνάμει ἁπλῶς τὸ ὕστερόν ἐστι: οἷον, τὸ κιβώτιον, οὐ γήϊνον, οὐδὲ γῆ, ἀλλὰ ξύλινον, τοῦτο γὰρ δυνάμει κιβώτιον, καὶ ὕλη κιβωτίου αὕτη. ἁπλῶς μὲν τοῦ ἁπλῶς, τουδὶ δὲ τοδὶ

ξύλον

tentia domus: quod idem in aliis accidet, & in c illis omnib. quorum generationis principium externū est & in iis etiam quorū d est in ipso habente, quæ nullo exterius impediente per seipsa erunt: quale nondum est semen, oportet n. in alio esse, mutariq; cum vero iam per suum principium tale aliquid fuerit, iam id potentia erit. At e illud indiget alio principio, hoc pacto se habente terra, quæ nondum est potentia statua mutata enim æs erit.

Id f autem, quod dicimus non illud videtur esse, sed ab illo dici, vt arca non lignum, sed lignea: nec lignum terra, sed terreum. Rursus autem si hoc pacto non sit illud, sed ab illo cognominetur, semper omnino posterius potentia est, vt arca non terrea, nec terra, sed lignea: hoc enim potentia est arca, & arca quidem omnino hæc omnino materia est, huius autem hæc.

Si

Quæ voluntate fiunt, nō dic̃ fieri naturaliter.

c *Et in iis omnibus.*] Nihil aliud significant hæc verba, quam diuersitatem artificialium, & omnino eorum, quæ voluntate fiunt, ab iis, quæ fiunt naturaliter: illa enim dicuntur habere principium effectiuum externum, quia fiunt voluntate, quæ superat conditionem naturalium facultatum: hæc autem internum, quia fiunt virtute formarum naturaliter agentium. Vnde fit, vt naturalia dicantur fieri per se, hoc est, per proprias vires naturæ, artificialia vero & alia voluntaria non per se seu naturæ viribus, sed aliena superiorique quadam facultate.

d *Quorum est in ipso habente.*] Id est, quorum principium effectiuum est in ipsa re naturali veluti immersum, nec ad libertatem causæ voluntariæ quasi eleuatum.

e *At illud indiget.*] De semine loquitur, quod indiget alio principio non solum efficiente, sed etiam materiali: quo pacto frumentum indiget aliqua terrena substantia, ex qua simul fiat herba, vnde tandem aliud frumentum oriatur. Quo eodem modo terra indiget humore aqueo, vt ex ea simul gignatur æs, ex quo tandem fiat statua. Itaque in herba, cum spicam habuerit, erit proxima potentia passiua ad frumentum, quo pacto suo modo in metallo genito est potentia proxima ad statuam.

Quo pacto cōpositū accipiat nomen à materia in qua est potẽtia proxima.

f *Id autem quod dicimus.*] Docet, quo pacto compositum accipiat nomen à materia, atque non accipere illud ab ea, in qua inest potentia remota ad suam formam, sed ab ea, in qua inest proxima; neque id quidem ita, vt dicatur esse illa, (*totum enim non est pars vlla earum ex*

quibus

quibus res ipsa componitur, cum sint res diuersæ) sed vt dicatur ab illa deriuato nomine: quo pacto statua, quæ nec terra nec terrea dicitur, eo quod in terra non sit potentia proxima ad formam statuę, etsi non dicitur æs, quia æs altera pars est totius compositi artificiosi, dicitur tamen ænea deriuato nomine ab ære, quasi ex ære confecta. Hoc autem non est intelligendum de materia transeunte, sed permanente in composito: neque enim in rebus naturalibus genitum denominatur à materia eius, quod corruptum est, sed à materia propria: quo pacto gallinarum pulli non denominantur à materia ouorum albuginei, aut lutei, sed salubris alimenti à materia ipsorum propria. Vnde veteres ij, qui putabant materiam rerum naturalium esse ens aliquod actuale, veluti vnum ex vulgatis elementis, denominabant genitum ab eo, ex quo genitum erat: sic enim ij, qui credebant primam materiam esse ignem, appellabant terram aqueam, & aquam aeream, & aerem igneum, quod priora hæc fierent ex posterioribus permanentibus in compositione.

Id q; à materia in ipso permanente.

Aliquando tamen vsus admittit, vt appellatio fiat à materia proxima transeunte, imo etiam ab ipsis rebus corruptis: quo pacto mista à prædominantibus elementis, quæ veriori sententia in mistione corrumpuntur, appellantur vel terrea, vel aquea, vel lignea. Quin etiam multa cognominari solent à materia remota transeunte, quomodo in scripturis sacris sæpe homo dicitur terrenus, quod è terra primum genitus sit, tandemque in terram vertatur.

Nonnunquam à transeunte proxima. Imo & à remota.

Quod autem ad verba attinet, videntur illustriores interpretes, & alij etiam recentiores, non rectè vertisse nomen ἐκείνινον factum ab Aristotele ex nomine ἐκεῖνο, quod est [*illud*] cum pro eo ponunt, illius modi: neque enim verbum [*illius modi*] significat [*ex illo compositum*] quod significare vult Aristoteles, sed illi simile. Consultius fecisset vetus interpres, qui Græcum nomen retinuit Latinis tantum characteribus expressum, nisi obscurius loqueretur, quam vt à Latinis possit intelligi. Ac quidem, si ex verbo [*hoc*] tale non fingendum esset, vtcunque forsitan tolerari posset [*Hocceum*] sed cum ex verbo [*illud*] hac transformatione fingendum esset [*illudeum*] quod Latinæ aures non ferunt, satius fuit periphrasi vti, vt ἐκείνινον idem valeat, atque ab illo dictum, seu deriuatum. Sensus ergo loci est, Id autem, quod dicimus, nempe fieri ex illo vt materia non videtur esse illud, ex quo ita fiat, sed nominis quadam transformatione ab illo appellari: quod in commune quidem simplici verbo non potest Latine dici, in particularibus autem facile exprimitur, vt cum arca dicitur non lignum, sed lignea, & lignum non terra, sed terreum, si in eo ex omnibus elementis principatum teneat, & quasi dominetur terra: semperque omnino cognominatio fiet à materia proxima, siue in qua est proxima potentia.

ξύλον. εἰ δὲ g τι ἐστὶ τὸ πρῶτον, ὃ μηκέτι κατ' ἄλλο λέγεται ἐκείνινον, τοῦτο πρώτη ὕλη: οἷον εἰ ἡ γῆ ἀερίνη, ὁ δ' ἀὴρ μὴ πῦρ, ἀλλὰ πύρινος, τὸ πῦρ ὕλη πρώτη, ὡς τόδε τι, καὶ οὐσία.

τὸ πῦ

Si quid g autem primum est, quod non vlterius ex alio cognominetur, illud sane prima materia est: vt si terra aerea sit, aer autem non sit ignis, sed igneus, ignis vtiq; erit prima materia, & hoc aliquid, & substantia.

Hoc

g *Si quid autem primum est.*] Tradit ex dictis huiusmodi regulam ad inueniendam primam materiam, quæ in omni proxima includitur. Si qua est materia, quæ non cognominetur ex alia, ex qua constet, ea erit prima materia: hoc pacto erit ignis prima materia, si quemadmodum subtilissimum elementum est, ita ex alia subtiliori re simpliciorive haud constet: quod credebat Heraclitus, qui propterea ignem primum principium esse dicebat. Quo loco aduertendum, etsi dictiones illæ κατ' ἄλλο, hoc est, ad verbum, secundum aliud, seu per aliud, sæpius accommodentur cognominationibus, quæ à formis dicuntur: qui tamen hoc loco vsurpatur ad significandam solam cognominationem ex materia, idcirco Latine dicimus [*ex alio*] in fine autem capitis, quia eo loco ad vtramque cognominationem significandam vsurpantur, communiori locutione vsi sumus, cum vertimus, & à materia & ab affectionibus denominatiuum deduci.

Regula ad inueniendum, quæ sit in quauis re materia prima.

Non sunt autem ea, quæ hic dicuntur, sic intelligenda, quasi materiæ propinquiores sint compositæ ex prima materia & aliis formis præcedentibus (*vnica enim forma est in quauis re naturali, vt patet ex iis, quæ libro 7. diximus*) sed compositio materiæ cuiuslibet propinquioris ex prima materia referri debet ad eas dispositiones accidentarias, quæ præcedentibus formis accommodatæ sunt, quarum dispositionum ratione eadem materia prima eo est propinquior aut remotior, quo per eas magis aut minus accedit ad eum statum, quem vltima forma requirit. Dicitur autem hoc loco prima materia substantia & hoc aliquid, hoc est, actualis substātia, & quæ

Ad cap. 10. Quo sensu materia propinqua dicatur composita ex remotiore.

& quæ sibi sufficiens est ad existendum per se, non ex Arist. sententia, qui alibi vtrumq; negat, eo quod re vera sit pura potentia & per se existere nō possit, sed ex veterum opinione, qui illam ens actuale, non puram potentiam esse existimabant.

Vt lib. 7. c. 3. tex. 8.

τούτῳ h γὰρ διαφέρει τὸ καθόλου, καὶ τὸ ὑποκείμενον, τῷ εἶναι καὶ τόδε τι, ἢ μὴ εἶναι: οἷον, τοῖς πάθεσι τὸ ὑποκείμενον ἄνθρωπος, καὶ σῶμα, καὶ ψυχή, πάθος δὲ τὸ μουσικόν, καὶ λευκόν. λέγεται i δὲ τῆς μουσικῆς ἐγγενομένης ἐκεῖνο οὐ μουσική, ἀλλὰ μουσικόν: καὶ οὐ λευκότης ὁ ἄνθρωπος, ἀλλὰ λευκόν: οὐ δὲ βάδισις, ἢ κίνησις, ἀλλὰ βαδίζον, ἢ κινούμενον, ὡς τὸ ἐκείνινον. ὅσα l μὲν οὖν οὕτω, τὸ ἔσχατον οὐσία: ὅσα δὲ μὴ οὕτω, ἀλλ' εἶδός τι, καὶ τόδε τι τὸ κατηγορούμενον, τὸ ἔσχατον ὕλη, καὶ οὐσία ὑλική, καὶ ὀρθῶς m δὴ συμβαίνει τὸ ἐκείνινον λέγεσθαι κατὰ τὴν ὕλην καὶ τὰ πάθη, ἄμφω γὰρ ἀόριστα. πότε μὲν οὖν λεκτέον δυνάμει, καὶ πότε οὔ, εἴρηται.

Hoc h enim interest inter id, quod vniuersale est, & quod subiectum, quod alterum hoc aliquid est, alterum non item: quo pacto id, quod est affectibus subiectum, homo est, & corpus, & anima: at affectio Musicum, & album. Dicitur i autem illud, cum ei Musica inest, non Musica, sed Musicum: & homo non albedo, sed album: nec ambulatio, aut motus, sed ambulans, & id quod mouetur, vt denominatum. Quæ l igitur hoc modo dicuntur, in iis vltimum substantia est: quæ vero non hoc modo, sed species quædã, & hoc aliquid est, quod prædicatur, id quod est extremum, materia est, materialisq; substantia. Recteq; m accidit, vt denominatiuum & à materia, & ab affectionibus dicatur: vtraq; enim indefinita sunt. Quando igitur aliquid dicendum sit potentia esse, & quando non, hactenus dictum est.

Discrimen inter vniuersale formar. subiectum, & vniuersale prædicatum.

h *Hoc enim interest.*] Quoniam videbatur fecisse materiam primam vniuersale quippiam, cum dixit eam dici de omnibus rebus, quæ ex illa constarent: ponit discrimen inter vniuersale subiectum formarum (accidentalium intellige, quas solas veteres cognoscebant) & vniuersale prædicatum, quod illud sit substantia, qua sustinentur eiusmodi formæ, hoc autem non substantia, sed affectio aliqua, accidentariumve attributum iuxta eorundem sententiam: nam cum genera omnia & species, ex quibus prædicamenta conficiuntur, à forma aliqua sumantur (*forma enim est, quæ distinguit*) si formæ omnes accidentia sunt, necesse est vt omnia vniuersalia, quæ in prædicamentis ponuntur, sint accidentia, solumque primum eorum subiectum sit substantia.

Aliud discrimen quoad denominationes ex iis ortas.

Vt 2. Top. c. 2

i *Dicitur autem & illud.*] Confert iterum vniuersale subiectum, seu primam materiam, cum vniuersali prædicato accidentario in eo, quod vtrunq; denominat substantiam compositam, in qua reperitur, vt enim aer iuxta Heracliti sententiam non dicitur ignis, sed igneus, sic homo non dicitur musica, sed musicum quid. & ita in cœteris. Est autem magnum discrimen inter has cognominationes, seu denominationes, quod denominatio ex materia, non est vera denominatio, cum materia pertineat ad essentiam compositi: quemadmodum & denominatio ex forma, si ea quoq; in essentia compositi contineatur quo pacto prædicatio denominatiua formæ rationalis de homine, & musicę de toto hoc, q est homo musicus nō est vere denominatiua, sed essentialis: distinguuntur enim ab Arist. multis in locis denominatiuæ prædicationes ab essentialibus: at denominatio ex accidentibus, & omnino ex iis, quæ nō pertinent ad essentiam rerũ denominatarum, est vera & propria denominatio. Itaque prior est deriuatio quædam nominis puraque cognominatio, posterior vero proprie & simpliciter dicta denominatio.

Ad quod subiectum resoluantur prædicamenta accidentaria, ad quod substantialia.

1. phys. c. 9. tex. 81.

Tex. 13.

l *Quæ igitur hoc modo.*] Confert prædicata accidentaria cum substantialib. in eo, quod accidentaria resoluantur ad subiectum actuale ac per se ipsum subsistens, à quo sustinentur: substantialia vero (*quas more Platonico vocat species, & hoc aliquid*) resoluantur ad materiam primam: quam vocat materialem substantiam, vt eam distinguat à forma substantiali, quam alibi diuinum quiddam appellat. Nam iuxta veram Philosophorum sententiam, non illam veterum naturalium, vltimum omnino subiectũ, quod est materia prima, cum per se non habeat subsistentiam, non potest illam dare accidentibus: quod fit, vt accidentia indigeant subiecto aliquo per se subsistente, hoc est, quod possit per se ac separatim existere: sic enim hoc loco accipimus subsistentiam, qualem habent solæ substantiæ completæ & anima rationalis: at substantialia prædicata resolui debeant ad materiam primam, quia substantiarum primarum compositio in rebus naturalibus, cum ab ea incipiat generationis ordine, ad eam vltimo resoluenda est.

Cur substantia composita & à materia & ab accidẽt denominetur.

m *Recteq; accidit.*] Reddit rationem, cur substantia composita ab vtrisq; denominetur & à materia & ab accidentibus, tametsi (*vt diximus*) diuersa admodum denominationis forma: ratio vero est, quia vtraque sunt indefinita & indeterminata, cum per se ipsa subsistere non possint, sed per ipsam compositam substantiam, in qua sunt, quemadmodum & accidẽtia subiectorum simplicium siue immaterialium per ipsa eorum subiecta, semper enim id, pro quo talia denominatiua sumuntur, se habet vt præcipuum quid & per se subsistens.

CAP.

ΚΕΦ. η.

Ἐπεὶ a δὲ τὸ πρότερον διώρισται ὁσαχῶς λέγεται, φανερὸν ὅτι πρότερον ἐνέργεια δυνάμεώς ἐστι. λέγω δὲ δυνάμεως, οὐ μόνον τῆς ὡρισμένης, ἣ λέγεται ἀρχὴ μεταβλητικὴ ἐν ἄλλῳ ᾗ ἄλλο, ἀλλ' ὅλως πάσης ἀρχῆς κινητικῆς ἢ στατικῆς. καὶ γὰρ ἡ φύσις ἐν ταὐτῷ γίγνεται, ἐν τῷ αὐτῷ γὰρ γένει τῇ δυνάμει, ἀρχὴ γὰρ κινητική, ἀλλ' οὐκ ἐν ἄλλῳ, ἀλλ' ἐν αὐτῷ ᾗ αὐτό. πάσης b δὴ τῆς τοιαύτης προτέρα ἐστὶν ἡ ἐνέργεια, καὶ λόγῳ, καὶ τῇ οὐσίᾳ· χρόνῳ δ' ἔστι μὲν ὥς, ἔστι δ' ὡς οὔ.

Τῷ c λόγῳ μὲν οὖν ὅτι προτέρα, δῆλον. τῷ γὰρ ἐνδέχεσθαι ἐνεργῆσαι δυνατόν, ἐστι τὸ πρώτως δυνατόν: οἷον λέγω οἰκοδομικόν, τὸ δυνάμενον οἰκοδομεῖν: καὶ ὁρατικόν, τὸ δυνάμενον ὁρᾶν, καὶ ὁρατόν, τὸ δυνατὸν ὁρᾶσθαι. ὁ δ' αὐτὸς λόγος καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων: ὥστε ἀνάγκη τὸν λόγον προϋπάρχειν, καὶ τὴν γνῶσιν τῆς γνώσεως.

Τῷ δὲ d χρόνῳ πρότερον ὧδε, τὸ τῷ εἴδει τὸ αὐτὸ ἐνεργοῦν πρότερον, ἀριθμῷ δ' οὔ. λέγω δὲ τοῦτο, ὅτι τοῦδε μὲν τοῦ ἀνθρώπου τοῦ ἤδη ὄντος κατ' ἐνέργειαν, καὶ τοῦ σίτου, καὶ τοῦ ὁρῶντος, πρότερον τῷ χρόνῳ ἡ ὕλη, καὶ τὸ σπέρμα, καὶ τὸ ὁρατικόν, ἃ δυνάμει μὲν ἐστιν ἄνθρωπος, καὶ σῖτος, καὶ ὁρῶν, ἐνεργείᾳ δ' οὔπω. ἀλλὰ τούτων τῷ χρόνῳ πρότερα ἕτερα ὄντα ἐνεργείᾳ, ἐξ ὧν ταῦτα ἐγένετο. ἀεὶ γὰρ ἐκ τοῦ δυνάμει ὄντος, γίγνεται τὸ ἐνεργείᾳ, ὂν, ὑπὸ ἐνεργείᾳ ὄντος. οἷον ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπου, μουσικὸς, ὑπὸ μουσικοῦ, ἀεὶ κινοῦντός τινος πρώτου: τὸ δὲ κινοῦν ἐνεργείᾳ ἤδη ἐστίν.

εἴρη-

CAP. VIII.

Quoniam a vero quot modis dicatur id, quod est prius, explicatum est; constat vtique actum potentia priorem esse, potentia, inquam, non solum ea, qua definita est, quaque dicitur principium mutationis efficienda in alio, aut quatenus aliud est, sed omni omnino principio mutationis, aut stabilitatis effectiuo. Etenim natura in eodem est genere, in quo est potentia, cum sit principium mutationis efficiendæ, tametsi non in alio, sed in ipso, quatenus ipsum est. Itaque b omni huiusmodi potentia prior est actus & ratione, & substantia, tempore autem partim est prior, partim non est.

Ac c ratione quidem priorem esse perspicuum est. Ex eo enim, quod possibile in actu esse potest, est primo possibile: sic dico ædificatiuum, quod ædificare potest: visiuum, quod videre potest; & visibile, quod potest videri: atque eadem est ratio in cæteris. Tempore d autem prius est aliquid hoc pacto. Quod specie idem est, prius est actu, quod autem numero, non item. Exempli causa, hoc homine, qui iam est actu, & frumento, & vidente prius sunt tempore materia, & semen, & quod videndi facultatem habet, quæ potentia quidem sunt homo, frumentum, & videns; actu vero nondum: verum his priora sunt alia, quæ sunt actu, ex quibus hæc facta sunt. Semper enim ex eo, quod potentia est, id fit, quod actu est ab eo quod est actu: vt homo ab homine, Musicus à Musico, semper mouente primo aliquo: id vero, quod mouet, iam actu est.

Dictum

CAPITIS OCTAVI EXPLANATIO.

Q*Voniam a vero.*] Cum hactenus egisset de potentia & actu, reliquam libri partem in conferendo actu cum potentia consumit. Ac primum hoc cap. docet ex iis, quæ lib. 5. cap. 11. explicata sunt, cõstare (siquis tamen ea consideret) actum simpliciter & absolute esse priorem potentia, nec solum effectiua motus in alio, aut quatenus aliud est, quam initio huius libri definiuit, seu potius ex quinto definitionem repetiuit, sed etiam quouis alio modo actiua aut passiua seu motus, seu quietis, ac stabilitatis, id quod addit; vt non solum potentias omnes proprie dictas complectatur, sed etiam naturam ipsam, quæ in rebus naturalibus fons est & origo potentiarum omnium, quibus illæ præditæ sunt. Est enim natura verissime principium mutationis & quietis, atque adeo primum, vt ex definitione ipsius patet, cum interim, quatenus natura est, sit principium mutationis, aut quietis non alio, sed in eo ipso, in quo est, idque vel actiuum, vt in viuentibus, vel certe passiuum, vt in aliis rebus, quod ad cap. 4. lib. 5. fuse explicauimus. Quocirca, cum natura hoc loco dicitur esse in eodem genere cum potentia, improprie nomen generis accipiendum est, quatenus quandam analogicam communionem significat, quam natura, quæ substantia est, habet cum proprie dictis potentiis seu facultatibus & actiuis & passiuis. *Tex. 16. in fi.* *Nomine potentiæ hoc loco etiam naturam comprehendi.* *2. phys. c. 1. text. 3.* *q. 2.*

b *Itaque omni huiusmodi.*] Exponit quot, quibusque modis sit actus prior potentia: atque ratione quidem priorem omnino esse, itemque substantia, tempore autem modo quodam esse priorẽ, modo alio posteriorem. Ex quibus pronuntiatis primum ac tertium expedit hoc cap. secũdum autem, quia maioris est operæ, differt in caput sequens. *Tria pronunciata.*

c *Ratione quidem.*] Probat primum pronuntiatum, nempe actum esse ratione seu definitione priorem potentia, quia potentia non nisi per actum definiri potest, quod patet in contextu, tametsi supplendum est [cum interim actus non necessario definiatur per potentiam:] sic videmus in secundo Physicorum naturam definitam esse per motum, nec tamen motum in tertio definitum esse per naturam, itemque in hoc ipso libro 9. potentiam actiuam in commune *Actum esse definitione priorem potentia.* *Cap. 1. tex. 4.* *C. 1. tex. 9.* *c. 2. tex. 8.* *Et c. 2. tex. 16.* *Cap. 1. tex. 22.*

definitam esse per actum, postea vero actum non esse definitum per potentiam, sed, cum sit ex primis rerum conceptibus obiectiuis, explicatum esse inductione quadam per actus speciales.

Cap 6. Quod si aliquando actus specialis per potentiam definitur, ea definitio non est à priori, vt vocant, sed à posteriori, & descriptio potius, quam definitio Hoc loco (quem correximus sublato articulo τὸ, & commutatis duabus primis dictionibus, vt dicatur τῷ γὰρ. &c. aduertendum est verba illa [*primo possibile*] nihil aliud significare, quam possibile secundum propriam & germanam rationem, siue definitionem possibilis. Illud etiam aduertendum ἐνεργῆσαι quod nos vertimus [*in actu esse*] minus considerate, à quibusdam interpretibus restringi ad operationē, quasi definitio possibilis sit id quod operari potest: nam etsi sæpe τὸ ἐνεργῆσαι idem sit atque operari, hoc tamen loco latissime sumendum est, quemadmodum & possibile, eo nimirum sensu quo significat, quocunque modo esse in actu, siue per existentiam, siue per operationem, seu actiue illa sumatur seu passiue, atque adeo per quamcumque formam perfectionemve.

Actum in diuersis rebus eiusdem speciei esse tempore priorem potentia in ead. numero posteriorem. d *Tempore autem prius.*] Probat tertium pronuntiatum ex eo, quod in diuersis rebus eiusdem speciei prior tempore est actus, quam potentia: In eadem autem re numero prior tempore est potentia, quam actu vt homo potentia, quam homo actu, frumentum potentia quam frumentum actu, videns potentia quam videns actu. Quoniam vero nihil reducitur è potentia ad actū nisi ab aliquo agente, quod est actu (*quod & inductione ostendit, & ex iis, quæ tradiderat lib. 7.*) necessario efficitur, vt in diuersis rebus, quæ eiusdem speciei sunt, semper aliquid, quod sit actu, præcedat id quod est potentia. Quod potiori ratione accidit in iis, quæ sunt diuersæ speciei: oportet enim tunc, vt agens sit actu nobiliori modo seu per formam nobiliorem, id enim, quod ignobilius est & minus perfectum, non potest inducere formam perfectiorem, quam sit ea, per quam agit, quod est luce clarius. Recte autem ait Auicenna iccirco in quolibet re, quæ ex potentia ad actum perduci potest, priorem tempore esse potentiam quam actum, quia res quælibet huiusmodi ex se habet potentiam ad eiusmodi actum (*alioquin ad illum perduci non posset*) actum autem, quem ex se non habet ab alio recipiat atque expectet necesse est.

C.7. à tex. 22 Priorem esse in rebus diuersarum posteriorum.

εἴρηται δ' ἐν τοῖς περὶ τῆς οὐσίας λόγοις, ὅτι ἅπαν τὸ γινόμενον, γίνεται ἔκ τινός τι, καὶ ὑπό τινος, καὶ τοῦτο τῷ εἴδει τὸ αὐτό. διὸ καὶ δοκεῖ ἀδύνατον εἶναι οἰκοδόμον εἶναι, μὴ οἰκοδομήσαντα μηδὲν, ἢ κιθαριστὴν μηδὲν κιθαρίσαντα: ὁ γὰρ μανθάνων κιθαρίζειν, κιθαρίζων μανθάνει κιθαρίζειν: ὁμοίως καὶ οἱ ἄλλοι.

Dictum est autem in disputatione de substantia, quicquid fit, & ex aliquo, & ab aliquo, atque eo, quod idem specie sit, fieri. Quocirca e *videtur fieri non posse, vt aliquis ædificator sit, qui nihil ædificauerit, aut sit cytharædus, qui cithara nunquam sit vsus, qui enim citharam pulsare discit, pulsando pulsandi artem capessit, eodemq; modo alii.*

ὅθεν ὁ σοφιστικὸς ἔλεγχος ἐγίνετο, ὅτι οὐκ ἔχων τις τὴν ἐπιστήμην, ποιήσει οὗ ἡ ἐπιστήμη: ὁ γὰρ μανθάνων οὐκ ἔχει. ἀλλὰ διὰ τὸ τοῦ γινομένου γεγενῆσθαί τι, καὶ τοῦ ὅλως κινουμένου κεκινῆσθαί τι (δῆλον δ' ἐν τοῖς περὶ κινήσεως τοῦτο) καὶ τὸν μανθάνοντα ἀνάγκη ἔχειν τι τῆς ἐπιστήμης ἴσως. ἀλλ' οὖν καὶ ταύτῃ γε δῆλον, ὅτι ἡ ἐνέργεια καὶ οὕτως προτέρα τῆς δυνάμεως, κατὰ γένεσιν καὶ χρόνον.

f *Hinc illa Sophistarum captio nascebatur, aliquem, qui scientia præditus non esset, id effecturū, cuius esset scientia: qui enim discit, non habet. Verum quia eius, quod fit, aliquid factum est: & eius omnino, quod mouetur, aliquid motum est: (quod in libris de motu perspicuum est) eum etiam, qui discit, aliquid fortasse habere scientia necesse est. Atq; hac ratione patet actum hoc quoque modo priorem esse potentia generatione, ac tempore.*

Tex. 14. Occurritur obiectioni. e *Quocirca videtur.*] Cum superius dictum sit, quasdam potentias exercitatione acquiri, vt facultatem ædificandi ædificando, & citharam pulsandi pulsando, ex iis autem, quæ proxime dixerat, colligi videatur contrarium, cum dictum sit semper potētiam in eadem re numero tempore actum præcedere: hæc ita conciliat, vt dicat nihil obstare, quo minus actus imperfectus, cuiusmodi est, actus exercendi artem, quam quis nondum perdidicit, præcedat tempore potentiam perfectam, qualis est habitus ipse artis perfectæ, seu potentia, in qua est habitus, cum assecuta est artis perfectionem. Vnde colligitur id, quod dictum est semper in eadem re numero potentiam esse priorem actu, de potentia perfecta, & actu perfecto intelligendum esse.

Sophistarum captio. f *Hinc illa sophistarum.*] Hæc captio, quæ ex Menone Platonis elicitur, sic extrui potest. Qui discit artem, facit opus artis, vt qui ædificando discit artem ædificandi, & citharam pulsando pulsandi, at is, qui discit artē, non habet artē (*alioquin non eam disceret*) ergo qui non habet artem

artem facit opus artis, cuius oppositum Sophista initio ponebat ex confessione respondentis, vtpote neminem sine arte posse facere opus artis. Solutio vero ex dictis patet, opus enim perfectum artis non fit nisi ab eo, qui perfecte iam tenet artis habitum, at opus imperfectum ab eo etiam effici potest, qui artem nondum habet saltem perfecte, qualis est is qui artem discit, neque enim artem habet, nisi imperfectam, & inchoatam. Habere autem iam aliquid artis consentaneum est iis, quæ in Physicorum libris tradita sunt, dictum est enim lib. 6. eius operis, quicquid fit, dum fit, iam antea aliqua ex parte factum fuisse & quicquid mouetur, dum mouetur, iam ante aliqua ex parte motum fuisse, quod nihil est aliud, quam eius formæ, quæ per generationem temporariã motumve acquiritur, aliquid iam acquisitum esse in medio cursu; omnis enim eiusmodi generatio motusque, quantumvis breuis sit mutatio, diuidi potest, in qualibet autem parte transacta aliquid formæ acquisitum est eo modo, quo illa paulatim acquiri dicitur. At artes motu quodam acquiruntur, quod longa doctrina aut exercitatione indigeant, per quamlibet autem exercitationem pars aliqua aut dispositio artis acquiritur. Addit autem (fortasse) quia acquisitio artis non est omnino continua, cum fiat per plures actus minime continuatos inter se, & quorum aliqui in alios actus diuidi aliquando non possunt.

Tex. 15. In. Dissolutio.

Dum quis discit artem, aliquid artis habere. Cap. 6.

g *Hoc quoque modo priorem.*] Hoc est, etiam in eadem re numero aliquando actum esse generatione ac tempore priorem potentia, hoc enim etsi absolute negatum erat, concedi tamen potest, si imperfectus actus cum perfecta potentia conferatur.

Etiam in eadem re numero aliquando actum esse priorem tempore potentia.

ΚΕΦ. Θ.

Ἀλλὰ a μὴν καὶ οὐσίᾳ γε. πρότερον μὲν δεῖ, ὅτι τὰ τῇ γενέσει ὕστερα, τῷ εἴδει καὶ τῇ οὐσίᾳ πρότερα, οἷον, ἀνὴρ παιδὸς, καὶ ἄνθρωπος σπέρματος: τὸ μὲν γὰρ ἤδη ἔχει τὸ εἶδος, τὸ δ' οὔ. καὶ b ὅτι ἅπαν ἐπ' ἀρχὴν βαδίζει τὸ γινόμενον, καὶ τέλος, ἀρχὴ γὰρ τὸ οὗ ἕνεκα, τοῦ τέλους δὲ ἕνεκα ἡ γένεσις, τέλος δ' ἡ ἐνέργεια, καὶ τούτου χάριν ἡ δύναμις λαμβάνεται. οὐ γὰρ ἵνα ὄψιν ἔχωσιν ὁρῶσι τὰ c ζῷα, ἀλλ' ὅπως ὁρῶσιν ὄψιν ἔχουσιν: ὁμοίως δὲ καὶ οἰκοδομικὴν, ἵνα οἰκοδομῶσι, καὶ τὴν θεωρητικὴν, ἵνα θεωρῶσιν, ἀλλ' οὐ θεωροῦσιν, ἵνα θεωρητικὴν ἔχωσιν: εἰ μὲν οἱ μελετῶντες: οὗτοι δὲ οὐχὶ θεωροῦσιν, ἀλλ' ἢ ὡδὶ, ἢ ὅτι οὐδὲν δέονται θεωρεῖν.

ἔτι-

CAPVT IX.

SED a & substantia prior est. Primum quidem, quia quæ generatione posteriora sunt, specie, & substantia sunt priora, vt vir puero, & homo semine: alterum enim iam habet speciem, alterum non habet. Deinde, b quia quicquid fit, ad principium, finemque contendit, id enim cuius gratia, principium est: generatio autem ipsius finis gratia est; finis vero actus est, & huius gratia potentia suscipitur. Neque c enim animalia vident, vt videndi potentiam habeant; sed vt videant, potentiam habent: sed vt videant, potentiam habent videndi: eodemque modo, vt ædificent, ædificandi facultatem habent homines, & vt contemplentur, contemplandi facultatem, non vt facultatem contemplandi habeant, contemplantur, nisi qui exercentur. Hi vero non contemplantur: sed vel hoc modo, vel quia contemplatione non indigent.

Pri-

CAPITIS NONI EXPLANATIO.

SEd a & *substantia.*] Probat secundum illud pronuntiatum, quod superiori c. constitutum est, actum videlicet esse substantia priorem potentia, idque primum ex rebus iis, quæ aliquando potentia sunt, aliquando actu, deinde ex sempiternis. Quoniam vero esse prius substantia vt hoc loco intelligitur, est esse prius perfectione duabus rationibus, quarum prior ex forma generabilium ducitur, posterior ex earum fine rem conficit. Prior est, quia semper ea, quæ generatione posteriora sunt, specie siue substantia sunt priora, vt vir puero, & homo semine, ex quo genitus est, semper enim generatio ab imperfecto statu rei, quæ generatur, ad perfectum eiusdem statum progreditur, contra accidit in corruptione: at omnis generatio progreditur à potentia ad actum, cum in eadem re numero prior tempore sit esse potentia, quam esse actu, vt dictum est superiori c. Est igitur actus substantia seu perfectione prior, quam potentia. Loquitur autem Arist. de generatione non modo substantiali, cuiusmodi est generatio hominis ex semine, sed etiam accidentaria, qualis est viri ex puero: vtraque enim tendit ab imperfecto statu rei ad perfectum statum eiusdem: homo enim, dum est in semine, nondum habet formam hominis, neque est in specie humana, nisi per materiam, vt autem est in se, vtrumque habet: eodemque Socrates puer imperfectæ adhuc ætatis est, vir autem factus perfectæ. Accidentaria vero mutatio, qua res ad aliquid imperfectius progreditur, vt cum ex viro fit senex non generatio sed corruptio censetur.

Actum esse substantia priorem potentia. Ratio ducta ex forma generabilium.

b Dein-

b *Deinde quia quicquid fit.*]

Alia ducta ex eorũ fine. Posterior ratio est, quia quicquid fit, ad id tendit, quod principii & finis rationem habet, finis enim, & id cuius gratia aliquid fit, idem sunt: id autem, cuius gratia sit aliquid, principium est, hoc est, primum in intentione agentis, ac proinde præcipuum, cum ad illud totus ipse generationis progressus dirigatur: cum igitur actus sit finis potentiæ, vtpote propter quem natura rebus potentias indidit naturales, ipsæque rationales quæruntur, necessario efficitur actum esse perfectiorem potentia.

Et naturales potent. indi à natura, & rational. acquiri propter actus. Aliquos tamen actus esse propter potent. Initio c. 5. & ad fin. 8. Quo modo hoc admittendum.

c *Neq; enim animalia*] Non naturales modo potentias, sed rationales etiam propter actus vel inditas esse à natura, vel ab hominibus acquiri, inductione ostendit. Fatetur nihilominus actus aliquos esse propter quasdam potentias acquisitas, nempe propter scientias & artes, quæ nonnisi exercitatione acquiruntur, vt supra dixerat: verum ait eiusmodi actus imperfectos esse contemplatio enim eorum, qui nondum scientiam aliquam contemplatiuam perfecte assecuti sunt, non est dicenda simpliciter contemplatio, sed vel hoc modo, hoc est, imperfecta & inchoata, vel, si aliquando perfecta est, vt in Mathematicis sæpe accidit, non est iam contemplatio indigentium exercitatione ad acquirendum contemplandi habitum, sed est contemplatio libera, & quæ non dirigitur ad habitum acquirendum, sed ipsa ex se quasi ex accidente relinquit habitum acquisitum. Dici quoque posset eum, qui quemlibet actum exercet, vt habitum comparet, etsi propter habitum illum exerceat, non propter illum tamen simpliciter & absolute id facere, sed propter actus perfectiores, qui ex habitu acquisito oriuntur, quod recte annotauit Albertus.

ἔτι d ἡ ὕλη ἔστι δυνάμει, ὅτι ἔλθοι ἂν εἰς τὸ εἶδος· ὅταν δέ γε ἐνεργείᾳ ᾖ, τότε ἐν τῷ εἴδει ἐστίν· ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων, καὶ ὧν κίνησις τὸ τέλος. διὸ e ὥσπερ οἱ διδάσκοντες ἐνεργοῦντα ἐπιδείξαντες, οἴονται τὸ τέλος ἀποδεδωκέναι, καὶ ἡ φύσις ὁμοίως. εἰ γὰρ μὴ οὕτω γίγνεται). ὁ Παύσωνος ἑρμῆς ἔσται· ἄδηλος γὰρ ἡ ἐπιστήμη εἰ ἔσω ἢ ἔξω, ὥσπερ κἀκεῖνος. τὸ f γὰρ ἔργον, τέλος· ἡ δὲ ἐνέργεια, τὸ ἔργον, διὸ καὶ τοὔνομα λέγεται ἐνέργεια κατὰ τὸ ἔργον, καὶ συντείνει πρὸς τὴν ἐντελέχειαν.

ἐπὶ

Præterea d *materia potentia est, quia ad formam venire potest: quando vero est actu, tunc est in forma: eodemq; modo res habet in cæteris, eorum etiam, quorum motus est finis. Quo* e *fit, vt quemadmodum præceptores cum discipulum agentem exhibuerunt, finem se præstitisse existimant: sic & natura se habet. Quod si non ita fiat, Pausonis Mercurius eueniet: erit enim incertum, intus ne, an extra sit scientia, quemadmodum & ille. Opus* f *enim finis est, actus autem est opus: quocirca & actus nomine ipso dicitur ab opere, atq; ad formam extenditur.*

Cum

d *Præterea materia.*]

Etiam potẽt. passiuas esse propter actus. Lib. 2. c. 5. à tex. 21. Text. 16.

Quoniam omnia allata exempla ad potentias modo aliquo actiuas pertinebant (*sensus enim etsi passiuæ facultates sunt, vt in libris de Anima tradit Aristoteles sunt tamen etiam actiuæ*) affert alia ex iis potentiis, quæ sunt omnino passiuæ, vtpote quæ in sola receptione consistunt. In quarum numero est potentia materiæ ad recipiendas omnes formas, quarum est capax, primumque substantialem, deinde alias quibus ipsa composita ex materia & forma sua quæq; accidentia recipiunt, postremo alias, quæ sunt in formis ipsis, si sunt per se subsistentes, vt in anima rationis participe, quibus multi habitus aduenire possunt. Ait ergo materiam primam esse propter formam substantialem tanquam propter id, per quod ad actum perducitur, cum enim materia primum est actu, tum primum est in forma substantiali: & vice versa, cum primum est in substantiali forma, hoc est, cum primum ab ea continetur & quasi figuratur, tum primum est actu tam essentiæ nempe, tanquam essentialis pars alicuius rei naturalis, quam existentiæ, cum naturaliter sine forma existere non possit, tunc vero est in actu dispositiuo ad aliam formam cum accidentibus ad illam disponentibus afficitur. Eodemque modo res habet in aliis subiectis, vt in toto composito, & in formis, quæ per se habent existentiam, in iis enim omnibus, etiam in iis, quorum finis est motus, siue proprie dictus, vt est motus cœlorum, siue improprie, vt est adeptio scientiarum in anima, semper potentiæ omnino passiuæ, siue receptiuæ, diriguntur ad actus, & sunt propter actus, non actus propter potentias, quod tamen vltimum non probat Arist. quia cum ostensum esset actus non esse propter potentias actiuas, quæ sunt nobiliores, potiori ratione constat non esse propter passiuas. Ait autem Aristoteles: [etiam in iis, quæ sunt propter motum] quia potentia passiua materiæ rerum, quæ gignuntur & intereunt, quæ primo quasi gradu passiua est, non tam est propter motum, quam propter generationem.

e *Quo fit vt.*] Probat à signo potentiam esse propter actum, quia tunc præceptores finem

docen-

docendi faciunt, cum discipulum exhibent operantem ea, quæ sunt eius artis, quam ipsi profitentur: in eo enim plane & citra dubium ostendunt, se potentiam actiuam habere docendi, & discipulum passiuam discendi: alioquin incertum erit, an ipsi scientia vera sint præditi, intusque illam in animo habeant, an vero extra, hoc est, scientia sint destituti, aut certe, an discipuli sint apti, ineptiue omnino ad scientiam capessendam. Id quod Arist. ostendere videtur similitudine picturæ Pausonis cuiusdam parum periti aut diligentis pictoris, cuius ipse meminit & in 8. de Rep. & in lib. Poeticæ: non similitudine sculpturæ, vt putat Alexander: tametsi forsitan Pauso sculptor etiam erat. Nam cum ille parum elaboratam Mercurii effigiem depinxisset, primusque fortasse cogitasset artem contegendi picturam vitro, vt figura perfectius depicta videretur: qui primi illam aspexerunt, dubitabant, intusne an in superficie vitri depicta esset imago. Quod autem ad verba attinet, pro [*Pausonis*] omnes Græci codices, quos viderim, habent [*Passonis*] quod non est ad rem vetus interpres (*nisi librariorum sit mendum*) legit [*Praxonas*] quod ansam dedit expositoribus quibusdam ad incerta quædam diuertendi. Veram lectionem assecutus est Syrletus Cardinalis ex codice vetusto: quam etiam sequitur Fridericus Silburgius in variis lectionibus, quas in opera Arist. nuper edidit. *Cap. 7. Cap. 7. Pausonis Mercurius.*

f *Opus enim finis.* Monstrat, merito actum ostendere potentiam, eamque certam & illustrem reddere, cum actus cuiusque potentiæ sit eius opus, & opus sit finis, ac proinde perfectio potentiæ. Vnde colligit, actum apud Græcos recte nominatum fuisse ab opere, siue operatione; ἐνέργεια enim ἀπὸ τοῦ ἔργου dicitur quasi ἐν ἔργῳ consistens: indeque ad formam, quæ principium operationis est, siue proximum, siue primum ac remotum, extenditur, vt superius quoque cum ipso authore diximus. *Actum esse finem & perfectionem potentiæ.*

ἔτι δ' g ἐστι τῶν μὲν ἔσχατον ἡ χρῆσις, οἷον ὄψεως ἡ ὅρασις, καὶ οὐδὲν γίγνεται παρὰ ταύτην ἕτερον ἀπὸ τῆς ὄψεως ἔργον: ἀπ' ἐνίων δὲ γίνεταί τι, οἷον ἀπὸ τῆς οἰκοδομικῆς οἰκία παρὰ τὴν οἰκοδόμησιν: ὅμως οὐδὲν ἧττον, ἔνθα μὲν τέλος, ἔνθα δὲ μᾶλλον τέλος τῆς δυνάμεώς ἐστιν. ἡ γὰρ οἰκοδόμησις ἐν τῷ οἰκοδομουμένῳ, καὶ ἅμα γίγνεται, καὶ ἔστι τῇ οἰκίᾳ. ὅσων μὲν οὖν ἕτερόν τί ἐστι παρὰ τὴν χρῆσιν τὸ γιγνόμενον, τούτων μὲν ἡ ἐνέργεια ἐν τῷ ποιουμένῳ ἐστὶν, οἷον ἥ τε οἰκοδόμησις ἐν τῷ οἰκοδομουμένῳ, καὶ ἡ ὕφανσις ἐν τῷ ὑφαινομένῳ (ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων) καὶ ὅλως ἡ κίνησις ἐν τῷ κινουμένῳ. ὅσων δὲ μή ἐστιν ἄλλο τι ἔργον παρὰ τὴν ἐνέργειαν, ἐν αὐτοῖς ὑπάρχει ἡ ἐνέργεια, οἷον ἡ ὅρασις ἐν τῷ ὁρῶντι, καὶ ἡ θεωρία ἐν τῷ θεωροῦντι, καὶ ἡ ζωὴ h ἐν τῇ ψυχῇ: διὸ i καὶ ἡ εὐδαιμονία, ζωὴ γὰρ καὶ ποιά τις ἐστίν.

ὥστε

Cum g *autem quorundam extremum sit ipse vsus, vt videndi facultatis visio, nullumque opus aliud præter hanc à videndi facultate fiat in quibusdam vero aliquid fiat; veluti domus ab ædificandi facultate præter ipsam ædificandi operam: nihilominus tamen hic finis est: illic vero magis est, finis potentiæ. Nam ædificandi operatio in eo est, quod ædificatur, simulque fit atque est cum domo ipsa. In quibus igitur id, quod fit, aliquid aliud est præter operationem, in iis quidem actus in eo est, quod efficitur: vt ædificandi operatio in eo, quod ædificatur, & texendi actus in eo, quod texitur: eademque ratio est in aliis, & omnino motus in eo est, quod mouetur. In quibus vero præter actum nullum est opus, in eis inest actus, vt visio in vidente, & contemplatio in contemplante, & vita* h *in anima, ac proinde* i *felicitas ipsa est: est enim vita quædam.* *Ad cap. 5.*

Ita

g *Cum autem quorundam.*] Cum dixisset, opus siue operationem esse finem potentiæ, quia quæreret aliquis, num eodem modo sit finis in omnibus, docet hoc loco duo esse operationum genera: aliquando enim operatio siue vsus potentiæ est extremum id, quod ab ea proficiscitur, vt visio; nihil enim præter visionem fit à videndi facultate; aliquando vero præter operationem aliquid aliud à potentia per ipsam operationem efficitur, vt à facultate ædificandi ædes, seu domus. Ait ergo, in vtrisque quidem operationem esse finem potentiæ, alio tamen atque alio modo. Nam operationes posterioris generis, etsi tendunt ad aliquid aliud, quod per eas fit, tanquam ad vlteriorem finem: nihilo tamen minus etiam ipsæ sunt fines potentiarum, quemadmodum & operationes prioris generis, cum potentiæ propter operationes sint, vt superius dictum est, non operationes propter potentias: veruntamen operationes prioris generis sunt magis perfectiusque suarum potentiarum fines, tum quia non tendunt in aliquid aliud, quod per eas fiat, tum etiam, quia sunt in ipsis agentibus, eaque perficiunt: cum interim posterioris generis operationes in aliud tendant, sintque fines medii comparatione eorum, quæ per eas fiunt, & fines sub finibus, vt vocat, nec agentia ipsa perficiunt, sed externam materiam, in qua exercentur. *Duo operationum genera. Diuerso modo esse potentiarum fines.*

h *Et vita in anima.*] De vita sensitiua & intellectiua hoc intelligendum est, quæ sola in

Quæ vitales operationes, sunt immanentes, quæ non ita. actibus immanentibus præcipue consistit, ac proinde in iis potentiis existit, easq; perficit, à quibus oritur; nam vita plantarum, quæ vegetatiua dicitur, tota posita est in actionibus transeuntibus, attrahendi, retinendi, digerendi, conuertendi, & similibus, quarum nulla est immanens.

Felicitat. esse in actionib. i *Ac proinde felicitas.*] Non posse vitam felicem in actionibus transeuntibus præcipue & quasi essentialiter consistere, ex eo constat, quia non esset vera & certa possessio felicis, quod est contra ipsam felicitatis rationem: possunt enim eiusmodi actiones impediri, cum à materia externa pendeant. Sed de his fuse Arist. in 1. Ethicorum, & aliis locis, pro qua etiam relegendum est Enchiridium Epicteti, qui sapienter totum hominis felicis statum ponit in iis rebus, quæ in nobis sunt, nostræque omnino potestati subiectæ.

ὥστε l φανερὸν, ὅτι ἡ οὐσία καὶ τὸ εἶδος, ἐνέργειά τίς ἐστι: κατά τε δὴ τοῦτον τὸν λόγον φανερὸν, ὅτι πρότερον τῇ οὐσίᾳ ἐνέργεια δυνάμεως: καὶ, ὥσπερ εἴπομεν, τοῦ χρόνου ἀεὶ προλαμβάνει ἐνέργεια ἑτέρα πρὸ ἑτέρας, ἕως τῆς τοῦ ἀεὶ κινοῦντος πρώτως.

ἀλλὰ m μὴν καὶ κυριωτέρως. τὰ μὲν γὰρ ἀΐδια, πρότερα τῇ οὐσίᾳ τῶν φθαρτῶν. ἔστι δ' οὐθὲν δυνάμει ἀΐδιον: λόγος δὲ ὅδε: πᾶσα δύναμις ἅμα τῆς ἀντιφάσεώς ἐστι, τὸ μὲν γὰρ μὴ δυνατὸν ὑπάρχειν, οὐκ ἂν ὑπάρξειεν οὐθενί: τὸ δυνατὸν δὲ πᾶν ἐνδέχεται μὴ ἐνεργεῖν. τὸ ἄρα δυνατὸν εἶναι, ἐνδέχεται καὶ εἶναι καὶ μὴ εἶναι: τὸ αὐτὸ ἄρα δυνατὸν καὶ εἶναι καὶ μὴ εἶναι: τὸ δὲ δυνατὸν μὴ εἶναι ἐνδέχεται μὴ εἶναι: τὸ δὲ ἐνδεχόμενον μὴ εἶναι, φθαρτὸν, ἢ ἁπλῶς, ἢ τοῦτο αὐτὸ, ὃ λέγεται ἐνδέχεσθαι μὴ εἶναι, ἢ κατὰ τόπον, ἢ κατὰ τὸ ποσὸν, ἢ κατὰ τὸ ποιόν: ἁπλῶς δὲ τὸ κατ' οὐσίαν. οὐθὲν ἄρα τῶν ἀφθάρτων ἁπλῶς, δυνάμει ἐστὶν ὂν ἁπλῶς: (κατά τι δὲ οὐδὲν κωλύει, οἷον, ποιὸν, ἢ πού,) ἐνεργείᾳ ἄρα πάντα.

οὐδ

Ita l *perspicuum est, substantiam, & formam actum esse quendam. Ex qua ratione patet, actum substantia priorem esse potentia, atque etiam tempore (vt diximus) semper alium actum accipi priorem alio vsque ad actum illius, quod semper primum mouet.*

Atqui m & præcipue. Res enim sempiternæ substantia priores sunt corruptioni obnoxiis: nihil autem est potentia sempiternum. Ratio vero hæc est. Omnis potentia simul est contradictionis: quod enim esse non potest, id nulli vnquam conueniet: quicquid autem est possibile, fieri potest, vt non sit: ergo id, quod possibile est, & esse, & non esse potest: idem igitur esse potest, & non esse. Quod autem potest non esse, contingit non esse: quod vero contingit non esse, corruptibile est, aut simpliciter, aut quatenus contingit non esse, siue loci ratione, siue quantitatis, siue qualitatis, simpliciter autem ratione substantia: nihil igitur eorum, quæ simpliciter corrumpi non possunt, potentia est simpliciter, esse autem aliqua ex parte, vt qualitatis, aut loci ratione nihil prohibet: sunt igitur actu omnia.

Neque

Formam subst. esse principiũ actuũ. Tex. 17. l *Ita perspicuum est.*] Ex his colligit, formam substantialem esse actum quendam, quasi dicat [*præcipuum*] in rebus hisce inferioribus, de quibus hactenus loquutus fuerat: est enim id, per quod cætera sunt actu, non materia modo, sed & cætera omnia, quæ ex materia & forma constant, ab eisque procedunt. Ex qua re multo clarius infert præcipuam illam conclusionem, actum esse substantia perfectioneque priorem potentia. Quin etiam præter illud, quod superiori capite ostenderat, actum esse priorem tempore potentia in diuersis rebus, vlterius concludit, tempore quoque in diuersis rebus semper alium actum alio esse priorem, vsque ad illum, quo aliquid ita agit, vt ab alio non patiatur. *Semper in diuersis rebus alium actum esse alio priorem.* Nam etsi nihil reducitur è potentia in actum, nisi ab alio, quod sit actu, idque non fiat nisi per aliquam eius actionem, tamen semper in agentibus, quorum alia antiquiora sunt aliis, veniendum est ad aliquod primum, quod antiquissimum sit, in quo sit primus & antiquissimus eius actus, & à quo primus motus sit ortus. Hoc autem ita esse perspicuum est, non tantum iuxta veram Christianamque Philosophiam, sed etiam iuxta falsam authoris sententiam, qui mundum ab æterno posuit: nam etsi ea vera esset, ipsa tamen primi motoris actio antiquissima foret, omnium earum actionum, quarum aliæ alias tempore antecessissent, quippe quæ sola vere esset æterna, & indiuisa in se manens omnes alias complecteretur.

Actũ substãtia esse priorẽ potẽtia, ostenditur ratione ducta à reb. sempiternis. m *Atqui & præcipue.*] Hactenus probauit ex iis, quæ cernuntur in rebus caducis, actum esse substantia priorem potentia. Nunc idem probat ex collatione earum cum sempiternis; quam probationem appellat præcipuam, quia actus & perfectio præcipue reperitur in sempiternis. Probatio vero hanc vim habet: sempiterna sunt priora substantia, & perfectione caducis; at sempiterna, quatenus talia, nunquam sunt potentia, sed semper actu, caduca vero aliquando sunt potentia; igitur actus omnino est prior potentia, & substantia, & perfectione: quæ enim rebus perfectioribus conueniunt, perfectiora quoque sint necesse est; quod ipse in *Sempiterna, q̃ talia, nunquam esse subiecta.*

Topi-

Topicis vt commune proloquium tradiderat. Assumptionem ex eo probat, quia omnis potentia (*intellige passiuam*) simul contradictionis, hoc est, ad esse & non esse; nam si esset ad non esse tantum, esset vtraque ad impossibile, atque ita non esset potentia, si vero ad esse tantum, iam id, quod per eam esset, nunquam esset potentia: cum interim hoc loco sermo sit de potentia, per quam aliquid aliquando possit esse potentia, seu in potentia, quod non segniter animaduertendum est: quare, si quid per eam aliquando sit potentia, & non actu, necessario concedendum est, eam esse indifferentem ad esse & non esse: quod si ita est, ergo quod eam habet, fieri potest, vt non sit, & (*quod sequitur*) id, quod per eam possibile est, potest esse & non esse. Quare cum id, quod possibile est esse, contingat non esse (*hæc enim duo idem valent*) quod autem contingit non esse, corruptibile sit, aut simpliciter, siue ratione substantiæ, aut aliqua ex parte, quod est ratione loci aut quantitatis, aut qualitatis: efficitur, vt nihil eorum, quæ sempiterna sunt, siue corrumpi non possunt, habeat potentiam passiuam simpliciter: tametsi nihil prohibeat, quominus illam habeat ratione loci aut qualitatis. Non addit autem [*aut quantitatis*] quia in sempiternis non datur mutatio in quantitate: quanquam quoad partes detur mutatio loci, & qualitatis etiam, cuiusmodi est mutatio lunæ, cum ex priuato lumine fit illustrata: vt interim mittamus mutationes ratione loci & qualitatum multarum, quæ in substantiis separatis concedendæ sunt, de quib[us] Arist. non loquitur. Ex quibus perspicua relinquitur tota assumptio, quæ probanda erat, tametsi Arist. solam priorē partem aperte colligit, eamq; iterum repetit: sunt igitur actu omnia, hoc est, actu tantum, ea videlicet, quæ sempiterna sunt.

οὐδὲ n τῶν ἐξ ἀνάγκης ὄντων. καί τοι o ταῦτα πρῶτα, εἰ γὰρ ταῦτα μὴ ἦν, οὐθὲν ἂν ἦν. οὐδὲ p δὴ κίνησις, εἴ τις ἐστὶν ἀΐδιος, οὐδ' εἴ τι κινούμενον ἀΐδιον οὐκ ἔστι κατὰ δύναμιν κινούμενον, ἀλλ' ἢ πόθεν ποῖ: τούτου δ' ὕλην οὐθὲν κωλύει ὑπάρχειν.

διὸ q ἀεὶ ἐνεργεῖ ὁ ἥλιος, καὶ ἄστρα, καὶ ὅλος ὁ οὐρανός, καὶ οὐ φοβερὸν μή ποτε στῇ, ὃ φοβοῦνται οἱ περὶ φύσεως. οὐδὲ κάμνει τοῦτο δρῶντα: οὐ γὰρ περὶ τὴν

Neque n *eorum, quæ necessario sunt* [*aliquid simpliciter potentia est.*] *At* o *hæc prima sunt: nam si hæc non essent, nihil vtique esset. Quare* p *nec motus, si quis sempiternus est, nec si quid perpetuo mouetur, potentia mouetur, nisi ex loco in locum. Huius autem Materiam esse nihil prohibet.*

Quapropter q *sol, & astra, totumque cœlum semper in actu sunt: nec metuendum est, ne aliquando moueri desinant, quod Physici metuunt:*

n *Neque eorum, quæ necessario.*] Quod de rebus sempiternis ostenderat, concludit etiam de necessariis rerum connexionibus, qualia sunt pronuntiata omnia, quæ ita vera sunt, vt falsa esse non possint, vt hominem esse animal, esse disciplinæ capacem, & similes: nunquam enim sunt in potentia vera, sed semper actu, qualia item erant ante mundi constitutionem. Qua sententia Nominalium opinio omnino reiicitur ab Arist. cum existimant, pronuntiata necessaria non esse vera simpliciter, nisi quando extrema eorum existunt in rerum natura, alioqui sola potentia esset vera, aut solo conditionali sensu, vt si dicamus, si homo est, animal est. *[illegible] nes necessariæ semper esse actu veræ.*

o *At hæc prima sunt.*] De vtroque genere eorum, quæ proxime commemorauerat, & rerum, inquam, sempiternarum, & pronuntiatorum sempiternæ veritatis hoc tradit Aristoteles, quod prima sint, & a quibus cætera pendeant: nam, vt sublatis rebus sempiternis, siue incorruptibilibus, nulla esset corruptibilis, cum hæ ex illis pendeant, ita sublatis pronuntiatis sempiternæ veritatis (*hoc est, si illa essent falsa*) nihil omnino esse verum, cum veritas contingentium propositionum veritati necessarium innitatur: nam si verum non esset hominem esse animal; nec verum quoque esset hominem videre, aut ambulare, &c. *Res & pronuntiata sempiterna esse prima, & ab ipsis cætera pendere.*

p *Quare nec motus.*] Quod ostenderat in rebus sempiternis, rerumque omnium necessariis connexionibus, concludit etiam in motu sempiterno, si quis dandus sit; quem tamen esse concedendum ipse lib. 12. & aliis locis affirmat. Conclusio vero est, nec motum sempiternum potentia vnquam esse: nec corpus, quod eo mouetur, in potentia esse, vt moueatur; esse tamen in potentia, vt eius partes moueantur ex loco vno in alium, veluti vt sol moueatur ex Oriente in Occidentem: nam cum motus sit actus entis in potentia ad vlteriorem aut perfectiorem actum, siue terminum, erit quidem mobile, quod perpetuo motu cietur (*qui necessario circularis est*) in potentia ad aliquem actum siue terminum ratione partium: at in potentia ad aliquem motum aut terminum ratione totius nunquam erit. Quia vero motus, qualiscunque sit, indiget subiecto, colligit vlterius nihil prohibere, quominus huius, id est, mobilis (*neque enim ait τούτης, vt intelligi posse huius motus*) sit materia. Non tamen id omnino affirmat, vel quia dubitat, num corpora incorruptibilia habeant materiam, vel potius quia credit ea non habere materiam eiusdem speciei cum materia corruptibilium, vt quæ non habeant potentiam contradictionis simpliciter, licet habeant ratione loci, aut qualitatis. *C. 8. text. 46. Motum sempitern. nunq̃ esse potentia, Arist. Mobile esse in potent. actu illã solum ratione partium. Videri tribui cœlo materiã sed alterius speciei.*

τὴν δύναμιν τῆς ἀντιφάσεως αὐτοῖς, οἷον τοῖς φθαρτοῖς, ἡ κίνησις, ὥστε ἐπίπονον εἶναι τὴν συνέχειαν τῆς κινήσεως. ἡ γὰρ οὐσία, καὶ ὕλη δύναμις οὖσα, οὐκ ἐνέργεια, αἰτία τούτου. μιμεῖται r δὲ τὰ ἄφθαρτα καὶ τὰ ἐν μεταβολῇ ὄντα, οἷον γῆ καὶ πῦρ: καὶ γὰρ ταῦτα ἀεὶ ἐνεργεῖ: καθ' αὑτὰ γὰρ, καὶ ἐν αὑτοῖς ἔχει τὴν κίνησιν.

αἱ δὲ ſ ἄλλαι δυνάμεις, ἐξ ὧν διώρισται, πᾶσαι τῆς ἀντιφάσεώς εἰσι. τὸ γὰρ δυνάμενον ὡδὶ κινεῖν, δύναται καὶ μὴ ὡδὶ, ὅσα γε κατὰ λόγον: αἱ δὲ ἄλογοι τῷ παρεῖναι καὶ μὴ, τῆς ἀντιφάσεως ἔσονται αἱ αὐταί.

αἱ τ

tuunt, nec cum hoc faciunt, defatigantur. Neque enim eorum motus, quemadmodum eorum, quæ caduca sunt, in potentia contradictionis versatur, vt laboriosa eis sit motus continuatio. Huius enim rei causa est substantia, & materia ea, quæ potentia quadam existens actu non est. Imitantur r autem res eas, quæ non intereunt ea, quæ in transmutatione versantur, vt terra, & ignis? Et enim hæ semper in actu sunt, cum per se, & in se ipsis motum habeant.

Aliæ ſ vero potentiæ, de quibus actum est, in contradictione versantur omnes: quicquid enim mouere hoc modo potest, potest etiam non hoc modo, si ratione moueat: quæ vero rationis expertes sunt, eo quod aliquid adsit, & non adsit, in contradictione & ipsæ versabuntur.

q *Quapropter sol.*] Quoniam existimat, corpora, quæ semper actu mouentur, non habere potentiam contradictionis, vt moueantur, & non moueantur, credens nimirum ea necessario moueri ab intelligentia coniuncta, consequenter colligit nihil metuendum esse, ne aliquando à motu cessent, vt quidam veteres Physici putauerunt, ex quibus fuit Empedocles, qui mundum aliquando lite dominante dissoluendum esse credidit. Quod si quis dicat, defatiganda aliquando esse ea corpora, id refellit Arist. illa ipsa ratione, quia non habent potentiam contradictionis ad motum; hæc enim non reperitur, nisi in rebus, quæ sunt corruptioni obnoxiæ, quarum materia cum potentia sit ad diuersas formas, aliquando actu non est per eandem, quam habebat; sic enim intelligenda sunt verba illa, [*& materia ea, quæ potentia quadam existens actu non est:*] ex materia enim huiusmodi prouenit contrarietas motuum; ex contrarietate autem motuum defatigatio in iis, quæ fatigationis sunt capacia. Arist. tamen neque in asserenda necessitate motus cœlestis, neque in neganda potentia contradictionis ad motum in cœlestibus, recte sensit, vt patet ex iis, quæ diximus ad cap. 4. lib. 5. Hoc tantum hac in re constat, eam esse cœlestium corporum naturam, vt possent perpetuo sine vlla defatigatione moueri, quod neque corruptioni obnoxia sint, neque vllam re vera habeant propensionem ad certum motum, vt ei vllus alius repugnet, quod eo loco fusius ostendimus: tametsi maxime idonea sunt & apta, vt eo, quo mouentur, moueantur.

Malè negat Arist. in cœlo potent. contradictionis ad motum.

q. 2. sect. 6. & 7.

r *Imitatur autem res eas.*] Confert elementa cum cœlestibus corporibus in eo, quod semper sunt in actu mouendi alia, semper enim alia in alia agunt, transmutando sese inuicem per suas partes extremas; quo pacto intelligendum est illud, [quæ in transmutatione versantur] quod tamen non faciunt cœlestia corpora, cum nec vicissim in se agant, nec ita agant in corpora corruptibilia, vt ea in se conuertant, sed ita, vt superiora omnia moueant inferiora, & ad transmutationem corruptibilium concurrant. Quo loco verba illa [*cum per se & in se ipsis motum habeant*] idem valent, ac si dicitur, cum naturalia & interna principia sese inuicem mouendi habeant.

Elementa & corpora cœlestia semper esse in actu mouendi alia.

Tex. 18.

Hactenus ergo elementa imitantur cœlestia corpora, quod quemadmodum hæc semper incorrupta, & immota loco, perpetuo sunt in actu mouendi inferiora, tum incorruptibilia, tum corruptibilia, siue locali motu, siue alteratiuo: neque ad mouendum potentiam contradictionis habent, vt possint etiam non mouere: sic elementa incorrupta secundum se tota, & in suis quæque locis existentia, perpetuo se inuicem mouent motu alteratiuo, qua parte sese contingunt, neque ad eum motum potentiam habent contradictionis, vt ab eo cessare possit, cum perpetuo sint inter se coniuncta.

ſ *Alia vero potentia.*] Confert cæteras potentias rerum corruptibilium (de quarum potentia & actu superioribus egerat) cum potentiis incorruptibilium, atque omnes alias esse potentias contradictionis. Nam rationales, cum liberæ modo aliquo sint, quatenus quidem sunt liberæ, non dubium est, quin agere hoc modo & non hoc modo possint: quæ vero sunt rationis expertes, ea ratione contradictionis esse constat, quod præsentiam & absentiam materiæ, in quam agere, aut agentium, à quibus pati possunt, & agere possunt, & non agere, & pati & non pati; præsertim cum sæpe accidat, vt agentia & patientia huius generis non sint debita propinquitate coniuncta, quod tamen in elementis immediate cohærentibus accidere non potest. Atque hæc, quæ de potentiis rationis expertibus, seu naturalibus, hoc loco Arist. nihil repugnant iis, quæ

Cur omnes rerum corruptibiliũ dici possint contradict.

iis, quæ supra dicta sunt de eisdem potentiis: etsi enim omnes sunt determinatæ ad vnum; actiuæ quidem, ad agendum tantum iuxta proprias earum naturas; passiuæ autem, ad patiendum solum, recipiendumque id, ad quod naturalem propensionem habent, id quidem spectatis earum naturis intelligitur, quod vero hic dicuntur esse contradictionis non ad earum naturas, sed ad defectum materiæ inquam agant, aut agentium, à quibus patiantur, referendum est; possunt enim eis sæpe deesse, vt nihil mirum sit, si, sublatis etiam impedimentis omnibus propter solam absentiam patientium aut agentium non agant nec patiantur.

Illud etiam animaduertendum hoc pacto omnes potentias rerum omnium naturalium, siue corruptibilium, siue corruptionis expertium, dici posse potentias contradictionis, si in verbo, [*posse*] potentia Dei absoluta intelligatur, qua fieri potest, vt omnibus potentiis actiuis subtrahatur materia, in quam agant, & omnibus passiuis agentia, à quibus patiantur. *Imo & omnes rerum naturalium in corruptib.*

εἰ t ἄρα τινές εἰσι φύσεις τοιαῦται, ἢ οὐσίαι, οἵας λέγουσιν οἱ ἐν τοῖς λόγοις τὰς ἰδέας, πολὺ μᾶλλον ἐπιστῆμόν τι εἴη, ἢ αὐτὴ ἐπιστήμη, καὶ κινούμενον, ἢ κίνησις: ταῦτα γὰρ ἐνέργειαι μᾶλλον, ἐκεῖναι δὲ δυνάμεις τούτων. ὅτι μὲν οὖν πρότερον ἡ ἐνέργεια, καὶ δυνάμεως, καὶ u πάσης ἀρχῆς μεταβλητικῆς, φανερόν.

Quare t si natura quadam tales, aut substantiæ sunt, quales ij, qui in disputationibus versati sunt, ideas esse dicunt: multo magis res, qua[illegible]quid erit, quam scientia ipsa; & qua mouens[illegible] ipse motus: siquidem hæ magis sunt actus, illæ [illegible] harū potentia. Actum u *igitur priorem esse & potentia, & omni mutandi principio, perspicuum est.*

t *Quare si natura.*] Occasionem ex dictis arripit impugnandi ideas Platonis, cum enim ostendisset, corpora cœlestia & (*quod inde sequi existimat*) substantias separatas semper esse in actu, has quidem mouendi (*neq; enim alias esse credit nisi quæ moueant cælos*) illa vero suscipiendi motum, agendique in inferiora res autem corruptioni obnoxias (*exceptis elementis, quæ perpetuo in se mutuo agunt*) aliquando esse in actu agendi aut patiendi, aliquando in potentia, docet nunc ex sententia idearum oppositum sequi. Nam ideæ, quæ à Platone sempiternæ ponuntur, nec agunt nec patiuntur, sed, si sunt in rerum natura, in potentia sunt, vt hæc nostratia, quæ gignuntur & intereunt, per eas actu agant & patiantur; veluti scientia ipsa (*quo addito pronomine ille distinguebat separatas species*) vt per eam singuli homines sciant, & Motus ipse, vt per eum moueantur. At hæc absurda omnino sunt, nec congruunt cum dignitate, qua distinguendæ sunt res perpetuæ à caducis. *Impugnātur Platonis ideæ*

u *Et omni mutandi principio.*] Quasi dicat, non passiuo tantum, sed (*quod maius quoddam esse videtur*) actiuo etiam.

ΚΕΦ. ι.

Ὅτι a δὲ καὶ βελτίων καὶ σπουδαιοτέρα τῆς σπουδαίας δυνάμεως ἡ ἐνέργεια, ἐκ τῶνδε δῆλον: ὅσα b γὰρ κατὰ τὸ δύνασθαι λέγεται, ταὐτόν ἐστι δυνατὸν τἀναντία: οἷον, τὸ δύνασθαι, λεγόμενον ὑγιαίνειν, ταὐτόν ἐστι, καὶ τὸ νοσεῖν, καὶ ἅμα.

CAPVT X.

QVOD a autem actus sit melior, & studiosior studiosa potentia, ex his patebit; in b *ijs enim, quæ ex potentia dicuntur, idem contraria potest; Hunc in modum id, quod sanum esse posse dicitur, idem est, atque id quod ægrotare potest, idque simul: eadem enim est potentia bene haben-*

CAPITIS DECIMI EXPLANATIO.

QVod a autem actus.] Contulit à principio capitis septimi actum cum potentia in ratione prioris & posterioris; nunc eundem cum ea confert in ratione boni & mali; quod hoc vno capite breuiter exequitur his duabus conclusionibus, in bonis quidem meliorem esse actum potentia contra vero in malis actum esse potentia deteriorem. Id quod exemplis satis patet: melius enim est actu esse sapientem, aut prudentem, aut iustum, aut sanum, quam esse posse: contra vero deterius est actu esse furem aut homicidam, aut ægrotum, quam posse esse talem. Non loquitur autem Arist. hoc loco de bono transcendente, vt vocant, cum ei malum non opponatur omnia enim hoc bonitatis genere sunt bona; nec de eo tantum bono quod in virtute cernitur, cum exempla ab eo proposita ex aliis quoq; bonis assumantur: sed de omni ac solo bono quod studio, seu affectu & industria dignum censetur, quod quidem in honestum vtile, & iucundum diuidi solet: id quod ille significat, cum verbo, [*melior*] quasi explicationis causa adiungit verbum [*studiosior*] neq; enim præcise in eo sensu accipiendum est hoc vocabulum, quo sola significatione à virtute deduci solet (*nam neq; apud latinos, neq; apud græcos vllum est proprium à virtute denominatiuum*) sed, vt ipsum sonat, ab eo effectu, quo id, quod bonum est, studio dignum creditur: sic dicimus non solum virtutes meliores esse ea propensione, quam ad illas habemus, quia honestiores sunt: sed etiam sanitatem idonea constitutione corporis ad illam accipiendam, quia *Tim. ag.*

Duæ conclusiones in bonis actum esse potentia meliorem in malis deteriorem.

vtilior est melioremque amici consuetudinem, quam facultatem, qua quis illius amicitiam sibi conciliare potest, est enim iucundior, quod contra in malis accidit, vt est luce clarius.

Probatur prior.

b *In iis enim quæ.*] Probat priorem conclusionem ex eo quod vna, & eadem potentia est contrariorum, vt bene habendi & laborandi morbo: quod autem potentia est vtrumque contrarium, vt sanum & ægrum, modo quodam est vtrumque, & alio modo neutrum; vtrumque quidem secundum quid, & quodam modo inchoatiue; neutrum autem simpliciter, siue actu. Cum igitur potentiæ ad contraria simul sint (*sunt enim vna & eadem*) ipsa vero contraria simul esse nequeant, & semper alterum eorum sit bonum expetendumve, alterum malum siue non expetendum (*neq; enim contraria simul expeti possunt, cum sibi mutuo repugnent*) efficitur, vt si id quod actu inest sit bonum, non dubium sit, quin sit melius quam potentia; nam potentia non est bona eo bonitatis genere, nisi secundum quid siue quodam modo inchoatiue, actus autem simpliciter & absolute. Atque hoc eodem modo Arist. proposita posteriori conclusione innuit eam probari posse. Nam vt potentia non est bona simpliciter in hac bonitatis significatione, ita neque est mala simpliciter ea mali vsurpatione, quæ dictæ bonitati opponitur. Cum igitur ipse actus malus simpliciter sit malus & fugiendus, necessario efficitur illum esse deteriorem potentia. Porro cum habitus boni & mali ex bonis & malis actibus naturaliter gignantur, sintque etiam ipsi actus quidam, qui potentiis diu inhærent, redderent quidem illi eos, quibus inhæserint, bonos aut malos, nisi iam animus ab iis auersus sit; sed tamen actus, præcipue vero qui ab eis orti fuerint, maiorem bonitatem aut malitiam habebunt, quod iis mereri & demereri possimus, non ipsis habitibus.

Probatur posterior.

Etiam habitus esse quosdam actus.

ἅμα· ἡ αὐτὴ γὰρ δύναμις τοῦ ὑγιαίνειν, καὶ κάμνειν καὶ ἠρεμεῖν καὶ κινεῖσθαι, καὶ οἰκοδομεῖν καὶ καταβάλλειν, καὶ οἰκοδομεῖσθαι καὶ καταπίπτειν. τὸ μὲν οὖν δύνασθαι τἀναντία ἅμα ὑπάρχει, τὰ δ᾽ ἐναντία ἅμα ἀδύνατον ὑπάρχειν, οἷον, ὑγιαίνειν καὶ κάμνειν. ὥστ᾽ ἀνάγκη τούτων θάτερον εἶναι τἀγαθόν· τὸ δὲ δύνασθαι, ὁμοίως ἀμφότερον, ἢ οὐδέτερον, ἡ ἄρα ἐνέργεια, βέλτιον.

ἀνάγκη δὲ καὶ ἐπὶ τῶν κακῶν τὸ τέλος καὶ τὴν ἐνέργειαν εἶναι χεῖρον τῆς δυνάμεως· τὸ γὰρ δυνάμενον, ταὐτὸ ἄμφω τἀναντία. δῆλον c ἄρα ὅτι οὐκ ἔστι τὸ κακὸν παρὰ τὰ πράγματα· ὕστερον γὰρ τῇ φύσει τὸ κακὸν τῆς δυνάμεως. οὐκ d ἄρα οὐδ᾽ ἐν τοῖς ἐξ ἀρχῆς, καὶ τοῖς ἀϊδίοις, οὐθὲν ἐστιν οὔτε κακόν, οὔτε ἁμάρτημα, οὔτε διεφθαρμένον· καὶ γὰρ ἡ διαφθορὰ τῶν κακῶν ἐστιν.

habendi & ægrotandi, quiescendi, & motum subeundi, ædificandi & destruendi, tum qua domus extrui, & qua corruere potest. Posse igitur contraria simul inest; ipsa vero contraria simul inesse impossibile est, veluti sanum esse & ægrotare. Quocirca horum alterum sit bonum necesse est: posse autem similiter vtrumque est, aut neutrum: actus ergo est melior.

In malis autem necesse est finem, & actum potentia esse deteriorem. Quod enim potest, idem simul contraria potest. Patet c igitur malum non esse præter res ipsas: est enim malum natura posterius potentia: quare d neq; in iis, quæ à principio sunt, sempiternisque malum est vllum aut peccatum, quicquamve corruptum. Est enim malum quoddam corruptio.

Non dari mali ideam.

c *Patet igitur malum.*] Colligit ex dictis malum non esse quicquam à rebus nostratibus seiunctum & separatum, quasi quandam malorum nostrorum ideam. Nam ideæ si tales sunt, quales à Platone ponuntur, priores esse debent iis rebus, quæ apud nos sunt, in quibus solis eius sententia est potentia ad malum & bonum; cum igitur ex dictis pateat, malum simpliciter esse natura posterius potentia, cum consistat in defectu aliquo eius actus, quo ipsa perficitur, constat fieri non posse, vt sit separatum quasi species quædam, quæ de omnibus malis dicatur. quanquam vero Plato ideas malorum non ponebat, tamen Arist. hanc conclusionem fortasse quasi in eius gratiam ex dictis collegit, vt ostenderet eodem modo probari posse non dari bona separata quasi ideas honestorum, vtilium, & iucundorum; quod etiam hæc bona, etsi perfectionis ordine priora sunt natura iis potentiis, quarum sunt actus, sunt tamen ordine generationis natura posteriores, cum interim ideæ ponantur priores ordine naturæ non perfectionis tantum, sed etiam generationis.

In rebus corruptibilibus non dari quicquam mali.

d *Quare neq; in iis.*] Pro eisdem accipit ea, quæ à principio, & quæ sempiterna sunt, quod putat vndecunque initium sumatur, semper res eas, de quibus loquitur extitisse. Ait ergo ex dictis in iis, quæ re vera non sunt corruptioni obnoxia, non dari quicquam mali corruptionisq;, quæ malum quoddam est ac fugiendum. Ratio vero est, quia in sempiternis non datur potentia contradictionis ad esse (*cum non possint non esse*) neque item ad alia contraria, quorum aliquod rationem mali habeat. Nam loca contraria Orientis & Occidentis, quæ subeunt astra, nihil defectus coniunctum habent, neq; vero proprie sunt contraria, minus etiam quam motus ex vtraq; parte, qui etiam in libro de cœlo contrarii non esse probantur; lux vero & priuatio lucis, quæ in

Lib. 1. c. 4. text. 24.

luna

luna & quibusdam planetis interdum cernitur, non sunt ita opposita, vt alterum mali rationem habeat, quemadmodum neque aspectus astrorum, qui noxii aliquando dicuntur, cum simpliciter sint vtiles mundi huius inferioris gubernationi, etsi quibusdam sint infesti; quanquam quod malum in rebus perpetuis nullum inueniri ait, non respectu nostri, sed in ipsis intelligendum esse vult. Quod vero attinet ad contrarios effectus substantiarum immaterialium, vt amoris & odii, & aliorum consequentium, non putauit Aristoteles eos esse concedendos, vt libro 12. patebit.

ΚΕΦ. ια.

Εὑρίσκεται a δὲ καὶ τὰ διαγράμματα ἐνεργείᾳ· διαιροῦντες γὰρ εὑρίσκουσιν. εἰ δ᾽ ἦν διῃρημένα, φανερὰ ἂν ἦν· νῦν δ᾽ ἐνυπάρχει δυνάμει. διὰ b τί δύο ὀρθαὶ τὸ τρίγωνον; ὅτι αἱ περὶ μίαν στιγμὴν γωνίαι ἴσαι δύο ὀρθαῖς. εἰ οὖν ἀνῆκτο ἡ παρὰ τὴν πλευράν, ἰδόντι ἂν ἦν εὐθὺς δῆλον. διὰ c τί ἐν ἡμικυκλίῳ ὀρθὴ καθόλου, διότι ἐὰν ἴσαι αἱ τρεῖς, ἥ τε βάσις δύο, καὶ ἡ ἐκ μέσου ἐπισταθεῖσα ὀρθή, ἰδόντι δῆλον τῷ ἐκεῖνο εἰδότι.

ἄρα

CAPVT XI.


INueniuntur a autem & Geometricæ designationes actu: diuidentes enim inueniunt. Quod si essent diuisa, manifesta vtique essent; nunc autem potentia sunt. Cur b *triangulus sint duo recti? Quia anguli, qui sunt circa vnum punctum duobus rectis æquales sunt. Si igitur is, qui ad latus est consiciatur statim id videnti palam fiet. Cur* c *vniuersè angulus, qui est in semicirculo, est rectus? Quia si tres sint æquales, basis nimirum, quæ duo est, & recta, quæ è medio surgit, cernenti vtique, qui id sciuit perspicuum erit.*

Quare

CAPITIS VNDECIMI EXPLANATIO:

Actum esse intelligentia priorem.

I*Nueniuntur* a *autem.*] Cum sequenti capite sit collaturus actum cum potentia in ratione veri & falsi, docet hoc capite quasi præambulo, quod quidem attinet ad intelligentiam, priorem esse potentia, hinc enim ostendet verum & falsum præcipue in actu consistere. Neque obiicias iam hoc superius explicatum fuisse, cum dictum est actum ratione esse priorem potentia; Eo enim loco ratio pro definitione sumpta est, non pro quouis conceptu & intelligentia, quo pacto hic notitia mentis accipi debet. Ait ergo in rebus Mathematicis (ex quibus ad res alias iudicium sumendum esse vult) actum intelligentia præcedere potentiam: designationes enim siue descriptiones Geometricæ, quibus Geometrica Theoremata demonstrantur non sunt actu in rebus ipsis nempe in quantitatibus continuis, sed potentia duntaxat, cum continua non sint actu diuisa, nec diuidantur actu, nisi vel reali diuisione, vel designatione, vt diximus libro quinto, quæ designatio fit aut mente sola, aut radio, aliove huius generis instrumento: cum igitur designationes huiusmodi non sint actu, sed potentia, antequam intellectus eas inueniat ac fabricet, inde prouenit, vt non intelligantur, nisi cum intellectus ope è potentia ad actum perducuntur; si enim iam essent actu in quantitatibus (seu vt Aristoteles ait, si essent diuisæ, hoc est, diuisione fabricatæ) simul atque cernerentur, nemo esset, qui ante demonstrationes Geometricas de Geometricis Theorematis dubitaret; Nunc autem tunc demum percipiuntur, cum actu fiunt designationes quia quæ potentia erant non intelliguntur, nisi cum ad actum perueniunt.



Exemplum.


b *Cur triangulus.*] Duobus exemplis rem ostendit. Alterum est; Si quis quærat num triangulus verbi gratia A. C. B. habeat suos omnes angulos duobus rectis æquales, neque adhibuerit vllam descriptionem, qua id ita esse ostendatur sane qui id audierit, de re proposita dubitabit: quod si linea A. C. prætendatur vsque ad D. vt faciat angulum externum cum latere B. C. iam res manifesta erit, si modo audiens teneat principium illud & quasi fundamentum præcipuum, Angulos, qui circa vnum punctum ex recta super rectam quomodocunque incidente ex eadem parte fiunt, rectos esse, aut æquales duobus rectis; neque ignoret illud quod supponi solet, Angulum externum cuiuscunque trianguli esse æqualem duobus oppositis internis siue remotis, sic enim; cum pateat angulos, qui sunt circa C. esse æquales duobus rectis, & angulos C. A. B. & A. C. B. esse æquales angulo B. C. D. perspicuum erit cernenti designationem, tres angulos A. B. C. qui initio ponebantur, esse duobus rectis æquales.

Euclid. lib. 1. Theor. 6. proposit. 13.

Theor. 22. proposit. 32.


c *Cur*

Aliud exemplum.



e *Cur vniuersa.*] Alterum exemplum est; si quis quærat, num vniuerse angulus in medio arcu cuiuslibet semicirculi descriptus, cui pro basi ipsa dimetiens subtendatur, sit rectus; si nihil quidem aliud videat is, qui responsurus est, nisi verbi causa triangulum A. B. C. forsitan de proposita re dubitabit, quod si dimetiens A. C. diuidatur in centro D. & super aliud erecta fuerit linea D. B iam manifestum fiet angulum A. B. C. rectum esse, & quemcunque alium eodem modo fabricatum; videbit enim is, qui responsurus est lineas A. D. & B. C. & D. B. esse æquales; per Theorema illud, cuiusque trianguli æqui cruris angulos, qui sunt ad basim, æquales esse intelliget angulum A. æqualem esse angulo A. B. D. & similiter angulum C angulo C. B. D. Quare cum angulus A. B. D. sit externus triangulo D. B. C. & similiter angulus C. D. B. sit externus triangulo A. D. B. erunt hi duo anguli, qui sunt circa D. æquales quatuor angulis oppositis, & dupli totalis anguli B. At hi duo, qui sunt circa D. sunt recti, vel æquales duobus rectis, cum fiant ex recta incidente in rectam; ergo totalis angulus B. est rectus.

Theorem. 2. proposit. 5.



ὥστε d φανερὸν, ὅτι τὰ δυνάμει ὄντα, εἰς ἐνέργειαν ἀναγόμενα εὑρίσκεται. αἴτιον δὲ, ὅτι νόησις ἡ ἐνέργεια. ὥστ' ἐξ e ἐνεργείας ἡ δύναμις: καὶ διὰ τοῦτο ποιοῦντες γιγνώσκουσι: ὕστερον γὰρ γενέσει ἡ ἐνέργεια ἡ κατ' ἀριθμόν.

Quare d non dubium est quin ea, quæ potestate sunt, ad actum reuocata inueniantur. Cuius rei causa est, quia mentis notitia est actus. Itaque e ex actu potentia elicitur, eamque ob rem facientes cognoscunt. Actus enim in eadem re numero posterior generatione est.

Inueniri esse quoddam cognosci.

d *Quare non dubium est.*] Infert conclusionem, quam in hoc capite se ostensurum proposuit, actum videlicet priorem esse intelligentia, quam potentia. Nam cum inueniri sit quoddam cognosci; Mathematicæ autem designationes, quæ potentia erant, tum demum inueniantur, cum reducantur ad actum per intellectum designantem, efficitur, vt etiam tum demum cognoscantur. Huius autem rei causam efficientem esse ait ipsum intellectum per actualem notitiam, qua designationem conficit; reducit enim eo modo ad actum ea quæ erant potentia in quantitatibus continuis, dans illis quoddam esse obiectiuum, quod non est re ipsa in quantitatibus, sed in sola mentis cognitione. Neq; enim attendendum est ad ipsas materiales figuras, quæ radio aut atramento fiunt, quæ etsi male describantur à Mathematicis, nihil tamen mendacii in eis describendis committitur, vt ipse alibi ait, eo quod mens non tam attendat ad ea, quæ illi exterius efficiunt, quam ad id, quod interius moliuntur. Itaq; intellectus simul efficit designationes, quæ potentia erant, illisque dat actualem existentiam obiectiuam, & eas cognoscit. Vnde patet tum demum res, quæ potentia sunt, posse cognosci cum ad actum reducuntur; tametsi vbi res habeant esse actuale sine operatione intellectus prius illæ sint actu vel tempore vel natura, quam à nobis intelligantur; at vbi non habent esse nisi per operationem intellectus, tum primum sint actu, cum à nobis intelliguntur, aut quoquo modo concipiuntur.

2. Phys. c. 2. text. 28.

Res, quæ sunt potentia, cognosci, cum reducantur ad actum.

Cap. 13. q. 6.

Quando indiuisibilia sint actu in continuo.

Hinc patet Aristotelis sententiam esse, indiuisibilia non esse actu in mediis magnitudinibus, vt diximus libro 5. sed tum primum reduci ad actum, cum reali diuisione aut mentis designatione ad actum perducantur, aut ipsæ magnitudines indiuisibiliter esse contingunt, vt si perfectus globus aut radius contingat perfecte planum; quod naturaliter vix vnquam aut ne vix quidem accidit.

Potentiam per actum inueniri.

Cap. 4 text. 33.

e *Itaque ex actu.*] Notandum est hoc pronunciatum [*potentiam ex actu elici, siue per actum inueniri*] vt enim potentiæ per actus distinguuntur (quod habes secundo libro de Anima) ita per illos inueniantur cognoscanturque necesse est. Hinc fit, vt facientes rem quamque (vt ait Aristoteles) eam cognoscant in ipsa postquam eam ad actum perducunt, tametsi prius eam in se ipsis obiectiue moliantur, si illam ex arte faciunt; quo pacto primus architectus tum primum domum cognoscit in ipsa cum primum eam absoluit, in se ipso autem cum primum illam apud se excogitauit. Vtroq; tamen modo certum est in eadem re numero actum esse posteriorē

potentia

potentia ordine temporis generationisque, iuxta illud quod cap. 7. dictum est; quia prius tempore domus effici potuit, siue in mente, siue in re; quam ab architecto vtrouis modo confecta sit.

ΚΕΦ. ιβ.

Ἐπεὶ a δὲ τὸ ὂν λέγεται, καὶ τὸ μὴ ὄν, τὸ μὲν κατὰ τὰ σχήματα τῶν κατηγοριῶν, τὸ δὲ κατὰ δύναμιν ἢ ἐνέργειαν τούτων, ἢ τἀναντία, τὸ δὲ κυριώτατον ὄν, ἀληθὲς ἢ ψεῦδος: τοῦτο b δ' ἐπὶ τῶν πραγμάτων ἐστὶ τῷ συγκεῖσθαι, ἢ διαιρεῖσθαι. ὥστε ἀληθεύει μὲν ὁ τὸ διῃρημένον οἰόμενος διαιρεῖσθαι, καὶ τὸ συγκείμενον συγκεῖσθαι: ἔψευσται δὲ ὁ ἐναντίως ἔχων, ἢ τὰ πράγματα ποτ' ἐστιν, ἢ οὐκ ἔστι: ὥστε τὸ ἀληθὲς λεγόμενον, ἢ ψεῦδος. τοῦτο γὰρ σκεπτέον τί λέγομεν: οὐ γὰρ διὰ τὸ ἡμᾶς οἴεσθαι ἀληθῶς σε λευκὸν εἶναι, εἶ σὺ λευκός: ἀλλὰ διὰ τὸ σε λευκὸν εἶναι, ἡμεῖς οἱ φάντες τοῦτο ἀληθεύομεν.

νοῦ

CAPVT XII.

Quoniam a vero ens, itemque non ens partim dicitur per figuras prædicamentorum; partim per potentiam, & actum istorum, aut per contraria; id certe, quod maxime proprie ens est, verum est, aut falsum: Hoc b autem in rebus est componi, aut diuidi. itaque verum dicit, qui id, quod diuisum est, diuisum esse existimat, & quod compositum componi: falsum autem, quod contrario modo se habet, atque res, quando est, aut non est; quod verum dicitur, aut falsum. Hoc enim considerandum est, dicamus. Neque enim quia nos putamus te vere album esse, tu albus es; sed quia tu albus es, nos qui hoc dicimus, verum dicimus.

Si

CAPITIS DVODECIMI EXPLANATIO.

Quoniam a vero ens.] Extremo hoc capite confert potentiam cum actu siue ens potentia cum ente actu in ratione veri & falsi, docetque vtrumque in ente actu spectari. Ait igitur, cum ens & non ens, vt dictum est cap. 7. lib. 5. vno modo dicantur seu diuidantur per varia prædicamenta (tametsi non eadem ratione, cum entia directo, non entia reductitie ad illa spectent;) alio vero modo per potentiam & actum istorum, hoc est, entis & non entis; & per contraria siue opposita actus & potentiæ (siquidem ad actum & potentiam reducuntur eorum negationes) illud in hac controuersia concludendum esse, id, quod maxime proprie ens est, (quod quidem est ens actu) verum esse aut falsum, hoc est, in hoc solo entium genere reperiri verum & falsum. Intellige autem nomine entis actu non solum id, quod in actu existit in rerum natura, sed etiam id, quod actu & non potentia sola est hoc vel illud ens, aut tale vel tale, etiamsi actu non existat, in vtroque enim genere entium actu datur veritas & falsitas, si quis nimirum ea inter se componat, diuidat; esse enim verum ex parte rerum ipsarum in earum compositione aut diuisione consistit, vt author statim subiicit, mox explicaturus quo pacto id accidat. Loquitur autem in hac 1. cap. parte de sola veritate complexa, quæ in affirmatione & negatione cernitur, tum quia notior est & vsurpatior, tum quia ei soli opponitur falsitas; nam veritas simplex, de qua paulo inferius differet, multis incognita est, paucis etiam satis cognita, neque opposita habet falsitatem. Itaque in solis entibus realibus, quæ actu existunt in rerum natura, aut actu sunt hæc vel illa taliave aut talia, & non potentia duntaxat, merito agnoscit Aristot. veritatem & falsitatem, quod hæc sola per se sufficiant ad vtramque simpliciter & absolute fundandam. Nam de entibus realibus, quæ potentia sunt hæc vel illa aut talia vel talia (vt de rudi lapide, quatenus est potentia statua, aut quatenus ea ratione forsitan quingentis aureis æstimatur) nihil vere affirmatur simpliciter, sed omnia aut falsa simpliciter aut vera secundum quid, quo etiam modo author intellexit cap. 10. id de quo vtrumque contrarium potentia dicitur neutrum vere dici simpliciter, & vtrumque secundum quid: de entibus vero rationis vt de specie aut genere, quæcunque vere aut falso dicuntur, ratione entium realium, in quibus fundatur, sic prædicantur; quo pacto species dicitur vere prædicari de differentibus numero, & falso de differentibus specie, quia homo, albedo, & res aliæ similis ambitus, sic prædicantur.

In solis entibus actu verum & falsum reperiri.

Quid hic dicatur ens actu.

Differentia complexæ ... est forma. Tam. ...

Quod autem ad verba attinet, cum nimirum pendula præcederet oratio, nec sensus liquido constaret, suspicati sumus illud τὸ δὲ κυριώτατον sic vertendum esse [*id certe*] vel [*id sane, quod maxime proprie*] vt vocabulum δὴ, seu δὴ, quod forsitan fuit in prototypo, concludendi clausulam vim habeat.

b *Hoc autem in rebus.*] Docet quo pacto verum & falsum in compositione & diuisione consistant. Est enim compositio & diuisio & in rebus & in intellectu; sed in rebus compositio est coniunctio eius quod prædicatur, cum eo quod subiicitur, diuisio autem separatio siue non coniunctio; in intellectu autem compositio est affirmatio, diuisio autem negatio. Cum igitur compositio aut diuisio quæ est in intellectu, conformatur compositioni aut diuisioni, quæ est in rebus, tunc est veritas; cum autem non conformatur est falsitas Hoc enim considerandum esse ait, cum aliquid affirmamus aut negamus, ne forsitan fallamur, vt ii, qui veritatem aut falsitatem in

Quando in intellectu detur veritas aut falsitas.

Text. 22.

conformitate rerum cum intellectu, non in conformitate intellectus cum rebus ipsis, positam esse existimabant; non enim ita res habet, vt intellectus noster sit regula veritatis rerum, sed contra res ipsæ, ipsa ve earum coniunctio aut disiunctio regula est veritatis nostri intellectus; quod Arist. familiari exemplo hominis albi ostendit. Hinc fit vt dici soleat veritatem esse in rebus vt in causa, in intellectu autem vt in subiecto, in propositione vero externa vt in signo. Hæc etiam de falsitate, tametsi non omni eodem modo, asserenda sunt; neque enim falsitas proprie est in rebus vt in causa: cum causa falsitatis potius erranti intellectui, quam rebus ascribenda sit: res enim non sunt falsæ, nisi denominatione à falsa intellectus existimatione, nempe quia intellectus male coniungit, quæ in rebus disiuncta sunt, vel male disiungit, quæ sunt in rebus coniuncta. Quanquam dici vtrumque potest, disiunctionem, quæ in rebus est, esse causam cur falsa sit coniunctio intellectus, & coniunctionem cur falsa sit disiunctio. Non est etiam intelligendum veritatem aut falsitatem proprie esse in intellectu vt subiecto, cum sint etiam rationis, sed propterea eam loquutionem vsurpari, quia enuntiationes ipsæ internæ; quæ veræ sunt aut falsæ, in intellectu sunt vt subiecto.

Qua diuersitate veritas sit in intellectu, & in propositione externa.

εἰ δὴ c τὰ μὲν ἀεὶ σύγκειται, καὶ ἀδύνατα διαιρεθῆναι, τὰ δ' ἀεὶ διῄρηται, καὶ ἀδύνατα συντεθῆναι, τὰ δ' ἐνδέχεται τἀναντία (τὸ d μὲν εἶναί ἐστι τὸ συγκεῖσθαι καὶ ἓν εἶναι, τὸ δὲ μὴ εἶναι, τὸ μὴ συγκεῖσθαι, ἀλλὰ πλείω εἶναι) περὶ μὲν οὖν τὰ ἐνδεχόμενα, ἡ αὐτὴ γίνεται ψευδὴς καὶ ἀληθὴς δόξα, καὶ ὁ λόγος ὁ αὐτός: καὶ ἐνδέχεται ὁτὲ μὲν ἀληθεύειν, ὁτὲ δὲ ψεύδεσθαι. περὶ δὲ τὰ ἀδύνατα ἄλλως ἔχειν; οὐ γίγνεται ὁτὲ μὲν ἀληθὲς, ὁτὲ δὲ ψεῦδος, ἀλλ' ἀεὶ ταῦτα ἀληθῆ καὶ ψευδῆ. περὶ e δὲ δὴ τὰ ἀσύνθετα, τί τὸ εἶναι, ἢ μὴ εἶναι, καὶ τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ ψεῦδος; οὐ γάρ ἐστι σύνθετον: ὥστε εἶναι μὲν, ὅταν σύγκηται, μὴ εἶναι δὲ, ἐὰν διῃρημένον

Sic c ergo quædam semper composita sunt & fieri non potest, vt diuidantur, quædam semper sunt diuisa nec fieri potest, vt componantur; quædam vero contraria subire possunt (atque d esse quidem est componi, ac vnum numero esse, non esse autem componi, sed esse plura:) in iis certe, quæ contingentia sunt eadem opinio, & ratio eadem vera est, & falsa; fierique potest, vt aliquando verum aliquando falsum dicatur. At in iis, quæ aliter habere nequeunt, non euenit aliquando verum, aliquando falsum, sed semper hæc vera sunt, hæc falsa. Cæterum e in iis, quæ composita non sunt, quidnam est, aut non est, verumque & falsum. Neque enim compositum est, vt sit quidem, quando componatur, non sit autem, si sit diuisum;

Cur quædam semper vera, quædam interdum, quædam semper falsa.

c *Sic ergo quædam.*] Tradit diuersa veritatis & falsitatis genera, eaque colligit ex eo, quod proxime dixerat docet igitur ipsam rerum coniunctionem & disiunctionem in causa esse, cur quædam semper sint vera, quædam semper falsa; quædam interdum vera interdum falsa. Quædam enim semper coniuncta sunt nec disiungi vnquam possunt, vt natura sensitiua cum natura humana; quædam semper disiuncta, nec coniungi vnquam possunt, vt natura equina cum humana est: quo fit, vt quædam necessario sint vera, quædam necessario falsa, alia vero possint interdum vera esse, interdum falsa.

Significatio verbi esse in propositione.

d *Atq; esse quidem.*] Declarat interiecta parenthesi nihil aliud significari per verbum, [*Esse*] affirmatum in propositione; quam identitatem eius, quod subiicitur; cum eo quod prædicatur, per verbum autem negatiuum nihil aliud quam diuersitatem.

e *Cæterum in iis.*] Sunt, qui hoc loco nomine eorum, quæ composita non sunt, intelligant substantias separatas, & alia entia quæ re ipsa sunt indiuisibilia, in quibus etiam est D. Thomas quasi, quia hæc indiuisibilia sunt, nec ex partibus re ipsa diuersis constant, non possunt in eis reperiri duo aliqua, quorum alterum de altero affirmetur, aut negetur; quemadmodum punctus quia secundum quantitatem, indiuisibilis est, non habet partes diuersas; quarum altera tangi possit, cum altera non tangitur. Sed sententia non placet quia etsi in substantiis separatis non dantur aliqua diuersa ipsa, quorum altera de altero affirmari aut negari possit, seu vere seu falso, dantur tamen diuersi conceptus obiectiui, vt generis, speciei, differentiarumque, & proprietatum, quæ per intellectum vere dicentem coniungantur, per eum vero, qui falsum dicat, disiungantur. Potius ergo dicendum est tradere Aristot. hoc loco veritatem eam, quæ cernitur in simplici apprehensione etiam rerum compositarum; (quæ etiam est Alexandri sententia) primumque docere non eandem rationem esse in veritate compositionis & diuisionis, quam intellectus facit affirmando aliquid de aliquo, aut negando, de qua disputatum iam est, atque in veritate simplicis apprehensionis siue conceptus, quo res ipsas apud nos quasi loquendo formamus. Nam veritas illa superior est conformitas coniunctionis, quam facit intellectus, cum coniunctione quæ est in rebus, & disiunctionis, cum disiunctione rerum

Discrimen inter veritatem complexam, & simplicis apprehens.

veritas

-ueritas potest habere falsitatem oppositam, vt difformitatem coniunctionis, quam facit intellectus, cum disiunctione quæ est in rebus, & disiunctionis cum coniunctione intellectus enim coniungere apud se potest quæ in rebus disiuncta sunt, & disiungere quæ sunt coniuncta: At vbi non est compositio nec diuisio conceptuum per affirmationem aut negationem, non relinquitur aliquis alius conformitatis modus, nisi is, quo simplex conceptus (hoc est, nihil affirmans aut negans) rem conceptam repræsentat; si enim ille est conformis rei propositæ, verus est; si non conformis, iam non est eius conceptus, sed alterius rei; semper enim cuilibet tali conceptui adæquate respondet obiectum aliquod vnum simplex, hoc est, non compositum in rebus ex prædicato & subiecto, etiamsi alia ratione compositum sit, vt domus vel equus. Quanquam huiusmodi conceptus ex accidente potest dici falsus, nempe si applicetur rei cuius non est conceptus. Verum in ea applicatione iam cernetur affirmatio, vt falsitas re vera ac per se in simplici conceptu non sit concedenda, sed in solo composito ex prædicato & subiecto, siue affirmatiuus ille sit, siue negatiuus. Est & alius modus falsitatis, qui tribui potest simplicibus conceptibus, nempe si sint eorum obiectorum, quæ in rerum natura esse non possunt; neque enim insuitatum est, vt dicantur falsi, eo quod nihil eis respondeat à parte rei, vt dici solet. Verum hæc falsitas iam exclusa est initio capitis, cum Aristoteles dixit, ea, quæ maxime propriè sunt entia, vera esse aut falsa. *Quæ falsitas admitti queat in simplicibus conceptibus.*

Vt igitur contextum verborum exponamus, quærit Arist. quidnam sit esse & non esse, quidque verum & falsum, in iis quæ composita non sunt; hoc est, an, & quo pacto hæc inueniantur in simplici rerum apprehensione. Neque enim iam hic habet locum, inquit, illud esse & non esse, illaque compositio & diuisio, in quibus consistit veritas affirmationis & negationis; vt cum dicimus lignum esse album, & diametrum non esse lateri cõmensurabilem, vt eadem veritas, & falsitas, hic atque ibi sit requirenda. *Cur alia sit veritatis ratio in compositione, alia in conceptu simplici.*

θεῖν ἢ συνάπτεσθαι τὸ λευκὸν ξύλον, ἢ τὸ ἀσύμμετρον τὴν διάμετρον) οὐδὲ τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ ψεῦδος ὁμοίως ἔτι ὑπάρξει καὶ ἐπ' ἐκείνων. f ἢ ὥσπερ οὐδὲ τὸ ἀληθὲς ἐπὶ τούτων τὸ αὐτό, οὕτως οὐδὲ τὸ εἶναι, ἀλλ' g ἔστι τὸ μὲν ἀληθές, τὸ δὲ ψεῦδος: τὸ μὲν θιγεῖν καὶ φάναι ἀληθές (οὐ γὰρ ταὐτὸ κατάφασις καὶ φάσις) τὸ δ' ἀγνοεῖν μὴ θιγγάνειν; ἀπατη-

diuisum; (veluti lignum album esse, & diametrum non esse commensurabilem) nec verum, & falsum iam similiter, atque in illis, erit. An f vt neq; verum in his est idem, ita neque esse: sed g hoc vtique est verum, hoc falsum; tangere quidem ac dicere verum; (neq; enim idem sunt affirmatio, & dictio) ignorare autem non tangere. Neq;

f *An vt nec verum.*] Incipit iam dubitantis more respondere; atque nimirum esse, si in simplici rerum apprehensione alia sit veritatis & falsitatis ratio, atque in compositione & diuisione, quandoquidem & aliud esse in eis cernitur: esse enim & non esse, affirmatione & negatione significatum, est coniunctio & disiunctio rerum, siue conceptuum obiectiuorum, vt vocant; esse autem, quod conceptui simplici respondet, est esse simplex, siue nihil coniungens aut disiungens: quo fit, vt alia etiam in eo sit veritatis & falsitatis ratio (si tamen in eo falsitas cernitur;) nam vt se res habet ad esse, ita & ad verum esse, quod est commune philosophorum pronuntiatum ex 2. lib. huius operis desumptum. Proinde melius inuertisset hoc loco Aristot. hunc in modum, An vt neque esse in his est idem, ita neque verum? sed id fortasse scribendi festinatione non animaduertit, quod hæc reciproca sint & recurrant inter se.

g *Sed hoc vtique est verum.*] Prosequitur responsionem, aperiens, quid tandem sit verum esse, cum de simplici rerum apprehensione agitur, quod item falsum, si quo modo in ea reperitur falsitas; atque verum esse hac in re nihil esse aliud, quam attingere, hoc est, percipere rem obiectam, eamve simplici dictione interna (quod verbum mentis dicitur) aut etiam externa significare (neque enim simplex dictio, inquit, est idem quod affirmatio,) falsum autem, si quis hoc vocabulo abutatur ad ignorationem significandam (vt Alexander ait) nihil esse aliud, quam non attingere, siue non percipere tametsi nemo mentis compos ignorationem falsitatem appellet, quemadmodum nec cum in tenebris nihil videmus, falsam visionem nos habere quisquam dixerit. Itaque simplex apprehensio, cui res aliqua possibilis obiicitur, per se quidem vera dici potest, falsa autem dici non potest; quemadmodum nec nomina ipsa externa rerum possibilium, seu verarum, falsa dicuntur; quis enim dicat nomina hominis & iusti esse falsa, etsi illud non conueniat in simiam, neque hoc in sceleratum hominem? quod si nomina verarum rerum male applicentur, siue interna illa sint, siue externa, erit quidem tum falsitas, non tamen in verbis ipsis, sed in eorum applicatione, in qua iam falsa compositio cernetur, vt superius diximus quemadmodum & falsa disiunctio, si negetur de rebus, quæ iis repræsentantur, aut significantur. *Quid sit verum simplex, quid item falsum.*

ἀπατηθῆναι h γὰρ περὶ τὸ τί ἐστιν, οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἢ κατὰ συμβεβηκός. ὁμοίως i δὲ καὶ περὶ τὰς ἀσυνθέτους οὐσίας, οὐ γάρ ἐστιν ἀπατηθῆναι. καὶ πᾶσαί εἰσιν ἐνεργείᾳ, οὐ δυνάμει: ἐγίνοντο γὰρ ἂν, καὶ ἐφθείροντο. νῦν δὲ τὸ ὂν αὐτὸ οὐ γίνεται, οὐδὲ φθείρεται: ἔκ τινος γὰρ ἂν ἐγίνετο. ὅσα l δή ἐστιν ὅπερ εἶναί τι, καὶ ἐνεργείᾳ, περὶ ταῦτα οὐκ ἔστιν ἀπατηθῆναι, ἀλλ' ἢ νοεῖν, ἢ μή: ἀλλὰ τὸ τί ἐστι ζητεῖται περὶ αὐτῶν, εἰ τοιαῦτά ἐστιν, ἢ μή.

Neque h enim fit, ut circa ipsum quid est decipiamur, nisi per accidens, eodemque i modo circa substantias non compositas: nemo enim decipitur. Actu etiam sunt omnes, non potentia: gignerentur enim, & interirent. nunc autem ens ipsum non oritur, nec interit: ex aliquo enim gigneretur. Quaecunque l igitur sunt id quod proprie quid est, atque actu, in eis non datur decipi, sed aut intelligi, aut minime: tametsi ipsum quid est de eis quaeritur, an talia sint, nec ne.

Ipsum

In conceptu definitiuo nō dari falsitatem.

h *Neque enim fit.*] Quia non perspicue negauerat in simplici rerum apprehensione dari falsitatem, id nunc declarat in definitione, quæ item simplex conceptus est simplicitate opposita compositioni verbali; præsertim cum definitiuus conceptus in hoc solum differat à conceptu omnino simplici, quod illum quasi dilucidat & explicat, nihil tamen afferendo, aut negando. Ait ergo Aristot. neminem decipi, hoc est, falsum aliquid apud se concipere, cum definitionem obiectiuam, siue ipsum, Quod quid est, percipit, quod idem docet lib. 3 de Anima cap. 6. cum ait, vt sensus circa propria obiecta semper est verus, ita intellectum circa Quod quid est. Admittit tamen posse dari per accidens in eo conceptu falsitatem, si ipsum Quod quid est rei propositæ applicetur ei, cuius Quod quid est non est, vt diximus de verbis simplicibus. Neque enim iam hic videtur esse locus ei falsitati, quam D. Th. docet inueniri posse in definitione, seu Quod quid est ei respondenti, si componatur ex iis, quæ re vera iungi non possunt, vt si quis pro definitione aliqua afferat animal non sensitiuum; Nam cum hoc loco sermo sit Arist. de veritate & falsitate, quæ in veris entibus cernitur, non est habendum in hac disputatione per Quod quid est id, quod implicat contradictionem, & in rerum natura nullo modo dari potest, quodque respondet orationi quam ille lib. 5. huius operis appellat per se falsam. Itaque dabitur quidem per accidens falsitas huiusmodi, si de Quod quid est communi possibilibus & impossibilibus loquamur, quemadmodum & nos paulo ante concessimus in verbis simplicibus confictitiarum rerum dari posse falsitatem, sed tamen neque ad rem loquemur hoc loco, si additionem hanc admittamus, nec tale Quod quid est simpliciter Quod quid est appellari potest, cum sit rei impossibilis.

Text. 26.

Nisi per accidens.

Cap. 29. text. 34.

In percipiendis substantiis separatis non dari falsitatem.

i *Eodemque modo circa.*] Iam hic nomine substantiarum non compositarum intelligit substantias separatas speciatim, quanquam hactenus eas in genere comprehenderit nomine eorum, quæ composita non sunt, hoc est, simplicibus conceptibus percipiuntur, atque adeo verius comprehenderit, quam naturales substantias. Ait ergo neminem in eis concipiendis decipi, quod ratione iam dicta perspicuum est; quo fit, vt neque in eis concipiendis detur falsitas. Addit tamen rationem aliam ex earum perpetuitate ductam, vt transeat ad aliam rationem veritatis sine falsitate, quæ in eis cernitur iuxta eius sententiam. Est autem ratio huiusmodi: substantiæ separatæ semper sunt actu, & nunquam potentia (*alioquin gignerentur, & interirent, quod fieri nequit:*) igitur semper in eis datur veritas, ac proinde nunquam falsitas: nam quæ semper sunt, semper vera sunt, & nunquam falsa, veritate nimirum simplici, atque adeo potiori quam sit ea, quam ipsa ex suis essentiis sibi vendicant, vt patet ex iis, quæ diximus cap. 1. 2. lib. exponeremus. Quod autem fieri nequeat, vt substantiæ separatæ gignantur & intereant, ex eo probat, quia sunt ens ipsum, hoc est, per se ipsas primo habent esse, & non per aliquam formam receptam in materia, vt habet materia res quæ naturales ex ea compositæ: aut per hoc, quod ipsæ recipiantur in materia, vt eæ formæ rerum naturalium, quæ de eius potentia educuntur, sed ipsæ sunt formæ per se primo existentes, nihilque pendentes à materia in suo esse: id autem, quod tale ens est, non potest generari aut corrumpi, ex alio quo enim gigneretur tanquam ex materia, qua tamen non indiget siue vt ex ea componatur, siue vt in ea existat. Vt autem sit verum quod ait Arist. substantias separatas nunquam fuisse potentia, intelligendum id est, de potentia ex parte materiæ: alioquin falsum esset, cum aliquando fuerint potentia ex parte agentis, à quo creatæ sunt: neque etiam esset ad rem id quod ait, si essent aliquando potentia, fore vt gignerentur & interirent: nam quod est in potentia solius agentis vt fuerunt omnia creata ante mundi constitutionem, non est necesse vt incipiat per generationem, aut desinat per corruptionem. Quare non recte probauit Arist. substantias separatas semper fuisse actu, semperque veras hoc præcipuo veritatis genere, nisi supposito illo eius errore, quo putauit nullam substantiam completam incipere posse nisi per generationem, de quo alias.

Eas nunquā esse potentia.

Nec posse gigni ex materia.

Quo vero sensu nunquā fuerint potentia.

l *Quaecunque igitur.*] Conclusio est de substantiis separatis, quiditatibusque Platonicis, si

dentur,

deantur, vt ipse eas posuisse creditur; fecit enim Plato eas per se primo existentes, nec pendentes in suo esse à materia. Sed quoniam forma humana est etiam per se existens; addit Aristotel. verba illa [*atque actu*] hoc est, semper existentia, vt illam excludat; ac merito quidem, nam cum illa non semper sit, sed incipiat esse cum ipso composito, ac proinde aliquando sit potentia, aliquando actu, non semper in ea datur veritas hæc præcipua, vt ipse eam non solum semper dandam, sed etiam semper datam fuisse putat in omnibus substantiis separatis. Atque hæc est præcipua rerum veritas, qua discernantur res sempiternæ ab iis, quæ tales non sunt: quæ veritas de facto quidem, vt dici solet, Deo soli conuenit, etsi aliis rebus conueniret, si mundus ab æterno conditus fuisset. Ait ergo Aristotel. in concipiendis substantiis separatis simplici conceptu, eodemque modo, quiditatibus rerum Platonico more positis, non dari deceptionem, quia semper fuerunt actu, & nunquam potentia; vnde qui eas talis naturæ concipit, vt sibi vendicent semper fuisse ac fore, veram intelligentiam habet, qui vero alium conceptum de eis format, nihil tamen affirmando, aut negando, etsi eas non percipit, non tamen falsam conceptionem habet, sed alienam ab earum natura, & quæ in aliquam aliam cadat, siue possibilem, siue impossibilem, quanquam si eam naturam quam concipit, de eis affirmet aut neget, verum aut falsum pronuntiare possit.

Animæ rationa'em etiam in sententia Arist. aliquãdo esse potentia.

Non dari falsitatem in accipiẽdis quiditatib. Platonicis, & [illegible]

l Sunt, qui putent, Aristotel. ita sibi persuasisse, substantias separatas semper actu fuisse ac fore, vt crediderit, non dari in eis distinctionem existentiæ ab essentia, quod si putasset, non dubium est, quin sensisset, eas non fuisse à Deo creatas ab æterno, sed ex se ipsis extitisse, quod tamen, quia falsum esse ostendemus libro 12. non dubium est, quin crediderit dari in eis distinctionem existentiæ ab essentia. Alia ratio est in ideis Platonicis si darentur: nam cum ideæ fieri nullo modo possent (neque enim essent singulares) necessario dicendum esset, non potuisse in eis dari distinctionẽ existentiæ ab essentia, quod proprium solius Dei est; inde enim fit, vt in omni conceptu Dei proprio necessario includatur existentia, siue Deus concipiatur vt actus purus, siue vt ens infinitæ perfectionis, siue vt ens ex se necessarium, siue vt id, quo maius aliquid cogitari non potest, siue quouis alio conceptu, qui ita in eum conueniat, vt in rem aliam conuenire nequeat.

Existentias & essentias rerum distingui.

Præterquam in Deo.

τὸ m δὲ εἶναι ὡς τὸ ἀληθές, καὶ τὸ μὴ εἶναι, ὡς τὸ ψεῦδος; ἓν μέν ἐστιν εἰ σύγκειται, ἀληθές, τὸ δ' εἰ μὴ σύγκειται, ψεῦδος: ἓν δὲ, εἴπερ ὄν, οὕτως ἐστίν, εἰ δὲ μὴ οὕτως, οὐκ ἔστι, τὸ δὲ ἀληθὲς, τὸ νοεῖν αὐτά: τὸ δὲ ψεῦδος, οὐκ ἔστιν, οὐδὲ ἀπάτη, ἀλλὰ ἄγνοια, οὐχ οἷα n ἡ τυφλότης ἐστίν: ἡ μὲν γὰρ τυφλότης ἐστίν, ὡς ἂν εἰ τὸ νοητικὸν ὅλως μὴ ἔχοι τις.

Φανε-

Ipsum m autem esse vt verum, & non esse vt falsum vno quidem modo, si componitur, verum est; si non componitur, falsum: alio vero modo, si proprie ens est, sic est; si vero non hoc modo, non est. Est autẽ verum ea intelligere: falsum autem nõ est, nec deceptio, sed ignoratio, non n qualis est cæcitas; est enim cæcitas perinde, ac si quis omnino intelligendi facultate careat.

Illud

m *Ipsum autem esse.*] Accommodat ea, quæ superius dixerat de veritate ac falsitate quarumcunque rerum, ad veritatem & falsitatem, quæ cernitur in substantiis separatis, essentiisque rerum, vt eas Plato posuisse dicitur, de quibus etiam proxime fuerat loquutus: aitque (tametsi breuius, & obscurius, quam oporteret) esse vt verum, & non esse vt falsum in huiusmodi rebus, vno quidem modo in sola compositione, & diuisione enuntiatiua dari posse; verum quidem, si compositio intellectus respondeat compositioni rerum, falsum vero, si non respondeat. Quo loco compositionis nomine affirmationem & negationem comprehendit, vt etiam libro 3. de Anima cap. 6. Alio autem modo hoc pacto rem habere: si proprie, inquit ens est, hoc est, si res concepta est perpetua, sic est hoc est, verus est conceptus; si vero non hoc modo, id est, si non concipitur vt perpetuæ naturæ, non est, hoc est, non est verus conceptus: sed tamen addit ita priorem conceptum esse verum, vt posterior non sit deceptio, seu falsa conceptio, sed ignoratio quædam. Aduerte autem hoc loco Aristotel. etsi putauit, substantias separatas, quas posuit ab æterno, fuisse nihilominus creatas, vt suo loco ostendemus; credidisse tamen illas essentia necessaria, quia existimauit, Deum in earum productione egisse ex necessitate naturæ, ac proinde si quis eas vero conceptu apprehendit, necesse esse, vt conceptu æternæ naturæ apprehendat.

Quo pacto in separatis substãtiis & quiditatibus verũ & falsum reperiatur.

à text. 21.

n *Non qualis est cæcitas.*] Hoc loco existimat D. Th. determinasse Aristot. quæstionem illam, quam dubiam reliquerat ad finem cap. 6. libro 3. de Anima; num videlicet intellectus humanus in hac vita possit intelligere quiditatiue substantias separatas: ait enim Arist. si quis earum naturam non percipiat, non proinde iudicandum esse priuatum facultate eas intelligendi, vt est cæcus facultate videndi, quod idem Alexander hoc loco affirmat, asserens id posse contingere iis, qui ad doctrinæ verticem peruenerint, ac optime vixerint; de qua re seorsim nobis agendum est.

 o *Illud*

φανερὸν ο δὲ καὶ ὅτι περὶ τῶν ἀκινήτων οὐκ ἔστιν ἀπάτη κατὰ τὸ ποτέ, εἴ τις ὑπολαμβάνοι ἀκίνητα: οἷον, τὸ τρίγωνον, εἰ μὴ μεταβάλλειν, οὐκ οἰήσεται ποτὲ μὲν δύο ὀρθὰς ἔχειν, ποτὲ δὲ οὔ: μεταβάλλοι γὰρ ἄν. ἀλλά τι μὲν, τι δ' οὔ: οἷον ἄρτιον ἀριθμὸν πρῶτον μὲν εἶναι μηδένα, ἢ τινὰς δ' οὔ. ἀριθμῷ δὲ περὶ ἕνα οὐδὲ τοῦτο: οὐ γὰρ ἔτι τινὰ μὲν, τινὰ δὲ οὐχ οἰήσεται, ἀλλ' ἀληθεύσει ἢ ψεύσεται, ὡς ἀεὶ οὕτως ἔχοντος.

Illud o etiam perspicuum est, circa immobilia non esse quandocunque deceptionem, si quis ea immobilia esse existimet. Exempli causa, si quis credat triangulum non mutari, non putabit vtique aliquando duos rectos habere, aliquando vero minime; mutaretur enim: sed aliquid quidem, aliquid vero non, veluti parem numerum nullum esse primum, aut quosdam esse, quosdam non esse. At circa vnum numero non hoc accidit; neque enim iam aliquem esse, aliquem non esse putabit, sed verum, aut falsum dicet, quasi semper sic se res habeat.

Circa ea, quae quis credit immobilia, aut semper decipi, aut semper vere iudicare.

o *Illud etiam perspicuum est.*] Colligit ex dictis, circa immobilia neminem modo quidem decipi posse, modo autem veram conceptionem habere, si ea immobilia esse existimet, sed semper circa ea aut decipi, aut verum iudicium habere; veluti circa triangulum, si quis credat (vt res habet) illum immobiliter se habere in suorum angulorum quantitate; aut enim is semper decipietur, si putet non habere angulos duobus rectis pares, aut semper vere iudicabit, si oppositum existimet; nam si modo hoc, modo illud sibi persuadeat, iam triangulus eius opinione mutabilis erit in quantitate suorum angulorum, cuius oppositum supponebatur. Addit tamen sub re aliqua immobili, & re vera & iudicio alicuius, dari posse apud eundem vicissitudinem deceptionis, & veri iudicii circa aliquas eius partes subiectas; vt sub numero, quem quis immobiliter putet esse primum, vel non primum, hoc est, mensurari vel non mensurari solius vnitatis repetitione; fieri enim potest, vt idem existimet, nullum parem numerum esse primum, aut quosdam pares esse primos, aliquos vero minime (quod fortasse id nondum animaduertit in ipsis numeri speciebus) cum tamen re vera solus binarius inter pares sit primus. Caeterum si res immobilis, & re vera & iudicio alicuius, sit vna numero, tum demum sub ea non posse illum quandoque decipi, quandoq; verum iudicium habere, sed aut semper verum, aut semper falsum concipere, eo quod vnum numero non habeat sub se partes subiectas, in quibus dubitari possit de attributis, quae speciei sine dubio tribuuntur. Videtur tamen hic, vt saepe alibi, vnum numero, siue indiuiduum, accipi pro specie infima, cuiusmodi est binarius; quod species infima non contineat sub se varias & dissimiles naturas, & quibus non aeque tribuantur ea, quae speciei conueniunt.

Vt l. 1. de par. animal. c. 4.

Veritatē magis cōsistere in actu, quam in potentia.

Ex his patet, circa sola contingentia, & quae quis contingentia, & mutabilia esse putet, dari posse vicissitudinem deceptionis & veri iudicii. Quare cum immobilia semper sint actu, aut saltem actu talia, contingentia vero aliquando sint potentia, colligit D. Thom. inde effici, vt veritas (adde & falsitas) in actu magis, quam in potentia consistat.

LAVS DEO OPT. MAX.

INDEX

INDEX

RERVM, ET VERBORVM HVIVS TOMI INPRIMIS MEMORABILIVM LOCVPLETISSIMVS, ET ACCVRATISSIMVS, VBI NVMERVS PRIMVS paginam, secundus paginæ columnam significat.

A.

Angelos

B.

C.

Commu-

D.

E.

Esse

Q.

R.

Substantia-

FINIS.

COMMENTARIORUM

PETRI FONSECÆ LVSITANI, DOCTORIS THEOLOGI, SOCIETATIS IESU:

IN METAPHYSICORVM ARISTOTELIS STAGIRITÆ DECIMUM, UNdecimum, & duodecimum: cum sequentium duorum interpretatione:

TOMVS IV.

NVNC A MENDIS QVAMPLVRIMIS, QVAE PRAEcedentibus editionibus irrepserant, summo labore purgatus, & in Germania elegantioribus typis, in gratiam studii Philosophici, quiq; omnium iam votis diu desideratus est, editus.



Cum Gratia & Privilegio S. Cæsareæ Majestatis, & permissu Societatis.

COLONIÆ,

Sumptibus LAZARI ZETZNERI Bibliopolæ.

ANNO M. DC. XIII.

INDEX PRAECIPVARVM HOC OPUSCULO MATERIARUM.

Litera ad locum lectorem remittit: numerus ad columnam secundam.

E

F

G

H.

I

L

M.

Num

N

O.

P

Tex-

T.

COM-

COMMENTARII

PETRI FONSECÆ, SOCIETATIS IESV,

IN LIBRVM DECIMVM METAPHYSICORVM ARISTOTELIS.

Procœmium.

EGit hactenus Aristoteles à principio libri septimi, de eo ente quod veterib. Philosophis notū erat; de ente, inquā, materiali ac corporeo: tametsi quasi obiter multa eius occasione dixit, quæ rebus materia expertibus conveniunt: nunc antequam de immaterialibus ex instituto disserat, aut potiùs disserere incipiat (perpauca enim Ethnicis Philosophis de vero earum genere nota fuerunt) libroque undecimo, sé ad eam disputationem paret, rationi consentaneum est ut priùs de generalibus entium affectionibus agat, de uno, inquā, iis quæ unum & oppositam multitudinem consequuntur, quarum etsi quædam immaterialibus etiam conveniunt, in rebus tamen materialibus inventa sunt, eisq́ solis à veteribus Philosophis inesse putabantur. Est & illa ratio cur hoc libro agat de uno, Quia cùm usque adeo coniunctum sit cum ente, ut Aristoteles lib. 4. dixerit illud esse unam atque eandem naturam cum ente, quotq́ sunt entis, tot esse unius species; primumq́ Philosophum quemadmodum de ente deq́ eius speciebus agit, ita oportere ut de uno eiusq́ speciebus disserat; necesse erat ut cùm disputandum esset de ente, eiusq́ generibus, mox de uno eiusq́ generibus ageretur. His ergo de causis sic agit Aristoteles in hoc libro de uno, ut primis quatuor capitibus de ipso in se spectato disserat, in reliquis autem de eo cum multitudine collato; in qua disputatione multa de rerum oppositione, rebusq́ oppositioni subiectis, copiosè tradit.

A

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ τὸ Ι.

Κεφάλαιον α.

Τεξτ. 1. a Τὸ ἓν ὅτι μὲν λέγεται πολλαχῶς, ἐν τοῖς περὶ τοῦ ποσαχῶς διῃρημένοις εἴρηται πρότερον. πλεοναχῶς δὲ λεγομένου, οἱ συγκεφαλαιούμενοι τρόποι εἰσὶ τέτταρες τῶν πρώτως καὶ καθ' αὑτὰ λεγομένων ἕν, B ἀλλὰ μὴ κατὰ συμβεβηκός. τό, τε γὰρ b συνεχὲς ἢ ἁπλῶς, ἢ μάλιστά γε τὸ φύσει καὶ μὴ ἁφῇ, μηδὲ δεσμῷ. καὶ τούτων μᾶλλον ἓν καὶ πρότερον, ὧν ἀδιαιρετωτέρα ἡ κίνησις καὶ μᾶλλον ἁπλῆ. c ἔτι τοιοῦτον. καὶ μᾶλλον τὸ ὅλον καὶ ἔχον τινὰ μορφὴν καὶ εἶδος μάλιστα δ' εἴ τι φύσει τοιοῦτον καὶ μὴ βίᾳ, ὥσπερ ὅσα κόλλῃ. ἢ γόμφῳ, ἢ συνδέσμῳ ἀλλὰ ἔχει ἐν αὑτῷ τὸ αἴτιον τοῦ συνεχὲς εἶναι. d τοιοῦτον δὲ τῷ μίαν τὴν κίνησιν εἶναι, C καὶ ἀδιαίρετον τόπῳ καὶ χρόνῳ ὥστε φανερὸν εἴ τι φύσει κινήσεως ἀρχὴν ἔχει τῆς πρώτης, τὴν πρώτην. οἷον λέγω φορᾶς κυκλοφορίαν. ὅτι τοῦτο πρῶτον μέγεθος ἕν. τὰ μὲν δὴ οὕτως ἕν, ἢ συνεχές, ἢ ὅλον. τὰ δὲ

e ὧν

ARISTOTELIS METAPHYSICORUM, LIBER X.

CAPUT I.

Quòd unum multis quidem dicatur modis, cùm antea quot modis unicuique diceretur, distinximus, expositum est. Pluribus verò modis cùm dicatur, quatuor sunt quasi capita eorũ quæ prima sunt, per se, & non per accidens unum. Tex. 1. b *Nam & continuum, aut simpliciter, aut naturâ maximè, non tactu, nec vinculo, unum dicitur. Atque ex his ea magis ac priùs sunt unum, quorum motus indivisibilior est, magisque simplex.* c *Id etiam tale est atque adeò magis quod totum est, & formam aliquam ac speciem habet; potissimùm verò si quid natura sit tale, & non vi, ut quæ glutine, aut clavo aut vinculo sunt talia; sed in se cur sit continuum, causam habet.* d *Id autem tale est, quòd ejus motus sit unus & tempore ac loco indivisibilis. Ita perspicuum est si quid natura primum principium primi motus habeat (qualem dico lationis conversionem) id primam esse magnitudinem unam. Atque hæc modo sunt unum, aut continuum, aut totum*

EXPLANATIO CAPITIS PRIMI.

Quòd unum multis.

At unum in se spectatum explicet, paucis hoc capite eius multiplicitatem repetit, quam fusiùs tradiderat cap. 6 libri quinti, in quo libro quot modis plurima dicerentur, exposuit. Revocat autem ad quatuor quasi capita, ea quæ unum dicuntur; non ita tamen ut omnia omnino complectantur, sed ea tantum quæ per se ac primò sunt unum; mittit enim ea quæ sunt unum per accidens, ut hominem album, aut secundaria ratione, ut ea quæ dicuntur unum, quia unum aliquid efficiunt, aut significant, aut alia ratione in unum conspirant; quo pacto unum dicũtur ii qui unum aliquod negotium conficiunt, imagines aut voces quæ rem unam & eandem referunt. & amici quorum unum & idem velle ac nolle dici solet. Capita verò unius ea sunt, unum continuitate. unum forma, unum numero, unum specie sive communi ratione ac natura, quæ omnia in progressu explicat.

b *Nam*

[b] *Nam & continuum.*

TRADIT primum genus unius quod est continuum. Quo loco tribus modis continui nomen accipit; uno quidem in genere pro eo quod est simpliciter seu quovis modo continuum: duobus autem in specie vel quasi specie, nempe pro eo quod est continuum natura aut arte. Natura (quod ait esse maximè cõtinuum) si veram & Philosophicam habeat continuitatem: arte verò si ex multis compactum sit, quæ revera non sint continuata inter se, sed vulgarem quandam habeant aut glutinis, aut vinculi, aliúsve ligaminis continuitatem. In utraq; enim quasi specie continui, ea docet esse magis unum quorum motus magis indivisibilis est, seu (quod idem est) magis simplex.

Dicitur autem hoc loco indivisibilis ipse motus continui, non quia non dividatur in partes priores & posteriores (cùm dividatur in infinitas) sed quia nec tempore sic potest dividi, ut cùm pars una mobilis movetur non moveatur alia; neq; item eo pacto, ut quam in partem spatii movetur una, non moveantur cæteræ quod Aristoteles paucis exemplis docet Quæ igitur magis accedunt ad hanc motus indivisibilitatem ea, ut ait Aristoteles, magis sunt unum continuum. Hæc tamen comparatio facienda non est inter res naturales & arte factas. Nam magis unum continuũ est aqua maris, vel quodlibet animal quàm navis aut sella aut quodcumque aliud arte factum ex multis confectum: & tamen motus navis & sellæ indivisibiliores sunt, cùm partes earum necessariò simul moveantur, & in eundem locum omnes; quod non necessariò accidit in aqua maris & quovis animali Sed conferendæ sunt res naturales inter

A se, & artificiosæ etiam inter se: quo pacto quodvis saxum magis unum continuum cẽsetur, quàm quælibet arbor, quia cùm movetur quævis pars saxi, omnes simul moventur necessariò; non autem radices arboris, cùm moventur rami. Sic Aristoteles in loco citato libri 5. ait: lineam rectã esse magis unum, quàm quæ angulum continet, & tibiam aut femur quàm crus, quia fingere possumus unam partem lineæ continentis an-

B gulum moveri immota altera, & tibiam item quæ est altera pars cruris, cùm quiescit femur, quod non accidit in linea recta, nec in tibia aut femore in sespectatis. Quia verò aqua & liquida omnia minimè participãt hanc unitatis rationem propter facillimam eorum divisionem: maximè verò eæ quæ solidæ sunt & inflexibiles: inde fit ut non his sed illis in singulari numero acceptis accommodari soleat nomen multitudinis.

C Dicimus enim multum aquæ seu multam aquam, non item multum saxi, nec multum saxum, & sic in cæteris.

[c] *Id etiam tale est.*

ADDIT secundum genus unius, quod est unum formâ, seu totum: forma enim cum eo cuius est forma, totum quid efficit. Sic dicimus superficiem absolutè esse unũ continuum, superficiem verò triangularem esse unum forma sive totũ,

D quia est compositum quid ex superficie & forma triangulari. Ait autem unum forma esse magis unum quam unum continuũ, quia ut ait D. Thomas, unum forma, est etiam unum continuitate, non contrà: vel quia continuitas provenit ex forma, ut ait Averroes; (quamquam hoc si de cõtinuitate fit sermo, in solis rebus naturalibus verum est) vel quia quod determinatum est, perfectius est u-

num, quàm quod indeterminatum; continuum autem indeterminatum quiddam est, nisi figuretur, aut alia ratione terminetur.

Quod verò addit, id quod natura verum est, hoc unitatis genere esse magis unum quàm quod vi sive arte est unum (fere enim forma artificiosa aliqua inducitur) rectè ex eo probat, quia naturalia habent in se causam cur sint continua, ipsam nimirū formam naturalem quæ naturaliter materias discretas inter se, nec vera continuitate conjunctas, informare non potest, ut patet ex iis quæ ad caput 4. libri quinti dicta sunt. Satis autem patet, in quibus duo hæc junguntur, ut aliquid sit unum, non solùm per formam aliquam sed per veram etiam & philosophicam continuitatem; ea magis esse unum, quàm quæ non sunt hoc pacto continua, etsi formam habeant artificiosam.

[d] *Id autem tale est.*

EXPONIT quid sit continuū, quod hactenus non fecerat: Complectiturque continui nomine & verum & vulgare continuum. Quo autem pacto intelligendum sit motū rei continuæ & tempore & loco esse indivisibilem paulò antè à nobis explicatum est. Ex qua re colligit Aristoteles si quid natura sua in se habet primum principium primi motus, hoc est localis & simplicissimi, qualis est circularis supremi orbis cœlestis (nam inferiores pluribus moventur motibus) id esse primam magnitudinem unam, hoc est, præcipuè unum, idque eo unitatis genere quod à continuitate ducitur. Cæteræ enim magnitudines inferiores quodammodo dici possunt plures, quòd earum quælibet quodammodo à se differat alteritate ea, qua diversis motibus subest, quo pacto dicimus animum contraria diversis rationib. appetentem, esse quodammodo à se distractum, ac perinde non omnino unum quid, sed quodammodo multa. Porro nomine primi principii motus localis intelligit Aristoteles indifferenter formam aut materiā cœli. quia putat cœlestia corpora naturaliter propensa esse ad motum circularem, ut patebit inferiùs; de qua re lib 5. non nihil diximus. Nomine autem primi motus intelligendum esse localem circularem, ipse ostendit octavo Physicorum libro.

[e] ὧν ἂν ὁ λόγος εἷς ᾖ. τοιαῦτα δὲ ὧν ἡ νόησις μία. τοιαῦτα δὲ ὧν ἀδιαίρετος. ἀδιαίρετος δὲ ἡ ἀδιαιρέτου εἴδει, ἢ ἀριθμῷ. ἀριθμῷ μὲν οὖν, τὸ καθ' ἕκαστον ἀδιαίρετον. εἴδει δὲ, τῷ γνωστῷ, καὶ τῇ ἐπιστήμῃ. [f] ὥσθ' ἓν ἂν εἴη πρῶτον τὸ ταῖς οὐσίαις αἴτιον τοῦ ἑνός, λέγεται μὲν οὖν δ τὸ ἓν τοσαυταχῶς, τό τε συνεχὲς φύσει. καὶ τὸ ὅλον καὶ τὸ καθ' ἕκαστον. καὶ τὸ καθόλου. πάντα δὲ [h] ταῦτα

[e] *Alia verò quorum ratio est una: talia autem sunt quorum una est intelligentia, atque hæc quorum indivisibilis: est autem indivisibilis, aut specie, aut numero. At numero quidem indivisibile, singulare est, specie verò quod cognitione & scientia. Quocirca id unum primum fuerit, quod substantiis causa est unitatis. His ergo 4 modis unum dicitur, & continuum natura, & totum, & singulare, & universale. Sunt autem [h] unum*

[e] *Alia verò quorum ratio.*

TRADIT tertium & quartū genus unius sub communi quodam conceptu in quo conveniunt, nempe eorum quorum ratio est una. Et quia ratio passim pro definitione sumitur, quasi se exponens, ait, talia esse ea quarum una est intelligentia, sive nimirum ea sit definitiva, sive simplex. Cùm autem intelligentia,

dicatur

dicatur una, quia est indivisibilis; possitque esse indivisibilis vel specie vel numero: inde concludit duo esse genera unius ratione sive intelligentia, nempe unum specie, & unum numero, seu (quod idem est) universale ac singulare. Nam species hoc loco pro universali sumitur (ut sæpe alibi) quod ipse paucis interpositis verbis, cùm colligit quatuor genera unius, declarat. Dicitur autem aliquid indivisibile numero, quia in plura numero dividi nequit: indivisibile autem specie seu natura universali, non quia in plura universalia dividi non possit (nam genera omnia in plures naturas universales dividuntur) sed quia dividi non potest cognoscibili & scientia, ut ait, hoc est, quia non est plura objecta scientiæ, seu quod idem valet, quia de eo, ut tale est, non habentur plures scientiæ. Itaque verbum [scientia] declarat nomine cognoscibilis, non quodvis objectum cognitionis intelligi, sed objectum quod in aliqua scientia directè & per se tractari solet: neque enim hoc pacto scientiæ de singularibus agunt, ut quæ nec definiunt, nec dividunt, nec de eis demonstrationes afferunt. Ex quo loco satis patet, etsi Aristoteles negat singularium esse scientiam, nō negare tamen eorum esse intelligentiam. Nec sat est dicere, concedere quidem Aristotelem singularium esse intelligentiam, sed tamen per accidens & indirectè: isto enim modo fatetur ille eorum esse scientiam, cùm tamen absolutè hîc dicat eorū esse intelligentiam, & tamen persæpe neget absolutè eorum esse scientiam.

f Quocirca id unum.

QUemadmodum paulò antè collegit, primam magnitudinem unam esse eam quæ simplicissimo motu movetur, & cæteris est causa motus; id nunc colligit id esse primum ratione unum, quod in sua ratione à nullo pendet, & in cæterorū ratione continetur. Et quia substantia est prior ratione accidentibus, ut ostensum est lib. 7. inde ait effici, quod substantiis est causa unitatis, id esse primum unum seu præcipuè unum: quod Alexander alii quidam ad formam substantialem referunt, à qua substantiæ naturales ut distin B ctionem habent, ita & unitatem. Potiùs tamen hoc videtur referendum ad primam substantiam inde pendentem & ratione & natura à cæteris omnibus substantiis, & à qua cæteræ pendent & in suo esse & in suis rationibus; quæ substantia solus est Deus, de qua re lib. 4. diximus. præsertim cùm re vera solùs ipse sit id quod efficit ut quælibet res sit una numero, cùm aliæ causæ ei sub ordine indifferentes sunt ad di- C versa numero efficienda, ut diximus lib 5.

g His ergo modis.

IN colligendis his quatuor generibus unius pressiùs accipit continuum, quàm cum de primo & secundo genere ageret. Ibi enim admisit non solum unum continuitate naturali sed etiam vulgari sive artificiosè confecta; hîc autem solum cōtinuum natura facit primum genus D unius, propterea quòd in eo genere est maximè unum ut eo loco dixit. Reduci tamen hîc debent continua vulgaria ad Philosophica continua, quemadmodum & vulgaria universalia & singularia (cujusmodi sunt plurima discreta, & quæ verè unam essentiam non habent, ut Mundus, Respublica, & Exercitus) ad ea quæ verè universalia sunt, verasque habent quiditates & essentias.

b Sunt autem unum.

REvocat quatuor dicta genera ad duo quædam, primum quidem & secundum, ad unum indivisibile motu; tertium verò & quartum ad unum indivisibile intelligentia, aut ratione. Sed cùm multa
A sint continua, quæ non moventur motu indivisibili, & tempore & loco, ut mare & animalia, ut suprà dictum est; dicetur continuum esse unum non quia semper movetur motu eo modo indivisibili, sed quia moveri potest.

Text. 2. ἕν, τῷ ἀδιαίρετον εἶναι. τὸ μὲν τὴν κίνησιν. τὸ δὲ τὴν νόησιν, ἢ τὸν λόγον. δεῖ δὲ καταvoεῖν ὅτι οὐχ ὡσαύτως ληπτέον λέγεσθαι ποῖά τε ἓν λέγεται, καὶ τί ἐστι τὸ ἑνὶ εἶναι, καὶ τίς αὐτοῦ λόγος. λέγεται μὲν γὰρ τὸ ἓν τοσαυταχῶς, καὶ ἕκαστον ἔσται ἓν τούτων, ὧν ἂν ὑπάρχοι τις τούτων τῶν τρόπων. [k] τὸ δὲ ἑνὶ εἶναι, ὁτὲ μὲν τούτων τινὶ ἔσται ὁτὲ δὲ ἄλλῳ, ὃ καὶ μᾶλλον ἐγγὺς τῷ ὀνόματί ἐστι, τῇ δυνάμει δ' ἐκεῖνα. [l] ὥσπερ καὶ περὶ στοιχείου καὶ αἰτίας, εἰ δέοι λέγειν, ἐπί τε τοῖς πράγμασι διορίζοντα, καὶ τοῦ ὀνόματος τὸν ὅρον ἀποδιδόντα. ἔστι μὲν γὰρ ὡς στοιχεῖον, τὸ πῦρ (ἔστι δ' ἴσως καθ' αὑτὸ καὶ τὸ ἄπειρον. ἤ τι ἄλλο τοιοῦτον) ἔστι δ' ὡς οὔ. οὐ γὰρ τὸ αὐτὸ πυρὶ καὶ στοιχείῳ εἶναι, ἀλλ' ὡς μὲν πρᾶγμά τι καὶ φύσις τὸ πῦρ στοιχεῖον τὸ δὲ ὄνομα σημαίνει, τῷ τῳδὶ συμβεβηκέναι αὐτῷ. ὅτι ἐστί τι ἐκ τούτου ὡς πρώτου ἐνυπάρχοντος. οὕτως καὶ ἐπὶ αἰτίου καὶ ἑνὸς τῶν τοιούτων ἁπάντων. [m] διὸ καὶ τὸ ἑνὶ εἶναι, τὸ ἀδιαιρέτῳ ἐστὶν εἶναι. ὅπερ τῷδε ὄντι καὶ ἀχωρίστῳ, ἢ τόπῳ, ἢ εἴδει, ἢ διανοίᾳ, ἢ τῷ ὅλῳ καὶ διωρισμένῳ.

hæc omnia, quòd aliorum motus, aliorum intelligentia aut ratio indivisibilis sit. [i] Porro illud considerare oportet, non eodem modo accipiendum esse, quod dicitur, quænam sint unum, & quodnam sit unius esse, quæque sit ejus B *ratio. Namque unum tot quidem modis dicitur: & una quæque res unum erit ex his, cui aliquis horum modorum contigerit. [k] At ipsum esse unius, nonnunquam horum alicui inerit, nonnumquam alii, quod & propius ad nomen accedit. Illa verò sunt potentia: [l] quale est si de elemento & causa sic dicere oporteat, ut & res ipsas explices, & nominis definitionem non tradas. Est enim ignis modo quodam elementum (est autem fortasse per se & ipsum infinitum, aut aliquid aliud tale) modo verò* C *alio non est. Neq; enim idem est ignis esse atque elementi, sed ut res quidem aliqua & natura ipse ignis elementum est, nomen verò significat hoc ipsum ei accidisse, esse, inquam, aliquid ex hoc primo, ita ut insit. Idem evenit & in causa, & in uno, & in hujusmodi omnibus. [m] Quapropter unum esse est indivisibile esse ipsum re vera ens, & inseparabile aut loco aut specie aut intelligentia aut ipso toto ac definito.* Text. 2.

Græca lectio habet, & nominis definitionem exprimas.

Bud. ut ens.

l Porrò illud considerare.

DOcet quo pacto unum prædicetur de quatuor dictis generibus unius, de continuo, inquam, toto, de singulari, de universali. Nam cùm alia ratio sit rei quæ dicitur una, alia verò ipsius unitatis, quæ illi accidit, quo pacto alia ratio est hominis qui dicitur albus, alia ipsius albedinis, quæ accidit homini; hoc primum animadvertere oportet, aliud esse dicere, rem hanc (verbi) causa continuum, vel totum, & cæt.) esse unam, quod verum est, quia accidit cuilibet earum ut sit una: aliud verò dicere, rem hanc (ostensa earum aliqua, esse ipsum esse seu natu- D ram rationemque unius, quod falsum est Nam si esse unius, nihil aliud esset quàm esse continui, quidquid esset unum, esset utique continuum, quod & falsum omnino est, & pugnat cum divisione unius proposita. Eodemque modo inpugnandus esset qui diceret esse unius, nihil esse aliud quàm esse totius; aut singularis aut universalis: unde illud planè colligitur, unitatem accidere rebus, neque esse ipsam rerum essentiam, sive in ipsis rebus existentem,

ut

ut putabant Pythagorici; sive à reb. separatam & per se existentem, à qua omnis unitas participaretur, ut Plato existimasse creditur.

Illud deinde animadvertendum est ipsũ esse sive naturã unius in ipsa indivisione consistere; proinde nomen unius alterum significare alterum innuere. Significat enim ipsam indivisionem; innuit autem res eas quæ sunt indivisæ. Quia verò quatuor illa sunt; quæ primò indivisa judicantur (continuum inquam, & B cæt. (deinde per ea ipsa, alia indivisa videntur, ut lapis, domus, Socrates, homo; hinc patet unum non univocè sed analogicè dici. Nam neque res indivisæ univocè conveniunt, ut patet, (quamquam parum id referret) neque ipsa indivisio eâdem ratione ab omnibus participatur, cùm aliud dicatur unum, quia indivisibili motu moveri potest modo jam explicato; aliud, quia indivisibilem habent formam, hoc est, à qua si C quid detrahas, jam forma pereat; aliud, quia est indivisibile numero: aliud, quia indivisibile specie sive in natura aliqua universali: quæ indivisiones, seu indivisibilitates, admodum diversæ sunt, neque in unã omnino unam conveniunt.

Patet igitur ex his unum dici accidentaria ratione non modò de quatuor illis, ut res quædam sunt, sed etiam de aliis quibus illæ tribuuntur, ut de cœlis, de elementis, de D monstris: (omnia enim ut sunt ita & unum sunt) analogicè autem de eisdem omnibus quatenus indivisæ sunt.

Si quis autem quærat de quo genere unius primùm dicatur unum, deinde quo ordine de aliis: respondendum est, primùm dici de uno numero, tum de uno specie, pòst de uno genere, postremò de uno analogia seu de eo quod unum est sola similitudine rationum, priusque de substantiarum unitatibus, posterius de accidentium, cætera inter ea quæ sunt unum numero, si vulgi quidem opinionem sequamur, aut eam Aristotelis sententiã approbemus, quæ sub speciebus infimis substantiarum non multiplicat individua, nisi per materiam: sanè excepta divinę essentiæ unitate, (quæ etsi unius numero naturæ est, non est tamen cum cæteris unitatibus conferenda, ut cum eis numerum faciat, sitque pars aliqua in rerum natura) dicendum erit, unum numero continuum habere primum locum in substantiis, ac proinde in cæteris entibus, eo quòd unum numero expers omnino materiæ, neque ullum cum ea habens naturæ commercium (ut habet alia rationis particeps) incidat in unum specie, ut etiam est sententia D Thomæ facientis omnes substantias separatas specie diversas. Quòd si veriorem, ut par est, sententiam amplectamur, unum numero expers materiæ in toto genere unius primũ locum obtinere: nam ut se res habet ad esse, ita & ad unum esse. Quæ omnia ex iis quæ ad caput. 6. quinti libri diximus, perspicua sunt. Aristoteles tamen etsi unum continuum singulare anteponit aliis generibus unius, quia per materiam signatam quantitate facit res individuas sub specie infima: tamẽ si continua quãtitas interminata sumatur, qua ratione dici solet materiæ conditionẽ sequi (ut si dicas, hoc corpus nulla ejus designata forma) minùs utique participabit rationem unius numero, quàm si sumeres terminatam aliquam quantitatem, ut si diceres corpus pedale, huiúsve aut illius figurę formæve substantialis, quæ primò materiam occupat. Atque hac ratione

ne conferens Aristoteles hoc capite unum forma cum uno continuitate, docuit magis esse unum quod forma unum est, quàm unum sola continuitate: & apud veteres scholasticos res materiales non individuabantur, ut ita dicam, per solas dimensiones interminatas, sed per eas, quę determinatæ ac formatæ essent.

k At ipsum esse unius.

Huius loci sensus est, ipsam indivisionem qua unum est unũ, variè rebus communicare, magisque ac minus illis convenire, quatenus magis minúsve accedunt ad id quod primò dicitur unum. Quare cùm unum numero primum locum habeat in iis quę dicuntur unum quo magis res aliqua uni numero, propinqua fuerit, eo magis unum erit: quo pacto homo magis est unum quã animal, & animal quàm substantia, & substantia quàm ens: communiora enim etsi latiùs patent, minùs tamen uniunt ea quæ sub se continent, quod Porphyrius in Isagoge rectè animadvertit: quod non alia de causa accidit, nisi quia ipsa communia in se minorem unitatem habent, quàm minùs communia, Quo loco illud [quod propiùs ad nomen accedit] idem valet ac si diceret, quod propinquius est primo hujus nominis significato, ac proinde nomini significati. Quod verò addit [illa verò sunt potentia] hanc habet sententiam: cætera verò quæ non sunt primò unum, sed magis aut minùs ad illud propinquant, possunt promoveri ad eum unitatis gradum additione differentiarum, quarum potestatem in se habet, quo pacto differentiæ specificæ potestate sunt in generibus, & individuales in speciebus, & terminatio dimensionum, in dimensionib. interminatis.

l *Alexander ad ca. 2. ait, unum in quantitate esse propinquius nomini unius, quàm unũ in aliis generibus.*

l Quale est si.

Affert duo exempla ad rem propositа, elementi nimirum & causæ, in quibus illud idem, quod de uno dicebatur, apertiùs cernitur. In iis enim quæ dicuntur elementa, aliud sunt res ipsæ quæ hoc nomine appellantur, ut ignis aut aliquid aliud per se existens, ac infinitum, à quo omnia quæ fiunt quasi decerpuntur (neque enim defuerũt quid id assererent) aliud verò ipsum esse elementĩ. Est enim elementum quatenus eo nomine significatur accidentarium quoddam attributum, quo res dicuntur esse id ex quo primo aliquid fit ita ut insit. Quod idem in causa accidit veluti in sole. Nam si ignis esse, idem esset quod elementi, & esse solis, idem esset quod causæ, omne elementum esset ignis, & omnis causa. sol. Eadem igitur est ratio in uno, & aliis huiusmodi, ut in toto, & in parte, in genere, & specie, cæterisq; similibus.

Sed cùm Aristoteles duo dixisset de uno, alterum quod esset accidentarium attributum earum rerum de quibus diceretur, alterum, quod esset analogum quippiam, non univocum, hoc secundum prætermisit, quod clariùs cerneretur in uno, quàm ut exemplis esset ostendendum.

m Quapropter unum esse.

Colligit id quod dixerat de ipso esse unius, deque eius multiplicitate & analogia. Quo loco verba illa [indivisibile esse,] ad rationẽ formalem unius pertinent: illud autem [ut verum ens] ad rem subjectã sive denominatam, quæ ens reale esse debet, ut sit re vera unum aliquid minimè pendens ab operatione intellectus. Cætera verò ad multiplicitatem unius pertinent. Nam inseparabile

sibile loco (seu cuius partes separari nequeunt) idem est quod unum continuum, siquidem partes continui dum maneat continuum, dissipari non possunt. Cætera ex dictis perspicua sunt.

Κεφάλαιον β΄.

Μάλιστα δὲ τὸ μέτρῳ εἶναι πρώτῳ ἑκάστου γένους, καὶ κυριώτατα τοῦ ποσοῦ. ἐντεῦθεν γὰρ καὶ ἐπὶ τὰ ἄλλα ἐλήλυθε. [b] μέτρον γάρ ἐστιν ᾧ τὸ ποσὸν γινώσκεται· γινώσκεται δὲ ἢ ἑνὶ, ἢ ἀριθμῷ τὸ ποσὸν ᾗ ποσόν. ὁ γὰρ ἀριθμὸς ἅπας, ἑνί· ὥστε πᾶν τὸ ποσὸν γινώσκεται, ᾗ ποσὸν, τῷ ἑνί. καὶ ᾧ πρώτῳ γινώσκεται τοῦτο αὐτὸ ἕν. [c] διὸ τὸ ἓν ἀριθμοῦ ἀρχὴ ᾗ ἀριθμός. [d] ἐντεῦθεν δὲ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις λέγεται μέτρον, ᾧ πρώτῳ ἕκαστον γινώσκεται, καὶ τὸ μέτρον ἑκάστου ἕν. ἐν μήκει, ἐν πλάτει, ἐν βάθει. ἐν βάρει, ἐν τάχει. τὸ γὰρ βάρος καὶ τάχος, κοινὸν ἐν τοῖς ἐναντίοις· διττὸν γὰρ ἕκαστον αὐτῶν. οἷον βάρος τό, τε ὁποσηνοῦν ἔχον ῥοπὴν, καὶ τὸ ἔχον ὑπεροχὴν ῥοπῆς, καὶ τάχος, τό, τε ὁποσηνοῦν κίνησιν ἔχον, καὶ τὸ ὑπεροχὴν κινήσεως. ἔστι γάρ τι τάχος καὶ τοῦ βραδέος, καὶ βάρος τοῦ κουφοτέρου.

ἐν

CAP. II.

Maximè autem [a] *mensuram esse primum cuiusque generis, ac quantitatis potissimum: hinc enim & ad alia traductum est.* [b] *Mensura enim est, qua quantum cognoscitur: cognoscitur autem quantum, quatenus quantum est, aut uno, aut numero, omnis verò numerus uno. Ita fit ut quantum, quatenus quantum, uno cognoscatur: & quo primo cognoscitur, id ipsum sit unum. Ex quare* [c] *efficitur ut unum numeri quatenus numerus est, principium sit.* [d] *Hinc & in aliis id mensura dicitur, quo primo unumquodque cognoscitur, unumque est mensura cuiusque in longitudine, in latitudine, in profunditate, in pondere, in celeritate. Est enim gravitas & celeritas commune quid in contrariis. Namque duobus modis utrunque eorum dicitur, ut gravitas & quod quantumvis pondus habet, & quod excedit pondere: celeritas item & quod quantuncumque habet motum, & quod motu excedit. Est enim & eius quod tardum est, celeritas quædam: & gravitas rei levioris.* Textus 3.

EXPLANATIO CAPITIS SECUNDI.

[a] *Maximè autem.*

Cum docuisset capite superiori quot modis diceretur unum, & qua ratione de quatuor traditis generibus unius prædicaretur, quidque nomen ipsum unius formaliter significaret; tradit hoc capite præcipuam unius proprietatem, nempe quòd sit primum mensura, seu (quod idem est) mensura cuiusque generis, potissimùm verò quanti aut quantum est; ex quantitate enim ad alia traductum esse ait, ut aliquid dicatur mensura. Repetenda sunt autem ex fine superioris capitis verba illa [quapropter unum esse est indivisibile esse] ut perfecta sit sententia. Quamquam verò Aristoteles videatur dicere magis positam esse naturam unius in eo quòd sit mensura cuiusque generis, quàm in eo quòd sit indivisibile, non ita est tamen, Esse cuiusque, unum est tantùm, nec potest esse duplex; sed iccirco ait unum esse, maximè in eo esse positum, ut sit prima mensura

cuiusque generis, quia hæc est illustrior eius proprietas, & ad usum quàm maximè accommodata. Nam & si prius convenit uni esse principium numeri, ut perspicuum est, & ex iis quæ ad cap. 6. libri quinti dicta sunt, intelligi potest; tamen esse mensuram aliorum dignitatem quandam, & utilitate præ se fert unius, quatenus unum seu quatenus indivisibile est.

[b] *Mensura enim.*

PRobat ea quæ dixerat, hoc uno argumento. Quia mensura, inquit, est id quo quantum cognoscimus: hoc enim videntur omnes nominè mensuræ concipere: constat autem in omni genere dari quantitatem aliquam vel extensionis, quæ propriè quantitas est, & ad prædicamentum quātitatis spectat, aut perfectionis, quæ quantitas per translationem dicitur, & in aliis etiam generibus reperitur. Cùm igitur quantum, quatenus quantum est, aut uno aut numero cognoscatur, ipseque numerus cognoscatur uno (nam & viam stadiorum decem longitudine decem stadiorum cognoscimus, ipsaque decem stadia stadio uno decies sumpto, & sic cætera metimur) efficitur ut unum sit prima cuiusque generis mensura, maximè verò quanti, quatenus quantum est. Id quod propterea addit Aristoteles, quia non est necesse ut natura rei quantæ, ut cæli aut terræ, cognoscatur cognita eius quantitate, certáve extensione; neque etiam necesse ut cognoscatur natura ipsius quantitatis, quæ aliquando dicitur quanta, hoc est tantæ, l. tantæ extensionis, cùm cognoscitur quantæ extensionis sit.

Hinc patet quantitatem continuam mensurari per discretam, cùm omne quantum mensuretur numero aut unitate, ut aït Aristoteles. Ratio verò huius rei est, quia omnis quantitas per suas partes mēsuratur, partes autem continuę quantitatis sunt potentia continuæ, partes verò discretæ sunt actu discretæ: siquidem hæ distinguūtur actu, illæ non item. Cùm igitur mensura sit ratio cognoscendi mensuratum, ut hoc loco tradit Aristoteles, cognitio autem ab actu ad potentiam procedat, ut idem libro superiori docuit, meritò continua mensurari dicitur per discretam.

[c] *Quo fit ut numeri.*

COlligit unum esse principium quatenus numerus est, ac proinde (quod subaudiendum est & colligendum erat) esse primam numeri mensuram, atque adeo primam omnium quæ quomodocunq; sunt quanta. Cognoscitur enim numerus, quatenus est numerus uno.

[d] *Hinc & in aliis.*

DOcet, ex uno quod est principium, non derivari ad alia quanta, (quę quidem vel cōtinua sunt, ut longitudo, latitudo, & profunditas, seu linea, superficies, & corpus: vel se habent ut continua, veluti gravitas & velocitas) aliquod unum quod habeat rationem mensuræ. Illud enim unum cuius repetitione cognoscitur eorum quantitas certáve extensio aut intensio (hæc enim veluti extensio quędam secunda est) est eorum mensura: quod quo pacto accidat, paulo pòst explicabitur. Interim tamen quòd in allatis exemplis non sit facta mentio levitatis & tarditatis, quæ contraria sunt gravitati & celeritati, causam fuisse ait Aristoteles, quia gravitas & celeritas sunt communes in contrariis, hoc est, utrumque contrarium significant,

gnificant, si res quibus conveniunt, cum aliis atque aliis conferantur. Gravitas enim aquę est levitas si cum gravitate terræ comparetur, & levitas aëris est gravitas si conferatur cũ levitate ignis. Duplex est enim, ut docet horum nominum usurpatio. Aliquando enim sumuntur absolutè, ut significant quantumcunque gravitatem, aut celeritatem, aliquãdo verò comparatè, ut significant id quod excedit gravitate aut celeritate. Et quanquam posteriori modo grave non significet id quod leve est, neq; velox id quod est tardum (qua significatione terra solùm dicitur gravis quia est omnium gravissima, & ignis tantùm levis, quia omnium levissimus, motusq; primi mobilis tantùm velox, quia omnium velocissimus, progressusque testudineus solùm tardus, si omnium sit tardissimus) priori tamen modo grave si-

A gnificat non solùm id quod gravitatem habet, sed etiam id quod levitatem, quo pacto aqua, etsi dicitur gravis, collata cum igne & aëre, dicitur tamen levis si cum terra conferatur; itemq; aër levis collatus cum terra & aqua, gravis autem collatus cum igne: eodemque modo motus sagittę dicitur celer, collatus cum motu testudinis aut etiam equi currentis, tardus autem collatus cum motu cœli. Cæterùm quod Aristoteles hîc B ait de gravitate & celeritate, contrariisque levitate & tarditate, intelligendum est de cæteris intensionibus & remissionibus qualitatum & motuum, sive illæ fiant per admistionem contrarii, ut in gravitate & calore, sive sine ejusmodi admistione, ut in celeritate motus, & intensione luminis. Nam ubi datur magis & minus, ibi datur ratio aliqua similitudoque continuæ quantitatis.

• ἐν πᾶσι δὴ τούτοις, μέτρον καὶ ἀρχὴ ἕν τι καὶ ἀδιαίρετον. ἐπεὶ καὶ ἐν ταῖς γραμμαῖς χρῶνται ὡς ἀτόμῳ τῇ ποδιαίᾳ. πανταχοῦ γὰρ τὸ μέτρον ἕν τι ζητοῦσι καὶ ἀδιαίρετον. τοῦτο δὲ τὸ ἁπλοῦν, ἢ τῷ ποιῷ, ἢ τῷ πο-

C *In his autem omnibus mensura & principium unum quid est, & indivisibile: quandoquidē & in lineis pedali pro indivisibili utuntur. Vbique enim mensuram unum quid atque indivisibile quærunt, hoc autem simplex est aut qualitate aut quantitate. Vbi igi-*

• *In his autem omnibus.*

OStendit quo pacto ab uno quod est principium & mensura numeri, derivetur ratio mensuræ ad alia, quę vel continua sunt, vel rationem continuitatis habent. Sententia loci est, si in toto quantitatis genere, seu propriè sumpto, seu imitatione quadam mensura quæratur, id dicendum esse mensuram, quod unum quid sit, & indivisibile sive sit indivisibile simpliciter ac omnino, quo pacto unum est mensura numeri, atque adeo omnium certissima, cùm semper adęquatè reddat totum: sive sumatur ut indivisibile propter parvitatem, cùm indivisibile non sit,

quo pacto pedalis linea est mensura linearum, quæ in ædificiis describẽdis ab Architectis ducuntur, & uncia rerum crassiorum quæ ponderãtur, scrupulusque tenuiorum; quæ D mensura minùs certa est minusque accurata: quòd non rarò superet aut deficiat, cum repetitur ad quantitatem rei cognoscendam. Itaque mensura aut debet esse indivisibilis seu minima simpliciter, aut comparatione rei quam metiri volumus. Quo fit ut in maioribus maiores mẽsuræ, in minoribus minores usurpari soleant. Quod autem ait, ubique mensuram quæri quæ aut quantitate simplex sit, aut qualitate, hunc ha-

bet sensum, ut non sit composita ex partibus quæ ad quantitatem (quoad fieri possit) aut qualitatem pertineant; qua ratione unitas est mensura numeri, quantitatesque continuę pro indivisibilibus acceptæ, sunt

A mensuræ continuarum; & qualitates simplicissimæ in suis generibus sunt mensuræ compositarum, ut albedo mediorum colorum, quòd hi plus minúsve habeant albedinis, ut inferiùs dicetur.

f ὅπου μὲν οὖν δοκεῖ μὴ εἶναι ἀφελεῖν ἢ προσθεῖναι, τοῦτο ἀκριβὲς τὸ μέτρον. διὸ τὸ τοῦ ἀριθμοῦ ἀκριβέστατον. τὴν γὰρ μονάδα τιθέασι πάντῃ ἀδιαίρετον. ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις μιμοῦνται τὸ τοιοῦτον. ἀπὸ γὰρ σταδίου καὶ ταλάντου, καὶ ἀεὶ τοῦ μείζονος, λάθοι ἂν καὶ προστεθέν τι καὶ ἀφαιρεθὲν μᾶλλον, ἢ ἀπὸ τοῦ ἐλάττονος. ὥστε ἀφ' οὗ πρώτου κατὰ τὴν αἴσθησιν μὴ ἐνδέχεται, τοῦτο πάντες ποιοῦνται μέτρον, καὶ ὑγρῶν καὶ ξηρῶν, καὶ βάρους, καὶ μεγέθους καὶ τότ' οἴονται εἰδέναι τὸ ποσόν, ὅταν εἰδῶσι διὰ τούτου τοῦ μέτρου. g καὶ δὴ καὶ κίνησιν τῇ ἁπλῇ κινήσει καὶ τῇ ταχίστῃ. ὀλιγοστὸν γὰρ αὕτη ἔχει χρόνον. διὸ ἐν τῇ ἀστρολογίᾳ τὸ τοιοῦτον. ἕν, ἀρχὴ καὶ μέτρον, (τὴν κίνησιν γὰρ ὁμαλὴν ὑποτίθενται, καὶ ταχίστην τὴν τοῦ οὐρανοῦ, πρὸς ἣν κρίνουσι τὰς ἄλλας) καὶ h ἐν μουσικῇ δίεσις, ὅτι ἐλάχιστον. καὶ ἐν φωνῇ στοιχεῖον. i καὶ ταῦτα πάντα ἕν τι οὕτως, οὐχ ὡς κοινόν τι τὸ ἕν, ἀλλ' ὥσπερ εἴρηται

tur. f nihil est quod auferri aut addi posse videatur, ea est accurata mensura: quare numeri certissima: ponunt enim unitatem omni ex parte indivisibilem, in cæteris autem tale quid imitari solent. Stadio enim & talento, & semper ei quod maius est si quid addatur, aut detrahatur, latere magis potest, quàm si rei minori. Quapropter cui primo sensuum iudicio id non accidit, id omnes & humidorum, & siccorum, & ponderis, & magnitudinis mensuram faciunt, tuncq; rei quantitatem se nosse existimant, cùm eam hac mensura tenent, g atque etiam motum, simplici motu ac velocissimo: brevissimum enim hic tempus habet. Quocirca in Astrologia tale unum principium & mensura est (motum enim cæli æquabilem ponunt, eumq; velocissimum, quo cæteros iudicant) & in h Musica diesis, quia minimum quid: & in voce i elementum. k Atque hæc omnia non ita unum sunt ut commune aliquid, sed ut dictum est. Text. 4.

f Vbi igitur nihil est.

TRadit regulam ad constituendam mensuram, quæ, etsi divisibilis sit, tamen ut indivisibilis sumi possit. Ea verò est ut sumatur adeo parva quantitas, ut facilè animadverti possit si quid ei addatur ab eáve detrahatur. Nam si magna sumatur, ut stadium ad metiendam viam, aut talentum ad ponderandum colossum, facilè poterit aliquid addi aut detrahi, nobis id minimè sentientibus, quo mensura fit fallax: quod tamen non facilè eveniet si ad metiendum sumatur passus aut pes, & ad ponderandum libra aut uncia.

g Atque etiam motum.

DUabus de causis motus primi mobilis sumitur pro mensura cæterorum motuum, præsertim apud Astrologos: una, quia est simplicissimus seu minimè compositus, ut suo modo sunt motus inferiorum orbium (qualis est motus solis D in quo etsi simplex est & uniformi cursu fit sub ecliptica, alię tamen motuum differentię cernũtur tametsi per accidens propter motus superiorum orbium) altera, quia est velocissimus, ac proinde in percurrenda ęquali via brevissimo ac minimo téporis spatio conficitur.

h Et in musica.

DIesis est minimus sonus sensibilis eorum qui in musica consideran-

siderantur, quamquam duplex & inæqualis, ut patebit ad initium sequentis capitis.

[a] *Et in voce elementum.*

In voce humana, quæ articulata dicitur elementum, sive litera, est prima mensura; quod etsi de vocali quæ per se sonare potest, præcipuè intelligitur (consonans enim per se non sonat, sed sibilat) tamen quo pa- A cto etiam de consonante intelligi possit, ad initium capitis sequentis explicabitur.

[k] *Atque hæc omnia.*

Sensus est, Mensuras omnes quas cõmemoraverat, & alias quæcũq; sunt rerum earũ in quibus extensio aliqua cernitur, non convenire univoce inter se, sed quadam analogica ratione.

Κεφάλαιον γ'. B

Οὐκ ἀεὶ δὲ τῷ ἀριθμῷ ἓν τὸ μέτρον, ἀλλ' ἐνίοτε πλείω. οἷον αἱ διέσεις δύο, αἱ μὴ κατὰ τὴν ἀκοὴν, ἀλλ' ἐν τοῖς λόγοις· καὶ αἱ φωναὶ πλείους αἷς μετροῦμεν· [b] καὶ ἡ διάμετρος δυσὶ μετρεῖται, καὶ ἡ πλευρὰ, καὶ τὰ μεγέθη πάντα. [c] οὕτω δὴ πάντων μέτρον τὸ ἓν, ὅτι γνωρίζομεν ἐξ ὧν ἐστιν ἡ οὐσία, διαιροῦντες ἢ κατὰ τὸ ποσὸν, ἢ κατὰ τὸ εἶδος. καὶ διὰ τοῦτο τὸ ἓν ἀδιαίρετον, ὅτι τὸ πρῶτον ἑκάστων ἀδιαίρετον. οὐχ ὁμοίως δὲ C πᾶν ἀδιαίρετον, οἷον ποὺς καὶ μονάς. ἀλλὰ τὸ μὲν πάντη, τὸ δ' εἰς ἀδιαίρετα πρὸς τὴν αἴσθησιν ἐθέλει, ὥσπερ εἴρηται ἤδη. ἴσως γὰρ πᾶν συνεχὲς διαιρετόν. [d] ἀεὶ δὲ συγγενὲς τὸ μέτρον: μεγεθῶν μὲν γὰρ μέγεθος, καὶ καθ' ἕκαστον, μήκους μῆκος, πλάτους πλάτος, φωνῶν φωνὴ, βάρους βάρος, μονάδων μονάς. οὕτω γὰρ δεῖ λαμβάνειν, ἀλλ' οὐχ ὅτι ἀριθμῶν ἀριθμός. καίτοι ἔδει ὁμοίως, ἀλλ' οὐχ ὁμοίως ἀξιοῖ, ἀλλ' ὥσπερ εἰ μονάδων μονάδας ἀξιώσειε μέτρον, ἀλλὰ μὴ μονάδα· ὁ δ' ἀριθμὸς πλῆθος μονάδων. *Text. 5.* καὶ τὴν ἐπιστήμην μέτρον τῶν πραγμάτων λέγομεν, καὶ τὴν αἴσθησιν διὰ τὸ αὐτὸ ὅτι γνωρίζομέν τι αὐταῖς, ἐπεὶ μετροῦνται μᾶλλον ἢ μετροῦσιν. ἀλλὰ συμβαίνει ἡμῖν, ὥσπερ ἂν εἰ ἄλλου ἡμᾶς μετροῦντος, ἐγνωρίσαμεν πηλίκοι ἐσμὲν, τῷ τὸν πῆχυν ἐπὶ τοσοῦτον ἡμῖν ἐπιβάλλειν. Πρωταγόρας δ' ἄνθρωπόν φησι πάντων εἶναι μέτρον, ὥσπερ ἂν εἰ τὸν ἐπιστήμονα εἰπὼν, ἢ τὸν αἰσθανόμενον. τούτους δ' ὅτι ἔχουσιν ὁ μὲν αἴσθη-

CAP. III.

Non semper autem mensura una est numero, sed interdum plures: ut dieses duæ quæ non audiuntur, sed rationibus accommodantur: & plures voces quibus metimur. Sed & [b] diameter duobus mensuratur, & latus, omnesq; magnitudines. Sic [c] igitur mensura omnium unum est, quia aut quantitate aut forma dividentes, ex quibus substantia existat, cognoscimus. Atque ea de causa unum indivisibile est, quia primum singularum rerum est indivisibile. Neq; verò res omnis indivisibilis est, ut pes, & unitas, sed hoc quidem omni ex parte, illud verò in ea quæ sensu indivisibilia fermè sunt, ut dictum jam est: fortasse enim omne cõtinuum est divisibile. Semper [d] autem mensura est generis ejusdem. Est enim magnitudinum magnitudo, & singulatim longitudinis longitudo, latitudinis latitudo, vocũ vox, põderis põdus, unitas unitatum: sic enim accipiendum est, non quòd numerorum numerus. At oportebat si modo eodem. Verum non similiter quis censeat, sed veluti si unitatum unitates mensuram esse censeret, non unitatem: numerus autem unitatum est multitudo. Sed & [e] scientiam mensuram rerum esse dicimus, eademq; ratione sensum, quòd iis aliquid cognoscamus. Atqui mensurantur potius quàm mensurent. Sed perinde id accidit, ac si alio nos metiente cognosceremus quanti simus, quod nobis toties cubitum accommodaret. Protagoras [f] verò hominem rerum omnium mensuram esse ait, quasi scientem aut sentientem diceret: atque hos quidem quòd habeant, hic quidem sensum, ille verò scientiam, quæ dicimus sub-

Text. 5.
Græcè ἐπεὶ & sonat, si quidem.

Græcè, in tantum id est, quòd nobis tantum, & cubitum in

στιν, ἡ δὲ ἐπιστήμην, ἃ φαμὲν εἶναι μέτρα τῶν ὑποκειμένων. οὐδὲν δὴ λέγοντες περιττὸν φαίνονταί τι λέγειν. ὅτι μὲν οὖν τῷ ἑνὶ εἶναι, μάλιστά ἐστι κατὰ τὸ ὄνομα ἀφορίζουσι, μέτρον τί καὶ κυριώτατον τοῦ ποσοῦ, εἶτα τοῦ ποιοῦ φανερὸν ἔσται δὲ τοιοῦτον, τὸ μὲν, ἂν ᾖ ἀδιαίρετον κατὰ τὸ ποσόν· τὸ δὲ, ἂν κατὰ τὸ ποιόν, διόπερ ἀδιαίρετον τὸ ἕν, ἢ ἁπλῶς, ἢ ᾗ ἕν.

A iectarum rerum esse mensuras. Itaque ii cùm nihil egregium dicant, aliquid dicere videntur. Quòd igitur unius esse (si nomen quod definiunt, spectetur) sit maximè ac præcipuè quantitatis mensura quædam, deinde qualitatis, perspicuum est Erit autem tale, partim si quantitate indivisibile sit, partim si qualitate. Quare unum aut omnino aut quatenus unum est, indivisibile est.

EXPLANATIO CAPITIS TERTII.

a Non semper autem.

Superiori capite docuit, unum quod est numeri principium, esse primam omnium mensuram, ex eoque mensuræ rationem ad ea extendi, quæ illud imitarentur; nunc amplioris explicationis gratia quædam alia de mēsurarum ratione adjungit; quorum illud est primum: Non semper existimandum esse, unam tantùm esse mensuram rei quam metimur, sed aliquādo plures. Quænam verò sint eæ plures mensuræ, Alexander ex enarratione ut ait, sui præceptoris, duas esse tradit, unam materialem qualis est ulna lignea qua metimur pannum; alteram quasi formalem. quæ est ratio ulnæ in anima existens, quam etiam mens nostra rei externæ applicat, cùm eius quantitatem cognoscere volumus: sed hæc sententia propterea non placet, quòd hac ratione omnis mensura sit duplex, nec debuisset Aristoteles dicere interdum esse plures, sed semper esse. Mitto quòd eæ mensuræ non debeant plures censeri, cùm interna per externa metiamur.

Averroes & Alensis sic plures mensuras interpretantur, ut velint minorem in maiori includi: quo pacto palmus includitur in ulna semitonus in tono, & syllaba in pede. Sed cùm hoc apertius sit, quàm ut explicandum videatur, nec exempla satis hunc sensum præ se ferant; potiùs dicendum est, nomine plurium mensurarum quæ interdum in re eadem metienda cernūtur, eas hoc loco intelligendas velle Aristotelem quarum neutra per se satis est ad mensurandum sed ambæ conjunctæ unam completam mensuram efficiunt. Sensus ergo loci est, quem Albertus innuit, etsi in quibusdam rebus una tantùm mensura sit, non ex pluribus incompletis diversæ rationis composita, ut in numero unitas numeralis, & in qualitate gradus, & in pondere scrupulus; in aliis tamen aliquando esse duplicem, cuiusmodi sunt in melodia dieses duæ, hoc est, duo minimi soni sensibiles, ex quibus tonus conficitur, qui est quidam quasi gradus in cantu Namque hi soni etsi sensuum judicio sunt æquales, ratione tamen ducta ex proportionibus vocum, inter se inæquales esse demonstrantur, alterque dicitur semitonus maior, alter semitonus minor, qui minor apud recentiores Musicos diesis nomine simpliciter significatur, ita ut maior pars toni dicatur semitonus absolutè; minor verò, diesis, ut refert Budæus in Commentariis linguæ Græcæ. De qua re Musici diligentiùs. Eodem modo plures voces quæ sensuum judicio

sunt

sunt indivisibiles quodammodo, & incompletè metiuntur orationē, nempe vocalis & consonans. Nam consonans, etsi per sesonum non efficit, sed sibilum, ut paulo antè dictum est, tamen vocali juncta sonat, vocemque componit, qualem nec sola ipsa nec sola vocalis efficeret, estque veluti accidentaria forma vocalis soni in componēda syllaba, quæ ex utraq; artificiosè conficitur, & completam quandam mensuram orationis efficit.

b Sed & diameter.

HOc exemplum plurium mensuratum ad probandam veritatem propositionis refertur, quæ probatio est quædam, ut ita dicam, veritatis mensuratio. Si quis enim quantitatem diametri, aut lateris, aut cuiuscumque alterius magnitudinis velit cognoscere, duabus minimùm lineis, aliisve magnitudinibus, duabusque minimum sumptionibus utatur necesse est. Neq; enim demonstratur quantitas ignota nisi per duas minimùm quantitates notas; nec probatio ulla fit completa, nisi per duas minimùm propositiones Itaque ut ex consonante & vocali quæ incompletè mensurant, fit una completa mensura, quæ est syllaba; sic ex diversis lineis aliisve magnitudinibus, & ex diversis propositionibus quæ incompletè demonstrant quantitatem magnitudinis propositæ, fit una completa demonstratio.

c Sic igitur mensura.

COlligit quæ dixerat de uno reddens rationem cur sit omnium mensura. Ratio verò est quia unum ut tale est, minimum quid est, minimum autem quemadmodum est primum in compositione, sic est ultimum in resolutione divisioneque, seu divisio fiat in partes quantitatis, ut divisio numeri aut magnitudinis seu in partes qualitatis, ut divisio melodiæ. Cum igitur res tunc cognoscatur cum resolvitur in ea ex quibus primò constat, idque sit eam metiri; efficitur ut unum, quia minimum quid est, sit omnium mensura.
B Nisi quod vel est minimum simpliciter sive omnino, ut unitas, vel judicio sensuum, aut comparatione magnæ alterius dimensionis, prout auctoritate alicuius constitutum est, qualis est pedalis mensura collata cum toto ædificio, cum alioqui sit divisibilis, quemadmodum fortasse omne continuum. Dixit autem fortasse, propter eos qui sentiunt, continuum constare ex indivisibilibus. quos in hoc opere ex instituto non refutat.
C

d Semper autem mensura.

ADdit aliud consideratione dignum, Mensuram semper esse generis eiusdem cum eo cuius est mensura. Quo pacto mensura magnitudinum magnitudo est, hoc est, corporum corpus (sumitur enim nomen speciei pro generis) quo idē in cęteris duabus dimensionum speciebus, aliisque rebus inductione o-
D stendit, ac demum ut unitas juxta hoc documentum sit mensura eiusdem generis sive naturæ cum mensurato, ait unitatem esse unitatum mensuram. Sic enim potius loqui oportet, quàm si quis dicat numerū esse mensuram numerorum: quo tamen modo juxta traditum documētum loquendum videretur, quemadmodum magnitudo dicta est mensura magnitudinum. Non enim esse parem rationem ex eo patet, quia cum numerus nihil aliud sit quàm unitatum multitudo, idem est, dicere

re numerum esse numerorum mensuram, atque unitates esse mensuras unitatum, non autem unitatē: quod pluribus de causis absurdum est; una, quia eædem viderentur dici mensuræ sui; altera quia mensura debet esse indivisibilis; constat autem, unitates esse divisibiles, quod unitati non accidit. Nec mirum est quòd unitas hoc loco dicatur mensura unitatum, non autem numeri aut numerorum ut hactenus; Namque ex eodem illo pronunciato (idem esse numerorum atque unitatum multitudinem) perspicua est solutio Dixit tamen Aristoteles hoc loco potius unitatem esse mensuram unitatum, quàm numeri vel numerorum, tum ut se clariùs ad documentum accommodaret; tum etiam ut significaret numerum revera non esse unū quid simpliciter, sed multa simpliciter, ut docuerat lib. 8 nosque ad librum quintum ostendimus. Tametsi documentum hoc non tanta religione observandum est, ut mensura semper sit directò in eodem genere in quo est mensuratum, cum ex iis quæ inferiùs dicentur, satis interdum sit ut sit reductitiè; quo pacto unitas est in genere numerorum, ut demus numerum esse verum genus, & speciales naturas, veras & germanas species.

e Sed & scientiam.

CUm dixisset id esse mensuram per quod quantitatem rei cognoscimus: ne quis forte id accommodaret ad probandum scientiam esse propriè mensuram rerum scibilium, & sensum sensibilium, quod ea ratione dici solet, quia per scientiam cognoscimus scibilia, & per sensum sensibilia; docet eam loquutionem non esse propriam, cùm potius scientia mensuretur per scibilia, & sensus per sensibilia; sed per-

A inde ea usurpari ac si quis cognitionē eam qua se videat extrinsecus mensurari cubito aliquoties repetito, appellet mensuram sui, cum potius cubitus extrinsecus applicatus sit vera sui mensura, non cognitio eiusmodi.

f Protagoras verò.

REprehendit Protagoram, quòd hominem mensuram omnium esse dixerit, quasi egregium aliquid & sapientiæ plenum, cùm tamē
B significare voluerit, hominem per scientiam esse mensuram rerum quę scientiæ subjectæ sunt, & per sensum mensuram earum quæ sub sensum cadunt quod non modò sapienter dictum non est, sed etiam minùs rectè. Nam ut demus scientiam esse modo aliquo mensurā scibiliū, & sensū sensibiliū ut cū per motū mēsuramus tēpus, q̄ alioqui est mēsura mo-
C tus; tamen id genus mensurę improprium est & à posteriori, ac sæpe periculo errandi expositum, præsertim cum aliquando tales esse putemus res ipsas, quales pseudographi syllogismi hoc est fallaces demonstrationes, aut sensus malè affecti judicant. Sed reprehensio hæc levior est ea, qua illum exercet Aristoteles libro quarto huius operis, cum hominem adigit ad contradictionem, quòd re vera videatur fecisse, idque propriè,
D & à priori sensum & intellectum nostrum omnium rerum subjectarum mensuras.

g Quòd igitur unius.

EPilogus est eorum quæ dixerat de uno Quo loco verba illa, Unum aut simpliciter aut quatenus unum est indivisibile esse, eum sensum habent, ut unum dicatur indivisibile vel quatenus omnino tale est ut unum numerale; vel quatenus talis unius naturam imitatur, ut extrema verba eum sensum habeant ut unum

unum dicatur indivisibile, aut simpliciter, si sumatur ut mensura numeri, aut quatenus unum, si sumatur, ut mensura rerum aliarum, quæ A mensura non est indivisibilis, nisi comparatione rerum magnæ quantitatis quas metitur.

Κεφάλαιον. δ.

Κατὰ δὲ τὴν οὐσίαν καὶ τὴν φύσιν ζητητέον ποτέρως ἔχει, καθάπερ ἐν τοῖς διαπορήμασιν ἐπήλθομεν, τί τὸ ἕν ἐστι, καὶ πῶς δεῖ περὶ τοῦ αὐτοῦ λαβεῖν. πότερον ὡς οὐσίας τινὸς οὔσης αὐτοῦ τοῦ ἑνός, καθάπερ οἵ τε Πυθαγόρειοί φασι πρότερον, καὶ Πλάτων ὕστερον. ἢ μᾶλλον ὑπόκειταί τις φύσις καὶ πῶς δεῖ γνωριμωτέρως λεχθῆναι, καὶ μᾶλλον, ὥσπερ οἱ περὶ φύσεως. ἐκείνων μὲν γάρ, ὁ μέν τις φιλίαν εἶναί φησι τὸ ἕν, ὁ δ' ἀέρα, ὁ δὲ τὸ ἄπειρον. εἰ δὲ μηδὲν τῶν καθόλου δυνατὸν οὐσίαν εἶναι, καθάπερ ἐν τοῖς περὶ οὐσίας καὶ τοῖς περὶ τοῦ ὄντος εἴρηται λόγοις, οὐδ' αὐτὸ τοῦτο οὐσία, ὡς ἕν τι παρὰ τὰ πολλὰ δυνατὸν εἶναι (κοινὸν γάρ) ἀλλ' ἢ κατηγόρημα μόνον· δῆλον ὡς οὐδὲ τὸ ἕν. τὸ γὰρ ὄν, καὶ τὸ ἓν καθόλου κατηγορεῖται μάλιστα πάντων. ὥστε οὔτε τὰ γένη φύσεις τινὲς καὶ οὐσίαι χωρισταὶ τῶν ἄλλων εἰσίν, οὔτε τὸ ἓν γένος ἐνδέχεται εἶναι διὰ τὰς αὐτὰς αἰτίας, δι' ἅσπερ οὐδὲ τὸ ὄν, οὐδὲ τὴν οὐσίαν. [b] ἔτι δ' ὁμοίως ἐπὶ πάντων ἀναγκαῖον ἔχειν. λέγεται δὲ ἰσαχῶς τὸ ὂν καὶ τὸ ἕν. ὥστ' ἐπείπερ ἐν τοῖς ποιοῖς ἐστί τι τὸ ἓν καί τις φύσις, ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τοῖς ποσοῖς, δῆλον ὅτι καὶ ὅλως ζητητέον τί τὸ ἕν, ὥσπερ καὶ τί τὸ ὄν. ὡς οὐχ ἱκανὸν ὅτι τοῦτο αὐτὸ ἡ φύσις αὐτοῦ, ἀλλὰ μὴν ἔν γε χρώμασίν ἐστι τὸ ἓν χρῶμα, οἷον τὸ λευκόν. εἶτα τὰ ἄλλα ἐκ τούτου καὶ τοῦ μέλανος φαίνεται γιγνόμενα. τὸ δὲ μέλαν, στέρησις λευκοῦ, ὥσπερ καὶ φωτὸς σκότος· τοῦτο δ' ἐστὶ στέρησις φωτός. ὥστε εἰ τὰ ὄντα ἦν χρώματα, ἦν ἂν ἀριθμός τις τὰ ὄντα. ἀλλὰ τινῶν; δῆλον δὴ ὅτι χρωμάτων. καὶ τὸ ἓν ἦν ἄν τι ἕν, οἷον τὸ λευκόν. ὁμοίως δὲ καὶ εἰ μέλη τὰ ὄντα ἦν, ἀριθμὸς ἂν ἦν, διέσεων μέντοι. ἀλλ' οὐκ ἀριθμὸς ἡ οὐσία αὐτῶν. καὶ τὸ ἓν ἦν ἄν τι οὗ ἡ οὐσία οὐ τὸ ἕν, ἀλλὰ δίεσις. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν

CAPUT IV.

B *In substantia verò & natura utro modo se habeat, quærendum est, quemadmodum in dubitationibus transegimus; quidnam unum sit, & quo pacto de eo opinari oporteat: num velut substantia quadam sit unum ipsum, sicuti Pythagorici prius, Plato autem post dixerunt: an potiùs aliqua subjiciatur natura, & quonam modo oporteat notius aliquid magisque constitui, ut Naturales voluerunt. Eorum enim alius concordiam, ipsum unum esse ait, alius aerem, alius infinitum.*

Quòd si [a] nihil eorum quæ universalia sunt, substantia esse potest, ut in disputationibus de substantia deque ente dictum est, neque C *hoc ipsum potest esse substantia, velut unum quid à multis separatum (est enim commune) sed solum categorema prædicatumve: perspicuum est, ne unum quidem posse. Ens enim & unum universè maximè de omnibus prædicantur. Quare nec genera ipsa naturæ quædam & substantiæ sunt ab aliis separabiles: neque unum genus esse potest nec substantia easdem ob causas, propter quas neque ens. Præterea [b] in omnibus eodem modo res se habeat, necesse est: Ens autem & unum æquè latè pa-* D *tent: quare cùm in qualibus ipsum unum aliquid sit naturaque aliqua, & in qualibus similiter perspicuum est quærendum omnino esse, quidnam sit [c] unum, quemadmodum & quidnam sit ens, quòd non satis sit hoc ipsum esse eius naturam. Atqui unum in coloribus est color, ut album, deinde alii ex hoc & nigro videntur fieri: nigrum verò privatio albi est, quemadmodum lucis tenebræ: sunt enim hæ lucis privatio. Quocirca [d] si entia essent colores, essent utique aliquis numerus. At quorum? Non dubium quin colorum; ipsumque unum aliquid esset, nempe album. Eodem modo, si entia essent modulationes, essent certè numerus, dieseos nimirum, nec numerus esset earum substantia, ipsumque unum aliquid esset, cuius substantia nō esset unū ipsum sed die-*

φθόγγων στοιχείων ἦν ἂν τὰ ὄντα ἀρι-
θμός, καὶ τὸ ἓν στοιχεῖον φωνῆεν. καὶ εἰ σχή-
ματα εὐθύγραμμα, σχημάτων ἂν ἦν ἀ-
ριθμός, καὶ τὸ ἕν, τὸ τρίγωνον, ὁ δ᾽ αὐτὸς
λόγος καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων γενῶν. ὥστ᾽ εἴπερ
καὶ ἐν τοῖς πάθεσι, καὶ ἐν τοῖς ποιοῖς, καὶ ἐν τοῖς πο-
σοῖς, καὶ ἐν κινήσει ἀριθμῶν ὄντων. καὶ ἑνός τινος
ἐν ἅπασιν; ὅ, τε ἀριθμὸς τινῶν, καὶ τὸ ἕν τι
ὄν. ἀλλ᾽ οὐχὶ τοῦτο αὐτοῦ ἡ οὐσία, καὶ ἐπὶ τῶν
οὐσιῶν ἀνάγκη ὡσαύτως ἔχειν. ὁμοίως γὰρ
Text.8. ἔχει ἐπὶ πάντων. ὅτι μὲν οὖν τὸ ἓν ἐν παντὶ
γένει ἐστί τις φύσις, καὶ οὐδενὸς τοῦτό γ᾽ αὐτὸ
ἡ φύσις τὸ ἕν, φανερόν. ἀλλ᾽ ὥσπερ ἐν χρώ-
μασι χρῶμα ἓν ζητητέον αὐτὸ τὸ ἕν, οὕτω
καὶ ἐν οὐσίᾳ οὐσίαν μίαν, αὐτό τε τὸ ἕν. ὅτι δὲ
τὸ αὐτὸ σημαίνει πως τὸ ἓν καὶ τὸ ὄν, δῆλον,
τῷ τε παρακολουθεῖν ἰσαχῶς ταῖς κατηγορί-
αις, καὶ μὴ εἶναι ἐν μηδεμιᾷ. οἷον οὔτε ἐν τῷ τί
ἐστιν, οὔτ᾽ ἐν τῷ ποῖον, ἀλλ᾽ ὁμοίως ἔχει, ὥσπερ
τὸ ὄν. καὶ τῷ μὴ προσκατηγορεῖσθαι ἕτερόν τι
τὸ εἷς ἄνθρωπος τοῦ ἀνθρώπου ὥσπερ οὐδὲ
τὸ εἶναι παρὰ τὸ τί, ἢ ποιὸν, ἢ ποσόν. καὶ τῷ ἑνὶ
εἶναι, τὸ ἑκάστῳ εἶναι.

A *sit. Similiter & in vocibus, elementorum uti-*
que essent numerus ipsa entia, unumque i-
psum foret elementum vocale. Si etiam figu-
ra rectilineæ, figuræ profectò essent numerus,
ipsumque unum esset triangulus: eademq; ra-
tio est in aliis generibus. Quare si positus nume-
ris & in passionibus, & in qualitatibus, & in
quantitatibus, & in motu, & uno quodam in
omnibus, ipse numerus aliquorum est, & i-
psum unum aliquod ens; neq; hoc est eius sub-
stantia, & in substantiis quoq; eodem modo rē
se habere necesse est. Res enim in omnibus eo-
dem modo se habet. Quòd igitur unum ipsum
in omni genere quædam sit natura, quodq;
nullius natura hoc ipsum sit unum, perspicu-
um est. Sed vt in coloribus ipsum unum unus
color quærendus est, ita & in substantia, unū
ipsum una substantia. Illud etiam est perspi- Tex.18.
B *cuum, idem quodammodo significare vnu atq;*
ens: tum quia ex æquo prædicamenta sequi-
tur, neq; in ullo est, veluti neq; in eo in quo i-
psum quid est, neq; in eo in quo ipsum quale,
sed perinde se habet, atq; ens: tum etiam quia
non aliud in prædicatione addit vnus homo
præter hominem, quemadmodū neq; ipsum es-
se præter ipsum quid, aut quale, aut quantū.
Atq; vnius esse, est vniuscuiusq; esse.

EXPLANATIO CAPITIS QUARTI.

VBi exposuit quodnam sit unum quod est mensura numeri, quidq; sentiendum de eo quo aliæ quantitates & accidentia mensurantur, quærit hoc capite, quidnam sit unum in substantia, sitne inquam, id ipsum formale quod substantia rei, an aliquid ratione diversum: de qua re perfunctoriè disputatū est libro tertio. Id enim quod in eo genere maximè unum fuerit, erit cæterorum mensura. Qua in re proposita opinione veterum quæ ipsi non placet, ostendit unum in prædicamento substantiæ non esse ipsam rerum substantiam formaliter, sive in ipsis rebus particularibus existentem, ut Pythagorici censuerunt, sive ab eis separatā, ut Plato visus est existimasse, sed aliquid ei subesse, quod substantia sit, quemadmodum in cæteris prædicamentis, quod quidem veteres Naturales senserunt, cùm loquerentur de primo rerum principio, veluti cùm Empedocles asseruit concordiam esse unum illud quod eis esse tribueret, cuius nomine formam substantialem videtur adumbrasse: aut cùm Anaximenes Milesius, & Diogenes Apolloniates, posuerunt aerem esse earundem quasi fundamentum, quo materiam significare voluerunt, quam eandem alii infiniti nomine variè significarunt, cùm omnes in eo convenirent

et notius aliquid aptiusque ad rerum naturalium constitutionem poneret, quàm qui earum compositionem ad numeros retulissent.

[a] *Quod si nihil eorum.*

PRobat unũ quod ad prædicamentum substantiæ spectat, & quo substantiæ mensurantur, non esse substantiam formaliter, eamque separatam, ut Plato illud posuit. Probatio inde sumitur, quia nullum universale est substantia per se cohærens sive subsistens (id quod ostensum est lib. 7. quẽ vocat sermones seu disputationem de substantia & de ente, quũ in eo libro disputatũ est de ente, ac præcipuè de substantia, quæ est præstantissimum ens) unum autem est maximè universale quippiam, quemadmodum & ens; quo fit ut quemadmodum & illud non possit esse substantia separatim subsistens. Quo loco verba illa [categorema prædicatúmve]. & illa [Quare nec genera ipsa] significant quodcunque universale, etiam si de solis numero differentibus dicantur. Lege c.13. libri septimi.

[b] *Præterea in omnibus.*

PRobat non esse etiam idem & unum de quo est quæstio, substantia ipsa formaliter quæ in rebus singulis existit, quod præstat inductione facienda per varias res aliorum prædicamentorum, eo quòd in substantia par ratio sit atque in cæteris; æquè enim unum atque ens de omnibus prædicatur. Qua inductione duo ostendere nititur; alterum est aliam esse rationem substantiæ, aliam unius substantialis; alterum verò in toto genere substantiarum, ita nimirum latè sumpto ut non excludatur Deus, dari aliquam simplicissimam, eamque perfectissimam, quæ sit omnium aliarum mensura, qualis solus Deus ipse esse potest; quod idẽ participatione quadã intelligi vult in singulis generibus substantiarum, ut una aliqua species sit in quolibet, quæ sit aliarum mensura si non simplicissima omnium aliarum, saltem perfectissima ut est in genere viventium animal, & in genere animalium homo.

B

[c] *Quidnam sit unum.*

SEntentia huius loci est, Quærendum esse in genere substantiæ quidnam sit unum, hoc est quæ nam sit natura subiecta uni, & ab eo denominetur, quemadmodum quæ nam sit natura subjecta enti, & ab eo denominetur; non quidem quod significat essentiam sed existentiam: alioqui non esset par ratio in ente atque in uno. Ens enim ut significat essentiam non denominativè ut unum, sed essentiali prædicatione dicitur de qualibet substantia, quemadmodum de qualibet re pertinente ad alia prædicamenta. Ait autem quærendum esse prædicamento substantiæ quidnam denominetur unum, quia non satis est dicere hoc ipsum quod est, esse unum seu indivisibile, aut indivisum esse naturam unius in eo prædicamento. Oportet enim id in aliqua substantia spectari quemadmodum spectatur in genere colorum in colore aliquo, nempe in albedine, quæ non solùm perfectissimus est colorum omnium, & quod cæterorum mensura esse potest, ita ut quo quisque propinquior ei est, eo sit perfectior, sed etiam primus & simplicissimus, ut ex quo & nigredine variè permistis cæteri omnes constent. Nec obest quod nigredo etiam æquè sim-

C

D

plex videatur, cùm sit alioqui maximè imperfectus, adeo ut privatio albi videri possit. Sic enim intelligendum est quod ait, nigredinem esse privationem albedinis, ut tenebræ sunt lucis privatio. Sed num & quo pacto colores medii extremis constent, seorsim expendetur.

[d] Quocirca scientia.

EXempla hæc eò pertinent, ut quemadmodum in cæteris prędicamentis, & unum denominat aliquam naturam subjectam, & numerus plures naturas, sic idem concedendum sit in prædicamento substantiæ, cùm in omnibus sit par ratio. Quòd autem hoc ait numerum modulationum esse numerum, dieseos intelligendum est multiplicatæ. Ita unum quod est mensura & in Modulationibus denominat diesin, numerus autem musicus denominat plures dieses, seu simpliciter sumptas seu ut componunt maiorem mensuram, quod est intervallum ex duabus diesibus maiori & minori conflatum, quod appellatur tonus. Idem accidit in vocibus litteratis, in quibus unum quod est earum mensura, denominat elementum vocale, quod est simplicior mensura quàm syllaba ex vocali & consonante composita. Numerus autem denominat dictiones ex syllabis & orationes ex dictionibus conflatas, Quòd verò in genere figurarum triangulus denominatur unum primum, quod cæterarum ejus generis figurarum sit mensura, ex eo patet, quia omnes figuræ rectilineæ in triangulum resolvuntur.

Rectè autem Aristoteles progressus est ab accidentibus ad substantias, ut probare aliquid subesse

A unitatibus ac numeris in substantiæ prædicamento; clarius enim id est in accidentibus quàm in substantiis, cùm varietas specifica accidentium sit per se nota sensibus; non item varietas specifica substantiarum latentium sub involucro accidentium, quæ non nisi per accidentia cognoscitur. Cùm interim maior sit ratio in substantiis atque in accidentibus, ut distinguantur ab unitatibus & numeris quibus numerantur, cùm B sint præstantioris naturæ quàm accidentia.

Quo loco animadvertendum est, etsi unum habet in prædicamento quantitatis rationem mensuræ, ratione eius quod in eo est formale, hoc est ratione indivisibilitatis aut indivisionis, tamen extra quantitatem habere rationem mensuræ, ratione eius quod in eo est materiale & connotatum seu denominatum, si sit perfectissimum in suo quoque ge- C nere, & si fieri possit simplicissimum: qua conditione imitatur vnū quod est principium numeri. Alioqui, quatenus est perfectissimum, potiùs mensurat more exemplaris, ea quæ magis minùsve accedunt ad eius perfectionem, quàm more unitatis mensurantis simplicitate sua quasi per repetitionem, tametsi in eo imitatur res quælibet perfectissima in suo genere unitatem. quod perfectissimum quodque unicum est, D minùs perfecta verò multa & varia.

[e] Illud etiam est.

NE quis putet denominationes entis & unius, quas dixerat æquè extendi ad res omnes, quæ sunt in prædicamentis, desumi exceptis quibusdam naturis, quæ ponantur in peculiaribus prædicamentis; quo pacto Avicenna credidit,

dit unum quod cum ente convertitur, denominativè dici ab unitate, quæ ponitur in prædicamento quantitatis: & forsitan aliquis existimet ens, ut significat existentiam, ita denominativè dici ab esse seu existentia, quam credat per se in aliquo uno prædicamento collocari, ut verbi causa in prædicamento quando, ut nonnulli recentiores putaverunt, sibi persuadentes, existentiam esse Entitatem quandam, à qua cetera omnia creata entia denominentur: ostendit Aristoteles tribus rationibus, unum ens æquè dici de omnibus (sumpto ente ut ab existentia dicitur) ut significet unam tantùm eandemque naturam, unitati & existentiæ subjectam, aut quasi subjectam, neque id quod ei addunt, esse aliquam aliam naturam alicuius prędicamenti peculiarem, sed unum addere solam indivisionem aut indivisibilitatem, ens autem solam existentiam, quæ est quidem essendi modus, qui reducitur ad eadem omnia prędicamenta, in quibus ponuntur res, quarum est existentia. Ait autem, unum & ens, idem quodammodo significare, non quia natura significata per ens & unum non sit omnino eadem, sed quia eam non similiter, sed quodammodo significant. Denominativa enim, qualia sunt unum & ens, quod ab existentia dici-

A tur, non significant formaliter res denominatas, sed cōnotativè seu insinuatè: tametsi, quia formalia eorū significata non sunt entitates ullæ, sæpe sine ulla modificatione dici solent, significare ipsas rerum naturas & essentias.

¶ Tum quia ex æquo.

B RAtiones, quibus probat unum & ens idem significare, hoc est, non aliam naturam veram & realem, quàm earum rerum quas denominant: hæ sunt: Prima, quia æquè dicuntur de omnibus, neque addicta sunt ad certa aliqua & peculiaria prædicamenta. Secunda est, quia non plures naturæ proferuntur, cùm Socrates dicitur unus homo, quàm cùm solùm dicitur homo: eodemque modo non plures naturæ pronunciantur, cùm idem Socrates dicitur ens homo, C sive existens homo, quàm cùm tantùm dicitur homo, Tertia ratio est, quia unius esse est uniuscuiusque esse, id est, quia unitas cuiusque rei naturam eius conservat in suo esse, unitatisque dissolutio eam ad non esse redigit. Quæ rationes quam vim habent, ex capitul. 2. libri quarti peti debet, ubi Aristoteles eisdem utitur.

A

Κεφάλαιον ε'.

Ἀντίκειται δὲ τὸ ἓν καὶ τὰ πολλὰ κατὰ πλείους τρόπους, ὧν ἕνα τὸ ἓν καὶ τὸ πλῆθος ὡς ἀδιαίρετον καὶ διαιρετόν. τὸ μὲν γὰρ ἢ διῃρημένον, ἢ διαιρετὸν, πλῆθός τι λέγεται. τὸ δὲ ἀδιαίρετον ἢ μὴ διῃρημένον, ἕν. ἐπεὶ γοῦν αἱ ἀντιθέσεις τετραχῶς, καὶ τούτων κατὰ στέρησιν λέγεται θάτερον, ἐναντίον ἂν εἴη, καὶ οὔτε ὡς ἀντίφασις, B οὔτε ὡς τὰ πρός τι λεγόμενα. [c] λέγεται δὲ ἐκ τοῦ ἐναντίου, καὶ δηλοῦται τὸ ἕν, ἐκ τοῦ διαιρετοῦ τὸ ἀδιαίρετον, διὰ τὸ μᾶλλον αἰσθητὸν τὸ πλῆθος εἶναι, καὶ τὸ διαιρετὸν, ἢ τὸ διαίρετον. ὥστε τῷ λόγῳ πρότερον τὸ πλῆθος τοῦ ἀδιαιρέτου διὰ τὴν αἴσθησιν. [d] ἔστι δὲ τοῦ μὲν ἑνὸς, ὥσπερ καὶ ἐν τῇ διαιρέσει τῶν ἐναντίων διεγράψαμεν, τὸ αὐτὸ, καὶ ὅμοιον, καὶ ἴσον. τοῦ δὲ πλήθους τὸ ἕτερον, καὶ ἀνόμοιον καὶ ἄνισον. λεγομένου δὲ ταὐτοῦ πολλαχῶς, καὶ ἕνα μὲν τρόπον κατ᾽ ἀριθμὸν, ὃ λέγομεν ἐνίοτε αὐτό. τοῦτο δ᾽ ἂν καὶ λόγῳ καὶ ἀριθμῷ ἓν C ᾖ, οἷον, σὺ σαυτῷ, καὶ τῷ εἴδει καὶ τῇ ὕλῃ ἕν. ἔτι δ᾽ ἂν ὁ λόγος ὁ τῆς πρώτης οὐσίας εἷς ᾖ, οἷον αἱ ἴσαι γραμμαὶ εὐθεῖαι αἱ αὐταί, καὶ τὰ ἴσα καὶ τὰ ἰσογώνια τετράγωνα, καίτοι πλείω ἀλλ᾽ ἐν τούτοις ἡ ἰσότης, ἑνότης. ὅμοια

CAP. V.

Opponuntur [a] autem multis modis unum & multa: atque eorum unum ut indivisibile ac divisibile, quod enim aut divisum est aut divisibile, multitudo quædam dicitur: quod autem indivisibile, aut non divisum, unum. Cùm [b] igitur modis quatuor oppositiones existant, & horum alterum ex privatione dicatur, contraria utiq; erunt, & neq; ut contradictio, neq; ut ea quæ dicuntur ad aliquid. Dicitur [c] autem unum, ac declaratur ex contrario, ex divisibili, inquam, indivisibile, quòd multitudo magis subjecta sit sensibus, & quod divisibile est, quam quod dividi non potest. Itaq; ratione prior est multitudo, quàm quod dividi nequit, idq; propter sensum. Porro ad unum [d] ipsum pertinet (quemadmodum in divisione contrariorũ descripsimus) idem, & simile, & æquale. Ad multitudinem verò diversum, dissimile, & inæquale. Cùm e autem multiplex sit, uno quidẽ modo numero idẽ est: quod interdũ dicimus ipsum. Alio autẽ modo si ratione ac numero unũ fuerit, quo pacto tu tecum ipse & specie & materia unũ es. Idem si primæ substantiæ ratio una sit, quo pacto æquales lineæ rectæ eædẽ sunt, & æqualia æqualiumq; angulorum quadrangula, tametsi plura sint: verùm in his æqualitas unitas quædam est. Simi-

Text. 9. Vertissem quæ lineis includuntur, sic; quorum uno unum & multitudo, ut, &c.

Cùm autem idem multis quidem modis dicatur.

EXPLANATIO CAPITIS QUINTI.

[a] Opponuntur autem.

EGit hactenus de uno in se spectato; nunc agere incipit de uno cum multitudine collato, deque iis quæ unam & multa consequuntur. Ac primum tradat hoc cap. unum & multa pluribus modis esse opposita inter se: quorum unus est oppositione indivisibilis & divisibilis. Quod enim actu divisum est ut populus, aut facilè dividi potest, ut aqua & alia liquida multa dicitur, tametsi id quod actu divisum est, dicitur multa simpliciter, quod autem facilè dividi potest, non simpliciter multa dicitur, sed proxima potentia. At unum dicitur simpliciter de quolibet ente, sive illud sit indivisibile, ut angelus aut anima rationis particeps aliæque

aliæque perfectorum animalium, sive divisibile quidem sed actu indivisum, ut aqua quæ est in urceo. Atque hæc est præcipua unius & multorũ oppositio, cùm sumatur ex ipsa eorum ratione formali, ut ex suprà dictis intelligi potest.

Siquis autem quærat cur Aristoteles non potiùs dixerit unum & multa opponi inter se oppositione indivisi & divisi, quàm indivisibilis & divisibilis, cùm non omne unum sit indivisibile, omnisque multitudo potiùs dicatur divisa quàm divisibilis: dicendum, nomen indivisibilis usurpari in hac prima periodo ut etiam significat indivisum; & nomen divisibilis, ut complectitur divisum, quod paulo pòst & alibi sæpe fit; proinde in sequenti clausula uterque horum nominum usus distinctè explicatur.

[b] *Cùm igitur modis quatuor.*

EX quatuor generibus oppositionum, duo quidem negat cõvenire uni & multis contradictoriam scilicet & relativam; duo verò affirmat, privativam & contrariam, quæ duo [alterum] appellat, quòd hæ duæ oppositiones sint altera pars totius quaternarii oppositionum, contrariaque privativa participet. Semper enim alterum contrariorum est imperfectum respectu alterius. Unde fit ut contraria nonnunquam dicantur privativè opponi, & privativa contrariè cùm tamen nec privativè opposita propriè dicantur contraria, nec contraria privativè, eo quòd utrumque contrariorum directo ponitur sub eodem genere, quod non accidit privativè oppositis. Quòd autem unum & multa non sint contradictoria, ex eo perspicuum est, quia semper altera contradictionis pars dicitur de quovis sive ente sive non ente, cùm interim nec unum nec multa dicatur de non entibus; Est enim unum nihil aliud quàm ens indivisum, multitudo autem plura una, ut ita loquar. Quòd verò nec sint relativè opposita manifestum est, tum quia unum & multa planè sunt absoluta, tum etiam quia neutrum correlativorum est negativum seu privativum, ut est unum. Nihil tamen impedit quo- B minus unum & multa alia ratione sint relativa, nempe quatenus unum est mensura, multitudo verò est mẽsurata.

[c] *Dicitur autem unum.*

DIceret aliquis, pugnare hæc cum iis quæ superiùs dicta sunt, ubi unum constitutum est principium ac mensura multitudinis. Nam si unum opponitur multis, ut indivisum diviso, posterius sanè est natura sua, quàm multa, nem- C pe ut privatio quàm habitus. Huic ergo tacitæ obiectioni respondet Aristoteles, dici quidem ac declarari unum ex suo contrario seu privativè opposito tanquam indivisum ex diviso; non tamen tanquam ex aliquo priori simpliciter, sed posteriori, tametsi priori secundùm sensum. Est enim multitudo, cùm sit magis composita, cognitu facilior secundùm sensum, quam unum tantùm, & ea ratione prior; quamquam simpliciter posterior habeatur quàm unum, D cum ex uno, atque adeo, ex pluribus, ut ita dicam, unis constet.

Sed objiciat aliquis indivisionem, qua unum est privativè oppositum, multis cognosci per divisionem tanquam per habitum quo privat unũ; igitur unum non solum secundum sensum esse posterius multitudine, ut indivisum diviso, sed etiam simpliciter: privatio enim simpliciter est poste-

posterior habitu. Præterea unum contrarium non constat ex altero contrario, etiamsi contrarium pro privativè opposito sumatur; multitudo autem constat uno sæpius accepto, non est igitur unum contrarium multis, neque eius indivisio ex divisione multitudinis tanquam ex suo contrario dici sive cognosci ac declarari potest.

Priori objectioni respondet Alensis unum esse natura sua positivũ quid & prius multitudine cum eam constituat, sed tamen significare privativè quia cognoscitur à posteriori per negationem divisionis, quæ est in multitudine, cum ipsa potius sit natura sua privativa unitatis, quia multa ut multa non sunt unum. Sed hæc responsio pugnat cum iis quæ ostensa sunt ad librum quartum; ubi probatum est, unum, ut unum est, negativum ac privativum esse. Respondendum est igitur, indivisioné unius ex duplici divisione cognosci ac declarari posse; altera est divisio multitudinis entium: atque hęc posterior est indivisione unius, quemadmodum & ipsa multitudo entium est posterior quolibet entium eorum ex quibus constat: neque indivisio unius cognoscitur ex hac divisione à priori sed à posteriori. Altera est divisio entis à non ente, quæ prior est ipso uno, & per eam cognosci ac declarari potest eius indivisio à priori. Nam si naturæ perfectæque intelligentiæ ordinem sequamur, primus conceptus simpliciter est entis, secundus non entis, inter quæ jam cernitur divisio huius & non huius, sive inter hoc & non hoc; tum verò concipitur ens quatenus indivisum ac perinde unum, cuius indivisio à priori intelligitur, ac declaratur negatione divisionis huius & non huius, quæ est prima omnium divisio- A num quæ in omni contradictione cernitur. Hoc fere modo respondet D. Thomas, nosque eadem responsione usi sumus ad cap. 2. libri quarti, sed nunc aliquanto clarius. Posterior autem objectio hoc pacto diluenda est. Unum & multa non dici contraria, nisi ratione divisionis & indivisionis; at divisio multorum entium non constat ex ipsa indivisione aut indivisionibus, sed resultat ex multis entibus indivisis.

B *[d] Porro ad ipsum unum.*

TRadit ea quæ consequuntur unum, ac multa, aitque ad unũ pertinere idem, simile, & æquale, ad multa verò diversum dissimile & inæquale, quod ait se descripsisse in contrariorum divisione, hoc est, in libro de Bonis, ut interpretatur Alexander, quo in libro contraria omnia ad unum & multa redegisse affirmat; vel in 5. libro huius operis cap 9 & 10 ut vult D. Thomas: C quo loco eadem & diversa oppositaque distinxerat. Est autem idem unum in substantia, cuius contrariũ est diversum; simile autem unum in quantitate, cui adversatur dissimile; æquale verò unum in quantitate, cui eodem modo inæquale opponitur.

[e] Cùm autem idem.

D EXponit quot modis dicatur idem, pressius tamen quàm in quinto libro fecerat. Eos enim tantum enumerat hoc loco quibus aliqua dicuntur eadem sub genere: eadem enim in genere ipso minus propriè dicuntur, cum secũdum essentiam definitionemque differant. Primus modus est quo aliqua dicuntur idem numero seu idem supposito, non tamen specie, ut hoc album & hoc musicum, si unum & idem suppositum & album & musicum est. Atque hoc unum, seu potius suppositum

positum cuius ratione aliqua sunt hoc modo unum, aliquando appellatur ipsum quod verbum est propria nota rei singularis per se omnino subsistentis. Quo loco Averroes ait ea esse unum numero, quæ numerari non possunt. & Alensis more loquendi scholasticorum, quæ non ponunt in numerum, quod eodem redit; tametsi uterque generaliùs sumit unum numero; nempe pro quovis uno numero ente, nisi subaudiāt substantiam concretè sumptam, de quo solo genere unius numero, & de iis quæ de eo dicuntur, loquitur Aristoteles hoc loco. Secunds modus est, si non tantùm sint idem numero seu idem supposito, sed etiam specie, ut socrates secum ipse collatus, seu socrates & Sophronisci filius. Hæc enim dicuntur unum & definitione specifica, & materia signata, quæ unum numero suo modo constituit. Tertius modus est si plures primæ substantiæ in eadem definitione conveniant, quod iis solis accidit, quæ sunt eiusdem speciei infimæ, ut Socrati, & Platoni: tametsi Aristoteles sumit exemplum in line- A is & figuris quib. Pythagorico more pro primis substantiis suppositive utitur; quo pacto duæ lineæ rectæ æquales inter se sunt idem, & ducuntur æqualia quadrāgula hoc est quæ non tantùm sunt angulorum æqualium (ut sunt quadrata omnia, non item omnia quadrangula) sed etiam ipsa in se sunt æqualia. In utroque enim exemplo sumitur æqualitas pro unitate specifica substantiæ, seu pro substantia ipsa una secundùm speci- B em, quæ in utrisque eandem definitionem habet, ut homo in Socrate & Platone. D. Thomas in hoc tertio modo comprehendi ait eadem genere, quod reductitiè potius quàm directò admittere. Quæ enim sunt eadem solo genere, non simpliciter dicuntur eadem definitione, sed ea sola quæ sunt eadem & genere & specifica differentia.

Hoc loco adverte, dictionem [ipsum] notam quandam esse primæ C substantiæ seu (quod idem est in creaturis) suppositi. Quod verbum usurpare solitus erat Plato in Ideis, quia credebat eas esse præcipuas substantias, ac per se primò subsistentes.

Text. II. [f]ὅμοια δὲ ἐὰν μὴ ταὐτὰ ἁπλῶς ὄντα, μηδὲ κατὰ τὴν οὐσίαν ἀδιάφορα τὴν ὑποκειμένην, κατὰ τὸ εἶδος ταὐτὰ ᾖ. [g]οἷον, τὸ μεῖζον τετράγωνον, τῷ μικρῷ ὅμοιον, καὶ αἱ ἄνισοι εὐθεῖαι. αὗται γὰρ ὅμοιαι μὲν, αἱ αὐταὶ δὲ ἁπλῶς οὔ. [h]τὰ δὲ, ἐὰν τὸ αὐτὸ εἶδος ἔχοντα ἐν οἷς τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον ἐγγίνεται, μήτε μᾶλλον ᾖ, μήτε ἧττον. [i]τὰ δὲ, ἐὰν ᾖ τὸ αὐτὸ πάθος, καὶ ἓν τῷ εἴδει, οἷον τὸ λευκὸν σφόδρα καὶ ἧττον, ὅμοιά φασιν εἶναι, ὅτι ἓν τὸ εἶδος αὐτῶν. τὰ δὲ, [k]ἂν πλείω ἔχῃ ταὐτὰ ἢ ἕτερα, ἢ ἁπλῶς ἢ τὰ πρόχειρα. οἷον καττίτερος ἀργύρῳ, ἢ χρυσῷ. χρυσὸς δὲ πυρὶ, ᾗ ξανθὸν καὶ πυρρόν. ὥστε δῆλον ὅτι καὶ τὸ ἕτερον καὶ τὸ ἀνόμοιον πολλαχῶς λέγεται. καὶ τὸ μὲν ἄλλο ἀντικειμένως καὶ τὸ ταὐτό. διὸ πᾶν πρὸς ἅπαν, ἢ ταὐτὸ ἢ ἄλλο. τὸ δὲ, ἐὰν μὴ καὶ ἡ ὕλη καὶ ὁ λόγος εἷς. διὸ σὺ

Similia [f] verò sunt si cùm non simpliciter eadem sint, nec ratione substantiæ subjectæ indifferentia, forma sint eadem: quo pacto maius quadratum minori simile est, & inæ- D *qualis lineæ: namque hæ similes quidem sunt, eædem verò simpliciter non sunt. [h] Alia si cum eandem formam habeant quæ in eo magis & minus fiat, nec magis nec minus sint. [i] Alia verò si eadem sit passio atque una specie, ut magis ac minus album similia esse dicuntur, quod una sit eorum species. Sed & illa [k] quæ plura habent eadem quàm diversa, aut simpliciter, aut quæ in promptu sint: ut stannum argento, & aurum igne, qua ratione flavus ac rufus est. Quare [l] perspicuum est, diversū quoque ac dissimile multis modis dici. Ac uno quidē modo aliud atque idē opposite dicuntur: unde fit ut quidvis cū quovis cōparatū vel idē sit, vel aliud. Alio verò si non & materia & ratio sit* Text. II.

Inæquales habet vox Græca. eis,

Græcus Codex addit aut auro, vel quam aurum.

καὶ τὸ πλησίον ἕτερον. τὸ δὲ τρίτον, ὡς τὰ ἐν τοῖς μαθηματικοῖς. m τὸ μὲν οὖν ἕτερον, ἢ ταὐτὸ, διὰ τοῦτο πᾶν πρὸς πᾶν λέγεται ὅσα λέγεται ἓν καὶ ὄν. οὐδὲ γὰρ ἀντίφασίς ἐστι τοῦ ταὐτοῦ. διὸ οὐ λέγεται ἐπὶ τῶν μὴ ὄντων (τὸ δὲ μὴ ταὐτὸ λέγεται) ἐπὶ δὲ τῶν ὄντων. n πάντων. ἢ γὰρ ἕν, ἢ οὐχ ἓν πέφυκας ὂν καὶ ἕν. τὸ μὲν οὖν ἕτερον καὶ ταὐτὸν, οὕτως ἀντίκειται. o διαφορὰ δὲ καὶ ἑτερότης, ἄλλο τὸ μὲν γὰρ ἕτερον, καὶ οὗ ἕτερον οὐκ ἀνάγκη εἶναι τινὶ ἕτερον. πᾶν γὰρ ἢ ἕτερον, ἢ ταὐτὰ, ὅτι ἂν ᾖ ὄν. τὸ δὲ διάφορον. τινὸς, τινὶ διάφορον ὥστε ἀνάγκη ταὐτό τι εἶναι ᾧ διαφέρουσι. τοῦτο δὲ τὸ αὐτὸ γένος ἢ εἶδος. p πᾶν γὰρ τὸ διαφέρον διαφέρει, ἢ γένει, ἢ εἴδει. γένει μὲν ὧν μὴ ἐστι κοινὴ ἡ ὕλη, μηδὲ γένεσις εἰς ἄλληλα. οἷον ὅσων ἄλλο σχῆμα τῆς κατηγορίας. εἴδει δὲ, ὧν τὸ αὐτὸ γένος. q λέγεται δὲ γένος, ὃ ἄμφω τὸ αὐτὸ λέγονται κατὰ τὴν οὐσίαν τὰ διάφορα. τὰ δ' ἐναντία. καὶ ἡ ἐναντίωσις διαφορά τις. r ὅτι δὲ καλῶς τοῦτο ὑποτίθεμεν, δῆλον ἐκ τῆς ἐ[illegible]αγωγῆς. πάντα γὰρ διαφέροντά τε φαίνεται καὶ οὐ μόνον ἕτερα ὄντα ἀλλὰ τὰ μὲν τὸ γένος ἕτερα. τὰ δ' ἐν τῇ αὐτῇ συστοιχίᾳ τῆς κατηγορίας. ὥς ἐν ταὐτῷ γένει καὶ ταὐτὰ τῷ εἴδει. C διώρισται δ' ἐν ἄλλοις ποῖα τῷ γένει ταὐτὰ, ἢ ἕτερα.

A *una, qua de causa tu & propinquus, diversi estis. Tertio autem, ut illa quæ in Mathematicis. Diversum m igitur aut idem propterea quidvis cum quovis collatum dicitur, quia unum & ens aliter: neque enim contradictio est eiusdem, quo fit ut non dicatur in non entibus (tametsi dicatur non idem) sed de omnibus entibus. Aut enim n unum est aut non unum, quod aptum natura est ut sit, atque unum sit. Diversum igitur ac idem hoc modo opponuntur. Differentia o verò aliud est, aliud diversitas. Namque diversum, & id à quo diversum, non est necesse aliquo esse diversum. Quicquid enim ens est, aut diversum, aut idem est: quod* B *autem ab aliquo differt, aliquo differt. Quare necesse est aliquid idem esse quo differunt: hoc autem aut genus est, aut species: quicquid p enim differt, aut genere aut specie differt, genere quidem quorum neque est communis materia, nec mutua generatio, veluti quorum alia atque alia est prædicationis figura: specie verò, quorum idem est genus. q Dicitur autem genus id quo ea quæ differunt, idem secundum substantiam ambo esse dicuntur. Contraria verò differentia sunt & contrarietas quædam differentia. Hoc r autem à nobis rectè positum esse inductione patet. Omnia enim differre videntur, nec solum diversa esse, sed quadam diversa sunt genere, quadam in eodem prædicamenti ordine locata. Quare & quæ species idem sunt, in eodem sunt genere: sed alibi, quænam eadem sint genere, & quæ diversa, definitum est.* C

Hoc est eiusdem & diversi.

In Græco est, de non entibus.

Textus.12.

Textus.13.

f Similia verò sunt.

DIstinguit modus quibus aliqua dicuntur similia, eosque quatuor esse tradit. Primus est cùm aliqua non simpliciter eadē sunt, hoc est, non sunt idem specie D seu ratione definitiva (in hac enim significatione paulo antè verba [idē specie] usurpabātur) nec sunt indifferentia ratione substantiæ subjectæ, hoc est, non sunt idem supposuo seu ratione materiæ signatæ, ac proinde nec sunt idem numero, ut etiam erant hoc album, & hoc musicum, quæ alioqui formaliter differunt specie; si tamen habeant aliquam eandem formam. Hoc modo sunt similia omnia quæ differunt specie ac numero, si in forma seu natura generis conferantur, aut in aliqua alia accidentaria, aut etiam in aliqua analogica ratione sive essentiali sive accidentaria. Hæc enim etsi universè non possunt dici similia simpliciter sed tantum illa quæ conveniunt in forma accidentaria, quæ sit qualitas eiusdem speciei: Sic conveniunt modo aliquo quæ similia dici possunt, quatenus deficiunt ab identitate simpliciter naturæ ac definitionis, qualis est identitas specifica. Nā cùm minor sit convenientia simili-

tudinis

tudinis quàm identitatis, ea quæ nõ fuerit eadem simpliciter in natura & definitione, ea ipsa ratione qua non sunt simpliciter eadem, si tamen alioqui sint eadem in aliqua forma, modo aliquo similia dici poterunt. Unde fit ut cùm dicamus homines esse eadem animalia, non dicamus tamen hominem & simiam esse eadem animalia sed similia. Meritò ergo fortiori ratione id accidet, cùm res diversæ & specie & numero cõvenerint in analogo aliquo atttibuto sive essentiali sive accidentario.

a Quo pacto maius.

PErsistit Aristoteles in exemplis mathematicis, atque cum ante pauca verba accepisset æqualia quadrata pro eisdem specie, eodemque modo lineas rectas æquales, cõsentaneè ad exempla illa sumit hoc loco quadrata inæqualia pro diversis specie, itemque inæquales lineas. forma verò quam in quadratis inæqualibus considerat, esse potest eadem proportio laterum ad latera, & angulorum ad angulos; quemadmodum in lineis æqualibus figura eadem veluti rectitudo earum aut curvitas eadem.

b Alia si cum eandem.

SEcundus modus similitudinis, isque universè omnium propriissimus est, cum aliqua conveniunt in forma quæ magis & minus suscipit, nec tamen magis ab uno quam ab alio participatur; quo pacto duo æquè alba similia dicuntur.

i Alia verò eadem.

TErtius hic modus imperfectior est, quia convenientia eius cernitur in sola specie; non item gradu quo illa ab utroque subiecto participatur. Quo loco [valde] pro magis sumit, unde fit ut dissimilitudinem admittat quam non admittit secundus modus: quamquam dissimilitudo quæ in sola disparitate graduum eiusdem speciei cernitur, inæqualitas appellari solet, quòd latitudo gradualis habet rationem extensionis cuiusdam. Quo loco verbum [valde] pro [magis] accipiendum est.

k Sed & illa.

QUartus modus non unam tãtùm formam respicit, sed plures. Quæ enim in pluribus conveniunt, quam differant aut omnino, aut saltem eorum quæ magis extant & apparent, ea etiam similia dicuntur, ut stannum argento, & aurum igni. Nam stannum & argentum plura simpliciter habent communia quam propria; sunt enim ambo mista metalla, eiusdem coloris, & cæt. cùm in paucioribus distinguantur, quia propinquæ sunt naturæ. Aurum verò & ignis, etsi simpliciter non in pluribus conveniunt, quàm differãt, (sunt enim diversæ admodum naturæ) tamen si visibiles qualitates spectentur, ut flavus color & rubeus, saltem similiora sunt inter se quam sit aurum argento; cui affinis naturæ est.

Non tradidit autem Aristoteles varios æqualitatis modos quemadmodum similitudinis, quia æqualitas, ut ait D. Thomas, nõn dicitur multis modis, nisi fortasse secundum diversas species quantitatis. Quamquam verò & in graduali latitudine qualitatum cernatur æqualitas & inæqualitas, ea facillimè intelligitur ex æqualitate & inæqualitaae quantitatis.

l Quare perspicuum est.

EXponit modos diversitatis, quæ identitati opposita est: & quamquam dissimilitudo etiã multis modis dicitur, quemadmodum opposita similitudo, ut ait; eius tamen modos non explicat: quod ex modis quibus similia dicuntur facilè intelligi possit. Primus ergo modus quo aliqua diversa sunt, maximè generalis est, nempe quo aliqua non idem sunt. Namque omne ens cuius enti comparatum, aut idem est cum illo, aut non idem; quicquid autem non idem est cum aliquo (modò utrumque sit ens) est ab alio diversum Secundus modus est quo una prima substantia diversa est ab alia prima substantia, quia etsi ratione seu essentiali definitione conveniunt, tamen materiam signatam diversam habent; atque hæc quia est diversitas suppositorum est maxima omnium realis diversitas ut diximus ad cap. 6 libri 5. cum de distinctione reali ageremus Tertius modus est quo entia mathematica dicuntur diversa, quæ enim sola consideratione diversa sunt, ut duo trianguli in quos quadratum dividi potest, etsi suo modo tanquam partes quadrati differunt realiter, ut eo loco diximus.

m Diversum igitur.

DEclarat id quod in exponendo primo diversorum modo dixerat, ne quis putet quicquid nõ est idẽ cũ aliquo, esse diversum ab illo, quasi idem & diversum contradictoriè opponantur. Ait ergo ut quicquid non idem est cum aliquo, sit diversũ ab illo, non satis esse si non sit idem cum illo (sic enim ens & non ens essent diversa) sed necesse esse ut utrumque sit ens, quia A idem & diversum non sunt contradictoria sed contraria quæ supponunt ens & unum quasi commune subjectum identitatis & diversitatis. Itaque non ens potest quidem dici non idem cũ ente; diversum verò ab ente dici non potest, quia oporteret esse etiam ens & unum.

n Aut enim unum est.

SEnsus est, Quicquid enim est B ens & unum; hoc enim significant verba illa [quod aptũ natura est, ut sit atq; unũ sit] unũ est aut non unum, hoc est idem aut non idem, si cum quovis ente ac uno conferatur.

o Differentia verò aliud est.

DOcet quid intersit inter diversa & differentia. Quamquam enim aliquando differentia vocamus differreque inter se C dicimus omnia quæ quoquo modo diversa sunt (ut patet ex modis differẽtium quæ cap. 9 lib. 5. tradita sunt) pressiùs tamen differentium nomen Philosophi usurpant, cum propriè his nominibus uti volunt. Ait ergo ut duo aliqua diversa sint non necesse esse ut aliquo diversa sint, hoc est, ut in aliquo seu potius sub aliquo in quo conveniũt, diversa sint (quæ est Alexandri expositio:) pos- D sunt enim se ipsis primo sive se totis esse diversa, neque in aliqua verè una natura convenire, ut substantia & quantitas & qualibet duæ differentiæ specificæ aut etiam individuales Id autem ex eo probat, quia quodlibet ens cuilibet enti comparatum, aut diversum ab eo est aut idem cum illo, at inter diversa multa sunt quæ in nulla natura una & eadẽ conveniant. Quæ autem propriè differunt, aliquo differunt, hoc est sub

aliquo

aliquo veræ unius rationis & naturæ prædicato, veritatem habent, ut homo & equus sub animali, & Socrates ac Plato sub homine. Itaque differentia omnia, quocumque modo illa sumantur aliquod idem verè unum prædicatum habent sub quo differunt, id quod vel genus sit vel species necesse est; aut enim prædicabitur de differentibus specie, aut de differentibus solo numero, cùm diversa toto genere nihil univocum supra se habeant. Atque hactenus omnia veritati consonant, tametsi verbis contextui nonnulla vis fieri videatur.

p Quidquid enim differt.

SI hæc verba & nonnulla quæ sequuntur accipiantur in eo sensu in quo ea quæ proximè præcesserunt (ut accipi debere ratio demonstrat) differre genere idem erit hoc loco atque differre sub genere. & differre specie, idem quod differre sub specie, sed hoc pacto non rectè definientur ea quæ differunt genere: id est sub genere, cùm dicuntur esse ea quorum neque est communis matéria, nec mutua generatio, neque ipsa in diversis prędicamentis ponũtur. Elementa.n. & alia plurima entia naturalia, quorum est & eadem communis materia & mutua generatio, continentur sub genere substantiæ, aliisque inferioribus generibus, nec sunt in diversis prædicamentis. Si verò hæc in plano sensu intelligenda sunt, ut differre genere, idem sit quod non convenire in genere, & differre specie, idem valeat atque non convenire in specie (nempe infima) primùm quidem variatur sensus in reddenda ratione, quod maximum est vitium. Deinde, cùm dicitur aliquid differre genere ab alio, usurpatur sensus improprius ubi proprius traditur; nihil enim propriè dicitur differre genere ab altero, sed diversum esse. Postremo falsum est asserere quicquid in hoc sensu differt ab alio, aut genere differre aut specie; differunt n plurima imo infinita solo numero. Quæ cùm ita sint, si pauciora minoraq; incommoda admittenda sunt, dicendum videtur, priorem sensum amplectendum esse: sed ubi dicitur [genere quidem quorum neque &c.] aliquid deesse ut fiat trãsitus ab eo quod est differre genere, id est, sub genere, ad id quod est differre genere, hoc est diversum esse ipso genere. His enim convenit explicatio sequens eorum quæ sunt diversa genere, quorum nomine comprehendi videntur & quæ sunt diversa genere subiecto, utpote ea quæ constant materia diversæ rationis ut corruptibilia & incorruptibilia, inter quæ non est mutua generatio: & quæ toto genere prædicamenti sunt diversa, ut homo & linea. Id quod etiam ex eo confirmatur, quia mox in hoc eodem sensu ea dicuntur differre specie, id est, ipsa specie (non autem sub specie) quorum idẽ est: alioqui inepta esset, nec vera explicatio, si quis exponendo diceret, ea differre sub specie, quorum idem est genus, ut patet. Itaque si contextus depravatus est (ut videtur) sic legerem [Alio autem modo genere differunt (aut potiùs diversa sunt) quorum neque est communis materia, & cæt.] quo pacto omnia cohærent.

q Dicitur autem genus.

HÆc explicatio de differentibus specie intelligenda est, ne simul speciei infimæ conveniat. Quo etiam loco verba illa [secundùm substantiam] quiditativam convenientiam significant, non so-

lam essentialem, ut differentiæ genericæ excludantur. Quoniam verò contraria sunt quæ sub eodem genere maximè distant, ut aliunde patet, & inferiùs explicabitur: addit, contraria esse differentia quædam, & contrarietatem quandam differentiam.

ʳ Hoc autem à nobis.

Differétia partim diversa, partim eadem esse inductione patere decet: omnia enim non solùm diversa esse sed etiam differre, A inter se constat, hoc est sub aliquo verè unius rationis prædicato esse diversa. Nam quæ diversa sunt, aut sunt diversa genere ipso, seu toto genere, ut dicitur, quia in nullo genere conveniunt; aut sunt directò in eadem serie prædicamenti locata, ex quibus quædam sunt idem genere, nempe, quæ differunt specie; quædam verò sunt idem specie, quæ eadem differunt solo numero, unde fit ut sint etiam eadem genere. Ac demum pro luculentiori explicatione huius rei lectorem rejicit ad cap. libri quinti.

Κεφάλαιον. ϛ.

Ἐπεὶ δὲ διαφέρειν ἐνδέχεται ἀλλήλων τὰ διαφέροντα πλεῖον καὶ ἔλαττον, ἐστί τις καὶ μεγίστη διαφορά, καὶ ταύτην λέγω ἐναντίωσιν. ὅτι δ' ἡ μεγίστη διαφορὰ δῆλον ἐκ τῆς ἐπαγωγῆς. C τὰ μὲν γὰρ γένει διαφέροντα, οὐκ ἔχει ὁδὸν εἰς ἄλληλα, ἀλλὰ ἀπέχει πλέον, καὶ ἀσύμβλητα. τοῖς δ' εἴδει διαφέρουσιν αἱ γενέσεις ἐκ τῶν ἐναντίων εἰσὶν ὡς ἐσχάτων. τὸ δὲ ἔσχατον διάστημα, μέγιστον. ὥστε καὶ τὸ τῶν ἐναντίων. ᵇ ἀλλὰ μὴν τό γε μέγιστον ἐν ἑκάστῳ γένει τέλειον. μέγιστον μὲν γὰρ, οὗ μή ἐστιν ὑπερβολή. καὶ τέλειον, οὗ μὴ ἐστὶν ἔξω τέλειον λαβεῖν τι δυνατόν. τέλος γὰρ ἔχει ἡ τελεία διαφορά, ὥσπερ καὶ τἄλλα τῷ τέλος ἔχειν λέγεται τέλεια. τοῦ δὲ τέλους, οὐδὲν ἔξω. ἔσχατον γὰρ ἐν παντὶ, καὶ περιέχει διὸ οὐδὲν D ἔξω τοῦ τέλους. οὐδὲ προσδεῖται οὐδενὸς τὸ τέλειον. ὅτι μὲν οὖν ἡ ἐναντιότης ἐστὶ διαφορὰ τέλειος, ἐκ τούτου δῆλον, πολλαχῶς δὲ λεγομένων τῶν ἐναντίων, ἀκολουθήσει τὸ τελείως οὕτως, ὡς ἂν καὶ τὸ ἐναντίοις εἶναι ὑπάρχοι αὐτοῖς. ᵈ τούτων δὲ ὄντων, φανερὸν ὅτι οὐκ ἐνδέχεται ἑνὶ πλείω ἐναντία εἶναι. οὔτε γὰρ τοῦ ἐσχάτου ἐσχατώτερον εἴη ἄν τι, οὔτε τοῦ ἑνὸς διαστήματος πλείω δυοῖν ἔσχατα. ὅλως τε εἰ ἔστιν ἡ ἐναντιότης διαφορὰ,

Tex.14.

CAPUT VI.

*Sed quoniam ea quæ differunt, magis ac minus differre possunt, aliqua sane est maxima differentia, eamque contrarietatem appellat. Esse autem maximam differentiam, in-*C *ductione perspicuum est. Quæ enim differunt genere, viam ad se mutuò non habent: sed plus distant & comparabilia non sunt: iis autem quæ specie differunt, generationes ex contrariis ut extremis extant. Distantia verò extremorum maxima est; quare & contrariorum.* λέγω act. & non passivum.

ᵇ Porro id quod maximum in unoquoque genere est, perfectum est. Id enim est maximum quod non exceditur: perfectum verò extra quod aliquid accipi non potest: Perfecta enim differentia finem habet, quemadmodum & cætera quia finem habent, perfecta dicuntur, at extra finem nihil est: ultimum enim est in re quaque, idemque continet. Ita fit ut nihil sit extra finem: neque id quod perfectum est, aliquo indigeat. Quòd igitur contrarietas perfecta differentia sit, ex his planum est. Text.14. *Cum autem contraria multis modis dicantur, ut quæque contraria fuerint, ita illa perfectio sequetur.*

ᵈ Hæc cum ita sint, perspicuum est, uni plura contraria esse non posse: neque enim extremo quicquam aliud magis extremum fuerit: neq; unius distantiæ plura quàm duo extrema. Atq; omnino, si contrarietas differentia est,

φορά, ἡ δὲ διαφορὰ δυοῖν. ὥστε καὶ ἡ τέλειος. ᶜἀνάγκη δὲ καὶ τοὺς ἄλλους ὅρους ἀληθεῖς εἶναι τῶν ἐναντίων. καὶ γὰρ πλεῖστον διαφέρει ἡ τέλειος διαφορά. τῶν τε γὰρ γένει διαφερόντων, οὐκ ἔστιν ἐξωτέρω λαβεῖν, καὶ τῶν εἴδει, δέδεικται δὴ πρὸς τὰ ἔξω τοῦ γένους οὐκ ἔστι διαφορά. τούτων δ᾽ αὕτη μεγίστη καὶ τὰ ἐν τῷ αὐτῷ γένει πλεῖστον διαφέροντα τἀναντία μεγίστη γὰρ διαφορὰ τούτων ἡ τέλειος καὶ τὰ ἐν τῷ αὐτῷ δεκτικῷ πλεῖστον διαφέροντα ἐναντία. ἡ γὰρ ὕλη ἡ αὐτὴ τοῖς ἐναντίοις, καὶ τὰ ὑπὸ τὴν αὐτὴν δύναμιν πλεῖστον διαφέροντα. καὶ γὰρ ἡ ἐπιστήμη περὶ ἓν γένος μία, ἐν οἷς ἡ τελεία διαφορὰ μεγίστη.

A *est, differentia verò est duorum, est utique &* *perfecta.*

ᶜ Est autem necesse cæteras contrariorum definitiones veras esse. Etenim plurimum differt perfecta differentia. Nam neque extra ea quæ genere differunt, neque extra ea quæ specie, quicquam accipi posse demonstratum est, eo quòd ad ea quæ sunt extra genus, non sit differentia: horum autem hæc sit maxima. Sunt etiam contraria quæ in eodem genere plurimum differunt: maxima enim horum differentia est quæ perfecta. Sunt item contraria quæ plurimum differunt in eodem susceptivo: eadem enim est contrariorum materia. B *Et quæ sub eadem potentia differunt plurimũ. Etenim scientia una in uno rerum genere versatur, in quibus perfecta differentia, maxima est.*

EXPLANATIO CAPITIS SEXTI.

CUm inter ea quæ sunt diversa, præcipuæ considerationis sint illa quæ dicuntur differentia, atque inter hæc peculiares difficultates habeant contraria, quæ differentibus contineri paulo antè dictum est aggreditur Aristoteles fusiorem aliquanto de contrariis disputationem: ac primum tradit hoc capite ipsam contrariorum quatenus contraria sunt, naturam & rationem. Imprimis ergo docet, contraria esse maximè differentia: quod ex eo colligit, quia cùm inter differentia alia magis alia minùs differant: necesse sit dari quoque inter ea maximam differentiam, quàm ipse primus peculiari nomine contrarietatem appellavit, ut eam à cæteris generibus oppositionum distingueret. Consequentia verò huius rationis ex eo vim habet, quia ubi datur magis & minus tale, dari necesse est aliquid quòd maximè tale sit, ne in infinitum abeatur, in rebus præsertim quæ actu distinctæ sint inter se, cuiusmodi sunt species rerum magis ac minùs distantes in perfectione essentiali. Quod addiderim ne de intentione qualitatum aut simili accidentario incremento res intelligatur. Quanquam in iis etiam verum est pronunciatum cum omnis latitudo accidentaria terminata sit & finita in rebus. Nam neque calor intensior inveniri potest quã in igne, nec maior celeritas motus, quã in primo mobili, & sic se habent cætera. Quare cum ea quæ differunt essentiali discrimine, sub eodem genere sint, ut patet ex superiori capite. Hinc collectam vult Aristoteles contrariorum naturam & definitionem esse ut sint ac dicantur ea quæ sub eodem genere maximè differunt, sive distant.

ᵃ Esse

[a] *Esse autem maximam.*

PRobat inductione inter sola & omnia contraria esse maximã differentiam sive distantiam. Nam quæ differunt seu potius diversa sunt toto genere, viam ad sese mutuò non habent, ut alia ex aliis fiant (neque enim substantia ulla fit ex quantitate aut qualitas ex quantitate, etiamsi hæc concretè sumantur) sed plus distant quam ut conferri inter se possint in eo quod magis aut minus propinqua sint in generatione ad terminum ad quem: id quod tamen inveniri potest in iis quæ sub eodem genere: magis enim propinquum est fuscum albo, quam nigrum, & sic in cæteris: at contraria debent esse talia ut ex se mutuò fieri possint, atque inter hæc quædã sunt media, ut colores qui interiecti sunt inter album & nigrum, quædam ultima, ut album & nigrum, ergò cum contraria non sint media, sive cum extremis collata, sive inter se, sed sint ipsa extrema (siquidem media constant ex extremis: contraria verò non item ex suis contrariis) erunt utique contraria extrema ac proinde maximè differentia sive distantia. quod probandum erat. Summa rationis est, sola & omnia contraria sunt ea extrema quæ in generatione cernuntur, omnia verò extrema sunt maximè distantia: igitur sola & omnia contraria sunt maximè distantia.

[b] *Porro id quod.*

OStendit contraria non tantum esse maximè differentia sed etiam perfectè differentia. Id quod probat ex rationibus maximi & perfecti. Maximum enim est quod non exceditur, perfectum autem cui nihil deest, seu (quod idem

A est) extra quod nihil accipi potest ad eius complementum: hæc autem eadem videntur esse, & sese invicem comitari. Quòd verò perfectum id sit extra quod nihil accipi potest, ex eo concludit, quia perfecta dicuntur, ipso etiam Græco nomine, quæ finem assequuta sunt. Dicuntur enim τέλεια, id est ἀπὸ τοῦ τέλους, id est à fine: at extra finem nihil est quod acquiri possit, cum sit ultimum, totumque id contineat ad quod actiones cunctæ dirigebantur.

B

[c] *Cùm autem contraria.*

SEnsus loci est, etsi contraria multis modis dicuntur, ut patebit initio capitis sequentis tamen non omnia esse æquè perfectè distantia sive differentia, sed eo modo quo sunt contraria.

[d] *Hæc cum ita sint.*

C

COlligit ex dictis, uni plura contraria esse non posse, idque tribus argumentis quæ perspicua sunt. Quo loco illud [est utique & perfecta] hunc sensum habet [est utique duorum (atque adeo potiori ratione) ipsa perfecta differentia.]

[e] *Est autem necesse.*

D

DOcet, omnes alias definitiones sive explicationes quæ de contrariis verè traduntur, ea ratione veras esse, sive aptas, quòd cum tradita definitione congruant. Proinde non eas omnes refert hoc loco quas 10. cap. lib. 5. attulerat, quod prima earum & ultima multa complectantur non verè contraria, quòd alterum sit in uno prædicamẽto, alterum in alio aut etiam in nullo ut ex eo loco perspicuum est. Prima igitur earum, quas hîc commemorat,

morat. est qua contraria dicuntur ea A quæ plurimum differunt Quam esse veram explicationem, tametsi haud completam, ex dictis constare docet. Quæ enim plurimum differunt, perfectè differunt ac proinde maximè. Nam perfectum est id extra quod nihil accipi potest, quod ad eius complementum pertineat; at extra ea quæ genere differunt, nihil accipi potest quod ad differentiam rerũ spectet, quia quicquid id sit, erit non ens; neque etiam extra ea quæ specie differunt, quia si differant genere, jã nõ erũt propriè differentia; quare nec maximè different: unde reliquum est ut tradita explicato iis solis conveniat, quæ maximè differunt specie Secunda est, qua contraria dicuntur quę plurimũ differunt in eodem genere: inter quam & eam quæ hoc cap. tradita est, nihil interest. nisi quòd altera utitur verbo maximè, altera verbo plurimum. Reliqua perspicua sunt præsertim legẽti quæ diximus ad caput citatũ libri quinti.

B

Κεφάλαιον ζ.

Text. 15. Πρώτη δὲ ἐναντίωσις, ἕξις καὶ στέρησίς ἐστιν· οὐ πᾶσα δὲ στέρησις (πολλαχῶς γὰρ λέγεται ἡ στέρησις) ἀλλ᾽ ἥτις ἂν τελεία ᾖ. τὰ δ᾽ ἄλλα ἐναντία, κατὰ ταῦτα λεχθήσεται, τὰ μὲν τῷ ἔχειν, τὰ δὲ τῷ ποιεῖν ἢ ποιητικὰ εἶναι. τὰ δὲ τῷ λήψεις εἶναι καὶ ἀποβολαὶ τούτων, ἢ ἄλλων ἐναντίων, [a] εἰ δὴ ἀντίκειται μὲν ἀντίφασις καὶ στέρησις καὶ ἐναντιότης, καὶ τὰ πρός τι. τούτων δὲ πρῶτον ἀντίφασις· ἀντιφάσεως δὲ μηδέν ἐστι μεταξύ. τῶν δὲ ἐναντίων ἐνδέχεται. ὅτι μὲν οὖν οὐ ταὐτὸν ἀντίφασις καὶ τὰ ἐναντία, δῆλον. [b] ἡ δὲ στέρησις ἀντίφασίς τίς ἐστιν· ἢ γὰρ τὸ ἀδύνατον ὅλως ἔχειν, ἢ ὃ ἂν πεφυκὸς ἔχειν μὴ ἔχῃ, ἐστέρηται, ἢ ὅλως, ἢ πῶς ἀφορισθέν. πολλαχῶς γὰρ ἤδη τοῦτο λέγομεν, ὥσπερ διῄρηται ἡμῖν ἐν ἄλλοις. ὥστ᾽ ἐστὶν ἡ στέρησις ἀντίφασίς τις, ἢ ἀδυναμία διορισθεῖσα, ἢ συνειλημμένη τῷ δεκτικῷ. διὸ ἀντιφάσεως μὲν οὐκ ἔστι μεταξύ, στερήσεως δέ τινός ἐστιν. ἴσον μὲν γὰρ ἢ οὐκ ἴσον, πᾶν. ἴσον δὲ ἢ ἄνισον, οὐ πᾶν· ἀλλ᾽ εἴπερ μόνον ἐν τῷ δεκτικῷ τοῦ ἴσου. [c] εἰ δὴ αἱ γενέσεις τῇ ὕλῃ ἐκ τῶν ἐναντίων. γίγνονται δὲ ἢ ἐκ τοῦ εἴδους καὶ τῆς τοῦ εἴδους ἕξεως, ἢ ἐκ στερήσεώς τινος τοῦ εἴδους καὶ τῆς μορφῆς. δῆλον ὅτι ἡ μὲν ἐναντίωσις, στέρησις ἄν τις εἴη πᾶσα, [d] ἡ δὲ στέρησις ἴσως οὐ πᾶσα ἐναντιότης. αἴτιον δ᾽·

C

CAP. VII.

Prima verò contrarietas habitus & privatio est: verum non omnis (multis enim modis privatio dicitur) sed ea demum quæ perfecta fuerit: cætera verò contraria ex his dicentur, alia quidem quòd hæc habeant, alia verò quòd faciant, aut facere possint, alia quòd horum acceptiones aut obiectiones sint, aut aliorum contrariorum. Tex. 15.

[a] Si igitur opposita sunt contradictio, privatio, contrarietas, & ea quæ sunt ad aliquid: horum autem primum est contradictio: contradictionis verò nullum est medium, cùm interim contrariorum esse contingat: illud profectò constat, non idem esse contradictionem atque contraria.

[b] Privatio verò contradictio est quædam, Aut enim habere omnino non potest: aut quod cùm natura aptum sit, ut habeat non habet tamen id privatum est, aut omnino, aut modo aliquo definitum: multis enim iam modis hoc dicimus, ut aliis locis à nobis explicatum est. Itaque privatio contradictio quædam est, aut impossibilitas definita, aut cum susceptivo comprehensa. Qua de causa contradictionis medium non est, cum tamen sit privationis cuiusdam. Aequale enim aut non æquale est quid vis: æquale autem, aut inæquale non item, nisi eo quòd æqualitas est capax.

D

[c] Quòd si generationes in materia ex contrariis fiunt, (fiunt autem ex forma, & formæ habitu, aut ex quadam privatione formæ) perspicuum est, omnem quidem contrarietatem privationem esse quandam: [d] privationem autem non omnem fortasse contrarietatem esse. Causa verò est quia multis modis privari

E

ὅτι πολλαχῶς ἐνδέχεται ἐστερῆσθαι τὸ ἐστερημένον. ἐξ ὧν γὰρ αἱ μεταβολαὶ ἐσχάτων, ἐναντία ταῦτα. ᶜφανερὸν δὲ καὶ διὰ τῆς ἐπαγωγῆς. πᾶσα γὰρ ἐναντίωσις ἔχει στέρησιν θατέρου τῶν ἐναντίων ἀλλ' οὐχ ὁμοίως πάντα. ἀνισότης μὲν γὰρ ἰσότητος, ἀνομοιότης δὲ ὁμοιότητος, κακία δὲ ἀρετῆς. διαφέρει δὲ ὥσπερ εἴρηται τὸ μὲν γὰρ ἐὰν μόνον ᾖ ἐστερημένον, τὸ δὲ ἂν ᾖ ποτε, ἢ ἔν τινι. οἷον ἂν ἐν ἡλικίᾳ τινὶ ἢ τῷ κυρίῳ ἢ πάντῃ. διὸ τῶν μὲν ἔστι μεταξύ. καὶ ἔστιν οὔτε ἀγαθὸς ἄνθρωπος οὔτε κακός, τῶν δὲ οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἀνάγκη εἶναι ἢ περιττὸν, ἢ ἄρτιον. ἔτι τὰ μὲν ἔχει τὸ ὑποκείμενον ὡρισμένον, τὰ δ' οὔ. ὥστε φανερὸν ὅτι ἀεὶ θάτερον τῶν ἐναντίων λέγεται κατὰ στέρησιν. ἀπόχρη δὲ κἂν τὰ πρῶτα καὶ τὰ γένη τῶν ἐναντίων, οἷον τὸ ὂν καὶ τὰ πολλά. τὰ γὰρ ἄλλα εἰς ταῦτα ἀνάγεται.

A contingit, quod privatum est: ex quibus enim extremis transmutationes fiunt, ea contraria sunt.

ᶜId etiam inductione perspicuum est. Omnis enim contrarietas privationem habet alterius contrariorum. Sed non similiter omnia habent: inæqualitas enim habet æqualitatis, dissimilitudo, similitudinis, virtutis, vitium. Differunt autem, ut dictum est. Aliud enim, si solū careat, aliud si aliquādo, aut in aliquo, ve lut in ætate quadam, aut in eo quod perspicuum est, aut omnino. Ex quare fit ut quorundam sit medium, fieriq́; possit ut homo nec bonus sit, nec malus: quorundam verò non sit, B sed sit necesse ut aliquid par sit aut impar. Ad hæc sunt quæ habeant certum subiectum, alia, quæ non habeant. Vnde patet, semper alterum contrariorum ex privatione dici. Satis verò est si prima, generaq́; contrariorum, qualia sunt unum & multa, dicantur. Cætera enim ad hæc reducuntur.

Text. 17.

Vbi dicitur, Si prima generaque cōtrar.orum, scriberem, si prima genera contrariorum, absque virgula & coniunctione (que) etsi enim sit in Græco καὶ, tantū ornatus nō significationis gratia apposita videtur, quod usitatissimū est. Nec ulla in Græco textu est virgula.

EXPLANATIO CAPITIS SETIMI.

Cum explicasset naturam contrarietatis, sive contrariorum, ut cōtraria sunt, confert hoc capite contrarietatem cum cæteris oppositionibus, primumque cum privativa oppositione. quia hæc duo oppositionum genera sæpe communicant in nomine contrarietatis. Non rarò enim habitus & privatio vocantur contraria, quo pacto appellantur in Physicis, cùm agitur de principiis rerum naturalium, quorū duo contraria esse dicuntur, forma nimirum & privatio formæ. Ut igitur Aristoteles ostendat latiùs patere oppositionem privativam quàm contrariam, utitur hoc pronunciato: Primam contrarietatem (sumpto videlicet contrarietatis nomine, ut extenditur ad privativam oppositionem.) esse habitum & privationem, non quamcumque tamen. sed perfectam, hoc est, quæ supponit subiectum aptum, & omnino privat habitu seu forma, cùm interim multis aliis modis privatio dicatur, ut patet ex cap. 22. lib 5. Hinc enim patet habitum & privationem ad plura distendi quàm ad contraria propriè dicta seu positiva ex utraque parte. Nam quòd etiam huiusmodi contraria reperiantur habitus & privatio, planè constat in aspectu & cæcitate, cæterisque pure privative oppositis. Quòd verò cernatur in omnibus positivè contrariis, probat Aristoteles, cùm ait cætera contraria ex habitu & privatione dici. Nam ea quæ sunt perfectè contraria iccirco talia dicuntur, quia habitum & perfectam privationem iuducūt. ut calor & frigus; neque enim calor quicquam includit frigoris, aut frigus quicquam caloris. Alia verò analogica communicatione dicuntur contraria: aut quia actu efficiunt huiusmodi

iusmodi contraria, ut calefaciens & frigefaciens, aut quia sunt eorum effectiva ut calefactivum & frigefactivum; aut quia sunt motus ad illa vel ab illis, ut calefactio & frigefactio (semper enim generatio unius contrarii est coniuncta cum corruptione alterius) aut denique sunt acceptiones abjectiones ve aliorum contrariorum quæ perfectè contraria non sunt, sed media inter se comparata aut cum extremis. Quò ultimo membro innuit Aristoteles, complura etiam dici posse contraria, vel quia imperfectè participant habitum & privationem, ut colores medii, vel quia hæc efficiunt, vel etiam quia horum effectiva sint Adde etiam sive immediate, ut qualitates ipsæ, sive mediatè, ut substantiæ subjectæ, velut ignis, aqua, & similia, quæ etiam nonnunquam dicuntur contraria. Atque hæc eadem distinctio immediatè aut mediatè efficientis vel effectivi, in iis etiam quæ perfectè contraria sunt intelligenda est.

Fundamentum huius totius doctrinæ est, semper alterum ex contrariis positivis esse imperfectum comparatione alterius. Inde enim provenit ut alterum includat modo aliquo privationem alterius, seu perfectè ut extrema, seu imperfectè, ut media.

[a] *Si igitur opposita sunt.*

COnfert contrarietatem cum contradictione, aitque contradictionem, hoc est contradictoria (sumit enim hoc loco sæpe abstracta pro concretis (& contraria C non idem esse. Ratio verò huius cõclusionis est; quia cùm quatuor sint oppositorum genera, nempe contradictoriè, privativè, contrariè, & relativè; Contradictoria quorum est prima & maxime generalis oppositio, ut paulo pòst patebit; non admittunt medium, cùm de quolibet sive ente sive non ente necesse sit affirmare quidlibet aut negare & tamen contraria omnia propriè dicta (de quibus hic loquitur) media admit- D tunt, ut etiam inferiùs patebit. Adverte autem, rationem Aristotelis non solum concludere potuisse contradictoria non idem esse atque contraria, sed etiam suo modo in contrariis includi ac participari. Semper. n. unum ex contradictoriè oppositis dum excludit media omnia excludit quicquid aliud est aut cogitari potest præter se; at in contrariis alia ratio est: dum enim admittunt media, non excludunt quicquid aliud quã suum contrarium: Unde patet exclusionem contradicentium esse maximè generalem: contrariorum autem esse particularem, & quodammodo sub ea contentam, aut potius ab ea decerptam.

[b] *Privatio verò.*

COnfert privativam oppositionem cum contradictoria, docetque, privativã esse quandã contradictionem, quòd nimirum partim conveniant; partim differant, contradictioque generalior sit in excludendo Quod ut explicet distinguit privationem, in eam quæ supponit subiectum omnino ineptum ad formam qua caret, quo pacto dicimus lapidem cæcum, & desertum silens: & in eam quæ supponit subiectum natura sua aptum ad formam qua privatum est, sive illud privatum sit omnino, ut homo perfectè claudus pedibus sive aliqua ex parte, ut is qui ineptos habet ad ambulandum. Vocat autem subiectum

modo aliquo definitum, illud, quod aliqua ex parte & non omnino privatum est. quia privatum est modificata & determinata quadam ratione. Hac distinctione posita, cuius fusiorem explicationem ad quintum librum reiecit, ex eo probat, privativam oppositionem esse contradictionem quandam, quia aut est impossibilitas definita, hoc est oppositio addicta ad subiectum aptum natura sua (vocat.n. impossibilitatem ipsam oppositionem, quia opposita non possunt esse simul) aut cum susceptivo comprehensa, hoc est aut saltem cum subiecto inepto ad formam simul accepta: Semper.n. privatio supponit subjectum aut aptũ aut ineptum. Ex quibus iam sequitur, privationem esse particularem quandam contradictionem, in eoq; cum cõtradictione convenire, quòd utraque habitum seu formam negat: in eo autem differre, quòd contradictio negat simpliciter, nullum subiectum supponens privativa autem oppositio non negat formam simpliciter, sed limitate in subiecto quod supponit. Unde illud aliud discrimẽ nascitur, quòd contradictio excludat omne medium, quia & subiectum privatio autem non excludit medium, quia nec subiectum. Verbi causa, æquale & non æquale nullum supponunt commune subiectum, cùm dicantur de quovis sive ente sive non ente, non habent medium: at æquale & inæquale quia supponunt subiectum, quantum, habent medium, nempe nec æquale nec inæquale quod dicitur de plurimis entibus, & de omnibus non entibus.

[c] *Quod si generationes.*

Etsi ex iis quæ dixerat initio capitis, constare posset, contrarietatem esse quandam privationem participatam, eo quòd illam A suo modo includat: tamen id clariùs ostendit hoc loco, & ratione & inductione. Ratio est quia generationes (adde aut corruptiones) dicuntur fieri in materia & ex contrariis: cùm igitur fiant ex forma, aut (quod idem est) ex habitu formæ seu forma habita: & ex privatione formæ, tanquam ex duobus extremis (generatio enim sive substantialis sive accidentalis, tendit à privatione ad formam, & B corruptio à forma ad privationem) perspicuum est, contrarietatem, esse quandam privationem, hoc est, includere privationem.

Adverte autem cùm motus, ut distinguitur à mutatione sive generatione & corruptione, fiat à subiecto in subjectum id est, à termino positivo in positivum, in quovis motu includi duas mutationes, corruptionem videlicet termini à quo, & generationem termini ad quem, & ideo semper in eo includi duos habi- C tus seu formas & duas privationes. Quatenus.n. est corruptio termini à quo, procedit à forma ad privationem: quatenus autem est generatio termini ad quem, procedit à privatione ad habitum.

[d] *Privationem autem non omnem.*

D Quia contrarietas non est omnino privativa oppositio sed eam suo modo includit ac participat: inde provenit ut si omnis oppositio contraria privativa dici possit ut probatum erat, meritò tamen hoc loco doceat Aristoteles non omnem privativam esse contrariam. Addit autem [fortasse quia si contrariorum nomen sumatur communiter, ut positiva & privativa contraria comprehendit (quæ significatio initio capitis usurpata est) non dubium est quin omnis privativa sit con-

contraria. Non posse autem omnem privativam dici contrariam nempe propriè & peculiari ratione, ex eo probat, quia latiùs patet privativa. Quovis enim modo aliquid careat aliquo, dicatur illo privatum eo modo quo illo caret; hac enim ratione etiam medii colores privati sunt seu carent extremis, quibus tamen modo aliquo participat. At contraria ipsa extrema ad quæ ultimo terminãtur generationes, ut album omnino & omnino nigrum, non quovis modo alia, alia aliis carent, sed extremè ac omnino.

e Idem etiam inductione.

IAm probat inductione contrarietatem esse privationem participatam, sive includere privationem, ut ostendit in æqualitate & inæqualitate, similitudine & dissimilitudine, virtute ac vitio: posteriora enim includunt privationem priorum, suntque eorum veluti privationes. Addit tamen alio atque alio modo diversa contraria censeri privationes suorum contrariorum. Uno quidem modo si contraria ipsa spectentur. In aliis enim non habetur ratio nisi solius ut ita dicam, carentiæ, qua unum quovis modo caret altero, sive perfectè, inquam, ut perfectè nigrum, sive imperfectè, ut quod imperfectè tale est. In aliis habetur ratio temporis; veluti ætatis humanæ in qua usus rationis exercetur; quo pacto pueri non dicuntur virtutibus privati, quemadmodum nec vitiis obnoxii. In aliis habetur ratio certæ partis, in qua insunt contraria, ut in bona habitudine oculorum, & morbo contrario, quo pacto cæteræ partes animalium non dicentur carere bona habitudine ad videndum; quemadmodum nec sunt morbo cõ-

A trario obnoxiæ. In aliis denique ipsa etiam contraria hoc postulant ut sint in toto subjecto, aut in præcipuis eius partibus, ut elegantia corporis, & ineptitudo sive inelegantia contraria, qua proinde non dicemus privatum digitum, aut quid simile: cum in eo nec elegantia locum habeat. Alio verò modo contraria censentur privationes suorum contrariorum, si spectentur eorum subjecta. Alia enim sunt certa & peculia-
B ria, seu necessariò illa sibi alterum eorum vendicent, ut numerus paritatem vel imparitatem, & animal sanitatem vel morbum, seu contingẽter, ut homo virtutem aut vitium. Alia non sunt peculiaria, ut subjectum albedinis & nigredinis caloris & frigoris. Unde colligit Aristoteles, primum quidem quædam contraria habere media, cuiusmodi sunt illa quæ certum subiectum sibi non vendicant, aut si vendicant, alterum eo-
C rum non necessariò inest: quædam verò habere media, qualia sunt ea omnia quæ ut certum subiectum postulent, & eorum alterum necessariò convenit; quorum exempla ex dictis patent, Deinde colligit, id quod precipuè ostenderat, semper unum ex contrariis ex privatione dici, sive alterius privationem includere, eiusque privationem censeri, illud, inquam, quod imperfectius est, tametsi id alio & alio modo accidat, ut patet
D ex dictis.

f Satis verò est.

ETsi probatum non esset, semper unum ex contrariis censeri privationem alterius: addit tamen id ostendi posse ex primis contrariis, quæ sunt unum, & multa ad quæ cętera omnia revocantur, ut superiùs dictum est, ut æquale & inæquale,

simile & dissimile, idem & diversum. A sub quo differentia continentur, quæ sub se continent contraria propriè dicta seu positiva. Omnia enim huiusmodi contraria sunt differentia, non item omnia differentia sunt contraria. Cùm igitur unum opponatur multis, ut indivisum diviso, quæ privationem & habitum significant, relinquitur, cætera omnia contraria sic opponi, ut unum censeatur privatio alterius.

Ex iis quæ dicta sunt in hoc cap. B perspicuum est, contradictionem esse primam, maximeque generalem oppositionem, secundam verò privativam, tertiam denique contrariã, quæ cum superioribus tantum collata est prætermissa est enim in collatione oppositio relativa, quia relativè opposita in eo non conveniunt cum cęteris, quòd se invicem ponũt, ac tollunt, quæ conditio aliena admodum videtur à conditione oppositorum.

Κεφάλαιον. η'.

Ἐπεὶ δὲ ἓν ἑνὶ ἐστὶν ἐναντίον, ἀπορήσειεν ἄν τις πῶς ἀντίκειται τὸ ἓν καὶ τὰ πολλά (τὰ γὰρ ἄλλα εἰς ταῦτα ἀνάγεται) καὶ τὸ ἴσον τῷ μεγάλῳ καὶ τῷ μικρῷ. τὸ γὰρ πότερον ἐν ἀντιθέσει ἀεὶ λέγομεν, οἷον πότερον λευκὸν, ἢ μέλαν. καὶ πότερον λευκὸν, ἢ οὐ λευκόν. πότερον δὲ ἄνθρωπος ἢ λευκὸν, οὐ λέγομεν, ἐὰν μὴ ἐξ ὑποθέσεως, καὶ C ζητοῦντες, οἷον πότερον ἦλθε Κλέων ἢ Σωκράτης. ἀλλ' οὐκ ἀνάγκη ἐν οὐδενὶ γένει τοῦτο ἀλλὰ καὶ τοῦτο ἐκεῖθεν ἐλήλυθε. τὰ γὰρ ἀντικείμενα μόνα οὐκ ἐνδέχεται ἅμα ὑπάρχειν. ᾧ καὶ ἐνταῦθα χρῆται, ἐν τῷ πότερος ἦλθεν, εἰ γὰρ ἅμα ἐνεδέχετο, γελοῖον τὸ ἐρώτημα. εἰ δὲ καὶ οὕτως, ὁμοίως ἐμπίπτει εἰς ἀντίθεσιν, εἰς τὸ ἓν ἢ πολλά. οἷον πότερον ἀμφότεροι ἦλθον, ἢ ἅτερος. εἰ δὴ ἐν τοῖς ἀντικειμένοις ἀεὶ τοῦ ποτέρου ἡ ζήτησις (λέγεται δὲ πότερον μεῖζον ἢ ἔλαττον, ἢ ἴσον) τίς ἐστιν ἡ ἀντίθεσις πρὸς ταῦτα τοῦ D ἴσου, οὔτε γὰρ θατέρῳ μόνῳ ἐναντίον, οὔτε ἀμφοῖν. τί γὰρ μᾶλλον, ἢ τῷ μείζονι, ἢ τῷ ἐλάττονι, b ἔτι τῷ ἀνίσῳ ἐναντίον τὸ ἴσον. ὥστε ἐν πλείοσιν ἔσται, ἢ ἑνί. εἰ δὲ τὸ ἄνισον σημαίνει τὸ αὐτὸ ἅμα ἀμφοῖν, εἴη μὲν ἀντικείμενον ἀμφοῖν. καὶ ἡ ἀπορία βοηθεῖ τοῖς φάσκουσι τὸ ἄνισον δυάδα εἶναι, d ἀλλὰ συμβαίνει ἓν δυοῖν ἐναντίον. ὅπερ ἀδύνατον. ἔτι τὸ μὲν ἴσον μεταξὺ φαίνεται μεγά

Text. 28. (beside: πότερον ἀμφότεροι ἦλθον)

Tex. 19. (beside: μένον ἀμφοῖν)

CAPUT VIII.

Cum autem unum uni contrarium sit, dubitabit fortasse aliquis, quonam pacto unum & multa opponantur, & æquale magno ac parvo. Hoc enim verbo, Utrum semper in oppositione uti solemus, veluti, utrum album an nigrum sit, & utrum album an non album: at utrum homo sit an albũ, C non dicimus nisi ex hypothesi, quærendiq; gratia veluti, utrum Cleon venit, an Socrates. Verum hoc non est necesse in genere ullo: sed & hoc illinc est profectum. Sola enim opposita simul esse non possunt, quod hic etiam usurpatur cũ quæritur uter venit: si enim id simul contingeret, ridicula esset interrogatio. Quòd si & hoc pacto quæres eodem modo in oppositionem incides, in unum, inquam, & multa, ceu utrũ ambo venerint, an alter. Si igitur quæstio per Utrum, semper est in oppositis: dici autem solet, utrum maius aliquid sit, an minus, an æquale: quænam est ad illa ipsius æqualis oppositio? Neque enim alteri tantum contrarium D est, neq; utriq;: cur enim maiori potius quam minori? Præterea [b] *inæquali æquale contrarium est: quare in pluribus quam in uno erit. Quòd si inæquale signif. quod ambo, erit utriq; ambobus oppositum. Ac dubitatio* [c] *iuvat eos, qui inæqualitatem dualitatem esse dicunt.*

[d] *At sequitur, uni duo esse contraria, quod fieri nequit. Præterea æquale quidem, medium inter magnum & parvum esse videtur: contrarietas autem nec videtur media, neq; ex definitione id fieri potest: neq; enim perfecta esset, si alicuius media esset, cum potius semper medium*

In Græco hæc per parenthesin inferuntur (cætera enim ad hæc reducuntur.)

Text. 18. (beside: ambo venerint, an alter. Si igitur quæstio per)

Text. 19. (beside: Quòd si inæquale signif. quod ambo, erit utriq;)

καὶ μικροῦ. ἐναντίωσις γὰρ οὐδεμία μεταξὺ οὔτε φαίνεται, οὔτε ἐκ τοῦ ὁρισμοῦ δυνατόν· οὐ γὰρ ἂν εἴη τελεία μεταξύ τινος οὖσα, ἀλλὰ μᾶλλον ἔχει ἀεὶ ἑαυτῆς τι μεταξύ. [c] λείπεται δὴ, ἢ ὡς ἀπόφασιν ἀντικεῖσθαι, ἢ ὡς στέρησιν. θατέρου μὲν δὴ οὐκ ἐνδέχεται. τί γὰρ μᾶλλον τοῦ μεγάλου ἢ μικροῦ, ἀμφοῖν ἄρα ἀπόφασις στερητική. διὸ καὶ πρὸς ἀμφότερα τὸ πότερον λέγεται, πρὸς δὲ θάτερον οὔ. οἷον πότερον μεῖζον, ἴσον. ἢ πότερον ἴσον ἢ ἔλαττον. ἀλλ' ἀεὶ τρία, οὐ στέρησις δὲ ἐξ ἀνάγκης. οὐ γὰρ πᾶν ἴσον, ὃ μὴ μεῖζον ἢ ἔλαττον. ἀλλ' ἐν οἷς πέφυκεν ἐκεῖνα. B ἔστι δὴ τὸ ἴσον, τὸ μήτε μέγα, μήτε μικρὸν, πεφυκὸς δὲ μέγα ἢ μικρὸν εἶναι. καὶ ἀντίκειται ἀμφοῖν ὡς ἀπόφασις στερητική. [f] διὸ καὶ μεταξύ ἐστι, καὶ τὸ μήτε κακὸν μήτε ἀγαθὸν, ἀντίκειται ἀμφοῖν, ἀλλ' ἀνώνυμον. πολλαχῶς γὰρ λέγεται ἑκάτερον, καὶ οὐκ ἔστιν ἓν τὸ δεκτικὸν, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ μήτε λευκὸν, μήτε μέλαν. ἓν δὲ οὐδὲ τοῦτο λέγεται, ἀλλ' ὡρισμένα πως τὰ χρώματα, ἐφ' ὧν λέγεται στερητικῶς ἡ ἀπόφασις αὕτη. ἀνάγκη γὰρ ἢ φαιὸν, ἢ ὠχρὸν εἶναι, ἢ τοιοῦτόν τι ἄλλο ὡρισμένον. ὥστε οὐκ ὀρθῶς C ἐπιτιμῶσιν οἱ νομίζοντες ὁμοίως λέγεσθαι πάντα. ὥστε ἔσται ὑποδήματος καὶ χειρὸς μεταξὺ, τὸ μήτε ὑπόδημα, μήτε χεῖρα. ἐπείπερ καὶ τὸ μήτε ἀγαθὸν μήτε κακὸν, τοῦ ἀγαθοῦ καὶ τοῦ κακοῦ. ὡς πάντων ἐσομένου τινὸς μεταξὺ. οὐκ ἀνάγκη δὲ τοῦτο συμβαίνειν. ἡ μὲν γὰρ ἀντικειμένων συναπόφασίς ἐστιν, ὧν ἔστι μεταξύ τι, καὶ διάστημά τι πέφυκεν εἶναι. τῶν δ' οὐκ ἔστι διαφορά. ἐν ἄλλῳ γὰρ γένει, ὧν αἱ συναποφάσεις. ὥστ' οὐχ ἓν τὸ ὑποκείμενον.

A *medium aliquid sui ipsius habeat.*

Reliquum [c] *est igitur ut vel tanquam negatio vel tanquam privatio opponatur. Ac alteri quidem fieri nequit: cur enim potius magno quàm parvo? Utriusque igitur negatio privativa est. Quo fit ut ad utrumque dicatur utrum, ad alterum verò minimè, ut utrum maius an æquale: aut utrum æquale an minus, sed semper ad tria referatur.*

Non autem privatio est necessariò. Neque enim id omne æquale est, quod nec maius nec minus est, sed in quibus illa inesse sunt apta. Est igitur id æquale, quod nec magnum, nec parvum est, aptum autem natura, ut magnum aut parvum sit: opponiturque utrique ut privativa negatio.

Quapropter [f] *& medium est, & quod nec malum nec bonum est, utrique opponitur: sed nomine caret. Multis enim modis utrumque dicitur, neque unum est susceptivum, sed magis quod nec album est, nec nigrum, nec tamen hoc unum dicitur, sed definiti quodammodo colores, in quibus negatio hæc privativè dicitur: aut enim fuscus sit, aut pallidus, aut tale aliquid designatum necesse est. Quocirca* [g] *non rectè succensent ii, qui omnia eodem modo dici existimant, ut inter calceum & manum id sit medium, quod nec calceus nec manus sit, quandoquidem quod boni & mali est medium, nec bonum, nec malum est: quasi inter omnia sit medium aliquid. Hoc verò non necessariò sequitur. Negatio enim, quæ simul opposita comprehendit, eorum est quorum aliquid est medium, & intervallum quoddam à natura constitutum: at istorum non est differentia. In alio enim genere non sunt: quorum negationes plura comprehendebant. Ita fit, ut quod subiicitur, non unum sit.*

Græcè deest negatio Alexander addendum putat.

EXPLANATIO CAPITIS OCTAVI.

EGit hactenus de contrariis, eaque cum cæteris oppositorum generibus contulit: nunc duas proponit dubitationes ex eo ortas quòd suprà dixerat, uni unum tantum esse contrarium. Earum altera est, Quonam pacto unum & multa dicantur contraria, de qua disputabit capite sequenti. Nam si unum contrariè opponitur multis, cùm eisdem opponantur pauca jam non uni tantum sed pluribus unum cō-

trarium

trarium opponetur. Altera, quam in hoc cap. discutit, hæc est, Qui fieri possit ut æquale sit contrarium magno & parvo, quæ nomine inæqualis comprehenduntur, cum magnum & parvum non unum sint, sed multa.

[a] Hoc enim verbo.

Differendi more suadet, primum æquale magno & parvo esse contrarium. Prima ratio est, quia particulam, Utrum, non usurpamus nisi in oppositis: dicere autem solemus, utrum hoc vel illud sit æquale alteri, an verò magnum aut parvum respectu illius: B opponitur ergo æquale & magno & parvo, ut duobus contrariis. Neque enim dici potest opponi eorum uni, non alteri, cum par sit in utroque ratio: neque etiam utrique, si verum est quòd superius pronunciatum erat, Unum uni tantum esse contrarium. Maiorem propositionem exemplis quibusdam declarat, ostendens rectè usurpari verbum in albo & nigro, in albo item & non albo, C cæterisque contrariis & contradicentibus, non autem in iis quæ non sunt opposita, veluti in albo & homine, in Cleone & Socrate, nisi ex suppositione. Non rectè enim quis dicat; Utrùm aliquid album sit an homo, cum utrunque verum esse possit, neque utrum venerit Cleon an Socrates, quia cùm non sint oppositi, nec eorum adventus in eodem tempore repugnent, non est necesse ut alter D tantum venerit quod idem accidit in cæteris generibus, cùm res de quibus agitur, non sunt oppositæ: tametsi ex suppositione rectè usurpari potest dictio, utrum, in iis quæ non sunt opposita; ut si quis in proximo exemplo ponat alterum tantum, vel Cleonem vel Socratem venisse: tum enim rectè quæri potest uter venerit: alioqui ridicula esset interrogatio. Quanquam addit Aristoteles, si quæstio revocetur ad unum & multa tum posse sine suppositione usurpari verbum, utrum, veluti si dicas, Utrum alter venerit, an uterque: alter enim ad unum spectat, uterque ad multa.

[b] Præterea inæquali.

Secunda ratio est: Quia æquale contrarium est inæquali, at inæquale aut est commune magno & parvo, aut inæqualis nomen utrumque immediatè ac proinde æquivocè significat: quo fit ut æquale sit duobus contrariis oppositum.

[c] Ac dubitatio.

Pythagoræ autoritate idem confirmat, quòd inæqualitatem nomine dualitatis significasset. Ac meritò quidem, quia cum unitas ad æqualitatem pertineat, eo quòd æqualia sint unum in quantitate: dualitas, quæ primum principium divisionis est, ad æqualitatem pertineat, necesse est, quam iccirco rectè significabit.

[d] At sequitur uni.

Duibus item rationibus oppositum suadet æquale, inquã, non esse contrarium magno & parvo. tum quia alioqui unum duobus esset contrarium, quod fieri non posse, superiùs ostensum est; tũ etiam quia æquale videtur esse medium inter magnum & parvum, media verò non sunt extremis contraria, ut rectè ex definitione contrariorum patet: nam si essent jam contrarietas, perfecta distantia non esset (quæ

(quæ est sola extrema) cùm potius contrarietas semper medium aliquid sui ipsius habeat, hoc est, cum potius contraria ipsa ex eo quod extrema sunt, semper aliquid medium inter se habeant; quod quo pacto verum sit, inferiùs patebit. Addit Commentator, non solùm æquale non esse contrarium magno & parvo, sed nec magnum & parvum esse inter contraria, quia datur maius magno, & minus parvo, quæ inter se distant. Quæ tamen probatio nihil habet momenti. Sic enim concluderes album non esse nigro contrarium, quia aliquo albo datur aliud albius, & aliquo nigro nigrius.

e Reliquum est igitur.

SOlvit quæstionem propositam ex iis quæ pro utraque parte dixerat, quatenus ea vera sunt; docetque, æquale non opponi magno & parvo contrariè ut probatum erat, nec (quod subaudiendum est, nec, quia apertum est, probare opus erat) relativè; sed vel contradictoriè, vel privativè; neque id quidem uni eorum tantum, cum par sit in utroque ratio, sed utrique. Concludit igitur, opponi utrique negatione privativa. Et quidem quòd utrique opponatur, etsi iam probatum erat: tamen id iterum ex eo confirmat, quia particula, utrum, nunquam usurpatur in quæstione de altero duntaxat: neque enim dicimus: Utrum hoc sit æquale an maius; neque item, utrum sit æquale an minus, sed semper utrumque opponimus, æquè quærentes, utrum sit æquale, an maius, minúsve: inepta enim esset prior quærendi ratio, cùm integram oppositionem non comprehenderet. Quòd verò non opponatur contradictoriè sed privativè, ea ratione ostendit, quia æquale, ut

A interpretatur Alexander, non est privatio, quæ cum suo opposito, hoc est, cum magno, & parvo, more contradictionis, necessariò dicatur de quocũq; sive ente sive nõ ente, cũ nec de omni quidem ente verè dici possit esse æquale, aut maius, minúsve, seu magnum & parvum. Neutrum enim dicitur in rebus non habentibus quantitatem, ut in qualitatibus maximè immaterialibus, quemadmodum neque in substantiis materiæ expertibus. Sed durior aliquanto videtur expositio D. Thomas sic contextum intelligit, quasi dictum sit [particula verò non, quæ in ipso æquali includitur, necessariò est privatio, non autem contradictio.] quo pacto sensus est aptior, nisi quod id quod Græcè est, οὐ στέρησις ἢ ἐξ ἀνάγκης, hoc modo habere debuisset, τὸ ἢ οὐ στέρησις, ἐξ ἀνάγκης, pro quo illud irrepsisse facillimè suspicaremur, nisi tanta esset in priori lectione exemplarium consensio. Cõmentator aliam adiungit rationem, cur negatio inclusa in eo quod æquale est, non opponatur contradictoriè magno & parvo, quia, inquit, negatio contradictoriè opposita non negat duo aut plura immediatè, sed unum tantum. Ex his ergo dilucidè colligit Aristoteles quid sit æquale, & quo pacto magno & parvo opponatur.

f Quapropter & medium.

DOcet, æquale esse medium inter magnum & parvum, quibus privativè opponitur, quo etiam pacto, quod nec malum nec bonum est, malo & bono opponitur, tametsi nominatum non est, ut æquale inter magnum & parvum. Nec mirum cùm bonum & malum multis modis dicantur, ne-

que ei quod capax est negationis boni & mali, unum quid est, ut facilè peculiari vocabulo nominari possit, quod tamen accidit in quantitate quæ una & eadem existens, æqualis dici potest negatione magni & parvi. Idem porro quod medio inter bonum & malum interiecto est, evenit in eo quod medium est inter album & nigrum, quod ideo peculiari nomine non significatur, sed sola negatione extremorum: quia subiectum negationis utriusque nõ est unum quid simpliciter, sed multi colores quodammodo certi & definiti: quod addit quia ex varii colorum mistione, varii admodum resultare possunt, tametsi unusquisque medius color certus est & definitus, ut fuscus, pallidus, & similes.

g Quocirca non rectè.

ERant qui reprehenderant rationem traditam assignandi medium per negationem utriusque extremi, quod idem sequi dicerent, inter omnia posse medium tale constitui: ut si quis diceret inter manum & calceum, medium esse id quod nec manus nec calceus est, & modo eodem inter cætera. Quibus respondet non rectè id colligi. Ea enim inter quæ media per negationem assignari posse dictum est, sunt extrema quædam, inter quæ datur aliquod medium, vel unum A simpliciter ut æquale inter magnum & parvum, vel quodammodo unum, ut colores medii inter album & nigrum, quia utroque extremo participant: hoc autem medium est quasi intervallum quoddam à natura constitutum inter extrema quæ simul negantur, cum significatur medium, sive uno vocabulo id fiat, sive negationibus extremorum simul in unam communem utriusque negationem convenientibus. B At inter manum & calceum nihil tale est, quia non differunt inter se propriè cùm sint sub diversis genere; manus quidem reductitiè sub animali, calceus verò sub artefactorum genere, quod substantiam & qualitatem complectitur: cum interim ea quorum negationes dicebantur plura comprehendere, ad significandum medium innominatum, in alio atque alio genere non C sint, sed sub eodem, ut album & nigrum. Quare id quod subjicitur negationi calcei & manus, non est unum quid quasi intervallum inter duo extrema, ut medium per negationem dici possit.

Hoc loco cum suspicetur Alexander depravatum esse contextum, illustremque fore lectionem si addatur negatio huncin modum: ἐν ἄλλῳ γὰρ γένει οὐκ ἔστι, hoc est, in alio enim genere non sunt, nos eam non dubi- C tavimus addere, quod ea dempta, sensus sit nullus qui cum dictis congruat.

Κεφάλαιον

Κεφάλαιον. θ'.

Text. 20. Ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τοῦ ἑνὸς καὶ τῶν πολλῶν ἀπορήσειεν ἄν τις. εἰ γὰρ τὰ πολλὰ τῷ ἑνὶ ἁπλῶς ἀντίκειται, συμβαίνει ἔνια ἀδύνατα. τὸ γὰρ ἕν, ὀλίγον, ἢ ὀλίγα ἔσται. τὰ γὰρ πολλὰ, καὶ τοῖς ὀλίγοις ἀντίκειται. ἔτι τὰ δύο πολλὰ, εἴπερ τὸ διπλάσιον πολλαπλάσιον, καὶ οὕτω λέγεται δὲ καὶ τὰ δύο διπλάσια, ὥστε τὸ ἕν, ὀλίγον. πρὸς τί γὰρ πολλὰ τὰ δύο, εἰ μὴ πρὸς ἕν τε καὶ πρὸς τὸ ὀλίγον, οὐδὲν γὰρ ἐστιν ἔλαττον. ἔτι εἰ ὡς ἐν μήκει τὸ μακρὸν καὶ βραχὺ, οὕτως ἐν πλήθει τὸ πολὺ καὶ τὸ ὀλίγον, καὶ ὃ ἂν ᾖ πολὺ, καὶ πολλὰ, καὶ τὰ πολλὰ πολύ. εἰ μή τι ἄρα διαφέρει ἐν συνεχεῖ ἀορίστῳ, τὸ ὀλίγον, πλῆθός τι ἔσται. ὥστε τὸ ἓν πλῆθός τι ἐστὶν, εἴπερ καὶ ὀλίγον. τοῦτο δ' ἀνάγκη, εἰ τὰ δύο πολλά. b ἀλλ' ἴσως τὰ πολλὰ λέγεται μὲν ὡς καὶ τὸ πολὺ ἀλλ' ὡς διαφέρον, οἷον ὕδωρ πολὺ, πολλὰ δ' οὔ. ἀλλ' ὅσα διαιρετὰ ἐν τούτοις, λέγεται ἕνα μὲν τρόπον. ἐὰν ᾖ πλῆθος ἔχον ὑπεροχὴν, ἢ ἁπλῶς, ἢ πρός τι, καὶ τὸ ὀλίγον ὡσαύτως πλῆθος ἔχον ἔλλειψιν. τὸ δὲ ὡς ἀριθμὸς, ὃ καὶ ἀντίκειται τῷ ἑνὶ μόνον. οὕτως γὰρ λέγομεν ἓν, ἢ πολλὰ, ὥσπερ εἴ τις εἴποι ἓν καὶ ἕνα, ἢ λευκὸν καὶ λευκὰ, καὶ τὰ μεμετρημένα πρὸς τὸ μέτρον καὶ τὸ μετρητὸν, οὕτως καὶ τὰ πολλαπλάσια λέγεται πολλά. πολλὰ γὰρ ἕκαστος ἀριθμὸς ὅτι ἑνὸς καὶ ὅτι μετρητὸς ἑνὶ ἕκαστος, καὶ ὡς τὸ ἀντικείμενον τῷ ἑνὶ, οὐ τῷ ὀλίγῳ. οὕτως μὲν οὖν ἐστι πολλὰ καὶ τὰ δύο. ὡς δὲ πλῆθος ἔχον ὑπεροχὴν, ἢ πρός τι, ἢ ἁπλῶς, οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ πρῶτον. ὀλίγα δ' ἁπλῶς τὰ δύο. πλῆθος γάρ ἐστιν ἔλλειψιν ἔχον πρῶτον. d διὸ καὶ οὐκ ὀρθῶς ἀπέστη Ἀναξαγόρας εἰπὼν, ὅτι ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν, ἄπειρα καὶ πλήθει καὶ μικρότητι. ἔδει δ' εἰπεῖν, ἀντὶ τοῦ, καὶ μικρότητι, καὶ ὀλιγότητι. οὐ γὰρ ἄπειρα, ἐπεὶ τὸ ὀλίγον, οὐ διὰ τὸ ἕν, ὥσπερ τινές φασιν, ἀλλὰ

Text. 21. διὰ τὰ δύο. e ἀντίκειται δὲ καὶ οὕτως.

CAPUT IX.

Tex. 20. Eodem verò modo de in uno & multis dubitare quis potest. Si enim multa uni simpliciter opponuntur, nonnulla sequentur quæ fieri nequeunt. Vnum enim, paucum, aut pauca erit, cùm multa paucis opponantur. Præterea duo sunt multa, siquidem duplex multiplex est, & à duobus duplum dicitur: ita fit ut unum sit paucum: ad quid enim B duo multa dicantur, nisi ad unum & paucum? nihil enim est minus. Ad hæc a si quemadmodum in longitudine se habet productum & breve, ita in multitudine multum & paucum, & quod multum est multa, & quod multa, multum dicitur (nisi quid intersit in continuo indefinito) paucum utique multitudo quædam erit. Ita fiet ut unum, multitudo sit quædam, siquidem & paucum est, hoc autem necesse est, si duo sunt multa.

b Sed fortasse multa dicuntur quidem sicut & multum, verùm ut aliqua sit differentia. Exempli causa, aqua multa dicitur, multæ C autem non item: tametsi in iis omnibus, quæ divisa sunt, dicuntur. Atq; uno c quidem modo, si multitudo sit, quæ simpliciter, aut collatione alterius excessum habeat: eodemq; modo paucum multitudo habens defectum: alio modo ut numerus qui & uni tantùm opponitur Sic enim dicimus unum aut multa, quemadmodum si quis dicat unum, & una, aut album & alba, & mensura mensuratumq; ad mensurã. Sic & multiplicia dicuntur multa: est enim multa, unusquisq; numerus, quia una, & quia uno quisq; mensurabilis, & tanquam quippiã uni, non pauco oppositum. Atq; hoc quidem modo duo sunt multa, multitudo autem habens D excessum, sive alicuius respectu sive simpliciter, non sunt, sed prima multitudo. Sunt autem ipsa duo pauca simpliciter: est enim prima defectum habens multitudo.

Quocirca non d rectè distinxit Anaxagoras ab eo quod dixerat, res omnes simul fuisse & multitudine & parvitate infinitas: oportuisse enim dicere pro [& parvitate] [& paucitate] neq; enim infinita in paucum progrediuntur: non quidem propter unum, ut quidam dicunt, sed propter duo.

Græcè recipit ἀπέστη. His verbis ineptè additur quædam Græcè, quæ nec vetus interpres agnoscit, neque ullus fermè recentiorũ.

Opponuntur autem e unum & multa in

A ἀντίκειται δὴ τὸ ἓν καὶ τὰ πολλὰ τὰ ἐν ἀριθμοῖς, ἓν τὸ τοῖς πολλοῖς, ὡς μέτρον μετρητῷ. ταῦτα δὲ ὡς τὰ πρός τι, ὅσα μὴ καθ᾽ αὑτὰ τῶν πρός τι. διῄρηται δ᾽ ἡμῖν ἐν ἄλλοις, ὅτι διχῶς λέγεται τὰ πρός τι. τὰ μὲν ὡς ἐναντία, τὰ δ᾽ ὡς ἐπιστήμη πρὸς ἐπιστητὸν, τῷ λέγεσθαί τι ἄλλο πρὸς αὐτά. τὸ δὲ ἓν, ἔλαττον εἶναι τινὸς οἷον τοῖν δυοῖν, οὐδὲν κωλύει, οὐ γὰρ εἰ ἔλαττον, καὶ ὀλίγον. τὸ δὲ πλῆθος, ὡς γένος ἐστὶ τοῦ ἀριθμοῦ. ἔστι γὰρ ἀριθμὸς, πλῆθος ἑνὶ μετρητόν. καὶ ἀντίκειταί πως τὸ ἓν καὶ ὁ ἀριθμὸς, οὐχ ὡς ἐναντίον, ἀλλ᾽ ὥσπερ εἴρηται τῶν B πρός τι ἔνια. ᾗ γὰρ μέτρον, τὸ δὲ μετρητὸν, ταύτῃ ἀντίκειται. [b] διὸ οὐ πᾶν ὃ ἂν ᾖ ἓν, ἀριθμός ἐστιν, οἷον, εἴ τι ἀδιαίρετόν ἐστιν. ὁμοίως δὲ λεγομένη ἡ ἐπιστήμη πρὸς τὸ ἐπιστητὸν οὐχ ὁμοίως ἀποδίδωσι. δόξειε μὲν γὰρ ἂν μέτρον ἡ ἐπιστήμη εἶναι. τὸ δὲ ἐπιστητὸν τὸ μετρούμενον. συμβαίνει δὲ ἐπιστήμην μὲν πᾶσαν ἐπιστητὸν εἶναι. τὸ δὲ ἐπιστητὸν μὴ πᾶν ἐπιστήμην, ὅτι τρόπον τινὰ ἡ ἐπιστήμη μετρεῖται τῷ ἐπιστητῷ. [K] τὸ δὲ πλῆθος, οὔτε τῷ ὀλίγῳ ἐναντίον, ἀλλὰ τούτῳ μὲν τὸ πολὺ, ὡς ὑπάρχον πλῆθος ὑ- C περεχομένῳ πλήθει. οὔτε τῷ ἑνὶ πάντως. ἀλλὰ τὸ μὲν ὥσπερ εἴρηται, ὅτι διαιρετὸν, τὸ δ᾽ ἀδιαίρετον, τὸ δ᾽ ὡς πρός τι, ὥσπερ ἡ ἐπιστήμη ἐπιστητῷ ἐὰν ᾖ ἀριθμὸς τὸ δ᾽ ἓν, μέτρον.

numeris, ut mensura mensurato: hæc verò ut ea quæ ad aliquid dicuntur, quæcunque non per se aliquid respiciunt. Alius enim locis expositum est, ea quæ cum aliquo conferuntur, duobus modis dici: alia quidem ut contraria: alia verò, ut scientia ad scibile, eo quòd aliquid aliud ad ipsa dicatur. Porro i unum minus esse aliquo, veluti duobus, nihil prohibet: neque si minus est, continuò est paucum. Multitudo s autem quasi genus est numeri: est enim numerus multitudo mensurabilis uno. Atque opponuntur modo aliquo unum & numerus non ut contraria, sed ut quædam eorum quæ sunt ad aliquid: quatenus enim alterum mensura est, alterum mensurabile, eatenus opponuntur. Hac[b] de causa nō quicquid unū est, numerus est ut si quid sit indivisibile. Quanquā verò i scientia modo eodem ad scibile dicatur, non tamen modo eodem assignatur. Videri enim potest scientia mensura esse, scibile autem id quod mensuratur: accidit autem omnem scientiam esse quid scibile, nec tamen omne scibile esse scientiam, eo quòd scientia modo quodam mensuratur scibili.

[K] Multitudo verò nec pauco contraria est (tametsi huic quidem multum, tanquam excedens multitudo multitudini quæ exceditur) neque uni omnino: sed alterum quidem, ut dictum est, opponitur: quia divisibile, alterum quia indivisibile, atque alterum ut ad aliquid (veluti scientia scibili) si fuerit numerus: unum verò mensura.

EXPLANATIO CAPITIS NONI.

Discutit quæstionem eam, quam priori loco, superiori cap. proposuerat: Quonam pacto unum & multa opponātur? Primumque ait si simpliciter nullâve distinctione adhibita, ea inter se opponi dicantur, nonnulla inde effici, quæ fieri non possunt. Quorum illud tantùm hoc loco commemorat, fore, ut unum sit paucum, aut verò pauca: tum quia cùm multa paucis opponantur, idque contrariè (neque enim alia oppositio inter ea videtur esse) si multa uni etiam contraria sint; erit utique unum paucum: aut pauca, siquidem unum contrarium uni tantùm contrario adversari potest, ut ex dictis patet: tum etiam quia cùm duo sint multa (proportio enim quæ à duobus sumitur, est multiplex) multa verò opponātur paucis, sanè cùm nihil aliud paucum vel pauca esse possit, nisi unum erit profectò unum ipsum paucum vel pauca: nihil enim est minus duobus nisi unum.

a Ad hæc si quemadmodum.

OPortebat ad complementum propositarum rationum, ut ostenderetur fieri non posse ut unum sit paucum vel pauca. quod nunc ea ratione probat: Quia ut se habent in lõgitudine productum & breve ita in multitudine multum & paucum: (sunt enim hæc affectiones multitudinis, ut illa longitudinis) atqui omne breve est longitudo quædam; ergo omne paucum est quædam multitudo. Quare si unum est paucum, erit utique multitudo quædam, quod apertius est, fieri non posse quàm esse paucum; utrumque autem incommodum admittere necesse est, si duo sint multa, quod sumptum erat in proxima argumentatione, atque ex eo probatum, quia proportio dupla diceretur multiplex. Tametsi revera propriè non dicimus, duo esse multa sed plura. Multa enim dicuntur nimirum tria, quemadmodum & omnia, ut patet ex primo de cœlo. Unde & Græcanicæ declinationes nominum, habent numerum singularem, & dualem, & pluralem, seu multitudinis, qui minimum tria continet. Sed ne quis diceret, aliud esse probare unum nõ esse pauca, aliud non esse paucum, dicimus enim de vino incluso in parvo vase, esse paucum vinum, non autem pauca vina; unde fit, ut dicere D possimus, aliquid unum esse paucũ, non autem pauca, Occurrit Aristoteles, paucum & pauca esse conversibilia, cùm omne multum sit multa, & omnia multa, multum, nisi quid intersit in continuo ἀοϱίςῳ, hoc est, indefinito, aut, ut habent quædam exemplaria, εὐοϱίςῳ, id est, facilè terminabili seu definibili: idem enim est sensus. Nam liquida omnia quemadmodum non habent terminum sive figuram propriam, ut lapides & reliqua dura, aut quovis modo consistentia (qua de causa dici possunt indefinita) ita facilè recipiunt terminum figuramque alienam, ut aqua in urceo, & liquidum metallum in formula cui infunditur.

b Sed fortasse multa.

B SOluturus difficultatẽ propositam exponit primùm clarius id quod ante pauca verba dixerat, multum & multa converti inter se, præterquam in iis quæ sunt indefinita, facileque terminos alienos admittunt. ex qua etiam re pendet difficultatis solutio. Nam & adhibet nunc exemplum in aqua; & docet, illa simpliciter & sine exceptione reciprocari in iis quæ diversa sunt, hoc est, in numeris, seu multitudine: in hac enim, quicquid est multum, est C etiam multa, & vicissim quicquid multa, multum: quanquam ut diximus, duo non proprie dicuntur multa sed plura.

d Atque uno quidem modo.

SOluit difficultatem propositam, multorum & paucorum distinctione. Multa enim & pauca duobus modis dicuntur: uno comparatè, altero absolutè. Comparatè quidem si multorum nomen sumatur, ut significat multitudinem excedentem, sive simpliciter, hoc est, respectu cuiuscunque multitudinis eiusdem generis, quo pacto dicimus, multos esse in urbe medicos cùm solito sunt multo plures, sive comparatione alicuius minoris multitudinis, quo pacto deesse dicuntur multa. respectu trium vel duorum atque in hac usurpatione respondẽt

A ex altera parte multis pauca, quatenus paucorum vocabulum significat multitudinem deficientem: sive simpliciter, quo pacto duo sunt pauca, quia omnium aliorum numerorum: sive comparatione alicuius multo maioris numeri, quo pacto denarius numerus est pauca quædam respectu centenarii. Absolutè verò dicuntur multa quæcunque sunt plura uno, qua ratione quivis numerus est multa quædam, quia est plura uno, seu (quod idem est) plura una: atque hac B usurpatione multorum etiam duo sunt multa quædam, & ab eis quemadmodum ab aliis pluribus sumitur proportio multiplex: unde fit ut in hac significatione pauca non opponantur multis. Ait igitur Aristoteles, Multa priori modo opponi paucis, non autem uni, quia unum non est multitudo deficiens: at posteriori opponi non paucis sed uni, tanquam mensuratum quippiam suæ mensuræ: omnis enim multitudo, ut com- C ponitur ex pluribus unitatibus, ita & per unum repetitum mensuratur. Ex quibus patet multam habere vim ea quæ obiiciebantur, si multa uni opponi dicerentur. Neque enim sequitur unum esse paucum aut pauca. Siquidem duo non opponuntur uni ut multa paucis, cum sit prima multitudo absolutè sumpta, non autem comparata cum paucis, sed opponitur uni ut mensuratum quippiam suæ mensuræ: quin potius est pau- D ca simpliciter sine respectu omnium quę comparatè dicuntur multa, cum sit prima multitudo habens defectum.

[d] *Quocirca non rectè.*

Reprehendit ex iis quæ dicta sunt, Anaxagoram, quòd cum explicare vellet modum quo res eius sententia à principio erant in chao, dixissetque fuisse in eo omnium earum atomos & multitudine & parvitate infinitas, ab ea assertione destiterit, seq; correxerit, dicens oportuisse p[ro] [& parvitate] dicere [& paucitate.] Est enim ea ratione reprehendendus, quòd & si datur infinitus progressus parvitatem versus in partibus continuæ quantitatis, non datur tamen infinitus versus paucitatem in partibus quantitatis discretæ. Est enim in quantitate discreta deveniendum ad duo, quod est primum paucum accedendo ad maiores numeros & ultimum, descendendo ad minores. Neque enim vera est sententia eorum qui dicunt unū esse paucum, quia est minus duobus, esset enim divisibile cum ex ratione sua dividi nequeat. Nam etsi unum continuum dividi potest, id accidit non quia unum, sed quia continuum.

[e] *Opponuntur autem.*

Ex iis quæ disputata sunt, respōdet quæstioni, quæ initio capitis proposita est, aitque in primis unum opponi multis relativè non quidem eo pacto quo contraria invicem referuntur relationibus ex utraque parte emergentibus, sed ut mensuram mensurabili: quia etsi mensurabile per se refertur ad mensurā tamen mensura non refertur ad mensurabile, nisi quia mensurabile refertur ad illam, ut explicatum est libro 5.

[f] *Porro unum.*

Hæc verba eò spectant ut respondeatur iis qui obiicerent unū nō posse esse mensuram, qui cum minus sit duobus, videtur esse paucum respectu eorum, quam con-

consequentiam jam refutatam esse hoc loco innuit.

g Multitudo autem.

EXponit de qua multitudine dixerit esse mensuram uno, docetque non de quavis intelligendum id esse, sed de ea quæ definita & determinata est. Nam multitudo in commune est quasi genus numeri: mensuratam verò esse, est quasi differentia constituens numerum, qui est quasi species illius: cui ex parte altera respondebit altera species multitudinis indefinitæ, sive non mensuratæ, quæ quasi dividi potest in infinitam & finitam, nondum tamen actu mensuratam. Nam quia numerus ut numerus est, pendet ab anima effectione obiectiva mensurante per unitatem repetitam, etsi datur multitudo actu definita & certa, sine operatione intellectus, non datur tamen ulla quæ sit actu numerus. Ita fit ut numerus qua ratione numerus est, & ultima unitate conclusus gignatur obiectivè ex multitudine finita Ait ergo unum & numerum nō autem numerum & multitudinem quamcumque opponi aliquo modo, id est, specie aliqua oppositionis relativę, quam iterum explicat qualis sit.

h Hac de causa.

HIs verbis tacitè probat, meritò unum dici mensuram, quia non pendet à numero, cùm interim numerus pendeat ab uno à quo constituitur & mensuratur. mensuratum enim pendet ab ea mēsura à qua accipit esse, non autem mensura à mensurato. Hinc enim fit ut etsi dato numero necesse sit dari unum, tamen non est necesse ut dato uno detur etiam numerus. Sed quia hæc perspicua erant, obiicique posset, unum quoque dividi posse proinde dato uno, dari etiam numerum aut multitudinem numerabilem: Huic tantùm obiectioni apertè respondet, saltem si datur aliquod unum, indivisibile, nō inde sequi dari numerum etiam potentia, qui solus inferri posset ex uno divisibili.

i Quamquam verò scientia.

EXponit similitudinem quam habet multa & unum cum scientia & scibili, in eo quòd multa referuntur ad unum, ut scientia ad scibile: tametsi hæc similitudo aliter tradita sit à Protagora, ut superius dictum est. Dicebat enim non esse res mēsuras scientiarū, sed scientias rerum, cum contra res habeat. Nam scibile potest esse sine scientia (quo pacto multæ res sciri poterunt antequam de illis scientia esset inventa) non item scientia sine scibili: quandoquidem & ipsa scientia scibile quoddam est, cum sub scientiam cadere possit. Id autem ex eo accidit, quia scientia suo modo mensuratur scibili, non per repetitionem ut numerus unitate, sed per adæquationem veræ scientiæ ad res veras: mensura autem essendi non pendet à mensurato, sed mensuratum à mēsura, ut paulo antè dictum est.

k Multitudo vero.

IN hoc quasi epilogo eorum quæ præcipuè dixerat, docet multitudinem absolutè sumptam, nec pauco contrariam esse, neque etiam uni omnino, hoc est, neque accepto ut mensura est, neque ut est indivisum quamquam multitudo si sumatur comparatè, nempe ut excedens non

non dubium est quin ei opponatur multitudo quæ exceditur, quatenus exceditur. Quòd autem absolutè sumpta non sit contraria pauco, ex eo patet, quia paucitas absolutè sumpta, est etiam quædam multitudo. Quòd verò nec sit contraria uni ut est indivisum, ex eo constat, quia hæc eorum oppositio est privativa, quæ distinguitur à contraria propriè dicta. Quòd denique nec sit contraria uni quatenus unum est mensura, ea ratione probat: quia oppositio

A hęc est relativa, quæ valde remota est à contraria, magisque aliena quam privativa, cum qua contraria convenit, quatenus utraque sibi vendicat idem commune subiectum utriusq; oppositi: quod non datur in relativè oppositis. Verùm hæc oppositio relativa, ut ait, non exercetur inter unum & quamvis multitudinem, sed inter unum quod est numeri principium & mensura, & multitudinem mensuratam quæ est numerus.

B

Κεφάλαιον ι.

Text. 22. Ἐπεὶ δὲ τῶν ἐναντίων ἐνδέχεται εἶναί τι μεταξὺ, καὶ ἐνίων ἐστὶν, ἀνάγκη ἐκ τῶν ἐναντίον εἶναι τὰ μεταζύ. [b] πάντα γὰρ τὰ μεταξὺ, ἐν τῷ αὐτῷ γένει ἐστὶ, καὶ ὧν ἐστὶ μεταξύ. μεταξὺ μὲν γὰρ ταῦτα λέγομεν, εἰς ὅσα μεταβάλλειν πρότερον ἀνάγκη τὸ μεταβάλλον, οἷον ἀπὸ τῆς ὑπάτης ἐπὶ τὴν νήτην, εἰ μεταβαίνοι τῷ ὀλίγῳ χρόνῳ, ἥξει πρότερον εἰς τοὺς μεταξὺ φθόγγους C καὶ ἐν χρώμασιν, εἰ ἥξει ἐκ τοῦ λευκοῦ εἰς τὸ μέλαν πρότερον ἥξει εἰς τὸ φοινικοῦν καὶ φαιὸν, ἢ εἰς τὸ μέλαν. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. μεταβάλλειν δ' ἐξ ἄλλου γένους εἰς ἄλλο γένος οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἢ κατὰ συμβεβηκός. οἷον ἐκ χρώματος εἰς σχῆμα. ἀνάγκη ἄρα τὰ μεταξὺ καὶ αὐτοῖς, καὶ ὧν μεταξὺ εἰσὶν, ἐν τῷ αὐτῷ γένει εἶναι. [c] ἀλλὰ μὴν πάντα γε τὰ μεταξὺ, ἐστὶν ἀντικειμένων τινῶν. ἐκ τούτων γὰρ μόνων καθ' αὑτό ἐστι μεταβάλλειν. διὸ ἀδύνατον εἶναι μεταξὺ, μὴ ἀντικειμένων. εἴη γὰρ ἂν μεταβολὴ, καὶ μὴ ἐξ ἀντικειμένων. τῶν δ' ἀντικειμένων ἀντιφάσεως μὲν, οὐκ ἐστι μεταξύ. τοῦτο γὰρ ἐστιν ἀντίφασις, ἀντίθεσις, ἧς ὁτῳοῦν μόριον θάτερον πάρεστιν, ἐχούσης οὐδὲν μεταξὺ ἧς ὁτῳοῦν θάτερον μόριον ὂν τὸ ναὶ ἢ τὸ οὐ πάρεστιν, οὐκ ἐχούσης οὐδὲν μεταξύ. τῶν δὲ λοιπῶν, τὰ μὲν πρός τι, τὰ δὲ στέρησις, τὰ δὲ ἐναντία ἐστί. τῶν δὲ πρός τι, ὅσα μὴ ἐναντία, οὐκ ἔχει μεταξύ. αἴτιον δ' ὅτι οὐκ ἐν

CAP. X.

Quoniam [a] verò inter contraria aliquid medium esse potest, & inter quędam est, necesse est media ex cōtrariis esse omnia [b] enim media & ea quorum media sunt in eodem sunt genere. Namq; ea dicimus media in quæ prius mutetur necesse est id quod mutatur, ut si ab ultima chorda ad primam paulatim transeat, prius in medios sonos veniet, & in coloribus si ex albo in nigrum pergat, prius in puniceum & fuscum incidet, quam ad nigrum proveniat. Quod idem in cæteris accidit. Mutari autem ex genere uno in aliud genus nihil potest nisi per accidens, ut ex colore in figuram. Necesse est igitur media & ea quorum sunt media in eodem genere esse. Text. 22.

At enim [c] media omnia oppositorum quorundam sunt, ex his enim solis per se est mutatio: quo fit ut non oppositorum medium esse non possit, foret enim mutatio, neq; ex oppositis. Horum porro quæ contradictorio nomine opponuntur, non est medium: hoc enim est D *contradictio, oppositio cuius cum medium sit nullum, cuicunq; adest pars [d] altera. Cæterorum autem, alia ad aliquid sunt, alia privatio, alia contraria. Ea verò quæ sunt, ad aliquid, quæcunq; contraria non sunt, medium non habent, causa verò est, quia non sunt in eo*

Gr. additur καὶ αὐτοῖς, quod Bessario vertit [et sibi invicè] cæteri nō attingunt, uno excepto qui Bessarionem sequitur. Hic inseritur Græcè ala definitio contradictionis, quā totam delet Budæus: interpretes ferè prætermittunt.

ἐν τῷ αὐτῷ γένει ἐστί. τί γὰρ ἐπιστήμης καὶ ἐπιστητοῦ μεταξύ; ἀλλ' ἃ μεγάλου καὶ μικροῦ. ^c Text.23. εἰ δ' ἐστὶν ἐν αὐτῷ γένει τὰ μεταξύ, ὥσπερ δέδεικται, καὶ μεταξὺ ἐναντίων, ἀνάγκη καὶ αὐτὰ συγκεῖσθαι ἐκ τούτων τῶν ἐναντίων, ἢ γὰρ ἔσται τι γένος αὐτῶν, ἢ οὐδέν. καὶ εἰ μὲν γένος ἔσται οὕτως, ὥς εἶναι πρότερόν τι τῶν ἐναντίων, αἱ διαφοραὶ πρότεραι ἐναντίαι ἔσονται αἱ ποιήσασαι τὰ ἐναντία ὡς εἴδη γένους. ἐκ γὰρ τοῦ γένους καὶ τῶν διαφορῶν τὰ εἴδη. οἷον εἰ τὸ λευκὸν καὶ μέλαν ἐναντία, ἔστι δὲ τὸ μὲν διακριτικὸν χρῶμα, τὸ δὲ συγκριτικὸν χρῶμα. αὗται αἱ διαφοραὶ τὸ διακριτικὸν καὶ συγκριτικὸν πρότεραι. ὥστε ταῦτα τὰ ἐναντία ἀλλήλοις πρότερα. ἀλλὰ μὴν τά γε ἐναντία ^f διαφέροντα, μᾶλλον ἐναντία. ^g καὶ τὰ λοιπὰ καὶ τὰ μεταξὺ ἐκ τοῦ γένους ἔσται, καὶ τῶν διαφορῶν. οἷον ὅσα χρώματα τοῦ λευκοῦ καὶ μέλανός ἐστι μεταξύ, ταῦτα δεῖ ἔκ τε τοῦ γένους λέγεσθαι (ἔστι δὲ γένος τὸ χρῶμα) καὶ ἐκ διαφορῶν τινῶν. αὗται δὲ οὐκ ἔσονται τὰ πρῶτα ἐναντία. εἰ δὲ μὴ ἔσται ἕκαστον, ἢ λευκὸν ἢ μέλαν, ἕτεραι ἄρα. μεταξὺ ἄρα τῶν πρώτων ἐναντίων αὗται ἔσονται. αἱ πρῶται δὲ διαφοραὶ τὸ διακριτικὸν καὶ συγκριτικόν. ^h ὥστε ταῦτα πρῶτα ζητητέον, ὅσα ἐναντία μὴ ἐν γένει, ἐκ τίνος τὰ μεταξὺ αὐτῶν. ἀνάγκη γὰρ τὰ ἐν τῷ αὐτῷ γένει, ἐκ τῶν ἀσυνθέτων τῷ γένει συγκεῖσθαι, ἢ ἀσύνθετα εἶναι. τὰ μὲν οὖν ἐναντία, ἀσύνθετα ἐξ ἀλλήλων, ὥστε ἀρχαί. τὰ δὲ μεταξὺ ἢ πάντα, ἢ οὐδέν. ἐκ δὲ τῶν ἐναντίων γίγνεταί τι. ὥστε ἔσται μεταβολὴ εἰς τοῦτο, πρὶν ἢ εἰς αὐτά. ἑκατέρου γὰρ καὶ ἧττον ἔσται καὶ μᾶλλον. μεταξὺ ἄρα ἔσται καὶ τοῦτο τῶν ἐναντίων. καὶ τὰ ἄλλα ἄρα πάντα σύνθετα τὰ μεταξύ. τὸ γὰρ τοῦ μὲν μᾶλλον, τοῦ δὲ ἧττον, σύνθετόν πως ἐξ ἐκείνων ὧν λέγεται εἶναι, τοῦ μὲν μᾶλλον, τοῦ δὲ ἧττον. ^i ἐπεὶ δ' οὐκ ἔστιν ἕτερα πρότερα ὁμογενῆ τῶν ἐναντίων, ἅπαντ' ἂν ἐκ τῶν ἐναντίων εἴη τὰ μεταξύ. ὥστε καὶ τὰ κάτω πάντα, καὶ τἀναντία, καὶ τὰ μεταξύ, ἐκ τῶν πρώτων ἐναντίων ἔσονται. Text.24. ὅτι μὲν οὖν τὰ μεταξύ, ἔν τε ταὐτῷ γένει πάντα, καὶ μεταξὺ ἐναντίων, καὶ σύγκειται ἐκ τῶν ἐναντίων ἅπαντα, δῆλον.

A *dem genere. Quid enim inter scientiam & scibile sit medium? est tamen inter magnum & parvum.*

^c Quòd si in eodem genere sunt media, ut demonstratum est, eaque inter contraria locantur: ex his contrariis & ipsa constent necesse est. Aut enim eorum genus aliquod erit, aut nullum. Ac si genus quidem sic erit, ut aliquid prius sit contrariis, differentiæ priores erunt contrariæ, quæ nimirum contraria ut species generis faciunt. Namque ex genere ac differentiis species constant: ut si album & nigrum contraria sint, sitque alterum disgregativus color, alterum congregativus: hæ differentiæ, disgregativum & congregativum, priores erunt: quo fit ut hoc contraria alia aliis priora sint. Verumtamen contraria, ^f quæ differentia sunt, magis contraria sunt. Text.23. B

^g Sed & reliqua & media ex genere ac differentiis erunt, ut omnes colores qui inter album & nigrum interiecti sunt, hi oportet, ut ex genere dicantur (est autem genus color) & ex differentiis quibusdam. Hæ verò non erunt prima contraria: alioqui unaquæque res, alba erit, aut nigra, ergo aliæ. Erunt ergo hæ interiectæ inter prima contraria: erant autem primæ differentiæ disgregativum & congregativum.

C *Quare ^h primum quærendum est si qua contraria in genere non sint, ex quo tandem eorum media existant. Necesse est enim ea quæ in eodem genere sunt ex incompositis genere componi, aut incomposita esse. Atque contraria quidem alia ex aliis non componuntur. Sunt igitur principia. Media verò aut omnia aut nullum: ex contrariis autem aliquid fit. Erit ergo in hoc prius mutatio, quàm in illa: utroque enim & minus & magis erit. Medium igitur & hoc erit inter contraria. Quare & cætera media omnia composita erunt. Quod enim est, altero magis tale est, altero minus, modo aliquo ex iis compositum est ex quibus tale esse dicitur. ^i Quoniam verò in eodem genere non sunt alia priora contrariis: omnia utique media ex contrariis erunt: Quare omnia quæ infra sunt & contraria & media ex primis contrariis constabunt. Omnia igitur media & in eodem genere esse, & inter contraria collocata, & omnia ex contrariis constare perspicuum est.* D Text.24.

EXPLANATIO CAPITIS DECIMI.

[a] *Quoniam verò inter.*

MUlta hactenus de contrariis docuit: hoc verò capite id præcipuè docere instituit, media ex contrariis existere. Quod ut faciat, primùm ponit ex iis quæ dicta sunt, dari posse media inter contraria, quia nimirum id nil repugnet; imò verò inter aliqua contraria reperiri, ut inter album & nigrum, & inter extrema vitia.

[b] *Omnia enim media.*

SEcundo loco ostendit media & contraria, quorum dicuntur media, in eodem genere collocari. Ratio verò est quia Media sunt illa in quæ priùs incidit id quod mutatur, quàm ad extremum veniat, quod patet in Sonis, & coloribus; Si enim citharœdus ab una extrema chorda ad alteram extremam paulatim pulsando venturus est, veluti ab ultima ex gravibus ad acutissimam, priùs medias tangat necesse est, quæ medios sonos efficiunt: eodemque modo si rem albam paulatim oporteat fieri nigram, prius mutari oportet in medium aliquem colorem quàm ad nigrum perveniat. C Cum igitur inter ea, quæ sunt in diversis generibus, non fiat mutatio nisi per accidens, ut si aliquid cum mutatur, colore mutetur, item sapore aut figura, aut cùm mutetur loco, mutetur etiam affectu, aut quantitate: efficitur ut media in eodem genere sint, in quo sunt ea contraria quorũ sunt media. Quo loco cum dicitur [necesse est igitur media] additur Græcè καὶ αὐτοῖς, quod Bessario vertit [& sibi invicem] cæteri fere non attingunt; Budæus verò expungit.

[c] *At enim media.*

TErtio loco docet media, quę in eodem genere cum contrariis esse ostenderat, inter ipsa contraria interiecta esse. Ac primum probat interiecta esse inter opposita, eo quòd nulla mutatio per se fiat nisi ex opposito in oppositum, ut 1. & 2. Physicorum ipse tradiderat; media autem sunt illa per quæ transitur cũ aliquid mutatur. Deinde ostendit, opposita illa inter quæ sunt media, non alia esse quam contraria. Nam inter contradicentia non datur medium ullum, ut suprà ostensum est, & ex definitione contradictionis quam affert, perspicuum esse vult. Opposita verò relativè, si contraria quidem sint, habere possunt & ipsa medium interiectum quo pacto, D magni parvi, cum relativè sumuntur, medium est æquale, itemque dissimilis per excessum & dissimilis per defectum, id quod est simile. Unde fit ut eorum media in aliquo etiam eodem sint genere, in quo ipsa collocantur. At si non sint cõtraria, quia non ad idem genus pertinent, ut scientia & scibile, ea ipsa ratione medium habere non possunt, cum sit ostensum, media esse in eodem genere cum extremis. Quæ autem relativè opposita in eodem sunt genere, ea præterit Aristoteles, quia inductione perspicuum erat, non habere illa medium

medium interiectum, ut videre licet in patre & filio, domino & servo. Neque obest quòd sæpe correlativa dicuntur extrema; sic enim appellantur ratione relationum hinc inde quasi egredientium, non ratione mediorum relativorum, quo fit ut omnia correlativa, quæ contraria non sunt, sint extrema immediata: quod dictum accipe de mediis positivis. Nã purè privativa media non dubium est quin dentur inter correlativa, siquidem multi sunt qui nec patres sint, nec jam partes habeant, neque item sint domini, nec verò servi nec præceptores nec discipuli. Nihil autem adiungit de privativè oppositis, quia iam cap. 7. ostenderat quo pacto illa medium habeant, quo itẽ non habeant; nunc autem cùm ea relativè oppositis negat, planè significat, se de positivis mediis loqui, quæ nemo privativè oppositis concesserit. Itaque sola contraria ex toto oppositorum genere media positiva inter se habere possunt, non omnia tamen, sed quæ dicuntur mediata, ut album & nigrum, calidum & frigidum. Quòd si & his aliquando tribuuntur media negativa, quibus scilicet utrumque extremum negetur, ut quod neque album nec nigrum est, id fit quia media sunt multa inter utrumque, neque ea uno communi conceptu obiectivo, qui positivus sit ac realis adæquatè, comprehendi possunt. Nam ubi media plura non sunt, non est opus ut ea significentur extremorum negatione, ut tepidum quod est inter calidũ & frigidum, & æquale inter magnum & parvum, virtusque media inter contraria vitia. Tametsi & hæc media suo modo includunt negationem extremorum, quod Aristoteles superiùs dixit de æquali, quod nec magnum sit sive excedens, nec parvum

A sive deficiens, quæ inæqualis communi nomine comprehenduntur.

[d] Pars altera.

His verbis adiungunt Græci codices alteram quasi definitionem contradictionis, quã totam meritò una litura delet Budæus quòd fortasse ei visa sit expositio ex margine alicuius codicis in contextum ascita, nec eam interpretes

B Latinam faciant, (uno (quod sciam) excepto Perionio.

[e] Quòd si in eodem.

Iam ostendit id quod præcipuè docere instituerat, media scilicet ex contrariis constitui, si vera sunt duo illa quæ proximè posita & probata sunt media in eodem genere esse cum contrariis quorum sunt media; & ea etiam inter ipsa contraria interiecta esse. Quod ut faciat, pri-

C mum probat contrarias species habere alia priora contraria ex quibus constẽt, quæ & ipsa magis contraria sint, quam ipsæ species inter se contrariæ. Aut enim, inquit, contrariorum est genus aliquod, aut nullum: si est atque ita est, ut suapte natura sit prius ipsis contrariis; differentiæ utique priores, quibus contrariæ species constituentur, erunt priùs contrariæ, quàm ipsæ contrariæ species: namque ex genere tali ac differentiis

D quibus dividitur: species constant, ut patet in albo & nigro, quorum differentias quasdam accidentarias ipse tradit loco essentialium, quæ sub eis latent. Quare cum contrarietas differentiarum sit causa contrarietatis specierũm: erunt etiam ipsæ differẽtiæ, magis contrariæ quàm species, quas constituunt, iuxta illud commune pronunciatum, propter quod unum quodque tale est, & illud ma-

gis est tale. Quo loco adverte, quia analoga sæpe dicũtur genera, ꝓpterea Aristotelẽ dixisse hoc loco, si genus sic erit, ut aliquid sit prius contrariis. Analoga enim non contrahuntur ad sua membra dividentia, quæ sunt eorum quasi species, per ullas differentias, quæ iis priores esse possint, neque analoga ipsa sunt suapte natura suis membris dividentibus priora cùm nullam naturam distinctam ab illis habeant. ut patet ex iis quæ ad librum quartum diximus: B quod tamen in veris ac propriè dictis generibus contra accidit Fortasse autem his etiam verbis innuere voluit Aristoteles quo pacto differentiæ contrariæ sint in genere. Si enim referantur ad genus, quod dividunt, sic datur genus quod illis prius natura sit: ipsa scilicet talis generis natura. Sin autem referantur ad aliquid quod de illis quiditativa prædicatione dicatur, ut ad ens, aut ens incompletum, vel tale aliquid: C nihil sanè erit natura prius quod ad illas contrahatur: nullæ etiam aliæ differentiæ sunt per quas illæ constituantur. Sunt enim differentiæ omnes ea ratione naturaque sua omnino simplices, etsi in rebus materialibus sint re ipsa compositæ. Quare etsi Aristoteles hîc ait differentias cõstitutivas contrariarum specierum esse magis contrarias quam species ipsas, non idem tamen colligendum est esse eas magis in vero genere, de D quo hactenus sermo erat: magis enim dicuntur esse in vero genere quæ illi naturali & quiditativa subjectione subduntur, cuiusmodi sunt species, quàm quæ sola indirecta & contra naturam, quales sunt differẽtiæ; sunt tamen differentiæ propinquius in vero genere quam species, quia inter eas & illud nihil est medium, cum interim inter species & suum genus suo modo interiectæ sint differentiæ.

A

Si quis autem quærat cur Aristoteles non sit prosequutus totam illã distinctionem [Aut enim eorum genus aliquod erit, aut nullum] sed solam priorem partem, dici potest id factum esse quia constabat omnia cõtraria genus aliquod verum ac propriè dictum habere: quod tamen nũc expositum est tale esse, ut vel in illis quiditativè includatur, vel per illa contrahatur.

f *Quæ differentiæ sunt.*

GRæcè est διαφέροντα, id est, differentia neutro genere. Quod verbum etsi commune est omnibus differentibus, tamen hoc loco solis differentiis accommodatur, quamquam magis ipsæ sunt quibus species differunt, quam quæ propriè differant, cùm potiùs dici debeant primo diversa, quòd in nulla eadem communi natura univoca quiditativè conveniant.

g *Reliqua verò.*

PRobat deinde ipsas etiam medias species (quas repetitione quadam vocat, & reliqua: & media) ex genere & differentiis constare, non illis quidem quibus ipsa contraria constituuntur, quæ sunt primò contrariæ (alioqui omnes medii colores aut essent albi aut nigri, resque omnes quæ illis afficerentur, albæ aut nigræ) sed aliis quibusdam interiectis, inter eas quæ primo sunt contrariæ, magis, inquam, quam ipsæ species; ut dictum est, cuiusmodi sunt differentię mediorum colorum inter congregativum aspectus, & disgregativum.

g Quæ-

[g] *Quare hæc primum.*

Melius, quare hæc primũ quærenda : quam, hoc primũ quærendum, ut habet contextus.

Concludit id quod erat præcipuum, Media ex contrariis constitui: id primum asserens, si qua contraria non in eodem genere forent, tum demum quærendum fuisse, hoc est disputandum, ex quo tandem unumquodque medium eorum constitueretur: esset enim id difficile aut potiùs impossibile. Nunc autem cùm constet omnia esse. si eodem genere, facilè id posse monstrari: B quod hoc argumento videtur cōficere. Quæcumque sunt in eodem genere, aut composita sunt ex compositis sive simplicibus, aut simplicia. at prima contraria sunt simplicia, reliqua verò sive contraria sive media sunt composita. omnia igitur sive contraria non prima, sive media inter contraria, ex primis contrariis constant. Propositio aperta est, Priorem partem assumptionis ex eo probat C, quia contraria, hoc est, prima contraria alia ex aliis non componuntur (subaudiendum verò est nec ratione totius nec ratione partis quam nullam habent) quo fit ut sint principia atque adeò simplicia. Posteriorem verò ex eo ostendit, quia non maior est ratio cur alia medi sint composita, alia minimè. satis autem patet quædam media esse composita ex suis extremis. Nam cùm contrarium fiat ex suo contrario, tanquam ex termino à quo, non autem ut ex quo componatur, cùm ex albo quidem per fuscum fit nigrum, prius ex albo fit fuscum quàm nigrum: oportet igitur in fusco aliquid esse albi, & aliquid nigri plus minusve, quatenus magis minusve receditur ab uno, & acceditur ad aliud. Mobile enim dum movetur, partim debet esse in termino à quo, partim in termino ad quem.

[h] *Quoniam verò in eodem.*

Antequam colligat propositā conclusionem (omnia inquā, quæ infra sunt, hoc est, posteriora primis contrariis, ex primis cōtrariis constitui) occurrit obiectioni, qua quis diceret, in eodem genere alia esse priora primis contrariis, proinde ipsa quoque prima contraria ex illis componi. Ait ergo satis constare, non esse in genere contrariorum alia priora contrariis, id est, primis contrariis, quia nimirum jam ostenderat, differentias quibus genus ad contrarias species trahitur, esse prima contraria: satis autem apertum est, nihil esse prius eiusmodi differentiis quàm genus ipsum, quod est velut immediata earum materia. Postremò in epilogum colligit omnia quæ in hoc capite dixerat. Quo autem pacto media differentiis contrariorum ipsisq; contrariis speciebus constet, seorsim discutiendũ est. Neque enim id facile est intelligere.

D

Κεφάλαιον. ιά.

Τὸ δ' ἕτερον τῷ εἴδει τινός τι ἕτερόν ἐστι. καὶ δεῖ τοῦτο ἀμφοῖν ὑπάρχειν. οἷον εἰ ζῷον ἕτερον τῷ εἴδει, ἄμφω ζῷα. [b] ἀνάγκη ἄρα ἐν γένει τῷ αὐτῷ εἶναι τὰ ἕτερα τῷ εἴδει. τὸ γὰρ τοιοῦτον

CAPUT XI.

Diversum [a] autem specie diversum quippiam ab aliquo est, oporteq; hoc utrique inesse: veluti si animal specie sit diversum, ambo erunt animalia. [b] Est igitur necesse ut in eodem genere sint quæ sunt specie diversa. Id enim genus voco, in quo am-

ræcè est ὃ,
uod positū
l pro ὡ,
uasi dictū
καθ' ὅ, ut
p. 5 cum
enus ad fi-
em expli-
tur.

ro unum atque idem dicuntur, nec per accidens differentiam habet seu quasi materia sit, seu modo alio. Neq; enim solum id quod commune est, inesse debet, ut ambo (exempli causa) sint animalia, sed etiam in utroq; diversum (hoc, inquã, ipsũ animal) veluti alterũ equus, alterũ homo. Quapropter hoc ipsũ cõmune, diversum in illis specie est. Erit igitur per se hoc quidem tale quoddam animal, hoc verò tale quoddam, ut hoc equus, illud homo. Hæc igitur differentia diversitas generis sit necesse est. Voco autem generis differentiam, eam diversitatem, quæ hoc ipsum diversum facit.

Hæc igitur [d] erit contrarietas. Quod & inductione apertum est (omnia enim oppositis dividuntur) & ex eo [e] quod demonstratum est, contraria in eodem esse genere. Erat enim contrarietas, perfecta differentia: omnis verò differentia quæ ad speciem pertinet, alicuius aliquid est: quare & hoc idem & genus in utroque est. [f] Quare contraria omnia quæcunque specie, non item genere differunt, in eadem prædicamenti serie sunt, diversaq; inter se maximè. Perfecta enim est eorum differentia, & simul esse non possunt. Est igitur differentia contrarietas. [g] Hoc enim est diversum esse specie, ea quæ in eodem genere sunt, cùm individuum sint contrarietatem habere. Ea verò sunt eadem specie, quæcunq; individua cùm sint, contrarietatem non habent. Namq; in divisione, & in mediis contrarietates existunt, antequam ad individua veniatur.

Hinc [h] patet nihil eorum quæ ut generis species conveniunt, si cum eo quod vocatur genus, conferantur, neq; idem nec diversum specie esse. Materia enim negatione declaratur: genus autem materia eius est, cuius genus dicitur, non ut id quod est Herculeorum, sed ut quod est in natura. Nec verò cum iis collatum quæ non sunt in eodem genere: sed genere quidem ab eis differet: specie autem ea differunt, quæ sunt in eodem genere. Differentiam enim contrarietatem eius esse necesse est, à quo aliquid specie differt: hæc autem iis solis inest, quæ in eodem genere collocantur.

A γένος καλῶ, ὃ ἄμφω ἓν ταὐτὸ λέγεται, μὴ κατὰ συμβεβηκὸς ἔχον διαφοράν, εἴθ' ὡς ὕλη ὄν, εἴθ' ὡς ἄλλως. οὐ μόνον γὰρ δεῖ τὸ κοινὸν ὑπάρχειν, οἷον, ἄμφω ζῶα, ἀλλὰ καὶ ἕτερον ἑκατέρῳ, τοῦτο αὐτὸ τὸ ζῶον, οἷον, τὸ μὲν ἵππον, τὸ δὲ ἄνθρωπον, διὰ τοῦτο τὸ κοινὸν, ἕτερα ἀλλήλων ἐστὶ τῷ εἴδει. ἔσται δὴ καθ' αὑτὸ, τὸ μὲν τοιονδὶ ζῶον, τὸ δὲ τοιονδὶ, οἷον τὸ μὲν ἵππος, τὸ δ' ἄνθρωπος. ἀνάγκη ἄρα τὴν διαφορὰν ταύτην ἑτερότητα τοῦ γένους εἶναι λέγω γὰρ γένους διαφορὰν ἑτερότητα ἣ ἕτερον ποιεῖ τοῦτο αὐτό. [d] ἐναντίωσις τοίνυν ἔσται αὕτη. δῆλον δὲ ἐκ τῆς ἐπαγωγῆς. πάντα γὰρ διαιρεῖται τοῖς ἀντικειμένοις. [e] καὶ ὅτι τἀναντία ἐν ταὐτῷ γένει, δέδεικται ἡ γὰρ ἐναντιότης ἦν διαφορὰ τελεία, ἡ δὲ διαφορὰ ἡ εἴδει, πᾶσα τινὸς τι. ὥστε τοῦτο τὸ αὐτό τε καὶ γένος ἐπ' ἀμφοῖν. [f] διὸ καὶ ἐν τῇ αὐτῇ συστοιχίᾳ πάντα τὰ ἐναντία τῆς κατηγορίας, ὅσα εἴδει διαφέρει καὶ μὴ γένει, ἕτερά τε ἀλλήλων μάλιστα. τελεία γὰρ ἡ διαφορὰ, καὶ ἅμα ἀλλήλοις οὐ γίνεται. ἡ ἄρα διαφορὰ, ἐναντίωσίς ἐστι. [g] τοῦτο γάρ ἐστι τὸ ἕτερον εἶναι τῷ εἴδει, τὸ ἐν τῷ αὐτῷ γένει ὄντα ἐναντίωσιν ἔχειν ἄτομα ὄντα. ταὐτὰ δὲ τῷ εἴδει, ὅσα μὴ ἔχει ἐναντίωσιν ἄτομα ὄντα. ἐν γὰρ τῇ διαιρέσει καὶ ἐν τοῖς μεταξὺ γίνονται ἐναντιώσεις, πρὶν εἰς τὰ ἄτομα ἐλθεῖν. [h] ὥστε φανερὸν ὅτι πρὸς τὸ καλούμενον ὂν γένος, οὔτε ταὐτὸν, οὔτε ἕτερον τῷ εἴδει οὐδέν ἐστι τῶν ὡς γένους εἰδῶν προσηκόντων. ἡ γὰρ ὕλη ἀποφάσει δηλοῦται. τὸ δὲ γένος ὕλη. οὗ λέγεται γένος, μὴ ὡς τὸ τῶν Ἡρακλειδῶν, ἀλλ' ἢ ὡς τὸ ἐν τῇ φύσει. οὐδὲ πρὸς τὰ μὴ ἐν ταὐτῷ γένει ἀλλὰ διοίσει, τῷ γένει ἐκείνων. εἴδει δὲ τὰ ἐν ταὐτῷ γένει. ἐναντίωσιν γὰρ ἀνάγκη εἶναι τὴν διαφορὰν, οὗ διαφέρει εἴδει, αὕτη δ' ὑπάρχει τοῖς ἐν ταὐτῷ τῷ γένει οὖσι μόνοις.

EXPLA-

EXPLANATIO CAPITIS UNDECIMI.

Diversum autem specie.

CUm Aristoteles c. 5. docuisset, contrarietatem esse quandam differentiam: in hac extrema parte libri, quæ tribus hisce capitibus continetur, docet, quænam differentia sive diversitas ea sit, specificáne an generica. Quamquam enim ex iis quæ dicta sunt, hactenus videatur planè constare specificā esse, cum ea quæ contraria sunt in eodem genere maximè distare dicta sint: quia tamen res ipsa suas quasdam habet peculiares difficultates, iterum ea tractanda pressius meritò ei visa est ut ex dicendis patebit. Ac in hoc quidem capite id expendit, sintne idem differentia sive diversitas specifica atque contrarietas, annon. Quam quæstionem ut pro affirmativa parte determinet, eo modo quem explicabimus, ostenditur, primùm differentiam specificam diversas per se facere non solum specificas naturas, sed etiam ipsam genericam, quæ in eas dividitur. Quod quidē dixisse videtur, ut poneret discrimen inter differentiā sive diversitatem specificam & individualem, quæ non facit naturam specificam diversam per se ipsam in suis individuis quemadmodum nec naturas individuales Nam ut inter individua eiusdem speciei infimæ, non est ordo per se, ut nimirum aliud natura perfectionēve aliud antecedat, quod Aristoteles lib. 3. & 8 docuit (nisi ratione accidentium quibus alia aliis perfectiora esse possunt) ita nec in natura specifica, contracta per differentias individuales, ac proinde nec diversitas per se quam supponit ordo per se. At in natura generis alia ratio est: nam ut species eiusdem generis habent per se & ex suis essentiis ordinem perfectionis, ut semper alia, alia natura sua sit perfectior: ita natura ipsa generica diversificata, ut ita dicam, in suis speciebus per differentias, est etiam in illis per se diversa, non quia ipsa per differentias fiat in se diversa à se ipsa, essentiali discrimine (alioqui univoca non esset) sed quia denominatur diversa per se & essentialiter à differentiis quibus contrahitur ad constitutionem diversarum essentiarum per quas etiam differentias ordinem per se in suis speciebus consequitur quod naturæ specificæ in suis individuis non est concessum.

Duo igitur requirit Aristoteles ut commune aliquid sit diversum specie in suis particularibus; Unum, ut sit quippiam diversum in illis hoc est, ut sit natura aliqua univoca diversa per se in illis, qua ratione diversitas specifica generis in suis speciebus distinguitur à diversitate numerali speciei in suis individuis, ut patet ex dictis. Alterum est ut commune illud per se & quiditativè de suis particularibus dicatur, ut animal de homine & equo, ita ut hæc dicantur diversa animalia. Qua in conditione etsi convenit diversitas generis in suis speciebus cum diversitate specificata in suis individuis, differt tamen à diversitate materiæ in diversis specie compositis: quia cùm genus dicatur de iis in quibus per se diversificatur per differentias: non tamen

materia

materia dicitur de iis in quibus per se diversificatur per formas Est enim materia pars realis eorum, quæ ex ipsa & forma constant, cum tamen genus sit id ipsum re ipsa cum suis speciebus.

Atque hæc non tantum suæ doctrinæ causa dicta sunt, sed etiam contra errorem Platonis, qui cum separaret universalia à suis particularibus, convincebatur admittere genera, nec diversa effici in suis speciebus, nec de illis quiditativè dici.

[b] *Est igitur necesse.*

OBiter inter ea quæ diximus, colligit Aristoteles, ea quæ sunt specie diversa, necessariò esse posita sub eodem genere. Quo fit ut quæ generibus omnino diversis subiecta sunt, neque in uno aliquo communi genere conveniũt, specie diversa dici non possint, si propriè loquendum est, sed genere diversa Quod idem confirmat ex definitione generis, quàm hic explicatius ex parte, & ex parte confusius, quam capit. 5. affert. Ibi enim supplere oportet particulam [per se] in verbo [differunt] ne definitio speciei infimę conveniat. hic autem particulam [secundum substantiam] in verbis [unum atque idem] ne accidentibus accommodetur Quòd verò addit [seu quasi materia sit, seu modo alio] eò pertinet, ut innuat diversam considerationem naturæ genericæ. Potest enim considerari ut materia quatenus imperfectior est specifica. & per differentiam adiunctam perficitur. Potest item spectari ut forma quædam quatenus dat esse suis speciebus & individuis. quo pacto superiora omnia dicuntur formę inferiorum, ut ipse 2. Phys. & libro 5. huius operis docuerat.

[c] *Quæ hoc ipsum diversum facit.*

SUbaudiendum est [per se] quod utique non est concessum differentiis individuantibus sive comparatione generis sive speciei.

[d] *Hæc igitur erit contrarietas.*

B DOcet jam differentiam specificam id esse atque contrarietatem, hoc est, quod converti intra se; quod & inductione probatum esse vult, & ratione confirmat. Tametsi inductione id solum probat, omnem differentiam seu diversitatem specificam esse contrarietatem, ratione autem vice versa omnẽ contrarietatem esse differentiam specificam. Inductio autem hoc posito quasi fundamento conficienda est.

C Omnia per opposita dividi, quod pronunciatum quasi per se notum ipse sumit, nosque in institutionib. dialecticis quo pacto in omni divisione intelligendum sit, exposuimus. Patet autem, differentias quibus genera dividuntur in suas species non esse contradictorie oppositas, quia contradictio dividit omnia tum entia tum non entia, & altera eius pars est non ens absolutè: neque item privativè quia altera privatius oppositionis pars est non ens in subiecto,

D nec verò relativè, quia quæ relativè opponuntur, vel non sunt in eodem genere cum iis quibus opponuntur: ut sciẽtia & scibile: vel si sunt in eodem genere, sunt modo quodam suo contraria, vel mediata, scilicet medio positivo, ut magnum & parvum, dissimile per excessum & dissimile per defectum, ut ex dictis patet: sive immediata carentiaque huiusmodi medio, ut pater & filius, dominus & servus, tametsi omnia sunt mediata

medio

medio negativo utriusque extremi, ut etiam superius dictum est Ex quibus patet, non accepisse Aristotelem hoc loco contrarietatem pro contrarietate propriè dicta, cum & mediis inter se & respectu extremorum ea hoc loco censeatur convenire, quæ tamen contraria non sunt nisi quadam extremorum participatione. Quin etiam multæ aliæ sunt species diversæ sub eodem genere, quæ propriè non sunt contrariæ, ut species substantiarum quæ in subiecto esse non possunt, cum interim contraria propriè habeant idem commune susceptivum: quod & de aliis compluribus accidentibus sentiendum est Sed eadem esse omnes censentur contrariæ, qua simul de eadem re (saltem respectu eiusdem si relativa sint) eadem ratione universalia dici non possunt; quo pacto sola individua ab hac contrarietatis ratione excluduntur. Nec mirum quòd Aristoteles ad tam communem vulgaremque rationem contrariorum deflexerit: solet enim sæpe postquam accuratam aliquam rationem rei propositæ tradidit, ad alia minus perfectè aut propriè dicta divertere, quod facit in libris logicis cum à syllogismo simpliciter ad expositorium, quod enthymema est, & à demonstratione propter quid, ad demonstrationem quia, à definitione item essentiali ad descriptivas, & à divisionibus per differentias essentiales ad eas quæ harum penuria per accidentia fiunt se transtulit. Qua etiam ratione fit ut ad finem huius libri non modò species omnes quæ sub eodem genere sunt, contrarias faciat, sed etiam quasdam earum quæ sub diversis generibus certa quadam ratione acceptis continentur, ut patebit cap. sequenti. Illud tamen rectè advertit D. Thomas, etsi non omnes species eiusdem generis contrariæ sunt inter se, tamen omnes differentias quibus illud dividitur, esse contrarias, quod sic accipiendum est (ne ut Aristoteli in his quæ proximè docuit repugnemus) etsi omnes species eiusdem generis communi quadam ratione possunt dici contrariæ; tamen differentiæ ea ratione verius contrariæ dici possunt, quatenus ad genus quod dividunt, quasi ad communem materiam, susceptivumque, referuntur.

A

B

[e] *Et ex eo quod.*

PRobat ratione omnem contrarietatem esse differentiam sive diversitatem specificam. Ratio verò est, quia cùm ad diversitatem specificam requiratur ac satis sit identitas generis & diversificatio eius per differentias, atque hæc reperiantur in contrarietate, efficitur, omnem contrarietatem esse differentiam seu diversitatem specificam. Maior propositio in superiori parte huius capitis ostensa est: minor verò ex iis quæ suprà à nobis dicta sunt, probata relinquitur, ubi demonstratum est, contraria esse in eodem genere, contrarietatemque esse perfectam differentiam, quæ si talis est, non dubium quin diversificet per se naturam generis in suis speciebus. Quod autem ad verba attinet, illud quod de differentia specifica hîc dicitur [Alicuius aliquid esse, illudque & genus in utroque esse] hunc habet sensum, Differentiam esse entitatem aliquam speciei, eamque & naturam generis in utraque specie: non quòd differentia diversificetur cum natura generis in utraque, sed quia diversa omnino est in utraque natura generis, non diversa omnino sed diversificata per se per i-

C

D

psas differentias diversas.

f Quare contraria omnia.

COnsectarium quoddam est, quo colligit, contraria omnia, quæ genere non differunt sed specie, sola in eadem serie prædicamenti locata esse, & maxime esse diversa. Quod subjecit, ut lectorem ad eam disputationem paratet, quam proximo capite instituet de illo cõtrariorum genere, quo paulo antè diximus. quædam genere etiam inter se esse diversa.

g Est igitur differentia contrarietas.

REpetit præcipuam conclusionem huius capitis omnem videlicet diversitatem specificam esse contrarietatem aliquam, & omnem contrarietatem, esse diversitatem specificam, ita ut unum atque idem videatur diversitas specifica, & contrarietas. Ait enim, nihil aliud esse species infimas (quas vocat individuas, quòd non dividantur per differentias diversificantes per se naturam speciei) esse diversas specie, quam contrarietatem habere. Unde fit, ut ea sint eadem specie infima, quę cum individua sint omnino, seu & formali & materiali divisione, non habent inter se contrarietatem. Unde etiam patere ait, contrarietatem, quemadmodum & diversitatẽ specificam, in divisione, & in mediis, hoc est, in sola differentia seu diversitate eorum quæ media sunt inter summa genera & individua, reperiri, antequam dividendo, ad individua perveniatur.

h Hinc patet.

INfert alterum cõsectarium: Nullas videlicet species idem esse specie cum suo genere, aut ab illo

A specie diversa. Loquitur autem de genere, nõ ut Herculeorum aut Romanorum, sed de eo quod ad naturam rerum pertinet. Quòd autem nulla species sit idem cum suo genere, ex eo constat, quia sola ea quæ sunt omnino individua, sunt idem specie inter se, ut proximè dictum erat. Quòd verò nec sit specie diversa, etsi ex eo deduci poterat, quòd apertè constet, nullam naturam univocam esse diversificatam per se in

B genere & ulla eius specie (quod initio capitis ostensum esse necessarium in iis quæ differunt specie) tamen ex eo probatur ab Aristotele, quia genus est veluti materia prima suarum differentiarum: proinde quatenus tale est negatione earum, quibus suo modo formatur, declarari potest, ut materia prima declaratur negatione formarum quas potest suscipere: quo fit, ut nullam differentiam includat quà à suis spe-

C ciebus specie differre possit Nam eas quibus constituitur [si est subalternum] omnes suis speciebus communicat.

i Nec verò cum iis.

TErtium consectatium est: Nihil posse dici differre specie ab iis quæ sunt in aliquo eodem genere, sed ab iis tantum quæ sunt in eodem. Quod ex eo deducit, quia

D differentia specifica est contrarietas quædam: at contraria non esse in diversis generibus, iam sæpe ostensum est. Nam quod paulo pòst in diversis generibus ponentur corruptibile & incorruptibile, ad aliam quandam generis usurpationem spectat, ut eo loco dicetur.

Κεφάλ.

Κεφάλαιον ιβ'.

Text. 25.

Ἀπορήσειε δ' ἄν τις, διὰ τί ἀνδρὸς γυνὴ οὐκ εἴδει διαφέρει, ἐναντίου τοῦ θήλεος καὶ τοῦ ἄρρενος ὄντος, τῆς δὲ διαφορᾶς ἐναντιώσεως· οὐδὲ ζῷον θῆλυ καὶ ἄρρεν, ἕτερον τῷ εἴδει. καίτοι καθ' αὑτὸ τοῦ ζῴου αὕτη ἡ διαφορά, καὶ οὐχ ὡς ἡ λευκότης ἢ μελανία, ἀλλ' ᾗ ζῷον καὶ τὸ θῆλυ καὶ τὸ ἄρρεν ὑπάρχει. [b]ἔστι δ' ἡ ἀπορία αὕτη σχεδὸν ἡ αὐτή, καὶ διὰ τί ἡ μὲν ποιεῖ τῷ εἴδει ἕτερα ἐναντίωσις, ἡ δ' οὔ. οἷον, τὸ πεζὸν καὶ τὸ πτερωτόν, λευκότης δὲ καὶ μελανία οὔ. [c]ἢ ὅτι τὰ μὲν οἰκεῖα πάθη τοῦ γένους, τὰ δ' ἧττον, καὶ ἐπειδὴ τὸ μὲν λόγος, τὸ δ' ὕλη. ὅσαι μὲν ἐν τῷ λόγῳ εἰσὶν ἐναντιότητες, εἴδει ποιοῦσι διαφοράν. ὅσαι δ' ἐν τῷ συνειλημμένῳ τῇ ὕλῃ, οὐ ποιοῦσι. διὸ ἀνθρώπου λευκότης οὐ ποιεῖ, οὐ[illegible] μελανία, οὐδὲ τοῦ λευκοῦ ἀνθρώπου ἐστὶ διαφορὰ κατ' εἶδος πρὸς μέλανα ἄνθρωπον, οὐδ' ἂν ὄνομα ἓν τεθῇ. ὡς ὕλη γὰρ ὁ ἄνθρωπος. οὐ ποιεῖ δὲ διαφορὰν ἡ ὕλη· οὐκ ἀνθρώπου γὰρ ἡ ὕλη εἰσὶν οἱ ἄνθρωποι. διὰ τοῦτο, καίτοι ἕτεραι αἱ σάρκες καὶ τὰ ὀστᾶ, ἐξ ὧν ὅδε καὶ ὅδε, ἀλλὰ τὸ σύνολον, ἕτερον μέν, εἴδει δ' οὐχ ἕτερον, ὅτι ἐν τῷ λόγῳ οὐκ ἔστιν ἐναντίωσις. ἐτοῦτο δὲ ἐστιν ἄτομον. ὁ δὲ Καλλίας ἐστὶν ὁ λόγος μετὰ τῆς ὕλης. [f]καὶ ὁ λευκὸς δὴ ἄνθρωπος, ὅτι Καλλίας λευκός. κατὰ συμβεβηκὸς οὖν ὁ ἄνθρωπος λευκός. οὐδὲ ὁ χαλκοῦς δὴ κύκλος, καὶ ὁ ξύλινος, οὐδὲ τρίγωνον χαλκοῦν, καὶ κύκλος ξύλινος, οὐ διὰ τὴν ὕλην εἴδει διαφέρουσιν, ἀλλ' ὅτι ἐν τῷ λόγῳ ἔνεστιν ἐναντιότης. [g] πότερον δ' ἡ ὕλη οὐ ποιεῖ ἕτερα τῷ εἴδει, οὖσά πως ἕτερα, ἢ ἔστιν ὡς ποιεῖ; διὰ τί γὰρ ὅδε ὁ ἵππος τουδὶ ἀνθρώπου ἕτερος τῷ εἴδει; καίτοι σὺν τῇ ὕλῃ οἱ λόγοι αὐτῶν. ἢ ὅτι ἔνεστιν ἐν τῷ λόγῳ ἐναντίωσις; καὶ γὰρ τοῦ λευκοῦ ἀνθρώπου καὶ μέλανος ἵππου. καὶ ἔστι γε εἴδει, ἀλλ' οὐχ ᾗ ὁ μὲν λευκός, ὁ δὲ μέλας. ἐπεὶ καὶ εἰ ἄμφω λευκὰ ἦν,

CAP. XII.

Text. 25.

Dubitabit [a] autem fortasse aliquis, cur mulier à viro non differat specie, cùm mas & fœmina contraria sint, differentiaq; sit contrarietas: nec verò mas & fœmina diversa sint specie animalia, cùm tamen hæc sit per se animalis differentia, neq; ei ut albedo & nigredo. sed quatenus animal est, esse marem & fœminam conveniat. Est [b] autem (B) dubitatio hæc eadem ferè atq; illa, cur quædam contrarietas specie diversa faciat, ut gressibile & volatile: quædam verò minimè, ut albedo & nigredo.

An quia [c] hæc quidem propriæ sunt affectiones generis, illa verò non item? Atq; cum aliud sit ratio, aliud materia: quæcumq; in ratione contrarietates sunt, eæ specie differre faciunt: quæ verò sunt in eo quod simul cum materia sumitur, eæ non faciunt. Quocirca hominis differentiam albedo non facit neq; item nigredo: nec homo albus ab homine nigro specie differt, etiamsi nomen unum imponatur. (C) Homo [d] enim ut materia est: materia verò differentiam non facit: neq; homines hominis sunt species. Quapropter etsi diversa sunt carnes & ossa ex quibus hic & ille constant: sed & totum simul est diversum, in specie tamen haud diversum est, quôd in ratione ipsa non sit contrarietas. Hæc [e] autem est individua: Callias verò ratio cum materia est. Et homo [f] igitur albus est, quia Callias est albus. Itaq; homo per accidens est albus. Neq; igitur æneus circulus & ligneus, nec triangulus æneus, & ligneus circulus propter materiam specie differunt, sed quia in ratione contrarietas inest. Sed utrum [g] materia non facit specie diversa cùm diversa (D) modo aliquo est, an modo aliquo facit? Cur enim hic equus ab hoc homine specie diversus est, cùm eorum rationes cum materia sint; An quia in ratione contrarietas inest? Etenim hominis albi, & nigri equi diversitas in specie est: verùm non quatenus hic albus est, ille niger, quandoquidem etsi ambo albi essent, æquè etiam essent specie diversi.

Græcè deest [ultimum]: sed omnes interpretes addunt, & correctio Græca Syxleti.

ὁμοίως ἂν ἦν εἴδει ἕτερα. τὸ δὲ ἄρρεν καὶ θῆλυ, τοῦ ζώου οἰκεῖα μὲν πάθη, ἀλλ' οὐ κατὰ τὴν οὐσίαν, ἀλλ' ἐν τῇ ὕλῃ καὶ τῷ σώματι διὸ τὸ αὐτὸ σπέρμα, ἢ θῆλυ ἢ ἄρρεν γίνεται παθόν τι πάθος. Text. 26. [i]τί μὲν οὖν ἐστι τὸ τῷ εἴδει ἕτερον εἶναι, καὶ διὰ τί τὰ μὲν διαφέρει εἴδει, τὰ δ' οὔ, εἴρηται.

A *Mas autem & fœmina propriæ sunt animalis affectiones, verùm non in substantia, sed in materia ac corpore. Qua de causa idem semen aliqua passione affectum, aut mas fit aut fœmina.* Text. 26. *Quid igitur sit [i]specie diversum esse, & quam ob causam alia different specie, alia minimè, dictum est.*

EXPLANATIO CAPITIS DUODECIMI.

Dubitabit autem fortasse.

VT quædam alia contrariorum genera adiungat, de quibus hactenus non differuit, unum eorum quæ ne specie quidem differre faciunt, de quibus hoc capite disputabit: alterum eorum quæ faciunt genere etiam differre, de quo capite sequenti aget: hanc dubitationem proponit hoc loco, cur mulier à viro non differat specie, cùm mas & fœmina sint contraria, & hactenus dictum sit, contraria inter se specie differre, ita ut differentia specifica & contrarietas idem esse videatur: Præsertim cum differentia maris & fœminæ (quæ est altera dubitandi ratio) non sit differentia per accidens animalium, ut est albedo & nigredo sed per se animali, quatenus est animal, conveniat siquidem mas & fœmina per animal definiuntur. Nam si est differentia per se generis; igitur diversam facit generis naturam in species, ut ex superiori capite perspicuum est.

[b] *Est autem dubitatio.*

REvocat dubitationem propositã ad cõmuniores terminos in eadem penè quærendi forma: Cur videlicet ex contrarietatibus alia faciat res specie diversas, ut D esse gressibile, ac volatile; alia verò minimè, ut albedo & nigredo. Videmus enim omne animal gressibile tantum, esse specie diversum à quocunque volatili, cum tamen ex animalibus eiusdem speciei infimæ, alia sæpe alba sint, alia nigra, ut patet in hominibus & quibusdam avibus.

[c] *An quia hæc quidem.*

SOlvit hoc loco dubitationem communiori forma propositam, soluturus eam ad finem capitis in propriis terminis. Ait igitur propterea quasdam generis affectiones contrarias facere diversas species (seu potius earum diversitatem indicare) quia sunt propriæ illius affectiones; quasdam verò non facere diversas, quia non sunt illius propriæ, hoc est, quia minùs propriæ, tametsi omnes dicantur per se illi convenire, quia extra illud non inveniuntur, & per illud definiuntur. Ait autem eas esse propriè dictas affectiones generis, quæ sequuntur rationem, hoc est, formam aliquam universalem, ut esse gressibile, & volatile: eas verò minus proprias quæ sequuntur materiam (intellige signatam & particularem) eiúsve particulares conditiones, ut esse album

bum & esse magnum, parvum, & similia. Hinc enim fit ut homo albus non differat specie ab homine nigro, neque item homo magnus ab homine parvo, etiamsi toti composito ex homine & huiusmodi aliqua affectione unum imponatur nomen, ut forsitan videatur unum quid. Nã cum hæ affectiones per accidens homini communi conveniant & ratione individuorum, quibus primò & immediatè insunt, non possunt, cum homine communi naturam aliquam verè unam constituere, nec verè indicare, sed semper coniunctio earum cum homine significat compositum aliquod per accidens sub specie humana contentum.

d Homo enim ut materia est.

DE singulari homine hoc intelligendum est deque materia singulari seu signata ut vocatur, quam ille includit, & per quam physicè multiplicatur, ut diximus ad cap. 6. lib. 7. quæ materia non facit differentiam specificam, sive per se ipsam sive per accidentia particularia, quæ illam comitantur. Quapropter etsi carnes & ossa, & contraria quædam materiam particularem spectant diversa sunt in hoc & illo homine, totúsque hic à toto illo diuersus est; tamen ea ratione non est specie diversus, quia eorum contrarietas non ad rationes seu formas uniuersales diversas, sed ad particulares materias referenda est.

e Hæc autem est individua.

ETsi omnes interpretes hoc pacto legunt [Hoc autem est, ultimum, & individuum] & correctio item Græca Syrleti Cardinalis: nobis tamen magis probatur com- A munis lectio omniũ quos vidi Græcorum codicum, qui non agnoscunt dictionem [ultimum.] Sed nec sensus eam postulat, cum potius Aristoteles opponat individuam formam specificam Calliæ, in quo forma specifica cum materia particulari comprehenditur: ita fit ut τὸ ἢ ἄτομον hoc loco sumatur pro specie quæ neutro nomine apud Græcos significatur: dicitur enim forma specifica individua, quia in alias specificas non dividitur, quemadmodum nec species quã B constituit; Callias verò non solùm individuum sed ultimum individuum dici potest, quia nec formali, nec materiali divisione in inferiora multiplicatur.

f Et homo igitur albus est.

DE homine communi perspicuè loquitur, quippe qui ratione Calliæ & est albus & per C accidens albus. Unde infert, Quia circulus & triangulus sunt lignei & ænei per accidens, nempe propter qualitatem huius vel illius materiæ particularis, non ideo circulum æneum, & ligneum, neque item triangulum æneum & circulum ligneum differre specie propter materiam: sed quia in circulo & triãgulo quę sunt formæ universales, inest contrarietas differentiarum, quibus illæ cõstituũtur, iccirco triangulus æneus, D & ligneus circulus, ex parte figurarum differunt specie: circulus autem æneus (quod supplendum est) & ligneus non item.

g Sed utrum materia.

CUm multis in rebus, specie diversis, materia quoque ipsa modo aliquo diversa sit specie, materia, inquam, secunda sive

proxima, ut in hoc homine & in hoc equo: in omnibus enim hominibus certa quædam materia secunda cernitur, & in omnibus equis alia quædam certa: quærit Aristoteles, cur non etiam materia diversas faciat species. Nam in hoc homine & in hoc equo, rationes sive formæ universales simul cum materia universali sunt, tametsi contractæ & particulares factæ. Sic enim intelligenda videntur verba illa [Cur enim hic equus. &c.] videtur enim par ratio in utraque, præsertim cum lib. septimo dictum sit, duplicem esse materiam, alteram universalem, quæ pertinet ad speciem. (neque enim species rerum materialium sine materia est, ut Plato existimabat) alteram particularem, quæ individuum constituit Huic quæstioni respondet Aristoteles differentiam specificam potius à forma quam à materia desumi, quia contrarietas differentiarum, quæ diversas species constituunt, à formis specie diversis sumitur, quod intellige primò & præcipuè: nam si qua contrarietas cernitur in materiis communibus diversarum specierum, ab ipsa formarum diversitate oritur. siquidem ipsa materia prima, in se spectata, nihil habet discriminis in speciebus diversis eiusdem omnino generis: quod addiderim propter quæstionem de corruptibili & incorruptibili, quæ in cap. sequenti tractanda est.

[b] *Mas autem & fœmina.*

SOlvit dubitationem in propriis terminis maris & fœminæ, in quibus excitata est: Solutio verò ex dictis patet: fatetur enim differentiam sexuum, affectiones esse quidem per se animalis, neque extra materiam animalis reperiri (tametsi quid simile in quibusvis plantis cernitur) verum eam differentiam, non ad differentiam formæ, quæ eiusdem speciei est in mare & fœmina, sed ad diversam materiæ qualitatem referendam esse. Inde enim fit, ut idem semen alia & alia ratione dispositum, aut mas evadat aut fœmina. Nam ut ipse tradit in libris de generatione. animal, fœmina impotentia quadam existit, & quasi mas læsus est Quin etiam ut quinto libro diximus, interdum fœmina in marem mutari solet.

[c] *Quid igitur erit.*

Potius quid igitur sit.

IN hoc brevissimo huius & superioris capitis epilogo sic extrema verba accipienda sunt, quasi dicat [& quam ob causam alia ratione cõtrariorum quibus distinguuntur, differant specie, alia verò minimè, dictum est hactenus.] Quo loco adverte, etsi quædam contraria dicta sunt in hoc capite, non efficere, ut ea quæ illis distinguuntur, differant specie: non inde tamen colligi, ipsa in se non differre specie. Nam & album & nigrum, & mas & fœmina non efficiunt, ut homines albi & nigri, itemque mares & fœminæ specie differant, ipsa tamen in suis generibus, illa colorum, hæc verò potentiarum specie differunt, ut est perspicuum. Addita tamen eorum distincta tractatio à contrariis in se spectatis, quia etiam quatenus respectu eorum, quæ non faciunt differre specie, contraria dici solent.

Κεφάλ-

Κεφάλαιον. ιγ΄.

Ἐπεὶ τὰ δὲ ἐναντία ἕτερα τῷ εἴδει, τὸ δὲ φθαρτὸν καὶ τὸ ἄφθαρτον ἐναντία (στέρησις γὰρ ἀδυναμία διωρισμένη) ἀνάγκη ἕτερον εἶναι τῷ γένει τὸ φθαρτὸν καὶ τὸ ἄφθαρτον. νῦν μὲν οὖν ἐπ' αὐτῶν εἰρήκαμεν τῶν καθόλου ὀνομάτων. ὥστε δόξειεν ἂν οὐκ ἀναγκαῖον εἶναι ὁποιονοῦν ἄφθαρτον καὶ φθαρτὸν ἕτερα εἶναι τῷ εἴδει, ὥσπερ οὐδὲ λευκὸν καὶ μέλαν. τὸ γὰρ αὐτὸ ἐνδέχεται εἶναι καὶ ἅμα, ἐὰν ᾖ τῶν καθόλου, ὥσπερ ὁ ἄνθρωπος εἴη ἂν καὶ λευκὸς καὶ μέλας, καὶ τῶν καθ' ἕκαστα. εἴη γὰρ ἂν μὴ ἅμα ὁ αὐτὸς λευκὸς καὶ μέλας. καίτοι ἐναντίον τὸ λευκὸν τῷ μέλανι. c ἀλλὰ τῶν ἐναντίων, τὰ μὲν κατὰ συμβεβηκὸς ὑπάρχει ἐνίοις, οἷον καὶ τὰ νῦν εἰρημένα καὶ ἄλλα πολλά. τὰ δὲ ἀδύνατον, ὧν ἐστι καὶ τὸ φθαρτὸν, καὶ τὸ ἄφθαρτον. οὐδὲν γὰρ ἐστι φθαρτὸν κατὰ συμβεβηκός. τὸ μὲν γὰρ συμβεβηκὸς ἐνδέχεται μὴ ὑπάρχειν. τὸ δὲ φθαρτὸν, τῶν ἐξ ἀνάγκης ὑπαρχόντων ἐστὶν οἷς ὑπάρχει ἢ ἔσται ταὐτὸ ἓν φθαρτὸν καὶ ἄφθαρτον, εἰ ἐνδέχεται αὐτὸ μὴ ὑπάρχειν τὸ φθαρτόν. ἢ τὴν οὐσίαν ἄρα, ἢ ἐν τῇ οὐσίᾳ ἀνάγκη ὑπάρχειν τὸ φθαρτὸν ἑκάστῳ τῶν φθαρτῶν. ὁ αὐτὸς δὲ λόγος καὶ περὶ τοῦ ἀφθάρτου, τῶν γὰρ ἐξ ἀνάγκης ὑπαρχόντων ἄμφω. ἢ ἄρα καὶ καθὸ πρῶτον, τὸ μὲν φθαρτὸν τὸ δ' ἄφθαρτον ἔχει ἀντίθεσιν ὥστε ἀνάγκη γένει ἕτερα εἶναι. c φανερὸν τοίνυν ὅτι οὐκ ἐνδέχεται εἶναι εἴδη τοιαῦτα οἷα λέγουσί τινες. ἔσται γὰρ ἄνθρωπος, ὁ μὲν φθαρτὸς, ὁ δ' ἄφθαρτος. καίτοι τῷ εἴδει ταὐτὰ λέγεται εἶναι τὰ εἴδη τοῖς τισί, καὶ οὐχ ὁμώνυμα, τὰ δὲ γένει ἕτερα, πλεῖον διέστηκεν ἢ τὰ εἴδει.

CAPUT XIII.

Quoniam verò a contraria specie diversa sunt: corruptibile autem & incorruptibile sunt contraria (est enim privatio impotentia determinata) necesse est, corruptibile & incorruptibile genera diversa esse. Ac nunc b quidem in ipsis universalibus loquuti sumus. Itaque videri potest non esse necesse, ut quodvis corruptibile & incorruptibile diversa sint specie, quemadmodum neq; albū & nigrum. Namq; idem ac simul esse potest, si ipsis sit ex universalibus, qua ratione homo & albus & niger esse potest, imò & ex singularibus: fuerit enim fortasse idem non simul albus & niger, cum interim album nigro contrarium sit. Verùm c eorum quæ contraria sunt, alia quidem per accidens quibusdam insunt, ut & ea quæ nunc dicta sunt, & alia plura: alia sic inesse non possunt: è quibus sunt corruptibile & incorruptibile. Nihil enim per accidens corruptibile est. Accidens enim potest non inesse, incorruptibile autem ex iis est, quæ quibus insunt, necessariò insunt: aut unum & idem corruptibile & incorruptibile erit, si fieri potest, ut ei corruptibile non insit. Aut igitur incorruptibile substantiam esse, aut in substantia cuiq; corruptibilium necesse est. Atq; eadem ratio est in incorruptibili: ambo enim ex iis sunt quæ necessariò insunt. Qua igitur ratione & per quod primò aliud corruptibile est, aliud incorruptibile, oppositionem utiq; habent. quo fit d ut necessariò sint genere diversa.

Constat e igitur, fieri non posse ut ideæ tales sint, quales quidam esse dicunt. Erit enim is qui homo dicitur, alius corruptibilis, alius incorruptibilis, cùm tamen ideæ cum iis qui apud nos sunt eædem specie esse dicantur, neq; id æquivocè. At ea quæ sunt diversa genere, plus distant, quàm quæ specie.

ἐπὶ, aliquando idē quod (de) quocirca pro (in ipsis). dicere (de ipsis.)

EXPLANATIO CAPITIS DECIMI TERTII.

a *Quoniam verò contraria.*

CUm tradidisset cap. superiori contraria quædam . quæ ne specie quidem differre faciunt, addit hoc extremo alia quædam quæ etiā faciunt differre seu diversa esse genere, non quidem logico ut vocant,

cant, seu prædicabili, de quo hactenus sermo erat, seu quod in quæstione quid est, de pluribus specie differentibus prædicatur (quasi aliqua sint contraria quæ res ita differre faciant, ut ne logico quidem ulli conveniant) sed physico, ut dicitur seu subjectivo, quod est materia. Hæc enim fuit una ex iis significationibus generis, quas apud Philosophos quasi proprias & peculiares cum Aristotele ad calcem propè libri quinti usurpari diximus.

Probat ergo Aristoteles initio capitis, corruptibile & incorruptibile diversa est genere hac ratione; Contraria diversa sunt specie, corruptibile & incorruptibile sunt contraria: sunt igitur diversa genere. Propositionem ex dictis veram esse ponit. Assumptionem ex eo probat, quia corruptibile & incorruptibile opponuntur ratione potentiæ & impotentiæ: Corruptibile enim dicitur id quod corrumpi potest: incorruptibile autem quod non potest. Vel sic, corruptibile, quod non potest corruptioni resistere; incorruptibile verò quod potest. Sic enim diversis significationibus potentiæ de quibus actum est lib. 5. & 9. utrumque dici potest, vel habere potentiam vel impotentiam, quæ duo cum privativè opponantur, contrarietatem efficiũt in iis differentiis per quas corruptibile & incorruptibile opponuntur. Sed de consequentia dubitari potest quòd inepta videatur: cum enim concludendum esset, corruptibile & incorruptibile diversa esse specie, conclusum est diversa esse genere.

Dicendum est tamen, etsi forma concludendi apta non est: in materia tamen de qua agitur, rectè concludere. Nam cum corruptibilia & incorruptibilia non possint habere materiam eiusdem naturæ, siquidem materia corruptibilium non est capax earum formarum quibus res incorruptibiles constituuntur: nec materia incorruptibilium capax est formarum quibus constãt corruptibiles: cum de genere quidem subiecto quod est materia intelligenda sit conclusio, non dubium est, quin aptè concludi potuerit, corruptibile & incorruptibile diversa esse, non solum specie sed etiam genere. Utrumque enim verum est, & sequitur ex sumptionibus spectata natura materiæ rerum corruptibilium & incorruptibilium; sunt enim res corruptibilis & incorruptibilis in genere sumptæ, non solum & specie diversæ sub communi genere prædicabili substantiæ ac substantiæ corporeæ; sed etiam diversæ genere subiectivo; non enim idem potest esse subjectum omnium naturalium formarum. De qua re nonnihil diximus ad c. 8. libri quinti. Perspicuum autem erit ex verbis sequentibus, Aristotelem utrumque inferre voluisse. Quod dixerim, ne hinc colligas quod nõnulli minus cõsideratè faciunt, substantiam corruptibilem & incorruptibilem apud Aristotelem esse suprema genera prædicabilia.

Quòd autem ad verba attinet, id quod Aristoteles ait, ad probationem assumptionis impotentiam determinatam esse privationem (sic enim legẽdum est) eò pertinet ut significet se non accipere impotentiam pro pura negatione potentiæ (sic enim contradictoriè opponeretur potentiæ, nec contrarietatem efficeret seu potius innueret incorruptibili & corruptibili) sed pro negatione potentiæ determinata sive addicta ad gradum illum entitatis, quo res incorruptibilis in commune distinguitur à re corruptibili, vel contra corruptibilis ab incorruptibili, juxta distinctionem positam impotentia.

tentiæ; sic enim impotentia innuit contrarietatem entitatum, quo incorruptibilia quatenus talia sunt, corruptibilibus quatenus corruptibilia, distinguuntur.

[b] *At nunc quidem.*

Obiectio quædam est quam sibi ipsi ex aliorum sententia extruit: quasi dicat; Et nos quidem nunc in omnibus universalibus, in quibus plerumque latent æquivocationes, cuiusmodi sunt potentia & impotentia, corruptibile & impotentia, rem existimamus demóstrasse, non attendétes, oppositum, si res ipsa diligentiùs expendatur, fortasse dicendum fuisse. Meritò enim videri potest corruptibile & incorruptibile multis in rebus non solùm non esse diversa genere, sed ne specie quidem, atque adeo nec numero. Nam ut homo communis simul est albus in Europæo, & niger in Æthiope: imò etiam idem particularis homo potest primum esse albus, deinde niger, cùm interim album & nigrum sint contraria: ita non est cur negetur fieri posse ut detur genus aliquod rerum, quod in quibusdam particularibus sit ens corruptibile, in aliis autem incorruptibile: imò & unum & idem particulare prius sit corruptibile, deinde verò incorruptibile. Neque enim desunt qui hoc pacto dicant, quædam animalia esse corruptibilia sub genere animalis, quædam incorruptibilia atque adeo quosdam particulares homines ex mortali vita in deos immortales esse translatos. Quo fit ut non rectè conclusum sit universè & sine ulla particularis enunciationis nota corruptibile & incorruptibile differre genere, quasi nulla sint corruptibilia & incorruptibilia, quæ in aliquo genere conveniant.

[c] *Verum contrariorum.*

Diluit objectionem distinctione contrariorum. Alia enim faciunt res quibus conveniunt differre per accidens, id est, contingéter: alia per se, hoc est necessariò, sive in primo modo eorum quæ per se conveniunt, sive in secundo. B Tum ait ea contraria quæ per accidens differre faciunt, convenire posse rebus quæ non modò differant genere, sed ne specie quidem, atque id etiam simul tempore, imo verò convenire posse uni & eidem rei numero, si alterum alteri succedat, cuiusmodi contraria sunt album & nigrũ, respectu hominis sive communis sive particularis, & alia complura, ut volare & serpere, quæ simul conveniunt sub animali, avi & colubro: & C sub homine simul calescere ac frigere, simul Socrati & Platoni, vel eidem alio & alio tempore ascendenti scalam, & descendenti. Ac in iis quæ per se faciunt differre, sive ut differentiæ essentiales, sive ut proprietates quæ essentiam consequuntur, aliam esse rationem. Nam etsi huiusmodi contraria sæpe possunt evenire rebus habentibus idem genus physicum, sive materiam eiusdem speciei (de hoc enim genere sermo est) D cuiusmodi sunt differentiæ, essentiales ac proprietates rerum corruptibilium, differentium inter se specie, ut ignis & aquæ, equæ & leonis; tamen quæ faciunt differentiam corruptibilis & incorruptibilis, non possunt tale commune genus habere. Materia enim corruptibilium habet potentiam naturalem ad corruptionem rei, cuius est materia, idq; propter eam propensionem quam habet ad alias formas substantiales;

Rerum earum quæ cõtrariæ sunt.

materia verò incorruptibilium ex natura sua non habet eiusmodi propensionem, seu potius impotentiam ac repugnantiam ad alias formas suscipiendas; hac enim ratione non est ea capax contrariorum accidẽtium, quibus disponatur ad adjiciendas formas, quas habet, & alias recipiẽdas. Huiusmodi autem potentia & impotentia non possunt materiæ eiusdem speciei convenire, alioqui res eadem numero, quæ materia eiusmodi constaret, corrumpi posset, & corrumpi non posset, quod est aperta contradictio. Unde fit, ut res corruptibiles & incorruptibiles propter differentias, quibus quatenus tales sunt, distinguuntur, non possint habere idem commune genus subiectum, sive materiam eiusdem speciei. Hæc ut pateant, docet Aristoteles nihil esse per accidens sive contingenter corruptibile, sed necessario & ex sua natura; eodemque modo nihil esse per accidens incorruptibile, sed per se & ex sua essentia: proinde corruptibile & incorruptibile aut pertinere ad essentias rerum corruptibilium & incorruptibilium, aut esse proprietates quæ naturas necessariò sequantur: satis autem patet utraque per se & primò, hoc est, universè corruptibili & incorruptibili convenire. Utroque enim modo sumi possunt hęc nomina, & ut significant differentias essentiales rei corruptibilis & incorruptibilis in commune, & ut significant earum proprietates, quatenus illa corruptibilis est, hæc incorruptibilis hoc enim pacto rationale & irrationale sumi possunt, & ut significant differentias, quibus homo & bestia constituuntur, & ut eorum, quatenus eiusmodi sunt, necessariò consequentes proprietates.

Contra hæc tamen sic aliquis ob- A jiciat. Non minus repugnantia sunt rationale & irrationale, quam corruptibile & incorruptibile: at illa non indigent materiis diversarum specierum, ergo neque ista. Deinde concessis materiis diversarum specierũ in re corruptibili, in commune, & corruptibili ex altera parte respondente, adhuc ex utraque parte abstrahi potest materia in genere, quæ utraque complectatur: ergo adhuc coruptibile & incorruptibile conveniunt B in communi genere subjecto, quod est materia communis utrique materiæ & corruptibilium & incorruptibilium. Postremò, genus prædicabile, quod sub se continet substantiam corruptibilem & incorruptibilem in commune sumptas, est substantia corporea, hæc autem constat materia & forma; datur igitur non solum genus logicum, sive prædicabile commune corruptibili & incorruptibili, sed etiam genus physicum & subiectivum.

C Sed primæ objectioni occurrendum est, ea ex parte minus repugnãtes differentias esse inter se, rationale, & irrationale, quàm corruptibile & incorruptibile, quatenus formis, ex quibus illæ sumuntur, nihil repugnant esse diversis temporibus in eadem numero materia, cum tamen illæ ex quibus hæ sumuntur, nunquam possint in eadem numero materia succedere: proinde nil mirum D esse, si illæ non indigeant materiis diversarum specierum, hæ verò indigeant.

Si ita sit excudendum, videtur & in textu scribendum, quo fit ut materia cæli genere diversa sit à materia corrupt. Sed potius erit apponere Latini textus verba, etsi hoc prædictorum sensum magis aperiant.

[d] Quo fieret ut materia cæli.

SEcundæ objectioni sunt nec pauci, nec vulgaris notę autores, q̃ sentiãt materias corruptibilium & incorruptibilium, in commune sumptas, non convenire univocè in alia communi materia, sed analogicè, proinde ab eis nõ posse abstrahi

strahi communem conceptum obiectivum materiæ univocum. Quòd si dicas, ergo pari ratione & formam corruptibilium in commune, quę est separabilis à materia, & formam incorruptibilium illi respondentem, quæ est inseparabilis, non convenire inter se univocè sed analogicè, ac propriè non posse ab eis abstrahi cõmunem conceptum obiectivum formæ substantialis: & (quod hinc sequitur) nec substantiam corpoream communem corruptibili & incorruptibili, esse aliquid univocum; concedunt quidem hæc omnia, dicuntque; substantiam corpoream communem corruptibili & incorruptibili, non esse verum genus physicè; quia revera non sit natura aliqua verè una sed analogicè una: & tamen volunt esse genus logicè propter unum conceptum formalem univocum, quo eam analogicam naturam repræsentari existimant.

Hæc tamen sententia etsi optimè solveret propositam obiectionem, si vera esset, tamen quia quatenus vult, conceptum formalem posse esse univocum, cum obiectivus est analogicus, contradictionem implicat ut ostendimus libro quinto, mittenda est, aliaque ratione solvenda obiectio.

Dicendum igitur, & materiam & formam, & substantiam corpoream, in commune sumptas, univocas esse, non logicè tantum sive ratione conceptuum formalium (ut ipsi genus logicum exponunt) sed etiam physicè sive ratione obiectorum, hoc est, naturarum, quæ formalibus conceptibus repræsentantur (ut illi physicum intelligunt (semper enim conceptus formalis si proprius & nõ confusus nec imperfectus est, sibi invicem respondet; ut eo loco diximus. Accedit quòd nulla est ratio A cur materiæ ac formæ rei corruptibilis & incorruptibilis in commune compositaque ipsa non conveniant univoce in materia communi, forma communi, & communi composito, ut ex eis quæ loco citato diximus, licet intelligere. Quapropter ad obiectionem dicendum, posse quidem à materia corruptibilium & incorruptibilium abstrahi materiam in cõmune, quæ sit verè unius naturæ genus utriq; commune, quẽadmodum B à formis formam, & à compositis cõpositum. Sed tamẽ Aristotelem, quia agebat de genere subiecto, non de genere prædicabili, iccirco negasse genus subiectum commune corruptibilibus & incorruptibilibus. Ac meritò quidem. Nam etsi communitas materiæ, ut prædicabilis est, in eo consistit, ut de omnib9 materiis prędicetur: tamen eius communitas, ut subiectũ est, in eo consistere debet, ut omnibus subjici, seu ab omnibus informari possit per quamlibet materi- C am inferiorem de qua dicatur. Unde cùm materia substantiæ corruptibilis, per quamlibet particularem sub se contentam omnibus separabilib. subjici possit; cælestis autem nõ possit per quamlibet suam particularem subjici omnibus inseparabilibus, sed aliis per alias; iccirco materia in cõmune, quæ ab utraque abstrahitur, non potest censeri commune subjectum omnium formarum sed de sola D materia corruptibiliũ id dici potest, respectu omnium formarum separabilium. Nam cælestis materia sumpta in quolibet cælo, eius duntaxat formæ subiecta esse potest. Ponimus enim cælos omnes differre inter se specie, ac proinde singulorum materias differre quoque specie inter se, neque habere potentiam ad formam alterius cæli. Id quod ex eo provenit, quia cum formæ cælorum sint

natura sua inseparabiles, necesse est ut eorum materiæ non habeant potentiam ad aliam formam: jam enim illæ & quas habent, essent separabiles.

Hoc tamen non obstat quominus ab eis omnibus speciebus materiæ, unum commune genus materiæ abstrahatur, quemadmodum ab omnibus speciebus formarum, unum cōmune genus formarum cælestium, & ab omnibus compositis ex utrisque unum commune genus cœlorum. Nam quod Caietanus ait, id ea ratione fieri non posse quia si daretur unum commune genus materiæ cælestis, necessariò illa respiceret formam cælestem in commune, ac proinde quælibet eius particularis esset capax omnium cælestium formarum, vim nullam habet. Quamquam enim concedimus materiam cælestem in commune respicere formam cælestem in commune & ab ea speciem accipere, quia tamen forma cælestis natura sua est inseparabilis, ideo non sequitur, quamlibet particularem materiam cœlestem esse capacem omnium formarum cœlestium. Itaque materia in commune sumpta, commune quoddam genus prædicamentale est, & per contrarias differentias corruptibilis & incorruptibilis dividitur; commune autem genus subjectum non est, ut per quamlibet particularem omnibus formis subjici possit: atque in hoc posteriori sensu docuit Aristoteles, corruptibile & incorruptibile diversa esse genere, hoc in communi genere convenire: Recteq; D. Thomas in eodem sensu dixit, si dare cōmune genus utriusque materiæ, & corruptibilis & incorruptibilis, foret ut in eo simul esset potentia & impotentia ad corruptionem, potentia propter formas incorruptibilium; quod non animadverterunt fere eius sectatores, existimantes eū loqui de genere physico hoc est, veræ unius naturæ; aut credentes, ex eo quod ille cum Aristotele docuit materiam non esse commune subiectum omnium formarum: sequi necessariò, non esse etiam commune unius naturæ prædicamentum; contra quos ad capit. 8. lib. 5. disputavimus. Ita patet quid respondendum sit ad secundam obiectionem.

Tertia verò eadem distinctione communis materiæ diluenda est.

Ad eam verò quam sibi Aristoteles extruxit, dicendum est, nullum errorem latere in nominibus potentiæ & impotentiæ, aut corruptibilis & incorruptilibis, ut hoc loco sumuntur, cùm univocè usurpentur: causam vero cur quibusdam contrariis aliæ res non differant specie, nec prædicabili nec subiecta, ut multi homines albedine & nigredine: aliæ differant specie, si non subjecta, certè prædicabili, ut quædam animalia differentiis reptilis & volatilis: quędam verò non solum differant specie sed etiam genere subjecto, ut quædam substantia corruptibilis ab incorruptibili: tametsi quia differunt specie prædicabili, conveniant etiam in aliquo genere prædicabili: Addi etiam posset alias esse quæ differant genere subiecto, non item prædicabili ut cœli omnes inter se. Quod autem objiciebatur de animalibus natura incorruptibilibus, seu immortalibus, non admittit Aristoteles: idquę fieri non posse ad 7 librum ostensum est, sumpto animali univocè, tametsi sumpto æquivocè ut modo aliquo dicitur de omnib. vivētib. habentib. cognitionem, etiam multi ex Patribus nomine animalium

um rationalium immortalium angelos appellaverunt. Denique quod addebatur de hominibus translatis in Deos immortales, fabula Gentilitia est tametsi veritas est Catholica, Dei beneficio mortales homines immortalitatem per cœlestem beatitudinem consequuturos.

Ex his patet non repugnare sibi Aristotelem, cùm hoc loco ait, dari contraria quæ genere diversa sint. Nam & hactenus docuit omnia differre specie, utrumque tamen est verum, differunt enim corruptibile, & incorruptibile, & si qua sunt alia huiusmodi utroque modo, & specie prædicabili & genere subjecto, quæ non pugnant inter se.

[c] *Constat igitur fieri non posse.*

A Reprehendit ex dictis Platonem, quod ideas rerum corruptibilium faceret incorruptibiles, ut hominem communem, cum particulares sint corruptibiles. Nam cum probatum sit, ea quæ differunt differentiis corruptibilis & incorruptibilis, esse genere diversa; quisnam audire possit hominem communem & quemlibet particularem, qui eiusdem speciei esse dicuntur, aut (quod ex superiori capite verius
B esse ostensum est) non differunt specie non solùm subjecta sed nec etiam prædicabili, esse diversos inter se, ut materiam incorruptibilem & corruptibilem, cùm plus sit diversum esse genere quàm differre specie?

IN LIBRVM VNDECIMVM ANNOTATIONES.

Procemium.

DISSERVIT in superiori libro de uno, & aliis quibusdam generalibus entium affectionibus, ut compleret disputationem, quàm à principio libri septimi de substantiis materialibus susceperat. Nametsi eiusmodi affectiones immaterialibus quoque magna ex parte conveniunt, omnes tamen in materialibus inventa & ex illis desumpta sunt, ut initio eius libri diximus, praterquam quòd veteres Physici solis materialibus (ut qui nullas res alias prater sensibiles esse credidissent) eas convenire putaverunt. Nunc autem aggressurus iam tractationem de immaterialibus substantiis, tanquam Prima Philosophia propriam ac pracipuam extremamq; manum huic operi impositurus, non pauca hoc libro repetit, non solùm ex primo, tertio, quarto, & sexto huius operis, sed etiam ex secundo, tertio, quarto, & quinto de Naturali auscultatione, qua futura disputationi usui futura sunt, rebusq; explicandis non parum lucis allatura: repetiturus etiam in primis quatuor capitibus libri sequentis alia quadam, tum ex hoc opere, tum etiam ex primo Physicorum qua propinquius ad rem institutam expediendam erunt utilia. Id quòd libentiùs fecisse videtur, quòd hactenus longam in hoc opere moram traxerat in coarguendis iis Philosophis, qui pro reb. immaterialib. & verè à rebus sensibilibus abstractis, quadã continua, mathematica, ideasq;, & numeros invexerãt: ut operæ pretium lectoribus facturus, visus sit, si quasi rediens ad rem, quoddam compendium faceret earum rerum qua in mentem revocanda viderentur, ut totum opus absolveret. Putamus enim verum esse quod quidem recentiores aiunt, Aristotelem, absoluto libro decimo, mox scripsisse eos quos nunc 13. & 14. appellamus: tum verò hoc undecimo & duodecimo addendis operi finem imposuisse, quod & ubiq; ab eo servata consuetudo prius impugnandi aliena, quam propria statuendi, comprobat, & caput primum libri decimitertii planè videtur demonstrare, pluraq; in libris illis qua postea tractanda significantur, aliaq; in hoc ipso & sequenti iã in illis disputata sumuntur, haud obscurè confirmant, ut in progressu patebit. Ita credimus, aut ipsum Aristotelem, aut Theophrastum, Eudemúmve, sive quis alius eius scripta in ordinem redegit, duos, illos cum hoc undecimo & duodecimo commutatos, meritò in extremum locum transtulisse: vel quòd hoc opus nondum, ut alia quadam, omnino limitatum esset, vel quòd parum necessarii hoc loco, nimiumq; [illegible] huius tractationis viderentur, & contra commu[illegible] philosophandi rationem conscripti essent, qua iam partim obsoleverant, par[illegible]

tim obsolescere incipiebat, ut satis fuerit, eos quasi minus utiles post finem totius operis curiosioribus seponere, præsertim cum ad evertenda ea dogmata quæ in illis impugnantur, satis crederentur ea quæ libro 7. & aliis locis sunt disputata, & in hoc ipso sequenti, aut repetita, aut addita erant. Eò autem præcipuè referuntur omnia quæ in hoc continentur (quod Alexander ait) ut retineatur id quod iam demonstratum erat, hanc doctrinam à Physica & Mathematica esse diversam, eamq; solam dignam esse quæ sapientia nuncupetur: quod Aristoteles partim in ipsa operis præfatione, partim 4. & sexto libro præstiterat.

B

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΤΩΝ ΜΕΤΑ ΤΑ ΦΥΣΙΚΑ ΤΟ Κ.

Κεφάλαιον α.

Ὅτι μὲν ἡ σοφία περὶ ἀρχὰς ἐπιστήμη τίς ἐστι, δῆλον ἐκ τῶν πρώτων ἐν οἷς διηπόρηται πρὸς τὰ ὑπὸ τῶν ἄλλων εἰρημένα περὶ τῶν ἀρχῶν. b ἀπορήσειε δ' ἄν τις, πότερον μίαν ὑπολαβεῖν εἶναι δεῖ τὴν σοφίαν ἐπιστήμην, ἢ πολλάς. εἰ μὲν γὰρ μίαν, μία ἐστὶν ἀεὶ τῶν ἐναντίων. αἱ δ' ἀρχαὶ οὐκ ἐναντίαι. εἰ δὲ μὴ μία, ποίας δεῖ θεῖναι ταύτας: ἔτι τὰς ἀποδεικτικὰς ἀρχὰς θεωρῆσαι, μιᾶς ἢ πλειόνων: εἰ μὲν γὰρ μιᾶς, τί μᾶλλον ταύτης, ἢ ὁποιασοῦν, εἰ δὲ πλειόνων, ποίας δεῖ ταύτας θεῖναι, ἔτι πότερον πασῶν τῶν οὐσιῶν, ἢ οὔ, εἰ μὲν γὰρ μὴ πασῶν, ποίων χαλεπὸν ἀποδοῦναι. εἰ δὲ πασῶν μία, ἄδηλον πῶς ἐνδέχεται πλειόνων τὴν αὐτὴν ἐπιστήμην εἶναι. ἔτι πότερον περὶ τὰς οὐσίας μόνον, ἢ καὶ τὰ συμβεβηκότα. εἰ γὰρ περί γε τὰ συμβεβηκότα ἀπόδειξίς ἐστιν, περὶ τὰς οὐσίας οὐκ ἔστιν. εἰ δὲ ἑτέρα, τίς ἑκατέρα, καὶ ποτέρα σοφία, ἡ μὲν γὰρ ἀποδεικτικὴ σοφία, ἡ περὶ τὰ συμβεβηκότα. ἡ δὲ περὶ τὰ πρῶτα, ἡ τῶν οὐσιῶν. ᶜἀλλ' οὐδὲ περὶ τὰς ἐν τοῖς φυσικοῖς εἰρημένας αἰτίας τὴν ἐπιζητουμένην ἐπιστήμην θετέον. οὔτε γὰρ περὶ τὸ οὗ ἕνεκεν. τοιοῦτον γὰρ τὸ ἀγαθόν. τοῦτο δ' ἐν τοῖς πρακτικοῖς ὑπάρχει καὶ τοῖς οὖσιν ἐν κινήσει. καὶ τοῦτο πρῶτον κινεῖ. τοιοῦτον γὰρ τὸ τέ-

τοίων id est qualium.

ARISTOTELIS METAPHYSICORUM LIB. XI.

CAP. I.

Sapientiam quidem esse scientiam quandam quæ circa principia versetur, ex primis perspicuum est, in quibus de iis quæ ab aliis de principiis dicta sunt, est dubitatum. Quærat autem aliquis, num sapientiam esse unam scientiam existimare oporteat, an plures. Nam si unam, una semper est contrariorum: principia verò non sunt contraria. Si non unam, qualesnam hæ ponendæ sunt? Præterea uniusne, an plurium sit, demonstrativa principia contemplari. Si enim unius, cur huius potiùs quàm cuiusvis? Sin plurium, quænam hæ constituendæ? Ad hæc; utrum omnium substantiarum, an non omnium? nam si non omnium, difficile utiq; est, quarum sit tradere. Quòd si omnium una est, haud constat, quo pacto fieri possit, ut eadem scientia sit plurium. Item, in substantiisne tantùm, an etiam accidentibus versetur. Nam si accidentium demonstratio est, substantiarum non est. Quòd si alia & alia, quænam utraque est, & utra sapientia? demonstrativa enim sapientia est, quæ in accidentibus versatur: at ea quæ substantiarum est, de iis quæ prima sunt, disserit. Sed neq; in causis, quæ in Physicis dictæ sunt, ponenda est consideratio eius scientiæ quam quærimus: neque enim in ea quæ cuius gratia nominatur. Hæc enim bonum est ipsum: quod quidem in rebus agendis & in iis quæ in motu sunt, inest: atq; hoc primum movet: tale enim quippi

Articulum, (quæ,) non patitur phrasis Græca nec Latina: ideò auferendus: dicendumq; in ea cuius gratia nominatur.

λογ· τὸ δὲ πρῶτον κινῆσαν οὐκ ἔστιν ἐν τοῖς ἀκινήτοις, ὅλως δ' ἀπορίαν ἔχει, πότερόν ποτε περὶ τὰς αἰσθητὰς οὐσίας ἐστὶν ἡ ζητουμένη νῦν ἐπιστήμη, ἢ οὔ, περὶ δέ τινας ἑτέρας, εἰ γὰρ περὶ ἄλλας, ἢ περὶ τὰ εἴδη εἴη ἄν, ἢ περὶ τὰ μαθηματικά. τὰ μὲν γὰρ εἴδη ὅτι οὐκ ἔστι, δῆλον, ὅμως δ' ἀπορίαν ἔχει, κἂν εἶναί τις αὐτὰ θῇ, διὰ τί ποτ' οὐχ ὥσπερ ἐπὶ τῶν μαθηματικῶν, οὕτως ἔχει καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὧν ἔστιν εἴδη. λέγω δ' ὅτι τὰ μαθηματικὰ μὲν μεταξύ τε τῶν εἰδῶν τιθέασι, καὶ τῶν αἰσθητῶν, οἷον τρίτα τινά, παρά τε τὰ εἴδη καὶ τὰ δεῦρο. τρίτος δ' ἄνθρωπος οὐκ ἔστιν, οὐδ' ἵππος παρ' αὐτόν τε καὶ τοὺς καθ' ἕκαστα. εἰ δ' αὖ μὴ ἔστιν ὡς λέγουσι, περὶ ποῖα θετέον πραγματεύεσθαι τὸν μαθηματικόν; οὐ γὰρ δὴ περὶ τὰ δεῦρο. τούτων γὰρ οὐδέν ἐστιν, οἷον αἱ μαθηματικαὶ ζητοῦσι τῶν ἐπιστημῶν. οὐδὲ μὴν περὶ τὰ μαθηματικὰ ἡ ζητουμένη νῦν ἐστιν ἐπιστήμη. χωριστὸν γὰρ αὐτῶν οὐθέν. ἀλλ' οὐδὲ τῶν αἰσθητῶν οὐσιῶν. φθαρταὶ γάρ. d ὅλως δ' ἀπορήσειε τις ἄν, ποίας ἐστὶν ἐπιστήμης τὸ διαπορῆσαι περὶ τῆς τῶν μαθηματικῶν ὕλης. οὔτε γὰρ τῆς φυσικῆς, διὰ τὸ περὶ τὰ ἔχοντα ἐν αὑτοῖς ἀρχὴν κινήσεως καὶ στάσεως τὴν τοῦ φυσικοῦ πᾶσαν εἶναι πραγματείαν. οὔτε μὴν τῆς σκοπούσης περὶ ἀποδείξεώς τε καὶ ἐπιστήμης. περὶ γὰρ αὐτὸ τοῦτο τὸ γένος τὴν ζήτησιν ποιεῖται. λείπεται τοίνυν τὴν προκειμένην φιλοσοφίαν περὶ αὐτῶν τὴν σκέψιν ποιεῖσθαι. διαπορήσειε δ' ἄν τις εἰ δεῖ θεῖναι τὴν ζητουμένην ἐπιστήμην περὶ τὰς ἀρχὰς τὰς καλουμένας ὑπό τινων στοιχεῖα. ταῦτα δ' ἢ πάντες ἐνυπάρχοντα τοῖς συνθέτοις τιθέασι. μᾶλλον δ' ἂν δόξειε τῶν καθόλου δεῖν εἶναι τὴν ζητουμένην ἐπιστήμην. πᾶς γὰρ λόγος καὶ πᾶσα ἐπιστήμη τῶν καθόλου, καὶ οὐ τῶν ἐσχάτων, ὥστ' εἴη ἂν οὕτω τῶν πρώτων γενῶν. ταῦτα δ' ἂν γίγνοιτ' ἄν, τό τε ὂν καὶ τὸ ἕν. ταῦτα γὰρ μάλιστ' ἂν ὑποληφθείη περιέχειν τὰ ὄντα πάντα, καὶ μάλιστα ἀρχαῖς ἐοικέναι, διὰ τὸ εἶναι πρῶτα τῇ φύσει. φθαρέντων γὰρ αὐτῶν, συναναιρεῖται καὶ τὰ λοιπά. πᾶν γὰρ ὂν καὶ ἕν. ᾗ δὲ τὰς διαφορὰς αὐτῶν ἀνάγκη μετέχειν, εἰ θήσει τις αὐτὰ γένη. διαφορὰ δ' οὐδεμία τοῦ γένους μετέχει. ταύτῃ δ' οὐκ ἂν δόξειε δεῖν αὐτὰ τιθέναι

A am est finis. Id verò quod primum movet, in immobilibus non est, omnino autem dubitationem ingerit: Nam substantias sensibus subiectas, ea quam nunc inquirimus scientia consideret, an non, sed quasdam alias. Nam si alias, aut ideæ profectò fuerint, aut mathematica. Ideas enim nullas esse perspicuum est. Sed tamen dubium est, si quis eas esse ponat, cur non etiam quemadmodum in mathematicis ita & res habeat in aliis quorum sunt ideæ. Dico autem, eos mathematica inter species & sensibilia collocare, ut tertias res quasdam: præter species autem & ea quæ apud nos sunt, tertius homo non est, neq; equus, præter ipsum ac singulos. B Quòd si non sunt, ut dicunt, de quibusnam ponendum est, Mathematicum agere? neque enim de iis, quæ hic sunt, cum nihil tale sit, quale mathematicæ scientiæ quærunt. Nec verò scientia ea quæ nunc quæritur, circa Mathematica versatur: nihil enim eorum separabile est. Sed nec substantiarum est sensibilium: sunt enim corruptioni obnoxiæ. Ac omnino d ambigere aliquis potest, cuiusnam scientiæ sit de materia rerum mathematicum dubitare. Neque enim est Physicæ, cum iis quæ in seipsis motus & quietis principium habent, totum Physici negotium versetur: C neque eius etiam quæ demonstrationem ipsam scientiamque tractat: quippe cùm eius cura in hoc ipso genere posita sit. Restat igitur ut propositæ Philosophiæ sit ea considerare. Quare porro aliquis, num ea scientia quam quærimus in iis principiis considerandis ponenda sit, quæ à quibusdam elementa vocantur: quæ quidem omnes in ipsis compositis inesse asserunt. At potius videri potest ea scientia, quæ à nobis quæritur, de universalibus agere: omnis enim ratio: omnisque scientia, universalium est, non eorum quæ sunt extrema. Erit igitur hoc pacto primorum generum. Fuerint autem hæc & ipsum ens, & ipsum unum. D Hæc enim maximè continere videntur ea omnia quæ sunt, principiisq; maximè esse similia, quòd natura prima sint. Etenim iis peremptis simul reliqua pereunt, quodlibet enim & ens est, & unum. Quatenus autem necesse est ut differentiæ iis participent: si quis illa genera esse ponat, cum nulla differentia sit generis particeps, ea ratione non videbitur oportere ut genera aut principia constituantur. Præterea si id quod simplicius est, potius est principium, quam quod minus

ναι

καὶ γένη, οὐκ ἀρχαί. ἔτι δ' εἰ μᾶλλον ἀρχὴ τὸ ἁπλούστερον τοῦ ἧττον τοιούτου. τὰ δ' ἔσχατα τῶν ἐκ τοῦ γένους ἁπλούστερα τῶν γενῶν. (ἄτομα γὰρ, τὰ γένη δ' εἰς εἴδη πλείω καὶ διαφέροντα διαιρεῖται) μᾶλλον ἂν ἀρχὴ δόξειεν εἶναι τὰ εἴδη τῶν γενῶν, ᾗ δὲ συναναιρεῖται τοῖς γένεσι τὰ εἴδη, τὰ γένη ταῖς ἀρχαῖς ἔοικε μᾶλλον. ἀρχὴ γὰρ τὸ συναναιροῦν. τὰ μὲν οὖν τὴν ἀπορίαν ἔχοντα, ταῦτα καὶ τοιαῦτ' ἐστὶν ἕτερα.

A *est tale: extrema verò ex iis quæ sunt in genere simpliciora sunt generibus (individua enim sunt, cum tamen genera in plures species differentesq; dividantur) species magis quàm genera principia esse videbuntur. Qua verò ratione species unà cum generibus auferuntur, genera principiis similiora sunt. Principium enim est quod secum tollit. Atq; hæc quidem sunt & huiusmodi, quæ dubitationem afferunt.*

EXPLANATIO CAPITIS PRIMI.

[a] *Sapientiam quidem.*

HAnc sententiam, quæ non de quibusvis principiis, sed de iis, quæ omnino prima sint, intelligenda est, in ipso cap. 2. primi libri explicitè tradidit Aristoteles, quod & toto reliquo libro confirmavit; itemq; primo & secundo quarti, & primo sexti.

[b] *Quærat autem aliquis.*

PRoponit in hoc cap. duodecim quæstiones de consideratione huius scientiæ, quas quæstiones fusiùs tradiderat libro tertio, cap. 2. & 3. tametsi non eisdem omnino verbis: quarum hæ primæ quatuor continentur c. 2. Solutio primæ, ut brevissimè dicamus, est sapientiam esse unam scientiam, eãdemque omnia considerare, etiam contraria, quatenus ad prima omnino principia revocantur. Eadem pene solutio est secundæ: Tertiæ verò, agere eam quidem de omnibus, de substantiis in genere, præcipue verò de separatis: Quartæ de omnibus agere quatenus entia sunt, sed præcipuè de substantiis, de iisque omnibus quatenus illa considerat, propria accidentia demonstrare.

[c] *Sed neque in causis.*

HAs item quatuor alias quæstiones eodem modo repetit C ex eodem cap. 2. libri tertii. Solutio autem primæ est, hanc scientiam agere de omnibus causarum generibus, quatenus eas inter se distinguit, singularumque genera definit, sibi autem soli retinet efficientes, & finales sine motu, maximè autem ultimum finem, qui etsi movet, non tamen movet motu physico. Secundæ solutio est, agere illam de substantiis, etiam sensibilibus, quatenus substãtiæ sunt, præcipuè tamen de iis quæ sensibiles non sunt, quære vera nec D ideæ sunt, nec Mathematica entia, sed aliæ etiam quædam naturæ longè diversæ ut ostendetur. Tertia & quarta, quę complicatæ sunt, hac ratione solvuntur; Mathematica quidem non esse re ipsa separata à rebus sensibilibus, sed sola consideratione; proinde cùm nec ideæ re vera separatæ ponendæ sint, opus non esse ut ponatur tertius homo quasi abstractus ab ideali homine, & singularibus, qui apud nos sunt: neque i-

tem dicendum esse, Mathematicum, A eo tractando versetur, sed pertinere aut Metaphysicum agere de quantitatibus separatis re ipsa à sensibilibus, sed sola consideratione, Metaphysicum quidem generatim, mathematicum speciatim.

[d] *Ac omnino ambigere.*

HÆ quatuor aliæ quæstiones quæ sequuntur, continentur libro item tertio cap. 3. Quarum primæ solutio est constituere subiectum Mathematicæ, ac docere quo pacto tractandum sit (hoc enim est de materia rerum Mathematicarum dubitare, neque ad Physicum, qui omnia cum motu considerat, pertinere, neque ad ipsum Mathematicum, qui demonstrationem ipsam tractat, hoc est demonstrationes ipsas Mathematicas conficit, cũ illud jam constitutum accipiat, ut in

ad Metaphysicum à quo constituitur, & Mathematico traditur. Itaque totum id quod concluditur, verum est. Secundæ solutio est, utrumque genus principiorum tractari à primo philosopho, non tamen omnia speciatim, sed generatim: potissimũ verò maximè universalia, & ea specialia quæ materiam non includunt. Tertia hoc modo dissolvitur; Etsi Metaphysicus agit de ente & uno, B non proinde necesse esse, ut ea sint genera aut alia propriè universalia, sed satis esse, si sint analoga. Quarta facilè dissolvitur, si dicatur, genera magis esse principia quàm species, quia simpliciora. Nam etsi plura cõtinent potentia, species tamen plura continent actu, cum ex generibus & differentiis componantur: genera nõ item ex speciebus & differentiis, quibus dividuntur.

C

Κεφάλαιον β'.

Ἔτι πότερον δεῖ τιθέναι τι παρὰ τὰ καθ' ἕκαστα, ἢ οὔ, ἀλλὰ τούτων ἡ ζητουμένη ἐπιστήμη; ἀλλὰ ταῦτα ἄπειρα. τά γε μὴν παρὰ τὰ καθ' ἕκαστα, γένη ἢ εἴδη ἐστίν. ἀλλ' οὐδετέρου τούτων ἡ ζητουμένη ἐπιστήμη. διότι γὰρ ἀδύνατον τοῦτο εἴρηται. καὶ γὰρ ὅλως ἀπορίαν ἔχει, πότερον δεῖ τινα ὑπολαβεῖν οὐσίαν εἶναι χωριστὴν παρὰ τὰς αἰσθητὰς οὐσίας καὶ τὰς δεῦρο, ἢ οὔ, ἀλλὰ ταῦτ' εἶναι τὰ ὄντα, καὶ περὶ ταῦτα τὴν σοφίαν ὑπάρχειν. ζητεῖν μὲν γὰρ ἐοίκαμεν ἄλλην τινά, καὶ τὸ προκείμενον τοῦτ' ἐστὶν ἡμῖν. λέγω δὲ τὸ ἰδεῖν εἴ τι χωριστὸν καθ' αὑτό, καὶ μηδενὶ τῶν αἰσθητῶν ὑπάρχον. ἔτι δ' εἰ παρὰ τὰς αἰσθητὰς οὐσίας ἐστὶν ἑτέρα οὐσία, παρὰ ποίας τῶν αἰσθητῶν δεῖ τιθέναι ταύτην εἶναι. τί γὰρ μᾶλλον παρὰ τοὺς ἀνθρώπους ἢ τοὺς ἵππους,

CAP. II.

VTrum[a] etiam aliquid ponere oporteat præter singularia necne, sed horum sit ea quæ nunc quæritur scientia. At hæc infinita sunt: ea verò quæ præter singularia sunt genera sunt aut species, verum neutrius horum est scientia, quam quærimus. Cur enim id fieri nequeat, dictum est. Etenim omnino dubium est, num existimandum sit, D substantiam aliquam, præter sensibiles, quæque apud nos sunt, esse separatam, annon, sed hæc esse ea quæ sunt, atque in his sapientiam versari: aliam enim videmur quærere, idque nobis propositum est, videre, inquam, sitne aliquid separatum per se, quodque in nulla rerum sensibilium existat. Præterea si alia quædam est substantia præter sensibiles, præter quas sensibus subiectas ea ponenda sit. Cur enim potius præter homines, quàm præter equos, aliave animalia, aut etiam omnino res inanimes, eam quis esse censeat? certè pares sensibi-

ἢ τῶν ἄλλων ζώων φησί τις αὐτὴν εἶναι, ἢ καὶ τῶν ἀψύχων ὅλως: τό γε μὴν ἴσως ταῖς αἰσθηταῖς καὶ φθαρταῖς οὐσίαις ἀϊδίους ἑτέρας κατασκευάζειν, ἐκτὸς τῶν εὐλόγων δόξειεν ἂν πίπτειν. εἰ δὲ μὴ χωριστὴ τῶν σωμάτων ἡ ζητουμένη νῦν ἐστιν ἀρχή, τίνα ἄν τις ἄλλην θείη μᾶλλον τῆς ὕλης; αὕτη γε μὴν ἐνεργείᾳ μὲν οὐκ ἔστι, δυνάμει δ' ἔστι. μᾶλλον τ' ἂν ἀρχὴ κυριωτέρα ταύτης δόξειεν εἶναι τὸ εἶδος καὶ ἡ μορφή. τοῦτο δὲ φθαρτόν. ὥστ' ὅλως οὐκ ἔστιν ἀΐδιος οὐσία χωριστὴ καὶ καθ' αὑτήν. ἀλλ' ἄτοπον, ἔοικε γὰρ καὶ ζητεῖται σχεδὸν ὑπὸ τῶν χαριεστάτων, ὡς οὖσά τις ἀρχὴ καὶ οὐσία τοιαύτη· πῶς γὰρ ἔσται τάξις μή τινος ὄντος ἀϊδίου καὶ χωριστοῦ καὶ μένοντος; b ἔτι δ' εἴπερ ἐστί τις οὐσία καὶ ἀρχὴ τοιαύτη τὴν φύσιν οἵαν νῦν ζητοῦμεν, καὶ αὕτη μία πάντων, καὶ ἡ αὐτὴ τῶν ἀϊδίων τε καὶ φθαρτῶν, ἀπορίαν ἔχει διὰ τί ποτε τῆς αὐτῆς ἀρχῆς οὔσης, τὰ μέν ἐστιν ἀΐδια τῶν ὑπὸ τὴν ἀρχήν, τὰ δ' οὐκ ἀΐδια. τοῦτο γὰρ τὸ ἄτοπον. εἰ δ' ἄλλη μέν ἐστιν ἀρχὴ τῶν φθαρτῶν, ἄλλη δὲ τῶν ἀϊδίων, εἰ μὲν ἀΐδιος καὶ ἡ τῶν φθαρτῶν, ὁμοίως ἀπορήσομεν. διὰ τί γὰρ οὐκ ἀϊδίου τῆς ἀρχῆς οὔσης, καὶ τὰ ὑπὸ τὴν ἀρχὴν ἀΐδια; φθαρτῆς δ' οὔσης, ἄλλη τις ἀρχὴ γίγνεται ταύτης, κἀκείνης ἑτέρα, καὶ τοῦτ' εἰς ἄπειρον πρόεισιν. εἰ δ' αὖ τις τὰς δοκούσας μάλιστα ἀρχὰς ἀκινήτους εἶναι, τό, τε ὂν καὶ τὸ ἓν θήσει, πρῶτον μὲν εἰ μὴ τόδε τι καὶ οὐσίαν ἑκάτερον αὐτῶν σημαίνει, πῶς ἔσονται χωρισταὶ καὶ καθ' αὑτάς; τοιαύτας δὲ ζητοῦμεν τὰς ἀϊδίους τε καὶ πρώτας ἀρχάς. εἴ γε μὴν τόδε τι καὶ οὐσίαν ἑκάτερον αὐτῶν δηλοῖ, πάντ' ἐστὶν οὐσία τὰ ὄντα. κατὰ πάντων γὰρ τὸ ὂν κατηγορεῖται, κατ' ἐνίων δὲ τὸ ἕν. οὐσίαν δ' εἶναι πάντα τὰ ὄντα, ψεῦδος. ἔτι δὲ τοῖς τὴν πρώτην ἀρχὴν τὸ ἓν λέγουσι, καὶ τοῦτο οὐσίαν, ἐκ δὲ τοῦ ἑνὸς καὶ τῆς ὕλης τὸν ἀριθμὸν γεννῶσι πρῶτον, καὶ τοῦτον οὐσίαν φάσκουσιν εἶναι, πῶς ἐνδέχεται τὸ λεγόμενον ἀληθὲς εἶναι; τὴν γὰρ δυάδα, καὶ τῶν λοιπῶν ἕκαστον ἀριθμὸν τῶν συνθέτων, πῶς ἓν δεῖ νοῆσαι; περὶ τούτου γὰρ οὔτε λέγουσιν οὐθὲν, οὔτε ῥᾴδιον εἰ-

A *sensibilibus corruptibilibusq́ substantiis, sempiternas alias constituere, in ea quæ à ratione aliena sunt, videbitur incurrere. Quòd si id principium, quod nunc quæritur, non est à corporibus separatum, quodnam aliud potius quàm materiam quisquam statuat? At hæc actu quidem non est, potentia verò est. Magis sanè quàm hæc principaliusque principium species ac forma esse videatur: verùm hæc caduca est: quo fit ut nulla omnino sit sempiterna substantia, quæ separatim ac per se existat: At hoc absurdum est: Videtur enim esse & quæritur ferè à probatissimis viris, quasi sit principium substantiaque eiusmodi. Quo e-* B *nim pacto ordo fuerit, nisi aliquid extet sempiternum, separatum, ac permanens?*

b *Tum etiam si qua substantia, principiumque natura tale est, quale nunc quærimus, atque hoc unum & idem sit omnium & eorum quæ perpetua sunt, & eorum quæ caduca: quæstio existit, quidnam causæ sit, cur eodem existente principio eorum quæ sub eo sunt, alia perpetua sint, alia non item. Hoc enim absurdum est. Quòd si aliud principium corruptibilium sit, aliud sempiternorum, si eorum etiam quæ intereunt, perpetuum sit, simi-* C *liter dubitabimus. Cur enim perpetuo existente principio, non etiam ea quæ sub principio sunt sempiterna sint? Sin autem corruptibile est, aliud quoddam eius principium existit, & huiusmodi aliud, idque in infinitum progreditur. Iam si quis ea principia quæ maximè immobilia esse videntur, ens, inquam, & unum constituat, primum quidem nisi hoc aliquid eorum utrumque significet, quo pacto ea separata ac per se erunt? talia enim quærimus perpetua primaq́ principia. Sin hoc aliquid atque substantiam utrumque declaret, omnia quæ sunt, utique substantiæ erunt, quippe cum de omnibus ens, de quibusdam* D *verò unum dicatur. Atqui falsum est entia omnia substantias esse.*

Græcè est, nisi hoc aliquid, & substantiam &c.

Præterea, iis qui unum ipsum primum principium esse dicunt, atq́ hoc substantiam esse, & ex eo ac materia primum numerum generant, huncq́ aiunt rerum esse substantiam, quonam pacto evenit, ut verum dicant? Qua enim ratione binarius & reliquorum quisq́ eorum numerorum, qui compositi sunt, unum aliquid intelligi debet? De hac enim re nec quidquam dicunt, nec facilè dici potest. Si

ἐνδέχεται, fieri potest.

ποιεῖν. εἴγε μὴν γραμμάς, ἢ τὰ τούτων ἐχόμενα (λέγω δὲ ἐπιφανείας τὰς πρώτας) θήσει τις ἀρχάς, ταῦτα δ' οὐκ εἰσὶν οὐσίαι χωρισταί, τομαὶ δὲ καὶ διαιρέσεις, αἱ μὲν ἐπιφανειῶν, αἱ δὲ σωμάτων, αἱ δὲ στιγμαὶ γραμμῶν. ἔτι δὲ πέρατα τῶν αὐτῶν τούτων. πάντα δὲ ταῦτα ἐν ἄλλοις ὑπάρχει, καὶ χωριστὸν οὐδέν ἐστιν. ἔτι πῶς οὐσίαν ὑπολαβεῖν εἶναι δεῖ τοῦ ἑνὸς καὶ στιγμῆς, οὐσίας μὲν γὰρ πάσης γένεσίς ἐστι, στιγμῆς δ' οὐκ ἔστι, διαίρεσις γὰρ ἡ στιγμή. παρέχει δ' ἀπορίαν καὶ τὸ, πᾶσαν μὲν ἐπιστήμην εἶναι τῶν καθόλου, καὶ τοῦ τοιουδί, τὴν δ' οὐσίαν μὴ τῶν καθόλου εἶναι, μᾶλλον δὲ τόδε τι καὶ χωριστόν. ὥστ' εἰ περὶ τὰς ἀρχάς ἐστιν ἐπιστήμη, πῶς δεῖ τὴν ἀρχὴν ὑπολαβεῖν οὐσίαν εἶναι, ἔτι πότερον ἔστι τι παρὰ τὸ σύνολον, ἢ οὔ, λέγω δὲ τὴν ὕλην, καὶ τὸ μετὰ ταύτης. εἰ μὲν γὰρ μὴ, τά γε ἐν ὕλῃ φθαρτὰ πάντα. εἰ δ' ἔστι τι, τὸ εἶδος ἂν εἴη καὶ ἡ μορφή. τοῦτο οὖν ἐπὶ τίνων ἐστὶ, καὶ ἐπὶ τίνων οὔ, χαλεπὸν ἀφορίσαι. ἐπ' ἐνίων γὰρ δῆλον οὐκ ὂν χωριστὸν τὸ εἶδος, οἷον οἰκίας. ἔτι πότερον αἱ ἀρχαὶ εἴδει ἢ ἀριθμῷ αἱ αὐταί, εἰ γὰρ ἀριθμῷ ἕν, πάντ' ἔσται ταὐτά.

quis verò lineas, aut quæ has sequuntur (primas inquam superficies) principia ponat, hæc quidem substantiæ separatæ non sunt, sed decisiones divisionesque aliæ superficierum, aliæ corporum, puncta verò linearum, ac insuper harum ipsarum extrema. At hæc omnia in aliis existunt, nihilque eorum est separabile. Deinde quo pacto quis unius ac puncti substantiam esse existimet? omnis enim substantiæ generatio est, puncti autem non est: Divisio enim est punctus.

Dubitationem quoque illud exhibet, Omnem quidem scientiam universalium esse, eiusque quod tale aliquid est, nec tamen substantiam ex universalibus esse, potiusque hoc aliquid esse ac separabile. Quare si scientia de principiis est, qua ratione existimandum est, principium esse substantiam?

*Illud etiam, sit ne aliquid præter totum ipsum an non, præter materiam, inquam, & id, quod cum illa est. Nam si non est, omnia quæ in materia sunt, corruptioni sunt obnoxia: Sin autem est aliquid, species utique ac forma erit. At hoc in quibus sit, in quibus non sit difficile est definire: in quibusdam enim palam est speciem non esse separabilem.**

** Codex Græcus addit, quemadmodum in domo.*

Adhæc, sint ne principia specie an numero eodem: si enim numero. omnia eadem erunt.*

** Addit hic item unum.*

EXPLANATIO CAPITIS SECUNDI.

** Utrùm etiam.*

ADdit hoc capite decem alias quæstiones pertinentes ad ea quæ in hac scientia tractantur: sic enim eas D. Thomas hoc loco distinguit ab iis quæ in superiori capite propositæ sunt, ac primum proponit quatuor de substantiis, deinde sex de principiis, quæ omnes fusius item disputatæ continentur lib. 3, fermè tribus extremis capitibus. Prima de substantiis hunc in modum solvitur, non esse quidem in rerum natura quicquam, quod non singulare revera sit: sed tamen de iis omnibus disputari posse ratione naturarum universalium, quæ non seorsim sed in eis existunt. Secunda Esse revera quoddam genus substantiarum præter sensibiles, earumque unam præcipuè quæri in hac scientia non tamen ullam earum esse talem, qualis à Platone ponitur. Tertia, non esse ponendas substantias separatas pares numero, multitudinibus individuorum similium

um in specie, quasi eorum exemplaria: sed modo alio. Quarta, nec materiam, nec formam inhærentem esse substantiam illam sempiternam, quæ præcipuè quæritur, quia materia est pura potentia, forma verò inhærens pendensque ex materia, non est perpetua: sed esse formam per se subsistentem, à quo genere formarum, potissimum verò à prima, pendet ordo huius universi, qui usque adeò concinnus est sapienterque constitutus, ut in æternum esse posset. Quod genus substantiarum à probatissimis Philosophis ferè omnibus cognitum ac traditum est.

[b] *Tum etiam si qua.*

PRima sequentium quæstionum de principiis hoc pacto solvitur: Omnium quidem rerum & corruptibilium & earum quę perpetuæ sunt, unum & idem esse principium, idque perpetuum: sed tamen, quia non omnia illi æquè propinqua sunt, & ex æquo eius virtute ac perfectione participant, ex reliquis omnibus quæ ab illo pédent, alia esse perpetua, alia caduca: atque hæc ex materia quæ potentia contradictionis est, id habere ut sint caduca. Secunda hoc modo: Prima principia, quæ sunt primæ omnium rerum causæ, non esse ens & unum, & primum efficiens, finem, & exemplar rerum omnium, atque hæc convenire in solum Deum, qui maximè est hoc aliquid; ens autem & unum non dici prima principia ut causas, sed ut communissima prędicata, quę quatenus talia sunt, non sunt substantiæ, nec hoc aliquid, sed communia prædicata. Tertia, hac ratione solvitur, Mathematica principia quę ponuntur, nempe unitatem numerorum, & punctum, lineam, & superficiem corporum, non posse esse principia substantiarum. Unitatem, quia multiplicata non potest facere unum per se: punctum verò, quod fluxu suo fingitur procreare lineam, & hanc quæ superficiem, & hanc etiam quæ corpus quia non sunt substantiæ, ut possint constituere substantias, sed termini quidam in extremitatibus: divisiones verò seu potentiales termini, qui in mediis quantitatibus ex divisione possunt emergere, quæ eadem substantiis jam constitutis accidunt. Quo loco illud [primas, inquam, superficies] hunc sensum habet [superficies, inquam quæ primo sive proximè ex linearum fluxu finguntur generari.] Illud verò [substantiæ separatæ] idem hoc loco valet ac verè substantiæ, seu per se existentes: nam alioqui substantiæ nomen sæpe sumitur pro qualibet essentia, etiam unitatis, puncti, & cuiuslibet quantitatis continuæ, seu principium illa sit seu ex principiis constet: Satis enim patet nec unitatem nec punctum esse substantias quod & Aristoteles probat in puncto. Quarta quæstio hunc in modum solvitur: scientiam quidem omnem esse universalium, quorum quodlibet non est hoc aliquid, sed tale aliquid in uno quale in alio, sed tamen nihil prohibere quominus quædam earum de substantiis agant, neque etiam quominus substantiarum, de quibus agunt, dentur principia singularia, si & ipsæ ut singulares sumantur, quo pacto iam principia substantiarum erunt hæc aliqua, & non talia aliqua in uno qualia in alio. Quo loco adverte universalia aliquando dici qualia quædam, ut in prædicamentis, capite de substantia, aliquando talia quædam ut hoc loco, quia qualia sunt in uno

particulari, talia aut quasi talia sunt A ipsa seiuncta, sed ratione sola, non in alio. Dico autem [quasi talia] ut analoga comprehendam, quæ etiam hoc loco nomine universalium intelliguntur. Illud etiam adverte, Aristotelẽ vocare hoc loco separabile, id quod per se existit, quod est substantiarum proprium, etiamsi non sit separabile à materia & qualitatibus sensibilibus. Quintæ quæstionis solutio est: Aliquod principium sive causam esse quippiam seiunctum re ipsa & à materia particulari & à materia communi, ut est quælibet B earum substantiarum quas dicimus separatas, eam verò substantiam quæ cum materia particulari, seu potius in materia particulari constituit individua sensibilia, quæ hic dicuntur tota ipsa, seu simul tota, non esse re-

tamen proinde omnia singularia sensibilia esse corruptibilia, quia nõ in omnibus est materia, quæ sit potentia contradictionis, ut dictum iã est. Sexta solvitur hoc pacto: principia externa, si prima omnino intelligantur, in unum quidem numero convenire, nempe in Deum, ut iam dictum est; interna vero non esse unum numero, sed analogia unum, utpote materiam, formam, & privationem, quæ quæstio iterum repetetur ac fusè tractabitur lib 12. tametsi privatio non est principium internum, nisi nomine interni intelligatur (ut intelligendum est) id quod nõ est externum, sed aut constituens aut inhærens.

Κεφάλαιον. γ'.

C Ἐπεὶ δ' ἐστὶν ἡ τοῦ φιλοσόφου ἐπιστήμη τοῦ ὄντος ᾗ ὂν, καθόλου, καὶ οὐ κατὰ μέρος. τὸ δ' ὂν πολλαχῶς, καὶ οὐ καθ' ἕνα λέγεται τρόπον, εἰ μὲν ὁμωνύμως, κατὰ δὲ κοινὸν μηδέν, οὐκ ἔστιν ὑπὸ μίαν ἐπιστήμην. οὐ γὰρ ἂν ἓν γένος τῶν τοιούτων, εἰ δὲ κατά τι κοινόν, εἴη ἂν ὑπὸ μίαν ἐπιστήμην. ἔοικε δὴ τὸν εἰρημένον λέγεσθαι τρόπον, καθάπερ τό, τε ἰατρικὸν καὶ τὸ ὑγιεινόν, καὶ γὰρ τούτων ἑκάτερον πολλαχῶς λεγόμενον. λέγεται δὲ τοῦτον τὸν τρόπον ἕκαστον. τῷ τὸ μὲν πρὸς ἰατρικὴν ἀνάγεσθαί πως, D τὸ δὲ πρὸς ὑγίειαν, τὸ δ' ἄλλως, πρὸς ταὐτὸ δ' ἕκαστον. ἰατρικὸς γὰρ λόγος καὶ μαχαίριον λέγεται, τῷ τὸ μὲν ἀπὸ τῆς ἰατρικῆς ἐπιστήμης εἶναι, τὸ δὲ ταύτῃ χρήσιμον. ὁμοίως δὲ καὶ ὑγιεινόν. τὸ μὲν γὰρ ὅτι σημαντικὸν ὑγιείας, τὸ δ' ὅτι ποιητικόν. ὁ δ' αὐτὸς τρόπος καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν. τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον καὶ τὸ ὂν ἅπαν λέγεται. τῷ γὰρ τοῦ ὄντος ᾗ ὂν, πάθος ἢ ἕξις, ἢ διάθεσις, ἢ κίνησις, ἢ τῶν ἄλλων τι τῶν τοιούτων εἶναι, λέγεται

CAPUT III.

C Cum autem Philosophi scientia sit entis, quatenus ens est, idque universè, non ex parte: ens autem multipliciter non uno modo dicatur, si æquè voce quidem, nec ratione ulla communi: non utique sub unam scientiam cadet. Neque enim talium unum est genus. Si verò communi ratione, cadet utiq; sub unam scientiam. Ac videtur sanè hoc ipso modo dici, quemadmodum & medicum & sanum: horum enim utrumque pluribus modis dicitur. Unumquodq; autem hoc pacto dicitur, eo quòd aliud modo alio ad artem medicam, aliud ad sanitatem referatur, aliud verò modo alio, ad idem tamen eo- D rum quodque. Medica enim ratio culterq; idcirco dicuntur, quòd illa à medendi scientia sit profecta, hic verò quod illi sit utilis. Eodemque modo sanum, aliud quidem quòd sanitatem significet: aliud verò quod efficiat, eodemque modo res habet in cæteris. Itaque hoc eodem modo omnia dicuntur entia. Ea enim ratione eorum quodq; ens dicitur, quòd entis quatenus ens est, aut affectio, aut dispositio, aut motus sit, aliquidve aliorum talium.

æquivocè.

μαχαίριον id est cultellum.

λέγεται dicuntur.

b Quo-

ἕκαστον αὐτῶν ὄν. [b] ἐπεὶ δὲ παντὸς τοῦ ὄντος A πρὸς ἕν τι καὶ κοινὸν, ἡ ἀναγωγὴ γίγνεται. καὶ τῶν ἐναντιώσεων ἑκάστη πρὸς τὰς πρώτας διαφορὰς, καὶ τὰς ἐναντιώσεις ἀναχθήσεται τοῦ ὄντος, εἴτε πλῆθος καὶ ἓν, εἴθ' ὁμοιότης καὶ ἀνομοιότης, αἱ πρῶται τοῦ ὄντος εἰσὶ διαφοραὶ, εἴτ' ἄλλαι τινές. [c] ἔστωσαν γὰρ αὗται τεθεωρημέναι. [d] διαφέρει δ' οὐδὲν τὴν τοῦ ὄντος ἀναγωγὴν πρὸς τὸ ὂν, ἢ πρὸς τὸ ἓν γίγνεσθαι. καὶ γὰρ εἰ μὴ ταὐτὸν, ἄλλο δ' ἐστὶν, ἀντιστρέφει γε. τό, τε γὰρ ἓν καὶ ὄν πως, τό, τε ὂν ἕν. [e] ἐπεὶ δ' ἐστὶ τὰ ἐναντία πάντα τῆς αὐτῆς καὶ μιᾶς ἐπιστήμης θεωρῆσαι, B λέγεται δ' ἕκαστον αὐτῶν κατὰ στέρησιν, καίτοι γ' ἔνια, ἀπορήσειε τις ἂν, πῶς λέγεται κατὰ στέρησιν, ὧν ἐστιν ἀνὰ μέσον τι, καθάπερ ἀδίκου καὶ δικαίου. περὶ πάντα δὴ τὰ τοιαῦτα τὴν στέρησιν δεῖ τιθέναι, μὴ τοῦ ὅλου λόγου, τοῦ τελευταίου δὲ εἴδους. οἷον εἰ ἔστιν ὁ δίκαιος καθ' ἕξιν τινὰ πειθαρχικὸς τοῖς νόμοις, οὐ πάντως ἄδικος ἔσται τοῦ ὅλου στερόμενος λόγου. περὶ δὲ τὸ πείθεσθαι τοῖς νόμοις ἐλλείπων πῇ, καὶ ταύτῃ ἡ στέρησις ὑπάρξει αὐτῷ. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. [f] καθάπερ δ' ὁ μαθηματικὸς C περὶ τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως τὴν θεωρίαν ποιεῖται. (περιελὼν γὰρ πάντα τὰ αἰσθητὰ θεωρεῖ. οἷον βάρος καὶ κουφότητα, καὶ σκληρότητα, καὶ τοὐναντίον ἔτι δὲ καὶ θερμότητα, καὶ ψυχρότητα, καὶ τὰς ἄλλας αἰσθητὰς ἐναντιώσεις) μόνον δὲ καταλείπει τὸ ποσὸν καὶ συνεχὲς, τῶν μὲν ἐφ' ἓν, τῶν δὲ ἐπὶ δύο, τῶν δ' ἐπὶ τρία, καὶ τὰ πάθη τὰ τούτων ᾗ ποσά ἐστι καὶ συνεχῆ, καὶ οὐ καθ' ἕτερόν τι θεωρεῖ. καὶ τῶν μὲν τὰς πρὸς ἄλληλα φύσεις καὶ θέσεις σκοπεῖ, καὶ τὰ ταύταις ὑπάρχοντα. τῶν δὲ τὰς συμμετρίας καὶ ἀσυμμετρίας, D τῶν δὲ τοὺς λόγους. ἀλλ' ὅμως μίαν πάντων καὶ τὴν αὐτὴν τίθεμεν ἐπιστήμην τὴν γεωμετρικὴν, τὸν αὐτὸν τρόπον ἔχει καὶ περὶ τὸ ὄν. [g] τὰ γὰρ τούτῳ συμβεβηκότα, καθ' ὅσον ἐστὶν ὄν, καὶ τὰς ἐναντιώσεις αὐτοῦ ᾗ ὄν, οὐκ ἄλλης ἐπιστήμης ἢ φιλοσοφίας θεωρῆσαι. τῇ φυσικῇ μὲν γὰρ οὐχ ᾗ ὄντα, μᾶλλον δ' ᾗ κινήσεως μετέχει, τὴν θεωρίαν τις ἀπονείμειεν ἄν. ἡ γε μὴν διαλεκτικὴ καὶ ἡ σοφιστικὴ, τῶν συμβεβηκότων μέν εἰσι τοῖς οὖσιν, οὐχ ᾗ δ' ὄντα, οὐδὲ περὶ τὸ ὂν αὐτὸ, καθ' ὅσον ὄν ἐστιν. ὥστε

λείπεται

[b] *Quoniam verò omne ens ad unum aliquid communeque revocatur: una quaeque etiam contrarietatum ad primas differentias contrarietatesque entis reducetur, sive multitudo & unum, sive similitudo, & dissimilitudo primae entis differentiae sint, sive aliae quaedam. Sint* [c] *enim hae consideratione perceptae. Nihil autem interest ad ens* [d] *ne an ad unum fiat revocatio. Nam si non idem sunt, sed aliud ac aliud, reciprocatur tamen: etenim & unum modo quodam est ens, & ens unum.*

[e] *Iam verò cùm unius & eiusdem scientiae sit contraria omnia contemplari, & eorum quodque ex privatione dicatur (tamets i quaerat aliquis quonam pacto ex privatione dicantur nonnulla inter quae aliquid interiectum est medium, ut inter iustum & iniustum) in huiusmodi quidem omnibus haud totius quidem rationis sed ultimae formae ponenda privatio est. Ut si iustus est qui habitu quodam legibus paret, non universè iniustus tota erit ratione privatus: sed quatenus aliqua ex parte in obtemperando legibus deficit, eatenus ei privatio conveniet. Atque eodem modo res habet in caeteris.*

[f] *Ut autem Mathematicus ea considerat quae ex abstractione relinquuntur (circumscriptis enim omnibus sensibilibus, veluti gravitate, levitate, duritie, & eius contrario, calore item, frigore, & aliis sensibilibus contrarietatibus, ea contemplatur) solumque relinquit quantum atque continuum, aliorum quidem ad unum, aliorum ad duo, aliorum ad tria, & eorum quatenus quanta & continua sunt affectiones, non alia ratione considerat, aliorumque inter ipsa naturas, ac dispositiones, eaque quae in eis insunt, aliorum autem commensurationes, & incommensurationes, aliorum denique rationes: tamen unam & eandem omnium scientiam Geometricam facimus: eodem quoque modo se res habet in ente. Nam* [g] *quae huic accidunt, quatenus ens est, eiusque ut ens est contrarietates alia nulla scientia quàm Philosophia contemplatur. Physicae enim eorum considerationem, non ut entia sunt, sed potius qua ratione motum participant, aliquis tribuat. Dialectica verò & Sophistica in iis quae entibus, non quatenus entia sunt, accidunt, neque in ipso ente quatenus ens est, versatur. Ita*

λείπεται τὸν φιλόσοφον καθ' ὅσον ὄντα ἐστὶν, εἶναι περὶ τὰ λεχθέντα θεωρητικόν. [h] ἐπεὶ δὲ τό,τε ὂν ἅπαν καθ' ἕν τι καὶ κοινὸν λέγεται πολλαχῶς λεγόμενον, καὶ τὰ ἐναντία τὸν αὐτὸν τρόπον (εἰς τὰς πρώτας γὰρ ἐναντιώσεις καὶ διαφορὰς τοῦ ὄντος ἀνάγεται) τὰ δὲ τοιαῦτα δυνατὸν ὑπὸ μίαν ἐπιστήμην εἶναι, διαλύοιτ' ἂν ἡ κατ' ἀρχὰς ἀπορία λεχθεῖσα, λέγω δ' ἐν ᾗ διηπορεῖτο, πῶς ἔσται πολλῶν καὶ διαφόρων ὄντων τῷ γένει, μία τις ἐπιστήμη. Ἐπεὶ δὲ ὁ μαθηματικὸς χρῆται τοῖς κοινοῖς ἰδίως, καὶ τὰς τούτων ἀρχὰς ἂν εἴη θεωρῆσαι τῆς πρώτης φιλοσοφίας. ὅτι γὰρ ἀπὸ τῶν ἴσων ἀφαιρεθέντων ἴσα τὰ λειπόμενα, κοινὸν μέν ἐστιν ἐπὶ πάντων τῶν ποσῶν. ἡ μαθηματικὴ δ' ἀπολαβοῦσα περὶ τι μέρος τῆς οἰκείας ὕλης. ποιεῖται τὴν θεωρίαν. οἷον περὶ γραμμὰς, ἢ γωνίας ἢ ἀριθμοὺς, ἢ τῶν λοιπῶν τι ποσῶν, οὐχ ᾗ δ' ὄντα, ἀλλ' ᾗ συνεχὲς αὐτῶν ἕκαστον ἐφ' ἓν ἢ δύο ἢ τρία. ἡ δὲ φιλοσοφία περὶ τῶν ἐν μέρει μὲν, ᾗ τούτων ἑκάστῳ τι συμβέβηκεν, οὐ σκοπεῖ περὶ τὸ ὂν δ' ᾗ ὄν, τῶν τοιούτων ἕκαστον θεωρεῖ. τὸν αὐτὸν δ' ἔχει τρόπον καὶ περὶ τὴν φυσικὴν ἐπιστήμην τῇ μαθηματικῇ. τὰ συμβεβηκότα γὰρ ἡ φυσικὴ καὶ τὰς ἀρχὰς θεωρεῖ, τὰς τῶν ὄντων ᾗ κινούμενα, καὶ οὐχ ᾗ ὄντα τὴν δὲ πρώτην εἰρήκαμεν ἐπιστήμην τούτων εἶναι, καθ' ὅσον ὄντα τὰ ὑποκείμενα ἐστὶν, ἀλλ' οὐχ ᾗ ἕτερόν τι. διὸ καὶ ταύτην καὶ τὴν μαθηματικὴν ἐπιστήμην μέρη τῆς σοφίας εἶναι θετέον.

A relinquitur, Philosophum, ea quae dicta sunt qua ratione sunt entia, contemplari. Cum [h] igitur omne ens unius cuiusdam communisque ratione multis modis dicatur, eodemque modo se habeant contraria (ad primas enim contrarietates, & differentias entis revocantur) quae autem huiusmodi sunt, sub unam scientiam cadere possunt facile quis eam quae initio proposita est, dubitationem dissolvat, eam, inquam, qua quaerebatur, quonam pacto multorum eorum, genereque differentium una aliqua scientia esset.

[i] Quoniam verò Mathematicus iis quae communia sunt sibi accommodatis utitur: horum quoque principia Primae Philosophiae erit considerare. B Nam illud, si ab aequalibus aequalia demantur, aequalia fore reliqua, commune quidem est in omnibus quantitatibus: Mathematica verò eo sumpto in aliqua propria materiae parte eas suas contemplatur, veluti in lineis, aut angulis, aut numeris, aliquave caeterarum quantitatum, non tamen quatenus entia sunt, sed quatenus eorum quodque ad unum, aut duo, aut tria continuum est. At Philosophia particularia quidem quatenus cuique aliquid accidit, haud considerat, in ente autem, qua ratione ens est, unumquodque talium contemplatur. C Eodem verò modo se habet Physica scientia quo Mathematica. Accidentia enim & principia rerum quatenus moventur, non quatenus entia sunt, considerat, nos autem primam scientiam de his agere diximus, quatenus ea sunt entia, non quatenus quicquam aliud. Quapropter & haec, & Mathematica scientia, in partibus sapientiae ponendae sunt.

EXPLANATIO CAPITIS TERTII.

[a] *Cum autem Philosophi scientia.*

PRopositis dubitationibus, quae ambiguum videntur facere, sitne scientia haec superior Physica & Mathematica quae sunt duo reliqua genera contemplantium; his quatuor sequentibus capitibus ea repetit ex quarto libro & initio sexti, quae eius distinctionem ab illis aliisque omnibus, eiusque excellentiam inter omnes ostendunt. Primumque hoc ipso tradit, ad eam spectare considerationem de omnibus entibus, eorumque, quatenus entia sunt, communibus affectionibus, deque primis

primis omnium demonstrationum principiis neque obstare, quòd ens non sit univocum aliquid, quod omnium genus esse possit; cum satis sit, si non sit æquivocum sed analogum quippiam, propter variam proportionalem tamen habitudinem accidentium omnium ad substantiam de qua præcipuè disputat. Quæ omnia fermè perspicuè traduntur. Atque hæc fusiùs tribus primis capitibus libri quarti continentur.

[b] *Quoniam verò omne.*

VT docuit, omnia entia ad unũ primum commune genus revocari, quod est substantia: ita nunc docet, omnes contrarietates revocari ad unam primam contrarietatem, quæcumque illa sit. Est autem substantia commune quid omnibus entibus, non prædicatione, sed partim prædicatione, partim attributione.

[c] *Sint enim hæ.*

QUasi dicat constituatur enim à Primo Philosopho, quænam sint prima contraria, quod factum est libro decimo. cap. 7. cùm dictum est primam contrarietatem esse habitum & privationem, quod præcipuè intelligitur in prædicamento substantiæ.

[d] *Ad ens ne.*

INtellige ad ens per se existens an ad unum per se existens. Nam & hæc reciprocantur, ut ens & unum in commune.

[e] *Iam verò cum.*

QUia ad scientiam hanc pertinet contemplatio omnium contrariorum, quatenus cõtraria sunt, (in omnibus enim scientiis de aliquibus contrariis agitur, quæ proinde, quatenus contraria sunt, in nulla alia tractari possunt) excitat dubium hoc: Quid causæ sit, cur contraria multa habeant medium, ut iustum esse & iniustum
B (datur enim aliquis qui nec planè iustus sit, nec adeò male affectus, ut possit dici iniustus) & tamen dici soleat dictumque sit libro superiori, omnia contraria participare habitum & privationem, inter quæ videtur non esse medium, ut inter videntem & cæcum. Cui dubitationi respondet, unum contrarium (positivum intellige) non semper includere, coniunctamve habere ultimam sive totalem privationem alte-
C rius, sed aliqua ex parte. Nam etsi iustus non dicitur, nisi qui habitum integrum habet parendi legibus: nõ necesse est tamen, ut qui caret huiusmodi integro habitu, sit omnino iniustus, sive obedientia legum privatus. Is igitur medius inter iustum & omnino iniustum, qui nec integrum habeat habitum obedientiæ legalis, neque eo penitus privatus sit, & tamen privatio obedientiæ sive iustitiæ legalis erit in utroque,
D tam qui omnino inobediens est, quam qui ex parte, quamquam hic aliquando iniusti seu inobedientis nomine haud appelletur.

[f] *Vt autem Mathematicus.*

EXemplo Geometriæ ostendit, ad unam aliquam scientiam spectare considerationem de omnibus entibus, quatenus entia sunt, eamque nullam esse aliam, quã eam quæ in his libris quæritur. Nam

ut Geometria detractis omnibus qualitatibus sensibilibus rerum naturalium, earum nudas quantitates continuas, sive unius dimensionis, sive duarum, sive trium, contemplatur, earumque proprias affectiones considerat: ita aliqua scientia esse debet, quæ detractis iis omnibus quæ subiectis particularium scientiarum conveniunt, ea quæ omnibus communia sunt, nec proinde à particularibus artificibus tractantur, communia illa easque affectiones, quæ illis, quatenus talia sunt, consideret, cuiusmodi sunt ens, quatenus est ens, eiusque proprietates, & si quæ sunt alia minus communi genera, eorumque affectiones, quæ particularibus scientiis sint communia.

A

B

g Nam quæ huic accidunt.

EAm scientiam nullam aliam esse posse nisi primam Philosophiam, ea ratione ostendit, quia ad nullam aliam videtur spectare consideratio illorum communium, nisi fortè ad Physicam, quæ à veteribus Physicis credebatur esse maximè universalis scientia: aut certè Dialectica, eáve quæ facto sapientiæ nomine se venditat, & Sophistice dicitur, quæ de omnibus disputant, cùm tamen Physica nihil consideret nisi quatenus mobile aut ad motum accommodatum, relictis iis omnib. quæ aut considerantur sine motu, ut sunt Mathematica, aut etiam sine motu existunt, de quibus agetur libro duodecimo. Dialectica verò & Sophistice non agant de rebus ipsis quatenus res sunt, sed (quod subaudiendum est) de modo disserendi de rebus, illa ad veritatem, hæc ad ostétationem.

C

D

Quo loco si coniungas hæc, quæ videntur repugnantia, nempe Dialecticam agere de rebus omnibus, quod Aristoteles simpliciter confessus est libro 4. cap. 2. Eademque nõ agere de rebus ipsis, quatenus res sunt, ut hoc loco dicitur; intelliges ibi sermonem esse de Dialectica ut in omnibus rebus utitur suis præceptis ad probabiliter disserendum: hic autem de eadem ut demonstrativè tradit omnes disserendi modos, quorum demonstrativis una quæque aliarum scientiarum utitur in propria materia; probabilibus autem ipsa utitur in omnibus.

h Cum igitur unius.

EPilogus est in quo ea quæ dicta sunt, accommodat ad solutionem primæ quæstionis ad initium primi capitis propositæ.

i Quoniam verò Mathematicus.

DOcet hoc loco ad hanc scientiam spectare prima principia maximè generalia omnium demonstrationum considerare. Quod exéplo Mathematicæ ac Physicæ probat. Nam Mathematica non utitur principio illo generali, si ab æqualibus æqualia demantur, &c. nisi accommodatè ad materiam, de qua agit, ut in Geometria ad magnitudines, in Arithmetica ad numeros; neque enim quantitas ut quantitas est, ab ullo Mathematico tractatur, sed ab alio, ut continua est: ab alio, ut discreta. Physicus item non considerat accidentia sensibilia, quatenus accidentia sunt in commune, sed quatenus sensibilia. Eodemque modo nec principia ad Physicas demonstrationes assumit, ut accidentia, quatenus accidentia sunt, de rebus

bus naturalibus demonstret, sed quatenus sensibilibus accommodantur. Unde relinquitur, principia communissima ad solam primam Philosophiam spectare. Ex his autem colligit Aristoteles Physicam & Mathematicam esse partes sapientię, hoc est primæ philosophiæ; quod non est intelligendum de integrantibus aut subjectivis, quasi prima philosophia ex his aut aliis scientiis integretur, aut de omnibus specia- A libus scientiis, quasi genus de speciebus prædicetur: Sed accipiendum est nomen partium pro partibus quasi potentialibus, quæ ab illa manant, quemadmodum & cæteræ scientiæ; tametsi non omnes Philosophiæ nomen ab ea participant, sed earum quædam, aliæ verò interdum in partibus Philosophiæ comprehēduntur, interdum non item, ut diximus ad cap. 2. libri 2.

B

Κεφάλαιον δʹ.

Ἔστι δέ τις ἐν τοῖς οὖσιν ἀρχή, περὶ ἣν οὐκ ἔσται διεψεύδεσθαι, τοὐναντίον δὲ ἀναγκαῖον ἀεὶ ποιεῖν. λέγω δὲ ἀληθεύειν. οἷον ὅτι οὐκ ἐνδέχεται τὸ αὐτὸ καθ' ἕνα τὸν αὐτὸν χρόνον εἶναι καὶ μὴ εἶναι, καὶ τἆλλα τὰ τοῦτον αὐτοῖς ἀντικείμενα τὸν τρόπον. b καὶ περὶ τῶν τοιούτων, ἁπλῶς μὲν οὐκ ἔστιν ἀπόδειξις, πρὸς τόνδε δ' ἔστιν. οὐ γὰρ ἔστιν ἐκ πιστοτέρας ἀρχῆς αὐτοῦ τούτου ποιήσασθαι τὸν συλλογισμὸν δεῖ δέ γε, εἴπερ ἐστὶ τὸ ἁπλῶς ἀποδεδεῖχθαι. πρὸς δὲ τὸν λέγοντα τὰς ἀντικειμένας φάσεις, τῷ δεικνύντι διότι ψεῦδος, ληπτέον τι τοιοῦτον, ὃ ταὐτὸ μὲν ἔσται τῷ μὴ ἐνδέχεσθαι ταὐτὸ εἶναι, καὶ μὴ εἶναι, καθ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν χρόνον. μὴ δόξει δ' εἶναι ταὐτόν. οὕτω γὰρ μόνος ἂν ἀποδειχθείη πρὸς τὸν φάσκοντα ἐνδέχεσθαι τὰς ἀντικειμένας φάσεις ἀληθεύεσθαι, κατὰ τοῦ αὐτοῦ. c τοὺς δὲ μέλλοντας ἀλλήλοις λόγου κοινωνήσειν, δεῖ τι συνιέναι αὐτῶν. μὴ γιγνομένου γὰρ τούτου, πῶς ἔσται κοινωνία τούτοις πρὸς ἀλλήλους λόγου: δεῖ τοίνυν τῶν ὀνομάτων ἕκαστον εἶναι γνώριμον, καὶ δηλοῦν ἕν τι καὶ μὴ πολλά, μόνον δὲ ἕν. κἂν πλείονα σημαίνῃ, φανερὸν ποιεῖν ἐφ' ὃ φέρει τοὔνομα τούτων. ὁ δὴ λέγων εἶναι τοῦτο, καὶ μὴ εἶναι, τοῦτο ὃ ὅλως εἶναί φησιν, οὔ φησιν, ὥσθ' ὃ σημαίνει τοὔνομα, τοῦτο οὔ φησι σημαίνειν. τοῦτο δ' ἀδύνατον. ὡς εἴπερ σημαίνει τὶ τὸ εἶναι τόδε, τὴν ἀντί-

CAP. IV.

Est autem aliquod in entibus principium, in quo fieri non potest, ut quisquam fallatur, cum potius semper contrarium faciendum sit, hoc est, illud pro verò habendum, quale est illud, Non contingere ut idem uno & eodem tempore sit & non sit, & cætera quæ eodem modo atque hæc sunt opposita. Ac de b *talibus absolutè quidem demonstratio non est, ad hunc autem est. Neque enim ex digniori principio cui credatur, eius ratiocinatio fieri potest, cum tamen sit necesse, si* C *absolutè demonstrandum est. Ad eum verò qui oppositas enunciationes admittat, is qui ratione aliqua falsum id esse ostensurus est, tale quid sumere debet, quod idem sit quidem atque illud non posse inquam, unum eodemque tempore idem esse ac non esse: nec tamen idem esse videatur. Hoc enim modo tantum fieri demonstratio potest ad eum qui oppositas enuntiationes de eadem re veras esse posse asserit.*

Qui igitur c *sermonem inter se collaturi sunt, ii in re aliqua alii alios intelligant oportet.* D *Hoc enim nisi fiat, quonam pacto erit inter eos sermonis communicatio? Opus est igitur ut singula verba nota sint, & aliquid significent, nec plura, sed unum tantùm, Quod si plura significent, exponere oportet ad quodnam eorum nomen ducant. Itaq. qui hoc dicit esse & non esse, hoc quod omnino esse dicit, non esse dicit: quare id quod nomen significat, id non significare dicit: quod fieri nequit. Ita fit ut si quippiam hoc esse significat, impossibi-*

φασιν ἀληθεύειν ἀδύνατον κατὰ τοῦ αὐτοῦ. ἔτι δ᾽ εἴ τι σημαίνει τοὔνομα, καὶ τοῦτ᾽ ἀληθεύεται, δεῖ καὶ τοῦτ᾽ ἐξ ἀνάγκης εἶναι. τὸ δ᾽ ἐξ ἀνάγκης ὄν, οὐκ ἐνδέχεται ποτὲ μὴ εἶναι. τὰς ἀντικειμένας ἄρα οὐκ ἐνδέχεται φάσεις καὶ ἀποφάσεις ἀληθεύειν κατὰ τοῦ αὐτοῦ. ἔτι δ᾽ εἰ μηθὲν μᾶλλον ἡ φάσις ἢ ἀπόφασις ἀληθεύεται, ὁ λέγων ἄνθρωπον ἢ οὐκ ἄνθρωπον, οὐδὲν μᾶλλον ἀληθεύσει. δόξειε δὲ κἂν οὐχ ἵππον εἶναι φάσκων τὸν ἄνθρωπον, ἢ μᾶλλον ἢ οὐχ ἧττον ἀληθεύειν, ἢ οὐκ ἄνθρωπον· ὥστε καὶ ἵππον φάσκων εἶναι τὸν αὐτὸν ἀληθεύσει. B τὰς γὰρ ἀντικειμένας ὁμοίως ἦν ἀληθεύειν. συμβαίνει τοίνυν τὸν αὐτὸν ἄνθρωπον εἶναι καὶ ἵππον, ἢ τῶν ἄλλων τι ζώων. ἀπόδειξις μὲν οὖν οὐδεμία τούτων ἐστὶν ἁπλῶς, πρὸς μέντοι τὸν ταῦτα τιθέμενον ἀπόδειξις. ἃ ταχέως δ᾽ ἄν τις καὶ αὐτὸν τὸν Ἡράκλειτον τοῦτον ἐρωτήσας τὸν τρόπον, ἠνάγκασεν ὁμολογεῖν μηδέποτε τὰς ἀντικειμένας φάσεις δυνατὸν εἶναι κατὰ τῶν αὐτῶν ἀληθεύεσθαι, νῦν δ᾽ οὐ συνιεὶς ἑαυτὸν τί ποτε λέγει, ταύτην ἔλαβε τὴν δόξαν. C ὅλως δ᾽ εἰ τὸ λεγόμενον ὑπ᾽ αὐτοῦ ἐστιν ἀληθές, οὐδ᾽ ἂν αὐτὸ τοῦτο ἀληθὲς εἴη. λέγω δὲ τὸ ἐνδέχεσθαι, τὸ αὐτὸ καθ᾽ ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν χρόνον εἶναί τε, καὶ μὴ εἶναι. καθάπερ γὰρ καὶ διῃρημένων αὐτῶν, οὐδὲν μᾶλλον ἡ κατάφασις ἢ ἀπόφασις ἀληθεύεται. τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τοῦ συναμφοτέρου, καὶ τοῦ συμπεπλεγμένου, καθάπερ μιᾶς τινος καταφάσεως οὔσης, οὐδὲν μᾶλλον ἡ ἀπόφασις, ἢ τὸ ὅλον ἐν καταφάσει τιθέμενον ἀληθὲς ἔσται. ἔτι δ᾽ εἰ μηθέν ἐστιν ἀληθὲς καταφῆσαι, κἂν αὐτὸ τοῦτο ψεῦδος εἴη, τὸ D φάναι μηδεμίαν ἀληθῆ κατάφασιν ὑπάρχειν. εἰ δὲ ἐστί τι, λύοιτ᾽ ἂν τὸ λεγόμενον ὑπὸ τῶν τοιαῦτα ἐνισταμένων, καὶ παντελῶς ἀναιρούντων τὸ διαλέγεσθαι. Παραπλήσιον δὲ τοῖς εἰρημένοις ἐστὶ καὶ τὸ λεχθὲν ὑπὸ τοῦ Πρωταγόρου· καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔφη πάντων εἶναι χρημάτων μέτρον τὸν ἄνθρωπον, οὐδὲν ἕτερον λέγων, ἢ τὸ δοκοῦν ἑκάστῳ, τοῦτο καὶ εἶναι παγίως. τούτου δὲ γινομένου, τὸ αὐτὸ συμβαίνει καὶ εἶναι καὶ μὴ εἶναι, καὶ κακὸν καὶ ἀγαθὸν εἶναι καὶ τἆλλα τὰ

A le sit contradictionem de eodem esse veram. Deinde si quid nomen significat, idque verè dicitur, id etiam ex necessitate sit oportet: quod autem necesse est esse, id tum non contingit non esse: affirmationes igitur & negationes opposite de eodem veræ esse non possunt.

Præterea si non magis affirmatio quàm negatio vera est, non magis, qui dicit hominem, quàm qui non hominem, verum dicet: at videri potest, ut is qui dicit hominem non esse equum, aut magis, aut non minus verum dicat, quam si non esse hominem. Ita fiet ut si eundem dicat equum esse, verum pronunciet: B erant enim oppositæ ex æquo veræ. Efficitur ergo ut idem homo, equus etiam sit, aut aliquod aliud animal. Nulla igitur est horum absolutè demonstratio: ad eum tamen qui ista ponit, demonstratio est.

Nullo autem negotio, si quis hoc pacto rogasset, vel ipsum Heraclitum fateri coegisset, nunquam oppositas enunciationes de eisdem rebus veras esse posse, nunc autem cum quid tandem diceret, ipse non intelligeret, hanc sibi fabricauit opinionem. Omnino autem si id quod ab eo dicitur, verum est, neque etiam id C ipsum verum erit, fieri posse, inquam, ut idem uno eodemque tempore & sit & non sit. Nam ut eis divisis non magis affirmatio quàm negatio vera est, sine utroque simul iuncto & cõplicato, quasi una quædam sit affirmatio, non magis negatio, quam totum in affirmatione positum verum erit.

Præterea si nihil verè affirmari potest, & hoc etiam ipsum falsum erit, dicere nullam affirmationem esse veram: si quid autem sit: solvetur profectò id quod ab iis dicitur, qui talibus resistunt, omninoque disputationem de D medio tollunt.

Simile verò est iis quæ dicta sunt, id quod Protagoras asseruit. Is enim dixit, hominem, rerum omnium esse mensuram, nihil aliud asserens, nisi, quod cuique videtur, id certò esse: quod si ita est, fieri potest, ut idem sit & non sit, & bonum item sit & malum, & cætera quæ

κατὰ

κατὰ τὰς ἀντικειμένας φάσεις λεγόμενα, διὰ τὸ πολλάκις τοῖσδε μὲν φαίνεσθαι τόδε εἶναι καλὸν, τοῖσδε δὲ τοὐναντίον. μέτρον δὲ εἶναι τὸ φαινόμενον ἑκάστῳ.

A *oppoſitis enunciationibus dicuntur, quia ſæpe hoc aliis quidem videtur bonum, aliis verò contrarium, menſuraq́ ſit id quod unicuique videtur.*

EXPLANATIO CAPITIS QUARTI.

[a] Eſt autem aliquid.

CUm docuiſſet capite ſuperiori, ad hanc ſcientiam pertinere prima & communiſſima demonſtrationum principia conſiderare, tradit hoc capite primum omnium & communiſſimum illud, fieri non poſſe, ut idem ſimul ſit & non ſit, de quo fusè actum eſt lib. 4. à principio capitis tertii, & breviter impugnat eos qui per proterviam illud negabant. Agit igitur primum fieri non poſſe, ut in eo quiſquam fallatur, cum potius neceſſe ſit ut illud ſemper pro vero habeatur, modò intelligatur cum cæteris omnibus conditionibus, quæ ad veram contradictionem requiruntur, quemadmodum illæ quæ hic exprimentur. Quòd autem nemo in hoc principio falli poſſit, ita ſcilicet ut putet eſſe falſum. Ariſtoteles ad finem capitis tertii libri quarti luculenter oſtendit.

[b] Ac de talibus.

DOcet, huiuſmodi principia non eſſe ſimpliciter ſive abſolutè demonſtrari, quia non poſſunt dari alia digniora, quibus credatur, hoc eſt, quibus aliquis aſſentiat, ex quibus illa probari poſſint. ſunt enim omnium notiſſima & in verbis & in veritate, ut tradit loco citato. Poſſe tamen demonſtrari huic homini aut illi qui per proterviam ea negaverit, contradicenteſque enunciationes veras ſimul eſſe dixerit; ſi modò aliquid affirmaverit, ut mox docebit, Verùm ne tum quidem quicquam demonſtrabit, niſi virtute quidem ſumat illud principium notiſſimum & firmiſſimum, ita tamen ut lateat eum quem coarguere volet, illi inniti argumentationem. Nam ſi id præviderit, nihil omnino admittet eorum quæ ab illo petita fuerint.

[c] Qui igitur ſermonem.

DIſputaturus breviter contra negantes hoc principium, quod fusè admodum facit libro 4. toto cap. 4. & deinceps; tradit primum optimam rationem cum eis diſſerendi. Ea verò eſt, ut conveniatur cum eis in certa aliquâ verborum ſignificatione, ut poſſit inter utroſque ſermo conferri, alioqui nō eſſe cur inter eos diſputatio inſtituatur: de qua re plura in loco citato. Tum verò tribus rationibus illos redarguit ac revincit: à quibus exponendis ſuperſedēdum videtur, quòd loco eodem luculenter propoſitæ ac explicatæ ſint.

a Nullo autem negotio.

IMpugnato errore negantium prima & maximè universalia principia, potissimum verò illud de quo erat disputatio, coarguit eius A auctores Heraclitum & Protagoram. Quæ omnia partim facilè intelliguntur, partim perspicuè admodum loco eodem proposita ac exposita sunt, ut opus non sit ea iterum inculcare.

Κεφάλαιον. ε'.

Λύοιτο δ' ἂν αὕτη ἡ ἀπορία, θεωρήσασι B πόθεν ἐλήλυθεν ἡ ἀρχὴ τῆς ὑπολήψεως ταύτης. ἔοικε γὰρ ἐνίοις μὲν ἐκ τῆς τῶν φυσιολόγων δόξης γεγενῆσθαι, τοῖς δ' ἐκ τοῦ μὴ ταυτὸ περὶ τῶν αὐτῶν ἅπαντας γινώσκειν, ἀλλὰ τοισδὶ μὲν ἡδὺ τόδε φαίνεσθαι, τοισδὶ δὲ τοὐναντίον. [a] τὸ γὰρ μηδὲν ἐκ μὴ ὄντος γίνεσθαι, πᾶν δ' ἐξ ὄντος, σχεδὸν ἁπάντων ἐστὶ κοινὸν δόγμα τῶν περὶ φύσεως. ἐπεὶ οὖν οὐ λευκὸν γίγνεται ἐκ λευκοῦ τελέως ὄντος, καὶ οὐδαμῇ μὴ λευκοῦ νῦν δὲ γεγενημένον μὴ λευκὸν γίγνοιτ' ἂν ἐκ μὴ ὄντος λευκοῦ τὸ γιγνόμενον μὴ C λευκόν. ὥστε ἐκ μὴ ὄντος γίγνοιτ' ἂν κατ' ἐκείνους, εἰ μὴ ὑπῆρχε μὴ λευκὸν τὸ αὐτὸ καὶ λευκόν. οὐ χαλεπὸν δὲ διαλύειν τὴν ἀπορίαν ταύτην, εἴρηται γὰρ ἐν τοῖς φυσικοῖς, πῶς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γίγνεται τὰ γιγνόμενα. καὶ πῶς ἐξ ὄντος. [b] τό γε μὴν ὁμοίως προσέχειν ἀμφοτέραις ταῖς δόξαις καὶ ταῖς φαντασίαις τῶν πρὸς αὑτοὺς διαμφισβητούντων, εὔηθες. δῆλον γὰρ ὅτι τοὺς ἑτέρους αὐτῶν ἀνάγκη διεψεῦσθαι. φανερὸν δὲ τοῦτ' ἐκ τῶν γιγνομένων κατὰ τὴν αἴσθησιν. οὐδέποτε γὰρ τὸ αὐτὸ φαίνε- D ται τοῖς μὲν γλυκὺ, τοῖς δὲ τοὐναντίον, μὴ ἐφθαρμένων καὶ λελωβημένων τῶν ἑτέρων τὸ αἰσθητήριον καὶ κριτήριον τῶν λεχθέντων χυμῶν. τούτου δ' ὄντος τοιούτου, τοὺς ἑτέρους μὲν ὑποληπτέον μέτρον εἶναι, τοὺς δ' ἑτέρους οὐχ ὑποληπτέον. ὁμοίως δὲ τοῦτο λέγω καὶ ἐπὶ ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ, καὶ καλοῦ καὶ αἰσχροῦ, καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων. οὐδὲν γὰρ διαφέρει τοῦτ' ἀξιοῦν, ἢ τὰ φαινόμενα τοῖς ὑπὸ τὴν ὄψιν ὑποβάλλουσι τὸν δάκτυλον, καὶ ποιοῦσιν ἐκ τοῦ ἑνὸς φαίνεσθαι.

CAPUT V.

SOlvi autem potest dubitatio hæc, si consideretur, unde huiusce opinionis initium prodierit. Videtur enim quibusdam ex Naturalium Philosophorum sententia ortum habuisse: aliis verò, ex eo quod non omnes eadem de eisdem sentiant, sed quibusdam hoc dulce videatur, aliis autem contrarium.

a Quòd enim nihil ex non ente fiat, sed omnia ex ente, fermè omnium Naturalium commune dogma est. Cùm igitur non album fiat ex eo quod perfectè album est, & nullo modo non album, si nunc non album quod fit, fiat ex eo quod non est album, fiet utique non album eorum sententia ex non ente, si non idem album erat & non album. Sed haud difficile est hanc dubitationem dissolvere. Dictum est enim in Physicis quo pacto ex non ente fiant ea quæ gignuntur, & quo pacto ex ente.

b At æquè assentiri sententiis & phantasiis eorum qui inter se contendunt, dementia est: constat enim eorum alteros necessariò falsum dicere, id quod ex iis quæ sensibus accidunt perspicuum est. Nunquam enim idem aliis dulce, aliis contrarium videtur, nisi in alteris corruptum & læsum sit organum sensus, quo dicti sapores iudicatur. Quod cum huiusmodi sit, alteros existimandum est mensuram esse, alteros minimè. Quod eodem modo dixerim de bono & malo, de pulchro & turpi, & aliis huiusmodi. Nihil enim interest num hoc censeas, an ea tibi appareant quæ iis qui digitum oculis submittunt, efficiuntque ut ex uno duo esse videantur, duo autem, quia tot appareant, & rursus unum: namque iis qui oculos non movent, id quod unum est, unum esse videtur.

A φαίνεσθαι. δύο δὲ εἶναι, διὰ τὸ φαίνεσθαι τοσαῦτα. καὶ πάλιν ἕν. τοῖς γὰρ μὴ κινοῦσι τὴν ὄψιν, ἓν φαίνεται τὸ ἕν. c ὅλως δὲ ἄτοπον ἐκ τοῦ φαίνεσθαι τὰ δεῦρο μεταβάλλοντα, καὶ μηδέποτε διαμένοντα ἐν τοῖς αὐτοῖς, ἐκ τούτου περὶ τῆς ἀληθείας τὴν κρίσιν ποιεῖσθαι. δεῖ γὰρ ἐκ τῶν ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἐχόντων, καὶ μηδέποτε μεταβολὴν ποιουμένων, τὸ ἀληθὲς θηρεύειν. τοιαῦτα δ' ἐστὶ τὰ κατὰ τὸν κόσμον. ταῦτα γὰρ οὐχ ὁτὲ μὲν τοιαδί, πάλιν δ' ἀλλοῖα φαίνεται. ταὐτὰ δ' ἀεὶ καὶ μεταβολῆς οὐδεμιᾶς κοινωνοῦντα. d ἔτι δ' εἰ κίνησίς ἐστι, καὶ κινούμενόν τι, κινεῖται δὲ πᾶν ἔκ τινος καὶ εἴς τι, δεῖ ἄρα τὸ κινούμενον εἶναι ἔτι ἐν ἐκείνῳ ἐξ οὗ κινήσεται, καὶ οὐκ εἶναι ἐν αὐτῷ, καὶ εἰς τοδὶ κινεῖσθαι καὶ γίγνεσθαι ἐν τούτῳ. τὸ δὲ κατὰ τὴν ἀντίφασιν μὴ συναληθεύεσθαι καθ' αὐτόν. e καὶ εἰ κατὰ τὸ ποσὸν συνεχῶς τὰ δεῦρο ῥεῖ καὶ κινεῖται, καί τις τοῦτο θείη, καίπερ οὐκ ἀληθὲς ὄν, διὰ τί κατὰ τὸ ποιὸν οὐ μένει; φαίνονται γὰρ οὐχ ἥκιστα κατὰ τὰς ἀντιφάσεις ταὐτοῦ κατηγορεῖν, ἐκ τοῦ τὸ ποσὸν ὑπειληφέναι μὴ μένειν ἐπὶ τῶν σωμάτων, διὰ τὸ εἶναι τετράπηχυ τὸ αὐτὸ, καὶ οὐκ εἶναι. ἡ δ' οὐσία κατὰ τὸ ποιόν. τοῦτο γὰρ τῆς ὡρισμένης φύσεως. τὸ δὲ ποσὸν, τῆς ἀορίστου. f ἔτι διὰ τί προστάττοντος τοῦ ἰατροῦ τοδὶ τὸ σιτίον προσενέγκασθαι, προσφέρονται; τί γὰρ μᾶλλον τοῦτο ἄρτος ἐστὶν, ἢ οὐκ ἔστιν, ὥστε οὐδὲν ἂν διαφέροι φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν. νῦν δ' ὡς ἀληθεύοντος περὶ αὐτὸ, καὶ ὄντος τοῦ προσταχθέντος σιτίου τούτου, προσφέρονται τοῦτο. καίτοι οὐκ ἔδει μὴ διαμενούσης παγίως μηδεμιᾶς φύσεως ἐν τοῖς αἰσθητοῖς, ἀλλ' ἀεὶ πασῶν κινουμένων καὶ ῥεουσῶν. g ἔτι δ' εἰ μὲν ἀλλοιούμεθα ἀεὶ, καὶ μηδέποτε διαμένομεν οἱ αὐτοὶ, τί θαυμαστὸν εἰ μηδέποθ' ἡμῖν ταὐτὰ φαίνεται, καθάπερ τοῖς κάμνουσι; καὶ γὰρ τούτοις διὰ τὸ μὴ ὁμοίως διακεῖσθαι τὴν ἕξιν, καὶ τὸ ὑγιαῖον, οὐχ ὁμοίως φαίνεται τὰ κατὰ τὰς αἰσθήσεις. αὐτὰ μὲν οὐδεμιᾶς διά γε τοῦτο μεταβολῆς κοινωνοῦντα αἰσθητά. αἰσθήματα δ' ἕτερα ποιοῦντα τοῖς κάμνουσι, καὶ μὴ ταὐτά. τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον ἔχειν καὶ τῆς γινομένης μεταβολῆς εἰρημένης, ἴσως ἀναγκαῖόν ἐστιν εἰ δὲ μὴ μεταβάλλομεν, ἀλλ' εἰ αὐτοὶ διατελοῦ-

μεν

c Omnino autem absurdum est ex eo quòd ea quæ apud nos, mutari videntur, neque unquam in eodem statu consistere: hinc de veritate iudicium ferre. Oportet enim ex iis quæ semper eadem manent, neque unquam mutationi obnoxia sunt, veritatem venari, cuiusmodi sunt ea quæ sunt in cœlo. Hæc enim non interdum hæc, interdum alia videntur, sed semper eadem, mutationemque nullam participare.

d Deinde si motus est, & aliquid movetur, moventur autem omnia ex aliquo in aliquid: oportet utique quod movetur, adhuc esse in eo ex quo movetur, & in eo etiam non esse: & in B *hoc aliud moveri atque in eo esse, nec tamen eorum sententia contradictionem esse simul veram.*

e Quòd si ea quæ hic sunt, quatenus quanta sunt, continenter fluunt ac mutantur, idque aliquis ponat (tametsi verum non est) cur quatenus qualia non manent? Videntur enim (nec minimè quidem) ex eo contradicentes de eodem dicere, quod quantitatem in corporibus manere non putet, quia idem quatuor cubitorum & sit, & non sit. At substantia ad qualitatem spectat: qualitas enim definitæ naturæ est, quantitas indefinitæ.

C *Adhæc, f Cur si Medicus præcipiat, ut hunc cibum porrigant, illum offerunt? Cur enim hoc, panis est potius quam non est? Itaque nihil interest comedatne quis, an non comedat. Nunc autem quasi is verè de eo dicat, & quia hic cibus est, quem ille iussit, eum porrigunt. Atqui opus non erat, si nulla natura in rebus sensibilibus fixa permanet, sed omnia mutantur ac fluunt.*

g Præterea si semper quidem alteramur, neque unquam iidem permanemus, quid mirum, si nunquam nobis eadem quemadmodum & ægrotis videantur? Et his enim, quia non eodem habitu affecti sunt, quo cùm sani erant, D *non eodem similia eis videntur ea quæ sensibus percipiunt, cùm interim non iccirco sensibilia ipsa ullam mutationem subeant, sed tantum immutationes sensuum non easdem sed alias ægrotis imprimant. Itaque modo eodem cum ea quam diximus, mutatio fit, fortasse necesse est evenire. Quòd si non mutamur, sed iidem permaneamus, erit aliquid profectò permanens.*

μὲν ὄντες, εἴη. τί ἂν μᾶλλον. [h] πρὸς μὲν οὖν A τοὺς ἐκ λόγου τὰς εἰρημένας ἀπορίας ἔχοντας, οὐ ῥᾴδιον διαλῦσαι μὴ τιθέντων τι, καὶ τούτων μηκέτι λόγον ἀπαιτούντων. οὕτω γὰρ πᾶς λόγος, καὶ πᾶσα ἀπόδειξις γίνεται. μηδὲν γὰρ τιθέντες, ἀναιροῦσι τὸ διαλέγεσθαι, καὶ ὅλως λόγον. ὥστε πρὸς μὲν τοὺς τοιούτους οὐκ ἔστι λόγος· πρὸς δὲ τοὺς διαπορούντας, ἐκ τῶν παραδεδομένων ἀποριῶν ῥᾴδιον ἀπαντᾶν, καὶ διαλύειν τὰ ποιοῦντα τὴν ἀπορίαν ἐν αὐτοῖς. δῆλον δ' ἐκ τῶν εἰρημένων. ὥστε φανερὸν ἐκ τούτων ὅτι οὐκ ἐνδέχεται τὰς ἀντικειμένας B φάσεις περὶ ταὐτοῦ καθ' ἕνα χρόνον ἀληθεύειν, οὐδὲ τὰ ἐναντία, διὰ τὸ λέγεσθαι κατὰ στέρησιν πᾶσαν ἐναντίαν. δῆλον δὲ τοῦτ', ἐὰν εἰς ἀρχὴν τοὺς λόγους ἀναλύωσι τοὺς τῶν ἐναντίων. [i] ὁμοίως δὲ οὐδὲ τῶν ἀνὰ μέσον οὐδὲν οἷόν τε κατηγορεῖσθαι καθ' ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ. λευκοῦ γὰρ ὄντος τοῦ ὑποκειμένου, λέγοντες αὐτὸ εἶναι οὔτε λευκὸν οὔτε μέλαν, ψευσόμεθα. συμβαίνει γὰρ εἶναι λευκὸν αὐτό, καὶ μὴ εἶναι. θάτερον γὰρ τῶν συμπεπλεγμένων ἀληθεύσεται κατ' αὐτοῦ. τοῦτο δ' ἐστὶν ἀντίφασις τοῦ λευκοῦ. οὔτε δὴ κατ' C Ἡράκλειτον ἐνδέχεται λέγοντας ἀληθεύειν, οὔτε κατ' Ἀναξαγόραν. εἰ δὲ μή, συμβήσεται τἀναντία τοῦ αὐτοῦ κατηγορεῖν. ὅταν γὰρ ἐν παντὶ φῇ παντὸς εἶναι μοῖραν, οὐδὲν μᾶλλον εἶναί φησι γλυκὺ ἢ πικρόν, ἢ τῶν λοιπῶν ὁποιανοῦν ἐναντιώσεων, εἴπερ ἐν ἅπαντι πάντα ὑπάρχει μὴ δυνάμει μόνον, ἀλλ' ἐνεργείᾳ, καὶ ἀποκεκριμένον. ὁμοίως δὲ οὐδὲ πάσας ψευδεῖς, οὐδ' ἀληθεῖς τὰς φάσεις δυνατὸν εἶναι. δι' ἄλλα τε πολλὰ τῶν λεχθέντων ἂν δυσχερῶν διὰ ταύτην τὴν θέσιν. καὶ διότι ψευδῶν μὲν οὐσῶν πασῶν, οὐδ' αὐτὸ τοῦτό τις φάσκων ἀληθεύσει. ἀληθῶν δέ, ψευδεῖς εἶναι πάσας λέγων, οὐ ψεύσεται,

[h] Ac iis quidem qui hasce dubitationes ratione aliqua retinent, non facile est occurrere, nisi aliquid ponant, eiusque rationem nō postulent: hoc enim modo omnis ratio omnisque demonstratio efficitur. Nam si nihil ponant, omnem utique disputationem, & omnino rationem funditus tollunt. Quo fit, ut cum talibus nulla ratio iniri possit. At iis qui ex traditis dubitandi rationibus ambigunt, facile est obviam ire, eaque dissolvere quæ illis dubitationem ingerunt: quod ex iis quæ dicta sunt, perspicuum est.

Constat igitur ex iis fieri non posse, ut opposita enunciationes de eadem re uno tempore veræ sint, neque item ea quæ contraria sunt, quòd contraria ex privatione dicantur. Id quod perspicuum fiet, si quis contrariorum rationes ad principium resolvat. Eodemque modo ne mediorum quidem prædicari quicquam potest de uno & eodem. Nam si subiectum sit album, nosque dicamus illud nec album nec nigrum esse, mentiemur utique, fiet enim ut idem & album sit, & non sit, siquidem altera totius complexionis pars de eo verè dicetur, ea, inquam, quæ albo contradicit.

Neque igitur is qui Heracliti, neque is qui Anaxagoræ sententiam approbet, verè loqui potest: alioqui accidet, ut contraria de eodem dicantur. Nam cum in quovis cuiusvis partem esse dicat, non magis id dulce esse, quam amarum, cæterarumve quarumque contrarietatum, esse affirmabit, si quidvis in quovis non potentia tantum, sed & actu distinctumque inest.

Similiter nec fieri potest ut omnes enunciationes veræ sint, neque etiam falsæ: tum ob alias complures difficultates, quas hanc sententiā sequi diximus, tū quia si omnes sint falsæ, ne is qui falsas esse dixerit, verum dicet: sin autem veræ, certe qui dixerit falsas esse omnes, non falsum dicet.

EXPLANATIO CAPITIS QUINTI.

Docet hoc capite, unde ortum habuerit error ille extremus & omnium in Philosophia maximus (si quis tamen illum sibi unquam persuasit) contradicentes esse simul veras, ex quo etiam sequitur esse

esse simul falsas. Refertque illum ex quorumdam sententia ad illam Anaxagoræ sententiam, omnia simul in omnibus esse existimantis, ut nimirum ex omnibus omnia fieri possint, cùm ex nihilo naturaliter nihil fiat, ex aliorum verò opinione ad illam alteram absurdissimam opinionem Protagoræ. aliorumque eo antiquiorum qui res tales esse censebant quales nobis viderentur, quòd nostrum judicium mensuram earum esse crederent. Ait ergo cognita quasi radice propositi erroris, facilè solvi posse rationes quibus innititur.

[a] Quòd enim nihil.

EXponit fundamentum Anaxagoræ, quod etsi erat verissimũ & omnibus Philosophis commune (Ex nihilo, inquam, nihil fieri naturaliter) tamen malè adaptabatur ad concludendum omnia esse in omnibus, quod falsum est, neque ex illo pronunciato sequebatur. Rejicit autem Aristoteles solutionem eius perversæ ratiocinationis ad primum Physicorum: sed quoniam ea quæ ad rem hanc pertinent, capite quinto libri quarti huius operis, & ab autore luculentius proposita, & à nobis fusius explicata sunt, eam tantum rationem exponemus, qua hîc tangitur huius erroris defensores cogi solitos ut dicerent idem esse album & non album, si nulla res ex nõ ente fit, idemque dicendum esse de cæteris contradictoriè oppositis. Ratio verò hæc erat. Non album fit ex eo quod est perfectè album, & nullo modo apparet non album, ut experientia oculata constat: si ergo D non album, ut dicitis, fit ex non albo (ponitis enim omnia quæ fiunt iam præfuisse in eo ex quo fiunt) & non album ex quo fit non est idem quod album; fiet utique ex non ente, hoc est, ex nihilo (nam si nõ album quod latet, non est idem quod album patens, nihil omnino erit) at ex nihilo nihil fit, est igitur idem album quod oculis patet, & non album quod latet, antequam ex albo fiat non albũ. Quæ ratio nihil conficit nisi ex eo quòd ipsi ponunt non album fieri B ex non albo, quod falsum & ineptũ est.

[b] At æquè assentiri.

EXponit fundamentum causamque erroris seu potius stultitiæ eorum qui credebant, res tales esse quales viderentur, illudq; ex eo evertit, quia sensus quorumdam non judicant oppositum eius quod ab aliis judicatur, nisi in al- C teris sint læsi, ut experientia constat. Quæ omnia ex eodem cap 5. libri quarti apertius intelliges.

[c] Omnino autem.

ADdit aliud fundamentum quo autores huius erroris suam sententiam confirmabant, estque illud, quo Heraclitus censebat omnes omnino res continenter quasi fluere, & nunquam omnino in eodem statu consistere: quod fundamentum quinque argumentis evertit. Putabant enim quidam ex eo sequi contradicentes esse simul veras, aut etiam (quod sequebatur) simul falsas, quia si nulla res fixam habet naturam, nihil restat ut quæque sit nisi qualis huic aut illi videatur. Cæterùm neque ex hoc fundamento etsi verum esset, & non potiùs falsum & erroneum, ea conclusio sequitur. Nam etsi omnia essent flu-

ræ omnino naturæ, ut motus tamen hoc ipsum esset fixum ac certum, eas esse omnino fluentis naturæ, contradictoriumque huius enunciationis esset falsum. Prima igitur ratio contra Heracliti sententiam est, non esse de rerum veritate iudicandum ex iis quæ fluxa sunt & inconstantia, qualia esse omnia putabat Heraclitus, sed ex certis & constantibus, cuiusmodi re vera sunt corpora cælestia: Adde etiam in eodem quoque genere esse ipsas rerum inconstantium naturas, quæcunque illæ sint, cùm constanter suam inconstantiam retineant.

d Deinde si motus.

SEcunda ratio est, quia res cum moventur, sine ulla contradictione dici possunt & esse & nō esse in termino à quo, & similiter in termino ad quem: Partim enim sunt, partim non sunt: id quod etiam Heraclitus si consuleretur, non negaret, at hoc pacto nulla est in re proposita contradictio Adde, vel ipsum mobile esse aliquid certum, cùm idem dicatur transire ex uno termino in alium, alioqui nihil moveretur: quod maximè everteret Heracliti sententiam.

e Quod si hæc,

TErtia ratio est, etsi huiusmodi autores ex eo maximè videntur dicere omnia esse in continuo fluxu, quia putant ea semper augeri modo aliquo, aut minui mutarique continenter secundum quantitatem, etsi id verum non est, etiam in viventibus (quod ipse docuerat in phys.) non est tamen cur dicantur continenter mutari secundum qualitatem: multæ enim res apud nos ta-

A les sunt sæpe uno tempore, quales in alio at essentiæ rerum ad qualitatem spectant, quia cum universaliter dicantur de multis, tales sunt in his particularibus, quales sunt in aliis: quo fit ut sint certæ & determinatæ naturæ, cum interim quantitas qua multiplicantur individua, sub specie indeterminatæ conditionis sit, quemadmodum & ipsa materia quam sequitur, individua rerum quæ oriuntur & intereunt quæ in B infinitum ratione altiusque multiplicari possunt.

f Ad hæc cur.

QUarta ratio est, quia, si nulla esset certa veritas, nihil certi præciperent Medici, sed non magis hoc quàm illud, nec verò eorum ministri hunc cibum aut medicamentum magis quam illud ex eorum præscripto ægrotis porrige- C rent.

g Præterea si semper.

QUinta ratio. Et si nos homines continenter ita alteremur, ut iudicium nostrum nunquam fixum sit, quid prohibet dicere res alias esse firmæ naturæ & tamen nobis alias atque alias videri, ut idem cibus nunc sano dulcis, postea ægroto amarus videtur? Quod si D iudicium nostrum firmum est, & constantis naturæ, aliquid ergo constantis & permanentis conditionis est, neque omnia fluxa sunt & inconstantia.

h Ac iis quidem.

COlligit ex dictis quædam consectaria, quæ cum per se facilia sunt, tum verò lib. 4. cap. 5. & aliis

& aliis sequentibus copiosè explicantur, quæ nos ad finem huius capitis, aliaque multa expendemus, in ea quæstione quam ex fine eiusdem libri in hunc locum reiecimus.

Ne mediorum quidem.

CVm contraria non possint de eodem simul dici (alioqui, ut ait, contradictoria etiam dicerentur) ne media quidem (subaudi simul cum extremis aut etiam cum aliis mediis) de eodem simul dici poterunt. Contraria enim contradicentium conditionem participant, respectu communis subiecti, quia privativam oppositionem includunt, media vero contrariis constāt, semperque unum subit vicem unius contrarii, & alterum alterius, quę omnia ex libro superiori perspicua sunt.

B

Κεφάλαιον ϛ'.

Πᾶσα δ' ἐπιστήμη ζητεῖ τινὰς ἀρχὰς καὶ αἰτίας περὶ ἕκαστον τῶν ὑφ' αὐτὴν ἐπιστητῶν, οἷον ἰατρικὴ καὶ γυμναστικὴ, καὶ τῶν λοιπῶν ἑκάστη τῶν ποιητικῶν. ἢ μαθηματικῶν, ἑκάστη γὰρ τούτων περιγραψαμένη τι γένος αὐτῇ, περὶ τοῦτο πραγματεύεται, ὡς ὑπάρχον καὶ ὄν, οὐχ ᾗ δ' ὄν. ἀλλ' ἑτέρα τις αὕτη παρὰ ταύτας τὰς ἐπιστήμας ἐστὶν ἐπιστήμη. τῶν δὲ λεχθεισῶν ἐπιστημῶν, ἑκάστη λαβοῦσα πως τὸ τί ἐστιν ἐν ἑκάστῳ γένει, πειρᾶται δεικνύναι τὰ λοιπὰ μαλακώτερον ἢ ἀκριβέστερον. λαμβάνουσι δὲ τὸ τί ἐστιν, αἱ μὲν διὰ τῆς αἰσθήσεως αἱ δ' ὑποτιθέμεναι. διὸ καὶ δῆλον ἐκ τῆς τοιαύτης ἐπαγωγῆς, ὅτι τῆς οὐσίας καὶ τοῦ τί ἐστιν, οὐκ ἔστιν ἀπόδειξις. ἐπεὶ δ' ἔστι τις ἡ περὶ φύσεως ἐπιστήμη, δῆλον ὅτι καὶ πρακτικῆς ἑτέρα καὶ ποιητικῆς ἔσται. ποιητικῆς μὲν γὰρ ἐν τῷ ποιοῦντι, καὶ οὐ τῷ ποιουμένῳ τῆς κινήσεως ἡ ἀρχὴ, καὶ τοῦτ' ἐστὶν εἴτε τέχνη τις. εἴτ' ἄλλη τις δύναμις. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῆς πρακτικῆς, οὐκ ἐν τῷ πρακτῷ, μᾶλλον δ' ἐν τοῖς πράττουσιν ἡ κίνησις. ἡ δὲ τοῦ φυσικοῦ περὶ τὰ ἔχοντα ἐν ἑαυτοῖς κινήσεως ἀρχήν ἐστιν, ὅτι μὲν τοίνυν οὔτε πρακτικὴν οὔτε ποιητικὴν, ἀλλὰ θεωρητικὴν, ἀναγκαῖον εἶναι τὴν φυσικὴν ἐπιστήμην, δῆλον ἐκ τούτων. εἰς ἓν γάρ τι τούτων τῶν γενῶν ἀνάγκη πίπτειν αὐτήν. ἐπεὶ δὲ τὸ τί ἐστιν ἀναγκαῖον ἑκάστῃ πως τῶν ἐπιστημῶν, εἰδέναι, καὶ τού-

CAP. VI.

Omnis porro scientia principia quædam & causas quærit cuiusque eorum quæ sub eam cadunt, ut Medicina, & Gymnastice, & unaquæque cæterarum, sive ad agendum quid, sive ad docendum sit instituta. Nam earum quoque cum sibi genus aliquod circumscripsit, in eo tractando, ut quod existat atque ens sit, non tamen quatenus ens sit, versatur. Sed alia quædam scientia hæc est præter huiusmodi scientias. Vnaquæque verò earum scientiarum, quas diximus, ubi modo aliquo sumpsit ipsum quid est in uno quoque genere, cætera vel debilius vel accuratius demonstrare conatur. Sumunt autem ipsum quid est, aliæ per sensum, aliæ supponentes. Ex qua etiam inductione perspicuum est, substantiæ & ipsius quid est, demonstrationem non esse.

Quoniam verò quædam est scientia de natura, constat eam neque effectivam neque activam fore. Effectivæ enim in eo quod efficit, non in eo quod efficitur, motus principium est, estque id sive ars sive aliqua quædam potentia. Eodem modo & activæ, non in re agenda, sed potius in agentibus motus inest: Naturalis autem Philosophi scientia in iis versatur, quæ in seipsis principium motus habent. Quod igitur necessariò Naturalis scientia, neque activa neque effectiva sit, sed contemplativa, ex his est perspicuum. in unum enim aliquod genus horum eam cadere necesse est.

Cùm autem unicuique scientiæ sit necesse, ipsum quid est, modo aliquo scire, eoque ut

τῷ χρῆσθαι ἀρχῇ, δεῖ μὴ λανθάνειν πῶς ὁριστέον τῷ φυσικῷ, καὶ πῶς ὁ τῆς οὐσίας λόγος ληπτέος, πότερον ὡς τὸ σιμὸν ἢ μᾶλλον ὡς τὸ κοῖλον. τούτων γὰρ ὁ μὲν τοῦ σιμοῦ λόγος μετὰ τῆς ὕλης λέγεται τῆς τοῦ πράγματος. ὁ δὲ τοῦ κοίλου, χωρὶς τῆς ὕλης, ἡ γὰρ σιμότης ἐν ῥινὶ γίγνεται, διὸ καὶ ὁ λόγος αὐτῆς μετὰ ταύτης θεωρεῖται. τὸ σιμὸν γὰρ ἐστὶ ῥὶς κοίλη. φανερὸν οὖν ὅτι καὶ σαρκὸς καὶ ὀφθαλμοῦ, καὶ τῶν λοιπῶν μορίων μετὰ τῆς ὕλης ἀεὶ τὸν λόγον ἀποδοτέον. ἐπεὶ δ' ἐστί τις ἐπιστήμη τοῦ ὄντος, ᾗ ὂν καὶ χωριστὸν σκεπτέον πότερόν ποτε τῇ φυσικῇ τὴν αὐτὴν θετέον εἶναι ταύτην, ἢ μᾶλλον ἑτέραν. ἡ μὲν οὖν φυσικὴ περὶ τὰ κινήσεως ἔχοντ' ἀρχὴν ἐν αὐτοῖς ἐστίν. ἡ δὲ μαθηματικὴ, θεωρητικὴ μὲν, καὶ περὶ μένοντα τις αὕτη, ἀλλ' οὐ χωριστά. περὶ τὸ χωριστὸν ἄρα ὂν καὶ ἀκίνητον ἑτέρα τούτων ἀμφοτέρων τῶν ἐπιστημῶν ἐστί τις, εἴπερ ὑπάρχει τις οὐσία τοιαύτη. λέγω δὲ χωριστὴ καὶ ἀκίνητος, ὅπερ πειρασόμεθα δεικνύναι. καὶ εἴπερ ἐστί τις τοιαύτη φύσις ἐν τοῖς οὖσιν, ἐνταῦθα ἂν εἴη που καὶ τὸ θεῖον. καὶ αὕτη ἂν εἴη πρώτη καὶ κυριωτάτη ἀρχή. δῆλον τοίνυν ὅτι τρία γένη τῶν θεωρητικῶν ἐπιστημῶν ἐστι, φυσική, μαθηματική, θεολογική. βέλτιστον μὲν οὖν τὸ τῶν θεωρητικῶν ἐπιστημῶν γένος. τούτων δ' αὐτῶν ἡ τελευταία λεχθεῖσα, περὶ τὸ τιμιώτερον γὰρ ἐστι τῶν ὄντων, βελτίων δὲ καὶ χείρων ἑκάστη λέγεται κατὰ τὸ οἰκεῖον ἐπιστητόν. ἀπορήσειε δ' ἄν τις, πότερόν ποτε τὴν τοῦ ὄντος ᾗ ὂν ἐπιστήμην καθόλου θεῖναι δεῖ ἢ οὔ. τῶν μὲν γὰρ μαθηματικῶν ἑκάστη περὶ ἕν τι γένος ἀφωρισμένον ἐστίν. ἡ καθόλου, κοινὴ περὶ πάντων. εἰ μὲν οὖν αἱ φυσικαὶ οὐσίαι, πρῶται τῶν ὄντων εἰσί, κἂν ἡ φυσικὴ πρώτη τῶν ἐπιστημῶν εἴη. εἰ δ' ἔστιν ἑτέρα φύσις καὶ οὐσία χωριστὴ καὶ ἀκίνητος, ἑτέραν ἀνάγκη καὶ τὴν ἐπιστήμην αὐτῆς εἶναι, καὶ προτέραν τῆς φυσικῆς καὶ καθόλου προτέραν.

A *principio uti, non lateat oportet, quo pacto naturali Philosopho definiendum sit, & quo substantiæ ratio sumenda: ut simumne, an potius concavum. Horum enim, simi quidem ratio cum materia rei dicitur, concavi autem sine materia: simitas enim, in naso existit. Quo fit, ut & eius ratio cum hac consideretur: simum enim nasus est concavus. Non dubium igitur, quin & carnis, & oculi, & reliquorum partium ratio semper cum materia sit reddenda.*

Iam verò cum quædam sit scientia, quæ in ente, quatenus ens ac separabile est versatur: considerandum est, num ea tandem eadem B *cum Naturali scientia ponenda sit: an potius diversa. Naturalis enim scientia de iis agit, quæ in seipsis motus principium habent: Mathematica verò contemplativa quidem est, & in iis quæ permanent, versatur, non tamen quæ separari possint. In eo igitur, quod est ens separabile ac immobile, alia quædam ab utraque harum scientiarum diversa agit si quæ tamen huiusmodi substantia est, separabilis, inquam, & immobilis, id quod ostendere conabimur. Quòd si talis quædam natura in rebus sit, in hac profectò erit divinitas, eaque erit primum ac principale principium. Patet* C *igitur, tria esse contemplantium scientiarum genera, Physicam, Mathematicam, Theologiam.*

Ac præstantissimum quidem est contemplantium scientiarum genus, & harum ipsarum, ea quæ extremo loco nominata est, in eo enim quod nobilissimum est, versatur. Præstantior enim & deterior unaquæque ex proprio subiecto, in quo versatur, dicitur.

Dubitabit autem quis, num scientia quæ de ente, ut ens est, agit, universalis ponenda sit, necne. Mathematicarum enim unaquæque in ente aliquo definito versatur, quæ autem universalis est, communiter de omnibus disserit. D *Si substantiæ igitur Physicæ seu naturales, primæ sunt inter entia, prima quoque erit Physica inter scientias. Quòd si alia natura & substantia separabilis est, & immobilis: alia quoque eius scientia sit necesse est, & Physica prior, & universè prior.*

EXPLA-

EXPLANATIO CAPITIS SEXTI.

CUm hactenus de huius scientiæ natura & conditione multa docuisset Aristoteles, seu potius ex lib. 1. 3. & 4. prætermisso 2. repetiisset, visum ei est illam hoc loco cum cæteris scientiis conferre: qua de causa paucis repetit quæ de hac re libr. sexto disseruit. Quæ enim libro 5. dicta erant, quemadmodum & in 2. & pressius tradita fuerant, & facilè in memoriam reduci possent ubi esset necesse: & minus ad hunc quasi apparatum libri sequentis videbantur pertinere. Docet igitur hoc capite primùm quid commune sit particularibus scientiarum generibus inter ipsa, quid proprium cuique & peculiare. Deinde tradit discrimen huius ab illis, & ratione perfectæ separationis earum rerum quas tractat, à sensibilibus, de quibus cæteræ agunt, & ratione nobilitatis proprii subiecti in quo versatur. Postremò quærit, num sit universalis, hoc est, de omnibus iis agat. quæ omnibus scientiis necessariò sunt communia, ut pote in quibus omnes conveniunt, & tanquam in communibus prædicatis earum rerum de quibus agunt. & tanquam in communibus principiis ex quibus demonstrant. Respondetque affirmativè, si dantur quidem res omnino immateriales & immobiles, ut conabitur ostendere libro sequenti, alioqui non dubium esse quin Physica sit universalis scientia: omnia enim erunt sensibilia, etsi quædam purè Mathematica sine sensibilibus qualitatibus considerentur. Quæ omnia cum capite eodem libri sexti explicata sint; & hoc loco haud obscurè repetantur, non est cur iterum à nobis exponi debeant.

Κεφάλαιον. ζ.

Ἐπεὶ δὲ τὸ ἁπλῶς ὂν κατὰ πλείους λέγεται τρόπους, ὧν εἷς κατὰ συμβεβηκὸς εἶναι λεγόμενος, σκεπτέον πρῶτον περὶ τοῦ οὕτως ὄντος. ὅτι μὲν οὖν οὐδεμία τῶν παραδεδομένων ἐπιστημῶν πραγματεύεται περὶ τὸ συμβεβηκός, δῆλον. οὔτε γὰρ οἰκοδομικὴ σκοπεῖ τὸ συμβησόμενον τοῖς τῇ οἰκίᾳ χρησομένοις, οἷον εἰ λυπηρῶς, ἢ τοὐναντίον οἰκήσουσιν, οὔθ' ὑφαντική, οὔτε σκυτοτομική, οὔτε ὀψοποιητική. τὸ δὲ καθ' αὑτὴν ἴδιον ἑκάστη τούτων σκοπεῖ τῶν ἐπιστημῶν μόνων. τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ οἰκεῖον τέλος. οὐδὲ ἡ μουσικὸν καὶ γραμματικόν. οὐδὲ τὸν ὄντα μουσικὸν, ὅτι γενόμενος γραμματικὸς, ἅμα ἔσται τὰ ἀμφότερα, πρότερον οὐκ ὤν.

CAPUT VII.

D

CUm autem id quod simpliciter est ens multis dicatur modis, quarum unus est is qui per accidens esse dicitur, primum de eo quod hoc pacto est ens, agendum est. Ac nullam quidem earum scientiarum quæ traditæ sunt, de accidente agere perspicuum est. Neque enim ædificandi ars id considerat quod iis qui domo utentur, eventurum est, veluti num cum molestia habitabunt, an contrà, neque item textorum nec sutorum, neque eorum qui cibos conficiunt, sed unaquæque scientiarum id solum curat, quod propriè ad eam pertinet: hic enim est proprius earum finis.

ὃ μὴ ἀεὶ ὂν ἔστιν, ἐγίγνετο τοῦτο. ὥσθ' ἅμα A
μουσικὸς ἐγίγνετο καὶ γραμματικός. τοῦτο δὲ οὐδεμία ζητεῖ τῶν ὁμολογουμένως οὐσῶν ἐπιστημῶν, πλὴν ἡ σοφιστική. περὶ τὸ συμβεβηκὸς γὰρ αὕτη μόνη πραγματεύεται. διὸ Πλάτων οὐ κακῶς εἴρηκε, φήσας τὸν σοφιστὴν περὶ τὸ μὴ ὂν διατρίβειν. ὅτι δ' οὐδ' ἐνδεχόμενόν ἐστιν εἶναι τοῦ συμβεβηκότος ἐπιστήμην, φανερὸν ἔσται πειραθεῖσιν ἰδεῖν, τί ποτ' ἐστὶ τὸ συμβεβηκός. πᾶν φαμὲν εἶναι, τὸ μὲν ἀεὶ καὶ ἐξ ἀνάγκης (ἀνάγκης δ' οὐ τῆς κατὰ βίαιον λεγομένης, ἀλλ' ᾗ χρώμεθα ἐν τοῖς κατὰ τὰς B
ἀποδείξεις) τὸ δ' ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, τὸ δ' οὔθ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, οὔτ' ἀεὶ καὶ ἐξ ἀνάγκης, ἀλλ' ὅπως ἔτυχεν. οἷον ἐπὶ κυνὶ γένοιτ' ἂν ψῦχος. ἀλλὰ τοῦτ' οὔθ' ὡς ἀεὶ ἐξ ἀνάγκης, οὔτε ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίγνεται. συμβαίη δέ ποτ' ἄν. ἔστι δὴ τοῦτο συμβεβηκός, ὃ γίγνεται μὲν οὐκ ἀεί, οὐδ' ἐξ ἀνάγκης, οὐδ' ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. τί μὲν οὖν ἐστι τὸ συμβεβηκός, εἴρηται. διότι δ' οὐκ ἔστιν ἐπιστήμη τοῦ τοιούτου, δῆλον. ἐπιστήμη μὲν γὰρ πᾶσα τοῦ ἀεὶ ὄντος, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, τὸ δὲ συμβεβηκὸς ἐν οὐδετέρῳ τούτων ἐστίν. [c] ὅτι ἡ τοῦ κατὰ συμβεβη- C
κὸς ὄντος, οὐκ εἰσὶν αἰτίαι καὶ ἀρχαὶ τοιαῦται, οἷαίπερ τοῦ καθ' αὑτὸ ὄντος, δῆλον. ἔσται γὰρ ἅπαντ' ἐξ ἀνάγκης. εἰ γὰρ τόδε μέν ἐστι τοῦδε ὄντος, τόδε δὲ τοῦδε, τοῦτο δὲ μὴ ὅπως ἔτυχεν, ἀλλ' ἐξ ἀνάγκης, ἐξ ἀνάγκης ἔσται καὶ οὗ τοῦτ' ἦν αἴτιον, ἕως τοῦ λεγομένου τελευταίου αἰτιατοῦ, τοῦτο δ' ἦν κατὰ συμβεβηκός. ὥστε ἐξ ἀνάγκης ἅπαντ' ἔσται. καὶ τὸ ὁποτέρως ἔτυχε, καὶ τὸ ἐνδέχεσθαι, καὶ γίνεσθαι, καὶ μὴ παντελῶς, ἐκ τῶν γιγνομένων ἀναιρεῖται. [d] κἂν μὴ ὂν ᾖ, ἀλλὰ γιγνόμενον τὸ αἴτιον ὑποτεθῇ, ταὐτὰ συμ- D
βήσεται. πᾶν γὰρ ἐξ ἀνάγκης γενήσεται. ἡ γὰρ αὔριον ἔκλειψις γενήσεται, ἂν τόδε γένηται. τοῦτο δ' ἂν ἕτερόν τι. καὶ τοῦτ', ἂν ἄλλο. καὶ τοῦτον δὴ τὸν τρόπον ἀπὸ πεπερασμένου χρόνου τοῦ ἀπὸ νῦν μέχρις αὔριον ἀφαιρουμένου χρόνου, ἥξει ποτὲ εἰς τὸ ὑπάρχον, ὥστ' ἐπεὶ τοῦτ' ἔστιν, ἅπαντ' ἐξ ἀνάγκης τὰ μετὰ τοῦτο γενήσεται. ὥστε πάντα ἐξ ἀνάγκης γίγνεσθαι. [c] τὸ δ' ὡς ἀληθῶς ὄν, καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός, τὸ μὲν ἔστιν ἐν συμπλο-

Nec verò ullas quicquam considerat, ut Grammaticum & musicum neque existentem musicum factum esse grammaticum, ut simul esset utrumq; cum prius non esset. Quod autem, cum non semper esset, est, id profectò fiebat. fiebat igitur simul Grammaticus & Musicus. Hoc verò nulla earum scientiarum, quæ notæ sunt, exquirit, nisi Sophistica: hæc enim tota accidenti dat operam. Quocirca non malè Plato dixit, cum asseruit, Sophistam in eo quod non est, versari.

Accidentis autem nullam esse posse scientiam perspicuum erit, si quid demum sit accidens, tentemus cognoscere. Equidem dicimus quicquid est, partim semper & ex necessitate esse (non ea quidem necessitate, quæ ex vi dicitur, sed qua in demonstrationibus utimur) partim plerumque, sive maxima ex parte partim nec plerumque nec semper ac ex necessitate, sed ut fortè contingit, veluti si in canicula sit frigus, quod quidem nec semper & ex necessitate, nec plerumque fit, aliquando tamen evenire potest. Itaque accidens est, quod fit quidem, non semper tamen, nec necessariò, nec plerumque. Ac quid accidens sit, dictum est; cur autem eius non sit scientia, haud dubium est. Omnis enim scientia in eo versatur quod semper, aut plerumque est, accidens autem in neutro est horum.

Quòd verò entis per accidens non sint causæ tales, quales sunt entis per se, apertè constat. Erunt enim omnia necessariò. Nam si hoc existente illud evenit: illud autem, si aliud, idque non utcumque sed necessariò, illud etiam necessariò erit, cuius hoc causa fuerit usque ad id quod ultimus effectus dicitur. At hoc erat per accidens. Itaque omnia necessariò erunt, tollenturque omnino ex iis quæ fiunt, & id quod utramque in partem cadit, & id quod accidit, ipsumque fieri, & non fieri. d Quin etiam si causa non ut quæ sit, sed ut quæ fiat, ponatur, eadem utique sequentur: quæ scilicet fiunt, omnia enim necessariò fient. Crastina enim die defectio fiet, si hoc fiet, hoc autem, si aliud, & hoc, si aliud: atque hoc modo si à tempore finito quod sit inter præsens & crastinum, interiectum tempus dematur, tandem ad id quod præsens est, perventum erit, quare cum hoc sit, omnia quæ post hoc erunt, necessariò fient: itaq; omnia fient necessariò.

Quod autem est ens ut verum, & quod per accidens, partim quidem in complexione mentis

κῇ τῆς διανοίας, καὶ πάθος ἐν ταύτῃ. διὸ περὶ μὲν τὸ οὕτως ὄν, οὐ ζητοῦνται αἱ ἀρχαί. περὶ δὲ τὸ ἔξω ὂν καὶ χωριστόν. τὸ δ' [ἐν τῷ συμβεβηκότι οὐκ] ἀναγκαῖον, ἀλλ' ἀόριστον. λέγω δὲ τὸ κατὰ ὡς ἐπ' ἔλαττον συμβεβηκός. τοῦ δὲ τούτου δ' ἄτακτα καὶ ἄπειρα τὰ αἴτια. τὸ δ' ἕνεκά του, ἐν τοῖς φύσει γιγνομένοις, ἢ ἀπὸ διανοίας ἐστί. τύχη δ' ἐστίν, ὅταν τι τούτων γένηται κατὰ συμβεβηκός. ὥσπερ γὰρ καὶ ὄν ἐστι τὸ μὲν καθ' αὑτό, τὸ δὲ κατὰ συμβεβηκός, οὕτως καὶ αἴτιον. ἡ τύχη δ' αἴτιον κατὰ συμβεβηκός, ἐν τοῖς κατὰ προαίρεσιν τῶν ἕνεκά του γιγνομένοις. διὸ περὶ ταὐτὸ τύχη καὶ διάνοια· προαίρεσις γὰρ οὐ χωρὶς διανοίας. τὰ δ' αἴτια ἀόριστα, ἀφ' ὧν ἂν γένοιτο τὸ ἀπὸ τύχης. διὸ ἄδηλος ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ, καὶ αἴτιον κατὰ συμβεβηκός. ἁπλῶς δ' οὐδενὸς ἀγαθὴ δὲ τύχη καὶ κακή, ὅταν ἀγαθὸν ἢ φαῦλον ἀποβῇ. εὐτυχία δὲ καὶ δυστυχία, περὶ μέγεθος τούτων. ἐπεὶ δ' οὐδὲν κατὰ συμβεβηκὸς πρότερον τῶν καθ' αὑτό, οὐδ' ἄρ' αἴτια. εἰ ἄρα τύχη, ἢ καὶ τὸ αὐτόματον αἴτιον τοῦ οὐρανοῦ, πρότερον νοῦς αἴτιον καὶ φύσις.

A mentis est eiusque affectione: quapropter quidem de causis eius quod sic est, non quaeruntur principia, sed eius quod extra est & separabile: partim non est necessarium sed indefinitum, quod appello per accidens: atque huius inordinatae & infinitae causae sunt.

Id verò quod alicuius gratia dicitur, in iis est, quae naturâ, aut à mente fiunt: fortuna autem est, cum aliquid horum fit per accidens. Nam ut ens aliud est per se, aliud per accidens: ita & causa: fortuna verò causa est per accidens in iis quae per electionem alicuius gratia fiunt. Quocirca in eodem mens & fortuna B versantur: electio enim non sine mente est. Causae verò à quibus fieri possunt, quae à fortuna perveniunt, indefinitae sunt. Ita sit ut humanae rationi sit occulta. Ac per accidens quidem causa est: simpliciter autem nullius. Porro bona & mala fortuna tum dicuntur, cum bonum aut malum evenerit. Prospera autem fortuna & infortunium in magnitudine horum sita sunt. Quoniam verò nihil eorum quae sunt per accidens, prius est iis, quae sunt per se: neq; igitur causae. Quare si fortuna aut casus, coeli sunt causae, prior mens & natura causa erit.

EXPLANATIO CAPITIS SEPTIMI.

Quoniam ad hunc usque locum multa de huius scientiae amplitudine docuit, ne omnia credantur eius considerationi subiecta, quaecunque tandem nomine entium quavis ratione significantur, paucis repetit hoc capite ex secundo libri sexti, quae loco illo de ente per accidens & ente rationis disseruit, eaque ab huius cura seiungit. Quod ita intelligendum est, si quis eorum quasi species persequi velit. Nam de his in genere hoc doceri potest ac demonstrari, non cadere illa sub ullius scientiae cognitionem, quae de veris rebus agat.

Hoc igitur ut faciat, primum ait agendum hoc loco de ente per accidens in commune, ut pateat eius considerationem neque ad hanc neque ad aliam scientiam ex proprio instituto spectare. Tum quatuor argumentis id ostendit, uno ex inductione earum artium quae notae sunt & vulgatae, quarum nullam videmus agentem de accidente, hoc est, de ente per accidens: hoc enim nomen passim hoc capite pro ente per accidens usurpatur. Altero, quia ens per accidens, non est verè ens, quia non verè unum: qua de causa addit, non malè dixisse Platonem Sophistam, cui maximè familiaris est captio

ptio accidentis, in non ente usurpari. Tertiò, quia omnis scientia agit de iis quæ semper sunt, aut maxima ex parte: ens autem per accidens, nec semper nec maxima ex parte est. Quartò, quia non habet causam ullam certam & determinatam, ut per eam demonstrari possit.

Deinde iungit cum ente per accidens illud ens rationis, quod dicitur verum, cuius contrarium est falsum, aitque similiter, de eo non agere primum Philosophum, quòd in sola mente sit (nempe obiectivè;) primus autem Philosophus non agat de eiusmodi ente, ex eo proprio nimirum instituto, & speciatim de eius generibus, sed de eo quod separabile est, hoc est, extra intellectum existit, non in sola eius apprehensione. Qua eadem ratione patet, neque ullam aliam scientiam realem de eo agere: quod item de cæteris entibus rationis sentiendum est. Nam autem Dialectica agat de entibus rationis, de quibus etiam, & quo pacto agat, ad 2. librum explicatum est. Quod ubi docuit Aristoteles, iterum de ente per accidens hoc affirmat, non esse illud necessarium sed indefinitum & incertum, eiusque causas esse inordinatas, & infinitas, sive indefinitas, ut hac potissimum ratione intelligatur, ab..... cæterarum scientiarum consideratione illud excludi.

Postremò regressus ad solum ens per accidens tradit eius causas in genere, quæ sunt fortuna & casus: quanquam initio huius extremæ sectionis. nomine fortunæ casum etiam complectitur, nec nomine casus utitur, nisi ad finem capitis. Hæc autem non iam ex libro 6. repetit, sed ex lib. 2 Physicorum in summam fere ea colligens, quæ à capite quarto de fortuna & casu tradiderat, quæ cum apertè hic proponantur satis erit si tantum verba quædam ex toto capite carptim exponamus.

a Id quod simpliciter est ens.

ENs simpliciter dictum idem est hoc loco atque ens communiter sic appellatum, nullamque in hac communitate speciali nota dignum.

b Nec verò ulla quicquam.

VErba hæc supplent ea quæ Aristoteles festinatione prætermisit. Sensum enim potius quàm verba sequuti sumus in tota periodo, quæ etiam videtur depravata. Quod autem hic significat, huiusmodi est, Nullam scientiam considerare musicum factum esse grammaticum, nec (quod subaudiendum est) grammaticum factum esse musicum, tum quia utrumque per accidens convenit alteri, neutrumque per se & natura sua sibi alterum vendicat, tum etiam quia neque ipsum totum musicum grammaticum, aliquid est verè unum, ut verè ens quoque dici possit, fieret enim una generatione, quod falsum est: nemo enim una generatione artis fit simul grammaticus & musicus sed duabus, quod non accidit in iis quæ sunt per se unum. Ita quod attinet ad tractationem scientiarum, D quæ de veris entibus agunt, potius ens per accidens est non ens, quàm ens, cum ab omnibus prætermittatur.

Textus Græcus non habet (ulla) sed subintelligitur.

c Quod verò entis per accidens.

ENtis per accidens non posse dari causam per se ex eo probat, quia cum ex causa per se necessariò, aut maxima ex parte sequatur

tur effectus (nam & hoc necessarium iudicatur sublatis impedimentis) si entium per accidens darentur causæ per se omnia necessariò evenirent, quod perspicuè deducit. Quod autem ad verba attinet, sic vertimus illlud [οὗ τοῦτ' ἦν αἴτιον] [cuius hoc causa fuerit] quia putamus hic verbum præteriti pro futuri positum esse, ut sæpe ponitur pro præsentis, quod Budæus in commentariis linguæ Græcæ animadvertit. A B

[d] *Quin etiam si causa.*

EAndem rationem ait esse si causa nondum ponatur in esse, sed iam paretur in futurum, quod est iam fieri: hoc enim pacto omnia (quæ scilicet fiunt) necessariò fient, quod ostendit in eclipsi quæ crastina die futura est: iam enim causa interpositionis hodie paretur; quo fit ut si tempus medium dematur aut potius consumatur, iam causa sit posita in esse, ex qua præsens necessariò effectus sequitur. C

[e] *Ens ut verum.*

PArum refert quod Græcè est [ens ut verè] sensus enim est, ens ut significatum per veram enunciationem; at quemadmodum illud verè significatur & dicitur, ita & verum est, & dicitur. D

[f] *Infinitæ causæ sunt.*

PArum quoque referret si Aristoteles diceret indefinitas, neque enim hic sumitur verbum [infinitæ] pro infinitæ actu, sed pro infinitis Syncategorematicè, ut dicitur, quæ non tot sunt, quin plures sumi possint: hæ autem semper sunt incertæ & indefinitæ.

[g] *In eodem mens & fortuna.*

HOs reprehendit, qui fortunam aut casum primas cælorum causas videbantur constituere, oporteret enim priores causas dari, cum causæ per accidens sint posteriores causis per se. Si ergo fortuna est causa cæli, prior erit mens è qua declinat fortuna: si casus, prior erit natura à qua deficit casus. Quare aliquid etiam aliud vel mens vel natura moliebatur, quod prius esset natura cœlo, cum per accidens & præter intentionem vel mentis vel naturæ cœlum emerserit, si fortuna aut casu factum est: ut si avis intendens pullum excludere suæ speciei, excludat alienæ. Quid autem prius natura in corporibus; prius natura cœlo cogitari potest, ut alia prætermittantur absurdissima.

Κεφάλαιον η'.

Ἔστι δὲ τὸ μὲν ἐνεργείᾳ μόνον, τὸ δὲ δυνάμει. τὸ δὲ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ, [b] τὸ μὲν ὄν, τὸ δὲ ποσόν, τὸ δὲ τῶν λοιπῶν. [c] οὐκ ἔστι δὲ κίνησις παρὰ τὰ πράγματα μεταβάλλει γὰρ ἀεὶ κατὰ τὰς τοῦ ὄντος κατηγορίας. κοινὸν δ' ἐπὶ τούτων οὐ-

CAP. VIII.

EST [a] autem aliud actu solum, aliud potentia, aliud potentia & actu: & aliud [b] quidē ens, aliud verò quantū, aliud deniq; aliquid ex cæteris. Nec [c] verò motus est quicquam præter res. Semper enim fit mutatio pro ratione categoriarum entis. Nihil porro est his

δέν ἐστιν, οὐδὲ ἐν μιᾷ κατηγορίᾳ. ἕκαστον δὲ διχῶς ὑπάρχει πᾶσιν, οἷον, τόδε. τὸ μὲν γὰρ μορφὴ αὐτοῦ, τὸ δὲ στέρησις· καὶ κατὰ τὸ ποιόν, τὸ μὲν λευκόν, τὸ δὲ μέλαν. καὶ κατὰ τὸ ποσόν, τὸ μὲν τέλειον, τὸ δὲ ἀτελές. καὶ κατὰ φορὰν τὸ μὲν ἄνω, τὸ δὲ κάτω, ἢ τὸ μὲν κοῦφον, τὸ δὲ βαρύ. [c] ὥστε κινήσεως καὶ μεταβολῆς τοσαῦτ' εἴδη, ὅσα τοῦ ὄντος. διῃρημένου δὲ καθ' ἕκαστον γένος, τὸ μὲν δυνάμει, τὸ δ' ἐντελεχείᾳ, τὴν τοῦ δυνάμει ᾗ τοιοῦτόν ἐστι, ἐνεργείαν λέγω κίνησιν. [g] ὅτι δ' ἀληθῆ λέγομεν, ἐνθένδε δῆλον. ὅταν γὰρ τὸ οἰκοδομητὸν ᾗ τοιοῦτον, αὐτὸ λέγομεν εἶναι ἐνεργείᾳ, ᾗ οἰκοδομεῖται. καὶ ἔστι τοῦτο οἰκοδόμησις, ὁμοίως μάθησις, ἰάτρευσις, καὶ κύλυσις, βάδισις, ἅλσις, γήρανσις, ἅδρωσις. συμβαίνει δὲ κινεῖσθαι, ὅταν ἡ ἐντελέχεια ᾖ αὐτή, καὶ οὔτε πρότερον, οὔθ' ὕστερον. ἡ δὲ τοῦ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια, ὅταν ἐντελεχείᾳ ὂν ἐνεργῇ, ἢ αὐτὸ ἢ ἄλλο ᾗ κινητόν, κίνησίς ἐστι· λέγω δὲ τὸ ᾗ ὧδε. ἔστι γὰρ ὁ χαλκὸς δυνάμει ἀνδριάς. ἀλλ' ὅμως οὐχ ἡ τοῦ χαλκοῦ ἐντελέχεια, ᾗ χαλκός, κίνησίς ἐστιν. οὐ γὰρ ταὐτὸ χαλκῷ εἶναι καὶ δυνάμει τινί. ἐπεὶ εἰ ταὐτὸ ἦν ἁπλῶς, κατὰ τὸν λόγον, ἦν ἂν ἡ τοῦ χαλκοῦ ἐντελέχεια κίνησίς τις. οὐκ ἔστι δὲ ταὐτόν. δῆλον δ' ἐπὶ τῶν ἐναντίων, τὸ μὲν γὰρ δύνασθαι ὑγιαίνειν, καὶ δύνασθαι κάμνειν, οὐ ταὐτὸν ἦν. καὶ γὰρ ἂν τὸ ὑγιαίνειν καὶ τὸ κάμνειν, ταὐτὸν ἦν, τὸ δ' ὑποκείμενον καὶ ὑγιαῖνον καὶ νοσοῦν, εἴθ' ὑγρότης, εἴθ' αἷμα, ταὐτὸ καὶ ἕν. ἐπεὶ δὲ οὐ τὸ αὐτόν, ὥσπερ οὐδὲ χρῶμα ταὐτὸ καὶ ὁρατόν, ἡ τοῦ δυνατοῦ ᾗ δυνατὸν ἐντελέχεια, κίνησίς ἐστιν. ὅτι μὲν γάρ ἐστιν αὕτη, καὶ ὅτι συμβαίνει τότε κινεῖσθαι, ὅταν ἡ ἐντελέχεια ᾖ αὐτή, καὶ οὔτε πρότερον οὔθ' ὕστερον δῆλον. ἐνδέχεται γὰρ ἕκαστον ὁτὲ μὲν ἐνεργεῖν, ὁτὲ δὲ μή. οἷον, τὸ οἰκοδομητὸν ᾗ οἰκοδομητόν, καὶ ἡ τοῦ οἰκοδομητοῦ ἐνέργεια ᾗ οἰκοδομητόν, οἰκοδόμησίς ἐστιν. ἢ γὰρ τοῦτό ἐστιν ἡ οἰκοδόμησις, ἡ ἐνέργεια, ἢ ἡ οἰκία. ἀλλ' ὅταν ἡ οἰκία ᾖ, οὐκ ἔτι οἰκοδομητὸν ἔσται. οἰκοδομεῖται δὲ τὸ οἰκοδομητόν. ἀνάγκη ἄρα οἰκοδόμησιν τὴν ἐνέργειαν εἶναι. ἡ δ' οἰκοδόμησις, κίνησίς τις, ὁ δ' αὐτὸς λόγος καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων κινήσεων. [i] ὅτι δὲ καλῶς εἴρηται, δῆλον ἐξ ὧν οἱ ἄλλοι λέγουσι

A *commune, ne in una quidem categoria. Vnum- [a] quodque autem duobus modis inest omnibus, veluti in hoc: aliud enim eius est forma, aliud privatio. Et in quali aliud quidem albũ, aliud verò nigrum: & in quanto aliud perfectum, aliud imperfectum: & in latione aliud supra, aliud infra, vel aliud leve, aliud grave. Quare [c] tot motus & mutationis quot entis species sunt. Cùm [f] autem pro ratione cuiusque generis, aliud actu sit, aliud potentia, actum entis in potentia, quatenus eiusmodi est, motum esse dico.*

οἷον τόδε, id est, κατὰ τόδε, ut mox, κατὰ ποιόν,

[g] Vera autem esse quæ dicimus, hinc perspici potest. Nam cum aliquid ædificari potest, B *quatenus tale est, illud dicimus actu esse, quatenus ædificatur, estque hoc ædificatio: eodemque modo doctrinæ acceptio, curatio, volutatio, ambulatio, saltatio, ad senectutem inclinatio, ad ætatemque adultam provectio. Accidit autem ut moveantur cùm actus ipse fuerit non prius, nec posterius: actus autem eius quod est potentia, cum id quod actu est operatur, non quatenus ipsum sed quatenus mobile est, motus utique est.*

Illud [h] autem, Quatenus, sic expono. Est enim æs potentia statua, non tamen actus æris, quatenus æs, motus est. Neque enim est esse æris C *atque alicuius potentiæ. Nam si simpliciter rationeque idem esset, certè actus æris, motus esset quidam. Atqui non sunt idem: idque in contrariis perspicitur. Posse enim sanari, & posse ægrotare non idem sunt: esset enim ipsum ægrotare, idem quod sanari. Subiectum autem quod sanari & ægrotare potest, sive humor sive sanguis sit, unum atque idem est. Quoniam verò non idem sunt, quemadmodum nec color idem est quod visibile, utique actus possibilis, quatenus possibile est, motus est.*

Quòd igitur hic ipse sit, tuncque aliquid moveatur, cum hic actus adest, non prius nec posterius apertè constat. Contingit enim, ut unaquæque res aliquando sit actu, aliquando minimè, D *ut quod ædificari potest, quatenus ædificari potest: atque ædificabile, quatenus ædificabile est, ædificatio est. Aut enim hoc, actus, inquam, est ædificatio, aut domus: aut cùm domus est, non iam ædificari potest: ædificatur autem quod potest ædificari. Necesse est igitur actum esse ædificationem; ædificatio autem motus est quidam. Eademque ratio est in cæteris motibus.*

[i] Ac rectè hæc dicta esse, perspicuum est, & ex

περὶ

περὶ αὐτῆς, καὶ ἐκ τοῦ μὴ ῥᾴδιον εἶναι διορίσαι ἄλλως αὐτήν. οὔτε γὰρ ἐν ἄλλῳ τις γένει δύναιτ' ἂν θεῖναι αὐτήν. δῆλον δ' ἐξ ὧν λέγουσιν. οἱ μὲν γὰρ ἑτερότητα καὶ ἀνισότητα καὶ τὸ μὴ ὄν. ὧν οὐδὲν ἀνάγκη κινεῖσθαι, ἀλλ' οὐδ' ἡ μεταβολή. οὔτ' εἰς ταῦτα, οὔτ' ἐκ τοιούτων μᾶλλον, ἢ ἐκ τῶν ἀντικειμένων. αἴτιον δὲ τοῦ εἰς ταδὶ τιθέναι, ὅτι ἀόριστόν τι δοκεῖ εἶναι ἡ κίνησις. τῆς δ' ἑτέρας συστοιχίας αἱ ἀρχαὶ, διὰ τὸ στερητικαὶ εἶναι, ἀόριστοι. οὔτε γὰρ τόδε, οὔτε τοιόνδε οὐδεμία αὐτῶν, οὔτε τῶν λοιπῶν κατηγοριῶν. τοῦ δὲ δοκεῖν ἀόριστον εἶναι τὴν κίνησιν, αἴτιον, ὅτι οὔτ' εἰς δύναμιν τῶν ὄντων, οὔτ' εἰς ἐνέργειαν ἐστὶ τιθέναι αὐτήν. [i] οὔτε γὰρ τὸ δυνατὸν ποσὸν εἶναι, κινεῖται ἐξ ἀνάγκης, οὔτε τὸ ἐνεργείᾳ ποσόν. ἥ τε κίνησις ἐνέργεια μὲν εἶναι δοκεῖ τις, ἀτελὴς δέ. αἴτιον δ' ὅτι ἀτελὲς. τὸ δυνατὸν οὗ ἐστιν ἐνέργεια. [m] καὶ διὰ τοῦτο χαλεπὸν αὐτὴν λαβεῖν. τί ἐστιν. ἢ γὰρ εἰς στέρησιν ἀνάγκη θεῖναι, ἢ εἰς δύναμιν, ἢ εἰς ἐνέργειαν ἁπλῆν· τούτων δ' οὐδὲν φαίνεται ἐνδεχόμενον. ὥστε λείπεται τὸ λεχθὲν εἶναι καὶ ἐνέργειαν, καὶ μὴ ἐνέργειαν τὴν εἰρημένην, ἰδεῖν μὲν χαλεπὴν, ἐνδεχομένην δ' εἶναι. [n] καὶ ὅτι ἐστὶν ἡ κίνησις ἐν τῷ κινητῷ, δῆλον. ἐντελέχεια γάρ ἐστι τούτου ὑπὸ τοῦ κινητικοῦ. καὶ ἡ τοῦ κινητικοῦ ἐνέργεια οὐκ ἄλλη ἐστί. δεῖ μὲν γὰρ εἶναι ἐντελέχειαν ἀμφοῖν, κινητικὸν μὲν γάρ ἐστι, τὸ δύνασθαι. κινοῦν δὲ, τὸ ἐνεργεῖν ἀλλ' ἔστιν ἐνεργητικὸν τοῦ κινητοῦ. ὥσθ' ὁμοίως μία ἀμφοῖν ἐνέργεια, ὥσπερ τὸ αὐτὸ διάστημα ἓν πρὸς δύο, καὶ δύο πρὸς ἕν, καὶ τὸ ἄναντες, καὶ τὸ κάταντες. ἀλλὰ τὸ εἶναι οὐχ ἕν. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ κινοῦντος καὶ κινουμένου.

A *iis quæ alii de motu pronunciant. & quia nõ facile est, illum alio modo definire. Neq; enim eum quisquam alio in genere ponere potest: quod ex iis quæ de illo dicuntur, apertum est. Namq; alii alteritatem, & inæqualitatem, & non ens esse dicunt, quorum nihil necesse est moveri. Sed neq; mutatio aut in hæc aut ex his potius quàm ex oppositis est.* [k] *Causa verò cur in his motum posuerint, ea fuit, quòd inde indefinitum quid esse videatur: alterius enim ordinis principia, quia privativa sunt, indefinita censentur. Etenim nihil eorum est hoc aut quale, aut aliarum categoriarum.*

δὲ pro γὰρ, ut aliquando fit.

B *Cur autem motus indefinitum quiddam videatur esse, ea est causa, quòd neq; in genere potentiæ, nec verò actus illum ponere liceat.* [l] *Nam neq; id quod potentia quantum est, nec quod actu quantum, moveri est necesse. Ac videtur motus actus quidem esse, verùm imperfectus, propterea quòd imperfectum sit ipsum possibile, cuius est actus: qua de* [m] *causa difficile est capere, quid ille sit tandem. Aut enim in privatione, aut in potentia, aut in actu simplici ponatur necesse est: quorum certè nihil videtur fieri posse. Ita relinquitur, esse id quod dictum est, & non actum, & actum à nobis expositum, qui etsi difficilis cognitu* C *est, esse tamen potest.*

Illud etiam [n] *est perspicuum, motum in mobili esse: actus enim huius est ab eo quod movere potest. Neq; eius quod vim movendi habet, alius est actus; cùm vtriusque actum esse oporteat. Motivum enim ea ratione dicitur, quòd possit, movens autem, quod agat: cæterùm activum est in ipsum mobile. Est igitur vnus vtriusque actus, quo pacto idem est interuallum unius ad duo, quòd duorum ad unum, acclive q; ac declive: sed esse non unum est. Atq; eodem modo res habet in eo quod movet, & in eo quod movetur.* D

EXPLANATIO CAPITIS OCTAVI.

EXpositis iis quæ ab huius rejicienda sunt scientiæ consideratione, exponit ea quæ etsi non rejiciuntur, minùs tamen præcipuè in ea considerantur, motus, inquam, & (quod illum sequitur) infinitum. Motus enim neque ens perfectum est, neque etiã

non ens, sed ens imperfectum & inchoatum, per quod tamen in cognitionem perfectissimi & absolutissimi entis veniamus necesse est. Repetit igitur paucis hoc capite ea quæ fusius de natura & conditione motus consequenter scripserat primis tribus capitibus lib. tertii, primumq; docet quid sit motus, deinde rectè traditam esse eius definitionem ostendit: postremò tradit in quo natura sit velut subjecto, & quo pacto se habeat ad id quod movet, & quod movetur. Quæ omnia fermè expositione non egent, cùm præsertim ex loco citato passim repeti, & in ore haberi soleant.

[a] *Est autem aliud actu.*

ETsi divisio hæc sic intelligi possit, ut primum membrum in solum Deum cadat quòd solus sit actus purus, secundum in solam materiam, quòd sit pura potentia; tertium, in composita naturalia, quòd materia & forma constent: potiùs tamen sic exponenda est ad rem de qua est disputatio, ut ea dicantur solùm esse actu, quæ perfectè sunt in actu, seu habent actum, qualiscunque is tandem sit, ut perfectè album, aut perfectè existens in loco; ea verò solùm potentia, quæ nihil habent certi alicuius actus seu formæ, quo pacto id quod perfectè nigrum est, dicitur esse album potentia, & quod supremo in loco est, dicitur esse potentia in infimo: eademque potentia & actu, quæ actum seu formam imperfectè habent, ut imperfectè alba & imperfectè nigra, & quæ partim proprio in loco sunt, partim extra illum.

B

[b] *Aliud quidem ens.*

NOmen entis hoc loco pro sola substantia sumitur, quòd sola per se sit, ut inferius nomen huius. eo quòd sola substantia sit hoc aliquid, propriamque habeat subsistentiam.

[c] *Nec verò motus.*

MOtum non esse quicquam præter res, sic intelligendum est, ac si dixisset, non esse genus aliquod quod commune sit, seu motibus ipsis; seu rebus formisve quæ motibus acquiruntur, ut paucis verbis interpositis ipse explicat. Quamquam enim utitur verbo [præter] more Platonico (quo verbo apud illum separatio à particularibus significabatur) non tamen illud sumit hoc loco ut significat separationem, sed communitatem. Non esse autem motum commune aliquid sive rebus omnibus prædicamentorum omnium, sive etiam unius, ut addit; ex eo patet, quia neque omnia quæ in prædicamentis sunt, per motum acquiruntur, neque etiam omnia quæ sunt in eodem, ut inductione patet. Est igitur motus qua ratione motus est, analogum quippiam differens à forma quæ per motum acquiritur, ut imperfectum quiddam & partim actu existens, partim potentia, ab eo quod iam totum actu existit.

C

D

[d] *Unum quodque autem.*

SEnsus est in omni prædicamento dari aliquid perfectum, aliquid imperfectum, quod etiam in eadem re sæpe accidit, ut prius imperfecta sit deinde perfecta. Quod autem hic ait, grave & leve ad prædicamentum ubi seu lationis pertinere (significat enim nomine lationis,

nis locum qui per motum acquiritur) reductitiè intelligendum est, ea nimirum ratione qua potentiæ ad ea genera reducuntur, in quibus earum actus collocantur.

e Quare tot motus.

CUm non in omnibus prædicamentis reperiatur motus, ut ipse probat lib. 5 Physicorum, mirum est quòd hîc asserere videatur non solùm tot esse species motus, quot sunt ipsa prædicamenta, sed etiam quot sunt ipsæ rerum species quæ ponuntur in prædicamentis. Verum hoc negativè intelligendum est, quemadmodum illud quod dixerat primo capite libri quinti, tot modis dici causas, quot principia: cùm tamen principii nomen latius pateat. Sensus ergo est non plures esse species motus quam sint rerum species, ut sensus sit, non inveniri ullam motus speciem nisi quæ ad formam aliquam, speciemque rei alicuius prædicamentalis pertineat. Nisi velis sic intelligenda esse verba illa [quot entis species sunt] ut sumantur pro speciebus rerum, ad quas est motus: quamquam hoc ineptum ac frivolum videri poterit.

f Cum autem pro ratione.

COlligit ex dictis motus definitionem nobis quidem iam tritam & vulgatam, à se autem non mediocri labore inventam, quæ libro quinto huius operis ad cap. 13. fusè explicata est. Interest autem inter hanc & eam quæ habetur initio libri tertii Physicorum, quod genus aut quasi genus in illa, nomine τῆς ἐντελεχείας appellatum est, in hac autem nomine τῆς ἐνεργείας, quòd sæpe hæc nomina indifferenter in eadem significatione usurpantur, tametsi verbo τῆς ἐντελεχείας sæpius significatur forma, nomine autem τῆς ἐνεργείας, fere semper operatio, potissimum verò ea quæ est actus perfectus.

g Veram autem esse.

HIs tribus sectionibus exponit traditam esse definitionem, primumque cur dixerit entis in potentia, explicandis iis particulis quibus constat. Quo loco ubi ait [actus eius quod est potentia, &cæt.] sensus est, Actus autem eius quod est potentia, hoc est mobile, cum id quod est actus, id est, agens, est in opere sive agit, non tamen mobile quatenus ipsum, id est, quatenus hæc aut illa res, sed quatenus mobile est, is actus, inquam, motus est.

h Illud autem.

EXponit cur dixerit quatenus: quo loco sensus est: Nam etsi æs in potentia est ad statuam, seu potentiam statuæ, tamen ratio æris non eadem est atque ratio talis potentiæ: nam si eadem esset, eodem modo ratio æris & ratio potentiæ ad columnam, essent una & eadem: cùm autem ea quæ & re & ratione conveniunt, in uno tertio sint idem omnino inter se; eadem esset ratio utriusque potentiæ, ac proinde ratio statuæ & columnæ à quibus eæ potentiæ rationem distinctionemque accipiunt: idem quodque omnino essent, quod non minus absurdum est, quam si quis dicat idem esse omnino sanitatem & morbum, quòd concedat subiectum quod est in potentia, ad sanitatem & morbum idem omnino esse atque huiusmodi potentias. Sumitur autem hoc loco

potentia, non ut respicit totum aliquod genus actuum, sed certam speciem, atque hoc pacto intelligenda est potentia in definitione motus.

[i] Ac rectè quidem.

Confirmat definitionem, & ex errore veterum, qui aliter motum definire tentarunt, & ex eo quod difficile sit, ne dicat (quod verè putat) impossibile, alio modo illum definire. Nam cum necessariò ponendus sit in genere aut quasi genere actus imperfecti, tendentisque in perfectionem, quo pacto omnes motus comprehendit, illi partim ad speciales rationes respexerunt, dicentes motuum esse alteritatem, quæ solam varietatem in qualitate significat, aut inæqualitatem quæ ad solam quantitatem spectat: partim dicunt esse non ens, quod solum terminum corruptionis motum videtur pręse ferre. Accedit quòd nihil horum, hoc est, eorum quæ his affecta sunt, necesse est moveri, nec quod alterum est seu diversum in qualitate, nec quod inæquale, nec quod non est hoc aut illud: possunt enim quatenus talia sunt, quiescere. Postremò quia non magis moventur res, ut sint dissimiles, quam ut similes, nec ut inæquales, quam ut æquales, nec ut non sint hoc aut illud quam ut sint.

[k] Causa verò Cur.

Quoniam hi philosophi, etsi rem non attigerunt, tamen eam videntur subodorari ea ex parte, qua incertum & indefinitum quid motum esse conceperunt, iccirco ait Aristoteles, motum ab eis in eiusmodi quasi generibus dissimilitudinis, inæqualitatis, & privationis, positum fuisse, atque adeò in ordine eorum principiorum, quæ apud Pythagoricos imperfecta judicabantur, ut lib. 1. dixerat. Erat enim motus unum ex decem principiis seriei secundæ quæ malorum imperfectorum appellabatur. Ac meritò quidem in ea serie motum collocabant, quia nihil eorum quæ in ea ponebantur, illorum sententia erat perfectum, ut nos dicimus aliquid esse perfectè hoc sive substantia, perfectè quale, aut aliquid aliud eorum quæ in veris prædicamentorum generibus ponuntur.

Adverte autem motum dici indeterminatum, quia cum nihil aliud sit, quam ipse actus seu forma in fieri, necesse est ut partim iam sit, partim nondum sit; qua de causa partim videtur ens partim non ens, partim in genere potentiæ ponendus, partim in genere actus, cùm tamen absolutè in neutro poni possit, ut mox docet. Quocirca veteres illi, præsertim Pythagorici, qui omnia figuris & ænigmatibus involvebant, propterea fortasse dixerunt motum esse alteritatem, quia est dissimilis perfectionis in partibus præcedentibus & subsequentibus (neque enim motus ut motus est ipsa eius continuitas, aut mora successionis, quæ æquè perfecta sunt in toto motu, sed est forma, quatenus pedetentim acquiritur, ut lib. 5. dictum est) inæqualitatem autem quia plus formæ acquisitum est in partibus subsequentibus, quam in præcedentibus; non ens verò, quia motus cum magis respiciat futurum quam præteritum, potius non ens videtur esse quam ens. Cæterum Aristoteles, etsi nonnullam eorum excusationem hoc loco innuit cum ait ipsam motus indeterminationem in causa fuisse, cur ita loquuti sint, tamen quia non

non probat genus illud philoso- A phandi ænigmaticum & metaphoricum, eorum verba simpliciter & absolutè, ut alibi solet, meritò reprehendenda putat.

[l] Nam neque id quod potentia.

PRobat, motum, neque in genere potentiæ, nec in genere actus simpliciter & absolute poni posse; quia neque id quod est omnino in potentia ad aliquam for- B mam, nec quod iam illam habet, moveri necesse est, ut frumentum cùm est in potentia, herba (veluti in horreo) aut cum iam habet spicam perfectam. Concludit ergo esse actum quidem sed tamen imperfectum, & inchoatum, tendentemque in perfectionem, idque quia mobile qua mobile est (quod vocat possibile nempe ut moveatur) cuius actus est motus, imperfectum quiddam est ratione talis potentiæ.

[m] Qua de causa difficile.

COlligit ex dictis, cur difficile sit capere quid sit motus: causa verò est, quia primo aspectu, ratione quidem eius quod nondum per motum acquisitum est, videtur simpliciter & absolutè privatum omni esse, & in potentia simpliciter seu quæ nullum admistum actum habeat; ratione autem eius D quod iam est acquisitum, videtur esse actus simplex, hoc est, qui nullam habeat admistam potentiam: re tamen vera neutrum de eo dici potest, sed id tantum quod dictum erat, nempe & non esse actum simplicem, sive actum entis in actu, & esse actum admistum potentia, sive actum entis in potentia, ut in potentia est. Est igitur difficilis cognitu definitiva cognitione, propter admistionem actus cum potentia: facilis autem cognitu cognitione simplici, quia pene nihil clarius quam res sensibiles moveri, ac proinde moveri posse.

[n] Illud etiam est.

DOcet, motum, etsi est actus tam motivi quam mobilis, ut talia sunt (utrumque enim tunc ponitur in actu, illud potentiæ activæ, hoc passivæ, cum alterum movet, alterum movetur, tamē non inesse moventi sed mobili Est enim à movente quidem perfectus, sed in mobili tamen receptus. Ne- C que incommodum, si unus actus sit duorum, modò ei sit externus, quod alterum perficit; ei verò internus seu inhærens quod ab altero perficitur: tametsi non est negandum aliam esse rationem eius, ut à movente procedit; aliam, ut in mobili suscipitur; cum priori subeat rationem actionis, posteriori rationem passionis, quod ipse familiaribus exemplis declarat. Neque in re hac dubium est ullum, cum loquatur de motu propriè dicto, qui & definitus erat; quo quidem omne quod movetur, ab alio moveatur necesse est, ut ex iis quę ad cap. 1. libri noni dicta sunt, perspicuum esse potest.

A

Κεφάλαιον θ'.

Τὸ δ' ἄπειρον, ἢ τὸ ἀδύνατον διελθεῖν τῷ μὴ πεφυκέναι διϊέναι, καθάπερ ἡ φωνὴ ἀόρατος. ἢ τὸ διέξοδον ἔχον ἀτελεύτητον, ἢ ὃ μόλις, ἢ ὃ πεφυκὸς ἔχειν μὴ ἔχῃ διέξοδον ἢ πέρας ἔτι προσθέσει ἢ ἀφαιρέσει ἢ ἄμφω. χωριστὸν μὲν δὴ αὐτό τι ὄν, αἰσθητὸν δὲ οὐχ οἷόν τ' εἶναι. εἰ γὰρ μήτε μέγεθός ἐστι μήτε πλῆθος, οὐσία δ' B αὐτοῦ τὸ ἄπειρον, καὶ μὴ συμβεβηκός, ἀδιαίρετον ἔσται. τὸ γὰρ διαιρετόν, ἢ μέγεθος, ἢ πλῆθος, εἰ δὲ ἀδιαίρετον, οὐκ ἄπειρον, εἰ μὴ καθάπερ ἡ φωνή, ἀόρατος. ἀλλ' οὐχ οὕτω λέγουσιν, οὐδ' ἡμεῖς ζητοῦμεν, ἀλλ' ὡς ἀδιέξοδον. ἔτι πῶς ἐνδέχεται καθ' αὑτὸ εἶναι ἄπειρον, εἰ μὴ εἴη ἀριθμὸς καὶ μέγεθος, ὧν πάθος τὸ ἄπειρον; ἔτι εἰ κατὰ συμβεβηκός, οὐκ ἂν εἴη στοιχεῖον τῶν ὄντων ᾗ ἄπειρον, ὥσπερ οὐδὲ τὸ ἀόρατον τῆς διαλέκτου, καίτοι ἡ φωνὴ ἀόρατος, καὶ ὅτι οὐκ ἔστιν ἐνεργείᾳ εἶναι τὸ ἄπειρον. δῆλον. ἔσται C γὰρ ὁποιοῦν ἑαυτοῦ ἄπειρον μέρος τὸ λαμβανόμενον. τῷ γὰρ ἀπείρῳ εἶναι καὶ ἄπειρον, τὸ αὐτό εἴπερ οὐσία, τὸ ἄπειρον, καὶ μὴ καθ' ὑποκειμένου. ὥστε ἢ ἀδιαίρετον, ἢ εἰς ἄπειρα διαιρετόν, ἢ μεριστόν. πολλὰ δ' εἶναι τὸ αὐτό, ἀδύνατον ἄπειρα. ὥσπερ γὰρ μέρος ἀὴρ ἀέρος, οὕτως ἄπειρον ἀπείρου, εἰ ἔστιν οὐσία καὶ ἀρχή. ἀμέριστον ἄρα καὶ ἀδιαίρετον. ἀλλὰ ἀδύνατον, τὸ ἐντελεχείᾳ ὄν, ἄπειρον. ποσὸν γὰρ εἶναι ἀνάγκη. κατὰ συμβεβηκὸς ἄρα ὑπάρχει. ἀλλ' οὕτως εἴρηται ὅτι οὐκ ἐνδέχεται εἶναι ἀρχήν, ἀλλ' ἐκεῖνο ᾧ D συμβέβηκε τὸν ἀριθμόν, ἢ τὸ ἄρτιον. αὕτη μὲν οὖν ἡ ζήτησις καθόλου, ὅτι δ' ἐν τοῖς αἰσθητοῖς οὐκ ἔστιν, ἐνθένδε δῆλον. εἰ γὰρ σώματος λόγος, τὸ ἐπιπέδοις ὡρισμένον, οὐκ εἴη ἂν ἄπειρον σῶμα, οὔτ' αἰσθητόν, οὔτε νοητόν, οὔτ' ἀριθμὸς ὡς κεχωρισμένος καὶ ἄπειρος ἀριθμητὸν γὰρ ὁ ἀριθμός, ἢ τὸ ἔχον ἀριθμόν. φυσικῶς δὲ ἐκ τῶνδε δῆλον. οὔτε γὰρ σύνθετον οἷόν τι εἶναι. οὔθ' ἁπλοῦν. σύνθετον μὲν γὰρ οὐκ ἔσται σῶμα, ε-

CAP. IX.

Est autem infinitum, aut quod impossibile est pertransire, quia suapte natura decurri non possit, quo pacto vox est invisibilis: aut quod transitum habet interminabilem: aut quod vix: aut quod natura quidem aptum est, ut habeat, nec tamen transitum aut finem habet. Itemque additione, aut detractione, aut utroque.

Ac separabile quidem ipsum esse quicquam impossibile est. Nam si nec magnitudo est, nec multitudo, substantia verò eius, & non accidens, est ipsum infinitum, indivisibile erit. quod enim divisibile est, aut magnitudo est, aut multitudo. Quòd si indivisibile est, non utique est infinitum, nisi eo modo quo vox est indivisibilis. Verum neq; ita dicunt, nec nos tale quærimus, sed ut quippiam quod pertransiri nequeat. Præterea quonam pacto fieri potest ut ipsum per se sit infinitum, nisi sit numerus aut magnitudo, quorum affectio est ipsum infinitum? Præterea si per accidens ponatur, non sanè fuerit elementum eorum quæ sunt, quatenus infinitum, quemadmodum neque invisibile locutionis, cum tamen vox sit invisibilis. Ac non posse infinitum actu esse, perspicuum est: erit enim quæcunque pars eius sumatur, infinita. Infinitum enim & infiniti esse idem sunt, si infinitum quidem substantia est, nec de subiecto dicitur. Aut igitur indivisibile erit, aut si partibile, in infinita dividi poterit. Ipsum verò multa esse infinita impossibile est. ut enim pars aeris aere est, ita infiniti infinita, si substantia & principium est. Impartibile igitur est, & indivisibile. At fieri nequit ut actu sit, quod & infinitum, quantũ enim sit necesse est. Ergò per accidens existit. Verum hoc pacto iam dictum est non posse illud esse principium: sed id cui accidet, ut numerum aut par. Atq; hæc quidem disputatio universalis est.

Græcè. ut si pars aeris aer est.

Sed id cui contingit esse numerũ aut æquale. Aerem legit Vetus & Argyropylus. Perionius ut numerus par.

Quòd autem in sensibilibus non sit, hinc perspici potest. Nam si ratio corporis est, superficie definitum esse, non erit sanè infinitum corpus nec sensibile nec intelligibile: Nec verò numerus separatus ac infinit[illegible] numerabilis enim est numerus, aut quod numerum habet.

Physicè autem ex his idem constabit. Neq; enim

ται εἰ πεπέρανται τῷ πλήθει τὰ στοιχεῖα. A δεῖ γὰρ ἰσάζειν τἀναντία, καὶ μὴ εἶναι ἓν αὐτῶν ἄπειρον. εἰ γὰρ ὁποσονοῦν λείπεται ἡ θατέρου σώματος δύναμις, φθαρήσεται ὑπὸ τοῦ ἀπείρου τὸ πεπερασμένον. ἕκαστον δ᾽ ἄπειρον εἶναι ἀδύνατον, σῶμα γάρ ἐστι τὸ πάντη ἔχον διάστασιν ἄπειρον δὲ, τὸ ἀπεράντως διεστηκός ὥστ᾽ εἰ τὸ ἄπειρον σῶμα, πάντη ἔσιν ἄπειρον. οὐδὲ ἓν δὲ ἁπλοῦν ἐνδέχεται τὸ ἄπειρον εἶναι σῶμα, οὔθ᾽ ὡς λέγουσί τινες, παρὰ τὰ στοιχεῖα ἐξ οὗ γεννῶσι ταῦτα. οὐκ ἔστι γὰρ τὸ τοιοῦτον σῶμα παρὰ τὰ στοιχεῖα. ἅπαντα γὰρ ἐξ οὗ ἐστι καὶ ὤν, διαλύεται B εἰς ταῦτα. οὐ φαίνεται δὲ τοῦτο παρὰ τὰ ἁπλᾶ σώματα, οὐδὲ πῦρ, οὐδ᾽ ἄλλο τι τῶν στοιχείων οὐδέν. χωρὶς γὰρ τοῦ ἄπειρον εἶναί τι αὐτῶν, ἀδύνατον τὸ ἅπαν, κἂν ᾖ πεπερασμένον, ἢ εἶναι, ἢ γίγνεσθαί τι αὐτῶν, ὥσπερ Ἡράκλειτός φησιν, ἅπαντα γίγνεσθαί ποτε πῦρ. ὁ δ᾽ αὐτὸς λόγος καὶ ἐπὶ τοῦ ἑνός, ὃ ποιοῦσι παρὰ τὰ στοιχεῖα οἱ φυσικοί. πᾶν γὰρ μεταβάλλει ἐξ ἐναντίου, οἷον ἐκ θερμοῦ εἰς ψυχρόν. ἔτι τὸ αἰσθητὸν σῶμα πού. καὶ ὁ αὐτὸς τόπος ὅλου καὶ μορίου, οἷον τῆς γῆς. ὥστ᾽ εἰ μὲν ὁμοειδές, ἀκίνητον ἔσται, ἢ ἀεὶ C οἰσθήσεται. τοῦτο δὲ ἀδύνατον. τί γὰρ μᾶλλον κάτω ἢ ἄνω, ἢ ὁπουοῦν. οἷον εἰ βῶλος εἴη, ποῦ αὕτη κινηθήσεται ἢ μενεῖ; ὁ γὰρ τόπος αὐτῆς τοῦ συγγενοῦς σώματος ἄπειρος. καθέξει οὖν τὸν ὅλον τόπον. καὶ πῶς; τίς οὖν ἡ μονὴ καὶ ἡ κίνησις; ἢ πανταχοῦ μενεῖ; οὐ κινηθήσεται ἄρα. ἢ πανταχοῦ κινηθήσεται; οὐκ ἄρα στήσεται. εἰ δ᾽ ἀνόμοιον τὸ πᾶν, ἀνόμοιοι καὶ οἱ τόποι, καὶ πρῶτον μὲν οὐχ ἓν τὸ σῶμα τοῦ παντός, ἀλλ᾽ ἢ τῷ ἅπτεσθαι. εἶτα ἢ πεπερασμένα ταῦτα ἔσται, ἢ ἄπειρα εἴδει. πεπερασμένα μὲν οὖν οὐχ οἷόν τε. ἔσται γὰρ D τὰ μὲν ἄπειρα, τὰ δ᾽ οὔ, εἰ τὸ πᾶν ἄπειρον οἷον πῦρ, ἢ ὕδωρ. φθορὰ δὲ τὸ τοιοῦτον τοῖς ἐναντίοις. εἰ δ᾽ ἄπειρα καὶ ἁπλᾶ, καὶ οἱ τόποι ἄπειροι, καὶ ἔσται ἄπειρα τὰ στοιχεῖα, εἰ δὲ τοῦτ᾽ ἀδύνατον, καὶ οἱ τόποι πεπερασμένοι, καὶ τὸ πᾶν ἀνάγκη πεπεράνθαι. ὅλως δ᾽ ἀδύνατον ἄπειρον εἶναι σῶμα, καὶ τόπον τοῖς σώμασιν, εἰ πᾶν σῶμα αἰσθητὸν βάρος ἔχει, ἢ κουφότητα. ἢ γὰρ ἐπὶ

nim compositum, nec simplex esse potest. Ac compositum quidem corpus non erit, si elementa multitudine sunt finita. Oportet enim contraria æquari inter se, neque esse unum eorum infinitum. Nam si quacumq; ratione alterius corporis virtus superetur, finitum sanè ab infinito corrumpetur: unumquodque autem infinitum esse non potest. Id enim est corpus quod omni ex parte dimensionem habet: infinitum autē quod infinitè distat. Quare si infinitū corpus est, omni ex parte infinitum erit. Sed neq; unum simplex corpus infinitum esse potest: neque, ut quidam dicunt, præter elementa, ex quo ea generant. Neque enim tale corpus præter elementa est: omnia enim ex quo aut ex quibus constant, in ea item resolvuntur. Non videtur autem hoc præter simplicia corpora esse: nec verò ignis aut ullum aliud ex elemētis: etenim præterquam quod aliquod eorum infinitum ponitur, fieri non potest, universum, etsi finitum sit, aut esse aut fieri aliquod eorum, ut Heraclitus ait, futurum aliquando ut omnia in ignem vertantur. Eadem ratio est de uno illo, quod Physici præter elementa faciunt. Omnia enim ex contrario mutantur, ut ex calido in frigidum.

Præterea sensibile corpus alicubi est, idemq; locus est totius & partis, ut terræ: quare si uniforme sit, aut immobile erit aut semper movebitur, quod fieri non potest. Cur enim deorsum potius quàm sursum, aut ad quemvis locum moveatur, ut si gleba sit, quò ea movebitur, aut ubi quiescet? locus enim eius corporis quod ei cognatum est, infinitus est. Occupabit igitur totum locum. At quonam modo? Quænam igitur eius quies erit, quis motus? An ubiq; quiescet? non ergo movebitur. An ad omnem locum movebitur? non igitur consistet.

Quòd si dissimilium sit partium, dissimilia erunt & loca. Ac primum quidem non unum erit universi corpus, nisi tactu. Deinde aut partes finitæ erunt, aut infinitæ. Ac finitæ quidem esse non possunt: essent enim aliæ infinitæ, aliæ non item, si universum infinitum est, ut ignis aut aqua. At quæ huiusmodi fuerit, contrarium erit interitus. Sin autem infinitæ ac simplices, loci quoq; infiniti erunt, infinitaq; elementa. Quod si hoc esse non potest, & loca finita sint, & universum infinitum esse necesse est. cōtrariorū.

Omnino autem fieri non potest, ut infinitū sit corpus; locusq; corporum, si omne corpus sensibile gravitatem habet aut levitatem: aut

τὸ μέσον, ἢ ἄνω οἰσθήσεται. ἀδύνατον δὲ τὸ A ἄπειρον, ἢ πᾶν, ἢ τὸ ἥμισυ, ἢ ὁποτερονοῦν πεπονθέναι. πῶς γὰρ διελεῖς; ἢ πῶς τοῦ ἀπείρου ἔσται τὸ μὲν κάτω, τὸ δ' ἄνω, ἢ ἔσχατον καὶ μέσον; ἔτι πᾶν αἰσθητὸν σῶμα ἐν τόπῳ, τόπου δὲ εἴδη ἕξ. ἀδύνατον δ' ἐν τῷ ἀπείρῳ σώματι ταῦτ' εἶναι. ὅλως δ' εἰ ἀδύνατον τόπον ἄπειρον εἶναι, καὶ σῶμα ἀδύνατον. τὸ γὰρ ἐν τόπῳ ποῦ. τοῦτο δὲ σημαίνει ἢ ἄνω, ἢ κάτω, ἢ τῶν λοιπῶν τι, τούτων δ' ἕκαστον πέρας τι. τὸ δ' ἄπειρον, οὐ ταὐτὸν ἐν μεγέθει καὶ κινήσει, καὶ χρόνῳ, ὡς μία τις φύσις. ἀλλὰ τὸ ὕστερον λέγεται κατὰ τὸ πρότερον. B οἷον, κίνησις κατὰ τὸ μέγεθος, ἐφ' οὗ κινεῖται, ἢ ἀλλοιοῦται, ἢ αὔξεται, χρόνος δὲ, διὰ τὴν κίνησιν.

enim ad medium aut sursum feretur. At fieri nequit ut infinitum, aut totum, aut dimidium, aut quidvis hæc patiatur. Quo enim pacto dividas? aut qua ratione infiniti alia pars sit suprà, alia infrà, alia extrema, alia media? Præterea omne corpus sensibile in loco est; loci autem sex sunt species, quæ quidem in infinito corpore esse non possunt. Prorsusq́; si locus infinitus esse non potest, nec corpus etiam potest. Quod enim in loco est, alicubi est: hoc autem significant aut suprà aut infrà, aut aliquid cæterorum; horum autem quodq́; extremum est quiddam.

Porro infinitum non idem est in magnitudine, motu, & tempore, ut una quædam natura; sed posterius ex priori dicitur, ut motus infinitus ex magnitudine in qua fit motus, aut alteratio, aut accretio: tempus autem ex motu.

EXPLANATIO CAPITIS NONI.

VBi de motu ea breviter repetivit, quæ primis tribus capitibus libri tertii Physicorum fusiùs docuerat: persequitur deinceps hoc capite nonnulla eorum, quæ eodem libro cap. 4. & sequentibus de infinito disseruerat, Primumque, quot modis dicatur infinitum: tum non posse infinitum actu in rerum natura esse, quod de infinito quantitate non item perfectione planè intelligitur: postremò infinitum potentia quod in divisione continui cernitur, primum in magnitudine, deinde in motu; postremò in tempore reperiri. Quæ omnia cùm eo loco exponi soleant; sat erit si ea disputatione quam ad hoc caput de infinito instituimus, intelligantur.

D

Κεφάλαιον ι.

Μεταβάλλει δὲ τὸ μεταβάλλον, τὸ μὲν κατὰ συμβεβηκὸς, ὡς τὸ μουσικὸν βαδίζειν. τὸ δὲ τῷ τούτου τι μεταβάλλειν, ἁπλῶς λέγεται μεταβάλλειν, οἷον ὅσα κατὰ μέρη. ὑγιάζεται γὰρ τὸ σῶμα, ὅτι ὁ ὀφθαλμός. ἔστι δέ τι ὃ καθ' αὑτὸ πρῶτον κινεῖται, καὶ τοῦτ' ἐστὶ τὸ καθ' αὑτὸ κινητόν, ἔστι δέ τι καὶ ἐπὶ τοῦ κινοῦντος ὡσαύτως. κινεῖ γὰρ τὸ μὲν κατὰ συμβεβηκός. τὸ δὲ κατὰ μέρος, τὸ δὲ καθ' αὑτό. ἔστι δέ τι

CAP. X.

MVtatur autem id quod mutatur, partim per accidens, ut cùm dicimus Musicum ambulare; partim, si quid huius mutetur, simpliciter mutari dicitur, ut quæ per partes. Sanatur enim corpus quia oculus. Est & aliquid quod per se primũ moveatur; idq́; est per se mobile. Eadem est ratio in eo quod movet, aliud enim per accidens movet, aliud per partem, aliud verò per se. Est autem aliquid quod primum movet; est & aliquid

τὸ κινοῦν πρῶτον. ἔστι δέ τι τὸ κινούμενον ἔτι A ἐν ᾧ χρόνῳ, καὶ ἐξ οὗ, καὶ εἰς ὅ. τὰ δ' εἴδη καὶ τὰ πάθη, καὶ ὁ τόπος, εἰς ἃ κινοῦνται τὰ κινούμενα, ἀκίνητά ἐστιν, οἷον, ἐπιστήμη, καὶ θερμότης. ἔστι δ' οὐχ ἡ θερμότης κίνησις, ἀλλ' ἡ θέρμανσις. ἡ δὲ μὴ κατὰ συμβεβηκὸς μεταβολὴ οὐκ ἐν ἅπασιν ὑπάρχει, ἀλλ' ἐν τοῖς ἐναντίοις καὶ μεταξὺ, καὶ ἐν ἀντιφάσει. τούτου δὲ πίστις ἐκ τῆς ἐπαγωγῆς. μεταβάλλει δὲ τὸ μεταβάλλον, ἢ ἐξ ὑποκειμένου εἰς ὑποκείμενον, ἢ ἐκ μὴ ὑποκειμένου εἰς ὑποκείμενον, ἢ ἐξ ὑποκειμένου εἰς μὴ ὑποκείμενον. λέγω δὲ ὑποκείμενον, τὸ κατα- B φάσει δηλούμενον. ὥστ' ἀνάγκη τρεῖς εἶναι μεταβολάς. ἡ γὰρ ἐξ οὐχ ὑποκειμένου εἰς μὴ ὑποκείμενον οὐκ ἔστι μεταβολή. οὔτε γὰρ ἐναντία, οὔτε ἀντίφασίς ἐστιν, ὅτι οὐκ ἀντίθεσις. ἡ μὲν οὖν ἐξ οὐχ ὑποκειμένου εἰς ὑποκείμενον, κατ' ἀντίφασιν, γένεσίς ἐστιν, ἡ μὲν ἁπλῶς, ἁπλῆ, ἡ δὲ τὶς, τινός. ἡ δ' ἐξ ὑποκειμένου εἰς μὴ ὑποκείμενον φθορά, ἡ μὲν ἁπλῶς, ἁπλῆ, ἡ δὲ τὶς, τινός. εἰ τὸ μὴ ὂν λέγεται πλεοναχῶς, καὶ μήτε τὸ κατὰ σύνθεσιν, ἢ διαίρεσιν ἐνδέχεται κινεῖσθαι, μήτε τὸ κατὰ δύναμιν, τὸ τῷ ἁπλῶς ὄντι C ἀντικείμενον. τὸ γὰρ μὴ λευκὸν ἢ μὴ ἀγαθὸν ὅμως ἐνδέχεται κινεῖσθαι κατὰ συμβεβηκός, εἴη γὰρ ἂν ἄνθρωπος τὸ μὴ λευκόν. τὸ δ' ἁπλῶς μὴ τόδε, οὐδαμῶς. ἀδύνατον γὰρ τὸ μὴ ὂν κινεῖσθαι. εἰ δὲ τοῦτο, καὶ τὴν γένεσιν, κίνησιν εἶναι. γίγνεται γὰρ τὸ μὴ ὄν. εἰ γὰρ καὶ ὅτι μάλιστα κατὰ συμβεβηκὸς γίγνεται, ἀλλ' ὅμως ἀληθὲς εἰπεῖν, ὅτι ὑπάρχει τὸ μὴ ὂν κατὰ τοῦ γιγνομένου ἁπλῶς. ὁμοίως δὲ καὶ τὸ ἠρεμεῖν. ταῦτά τε δὴ συμβαίνει δυσχερῆ, καὶ εἰ πᾶν τὸ κινούμενον ἐν τόπῳ. τὸ δὲ μὴ ὂν οὐκ ἔστιν ἐν τόπῳ. εἴη γὰρ ἄν που. D οὐδὲ ἡ φθορὰ κίνησις. ἐναντίον γὰρ κινήσει κίνησις ἢ ἠρεμία, φθορὰ δὲ γενέσει. ἐπεὶ δὲ πᾶσα κίνησις μεταβολή τις, μεταβολαὶ δὲ τρεῖς αἱ εἰρημέναι, τούτων δ' αἱ μὲν κατὰ γένεσιν καὶ φθορὰν οὐ κινήσεις, αὗται δ' εἰσὶν αἱ κατ' ἀντίφασιν, ἀνάγκη τὴν ἐξ ὑποκειμένου εἰς ὑποκείμενον κίνησιν εἶναι μόνην. τὰ δ' ὑποκείμενα, ἢ ἐναντία, ἢ μεταξύ. καὶ ἡ στέρησις κείσθω ἐναντίον, καὶ δηλοῦται καταφάσει, οἷον, τὸ γυμνὸν καὶ νωδὸν, καὶ τὸ μέλαν.

quid quod movetur; tempus item in quo, & id ex quo, & in quo fit mutatio. formae vero, & affectus, ac locus, ad quae moventur ea quae moventur, immobilia sunt, ut scientia & calor: Non est autem motus ipse calor, sed calefactio.

Mutatio vero non per accidens, haud in omnibus existit, sed in contrariis, ac mediis, & in contradictione. Cuius rei probatio inductione sumi potest. Mutatur autem id quod mutatur, aut ex subiecto in subiectum; aut ex non subiecto in subiectum; aut ex subiecto in non subiectum. Voco autem subiectum quod affirmatione declaratur. Ita fit ut tres esse mutationes, sit necesse. Quae enim ex non subiecto, est in non subiecto, mutatio non est. Neq; enim contraria nec contradictio in ea sunt, quia neque oppositio.

Quae igitur est ex nō subiecto in subiectum contradictorio nomine opposita, generatio est; alia quidem simpliciter, quae simplex; alia vero quaedam quae cuiusdam. Quae vero ex subiecto in non subiectum progreditur, corruptio, ea simpliciter quae simplex, ea quaedam, quae cuiusdā. Si ergo non ens multis modis dicitur, neq; id quod in cōpositione aut divisiōe cōsistit, moveri potest; neq; itē quod est potētia, quia enti simpliciter oppositum est (nam quod non album, aut non bonum est, moveri tamen per accidens potest: fuerit enim homo non album: quod autem simpliciter non hoc est, nequaquā: cùm non ens moveri nequeat) si hoc, inquam, ita habet; generatio utique motus esse non potest. Generatur enim id quod non est. Nam etsi quàm maximè per accidens gignatur; verè tamen de eo quod simpliciter generatur, dici potest, esse non ens. Eodem modo de quiete dicendum. Atq; haec absurda eveniunt. Itemq; si quod movetur, est in loco, quod autem non est, neque in loco est: esset enim alicubi, neq; igitur corruptio motus est. Motui enim motus contrarius est aut quies, generationi autem corruptio. Cùm autem omnis motus mutatio sit quaedam, resq; sint mutationes quas diximus; earum vero illae quae in generatione & corruptione consistunt, in motibus non numerentur, eaedemque ex contradictione sumantur; necessario efficitur, eam solam quae ex subiecto in subiectum itur, motum esse. Subiecta vero aut contraria sunt aut media: namq; & privatio contrarium ponitur, quae etiam declaratur affirmatione, ut nudum, ut nudum, edentulum, & nigrum.

Eademque sonant Graeco.

ΕΙ οὖν αἱ κατηγορίαι διῄρηνται οὐσίᾳ, ποιότητι, τόπῳ, ποιεῖν ἢ πάσχειν τῷ πρός τι, ποσῷ, ἀνάγκη τρεῖς εἶναι κινήσεις, ποιοῦ, ποσοῦ, τόπου. κατ' οὐσίαν δ' οὐ, διὰ τὸ μηδὲν εἶναι οὐσίᾳ ἐναντίον, οὐδὲ τοῦ πρός τι· ἔστι γὰρ θατέρου μηδὲν μεταβάλλοντος, ἀληθεύεσθαι θάτερον μηδὲν μεταβάλλον. ὥστε κατὰ συμβεβηκὸς ἡ κίνησις αὐτῶν. οὐδὲ ποιοῦντος καὶ πάσχοντος, ἢ κινοῦντος καὶ κινουμένου. ὅτι οὐκ ἔστι κινήσεως κίνησις. οὐδὲ γενέσεως γένεσις, οὐδ' ὅλως μεταβολὴ μεταβολῆς. διχῶς γὰρ ἐνδέχεται κινήσεως εἶναι κίνησιν. ἢ ὡς ὑποκειμένου, οἷον ὁ ἄνθρωπος κινεῖται, ὅτι ἐκ λευκοῦ εἰς μέλαν μεταβάλλει. ὥστε οὕτω καὶ ἡ κίνησις, ἢ θερμαίνεται, ἢ ψύχεται, ἢ τόπον ἀλλάττει, ἢ αὔξεται. τοῦτο δὲ ἀδύνατον. οὐ γὰρ τῶν ὑποκειμένων τι ἡ μεταβολή. ἢ τῷ ἕτερόν τι ὑποκείμενον ἐκ μεταβολῆς μεταβάλλειν εἰς ἄλλο εἶδος, οἷον, ἄνθρωπον ἐκ νόσου εἰς ὑγίειαν. ἀλλ' οὐδὲ τοῦτο δυνατὸν, πλὴν κατὰ συμβεβηκός. πᾶσα γὰρ κίνησις, ἐξ ἄλλου εἰς ἄλλο ἐστὶ μεταβολή, καὶ γένεσις καὶ φθορὰ ὡσαύτως. πλὴν αἱ μὲν ἐξ ἀντικειμένων ὡδὶ ἢ ὡδί, οὐ κινήσεις. ἅμα οὖν μεταβάλλει ἐξ ὑγιείας εἰς νόσον, καὶ ἐξ αὐτῆς ταύτης μεταβολῆς εἰς ἄλλην. δῆλον δ' ὅτι ἂν νοσήσῃ, μεταβεβληκὼς ἔσται εἰς ὁποιανοῦν· ἐνδέχεται γὰρ ἠρεμεῖν. καὶ ἔτι εἰς μὴ τὴν τυχοῦσαν ἀεί. κἀκείνη ἔκ τινος εἴς τι ἄλλο ἔσται. ὥσθ' ἡ ἀντικειμένη ἔσται ὑγίανσις, ἀλλὰ τῷ συμβεβηκέναι. οἷον ἐξ ἀναμνήσεως εἰς λήθην μεταβάλλει, ὅτι ᾧ ὑπάρχει, ἐκεῖνο μεταβάλλει, ὁτὲ μὲν εἰς ἐπιστήμην, ὁτὲ δὲ εἰς ὑγίειαν. ἔτι εἰς ἄπειρον βαδιεῖται, εἰ ἔστι μεταβολῆς μεταβολὴ καὶ γενέσεως γένεσις. ἀνάγκη δὴ καὶ τὴν προτέραν, εἰ ἡ ὑστέρα. οἷον, εἰ ἡ ἁπλῆ γένεσις ἐγίνετό ποτε, καὶ τὸ γιγνόμενον ἁπλῶς ἐγίνετο. ὥστε οὔπω ἦν τὸ γιγνόμενον ἁπλῶς ἀλλὰ τὸ γιγνόμενόν τι, ἢ γινόμενον ἤδη. εἰ δὴ καὶ τοῦτ' ἐγίγνετό ποτε, διὰ τί οὐκ ἦν πω τότε γιγνόμενον; ἐπεὶ δὲ τῶν ἀπείρων οὐκ ἔστι τι πρῶτον, οὐκ ἔσται τὸ πρῶτον. ὥστ' οὐδὲ τὸ ἐχόμενον. οὔτε γίγνεσθαι οὖν, οὔτε κινεῖσθαι οἷόν τε, οὔτε μεταβάλλειν οὐδέν, ἔτι τοῦ αὐτοῦ κίνησις ἡ ἐναντία, καὶ ἠρέμησις καὶ γένεσις, καὶ φθορά. ὥστε τὸ γιγνόμενον, ὅταν γένηται γιγνόμενον, τότε φθείρεται. οὔτε γὰρ εὐθὺς γιγνόμενον, οὔθ' ὕ-

A Si igitur prædicamenta, substantia, qualitate, loco, actione, passione, eo quod ad aliquid dicitur, & quantitate divisa sunt; tria esse motuum genera necesse est, qualis, quanti, & loci: substantiæ autem minimè, eo quòd nihil substantiæ sit contrarium. Nec verò eius quod ad aliquid refertur. Altero enim mutato, alterum, cum nihil mutatum sit, verè dicitur. Itaq; horum motus per accidens est.

Neq; item agentis, & patientis, aut moventis, & eius quod movetur. Motionis enim non est motus, nec generationis generatio, neq; omnino mutationis mutatio. Duobus enim modis motionis motus esse potest: aut vt subiecti, vt cum movetur homo, quia ex albo in nigrum mutatur; atq; hoc modo & motus ipse vel calefit, vel frigefit, vel locum mutat, vel augmentum suscipit, quod fieri non potest; cũ mutatio in iis quæ subiiciuntur, non numeretur: aut certè quia aliud quippiam quod subiectũ sit, ex mutatione in aliam speciem mutatur, vt homo ex morbo in sanitatem. Sed neq; hoc quidem fieri potest nisi per accidens. Omnis enim motus est ex alio in aliud mutatio, itéq; generatio & corruptio modo eodem, nisi quòd hæc ex oppositis hoc vel illo modo progrediuntur, motus non item. Simul igitur ex sanitate in morbum mutatur, & ex hac ipsa mutatione in aliam. Perspicuum est igitur, cũ ægrotaverit in quamcunq; aliam mutatũ sit: Potest enim quiescere, & præterea ad non quamvis semper; & illa etiam ex aliquo in aliud erit. Quare opposita erit sanatio: Verũ per accidens, quo pacto ex reminiscentia in oblivionem fit mutatio, cùm id cui inest, interdum in scientiam, interdum in sanitatem mutatur.

Præterea in infinitum res progredietur si mutationis sit mutatio, & generationis generatio. Necesse igitur est, priorem esse, si sit posterior; veluti simplex generatio aliquando fiebat, illud quoq; quod fit, simpliciter fiebat. Itaq; nondum erat quod simpliciter fit, sed quod fit aliquid, aut iam fiebat. Si ergo & hoc aliquando fiebat, cur nondum erat quod tunc fiebat? Cũ autem infinitorum nihil primum sit, neq; hic primum erit: quare nec quod sequatur. Ita nihil fieri, nec moveri, nec mutari potest.

Ad hæc eiusdem est motus contrarius & quies, & generatio, & corruptio. Quare id quod fit, * cùm fiet, tum corrumpetur: neq; enim * statim cùm fiet, nec postea: esse enim o-

In Græco, Perspicuũ est igitur, quod si ægrotaverit, in quãcunque aliã mutabitur, seu potius reddendo verbum verbo: in quamcunque aliã mutatus erit. Itaque non bene vertitur; in quamcumque aliam mutatũ sit. Sequentia item verba sic exponenda. potest enim quiescere & demum in nõ semper manentem formam mutari; & hãc ex alio in alind.

* Cum factũ est, tunc corrumpitur.

* Neq; enim illico ac fit.

στερον

τερον. εἶναι γὰρ δεῖ τὸ φθειρόμενον. ἐπιδεῖ A portet quod corrumpitur.

ὕλην ὑπεῖναι τῷ γιγνομένῳ, καὶ μεταβάλλειν. τίς οὖν ἔσται; ὥσπερ τὸ ἀλλοιωτὸν σῶμα ἢ ψυχή, οὕτω τί καὶ τὸ γιγνόμενον, ἡ κίνησις, ἢ γένεσις; καὶ ἔτι τί εἰς ὃ κινεῖται; δεῖ γὰρ εἶναί τι τὴν τοῦδε ἐκ τοῦδε εἰς τόδε κίνησιν, μὴ κίνησιν. πῶς οὖν; οὐ γὰρ ἔσται μάθησις τῆς μαθήσεως. ὥστ' οὐδὲ γένεσις γενέσεως. ἐπεὶ δ' οὔτ' οὐσίας, οὔτε τοῦ πρός τι, οὔτε τοῦ ποιεῖν καὶ πάσχειν, λείπεται κατὰ τὸ ποιὸν καὶ τὸ ποσὸν, καὶ τὸ ποῦ, κίνησιν εἶναι, τούτων γὰρ ἑκάστῳ ἐναντίωσίς ἐστι. λέγω δὲ τὸ ποιὸν, οὐ τὸ ἐν τῇ οὐσίᾳ καὶ τῇ διαφορᾷ ποιὸν, B ἀλλὰ τὸ παθητικὸν, καθ' ὃ λέγεται πάσχειν, ἢ ἀπαθὲς εἶναι. τὸ δὲ ἀκίνητον, τό, τε ὅλως ἀδύνατον κινηθῆναι, καὶ τὸ μόλις ἐν χρόνῳ πολλῷ ἢ βραδέως ἀρχόμενον, καὶ τὸ πεφυκὸς μὲν κινεῖσθαι, μὴ δυνάμενον δὲ ὅτε πέφυκε, καὶ οὗ, καὶ ὥς. ὃ καλῶ ἠρεμεῖν τῶν ἀκινήτων μόνον. ἐναντίον γὰρ ἠρεμία κινήσει. ὥστε στέρησις ἂν εἴη τοῦ δεκτικοῦ.

Tum etiam ei quod generatur, & quod mutatur, materiam subesse oportet. Quaenam igitur erit, quemadmodū alterabile corpus, aut animasic aliquid quod fiat aut generatio, aut corruptio? Quid item id ad quod moveatur? Opus est enim id quod ex hoc in illum motū moveatur, aliquid huius esse non motū ipsum. Quonam igitur modo? Neq; enim docendi operae, opera dicendi erit; quare nec generationis generatio.*

Oportet etenim huius mutationis & hoc in hoc aliquid esse, non verò motum ipsum.

** opera.*

Quoniam verò neq; in substantia, neq; in iis quae ad aliquid dicuntur, neque in actione, neque in passione est motus; reliquum est, vt in qualitate, quantitate & loco sit, quòd in vno quoq; horum sit contrarietas. Qualitatem verò, non eam dico quae in substantia est (nam & in differentia qualitas est) sed eam quae patibilis est, à qua aliquid pati, aut impatibile esse dicitur.

Immobile autē aut & id quod omnino moveri non potest, & quod multo tempore vix movetur, aut serò incipit; & quod natura quidem aptū est vt moveatur, nec potest tamen quando, vbi, & quomodo natura id praestare posset, quod equidem solùm inter immobilia dico quiescere. Contraria enim motui est quies. Quo fit vt susceptivi sit privatio.

Hinc fit, vt revera situs ad ubi pertineat, per se enim est motus ad sitū, ut in caelo, & in via, quae locum omnino mutat: possunt enim in loco eodem moveri mutando fiunt, ut rota molendini.

EXPLANATIO CAPITIS DECIMI.

Quoniam non satis erat ad recolendam hoc loco cognitionem motus, si in genere ea repeterentur, quae ad eius naturam, & divisionem infinitam, & in partes integrantes tradita erant libro Physicorum tertio: repetit hoc capite ea pene quae scripserat, cap. 1. & 2. libri quinti eius operis de aliis divisionibus motus atque omnino mutationis in suas quasi species, aliaque membra dividentia; quarum divisione multa, non minùs perspicuè quàm utiliter continentur; ut opus non sit ea hoc loco exponere; praesertim cùm passim in ore habeantur ab iis qui Philosophiae dant operam.

Κεφάλαιον ιά.

Ἅμα δὲ κατὰ τόπον, ὅσα ἐν ἑνὶ τόπῳ πρώτῳ. χωρὶς δὲ, ὅσα ἐν ἄλλῳ. ἅπτεσθαι δὲ, ὧν τὰ ἄκρα ἅμα. μετα-

CAP. XI.

Simul autem loco sunt ea, quae ... co sunt primo: seorsim v... Tangi autem, quorum e...

ξὺ δ', εἰς ὃ πέφυκε πρότερον ἀφικνεῖσθαι τὸ μεταβάλλον, ἢ εἰς ὃ ἔσχατον μεταβάλλει κατὰ φύσιν τὸ συνεχῶς μεταβάλλον. ἐναντίον κατὰ τόπον, τὸ κατ' εὐθεῖαν ἀπέχον πλεῖστον. ἐξῆς δὲ, οὗ μετὰ τὴν ἀρχὴν ὄντος θέσει, ἢ εἴδει, ἢ ἄλλως πως ἀφορισθέντος, μηθὲν μεταξύ ἐστι τῶν ἐν τῷ αὐτῷ γένει. καὶ ὃ ἐφεξῆς ἐστίν. οἷον, γραμμαὶ γραμμῆς, ἢ μονάδες μονάδος. ἢ οἰκίας οἰκία. ἄλλο δ' οὐθὲν κωλύει μεταξὺ εἶναι. τὸ γὰρ ἐξῆς, τινὸς ἐφεξῆς, καὶ ὕστερόν τι. οὐ γὰρ τὸ ἓν ἐξῆς τῶν δύο, οὐδ' ἡ νουμηνία τῆς δευτέρας. ἐχόμενον δὲ, ὃ ἐὰν ἐξῆς ὢν ἅπτηται. ἐπεὶ δὲ πᾶσα μεταβολὴ ἐν τοῖς ἀντικειμένοις. ταῦτα δὲ ἐναντία καὶ ἀντίφασις, ἀντιφάσεως δὲ οὐδὲν ἀνὰ μέσον, δῆλον ὡς ἐν τοῖς ἐναντίοις τὸ μεταξύ. τὸ συνεχὲς δὲ ὅπερ ἐχόμενόν τι, ἢ ἁπτόμενον. λέγεται δὲ συνεχὲς, ὅταν ταὐτὸ γένηται καὶ ἕν, τὸ ἑκατέρου πέρας οἷς ἅπτονται καὶ συνέχονται. ὥστε δῆλον ὅτι τὸ συνεχὲς ἐν τούτοις ἐξ ὧν ἕν τι πέφυκε γίνεσθαι κατὰ τὴν σύναψιν, καὶ ὅτι πρῶτον τὸ ἐφεξῆς δῆλον. τὸ γὰρ ἐξῆς, οὐχ ἅπτεται. τοῦτο δὲ ἐφεξῆς καὶ εἰ συνεχὲς ἅπτεται. εἰ δ' ἅπτεται, οὔπω συνεχές. ἐν οἷς δὲ μή ἐστιν ἁφή, οὐκ ἔστι σύμφυσις ἐν τούτοις. ὥστ' οὐκ ἔστι στιγμὴ μονάδι ταὐτόν. ταῖς μὲν ὑπάρχει τὸ ἅπτεσθαι, ταῖς δ' οὔ. ἀλλὰ τὸ ἐφεξῆς καὶ τῶν μὲν μεταξύ τι, τῶν δ' οὔ.

A *mul Medium in quod prius natura aptum est pervenire id quod mutatur, quàm in ultimum suapte natura mutetur, quod continuè mutatur. Contrarium loco est, quod linea recta plurimum distat. Deinceps verò est id quod cùm post principium sit, vel situ, vel specie, vel aliquo modo definito, inter ipsum & id cui cõsequens est, nihil interiectum est eorum quæ in eodem genere sunt: quo pacto lineæ lineam sequuntur unitatem vnitates, domum domus. Aliud autem interiectum esse nihil prohibet; cùm id quod deinceps est, alicuius comparatione sit deinceps, & aliquid eo posterius. Neque enim unum deinceps est duorum respectu, nec* B *nova luna, secundæ. Hærens verò sive attiguum, est, quod cùm deinceps sit, etiam tangit. Cùm autem omnis mutatio sit in oppositis; hæc autem sint contraria & contradictio; contradictionis verò nihil sit medium, perspicuum est, medium in contrariis esse. Continuum porro est quod hæret aut tangit. Dicitur autem continuum, cùm unum & idem fiunt extrema utriusq; quibus sese contingunt, & continent.*

Definitum iuxta Græce vocem.

Perspicuum est igitur, in iis esse continuum ex quibus natura comparatum est, ut aliquid tactu fiat unum. Illud etiam patet, id quod primum est, deinceps esse. Quod enim deinceps est, C *non tangit. Hoc autem quod est deinceps, si cõtinuum est, tangit: si autem tangit, nondum continuum est. In iis autem, in quibus non est tactus, nec copulatio est. Quo fit, ut punctus non sit idem quod vnitas. Punctis enim tactus inest; vnitatibus verò minimè, sed esse deinceps: & inter illa est aliquid interiectum, inter has non item.*

EXPLANATIO CAPITIS UNDECIMI.

Repetit ea quæ in prima parte capitis. 3. libri quinti Physicorum dixerat, quatenus ei satis visa sunt ad explicanda nonnulla quæ motum circunstant, præcipuè verò localem, quæ quia definitiones ferè sunt, nihil habent difficultatis. Atque hæc de undecimo libro sint satis.

IN

IN LIBRVM DVODECIMVM METAPHYSICORVM ARISTOTELIS STAGIRITÆ.

PROOEMIVM.

AGgressurus Aristoteles ad tractationem rerum materia expertium, quæ tractatio ut extrema, ita & præcipua est huius operis; nonnulla inprimis quinq; capitibus huius libri repetit, quæ de substantia tum septimo & octavo libro huius operis, tum etiam primo Physicorum dixerat quæ futuræ disputationi de immaterialibus substantiis propinquiùs subservient, quàm illa quæ libro superiori ex aliis locis ad rem eandem in memoriam fusiùs revocavit. Cur autem tam multa utroque libro repetat, antequam ad rem ipsam ingrediatur, partim explicatum est in proœmio superioris libri, partim ex eo factum videtur, quòd pro rei dignitate ac difficultate timidè ad eius explicationem gravateq; accedat; præsertim cùm adeo pauca de toto genere immaterialium substantiarum dicere se posse confidat, ut rem potius incepturus, viamq; rectam ad tantarũ rerum considerationem ostensurus, quàm progressum in ea facturus videatur. Quinq; enim tantùm reliqua libri capita, neq; ea integra in substantiarum immaterialiũ tractatione consumit. Quamquã in primis quinq; nonnullas quæstiones disseruit quas in superiorib. libris propositas hactenus in toto opere minimè explicaverat, quòd hoc loco commodius enodari possent, ut in progressu patebit. Est autem tanta huius libri dignitas, & utilitas, quanta maxima in humanis scientiis esse potest, quòd nobis præstantissimarum rerum, summiq; boni, ex quo pendent bona omnia, notitiam afferat. Quamquam verò naturale mentis nostræ lumen, in hominibus potissimùm Ethnicis, non assurgit ad eam divinarum rerum cognitionem, quæ nobis divina revelatione concessa est; multiq; Philosophi, atque adeo ipse Philosophiæ princeps Aristoteles, in quibusdam quæ naturali lumine cognosci possunt, turpiter lapsi sunt, non dubium est tamen quin eorum præcipui Deum Opt. Max. mentesq; cælestes divinæ naturæ suo modo participes verè cognoverint, cùm præcipuus ille divinæ legis interpres Paulus planè asserat, invisibilia Dei ab ipso mundi exordio per ea quæ facta sunt, intellectu conspici, sempiternam eius quoq; virtutem & divinitatem; ita ut illi sint inexcusabiles, quòd cùm Deum cognovissent, non ei ut debuerant, divinum honorem & gloriam dedissent, aut pro tanto munere gratias egissent; sed curiosa inquisitione rerum divinarum, & aliarum sublimium, elatio evanuissent.

ΑΡΙΣΤΟ-

A

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΤΩΝ ΜΕΤΑ ΤΑ ΦΥΣΙΚΑ ΤΟ Λ.

Κεφάλαιον α΄.

Περὶ τῆς οὐσίας ἡ θεωρία, τῶν γὰρ οὐσιῶν αἱ ἀρχαὶ καὶ τὰ αἴτια ζητοῦνται.
Tex. 2. [b] καὶ γὰρ εἰ ὡς ὅλον τι τὸ πᾶν, ἡ οὐσία πρῶτον μέρος. καὶ εἰ τῷ ἐφεξῆς, καὶ ἂν οὕτω πρῶτον ἡ οὐσία, εἶτα τὸ ποιόν, ἢ ποσόν. [c] ἅμα
Tex. 3. δ' οὐδ' ὄντα, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ταῦτα, ἀλλὰ ποιότητες καὶ κινήσεις, ἢ καὶ τὸ οὐ λευκόν, καὶ τὸ οὐκ εὐθύ. λέγομεν οὖν εἶναι καὶ ταῦτα, οἷον ἔστιν οὐ λευκόν. [d] ἔτι οὐδὲν τῶν ἄλλων χωριστόν, [e] μαρτυροῦσι δὲ καὶ οἱ ἀρ-
Tex. 4. χαῖοι ἔργῳ. τῆς γὰρ οὐσίας ἐζήτουν ἀρχάς, καὶ στοιχεῖα καὶ αἴτια. οἱ μὲν οὖν νῦν, τὰ καθόλου οὐσίας μᾶλλον τιθέασι. τὰ γὰρ γένη καθόλου, ἅ φασιν ἀρχὰς καὶ οὐσίας εἶναι, μᾶλλον διὰ τὸ λογικῶς ζητεῖν. οἱ δὲ πάλαι, τὰ καθ' ἕκαστα. οἷον πῦρ, καὶ γῆν, ἀλλ' οὐ τὸ κοινὸν σῶμα.

ARISTOTELIS METAPHYSICORUM LIB. XI.

CAPUT I.

HAec quidem contemplatio de substantia est. Substantiarum enim principia & causæ quæruntur. [b] Nam si universum ut totum quiddam spectetur substantia est prima pars:
B *si verò ut ordine quodam dispositum: hoc etiam modo primum quippiam est substantia; deinde qualitas, aut quantitas. [c] Adde quòd neque entia sunt ista, si absolutè loquamur. sed qualitates & motus; ut etiam non album, & non rectum. Dicimus igitur & hæc esse, quo pacto est non album. [d] Præterea nihil cæterorum separabile est, Sed & [e] veteres re ipsa hoc idem testantur: substantiæ enim principia, elementa, & causas quærebant. At ii quidem qui nunc philosophantur ea magis quæ universalia sunt substãtias esse ponũt, quippe cũ genera universalia sint, quæ illi principia & substantias esse malant, quòd dialectico more de his*
C *rebus agant: at veteres singularia, ut ignem, & terram, non autem corpus commune.*

EXPLANATIO CAPITIS PRIMI.

[a] *Hæc quidem contemplatio.*

IN priori parte huius libri, quæ (ut dictum est) quinque capitibus continetur, illud primum repetit Aristoteles ex initio tum septimi tum etiam octavi libri huius operis, pressiusque confirmat scientiam hanc in substantiæ contemplatione præcipuè versari, seu quod eodem redit, substantiarum principia & causas inquirere. Id enim in quaque scientia præcipuè consideramus, cuius causas & principia præcipue investigamus, id quod vel inductione perspicuum est, & ex ipsa sciendi ratione intelligitur. Scire enim, est rem per causas principiaque cognoscere, ut ex priori libro prioris resolutionis patet. Quæri autem præcipuè in hac scientia causas & principia substantiarum, ex eo patet, quia scientia hæc vel jam inde ab ipso operis exordio prima & princeps omnium esse ponitur,

sapientia-

ſapientiaque nuncupatur: prima autem & præſtantiſſima ſcientia in primis ac præſtantiſſimis rebus verſari debet, ſubſtantiarum autem genus primum ac præcipuum eſt ex omnibus.

[b] Nam ſi univerſum.

QUatuor argumentis docet, ſubſtantiam primum eſſe ac præcipuum genus rerum omnium: Priorum argumentum, ut Averroes exponit, hanc vim habet: Quia ſive ens ponatur, verum genus rerum omnium ſubſtantia eſt prima B & præſtantiſſima ſpecies? ſive analogum quippiam & quod ordine prioris & poſterioris dicatur de pluribus quaſi membris: ſubſtantia quoque eſt primum ac præcipuum veluti membrum, de quo ens dicatur. Verùm neque Ariſtoteles in dubium vertit hoc loco, ſitne ens verum genus quod ſæpe in hoc univocum eſſe oſtendit; nec verborum contextus eum ſenſum admittit. Nam neque verbum τὸ πᾶν apud Ariſtotelem C pro ente in commune accipi ſolet, ſed pro tota rerum univerſitate ſimul; neque etiam verba ὡς ὅλον, hoc modo addita, in eo ſenſu uſurpantur quaſi dicas [ut genus] aut [ut verum univerſale, ſive univocum] ſed pro eo, ac ſi dicas] ut totum quippiam continuum, aut modo aliquo coagmentatum [ut eſt animal, domus, navis, & exercitus. Itaque vera ſententia quam Græci & Latini explicant, hæc eſt. ſive enim univerſalitas hæc ſumatur, ut totum quippiam ex omnibus rebus compoſitum aut coagmentatum, & ſub una forma ſubſtantiali aut accidentali contentum ſubſtantia eſt eius prima pars, atque adeò præcipua, qualis eſt in animali cor, in domo fundamentum, in navi carina, & in exercitu imperator: ſive autem res omnes per ſe ipſæ conſiderentur, nó ut efficientes totum aliquid ex eis modo aliquo compoſitis. ſed quatenus aliæ aliis ſunt natura & dignitate priores: hoc etiam modo ſubſtantia eſt primum ac præcipuum earum genus: quo pacto in animalibus prima ac præcipua ſpecies, homo eſt; in coloribus candor, in ſcientiis Theologia; & in virtutibus charitas. In hoc argumento, quod formam habet dilemmatis, neutram partem confirmat Ariſtoteles, quòd per ſe nota ſit, ſi quis animadvertat, quid ſignificet verbum, ſubſtantia.

[c] Adde quod neque.

ALterum argumétum eſt: Quia tantum abeſt, ut inter cætera rerum genera quæcunq; præter ſubſtantiam inveniuntur, aliquod eorum ſit primum ens, ut ne abſolutè quidem ac ſimpliciter ulla eorum nomine entium digna ſint. Ratio verò eſt, quia ens ſive id quod eſt abſolutè ac ſimpliciter, id ſolùm dici poteſt, quod per ſe habet eſſe, & non in alio tantùm; accidentia verò quælibet cùm ſuapte natura in ſola ſubſtantia eſſe habere poſſunt, magis ineſſe quàm eſſe, dicenda ſunt, ut Themiſtius annotavit. Dicuntur D tamen eſſe quandocunque aliquid eſt quod illis affectum ſit, quia illud eſt, cui illa inſunt. Nec mirum eſt, quòd ea hoc pacto eſſe dicantur, cùm illa etiam hoc modo dicamus eſſe, quæ prorſus nullum eſſe habet, veluti privationes & omnino negationes. Dicimus enim cæcitatem eſſe in oculo, quia oculus eſt, qui vidédi facultate caret: & negationem albi eſſe in corvo, quia corvus eſt, cui

non ineſt albedo. Sic igitur dicimus, qualitates, & motus, & quævis alia accidentia eſſe, quia ſubiectæ aliquæ ſubſtantiæ in rerum natura ſunt, quæ ſunt illis affectæ. Hoc tamen intereſt inter privationes, negationeſque exiſtentes, & accidentia, quòd hæc, etſi non ſimpliciter, tamen aliquo modo eſſe habent ex ſe, nempe ineſſe ſubjectæ ſubſtantiæ; qua de cauſa, etſi non ſimpliciter entia, tamen dicuntur entis entia: at illæ cum nullum omnino eſſe ex ſe habeant, ſed ea tantum ratione eſſe dicantur in rerum natura, quia ſubiecta earum ſunt, quibus oppoſita non inſunt nullo modo entia dicuntur, ſed privationes aut negationes entium. Dico autem [in rerum natura] quia in mente quidem eſſe poſſunt, & eo pacto entia rationis dici, etiam tum, cùm ea de quibus dicuntur, in rerum natura non exiſtunt ut cum diximus: Didymus non eſt cæcus, vel Dydimus non docet.

[d] Præterea nihil horum.

TErtium argumétum eſt: Quia ſola ſubſtantia eſt ſeparabilis à quolibet accidente, cum unum abjiciat & aliud accipiat: accidentia verò eius naturæ ſunt, ut migrare ex una ſubiecta ſubſtantia in aliam non poſſint. Cùm igitur quodlibet accidens hoc modo à ſubſtantia pendeat, perſpicuum eſt, priorem præſtantioremque eſſe quamlibet ſubſtantiam quolibet accidente. Neque obiicias, iſto modo priorem & præſtantiorem eſſe materiam elementorum quam eorum formas, quòd hæ ſine materia eſſe non poſſint, cum tamen materia ſine ulla eorum forma in rerum natura poſſit exiſtere. Eſt enim in promptu reſpó-

A ſio: Materia enim etſi poteſt ſine formis elementorum exiſtere, non poteſt tamen exiſtere ſine ulla omnino forma. at elementorum formæ etſi quatenus elementorum, non poſſunt ſine materia exiſtere; eis tamen quatenus formæ ſive actus ſubſtantiales ſunt, nihil repugnat, in rerum natura ſine materia cohærere, ut patet in forma humana & ſubſtantiis ſeparatis: quæ omnes formæ ſive actus ſunt per ſe exiſtentes. Eodem
B modo diſſolvi poteſt argumentum illud: Quemadmodum accidentia rerum naturalium ſine earum ſubſtantia eſſe non poſſunt, ita nec earum ſubſtantia ſine accidentibus. Solvetur enim, ſi dicas, etſi res naturales, ut ſubſtantiæ naturales ſunt, ſine accidentibus eſſe nequeant; tamen eis, quatenus ſubſtantiæ ſunt nil repugnat ſine accidentibus exiſtere, ut patet in ea ſubſtantia quæ accidentium capax non eſt: cu-
C iuſmodi eſt ſola divina ſubſtantia; cum interim nullum accidens natura ſua ſine ſubſtantia eſſe poſſit. Itaque vis argumenti in eo poſita eſt, quod accidentia, nec per ſe eſſe natura ſua, nec ſine ſubſtantia eſſe poſſunt; at ſubſtantiæ & per ſe exiſtunt, & nihil eis repugnat, quatenus ſubſtantiæ ſunt, ſine accidentibus exiſtere.

[e] Sed & veteres.

D QUartum argumentum & veterum Philoſophorum & recentiorum authoritate utitur. Nam cùm omnes de tota entium univerſitate agere inſtituerent, omniumque principia, elementa: & cauſas indagarent, in ſubſtantiis tantum hæc ipſa quærebant, quòd cætera omnia..... nomine ac præcipua conſideratione entium digna non eſſe,

esse, meritò arbitrarentur. Sed hoc A interérat, quòd recentiores qui Platonem sequebantur, universalia magis substantias esse existimarent, quam singularia; proinde, ea potius esse principia quam singularia judicarent: cum tamen veteres Physici, ut Thales Milesius, Democritus, Empedocles & alii prisci naturæ interpretes singularia potius esse principia crederent, ut ignem singularem, terram item, & similia non corpus ullum commune. Id quod ea B de causa accideret: quòd veteres sensuum iudicium sectantes, in rebus singulis potius experientia duce versarentur: recentiores autem Dialectica facultate instructi, cum definitiones rerum communium disserendo soliti essent colligere, ex iis demonstrationes aliasque argumentationes conficerent, universalia potius esse principia quam singularia iudicabant. Utrumque tamen verum esse non dubium est. nempe principia, causas & elementa, & universalia esse & singularia, quemadmodum & effecta utroque modo sumi possunt. Nisi quod hoc peccavit Plato, quod universalia per se cohærere, magisque substantias esse putabat, quod contra accidit, ut septimo libro explicatum est.

Κεφάλαιον. β'.

Text. 5.

Οὐσίαι δὲ τρεῖς, μία μὲν, αἰσθητή. ἧς ἡ μὲν ἀΐδιος, ἡ δὲ φθαρτὴ ἣν πάντες ὁμολογοῦσιν, οἷον τὰ φυτὰ καὶ C τὰ ζῶα. ἡ δ' ἀΐδιος, ἧς ἀνάγκη τὰ στοιχεῖα λαβεῖν εἴτε ἓν, εἴτε πολλά. ἄλλη δὲ ἀκίνητος. [b] ταύτην φασί τινες εἶναι χωριστήν. οἱ μὲν εἰς δύο διαιροῦντες, οἱ δὲ εἰς μίαν φύσιν τιθέντες τὰ εἴδη καὶ τὰ μαθηματικά.

Text. 6.

[d] οἱ δὲ τὰ μαθηματικὰ μόνον τούτων, [c] ἐκεῖναι μὲν δὴ φυσικῆς (μετὰ κινήσεως γάρ) αὕτη δ' ἑτέρας, εἰ μηδεμία αὐτῆς ἀρχὴ κοινή. Ἡ δ' αἰσθητὴ οὐσία μεταβλητή. [f] εἰ δ' ἡ μεταβολὴ, ἐκ τῶν ἀντικειμένων ἢ τῶν μεταξὺ, ἀντικειμένων δὲ μὴ πάντων (οὐ λευκὸν γὰρ ἡ φωνή) ἀλλ' ἐκ τοῦ ἐναντίου, ἀνάγ- D κη εἶναι καί τι τὸ μεταβάλλον εἰς τὴν ἐναντίωσιν, οὐ γὰρ τὰ ἐναντία μεταβάλλει. Ἔτι τὸ μὲν ὑπομένει, τὸ δ' ἐναντίον οὐχ ὑπομένει. ἔστιν ἄρα τι τρίτον παρὰ τὰ ἐναντία, ἡ ὕλη. [g] εἰ δὴ αἱ μεταβολαὶ τέτταρες, ἢ κατὰ τὸ τί, ἢ κατὰ τὸ ποιὸν ἢ ποσὸν, ἢ ποῦ. καὶ γένεσις μὲν ἡ ἁπλῆ καὶ φθορὰ, ἡ κατὰ τόδε. αὔξησις δὲ φθίσις, ἡ κατὰ τὸ ποσόν. ἀλλοίωσις δὲ, ἡ κατὰ τὸ πάθος. φορὰ δὲ, ἡ κατὰ τόπον. εἰς ἐναντιώσεις ἂν εἶεν τὰς καθ'

CAPUT II.

Substantiæ verò tres sunt; una sensibilis, cuius alia sempiterna est, alia corruptioni obnoxia, quam omnes concedunt, ut plantæ, & animalia (sempiterna, inquam, cuius elementa necesse est accipere sive unum, sive plura) alia immobilis. Text. 5.

Hanc quidam separabilem esse dicunt, partim in duo genera dividentes; partim [c] ad unum naturam revocantes, cum ideas tum Mathematica entia; partim [d] ex his sola Mathematica constituentes, Text. 6. *Ac[illegible]æ [e] quidem naturalis disciplinæ sunt, cum motui subiectæ [e] sint; hæc verò alterius est scientiæ, si nullum eis commune principium est. Substantia verò sensibilis, mutabilis est. Quòd si [f] mutatio ex oppositis aut mediis est, nec tamen ex oppositis omnibus (vox enim non album est) sed ex contrario; necesse est aliquid esse quod in contraria mutetur. neque enim ipsa contraria mutantur. Accedit quòd hoc quidem manet: contrarium verò non manet: est igitur materia tertium aliquid præter ipsa contraria.*

Omnes pro αὐτῆς videntur legisse αὐταῖς.

[g] Si ergo quatuor mutationes sunt, in substantia, in qualitate, aut quantitate; aut loco; & generatio quidem simplex & corruptio est ea, quæ fit in substantia; accretio autem & decretio, quæ in quantitate; alteratio verò quæ in affectu: latio deniq; quæ in loco; inter singu-

ἕκαστον αἱ μεταβολαί. ἀνάγκη δὴ μετα- A
βάλλειν τὴν ὕλην δυναμένην ἄμφω. [h] ἐ-
Text.8. πεὶ δὲ διττὸν τὸ ὄν, μεταβάλλειν πᾶν ἐκ τοῦ
δυνάμει ὄντος, εἰς τὸ ἐνεργείᾳ ὄν, οἷον, ἐκ
λευκοῦ δυνάμει, εἰς τὸ ἐνεργείᾳ λευκόν.
ὁμοίως δὲ καὶ ἐπ' αὐξήσεως καὶ φθίσεως.
ὥστε οὐ μόνον κατὰ συμβεβηκὸς ἐνδέχεται
γίνεσθαι ἐκ μὴ ὄντος, ἀλλὰ καὶ ἐξ ὄντος
γίγνεται πάντα. δυνάμει μέντοι ὄντος, ἐκ
Tex.9. μὴ ὄντος δὲ ἐνεργείᾳ. [i] καὶ τοῦτό ἐστι τὸ Ἀ-
ναξαγόρου ἕν (βέλτιον γὰρ ἦν ὁμοῦ πάντα)
καὶ Ἐμπεδοκλέους τὸ μίγμα καὶ Ἀναξι-
μάνδρου. καὶ ὡς Δημόκριτος φησιν, ἦν ὁ- B
μοῦ πάντα δυνάμει, ἐνεργείᾳ δ' οὔ. ὥστε τῆς
Text.10. ὕλης ἂν εἶεν ἡμμένοι. [K] πάντα δ' ὕλην ἔ-
χει ὅσα μεταβάλλει. ἀλλ' ἑτέραν καὶ τῶν
ἀϊδίων, ὅσα μὴ γενητά, κινητὰ δὲ φορᾷ.
Tex.11. ἀλλ' οὐ γενητήν, ἀλλὰ πόθεν ποῖ. [l] ἀπορήσειε
δ' ἄν τις, ἐκ ποίου μὴ ὄντος ἡ γένεσις. τρι-
χῶς γὰρ τὸ μὴ ὄν. εἰ δή τί ἐστι δυνάμει,
ἀλλ' ὅμως οὐ τοῦ τυχόντος ἀλλ' ἕτερον ἐξ
ἑτέρου. οὐδ' ἱκανόν. ὅτι ὁμοῦ πάντα χρή-
ματα· διαφέρει γὰρ τῇ ὕλῃ. ἐπεὶ διὰ τί ἄ-
πειρα ἐγένετο, ἀλλ' οὐχ ἕν; ὁ γὰρ νοῦς, εἷς,
ὥστε εἰ ὕλη μία, ἐκεῖνο ἐγένετο καὶ ἐνεργείᾳ, C
οὗ καὶ ἡ ὕλη ἦν δυνάμει. [m] τρία δὴ τὰ αἴ-
Text.12. τια, καὶ τρεῖς αἱ ἀρχαί. δύο μὲν ἡ ἐναντίω-
σις. ἧς τὸ μὲν λόγος καὶ εἶδος, τὸ δὲ στέρη-
σις, τὸ δὲ τρίτον, ἡ ὕλη.

la profectò contraria mutationes erunt. Ne-
cesse igitur est mutari materiam, quæ utrum-
que possit.
[h] *Cum autem duplex sit ens: quicquid mu-* Text.8.
tatur, ex eo quod est potentia in id quod est
actu, mutatur, ut ex eo quod potentia albũ est,
in id quod actu est album: eodemq; modo in
accretione & decretione. Quo fit ut non solum
per accidens ex non enti fieri aliquid contin-
gat, sed etiam ex ente omnia fiant: verum ex
ente potentia, actu verò non ente. Tex 9.
[i] *Atq; hoc est unum illud Anaxagoræ (me-*
lius est enim, quàm simul omnia) & illa Em-
pedoclis, & Anaximandri mixtio: & illud
Democriti, simul erant potestate omnia, actu
verò minimè. Itaq; materiam tetigerunt.
[K] *Quæcumque autem mutantur, materi-* Tex.10.
am habent omnia, sed tamen aliam atq; ali-
am, etiam ea sempiterna quæ gigni non pos-
sunt, sed loco mutari possunt, verum haud ge-
nerabilem, sed quæ ex loco & in locum muta-
tionem subeat. Tex.11.
[l] *Sed quærat aliquis ex cuiusmodi non en-*
te generatio fiat. Tribus enim modis non ens di-
citur. Si quid igitur potentia est, ex eo utiq; fit:
non tamẽ ex quolibet, sed alterũ ex altero. Neq;
verò satis est quòd res omnes simul sint: dif-
ferunt enim materia. Nam cur infinita fieret,
cùm mens una sit. Quare si materia una esset,
illud certè actu fieret, cuius materia esset po-
tentia. [m] *Tres igitur sunt causæ triaq; princi-* Text.12.
pia; duo quidem contraria quorum alterum
ratio & forma est, alterum privatio, tertium
verò materia.

EXPLANATIO CAPITIS SECUNDI.

[a] *Substantia tres sunt.*

CUm docuisset, præcipuam primi philosophi considerationem in substantia versari, tradit hoc loco generalem substantiæ divisionem, ut à substantiis naturalibus, ad eas quæ ultra naturales sunt, & quæ directò, ut ita dicam, ad hanc solam scientiam spectant, perveniat: ad has enim nisi ab illis conscendere Philosophus non potest, ut pote nisi ab effectis ad causas. Ait ergo tria esse substantiarum genera, unum earum quæ sensibiles sunt, & gignuntur, ac intereunt, quod genus omnes norunt, & docti & indocti, in quo ponuntur plantæ, animalia, & cætera huiusmodi. Alterum earum quæ & sensibiles sunt, quod aspectu cernantur, & sem-

& sempiternæ, cuius elementa seu potius principia in hoc libro investiganda sunt, ubi numerus substantiarũ separatarum colligitur, quæ quidem sunt principia, & causæ cælorum motrices, eorumque lationum fines. Abutitur enim hoc loco Aristoteles elementi nomine pro principii, ut paulo inferiùs cùm privationem quoque elementi nomine comprehendit. Est enim propriè elementum, non externum sed internum principium. Atque hæc duo genera in uno & eodem conveniunt substantiæ sensibilis, (seu quod idem est) corporeæ aut mobilis. Tertium genus est immobilium substantiarum sive incorporearum, immaterialiúmve, sive quæ sensu percipi nequeunt; idem enim hæc significant. Unde colliges, non esse eam divisionem doctrinæ Aristotelis consentaneam, qua substantia dividi à quibusdam solet in corpoream, & incorpoream; tum corpoream, in simplicem & mistam; denique mistam in animatam seu viventem, & animæ expertem. Nam isto modo substantia generabilis & corruptibilis, non erit unum genus, sed partim necessariò ponetur sub simplici substantia, quam dividunt in corpora cælestia, quæ sunt corruptionis expertia, & elementa vulgata, quæ gignũt & intereunt: partim comprehenderet totum genus mistarum substãtiarum; quod simplici substantiæ ex altera parte respondet. Itaque nullum genus subalternum assignari potest, quod iuxta hanc divisionem per differentiam generabilis & corruptibilis constituatur: quod valde absurdum est. Adverte autem, Alexandrum & Themistium non cognoscere verba illa [sempiterna inquam] sed eorum loco ea quæ Argyropilus posuit, nempe [atque huius] quæ ad substantiam corruptibilem refert Themistius, Alexander autem ad totum genus sensibilis substantiæ. Sed nos communem vulgatamq; lectionem sequuti sumus, & Græcam & Latinam.

b Hanc quidem.

Exponit aliorum opiniones de substantiis immobilibus: in eo enim omnes cõveniunt, quod sint à rebus sensibilibus seiunctæ; moveri enim alioqui possent, cum sensibiles moverentur, neque essent immobiles. Sed in eo differunt, quod Plato, & qui eum sequuti sunt, iuxta duplicem abstractionem, separationemque usurpatam à Dialecticis & Mathematicis; unam, qua universalia à singularibus abstrahuntur; alteram, qua quantitates à qualitatibus sensibilibus denudantur, duo ponit genera substantiarum immobilium; unum idearum, hoc est, universalium, quæ separatim existerent; alterum, quantitatum Mathematicarum, seu quæ nullis qualitatibus sensibilibus affectæ essent; quas quantitates illi à substantiis corporeis non distinguebant, aut certè distinguere non videbantur. Qui omnes in eo errore versabantur, ut putarent, quemadmodum res verè apprehenduntur, ita verè existere, D cum tamen nihil veritati nostræ apprehensionis obstet, quod aliter apprehendantur, aliter existant, modò non affirmemus, eas ita esse in rerum natura ut à nobis apprehenduntur: tunc enim sola esset falsa apprehensio. Nunc autem non id asserimus, sed solùm concipimus universalia, relicta omni singularium consideratione, eo quòd singularia in ratione universalium non includantur: eodemque mo[illegible] concipimus quantitates, semota omni qualitatum apprehensione, quòd qualitates a d

P 5

conceptum & rationem quantitatũ minimè pertineant.

[c] Partim ad unam.

HOs ait Alexander fuisse Pythagoricos; quod de Pythagoricis recentioribus, qui Platonem in sententia idearum sequebantur, intelligendum videtur. Namque hi cum reiicerent magnitudines à sensibilibus separatas, ideas tamen & numeros separatos admittebant, quod faterentur ideas esse quosdam numeros, quos ideales vocat Aristoteles 14. libro huius operis.

[d] Partim ex his.

SIgnificat alios Pythagoricæ sectæ Philosophos, à quibus ideatũ opinio non admittebatur.

[e] Ac illæ quidem.

IAm docet, quænam substantiæ ad Physicum, quæ ad primum Philosophum pertineant; aitq; eas quæ motui subiectæ sunt, cuiusmodi sunt omnes ac solæ sensibiles, ad Physicum; cæteras, ad primum Philosophum, si modò nullum principium commune habeant cum sensibilibus substantiis, quod de interno principio, cuiusmodi sunt materiale ac formale, intelligendum est: hoc enim solum in causa ei posset ut immobiles substantiæ Physicæ considerationi subessent; adhuc enim essent sensibiles. Verum fieri nequit ut res ulla ex materia & forma constans, sit immobilis, cum utraque naturæ rationem subeat, quæ principium est motus, vel etiam quietis, ut interpretati sumus ad 5. librũ cum motus definitionem explicare-

A mus. Quocirca si cælum Empyreum ex materia & forma constat, ut est asserendum mobile profectò est, etsi ratione finis ad quem creatum est, non moveatur, quemadmodum nec tota terra. Quia tamen substantiæ mobiles cum immobilib. hoc commune habeant, quod sint substantiæ, quod quidem genus est utriusque velut materiale principium, quod oppositis differentiis quasi formatur ad constitutionem mobilis & immo-

B bilis substantiæ; illud autem ex ratione mobile non sit (alioqui immobiles substantiæ mobiles essent) non dubium est, quin hoc quoque genus ad primi philosophi consideratione m pertineat. Neque enim ad Physicum pertinere potest, qui nihil sine motu aut propensione ad motum tractare potest.

[f] Quòd si mutatio.

CUm duo communia genera substantiarum constituerit, unum sensibilium seu mobilium, quod complectitur omnes cor-

C ruptibiles & incorruptibiles, alterum immobilium, quod ad omnes immobiles seu immateriales citra Deum diffunditur; ex hoc loco ad finem usque 5, capitis ea paucis repetit quæ de sensibilibus dixerat, cum .... tum etiã .... ut reliqua deinceps capita in consi-

D deratione immobilium consumat; nisi quod ultimum, in quo de summo universi bono disputabit, utriusque generis rationem habebit. Atque ut à materia incipiat, quæ fundamentum & origo est omnis mutabilitatis in rebus naturalibus: revocat primum in memoriam eam demonstrationem, qua illam esse atque adeo necessariam esse constabiliverat. Cuius demonstrationis vis in eo posita

posita est, quod cùm omnis mutatio sit ex contrario aut medio in contrarium (neque enim ad mutationem satis est oppositio contradictoria; cum verbi causa, album non fiat ex quovis non albo, ut ex voce quæ non est alba, sed ex nigro aut medio colore affecto) necesse est aliquid subesse quod ex altero in alterum mutetur; tum quia unum merè contrarium, non mutatur in alterum, (siquidem, albedo non fit nigredo, nec contra) sed album in nigrum, & vice versa in quibus aliquid commune est quod prius uni, deinde alteri contrario subsit; tum etiam quia in omni mutatione semper aliquid remanet, quod antea erat, quodque solum mutatum dici potest; atque hoc est sola materia subiectumve utriusque contrarii.

[g] Si ergo quatuor.

EX divisione mutationis in quatuor genera, ostendit cuius modi naturæ sit materia prima: cum enim ad tria genera mutationũ in quantitate, in qualitate, & in loco, satis sit materia subiectúmve completum, & actuale compositum videlicet ex priori materia, & forma substantiali, quod vocatur materia secunda; tamen ad mutationem in substantia, quæ materialis simplex dicitur nempe cum substantia ipsa generatur, necesse est ut materia ex se omni forma careat, tam accidentali, quæ substantialem supponit, quam substantiali, sitque pura potentia, hoc est, quæ suapte natura utriusque formæ & eius quæ abiicitur, & eius quæ acquiritur sit capax, & omnino formarum omnium tam substantialium quam accidentalium: ad quas eius potestas se extendit; omniumque privationum quæ

A illis opponuntur, & suo modo contrariæ dicuntur.

[b] Cùm autem duplex sit.

QUia veteres Physici ea ratione negabant mutationem substantialem, ne cogerentur fateri aut ens fieri ex non ente, quod esset (ut putabant) aliquid fieri ex nihilo, aut certè ens fieri ex ente, quod admittendum non credebant,

B quia id quod iam est, non fit: Aristoteles ex natura materiæ, quam puram potentiam esse docuit, eorum dubitationem dissolvit. Nam cùm duplex sit ens, nempe ens actu, & ens potentia, & quicquid mutatur, ex eo mutetur quod est ens potentia, in id quod est actu, ut inductione patet, in tribus accidentalibus mutationum generibus, hinc fit ut in substantiali dicere possumus ens fieri & ex non ente, & ex ente; ex non ente

C quidem per accidens, quatenus fit ex materia privationi subiecta, cuius ratione dicitur non ens, nempe tale quale futurum est: quæ tamen eo modo spectata non est omnino nihil: ex ente autem per se, quatenus fit ex ente quod non est actu tale, quale futurum est, sed potentia duntaxat.

[c] Atque hoc est unum illud.

D DOcet hanc materiæ naturam omnino potentialem, omnes veteres Physicos subodoratos esse, nec tamen penitus eam attigisse. Anaxagoras enim Chao illo ponendo, in quo uno dicebat omnia fuisse permista materiæ naturã quasi somniabat, neque tamen rectè dicebat; melius est enim ut omnia dicantur fuisse potestate in aliquo, quo pacto cõtraria pugnare inter se non poterant,

terant, quam actu, quod ipse asserit, minimis tamen particulis omnibus permista, quod certè intelligi nullo modo potest. Itaque si animadvertisset distinctionem entis in ens potentia & ens actu, facilè ad veritatis comprehensionem pervenisset. Eodemque modo ait dici posse de sententia Empedoclis, cum concordia dominante omnia simul fuisse asserit: Itemque de sententia Anaximandri & Democriti, quorum ille in infinito quodam medio inter ignem & aerem, hic, in infinitis atomis omnia dicebant præfuisse; nisi quòd Democritus quasi magis oculatus non actu sed potentia res omnes in illa atomorum infinitate præcessisse voluit, quamquam id haud perspicuè explicavit.

k Quæcunq; autem mutantur.

VT compleat materiæ explicationem, docet, omnia quæ mutantur, materiam habere; non tamen eandem. Quæ enim gignuntur & intereunt, materiam habent cum privatione aliarum formarum substantialium coniunctam; sempiterna verò corpora etsi habent materiam cum privatione diversorum situum, non tamen generabilem, hoc est: coniunctam cum privatione aliarum formarum substantialium, ex qua occasio generationis sumitur, idque ob eam causam; quod non nisi earum formarũ quas hbent, capaces sint, ut libro 10. ostensum est.

l Sed quærat aliquis.

VT luculentius exponat id quod paulo antè dixerat, ex non ente per accidens fieri

A generationem, quærit ex quo tandē non ente fiat. Atque cum non ens tribus modis dicatur (tametsi ab eo hoc loco non explicatur) uno quod nihil omnino est, alterum non ens in subiecto quod est privatio; tertium, quod non est ens actu sed potentia, cuiusmodi est materia respectu eius rei cuius formam accipere potest: brevissimè respondet, fieri quidem ex non ente quod sit potentia ens, ut ignem ex eo quod non est ignis, sed

B tamen potentia ignis; utpote ex materia privata forma ignis, ac proinde quæ habeat aptitudinem & propensionem ad formam ignis verum hoc quod jam dictum erat paulo antè, nō esse satis. Nam præter materiam primam, quæ in omni generatione subiicitur, necesse est ut pro ratione diversarum rerum, quæ gignuntur, diversæ quoque materiæ secundæ præcedant ipsam formarum introductionem Neque enim satis est ad res

C generandas, quod materia prima ex se ad omnes formas propensa sit, nisi dispositionibus diversarum rationum ad formas diversarum specierum præparetur. Unde fit, ut non quodlibet immediatè fiat ex quolibet, sed certæ speciei substantia ex certa & determinata dispositione, seu, quod idem est, ex certa & determinata materia secunda, Quocirca male audiebat Anaxagoras, quòd proximè ex uno chao, & ab una mente agentis primi, omnia genita esse

D dixisset Ubi enim agens unum est, & una materia non diversa (minus etiam infinita) sed certum aliquid generatur, illud nimirum ad quod materia proxima, in proxima potentia est. Quod de generatione naturali intelligendum est non de artificiali, cum mens artificis ex eadem materia proxima, varia admodum effecta possit producere. Neque obest quòd Deus

Deus Opt. Max. divina arte ex nihilo produxit res omnes naturales: namque in ipsa etiam earum creatione non nudam materiam primã, sed tam multas ac varias secundas produxit, quam multas simul formas substantiales specie diversas. A

[m] *Tres igitur sunt.*

Colligit tres esse causas & principia generationis, ubi nomine causæ abutitur pro principii, quod dixerim, ne quis illum putet privationem propriè causam appellare. Quamquam fortasse verbis illis [triaque principia] se correxit, quasi dixerit [triave principia.]

Κεφάλαιον. γ΄.

Μετὰ ταῦτα ὅτι οὐ γίνεται οὔτε ἡ ὕλη, οὔτε τὸ εἶδος. λέγω δὲ τὰ ἔσχατα. πᾶν γὰρ μεταβάλλει τι, καὶ ὑπό τινος, καὶ εἴς τι. ὑφ' οὗ μὲν, τοῦ πρώτου κινοῦντος· ὃ δὲ, ἡ ὕλη. εἰς ὃ δὲ, τὸ εἶδος. εἰς ἄπειρον οὖν εἶσιν, εἰ μὴ μόνον ὁ χαλκὸς γίνεται στρογγύλος, ἀλλὰ καὶ τὸ στρογγύλον, ἢ ὁ χαλκός, ἀνάγκη δὴ στῆναι B

Text. 13. μετὰ ταῦτα, [b] ὅτι ἑκάστη ἐκ συνωνύμου γίνεται οὐσία. τὰ γὰρ φύσει οὐσίαι, καὶ τὰ ἄλλα. ἢ γὰρ τέχνῃ, ἢ φύσει γίγνεται ἢ τύχῃ, ἢ τῷ αὐτομάτῳ. ἡ μὲν οὖν τέχνη, ἀρχὴ ἐν ἄλλῳ. ἡ δὲ φύσις, ἀρχὴ ἐν αὐτῷ. C ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ. αἱ δὲ λοι-

Text. 14. παὶ αἰτίαι στερήσεις τούτων. [c] οὐσίαι δὲ τρεῖς. ἡ μὲν ὕλη, τόδε τι οὖσα τῷ φαίνεσθαι. ὅσα γάρ ἐστιν ἁφῇ καὶ μὴ συμφύσει, ὕλη καὶ ὑποκείμενον. ἡ δὲ φύσις, καὶ τόδε τι. εἰς ἣν καὶ ἕξις τις. ἔτι τρίτη ἡ ἐκ τούτων ἡ καθ' ἕκαστα. οἷον Σωκράτης ἢ Καλλίας. [d] ἐπὶ μὲν οὖν τινῶν, τὸ δέ τι οὐκ ἔστι παρὰ τὴν συνθετὸν οὐσίαν. οἷον, οἰκίας τὸ εἶδος, εἰ μὴ ἡ τέχνη. οὐδ' ἔστι γένεσις καὶ φθορὰ τούτων. ἀλλ' ἄλλον τρόπον εἰσὶ καὶ οὐκ εἰσίν, D οἰκία τε ἡ ἄνευ ὕλης, καὶ ὑγίεια, καὶ πᾶν

Text. 15. τὸ κατὰ τέχνην. ἀλλ' εἴπερ, ἐπὶ τῶν φύσει. διὸ δὴ οὐ κακῶς ὁ Πλάτων ἔφη, ὅτι εἴδη ἐστὶν ὁπόσα φύσει, εἴπερ ἐστὶν εἴδη ἄλλα τούτων, οἷον πῦρ, σὰρξ, κεφαλή. ἅπαντα γὰρ ὕλη ἐστί,

Text. 16. καὶ τῆς μάλιστ' οὐσίας ἡ τελευταία. [e] τὰ μὲν οὖν κινοῦντα αἴτια, ὡς προγεγενημένα-

CAPUT III.

Post hæc intelligendum, nec materiam fieri, nec formam: dico autem quæ extrema sunt. Quicquid enim mutatur, aliquid est & ab aliquo, & in aliquid mutatur. Ab aliquo quidem, ut primò movente: cuius autem mutatio est, illud est materia: id verò in quod mutatur, est forma. In infinitum ergo abitur, si non solum æs fit rotundum, sed etiam rotunditas ipsa aut æs ipsum fit. Stetur igitur necesse est.

Illud [b] præterea sciendum, unamquamque substantiam à re univoca fieri. Quæ enim natura fiunt, substantiæ sunt, itemq; cætera. Aut enim natura, aut arte, aut fortuna, aut casu fiunt. Atque ars quidem principium est in alio, natura autem principium est in ipso; (homo enim hominem generat) cæteræ verò causæ harum sunt privationes. Text. 13.

Substantiæ [c] verò sunt tres. Alia est materia, quæ eo ipso quòd apparet, hoc aliquid est. Quæcumq; enim tactu non copulatione cohærent, materia sunt & subiectum. Alia verò natura, & hoc aliquid, ad quam itur, quæq; habitus quidam est. Tertia insuper, quæ ex his constat, singularisq;, ut Socrates, aut Callias. In [d] quibusdam igitur hoc aliquid non est præter compositam substantiam, ut forma domus non est nisi ars ipsa, neque horum est generatio & corruptio: sed alio modo sunt & non sunt, tum domus sine materia, tum sanitas, tum etiam quidquid ab arte est: sed si sunt, in iis sunt quæ natura constant. Text. 14.

Quocirca non malè Plato dixit, formas eorum esse quæ naturæ constarent, si tamen aliæ sunt aliarum rerum formæ, ut ignis alius, caro, caput: omnia enim materia sunt, ultima etiam eius quæ maximè substantia dicitur. Text. 15.

Ac moventes [e] quidem causæ velut ante Text. 16.

Tex.17. γενόμενα ὄντα. τὰ δ᾽ ὡς ὁ λόγος, ἅμα. ὅτε γὰρ ὑγιαίνει ὁ ἄνθρωπος, τότε καὶ ὑγίεια ἐστί. καὶ τὸ σχῆμα τῆς χαλκῆς σφαίρας ἅμα, καὶ ἡ χαλκῆ σφαῖρα. εἰ δὲ καὶ ὕστερόν τι ὑπομένει, σκεπτέον. ἐπ᾽ ἐνίων γὰρ οὐδὲν κωλύει, οἷον, εἰ ἡ ψυχὴ τοιοῦτον, μὴ πᾶσα, ἀλλ᾽ ὁ νοῦς. πᾶσαν γὰρ ἀδύνατον ἴσως. [f] φανερὸν δὴ, ὅτι οὐδὲν δεῖ διά γε ταῦτ᾽ εἶναι τὰς ἰδέας, ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ, ὁ καθ᾽ ἕκαστον τὸν τινά. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν τεχνῶν. ἡ γὰρ ἰατρικὴ τέχνη, ὁ λόγος τῆς ὑγιείας ἐστί.

Tex.18.

A *exorta sunt; quæ verò ut ratio habentur, simul existunt. Nam cum homo est sanus, tunc etiam sanitas est; & cum figura ænea est, simul etiam ænea sphæra.*

An verò, postea aliquid permaneat, considerandum est: in quibusdam enim nihil prohibet; ut si anima tale quid sit; non omnis tamen sed mens ipsa. Namque ut omnis permaneat, forsitan fieri non potest. Text 17.

Perspicuum igitur [f] ex his, ideas non esse necessarias. Homo enim hominem generat, singularis utique singularem; eodemque modo in artibus res habet; siquidem medendi ars est ipsa sanitatis ratio. Tex.18.

EXPLANATIO CAPITIS TERTII.

[a] *Post hæc.*

QUæ superiori capite, post generalem substantiæ divisionem, repetivit Aristoteles, ad materiæ explicationem pertinebant; nunc ea commemorat, & aliquanto profundius tractat quæ ad formam spectant; tametsi nonnulla de materia adhuc repetit in quibus illa cum forma suo modo communicat. Illud igitur primum in mentem revocat, quod libro septimo luculentiùs docuerat, nec materiam ultimam, neque ultimam formam fieri, hoc est, generari propriè. Vocat autem ultimam ipsam materiam primam, formamque ultimam eam quæ substantialis est; quæ principia sunt ultima in resolutione quemadmodum in compositione sunt prima. Excipit autem materiam secundam, quæ subiectum est accidentium, quia composita est ex materia prima & forma substantiali proprieque generatur, & corrumpitur: formam item secundam (hoc enim nomine intelligi potest totum compositum, quod etiam secundo phycorum lib. formæ nomine comprehendit) quia generatio ad hanc tendit, tanquam ad totalem terminum; & corruptio ab hac ipsa eodem modo proficiscitur. Probatio autem ad illud incommodum ducit negantem ut cogatur admittere infinitionem materiarum & formarum, nisi in aliqua ultima materia, & in aliqua ultima forma cōsistatur, quæ tota res in contextu est perspicua.

[b] *Illud præterea sciendum.*

HOc pertinet ad explicationē solius conditionis formarum ex consideratione agentium, de qua re item lib. septimo disputatum est. Docet igitur quicquid fit (intellige autem per se & non per accidēs) à re sibi univoca fieri, ut hominē ab homine, & equū ab equo ac proinde à se quæ habet formā eiusdē nominis, & rationis cum ea qua ipsum constat: formæ enim sunt quibus res assimilantur inter sese ac distinguuntur. Verùm univocatio hæc intelligenda est vel in specie, vel in communiori aliqua ratione, ita tamen ut illud à quo fit, si non sit eiusdem speciei cum eo quod fit, contineat tamen illud virtute ac potentia suæ naturæ. Multa enim fiunt in his infe-

inferioribus, quæ non habent causam efficientem univocam sibi in specie, aut si habent, non fiunt semper ab illa. Sed ab ea cum qua .... aliqua ratione conveniant, ut culices qui nunquam à culice, sed à sole, aut intelligentia, & mures qui aliquando à mure, aliquando à sole generari dicuntur, quod virtute continere dicantur huiusmodi imperfecta animalia. Probatio huius rei ex inductione sumitur: quicquid enim fit, sive per se, inquam, sive per accidens fit, aut arte (sub qua intellige quamlibet intentionem, eius qui mente aliquid efficit) aut natura; aut certè fortuna, quod est præter intentionem eius qui mente operatur; aut casu quod est præter intentioné propensionemque operantis natura. Quæ duæ causæ posteriores cum sint causæ per accidens, meritò dicũtur ab Aristotele privationes corruptionesve duarum priorum. In iis autem quæ arte aut natura fiunt, semper id quod fit, habet formam similem formæ efficientis, si non specie certè in communiori aliqua ratione eo modo quo diximus. Nam quæ fiunt arte, semper habent similem specie formam cum forma quæ est in mente artificis. Quæ autem natura, maiori parte habent similem speciem, interdum tamen similem genere, seu pressè seu latè accepto generis nomine. Cùm igitur sola ea quæ fortuna & casu fiunt, non per se sed per accidens fiant; ac proinde nõ mirum sit si non assimilentur suis agentibus in eo in quo ab eorum intentione deviant (namque in eo in quo non deviant, non fiunt ab eis per accidens sed per se, ut homo trium fortasse pedum ab homine in eo quod est homo) verum relinquitur pronunciatum illud, quicquid per se fit, à re sibi univoca fieri, seu (quod A eodem redit) à re quæ habet formam eiusdem nominis & rationis, cum ea qua ipsum constat, ut explicatum à nobis est.

Adverte autem distinctionem artis à natura, quam hic ponit Aristoteles, in eo sitam esse, ut ars dicatur principium motionis eius rei, in qua non est: natura autem eius in qua est; quod quo pacto intelligendum sit, in explicanda naturæ definitione, ad quintum lib. diximus.

B

[c] Substantiæ verò sunt tres.

HOc item pertinet ad explicationem naturæ formarum, quæ eiusmodi est, ut nunquã existant antequam materiam informent; in quibusdam autem nihil prohibebat quominus post dissolutionem compositi, seorsim ac per se in rerum naturâ cohæreant. Quod ut doceat, simulque de materia deq; C toto composito nonnihil tradat, præmittit tripartitam substãtiæ divisionem, non quidem in species, sed in partes essentialiter componentes, quæ sunt materia & forma, & in ipsum compositum. Ait igitur, materiam esse hoc aliquid per formam; hoc enim significat (ut Themistius rectè interpretatur) cum ait, eo ipso quod apparet, seu (quod idem valet) quasi in lucem prodit: alioqui si omni forma spoliata concipiatur, non D potest dici hoc aliquid, nisi potestate illa & habilitate, ut per formam cerni possit. & in rebus per se subsistentibus suo modo numerari. Id quod colligitur ex materia rerum quæ arte conficiuntur, si modò ex multis separatisque coagmententur, ut domus ex lateribus & calce, & navis ex tabulis & clavis, quibus illæ compinguntur. In his enim planè distincta est materia à rebus quæ ex illa cõ-

ficiuntur, cùm sint res plures ac distinctæ inter se, & à tota re quæ ex omnib. componitur: quæ res plures non essent hæc aliqua, nisi distinctas formas haberent, & per eas se cernendas exhiberent. Nam cum partes ex quibus res constat, natura ipsa copulatæ sunt inter se, veluti partes humani corporis, neque unquam ante totius generationem separatim extiterunt; res obscurior est, cum nihil aliud quam ipsum totum esse videatur. Id quod veteres Physicos B adduxit, ut materiam à tota naturalis rei substantia non distinguerent seu (ut verius dicam) ut solam materiam totam illius substantiam esse crederent, nec diversarum distinctionem aliam esse dicerent, quam quæ variis accidentibus efficerentur. Hanc expositionem illorum verborum [eo ipso quod apparet] traducit Averroes ad hoc tantum, ut materiam declaret hoc loco esse singularis positivè per formam, quæ C cum alioqui sit universale subiectum, est uno numero privativè, utpote ut antecedit natura sua singulari omnes formas. Sed non est cur usque adeo restringantur verba illa, ut non etiam per ea declaret Aristoteles materiam esse hoc aliquid, id est, substantiam per formam, sive ut singularis, & hæc positivè sive absolutè, & ut materia in commune sumta. Itaque cùm substantiæ hoc maximè proprium habeant; ut suo modo D quæque sit hoc aliquid seu per se subsistens (quod nulla ratione accidentibus convenit) in eo intelligendum est positam esse hanc trimembrem divisionem, ut materia substantiæ sit hoc aliquid per formam, forma autem per hoc quod per se ipsam dat esse ac subsistentiam materiæ, totique composito; at totum compositum per hoc quod ipsum per se est hoc aliquid & maximè substantia, ut post pauca verba subdit Aristoteles. Quod autem ait; formam esse item naturam, ad quam generatio contendit, non tollit quominus materia etiam natura sit, cùm eodem modo natura dicatur, qua dicitur hoc aliquid: nempe quatenus formæ, quæ præcipuè naturæ rationem habet, capax est. Dicitur quoque forma habitus quidam, velut à privatione opposita distinguatur; vel quia generatio, acceptio quædam est non materiæ sed formæ; quæ tum demũ habetur, cum generatio completa est. Denique quod hic dicitur, totum compositum esse singularem substantiam non impedit quominus concipi possit ut universale quippiam: sed hoc ad ipsum opus generationis spectat quę non est nisi singularium, ut cæteræ omnes actiones; quod initio huius operis explicatum est.

[d] In quibusdam igitur.

CUm docuisset formam substantialem esse hoc aliquid, ut naturam ad quam tendit generatio; compositamque substantiam ex ea constare: Jam illud certum esse ait, præter quædam composita, nullam esse formam, quæ hoc aliquid sit, ac per se extra compositum cohæreat, quod ipsum Plato admittit, veluti in iis quæ arte conficiuntur. Nisi quis ea exemplaria, quæ sunt in mentibus artificum, formas eorum quæ arte conficiuntur, separatas esse dicat: verũ eæ formæ substantiæ non sunt, ut cohærere per se possint, sed mera accidentia; nec proinde ut substantię per generationem incipiunt esse, aut per corruptionem desi-

definunt, sed ea ratione tantum qua ipsorum artificum mente concipiũtur, aut oblivione evanescunt, quas etiam artefacta sine materia hoc loco appellat, ut domum aut navem immaterialem. Quare non malè Platonem dixisse ait, cum docuit, "formas separatas sive ideas non esse nisi rerum naturalium", quæ nimirum materia & substantibus formis constarent. Non malè, inquit, si modò ullæ eiusmodi formæ admittendæ essent, ut præter ignem hunc ex materia & forma constantem, sit quædam ignis forma separata, sive ignis idealis, eodemque modo alia idealis caro, aut ideale caput. Illud enim ipsi compertum esse; isthæc omnia materiam includere, cùm sine qualitatib. sensibilibus neque esse neque intelligi possint, sintque materiales partes substantię sensibilis, non solùm si illa definiatur in commune, sed multo etiam magis, si sumatur ut partes singularis substantiæ, quæ maximè substantia dicitur.

e Ac moventes quidem.

IAm suam sententiam adhibet de formis rerum naturalium, aitque non perinde sentiendum de illis esse atque de causis moventib. (quod idem de quovis modo agentibus dictum esse intelligit Alexander) ut quemadmodum moventes præcedunt tempore sua effecta, ita etiam præcedant formæ substantiales. Re enim vera dispar in his ratio est: nam causæ moventes sunt causæ à quibus motus oritur, ut necesse sit eas antè existere, quam sint res ipsæ quæ per motum efficiuntur. At formæ substantiales, cùm sint causæ formales, quæ propterea dicuntur rationes eorum quæ fiunt, quòd in eis si-

A tum sit illorum naturæ complementum; simul incipiunt esse, cum ea quæ fiunt, esse incipiunt. Hoc enim commune est formis omnibus; sive substantialibus, veluti formæ humanæ qua fit Socrates; sive accidentalibus, ut sanitati, qua ille fit sanus; aut figuræ rotundæ, qua æs in sphæram conformatur, ut non priùs tempore, sed tum primum existant in rerum natura, cùm existunt primum ea composita quæ ex illis constant. Nũ

B autem, quæ substantiales sunt, dissolutis compositis naturalibus permaneant in rerum natura, ac per se cohæreant; rem esse ait cònsideratione dignam. Hoc tamen apertè pronunciat, nihil prohibere quominus aliquæ permaneant: ut si anima tale quiddam sit, ut post mortem viventis permanere dicatur, non omnis tamen, sed sola mens sive anima intellectiva. Cuius rei hæc est ratio: quia cæteræ animæ non possunt habere

C operationem ullam sine organo corporeo: at anima intellectiva potest, cum de ratione intellectus non sit, ut indigeat operatione corporis, nisi quandiu est in corpore mortali, quatenus fermè nihil intelligit nisi concurrente simul operatione phantasiæ; quæ organo corporeo infixa est: tametsi aliquando intellectus ab omni sensuum operatione abstrahitur; ut in vehementi aliqua contemplatione. Quo loco cùm Aristoteles cæteras animas dissolutis com-

D positis permanere non posse affirmat, (usus enim est verbo [forsitan] quia hac de re hoc loco non ex instituto disputat) multo id clarius relinquitur in formis non viventium, cũ eadem sit in illis, atque adeò maior ratio.

f Perspicuum igitur est.

EX eo quòd dixerat, causas moventes tempore præcedere sua

effecta, formales autem tum primū esse, cum primum illa existunt; colligit, ideas ad generationem rerum non esse necessarias: nam neque aliis agentibus, neque aliis formis opus est, nisi singularibus: homo enim prius existens, hominem posterius existentem generat, non universalis universalem, nec universalis singularem, nec singularis universalem, sed singularis singularem. quod cernimus in Sophronisco patre, & filio Socrate, aliisque omnibus causis naturaliter........ eodemque modo animam Socratis non prius experimur esse, quam Socrates existat; ut inanis & commentitia sit alia formalis causa Socratis ante existens, quæ ad generationem Socratis concurrat. Sed quia Plato de forma exemplari, non de informante loquebatur, cum ideas poneret; has etiam separatas esse non esse necesse, ex dictis etiam colligendum esse vult. Nam cùm dictum sit, semper effectum esse similem agenti, quod esse non potest, nisi ratione formæ, sitque certum, omne agens naturale

A eniti, ut sibi assimilet id quod patitur, satis habent formæ agentium, ut sint exemplaria eorum quæ efficiūt. Quòd si de vera forma exemplari, quam agens imitetur, sit quæstio, eadem illa qua agens agit, est exemplar eius quam inducere nititur in materiam: semper enim agens similem sibi effectum producit, qui aut eiusdem nominis & rationis sit, aut certè se modo aliquo imitetur, ut paulo antè dictum est: id quod mul-

B to etiam clarius est in operibus artis, ex quibus multa quasi venamur, & intelligimus in operibus naturæ. Non prius enim Polycletus, verbi gratia, statuam effingit, quam animo conceptam habeat statuæ figuram. Nec medicus prius ægrotum curat, quam sanitatis rationem mente concipiat: nisi quòd agentia naturalia ipsa naturæ propensione ad sibi similia procreanda impelluntur: qui autem ex arte operantur, & omnino

C mente aliquid efficiunt, sola electione voluntatis ad agendum propendent.

Κεφάλαιον δ΄.

Text.19. Τὰ δὲ αἴτια καὶ αἱ ἀρχαὶ ἄλλα ἄλλων ἐστὶν ὥς, ἔστι δ' ὡς οὔ, ἂν καθόλου λέγῃ τις καὶ κατ' ἀναλογίαν ταὐτὰ πάντων. b ἀπορήσειε γὰρ ἄν τις, πότερον ἕτεραι, ἢ αἱ αὐταὶ ἀρχαὶ καὶ στοιχεῖα τῶν οὐσιῶν, καὶ τῶν πρός τι. καὶ καθ' ἑκάστην δὴ τῶν κατηγοριῶν ὁμοίως. ἀλλ' ἄτοπον, εἰ ταὐτὰ πάντων. ἐκ τῶν αὐτῶν γὰρ ἔσαι τὰ πρός τι, καὶ ἡ οὐσία. τί οὖν τοῦτ' ἔσαι; παρὰ γὰρ τὴν οὐσίαν, καὶ τἆλλα τὰ κατηγορούμενα, οὐδὲν ἔσαι κοινόν. πρότερον δὲ τὸ στοιχεῖον, ἢ ὧν στοιχεῖον. ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἡ οὐσία στοιχεῖον τῶν πρός τι οὐδὲ τούτων οὐδὲν τῆς οὐσίας.

Tex 20. d ἔτι πῶς ἐνδέχεται πάντων εἶναι τὰ στοιχεῖα ταὐτά; οὐδὲν γὰρ οἷόν τ' εἶναι τῶν στοι-

CAP. IV.

Text.19. *Causæ verò a & principia modo quodam alia aliorum sunt quodam autem non sunt si quis universè loqua-*

D *tur, & proportione eadem omnium esse velit.*

b Quæret enim quis, num diversa, an eadem sint principia & elementa substantiarū, & eorum quæ ad aliquid sunt, aliorumq; prædicamentorum similiter. Atqui c absurdum est, si eadem sunt omnium: constabunt enim ex eisdem ea quæ sunt ad aliquid, & substantia: Quid igitur hoc erit? nam præter substantiam, & alia quæ prædicantur, nihil commune est: elementum autem prius est iis quorum est elementum. Sed neq; substantia elementum est eorum quæ sunt ad aliquid, neq; horum quicquam ipsius substantiæ.

Tex.20. *d Præterea quonam pacto fieri potest, ut ea-*

χείων, τὸ ἐκ τῶν στοιχείων συγκείμενον τῶν αὐτῶν. οἷον τῶν Β καὶ Α τὸ ΒΑ. A οὐδὲ δὴ τῶν
Text.21. νοητῶν στοιχεῖόν ἐστιν, οἷον τὸ ἕν, ἢ τὸ ὄν. ὑπάρχει γὰρ ταῦτα ἑκάστῳ τῶν συνθέτων, οὐδὲν ἄρα ἔσται αὐτῶν, οὔτ' οὐσία, οὔτε πρός τι, ἀλλ' ἀναγκαῖον. οὐκ ἔστιν ἄρα πάντων ταὐτὰ
Text.22. στοιχεῖα. ἢ ὥσπερ λέγομεν, ἔστι μὲν ὡς ἔστι δ' ὡς οὔ. οἷον ἴσως τῶν αἰσθητῶν σωμάτων, ὡς μὲν εἶδος τὸ θερμόν, καὶ ἄλλον τρόπον τὸ ψυχρόν, ἡ στέρησις. ἡ ὕλη δὲ τὸ δυνάμει ταῦτα πρῶτον καθ' αὑτόν. οὐσίαι δὲ ταῦτά τε καὶ τὰ ἐκ τούτων, ὧν αἱ ἀρχαὶ ταῦτα. ἢ εἴ τι ἐκ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ γίνεται ἕν. B οἷον, σάρξ, ἢ ὀστοῦν ἕτερον ἀνάγκη ἐκείνων εἶναι τὸ γινόμενον. τούτων μὲν οὖν ταὐτὰ στοιχεῖα καὶ ἀρχαί, ἄλλων δ' ἄλλα. πάντων δὲ οὕτως μὲν εἰπεῖν, οὐκ ἔστι. τὸ ἀνάλογον δέ. ὥσπερ εἴ τις εἴποι, ὅτι ἀρχαὶ εἰσὶ τρεῖς, τὸ εἶδος, καὶ ἡ στέρησις, καὶ ἡ ὕλη. ἀλλὰ τούτων ἕκαστον, ἕτερον περὶ ἕκαστον γένος ἐστίν. οἷον ἐν χρώματι λευκόν, μέλαν, ἐπιφάνεια. φῶς, σκότος, ἀήρ. ἐκ δὲ τού-
Text.23. των, ἡμέρα καὶ νύξ. ἐπεὶ δὲ οὐ μόνον τὰ ἐνυπάρχοντα αἴτια, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐκτός, οἷον τὸ κινοῦν. δῆλον ὅτι ἕτερον ἀρχὴ καὶ C στοιχεῖον. αἴτια δ' ἄμφω καὶ εἰς ταῦτα διαιρεῖται ἡ ἀρχή. τὸ δ' ὡς κινοῦν ἢ ἱστᾶν, ἀρχή τις καὶ οὐσία. ὥστε στοιχεῖα μὲν κατὰ ἀναλογίαν τρία. αἴτιαι δὲ καὶ ἀρχαί, τέσσαρες. ἄλλο δ' ἐν ἄλλῳ καὶ τὸ πρῶτον αἴτιον, ὡς κινοῦν, ἄλλο ἄλλῳ. ὑγίεια, νόσος, σῶμα. τὸ κινοῦν, ἰατρική. εἶδος, ἀταξία
Text.24. τοιαδί, πλίνθοι. τὸ κινοῦν, οἰκοδομική. καὶ δὴ εἰς ταῦτα διαιρεῖται ἡ ἀρχή. ἐπεὶ δὲ τὸ κινοῦν ἐν μὲν τοῖς φυσικοῖς ἄνθρωπος, ἐν δὲ τοῖς ἀπὸ διανοίας τὸ εἶδος, ἢ τὸ ἐναντίον, τρόπον τινὰ τρία αἴτια ἂν εἴη, ὡδὶ δὲ D τέτταρα. ὑγίεια γάρ πως ἡ ἰατρική. καὶ οἰκίας εἶδος, ἡ οἰκοδομική. καὶ ἄνθρωπος ἄνθρωπον γεννᾷ. ἔτι παρὰ ταῦτα, ὡς τὸ πρῶτον κινοῦν πάντων.

A dem sint omnium elementa? nullum enim elementum idem esse potest atque id quod ex elementis constat, ut A. aut B. id quod A B. Neque Text.21. igitur ullum ex intelligentibus elementum est, ut ens aut unum: insunt enim hæc in singulis compositis. Quod si ita est nullum eorum erit aut substantia aut ad aliquid: at necesse est. Ita fit ut non sint omnium eadem elementa.

e An (uti diximus) modo quodam sunt, Text.22. modo alio non sunt? veluti fortasse corporum sensibilium calor est, ut forma, & alio modo frigus, privatio; materia verò, id quod primum per se potestate est hæc ipsa. Substantiæ B autem sunt & hæc, & quæ ex his constant, quorum hæc sunt principia, aut si quid ex calido & frigido unum fit, ut caro aut os, diversum enim ab illis sit id quod fit, necesse est. Atque horum quidem hæc principia sunt, alia verò aliorum. Omnium autem hoc modo eadem principia dicere non licet; proportione autem licet, ut si quis dicat, tria esse principia, formam, privationem, & materiam. Sed tamē horum quodque in unoquoque genere diversum est, ut in colore album, & nigrum, superficies; lumen, tenebræ, aer ex his autem dies, & nox existunt.

f Cùm autem non ea tantùm quæ insunt, Text.23. C causæ sint, sed etiam quæ sunt extra, ut id quod movet; perspicuum est, aliud esse principium, aliud elementum, & utrumque causam esse, & in hæc principium dividi; idque quod movet aut motum cohibet, principium quoddam esse ac substantiam. Itaque principia quidem proportione sunt tria; causæ verò & principia quatuor, sed aliud principium alio est, primaque causa quæ movens est, alia etiam est in alio. Sanitas, morbus, corpus; id quod movet Medendi ars: forma, inordinatio talis; lateres; id quod movet AEdificandi facultas; atque in hæc principium dividitur.

D g Quoniam verò movens in materialibus Text.24. quidem homo est movens, in iis autem quæ à mente fiunt, forma aut contrarium; modo quodam tres erunt causæ; alio verò quatuor: sanitas enim quodammodo ars medendi est; & forma domus ars ædificandi; & homo etiam hominem generat. His h accedit id quod est primum omnium, movensque omnia.

EXPLA-

EXPLANATIO CAPITIS QUARTI.

a *Causæ verò & principia.*

VBi ea repetivit atque adiecit quæ ad materiæ ac formæ explicationem maioremque cognitionem pertinebant, eo quòd sint interna principia substantiarum mobilium; tertiumque principium quod est privatio, uno tantum aut altero verbo tetigisset, quod nihil in eo entitatis naturæve invenitur; eam quæstionem fusiùs & accuratiùs discutit in his duobus capitibus, quàm libro tertio, & undecimo proposuerat, atque utcunque tractaverat; sint ne causæ ac principia rerum omnium, eadem, an diversa. Ita tamen eam pertractat, ut in ipso statim initio asserat quid generatim in ea sentiendum sit: Deinde more solito rem ipsam in dubium vertat, eaque præstet in progressu, quæ ad veritatem eliciendam videntur opportuna. Ait igitur, causas & principia, si quid universè dicendum est, modo quodam alia aliorum esse, modo alio non esse, sed eadem; tametsi non eadem simpliciter, sed proportione quadam, seu imperfecta similitudine in eis retenta.

b *Quærat enim quis.*

PRoponit quæstionē ipsam explicatiùs, nempe in generibus omnium prædicamentorum, ex quibus speciatim nominat genus substantiarum, & eorum quæ sunt ad aliquid, quòd sint quasi extrema quoad esse: nam substantiæ sunt per se ipsę; absoluta vero accidentia sunt per substantias quas afficiunt, neque ad aliud referunt; at ea quæ ad aliquid dicuntur, etsi substantias afficiunt, ut absoluta accidentia, tamen hoc proprium habent, ut ad aliud referant. Loquitur autem in ea proponenda de principiis tantum internis, quæ vocat elementa, quia pòst loquetur de externis.

c *Atqui absurdum est.*

QUòd nō sint omnium eadem principia interna seu elemēta duabus rationibus probat, quarum prior est: Quia si eadem sint omnium remotissima etiam genera, ut substantiarum, & eorum quæ sunt ad aliquid, ex eisdem elementis constabunt, quod fieri non potest. Oporteret enim, ut essent aut præter omnia prædicamenta, aut in eorum aliquo: at nihil est præter illa omnia, quod non solum omnibus commune sit sed etiam prius, cum tamen elementum prius esse debeat iis, quorum est elementum. Ut autem sint omnia in genere substantiæ, ea ratione fieri nequit: quia nec substantia, verbi causa, potest esse elementum eorum quæ sunt ad aliquid, neque id quod est ad aliquid, substantiarū.

d *Præterea quonam pacto.*

SEcunda ratio est: Quia nullum elementum est idem cum eo quod ex elementis constat, ut patet

patet in A & B, quæ sunt elementa A huius syllabæ BA. alioqui idem esset sui ipsius causa. Quod cùm pateat in elementis, quæ reali compositione constituunt, quæque dici possunt realia; verum quoque esse ait in iis quæ constituunt compositione intelligibili, quæ quidem vocat elementa intelligibilia, qualia sunt genera in compositione specierum, & species in compositione individuorum. Nam neque ista sunt omnino idem, atque ea quæ constituunt; species enim differentiæ specificæ additione excedit suum genus & individuum eam speciem, sub qua est additione differentiæ individuantis. Quo fit ut non rectè dixerit Plato, ens & unum esse principia rerum omnium, cùm enti & uni nihil addi possit ad compositionem ullius rei. Nihil enim addi potest enti ut cum eo aliquod ens particulare componat; esset enim illud non ens, sicq; aliquod ens ex ente & non ente componeretur Eodemque modo nihil addi potest uni ad compositionem huius aut illius unius; esset enim illud non unum, sicque unum ex uno & non uno constaret: quæ cùm fieri nequeant (quicquid enim unquam est, & ens & unum est) apertè concluditur, ens & unum quæ insunt per identitatem in quovis ente & uno (sic enim intelligenda sunt verba illa [insunt enim hæc in singulis compositis) idem omnino esse atque illud. Quæ omnia valde congruunt cum eo quod diximus ad librum 4. nempe ens immediatè significare entia omnia sive simplicia sive composita: quod idem dicendum est de uno. Cùm igitur nullum elementum (ne intelligibile quidem) idem sit cum eo quod ex elementis constat. rectè colligit Aristoteles, si eadem essent elemēta rerum omnium, substantiarum nimirum & accidentium fore ut ea neque essent substantiæ, neq; accidentia, quod fieri nullo modo potest, cùm quicquid est, aut substantia sit aut accidens.

An uti diximus.

RESpondet propositæ quæstioni, simulque solvit argumenta proposita, quatenus veritati adversari utcunq; possint. Cū autē B initio quæstionis duobus modis dixisset, eadem esse omnium principia; uno, si universè de principiis sit sermo, non de principiis huius generis rerum aut illius: altero, si diversorū generum principia dicantur eadem: non univocè, sed proportione quadā & similitudine imperfecta, quod dicitur analogicè. Nunc ostendit, diversorum generum principia, diversorum generum esse eadem proportione; ostensurus postea, esse eadem universè accepta. Ait igitur, si C propria quærantur cuiusque generis principia, non esse illa quidem eadem: alia enim sunt principia corporum sensibilium huius generis, alia illius: Ut si fortasse quis dicat simplicium corporum calorem esse formam, & frigus privationem, materiam verò id quod per se utrique vicissim subiici potest & omnia hæc esse substantias, hoc est ad prædicamentum substantiæ suis modis pertinere, utpote ut principia eorum D quæ directò ad tale genus pertinent, non ut quæ directò ponuntur. Neque enim semper exemplorum veritas requirenda est cùm sæpe proponantur ad res utcumque declarandas. Itemque si calor & frigus simul ponantur ut forma misti, veluti carnis aut ossis & ita in cæteris alia aliorum propria principia tradantur. Itaque hoc modo non esse rerum om-

nium eadem principia. Quòd si quis proportione quadam, comparatione ea esse eadem velit, non esse id negandum; ut enim se habent forma, privatio & materia huius generis ad hoc genus: ita illius ad illud, tametsi in se diversa sint ab illis, & minimè conveniant vera & uniformi convenientia; ut si quis dicat in genere colorum album esse, ut formam, nigrum, ut privationem; & superficiē, ut materiam; aut in genere temporum lumen à cœlo, esse formam; tenebras seu diminutum lumen, privationem; & aerem, materiam, ex quo dies & nox efficiuntur.

f Cùm autem non ea.

QUia nō erat loquutus de principiis extremis sed de internis, quæ peculiari nomine elementa vocaret (tametsi privatio non sit internum per se, sed per accidens, utpote ratione materiæ privatæ) addit hoc loco ex causis externis efficientem, prætermissa finali, quæ non est principiū, nisi in intentione efficientis; itemque exemplari, quā non putat distingui à formali, quæ est in agente, ut dictum paulo antè est. Distincto igitur principio & causa ab elemento, ut elementa sint tria, materia, forma, & privatio; causæ autem & principia quatuor, addita tribus iam dictis efficiente causa & principio, quòd principiū & causa latiùs pateant, quam elementum; idem dicendum esse ait de efficiente A proprio & peculiari, ut non idem sit in diversis generibus, sed proportione idem. Exemplo sunt artifices sanitatis & ædificii, qui cum nō sint omnino iidem proportione tamen quadam iidem dici possunt.

g Quoniam verò movens.

REvocat quatuor dicta principia & causas ad tria, computatis nimirum pro uno principio & causa, forma & efficiente, quia B etsi re differunt, ratione tamen aliqua (formaliter nimirum aut eminenter) conveniunt; sive id spectemus in operibus naturæ, ut in generatione hominis ab homine, & muris à Sole; sive in operibus artis & omnino mentis exemplar enim rei ex arte faciendæ, & idolum contra artis dogmata conceptum, eiusdem quodammodo rationis sunt, atque forma per artem inducta; nisi quòd hæc C est forma cum materia, illa verò sunt formæ sine materia, ut sæpe ait Aristoteles, ac proinde nobilioris naturæ, sed quæ virtute contineant formas, quæ in materiam inducuntur.

h His accedit id quod.

DOcet his verbis, etsi huiusmodi principia & causæ diversa sunt, in particulari tamen unam numero efficientem causam & principium, quod omnia moveat, concedendum esse, ad quod cetera principia & causæ revocentur, D quod ipse capite sequenti investigare incipiet.

Κεφάλαιον ε.

Tex. 25. Ἐπεὶ δ' ἐστὶ τὰ μὲν χωριστά, τὰ δ' οὐ χωριστά, οὐσίαι ἐκεῖνα. καὶ διὰ τοῦτο πάντων αἴτια ταῦτα, ὅτι τῶν οὐσιῶν

CAP. V.

CVm autem alia separabilia sint, alia separari nequeant; illa substantiæ sunt. Quo fit ut hæc omnium sint causæ, quòd sine substantiis passiones motusq; non existent Text. 25.

ἄνευ, οὐκ ἔστι τὰ πάθη καὶ αἱ κινήσεις, ἔπειτα ἔσται ταῦτα ψυχὴ ἴσως καὶ σῶμα, ἢ νοῦς, καὶ ὄρεξις, καὶ σῶμα. Text.25.
[b] ἔτι δ' ἄλλον τρόπον τῷ ἀνάλογον ἀρχαὶ αἱ αὐταὶ οἷον ἐνέργεια καὶ δύναμις. ἀλλὰ καὶ ταῦτα ἄλλα τε ἄλλοις, καὶ ἄλλως. ἐν ἐνίοις μὲν γὰρ τὸ αὐτὸ, ὁτὲ μὲν ἐνεργείᾳ ἐστὶν, ὁτὲ δὲ δυνάμει, οἷον, οἶνος, ἢ σάρξ, ἢ ἄνθρωπος. πίπτει δὲ καὶ ταῦτα εἰς τὰ εἰρημένα αἴτια. ἐνεργείᾳ μὲν γὰρ τὸ εἶδος, ἐὰν ᾖ χωριστὸν, καὶ τὸ ἐξ ἀμφοῖν. στέρησις δὲ: οἷον σκότος ἢ κάμνον. δυνάμει δὲ ἡ ὕλη. τοῦτο γάρ ἐστι τὸ δυνάμενον γίγνεσθαι ἄμφω ἄλλως δὲ ἐνεργείᾳ καὶ δυνάμει διαφέρει, ὧν μή ἐστιν ἡ αὐτὴ ὕλη. ὧν οὐκ ἔστι τὸ αὐτὸ εἶδος ἀλλ' ἕτερον. ὥσπερ ἀνθρώπου αἴτιον τά τε στοιχεῖα, πῦρ καὶ γῆ, ὡς ὕλη. τὸ ἴδιον εἶδος καὶ εἴ τι ἄλλο ἔξω, οἷον ὁ πατήρ. καὶ παρὰ ταῦτα ὁ ἥλιος, καὶ ὁ λοξὸς κύκλος, οὔτε ὕλη ὄντα οὔτ' εἶδος, οὔτε στέρησις, οὔτε ὁμοειδὲς, ἀλλὰ κινοῦντα. Tex.27.
[d] ἔτι δὲ ὁρᾶν δεῖ, ὅτι τὰ μὲν καθόλου ἐστὶν εἰπεῖν, τὰ δ' οὔ. πάντων δὴ πρῶται ἀρχαὶ, τὸ ἐνεργείᾳ πρῶτον, τόδε, καὶ ἄλλο τὸ ὃ δυνάμει. ἐκεῖνα μὲν οὖν τὰ καθόλου οὐκ ἔστιν. ἀρχὴ γὰρ τὸ καθ' ἕκαστον, τῶν καθ' ἕκαστον. ἄνθρωπος μὲν γὰρ ἀνθρώπου καθόλου. ἀλλ' οὐκ ἔστιν οὐδεὶς, ἀλλὰ Πηλεὺς Ἀχιλλέως. σοῦ δὲ, ὁ πατήρ. καὶ τοδὶ τὸ Β, τοῦδι τοῦ ΒΑ. ὅλως δὲ τὸ Β, τοῦ ἁπλῶς ΒΑ.
[e] ἔπειτα εἴδη ταῦτα τῶν οὐσιῶν ἄλλα δὲ ἄλλων αἴτια καὶ στοιχεῖα ὥσπερ ἐλέχθη, τῶν μὴ ἐν ταὐτῷ γένει, χρωμάτων, ψόφων, οὐσιῶν, ποσότητος. πλὴν τῷ ἀνάλογον, καὶ τῶν ἐν τῷ αὐτῷ εἴδει ἕτερα οὐκ εἴδει ἀλλ' ὅτι ἡ τῶν καθ' ἕκαστον ἄλλο, ἥ τε σὴ ὕλη καὶ τὸ εἶδος, καὶ τὸ κινῆσαν, καὶ τὸ εἶδος καὶ ἡ ἐμή. τῷ καθόλου δὲ λόγῳ ταὐτά. Tex.28.
[f] τὸ δὲ ζητεῖν. τίνες ἀρχαὶ καὶ στοιχεῖα τῶν οὐσιῶν, καὶ πρός τι. καὶ ποίων, πότερον αἱ αὐταὶ ἢ ἕτεραι, δῆλον ὅτι πολλαχῶς τε λεγομένων ἐστὶν ἑκάστου, διαιρεθέντων δὲ οὐ ταὐτὰ, ἀλλ' ἕτερα. πλὴν ὡδὶ καὶ πάντων. ὡδὶ δὲ ταὐτὰ ἢ τῷ ἀνάλογον, ὅτι ἡ ὕλη εἶδος, στέρησις, τὸ κινοῦν. καὶ ὡδὶ ταῦτα τῶν οὐσιῶν αἴτια, ὡς αἴτια πάντων, ὅτι ἀναιρεῖται ἀναιρουμένων. ἔτι τὸ πρῶτον, ἐντελεχείᾳ.

A extent. Deinde erunt hæc fortassis anima, & corpus, aut mens, & appetitus ac corpus.

[b] Alio etiam modo principia sunt proportione eadem, ut actus & potentia. Verũ hæc & alia sunt in aliis, & modo alio. Nam in quibusdam res eadem nunc quidem actu est, nũc verò potentia; ut vinum, aut caro, aut homo. Sed & hæc in prædictas causas incidunt. Forma enim actus est, si separari potest; & idquod ex utroq; constat. Privatio autem est ut tenebræ, aut ægrotans; materia verò est potestate; hoc enim est quod utrumq; fieri potest. Text.26. Græcè est ἐνεργεία, sed vetus interpres & Argyropylus legunt aliter
[c] Sed & alio modo differunt esse actu, & potestate, B ea res quarum non est eadem materia, & quarum non eadem est forma, sed diversa; qua ratione hominis causa ut materia sunt elemẽta ignis & terra formaq; * propria, etsi quid aliud extra est, ut pater, & præter hæc Sol & obliquus circulus, quæ nec materia sunt, nec forma, nec privatio, neq; eiusdem speciei, sed moventia. * Aliter ἴδιον.

[d] Præterea videre oportet, ex his alia universalia esse, alia non item. Omnium igitur prima principia sunt id quod actu primum est hoc: & aliud, quod potentia. Atque ea quidem quæ universalia sunt, non extant; id enim quod singulare est, singularium principium est; C quandoquidẽ hominis universalis homo est principium. Atque nemo sic omnino extat, sed Peleus Achillis principium est; tui autem, pater; & hoc B huius BA; omnino autem B. eius quod simpliciter BA: Text.27.
[e] Deinde iam quæ sunt substantiarum. Sed alia sunt aliorum causæ ac principia, ut dictum est eorum quæ non sunt in eodem genere, colorum, suorum, substantiarum; quantitatis, nisi proportione; eorum etiam quæ sunt in eadem specie, diversa sunt, non specie: sed quod sit aliud ea quæ singularium est, hæc, inquam, tua materia, & forma, & movens, atque mea; u-D niversali autem ratione, eadem.

[f] Cum ergo quæritur quænam principia & elementa sint substantiarum, & eorum quæ sunt ad aliquid, & qualiũ, utrùm eadem, an diversa; perspicuum est, eorum si universè dicatur, eadem cuiusque esse; sin autem dividantur, non esse eadem diversa. Quamquam & hoc modo sunt eadem omnium, & proportione, quòd sint materia, forma, privatio, & movens: & quòd substantiarum causæ, ac principia sint veluti omnium rerum principia, cum eis sublatis cætera tolluntur. Adde quod

Videtur posuisse δὲ pro δή. Text.28. dicantur.

ὡδὶ δ' ἕτερα τὰ πρῶτα ὅσα τὰ ἐναντία, ἃ μήτε ὡς γένη λέγεται, μήτε πολλαχῶς λέγεται. Tex.29. καὶ ἔτι αἱ ὕλαι. αἱ τίνες μὲν οὖν ἀρχαὶ τῶν αἰσθητῶν, καὶ πόσαι, καὶ πῶς αἱ αὐταί, καὶ πῶς ἕτεραι, εἴρηται.

A *primum est, actu esse. Alio verò modo diversa sunt prima contraria: quæ quidem neq; ut genera, neq; universa dicuntur. Et insuper materiæ ipsæ. Quænam igitur & quot sint sensibilium principia, & quo pacto eadem sint, ac diversa dictum esto.* Tex.29.

EXPLANATIO CAPITIS QUINTI.

[a] *Cum autem alia sint.*

ADdit in hoc capite modum alium quo principia rerum omnium eadem proportione dici possunt. Tum adiungit quonam pacto universali ratione dicantur eadem, qui modus alter erat eorum; quibus illa initio quæstionis modo aliquo eadem appellari posse dicebantur. Sed antequam hæc præstet, revocat principia omnia, & causas accidentium, ad principia & causas substantiarum, quemadmodum proximis verbis revocaverat causas omnes ad unum numero principium effectorum, quod omnia movet Quo fit ut non rectè hæc pars contextus divulsa sit à capite superiori, & huic capiti adiuncta. Ratio verò huius revocationis est quia accidentia (quæ vocat entia inseparabilia, eo quòd sine substantiis existere non possunt) pendent à substantiis, quas vocat entia separabilia, quia sub aliis atque aliis accidentibus cohærent: quicquid autem ab aliquo pendet, à principiis quoque & causis eius pendeat, necesse est. Neque hac revocatione contentus Aristoteles (ut est revocationis studiosus) revocat ulteriùs principia & causas substantiarum ad prima quædam in eo genere, quæ ait forsitan esse animam & corpus: quibus nominibus intelligit formam primi mobilis, si verè & propriè putat esse animarum. Addit autem, aut mens, & appetitus, ac corpus, quia fortasse non credit esse verè ac propriè animatum, sed aggregatum quiddam ex primo orbe mobili & intelligentia motrice. Quòd si existimat esse verè animatū anima intellectiva, quæ mens quoque dicitur, quatenus in suo esse à corpore non pendet, & habet appetitum, qui intellectum sequitur, & vim etiam motivam, quæ nulli rei cognoscenti negari potest: ea ratione opposuit mentem animæ; quia non defuerunt Philosophi, qui dicerent, cælestes orbes aut saltem astra omnia, vegetativam habere animam, cuius facultate elementorum mistorumque halitu pascantur.

[b] *Alio etiam modo.*

HIc iam ponit modum alterū, quo principia & causæ rerū omnium dici possunt eadem proportione seu comparatione quadam, quatenus nimirum in omnib. rerum generibus datur actus & potentia, aut certè actus tantum, aut sola potentia. Namque actus & potentia, ut ait in prædictas causas & principia cadunt, nempe in formam, priva-

privationem, materiam, & efficiens, quatenus hæc ipsa comprehendūt; forma enim, privatio, & efficiens ad actum revocantur, materia verò ad potentiam. Ait igitur, actum & potentiam non solùm esse alia in aliis generibus, sed etiam modo alio in quodam genere nempe rerum corruptibilium: alio verò in alio genere, incorruptibiliū videlicet. Quòd autem alio & alio modo in his duobus generibus inveniantur, ea ratione ostendit, quia in rebus quæ gignuntur & intereunt, repetit ea vicissitudo actus & potentiæ, ut aliquando sunt potentia, aliquando actu, ut vinum & alia huiusmodi. Quæ vicissitudo in rebus quæ non gignuntur, nec intereunt, sed semper sunt, quod ad earum esse attinet, non reperitur, sed tantum quod attinet ad earum motus & operationes, quę modò sunt modò non sunt. Quod cùm docuit, ostendit quo pacto forma, privatio, & materia reducantur ad actum & potentiam, quod in contextu perspicuum est: nisi quòd ait formam esse actum, si ipsa sit separabilis, hoc est abiici possit, ut habeat privationem oppositam: quod quidem addit: ut excludat formas corporum incorruptibilium, de quibus non loquitur in hac parte contextus: eorum enim formæ nunquam esse desinunt, sed semper sunt actu, & nunquam fuerunt in potentia passiva; quod propriè est esse in potentia; tametsi fuerunt in virtute seu activa potentia primi agentis antequam essent, ac proinde modo aliquo in potentia, quod tamen non novit Aristoteles. Itaque non revocat in hac particula contextus formas cælestium corporum ad actum, quemadmodum nec formas per se subsistentes, quia loquitur adhuc de iis rebus, in quibus A est vicissitudo actus & potentiæ, quod ad earum esse attinet. Qua etiam ratione videtur non revocasse ad actum caussas efficientes, quia in generalibus ac præcipuis caussis efficientibus, quæ sunt cœli & intelligentiæ, non datur, quoad earum esse, vicissitudo actus & potentiæ.

Quod autem ad verba attinet, si loco illorum verborum [ἐὰν ᾖ τὸ χωριστὸν] hoc est [separari potest] legendum est [ἐὰν ᾖ τὸ ἀχώριστον] id est [si separari non potest] B sensus erit, si ratione separari nequit, ut excludantur formæ non naturales, ut ideæ, quæ Platonis sentētia & re & ratione erant separabiles. Omnis enim forma naturalis, etiamsi possit per se existere, ut potest sola forma hominis, includit in sua ratione materiam, à qua pendet, si non in essendo, certè in informando. Itaque si hoc pacto convertendus sit contextus, sensus totius membri erit, formam esse C actum naturalem, & physicum, si ratione à materia separari non possit: quòd si possit, iam non erit actus physicus, cuiusmodi actus non sunt substantiæ separatæ. Suspicor autem sic corrigi posse, quia τὰ χωριστὰ apud Aristotelem dici non solent formæ quæ abiici possunt, sed substantiæ quæ separari possunt, vel à materia vel successivè ab accidentibus. Ac credibile est librariorum vitio detractam esse à verbo ἀχώριστον privativam particulam (quod facillimum D fuit) quemadmodum post pauca verba, adiecta est verbo ἴδιον, pro quo in multis codicibus positum est ἀΐδιον, quo verbo æternitas formæ significatur: quam lectionem omnes interpretes reiiciunt, præter unum Perionium. Non ausi sumus tamen contextum corrigere, quòd omnes interpretes quos viderim, legant τὸ χωριστόν.

A

c Sed & alio modo.

PErſequitur alterum membrũ, quod priùs propoſitum erat cũ dixit, actum & potentiam eſſe alia in aliis, hoc eſt, in alio atq; alio genere: quod oſtendit dictum eſſe de duobus primis generibus rerum naturalium, nempe corruptibilium & incorruptibilium, quorum generũ non eſt eadem materia, neque eadem forma ac proinde neque eadem privatio, neque eædem cauſæ moventes efficienteſve. Materia enim verbi cauſa, hominis ſunt elementa; forma verò eius propria modò eſt in materia, modò non eſt, ſed eius privatio; cauſæ autem eius efficiẽtes ſunt non ſolum corruptibiles ut parentes ſed etiam incorruptibiles, ut Sol & alia aſtra. At (quod ſupplendum eſt) in rebus incorruptibilibus alia ratio eſt; nam ut mittantur ſubſtantiæ ſeparatæ, & anima rationis particeps, quæ materia & forma non conſtant, certè materia & forma cæleſtium corporum longè diverſa principia ſunt à materia & forma corruptibilium, nec quoad eorum eſſe ulla eſt in eis privatio, quæ formis ſit contraria cùm eorum materia ſemper eandem formam retineat, neque aliam poſſit accipere. Nec verò ullum ibi datur movens corruptioni obnoxium, ut interim mittamus, quid Ariſtoteles ſenſerit de eorum efficientia à prima omnium rerum cauſa. Sunt igitur in his duobus primis rerum naturalium generibus diverſa valde principia actus & potentiæ, præter id quod dictum eſt de viciſſitudine actus & potentiæ in corruptibilibus, quæ non cernitur in incorruptibilibus.

d Præterea videre oportet.

HActenus docuit, propria principia diverſorum generum, etſi diverſa ſunt ſimpliciter inter ſe, poſſe tamen dici eadem proportione quadam imperfectave ſimilitudine: nunc oſtendit, poſſe quoque dici eadem univerſali ratione; id quod explicat in actu & potentia, quæ ſunt omnium maximè univerſalia; quia in omnibus rebus aut B utrumque aut alterum cernuntur, etiam in puro actu & pura potentia. Ait ergo cùm principiorum alia ſunt univerſalia, ut homo generans in commune ſumptus; alia particularia, ut hic homo generans, veluti Peleus qui Achillem genuit; aut ut elementa A, & B, communiter accepta ad compoſitionem ſyllabæ B A communiter etiam ſumptæ, & hoc A & hoc B ad compoſitionem huius particularis ſyllabæ B A. Tunc principia C omnia poſſe dici eadem univerſali ratione, cùm non de his aut illis agitur, ſed in tota eorum communitate, non ita tamen ut credamus aliquid commune per ſe exiſtens eſſe actum vel potentiam, vel efficientem cauſam vel formam, vel materiam, &c. nihil enim tale eſt in rerum natura, ſed ſola ſingularia principia quemadmodum & ſola ſingularia principiata ſeu effecta; ſed quia effectis generali ratione conſidera- D tis cauſæ & principia reſpondent, non ſingulari ſed communi ſeu univerſali ratione ſumpta. Hoc enim pacto omnia omnium rerum principia & cauſæ conveniunt in eadem univerſali ratione cauſæ aut principii, ſive ſumatur actus in commune ſive potentia in cõmune, ſive quodvis aliud genus principii aut cauſæ, ſive ſolum principium cauſave, aut elemen-

elementum in commune. Neque objicias rationes has generales non esse univocas, sed analogicas, ac proinde non alio modo hoc loco dici principia rerum omnium esse quodammodo eadem, quam hactenus dictum sit esse proportione eadem; præsertim cum idem sit Analogia atque Proportio. Hactenus enim sumebantur principia ut propria cuiusque generis (namque etiam sic erant proportione eadem) hoc autem loco iam non sumuntur ut propria, sed ut conveniunt in rationibus generalibus in quibus etiam dicuntur eadem tametsi confuso quodam, & minimè distincto conceptu, ut de ente lib 4. diximus.

[e] *Deinde iam quæ sunt substantiarum.*

Cum initio huius capitis reduxisset principia aliorum generum ad principia substantiarum; docet hoc loco aut potius innuit illa ipsa substantiarum principia posse etiam dici rerum omnium principia universali ratione: id quod verum est si non ratione universali quoad prædicationem, (neque enim aut substantiæ de accidentibus; aut eorum principia de principiis accidentium dicuntur) certè universali quoad causandi & principiandi rationem: quo pacto ratio principiorũ substantiæ erit quodammodo ratio principiorum accidentium, eo videlicet modo quo ratio causæ modo aliquo continet rationem suorum effectorum. Sunt igitur verba illa [Deinde iam quæ sunt substantiarũ] hunc in modum intelligenda, ac si diceret Aristoteles. Deinde ea etiam quæ substantiarum principia sunt, possunt universali ratione dici omnium rerum principia, quia eorum A ratio est quodammodo ratio principiorum accidentium quæ ab illis pendent. Quod Aristoteles cum insinuavit, regreditur verbis illis [sed alia sunt aliorum] ad explicandam magis diversitatem simpliciter eorum principiorum quæ pertinent non solum ad diversa genera, sed etiam ad diversas species, & individua, simulque qualemcumque eorum identitatem in rationibus eorum universalibus, ut materię huius B & illius individui in ratione communi materiæ, & formæ huius & illius in communi ratione formæ: quæ communitas etsi aliquando est univoca si principia sumantur quatenus revocantur ad propinquiora genera, tamen semper est analoga cum revocantur ad prima & communissima.

[f] *Cum ergo quæritur.*

C Colligit in summam ea quæ in solvenda proposita quæstione dixerat. Summa verò est; Primum quidem eadem esse principia rerum omnium, si principia universè dicantur, id est, si sumantur in commune, & sub communi ratione considerentur: quæ tamen ratio necessariò est imperfecta & confusa, ut diximus, si sub tanta communitate sumantur, ut ratio iam non sit univoca. Quo loco verbum πολλαχῶς, D quod Latinè est [multipliciter] seu [multis modis] sumitur pro καθ' ὅλου, id est, universè. quod & Græcè & Latinè non univocis modo sed etiam analogis accommodari solet. Hunc enim sensum ratio postulat, & Alexander ac Themistius volunt. Deinde si principia dividantur in particularia principia, diversa illa quidẽ esse simpliciter & absolutè, sed tamẽ duobus modis posse dici eadem, uno,

uno, proportione seu comparatione quadam, qua diximus ut se habent forma substantialis, eiusque privatio ad materiam primam; ita quodammodo se habere formam accidentalem, & eius privationem ad materiam secundam; & eodem modo in efficiente; quæ analogia, dici solet analogia proportionis. Altero, attributione, qua dicimus; ut principia quantitatum oriuntur ex principiis substantiarum, ita quodammodo oriri ab eisdem principia qualitatum, & ita in cæteris accidentib. quæ dicitur analogia attributionis; qua ratione principia substantiæ, sunt quodammodo omnium rerum principia; ex qua re factum est ut Philosophi qui rerum omniũ principia investigabant, satis se facturos existimarent, si substantiarum invenirent Tertiò, si quæratur quidnam sit primum simpliciter in causando, seu, ut sic dicam in principiando: respondendum esse, id esse primum simpliciter, quod primum est actu. Ratio verò est, quia actus est simpliciter prior potentia, ut in 9. libro ostensum est: Sic dicimus singularia esse simpliciter prima in causando & principiando, tum quia universalia non sunt principia, nisi per sua singularia, ut proximè explicatum erat: tum etiam quia etsi universalia sunt priora singularibus accurata cognitione, tamen singularia sunt priora universalibus, perfectione & existentia: unde & singulares substantiæ si completæ sint, primæ substantiæ dicuntur. Sic etiam dicendum est, primum efficiens esse primũ omnium principium: tum quia est primum actu, utpote à quo pendent omnia; tum etiam quia est primus actus nempe actus purus, ut inferius patebit. Postremò si quæratur quænam ex his omnibus magis diversa

A sint principia, dicendum, esse formam & privationem, materiasque ipsas corruptibilium scilicet & incorruptibilium esse omnium dissimillimas: alio tamen modo formam & privationem, quæ dicuntur prima contraria nec sunt vera genera, nec vera universalia, cum privatio non sit ens: alio verò materiæ corruptibilium & incorruptibilium, quia vel utraque est pura potentia, ut rei veritas habet, vel altera tantùm, ut

B quidam volunt; pura autem potentia nullius similitudinis (quæ tota est à forma) causa esse potest si propriè loquendum est. Quo loco rectè Alexander ait verbum ὅσα, vacare; qua de causa illud interpretati non sumus. Verbum quoque πολλαχῶς, quemadmodum paulo superiùs, pro καθ' ὅλου sumitur: nisi cui placeat D. Thomæ expositio, qui dictionem, multipliciter, quæ Græco ad verbum respondet, pro, æquivocè, sumit, ut sensus sit, formam & priva-

C tionem diversa esse, sed non æquivocè, quia quandam habent inter se analogiam. Nobis tamen magis placet, ut idem verbum modo eodem in utroque loco sumatur, præsertim cùm in hoc posteriori nil attineat de formæ & privationis convenientia, sed de earum diversitate, loqui. Atque hoc pacto satis obscurus locus videtur intelligendus.

D

Quænam igitur.

Planè ait Aristoteles se hactenus tradidisse quænam & quot sint principia rerum sensibiliũ seu mobilium, ut transeat ad res intelligibiles & immobiles Quo fit ut corporum etiam cælestium tradiderit principia; quod tamen intelligẽdum est in genere. Nam & in cælis, tum hoc loco, tum libro nono, confessus

fessus est esse materiam quæcunque illa sit, agens etiam sive movens..... quod ubi datur, necesse est dari formam aliquam, quæ motu acquiratur, & eius privatio quæ abiiciatur. Num autem in eo sit materia prima formaque substantialis; non in sequentibus discutiendum superest ut quidam videntur velle: est enim impertinens ad tractationem de substantiis immobilibus, magisque spectat ad libros de cælo, ad nonumque & decimum huius operis.

Κεφάλαιον. ϛ'.

Ἐπεὶ δ' ἦσαν τρεῖς οὐσίαι, δύο μὲν αἱ φυσικαὶ, μία δ' ἡ ἀκίνητος, περὶ ταύτης λεκτέον, ὅτι ἀνάγκη εἶναι ἀΐδιόν τινα οὐσίαν ἀκίνητον. αἵ τε γὰρ οὐσίαι πρῶται τῶν ὄντων. καὶ εἰ πᾶσαι φθαρταὶ, πάντα φθαρτά. ἀλλ' ἀδύνατον κίνησιν ἢ γενέσθαι ἢ φθαρῆναι. ἀεὶ γὰρ ἦν. οὐδὲ χρόνον. οὐ γὰρ οἷόν τε τὸ πρότερον καὶ ὕστερον εἶναι μὴ ὄντος χρόνου, καὶ ἡ κίνησις ἄρα οὕτω συνεχὴς, ὥσπερ καὶ ὁ χρόνος. ἢ γὰρ τὸ αὐτὸ, ἢ κινήσεώς τι πάθος.

Text. 30. κίνησις δ' οὐκ ἔστι συνεχὴς, ἀλλ' ἡ κατὰ τόπον. καὶ ταύτης ἡ κύκλῳ. ἀλλὰ μὴν εἰ ἔστι κινητικὸν ἢ ποιητικὸν, μὴ ἐνεργοῦν δέ τι, οὐκ ἔσται κίνησις. ἐνδέχεται γὰρ τὸ δύναμιν ἔχον μὴ ἐνεργεῖν. οὐδὲν ἄρα ὄφελος, οὐδὲ ἂν οὐσίας ποιήσωμεν ἀϊδίους, ὥσπερ οἱ τὰ εἴδη, εἰ μή τις δυναμένη ἐνέσται ἀρχὴ μεταβάλλειν, οὐ τοίνυν οὐδ' αὐτὴ ἱκανὴ, οὐδ' ἄλλη οὐσία παρὰ τὰ εἴδη. εἰ γὰρ μὴ ἐνεργήσει, οὐκ ἔσται κίνησις, ἔτι οὐδ' εἰ ἐνεργήσει, ἡ δ' οὐσία αὐτῆς δύναμις. οὐ γὰρ ἔσται κίνησις ἀΐδιος. ἐνδέχεται γὰρ τὸ δυνάμει ὂν, μὴ εἶναι, δεῖ ἄρα εἶναι ἀρχὴν τοιαύτην, ἧς ἡ οὐσία ἐνέργεια. [d] ἔτι τοίνυν ταύτας δεῖ οὐσίας εἶναι ἄνευ ὕλης. ἀϊδίους γὰρ δεῖ, εἴπερ γε καὶ ἄλλο τι ἀΐδιον. ἐνέργεια ἄρα. καίτοι ἀπορία. δοκεῖ γὰρ τὸ μὲν ἐνεργοῦν πᾶν δύνασθαι. τὸ δὲ δυνάμενον, οὐ πᾶν ἐνεργεῖν. ὥστε πρότερον εἶναι τὴν δύναμιν. [f] ἀλλὰ μὴν εἰ οὕτω, οὐδὲν ἔσται τῶν ὄντων. ἐνδέχεται γὰρ δύνασθαι μὲν εἶναι, μήπω δ' εἶναι. καίτοι εἰ ὡς λέγουσιν οἱ θεολόγοι, οἱ ἐκ νυκτὸς γεννῶντες, ἢ ὡς οἱ

CAPUT VI.

Quoniam verò [a] tres erant substantiæ, duæ naturales, & una immobilis; de hac dicendum est; nempe [b] necesse esse sempiternam aliquam substantiam esse immobilem. Substantiæ enim sunt prima entia: quòd si illæ omnes sunt corruptibiles, omnia corruptibilia sunt. Aut impoßibile est, motum aut oriri, aut interire; semper enim erat: eodemq; modo tempus. Neque enim fieri potest ut prius & posterius existant, non existente tempore. Itaque motus perinde continuus est atque tempus. Aut enim est idem quod motus, aut aliqua eius paßio. Motus verò non est continuus præter localem, eumq; circularem.

Quin [c] etiamsi quid motuum & effectuum sit, nec tamen aliquid agat, motus non erit: fieri enim potest, ut id quod potentiam habet, non operetur. Nulla ergo erit utilitas, si substantias æternas fecerimus, quemadmodum ii, qui ideas ponunt, nisi in rebus principium aliquod sit, quod mutare poßit. Neque igitur illa satis erit, neque ulla substantia ab ideis diversa: si enim non operetur, motus non erit. Text. 30. Scribe: motivum & effectivum: de le, motuum & effectuum.

Neque etiam si operetur quidem substantia verò eius potentia sit; neque enim motus erit sempiternus; cum fieri poßit, ut id quod potestate est, non extet. Eiusmodi ergo principium sit oportet, cuius substantia sit actus.

Præterea, [d] has substantias necesse est materiæ expertes esse, æternæ enim sint oportet; si quid aliud sit æternum; sunt igitur actu. [e] tametsi non absque dubitatione: videtur enim quicquid actu est, posse esse, non item quicquid esse potest, actu quoque esse: quo fit ut potentia sit prior. At si hoc est, nullæ res erunt. Evenire enim potest ut esse possit, nondum sit tamen. Videtur enim quidquid actu, seu operans est, posse operari, non ita verò quidquid potentia: quo fit, &c.

φυσικοί, ἦν ὁμοῦ πάντα χρήματα, φασί, τὸ αὐτὸ ἀδύνατον. πῶς γὰρ κινηθήσεται, εἰ μηθὲν ἔσται ἐνεργείᾳ αἴτιον; οὐ γὰρ ἥ γε ὕλη κινήσει αὐτὴ ἑαυτήν, ἀλλὰ τεκτονική. οὐδὲ τὰ ἐπιμήνια, οὐδὲ ἡ γῆ, ἀλλά τὰ σπέρματα, καὶ ἡ γονή. διὸ ἔνιοι ποιοῦσιν ἀεὶ ἐνέργειαν, οἷον Λεύκιππος καὶ Πλάτων. ἀεὶ γὰρ εἶναί φασι κίνησιν. ἀλλὰ διὰ τί, καὶ τίνα οὐ λέγουσιν. οὐδὲ ὡδί, οὐδὲ τὴν αἰτίαν. οὐδὲν γὰρ ὡς ἔτυχε κινεῖται, ἀλλὰ δεῖ τι ἀεὶ ὑπάρχειν; ὥσπερ νῦν φύσει μὲν ὡδί, βίᾳ δέ, ἢ ὑπὸ νοῦ, ἢ ἄλλου ὡδί. εἶτα ποία πρώτη. διαφέρει γὰρ ἀμήχανον ὅσον. ἀλλὰ μὴν B οὐδὲ Πλάτωνί γε οἷόν τε λέγειν, ἣν οἴεται ἀρχὴν εἶναι ἐνίοτε τὸ αὐτὸ ἑαυτὸ κινοῦν. ὕστερον γὰρ καὶ ἅμα τῷ οὐρανῷ ἡ ψυχή, ὥς φησι. [h] τὸ μὲν δὴ δύναμιν οἴεσθαι ἐνεργείας πρότερον εἶναι, ἔστι μὲν ὡς καλῶς, ἔστι δ' ὡς οὔ. εἴρηται δὲ πῶς. ὅτι δ' ἐνέργεια πρότερον, μαρτυρεῖ Ἀναξαγόρας (ὁ γὰρ νοῦς, ἐνέργεια) καὶ Ἐμπεδοκλῆς τὴν φιλίαν καὶ τὸ νεῖκος. καὶ οἱ ἀεὶ λέγοντες κίνησιν εἶναι, ὥσπερ Λεύκιππος; ὥστε οὐκ ἦν ἄπειρον χρόνον χάος ἢ νύξ, ἀλλὰ ταὐτὰ ἀεί, ἢ περιόδῳ, ἢ ἄλλως, εἴπερ πρότερον ἐνέργεια δυνάμεως. C [K] εἰ δὲ τὸ αὐτὸ ἀεὶ περιόδῳ, δεῖ τι ἀεὶ μένειν ὡσαύτως ἐνεργοῦν. εἰ δὲ μέλλει γένεσις καὶ φθορὰ εἶναι, ἄλλο δεῖ ἐνεργοῦν εἶναι ἀεί, ἄλλως καὶ ἄλλως. ἀνάγκη ἄρα ὡδὶ μὲν καθ' αὐτὸ ἐνεργεῖν. ὡδὶ δὲ κατ' ἄλλο, ἤτοι ἄρα καθ' ἕτερον, ἢ κατὰ τὸ πρῶτον. ἀνάγκη δὴ κατὰ τοῦτο. πάλιν γὰρ ἐκεῖνο αὐτῷ τε αἴτιον, κἀκείνῳ. οὐκοῦν βέλτιον τὸ πρῶτον. καὶ γὰρ αἴτιον ἦν ἐκεῖνο τοῦ ἀεὶ ὡσαύτως. τοῦ δ' ἄλλως, ἕτερον. τοῦ δ' ἀεὶ ἄλλως, ἄμφω δηλονότι. οὐκοῦν οὕτως καὶ ἔχουσιν αἱ κινήσεις. D τί οὖν ἄλλας δεῖ ζητεῖν ἀρχάς;

Tex. 31. Tex. 32. Tex. 33. Tex. 34.

A Immò verò si ita est ut Theologi dicunt, qui cuncta ex non ente generant; sive ut Physici, qui res omnes simul fuisse asserunt, idem impossibile evenit. Quo enim pacto movebuntur, si nulla sit actu causa? Neque enim materia se ipsam movebit, sed ædificandi facultas; neque sanguis menstruus, aut terra, sed semina, & genitale semen.

Quocirca & nonnulli sunt, qui semper actu esse volunt, ut Leucippus & Plato: semper enim motum esse dicunt; sed cur & quis is sit, non exponunt, neque hoc modo, nec causam adhibent. Nihil enim quovis modo movetur, sed aliquid semper existat oportet, ut B nunc quidem natura hoc modo; vi autem aut à mente, aliave causa, illo modo. Deinde quisnam primus est motus? interest enim quam maxime quisnam sit. Nec verò dicere potest: quod interdum existimat, id quod se ipsum movet, esse principium. Anima enim posterior est & simul, ut ipse ait, cum cœlo orta. modum. Tex. 31.

h Credere igitur potentiam actu esse priorem, partim rectè habet, partim non rectè. Quo autem pacto id accidat, iam diximus. Esse verò actum potentia priorem testatur Anaxagoras (mens enim actus est) & Empedocles, C qui concordiam & discordiam ponit, & ii etiam qui semper motum esse dicunt, quemadmodum Leucippus. Quod si ita est, non erat in infinito tempore chaos aut nox, sed aut circuitione quadam aut alio modo semper erant, si actus potentia prior est. Tex. 32.

K Quod si semper circuitione aliqua idem redit; aliquid semper permaneat oportet, quod eodem modo operetur. Si verò futura est generatio & corruptio, aliud quoque sit necesse est, quod semper alio atque alio modo agat. Necesse igitur est, ut illud per se hoc agat, hoc autem modo per aliud. Aut ergo per aliud, aut per primum. Per hoc igitur necessariò. Rursus enim illud & sibi & illi causa erit. D Primum igitur dicere melius est. Cur enim res semper eodem modo eveniant, illud causa ponebatur; cur autem alio atque alio modo, alterum. Cur deniq; semper aliter utrumq; Hoc igitur modo se habent motus. Quid ergo alia principia quærere oportet? Text. 33. Tex. 34.

EXPLA-

EXPLANATIO CAPITIS Sexti.

[a] *Quoniam verò tres.*

REpetivit hactenus, atque complevit ea quæ de principiis substantiarum sensibilium, sive mobilium, ac proinde de eo substantiarum genere communiter dicenda erant: nunc de substantiis quæ nec sensibus nec motui subiectæ sunt, disputationem aggreditur, proposita primum brevius ea substantiarum divisione, quam tradiderat cap. 2 huius libri. Ea verò est, tria esse substantiarum genera: duo quidem naturalium seu mobilium ac sensibilium, quorum unum est, earum quæ oriuntur & intereunt; alterum, earum quæ sempiternæ sunt; tertium verò, earum quæ sunt immobiles, quæque iam naturales dici non possunt, quod in se naturam, principiumve motus aut etiam quietis nullum habeant, quo ipsæ moveantur, ut illæ quas sensibus usurpamus, quasque moveri cernimus. Quæ divisio non supponitur quasi certa (hoc enim est id de quo est quæstio, sitne aliqua immobilis & insensibilis substantia necne) sed tantum ab Aristotele proponitur, quod de ea oppositæ essent opiniones, minutis quibusdam Philosophis negantibus, præcipuis autem quibusque affirmantibus, dari in rerum natura substantias materiæ expertes, quæ non moveantur motu, nimirum hoc vulgari ac publico qui sensibus percipitur. Quoniam igitur de duobus prioribus generibus hactenus disputatum erat, & quidem, ut Themistius ait, plena declaratione, de solo tertio agendum deinceps esse intelligit Aristoteles. Neque enim probanda est eorum sententia, qui contra aperta verba hæc, & extrema capitis superioris, sic illum interpretantur: quasi significet, se hactenus non disseruisse nisi de primo genere, deincepsque acturum de secundo & tertio. Quanquam non est negandum, nonnulla dicenda adhuc esse non solum de secundo, sed etiam de primo, occasione investigandi tertii generis.

[b] *Nempe necesse esse.*

QUia omnis immobilis substantia necessariò est sempiterna (id enim quod motui non subest, quonā pacto interire aut etiam gigni possit?) proponit primū Aristoteles, se ostensurum aliquam sempiternam substantiā esse immobilem. Quod ut præstet, prius nititur ostendere aliquam esse sempiternam. Et quidem cælestia corpora, nec oriri nec interire posse, iam ille ostenderat in libris de cælo: unde effici putabat ea esse sempiterna, hoc est, nec cæpisse aliquando, nec desitura unquam. Sed quia diceret aliquis, potuisse illa modo alio incipere quam per generationem, posseque aliquando alio modo desinere quam per corruptionem (si enim rei veritas habet, tametsi nec Aristoteles, nec alii Philosophi id ca-

piebant) alia via ingreditur ad probandum aliquam substantiam esse perpetuam in rerū natura: Sic enim ratiocinatur: substantiæ sunt prima entia, quibus peremptis omnia pereant necesse est, ut dictum est capite superiori, & jā inde ab ipso Categoriarum libro, quasi ratum ac firmum suppositum est: atqui aliqua accidentia sunt sempiterna, nempe motus ac tempus; igitur aliqua substantia sit sempiterna, necesse est. Quòd autem duo hæc accidentia sint sempiterna, probatum existimat, si alterum probet esse sempiternum, eo quòd vel idem sint tempus & motus, ut quidam existimarunt, aut tempus sit (ut revera est) passio seu affectio motus, cùm mensura prioris & posterioris seu successionis in motu. Quòd verò tempus sit sempiternum; ex eo se putat demonstrare: Quia alioqui tempus tunc fuisset, cùm tempus non esset, aut tempus tunc futurum cùm tempus non erit. quæ fieri nullo modo possunt. Nam si tempus aliquando cœpit, priùs certè non fuit quam esset; si verò aliquando est futurum, non dubium quin postea non erit; at prius & posterius sine tempore non sunt; fuit igitur tempus quando tempus nullum erat: eritque tempus, quando nullum omnino erit. Quo fit ut etiā is qui neget tempus semper fuisse semperque fore, utrumque simul, velit nolit, negando concedat. Quoniam verò nullus motus perpetuus esse potest præter localem eumque circularem, qui solus sine quiete media potest progredi in infinitum, ut 8 Physicorum lib. ostensum est; hinc colligit, motum circularem, quemadmodum & tempus, esse sempiternum; proinde aliquam substantiam non solùm à quo fiat, sed etiam cui accidat, esse sempiternam. Hanc eandem ratiocinationem, tanquam firmissimam demonstrationem, extruxit Aristoteles eodem 8 Physicorum libro, ut illum hac in re, quæ propria est primi Philosophi, quemadmodum in aliis compluribus, Naturalis Philosophiæ adminiculo utentem videamus.

Sed quia contra veritatem, præsertim Catholicam, quæ divina revelatione nititur, nulla potest esse demonstratio, ad hanc argumentationem dicendum est, vel ipsum Aristotelem cogi, ut infirmam esse fateatur. Nam ut ille utitur differentia quadam loci, cum ait, extra cælum non esse ullum locum; ita nos utimur differentia quadam temporis, cùm dicimus; ante Mundum non fuisse ullum tempus. Itaque ut illud extra, non est ens reale sive superficies aliqua continens locatum; sed spatium extensivum, quod dicitur imaginarium, non quod pendeat ex nostra imaginatione, cùm re vera sit extra Mundum, sed quia non est res aliqua permanens nempe substantia vel accidens, sed capacitas quædam rerum permanentium; ita id quod dicimus Ante sive Prius, quod Mundum præcessit, non fuit ens reale, nempe motus mensuratus secundùm successionem, sed spatium successivum seu capacitas rerum successivarum, quod spatium quoque imaginarium dici solet, non quod à nostra imaginatione pendeat, sed quia non est substantia nec accidens: Imò verò utrumque, & extensivum & successivum simpliciter & omnino necessaria sunt, & sine quibus nihil effici aut creari potest, ut ostendimus lib. 5. Quod si Aristoteles dicat, illud eius Extra Mundum, quod confitetur, esse quid negativum, quasi dicatur: Non ubi est Mundus; ita quoque nos dicemus nostrum

Ante

Ante motum cæli, & Post motum cæli, esse oppositas differentias negativas, quasi dicamus: Nondum existente motu cæli, & Non iam illo existente. Itaque sive hoc sive alio quovis modo respondeat, ad suum Extra tuendum, ipse sua ne ratione dissolvet. Adde spatia hæc duo verius habere rationem loci & temporis, quam superficiem, continentem locatum motum primi mobilis, mẽsuratum quoad successionem; quãdoquidem nec superficies, nec motus sunt res fixæ & immobiles (quod tamen necessarium est ad rationem loci & temporis) nisi quatenus incurrunt in huiusmodi spatia, ut eodem libro explicavimus.

Alio etiam modo solvit Alensis rationem Aristotelis ex amplitudine æternitatis, quæ fuit prior tempore nostro, cum quo Mundus cœpit & erit posterior post ultimum iudicii diem. Verum solutio hæc, etsi verum assumit, petit tamen ut id gratis concedatur, ad quod probandum tota hæc disputatio instituta est, nempe dari aliquam substantiam æternã, quam Aristoteles ex sempiternitate investigat.

Sed de hac ratiocinatione aliisque argumentis, si quæ sunt, quibus Aristoteles Mundi æternitatem eo modo quo nunc progreditur, demonstrare visus est, neque id solum contra oppositæ sententiæ Philosophos, qui materiam æternam præcessisse dicebant, sed etiam contra scripturas sacras, quarum notitiam habebat, quæ omnia à Deo in ipso Mundi principio ex nihilo facta esse referunt; fusius ad finem capitis disputandum est.

[e] *Quin etiam si quid.*

Ostendit, non satis esse ad sempiternitatem motus ponere substantias sempiternas, quæ A etsi movendi vim habeant, aliquando tamen non actu moverint. Nihil enim prodest ad motum efficiendũ, si quid potentiam movendi habeat, nec tamen eam exerceat. Quo pronunciato in primis Platonem taxat, quod posuerit ex omni æternitate substantias universales sive ideas, nihil agentes, sed otiosas, futuras tamen aliquando rerum nostratium causas. Quamquam ne movẽdi quidem, aliove modo causandi poten- B tiam illæ habere poterant, quia actio, & quivis causæ concursus, non ab universalibus sed singularibus reb. proficiscitur, ut capite superiori docuerat. Taxat deinde eos omnes, qui substantias quidem activas, aut unam, aut plures ab æterno posuerunt, sed quæ tamen antea æterno tempore nihil egissent, aut aliquando quidem egissent, aliquando verò à motu efficiendo cessassent (à quibus tamen nec Plato eximendus C est, quatenus Mundi Fabricatorem æternum posuit, ex præexistente materia aliquando Mundum effecturum) tum Anaxagoram aliosque antiquiores, qui vel Mentem æternam asseruerant aliquando ex chao res eas, ex quibus effectus est Mundus, segregaturam; tum quemvis alium authorem authoresve, qui ex initio aliquo temporis hanc rerum universitatem ex præcedente aliqua mole aut elemento constituerat: tum D etiam Moysem, qui divino numine afflatus, omnia in temporis huiusce nostri initio ex nihilo creata esse, ante omnes Philosophos scripserat. Omnes enim hos authores dãnat, q etsi posuissent æternam aliquam substantiam aut substantias, quæ movendi agendique omnino potentiam haberent, nihil tamen æterno tempore aut movissent aut egissent. Omnes enim hac ratione motus

sempiternitatem, quam ipse egregiè A in se demonstrasse putabat, sustulerũt. Sed præter quam quod hæc eius ratio paulo antè posita nihil firmitatis habet; nullum omnino est incommodum potentiam divinam ex omni æternitate, donec Mundum condidisset, nihil extra se operatam esse; & fortasse etiam fieri non potuit, ut hic Mundus eo modo ac ordine, quo progreditur, ab æterno fuerit; de qua utraque re ad finem capitis disputandum est fusius.

Neque etiam si operetur.

Ostendit ulterius, nec satis etiã esse ad sempiternitatem motus dari substantiam sempiternam, quæ non solum habeat potentiam activam motus, sed etiam semper actu moveat (quod proximè necessarium esse probatum est) nisi illa sit actus purus substantialis, seu forma per se subsistens, hoc est substantia, quæ nec sit pura potentia, ut est materia, neque composita ex materia & forma, sed forma quædam pura, per se cohærens in rerum natura, qualis est anima rationis particeps, cùm à corpore separata est, nisi quòd hæc est natura sua apta ad cõpositionem hominis; Aristoteles autem vult, substantiam effectricem motus sempiterni esse per se completam, nec posse esse partem alicuius compositæ substantiæ. Neque enim ille ex iis quæ apertè dicit hoc loco, ostendit, eam substantiam esse actum omnino purum, sive omnis potentialitatis expertem, etiam ad varietatem motuum internorum intellectus & voluntatis, qualis est solus Deus Opt. Max. sed esse actum purum in genere substantiæ, ut mox patebit.

Cæterùm quo pacto probet institutum, non satis liquet: Nam si nomine potentiæ, quam excludit ab ea substantia, intelligit potentiam activam, ut credit Alensis, nempe ad movendũ & non movendũ, rectè quidem inde colligit, fore ut si substantia movens talem potentiam habeat, motus cæli non sit necessariò sempiternus, quia fieri potest ut non moveat. Sed inde non colligitur, illam esse actum purum substan- B tialem, quia Sol non habet talem potentiam ad motum efficiendum in his inferioribus, sed necessariò movet, & tamen non est actus purus substantialis, sed verè substantia corporea sensibilis & mobilis.

Si verò intelligit passivam ad esse & non esse ipsius substantiæ, ut D. Thomas & alii quidam existimant, inoffenso etiam pede decurret hæc argumentatio [si habet potentiam passivam ad esse & non esse; ergo C motus non erit sempiternus, hoc est, poterit non esse sempiternus, quia fieri poterit, ut substantia ipsa movens non existat.] Sed hinc etiam non colligitur, illam esse actum purum substantialem per se subsistentem: nam cælestia corpora non habent potentiam passivam ad esse & non esse sui; cùm sint incorruptibilia, & tamen non sunt actus puri substantiales, ut dictum est de Sole.

D Si verò nomine potentiæ intelligit potentiam passivam ad motum eius substantiæ, hoc est, ut illa moveatur & non moveatur, non autem ad eius esse & non esse: rectè quidem concludit, substantiam illam esse actum purum substantialem, quia talis actus cùm non sit capax molis corporeæ, nullo pacto moveri potest motu physico, de quo solo hic sermo

sermo est. Sed hoc pacto non minima vis inferri videtur contextui, qui statim primo aspectu videtur intelligi de potentia passiva ad esse & non esse ipsius substantiæ. Adde, quòd hoc modo non rectè videbitur colligi, fieri posse ut motus non sit sempiternus, in substantia movente detur potentia, ut ipsa moveatur & non moveatur: poterit enim movere, etiamsi ipsa non moveatur, quo pacto substantiæ verè mobiles, motu physico quiescentes movent, B ut magnes & succinum.

Huic dubitationi respondendum videtur, non esse hic nomine potentiæ intelligendam potentiam activam, neque etiam passivam ad esse & non esse substantiæ moventis. Neque enim ex earum negatione rectè colligitur præcipua conclusio, nempe substantiam moventem esse actum purum substantialem seu per se subsistentem, ut dictum est: sed intelligi solam potentiam passivam ad C motum & quietem. Nam & in hunc sensum contextus sine vi ulla exponi potest [Neque etiam, inquit satis erit ad sempiternitatem motus, si causa effectiva illius operetur, hoc est, actu moveat. Substantia verò eius potentia sit. hoc est sit potentialis, seu (quod idem est) potentiam habeat passivam ad motum & eius oppositum. Fieri enim potest ut hoc dato motus non sit sempiternus, cũ fieri possit, ut motus eius passivus, D qui potestate est, hoc est, ad quam illa potestatem habeat passivam, non existat.]

Verum si ita est contextus exponendus, reddenda est ratio, cur substantia effectiva motus sempiterni, si habeat potentiam passivam, ut moveatur & non moveatur, non A efficiat motum, si ipsa etiam nõ moveatur, quæ ratio Ab Aristotele non redditur, nec videtur reddi posse, propter exempla proposita magnetis & succini, & alia pleraque.

Dictum est tamen, rationem quã Aristoteles brevitatis causa hoc loco prætermisit, & reddi posse, & eius fundamentum positum ab eo esse 7. & 8. lib. Physicorum, quod huiusmodi est; nullam rem mobilem motu Physico à se ipsa moveri primò, sed vel ab alia externa, si est non vivens, aut vivens quod moveatur motu non viventis, ut cum lapis proiicitur, aut homo impellitur; vel à parte aliqua sua interna, si est vivens, ut cum quis ambulat, parte una aliã impellente. Quo iacto fundamento, sic potest ratio extrui. Aut substantia illa effectiva motus sempiterni, quæ ponitur habere potentiam ut moveatur & non moveatur motu Physico, est vivens aut non vivens: si non vivens, necesse est, ut si movetur, ab alio externo moveatur: non potest igitur in ea concedi eiusmodi potentia, nisi ponatur alia substantia superior, à qua moveri possit, de qua cum fieri possit eadem quæstio sitne vivens aut non vivens: & similiter de alia atque alia in infinitum, si omnes sint non viventes. Deveniendum est tandem ad aliquam viventem ne infinitio admittatur: at qui vivens, si sit mobile motu Physico, ut supponitur (alia enim ratio est de movente quod non movetur hoc genere motus) aliud corpus movere non potest motu locali, qui solus ponitur sempiternus, nisi ipsum moveatur, ut experientia ipsa constat, & ex eo etiam quod supponebatur, nunquam videlicet id fieri, nisi parte una aliam partem

partem movente: ergo si substantia A illa habet potentiam passivam, ut moveri possit, non poterit utique motum efficere in alia substantia, nisi ipsa moveatur. Unde si futurum est ut sempiterno motu moveat, non habebit profectò potentiam passivã motus Physici, ac proinde erit actus purus substantialis, ab omni mole corporea immunis, sine qua mole perspicuum est, nullam omnino rem motu Physico moveri posse. In qua ratione, ex sempiternitate motus sumpta, non solum probatur proximum motorem primi mobilis non habere potentiam passivam motus Physici, ac proinde esse immobilem: sed etiam idem concludit de motoribus aliorum orbium cœlestium, qui proprios & peculiares habent motus. Quo autem pacto id probari possit, non supposito æterno motu, postea dicendum est.

B

Adverte autem, etsi Aristoteles hic apertè non colligit primum motorẽ simpliciter, qui in omni movẽdi genere (etiam metaphorico motu finalis causæ) primus est, esse actum omnino purum: tamen id non obscurè innuere. Nam ut hoc loco proximi motores cælestium orbium ostendunt actus puri à potentialitate ad motum Physicum, ita par est colligere, primum motorem simpliciter sive primum in omni genere motuum, etiam finalis causæ, esse immunem ab omni omnino potentialitate, ac proinde purum omnino actum. Quod ideo animadverterim, quia inferius hoc ipsum videtur supponi, quasi ex hoc iam loco potuerit intelligi.

C

[d] Præterea has substantias.

Colligit ex eadem motus sempiternitate, substãtias esse ← tri-

D

ces illius, esse materiæ expertes. Ratio verò est, quia æternæ sint oportet, si quid aliud æternum sit, ut sunt motus & tempus. Hæc tamen ratio nihil firmitatis haberet, si æternitas hic sumeretur pro æternitate substãtiæ motorum cælestium orbium. Nam cum Aristoteles simul probasset orbes etiam cœlestes esse ab æterno motos, & in æternum movendos: non magis colligeret ex æternitate, motus eorum, motores esse materiæ expertes, quam orbes ipsos cœlestes, qui tamen materiales sunt, si non materia quæ sit in potentia ad diversas formas substantiales, certè materia quæ sit in potentia ad diversas accidentales, saltemque ad diversos situs sive ea materia sit pars cœlestium corporum, sive tota ipsa eorum substantia quæ est proximum subiectũ, respectu motus localis. Sumenda est igitur hoc loco æternitas substantiarum moventium pro æternitate earum in movendo. Ex ea enim ostendebatur proximè non esse illis potẽtiam passivam ad motum physicum, & eius oppositam quietem, ne si esset, efficeretur ut motus non esset æternus. Hinc ergo manifestè sequitur, substãtias illas motrices esse materiæ expertes quia moveri nequeũt motu Physico. Quo iam loco Aristoteles meminit huiusmodi substantiarum in plurali numero, cum hactenus in hac disputatione de motus æternitate, de una tantum loqueretur; quia satis illi erat, eius tantum meminisse, à qua efficitur motus primi mobilis, cuius solius affectionẽ, tempus esse dixerat in Physicis.

[e] Sunt igitur actu tametsi.

Repetit hoc loco conclusionem præcipuam, ut contra eam proponat non prætereundam dubita-

dubitationem. Conclusio si accipienda est. Ex dictis patet, substantias cælestium orbium motrices esse actu ab æterno tempore. Dubitatio verò est; Quo pacto id fieri possit, cũ libro 9. dictum sit, potentiam tempore actum præcedere. Hinc enim effici videtur ut quicquid actu est, prius fuerit potentia. Aristoteles tamen non in hac argumentandi forma, sed in alia communiori magisque dialectica sic argumentatur: Quicquid actu est, esse etiam potest; & tamen non quicquid potentia est, actu quoque est; igitur prior est potentia quam actus, cum ab ea non reciprocetur existendi consequentia: quòd si prior est potentia quam actus; non potuerunt igitur substãtię motrices orbium cælestium actu esse ab æterno, sed prius fuerunt potentia quam essent actu.

f Atsi hoc est.

ARgumentatur pro parte opposita in hanc sententiam; Quia si prior tempore (inquit) est potentia, quam actus: evenire potest, ut res nullæ sint, hoc est ut nulla earum esse possit. Nam si prima entia, à quibus cætera gignuntur, fuerunt prius potentia quam actu, à quo mota esset materia, ut ex ea aliquid gigneretur? Possent enim res esse potentia duobus modis: Uno in pura potentia materiæ, quæ nullam omnino haberet formam, quod videntur sensisse prisci poetæ, ut Hesiodus & alii eius ætatis, qui quoniam de divinis rebus carmina scripserunt, Theologi appellati sunt Dicebant enim, omnia ex nocte orta fuisse. Altero, in quadam confusione sic permistæ, ut nulla esset actu ab alia distincta, quod planè dixerunt Anaxagoras & Empedocles, quorũ A ille sensit omnia fuisse ab æterno cõfusa sub illo chao, hic autem aliquãdo esse confusa, in eo quem vocabat sphæricum. Utrovis autem modo prima entia, à quibus cætera pendẽt, fuissent in potentia, certè nullæ unquam ad actum produci possent, aut ut omnino essent, aut ut essent distinctæ & expressæ, nisi aliquid antè extitisset actu, à quo illæ vel è pura potentia, vel ab illa congerie & confusione ad actum expressum producerentur. B Neq; enim materia potest seipsam ad actum movere, sed semper opus est, ut eam aliquid extrinsecus moveat quod in operibus cum artis tum naturæ, perspicuum est. Veluti in lateribus, qui ab ædificandi facultate moventur ad formam ædificii; & in sanguine menstruo, qui movetur à genitali semine ad formã animalis; & in terra, quæ movetur à variis plantarum seminibus, ut similes aliæ ex ea gignantur.

C

g Quocirca nonnulli sunt.

DOcet, quosdam Philosophos, eadẽ ratione permotos, semper actum aliquem fuisse. nẽpe motum dixisse; tametsi in eo ponendo, & in causa eius afferenda defecissent. Nam & Leucippus & Plato semper, ante Mundi, ordinisve huius, & ornatus constitutionem, motum aliquem fuisse asserebant; D Leucippus quidem agitationẽ suorum atomorum, quæ confusè in vacuo huc & illuc moverentur, ut minima corpuscula (credo) quæ in radio Solis intra domum recepto volitare cernuntur; Plato verò inordinatam elementorum motionem forsitan, ut ex illis quasi bene subactis & præparatis (hoc enim fortasse dicat aliquis, qui eius mentem explicet) Mundus hanc formam figu-

ramve acciperet. Cæterum in eo peccabant, quòd nec cur motus illi præcessissent, explicarent; nec quinam essent, exprimerent, veluti naturane, an vi, mente fierent; semper enim causa aliqua certa existat, opus est, cui se motus accommodet, cum nihil moveatur, ut fortè contingat, sed modo aliquo certo pro ratione causæ moventis. Deinde in eo quod non exponerent, quisnam esset primus motus; cùm præsertim plurimum intersit, quisnam dicatur primus. Demum nec Plato tueri potest suam illam sententiam, quæ interdum explicat. Animam esse primum motus principium cum illam simul cum cœlo, hoc est Mundo, ortam esse dicat, præcedente iam illa inordinata elementorum motione. Itaque in eo (quod ad rem facit) rectè dixisse videntur, quòd semper motum aliquem actumque fuisse fatebantur, quod Aristoteles sumit ad confirmationem eius argumenti; quo proximè actum priorem esse potentia probaverit.

[b] *Credere igitur.*

SOlvit propositam quæstionem, ex iis quæ dixerat 9. libro, ad quem lectorem reiicit, brevissimè asserens, partim potentiam tempore actũ præcedere partim actũ potentiam. Nam etsi in una & eadem re, quæ interdum est potentia, interdum actu, potentia, præcedat actum; simpliciter tamen & absolutè actus præcedit potentiam, quia res non producuntur à potentia ad actum, nisi per aliquid quod sit actu, ut ibi fusiùs expositum & ostensum est. Quod idem confirmat ex sententia quorundam Philosophorum, ut patet ex contextu, nisi quòd non explicat, quam agentem causam posuerit A Democritus à qua atomi moverentur, quia ille non natura sed casu eas moveri existimabat. Nam de Platone satis constat, illum posuisse agentem causam inordinati motus elementorum, nempe vel cõtrarias eorum conditiones, vel ipsum futuri Mundi parentem & conditorem Deum.

[c] *Quod sit ita est.*

B EX eadem solutione concludit fieri non potuisse, ut potentia infinito tempore actum præcesserit, ut crediderunt ii qui chaos aut noctem ante Mundi constitutionem præfuisse dixerunt. Cum enim actus simpliciter & absolutè sit prior potentia, propterea quòd forma rei generandæ, semper aut eadẽ ratione aut eminentius in agẽte præcedit, satius est, si dicatur, semper res C easdem, quæ potentia erat in materia fuisse virtute in generantib. actu existentibus, & semper hoc pacto easdẽ rediisse, sive circuitione quadam, sive modo alio. Nomine circuitionis intelligit Alexander alternationem illam reciprocam Empedoclis, qui dicebat, post longissima tẽpora, concordia dominante, omnia reditura in Sphærum, & iterum post alia temporum spatia ..... lite omnia in sua quæque loca reditura. Illis D autem verbis [aut alio modo] intelligit eam reciprocationem, quam solam ponit Aristoteles, æstatis & hyemis aliarumque partium anni, quæ semper ordine certo quotannis redeunt. Placet tamen magis opposita scientia D. Thomæ, ut nomine circuitionis, intelligatur ordo reciprocus partium anni (nam de hoc solo statim fit mentio) verbis autem sequentibus intelligatur periodus

riodus illa longissima Empedoclis, aut si quæ alia similis ab alio ponatur Utriusvis enim vicissitudinis ratio redditur actus & potentiæ: eius autem opinionis, quæ materiam infinito tempore otiosam ponit, antequam ex ea aliquid fiat, nulla omnino ratio reddi potest. Nam sive sola materia prima infinito tempore præcesserit, sive materia cum aliqua forma imperfecta (quam etiam intelligere potuerunt ii, qui noctem infinitam præfuisse senserunt) sive chaos & confusio rerum omnium simul, nulla earum expressa & distincta, quæ confusio materiæ conditionem præ se ferret; quæri potest cur in tanta infinitate nihil fiebat ex eiusmodi materia: Cuius rei nulla omnino causa, ex ipsa rerum naturalium conditione, ex qua Ethnici Philosophi omnia demonstrare conabantur, reddi potest; quam nos tamen optimam reddimus ex Divina voluntate, cum à nobis petitur, cur Deus ab æterno nihil extra se operatus erat, cum Mundum condidit. Quanquam in eo etiam alia ratio est, quòd nos non ponimus materiam infinito tempore otiosam ut illi, sed cum ipso Mundo simul conditã.

[k] *Quod si semper.*

EX solutione quæstionis, quæ de actu & potentia proposita erat, seu potius ex reciproca generatione rerum quam proximè ex ea deduxerat, confirmat perpetuitatem motus cælestis, quam initio capitis se demonstrasse crediderat. Nam si reciprocus generationis & corruptionis rerum circuitus est sempiternus, neque unquam non fuit, aut de futurus est necessariũ est asserere, aliquam esse moventem causam eandem numero, à qua illæ ex omni æternitate & in perpetuum adm[illegible]

A strãtur: neq; enim hoc munus alicui agenti corruptibili ascribi potest, cũ unum quodque intereat, neque omnibus etiam simul, cum non simul existant. Atque ea causa, si de corporeis agitur, est, Aristotelis opinione, orbis inerrantium stellarum, quod illum primum omniũ esse crederet. Hic enim cùm semper eius sententia eodem modo moveatur, aptissimus est ad perpetuitatem efficiendã: Sed quia in his inferioribus cerni-
B mus tempora contraria æstatis, & hyemis, veris & autumni; varietas autem hæc non potest provenire à solo uno motu uniformi; aliud agẽs necessariò ponendum est sempiternum, à quo huiusmodi contraria tempora proveniant, quorum alia ad generationem rerum pertineant, alia ad earum corruptionem. Quæ causa apertissimè Sol est, quòd eius accessu fruges gignantur, adolescãt, & maturentur, aliaque omnia quasi
C reviviscant, & convalescant; eius autem recessu contrarios patiantur motus. Hoc verò accidit, quia primum mobile semper movetur per Æquinoctialem, Sol autem per Eclipticam Zodiaci: unde fit ut ipse motu proprio sex mensibus accedat ad Aquilonem & totidem ad Austrum; motu autem primi mobilis singulis diebus totum terrarum orbem circumeat. Ait ergo Aristoteles necesse esse, ut corpus quod per Zodia-
D cum movetur, hunc motum obliquum per seipsum, naturaque sua exerceat; cum verò motum quo movetur per Æquinoctialẽ, qui rectus diurnusque appellatur, virtute alterius superioris corporis præstet: aut igitur virtute alterius quod non sit primum, sed sub alio atque alio sine ullo exitu; aut virtute alicuius primi, quod præstat dicere quam infinitatem corporum inducere, Nam

primum & sibi & supposito etiam corpori ut moveatur, causa erit; sibi quidem, ut moveatur proprio motu; supposito autem corpori; non ut simpliciter moveatur motu proprio ac suo, sed ut temperatè Solem ad rerum generationem & corruptionem admoveat, & removeat. Nisi enim motus Solis quo ad nos accedit, & à nobis recedit, temperaretur vicissitudine diei & noctis, omnia brevi calore eius accessus exureret, & frigore eius recessus interimeret. Itaque perpetuitas secundum speciē earum quæ apud nos sunt primo orbi tribuenda est; alternatio autem generationis & corruptionis medi- A is orbibus, Solique potissimum; at perpetuitas alternationis temporum generationis & corruptionis, quibus annus dividitur, utrisque. Atque eo ordine, quo se habent corpora hæc mobilia, eodem se habent eorum motus, ut alius sit primus, alii verò medii, &. quod consequens est, alii infimi, à quibus nos in hac consideratione ad superiores omnes progredimur. quod cum ita sit. resq; ipsa per se quasi loquatur, quid attinet, alia occulta principia, universa- B lesque generationis & corruptionis causas quærere, ut apud Empedoclem, lis & amicitia, & apud Platonem, ideæ? Tex.38.

Text.39.

Κεφάλαιον ζ.

Ἐπεὶ δ' οὕτως τ' ἐνδέχεται, (καὶ εἰ μὴ οὕτως, ἐκ νυκτὸς ἔσται, καὶ ὁμοῦ C πάντων, καὶ ἐκ μὴ ὄντος,) λύοιτ' ἂν ταῦτα, καὶ εἰ ἔστι τι ἀεὶ κινούμενον κίνησιν ἄπαυστον. αὕτη δ' ἡ κύκλῳ. καὶ Text.35. τοῦτο οὐ λόγῳ μόνον, ἀλλ' ἔργῳ δῆλον. ὥστε ἀΐδιος ἂν εἴη ὁ πρῶτος οὐρανός. ἔστι τοίνυν τι καὶ ὃ κινεῖ. ἐπεὶ δὲ τὸ κινούμενον καὶ κινοῦν, μέσον τοίνυν ἐστί τι, ὃ οὐ κινούμενον Text.36. κινεῖ, ἀΐδιον, καὶ οὐσία καὶ ἐνέργεια οὖσα. [a] κινεῖ δὲ ὧδε. τὸ ὀρεκτὸν καὶ τὸ νοητὸν κινεῖ οὐ κινούμενον, [b] τούτων δὲ τὰ πρῶτα τὰ αὐτά. ἐπιθυμητὸν μὲν γὰρ τὸ φαινόμενον καλόν. βουλητὸν δὲ πρῶτον, τὸ ὂν καλόν. D [c] ὀρεγόμεθα δέ, ὅτι δοκεῖ μᾶλλον, ἢ δοκεῖ διότι ὀρεγόμεθα. ἀρχὴ γὰρ ἡ νόησις. νοῦς δὲ ὑπὸ τοῦ νοητοῦ κινεῖται. [d] νοητὸν δὲ ἡ ἑτέρα συστοιχία καθ' αὑτήν. καὶ ταύτης ἡ οὐσία πρώτη, καὶ ταύτης ἡ ἁπλῶς, καὶ κατ' ἐνέργειαν. ἔστι δὲ τὸ ἓν καὶ τὸ ἁπλοῦν, οὐ τὸ αὐτό· τὸ μὲν γὰρ ἕν, μέτρον σημαίνει. τὸ δὲ ἁπλοῦν, πῶς ἔχων αὐτό.

CAP. VII.

*Cum autem res hoc modo habere possit (alioqui ex *non ente, & ex omnium congerie, & ex non ente res erunt) hæc utique solvi possunt: estque aliquid quod incessabili motu semper movetur, qui quidem est conversio; quod non ratione tantum, sed re etiam ipsa perspicuum est. Erit ergo perpetuum primum cœlum; quo fit ut aliquid etiam sit quod moveat. Quoniam verò id quod movetur & movet, medium est; aliquid profectò est, quod non motum movet, quodque æternum, substantia & actus est.* *chaos. Cum igitur detur motū & movens, profectò medium aliquid est, quod movēs non motum &c. Tex.35.

Hoc autem [a] modo appetibile & intelligibile movet, movet, inquam, non motum. Horum [b] autem prima sunt eadem: id enim sub appetitum cadit, quod bonum videtur; id autem primò sub volentem quod bonum est. Potius [c] autem appetimus quia videtur, quam videatur, quia appetimus. Tex.36.

Etenim Intelligentia principium est, intellectus ab intelligibili movetur.

[d] Intelligibile verò alterum per se ordinem efficit; cuius ordinis prima est substantia, & huius ea quæ simplex & actu est. Vnum autem & simplex non idem sunt: unum enim mensuram significat; simplex verò, quo modo illud se habeat.

ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ καλὸν, καὶ τὸ δι' αὑτὸ αἱρετὸν, ἐν τῇ αὐτῇ συστοιχίᾳ· καὶ ἔστιν ἄριστον ἀεὶ, ἢ ἀνάλογον, τὸ πρῶτον. [f] ὅτι δ' ἔστι τὸ οὗ ἕνεκα ἐν τοῖς ἀκινήτοις, ἡ διαίρεσις δηλοῖ. ἔστι γάρ τινι τὸ οὗ ἕνεκα, ὧν τὸ μὲν ἔστι, τὸ δ' οὐκ ἔστι. [g] κινεῖ δὲ ὡς ἐρώμενον. κινούμενον δὲ, τἆλλα κινεῖ. εἰ μὲν οὖν τι κινεῖται, ἐνδέχεται καὶ ἄλλως ἔχειν ὡς εἰ ἡ φορὰ πρώτη, καὶ ἐνέργειά ἐστιν ἣ κινεῖται, ταύτῃ δὲ ἐνδέχεται ἄλλως ἔχειν, καὶ κατὰ τόπον, καὶ εἰ μὴ κατ' οὐσίαν. ἐπεὶ δ' ἔστι τι κινοῦν, αὐτὸ ἀκίνητον ὂν, ἐνεργείᾳ ὂν, τοῦτο οὐκ ἐνδέχεται ἄλλως ἔχειν οὐδαμῶς. φορὰ γὰρ ἡ πρώτη τῶν μεταβολῶν. ταύτης δὲ, ἡ κύκλῳ. ταύτην δὲ τοῦτο κινεῖ. [h] ἐξ ἀνάγκης ἄρα ἐστὶν ὄν. καὶ ᾗ ἀνάγκη, καλῶς. καὶ οὕτως ἀρχή. τὸ γὰρ ἀναγκαῖον, τοσαυταχῶς· τὸ μὲν βίᾳ, ὅτι παρὰ τὴν ὁρμήν. τὸ δὲ οὗ οὐκ ἄνευ τὸ εὖ. τὸ δὲ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως. ἀλλ' ἁπλῶς. ἐκ τοιαύτης ἄρα ἀρχῆς ἤρτηται ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ φύσις. [i] διαγωγὴ δὲ ἐστιν, οἵα τε ἡ ἀρίστη, μικρὸν χρόνον ἡμῖν. οὕτω γὰρ ἀεὶ ἐκεῖνό ἐστιν ἡμῖν μὲν γὰρ ἀδύνατον. [k] ἐπεὶ καὶ ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια τούτου. καὶ διὰ τοῦτο ἐγρήγορσις. αἴσθησις, νόησις, ἥδιστον. ἐλπίδες δὲ καὶ μνῆμαι διὰ ταῦτα. ἡ δὲ νόησις ἡ καθ' αὑτὴν, τοῦ καθ' αὑτὸ ἀρίστου. καὶ ἡ μάλιστα, τοῦ μάλιστα. [l] αὑτὸν δὲ νοεῖ ὁ νοῦς κατὰ μετάληψιν τοῦ νοητοῦ. νοητὸς γὰρ γίνεται θιγγάνων καὶ νοῶν. ὥστε ταὐτὸν νοῦς καὶ νοητόν. τὸ γὰρ δεκτικὸν τοῦ νοητοῦ καὶ τῆς οὐσίας νοῦς. ἐνεργεῖ δὲ ἔχων. ὥστε ἐκεῖνο μᾶλλον τούτου, ὃ δοκεῖ ὁ νοῦς θεῖον ἔχειν, καὶ ἡ θεωρία τὸ ἥδιστον καὶ ἄριστον, εἰ οὖν οὕτως εὖ ἔχει, ὡς ἡμεῖς ποτε, ὁ θεὸς ἀεὶ θαυμαστόν. εἰ δὲ μᾶλλον, ἔτι θαυμασιώτερον. ἔχει δὲ ὧδε. [m] καὶ ζωὴ δέ γε ὑπάρχει. ἡ γὰρ νοῦ ἐνέργεια, ζωή. ἐκεῖνος δὲ ἡ ἐνέργεια. ἐνέργεια δὲ ἡ καθ' αὑτὴν ἐκείνου ζωὴ ἀρίστη καὶ ἀΐδιος. φαμὲν δὲ τὸν θεὸν

Text.38. (Greek margin)
Text.39. (Greek margin)

A Sed & [e] bonum & quod per se eligibile est, ad eundem ordinem seriemve spectant; semperque id quod optimum est, aut illi proportione respondet primum est. Quòd [f] autem id cuius gratia aliquid fit, in mobilibus locum habeat, ipsa eius divisio declarat. Est enim id cuius gratia aliquid fit, in iis numerandum, quorum aliud quidem extat, aliud verò non extat. *Quòd autē id cuius gratia aliquid fit, in immobilibus sit, ipsa, &c.*

Movet [g] autem ut animatum: id autem quod movetur, cætera movet. Si quid igitur movetur, aliter etiam se habere potest. Quare si latio prima, actus etiam est, quo movetur, hoc utique modo fit; ut aliter se habere possit, B ratione quidem loci, etsi nō ratione substantiæ. Quoniam verò aliquid est movens, cum ipsum sit immobile, atque actu existens; hoc sanè nullo modo aliter se habere potest: latio enim omnium mutationum prima est, huius autem ea quæ circularis, * qua quidem illud movet. [h] Necessario igitur existit, & quatenus necessariò, etiam bene, & hoc pacto principium est. Necessarium enim hisce modis dicitur. Aliud quidem vi, quod sit præter naturæ propensionem: aliud, sine quo non bene res habet; aliud, quod aliter se habere nequit, sed uno duntaxat modo se habet. Ergo ex tali principio cœlum naturaq; pendet. Text.38. * quam.

C [i] Eius autem vivendi ratio talis est, qualem nos optimam parvo tempore degimus. Sic enim semper illud est, quod nobis contingere non potest: [k] quandoquidem & eius actus voluptas est. Unde fit ut vigilia, sensuumq; perceptio & intelligentia, iucundissima sint: expectationes verò, & recordationes: propter hæc sint iucundæ. Intelligentia porro per se ipsam in eo versatur, quod per se optimum est: & ea quæ maximè talis est, eius quod tale est maximè. Text.39.

Mens verò [l] se ipsam intelligit assumptione rei intelligibilis. Fit enim intelligibilis tangens atque intelligens. Itaque idem fiunt intellectus & id quod intelligitur. Receptaculum enim rei intelligibilis & substantiæ intellectus D est; operatur autem cùm habet. Quapropter divinum illud quod intellectus habere videtur, huius est magis, eiusq; contemplatio iucundissimum quid est & optimum. Si hoc igitur modo bene se habet, ut nos habemus aliquando; mirabile quid semper est Deus, eoque mirabilius, si melius. Atqui ita se habet.

Inest [m] quoque ei vita. Intellectus enim operatio; vita est, ille autem est ipsa operatio: operatio autem per se illius, vita optima & sempiterna. Itaque dicimus, Deum vivens esse

A εἶναι ζῶον ἀΐδιον ἄριστον. ὥστε ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχὴς καὶ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ θεῷ. τοῦτο γὰρ ὁ θεός. Tex.40. [n] ὅσοι δὲ ὑπολαμβάνουσιν, ὥσπερ οἱ Πυθαγόρειοι καὶ Σπεύσιππος, τὸ ἄριστον καὶ κάλλιστον μὴ ἐν ἀρχῇ εἶναι, διὰ τὸ καὶ τῶν φυτῶν καὶ τῶν ζώων τὰς ἀρχὰς αἴτια μὲν εἶναι, τὸ δὲ καλὸν καὶ τὸ τέλειον ἐν τοῖς ἐκ τούτων, οὐκ ὀρθῶς οἴονται. τὸ γὰρ σπέρμα, ἐξ ἑτέρων ἐστὶ προτέρων τελείων. καὶ τὸ πρῶτον οὐ σπέρμα ἐστίν, ἀλλὰ τὸ τέλειον. οἷον πρότερον ἄνθρωπον ἂν φαίη τις εἶναι τοῦ σπέρματος, οὐ τὸν ἐκ τούτου γινόμενον, ἀλλ' ἕ- B τερον ἐξ οὗ τὸ σπέρμα. ὅτι μὲν οὖν ἐστὶν οὐσία τις ἀΐδιος, Tex.41. καὶ ἀκίνητος, καὶ κεχωρισμένη τῶν αἰσθητῶν, φανερὸν ἐκ τῶν εἰρημένων. [o] δέδεικται δὲ, καὶ ὅτι μέγεθος οὐδὲν ἐνδέχεται ἔχειν ταύτην τὴν οὐσίαν, ἀλλ' ἀμερὴς καὶ ἀδιαίρετός ἐστι. κινεῖ γὰρ τὸν ἄπειρον χρόνον. οὐδὲν δ' ἔχει δύναμιν ἄπειρον πεπερασμένον. ἐπεὶ δὲ πᾶν μέγεθος, ἢ ἄπειρον ἢ πεπερασμένον, πεπερασμένον μὲν διὰ τοῦτο οὐκ ἂν ἔχοι μέγεθος. ἄπειρον δ'. ὅτι ὅλως οὐκ ἔστιν οὐδὲν ἄπειρον μέγεθος. [p] ἀλλὰ μὴν καὶ C ὅτι ἀπαθὲς καὶ ἀναλλοίωτον. πᾶσαι γὰρ αἱ ἄλλαι κινήσεις ὕστεραι τῆς κατὰ τόπον. ταῦτα μὲν οὖν δῆλα, διότι τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον.

Aeternum ac optimum. Quocirca vita & aevum continuum & aeternum Deo est; hoc enim est Deus.

Quicumque verò [n] *existimant, quemadmodum Pythagorici & Speusippus, id quod optimum pulcherrimumque est, principio non inesse propterea quòd animalium & plantarum causae quidem sint, optimum autem & perfectum in iis cernatur, quae ex illis existunt; nō rectè sentiunt. Namque semen, ex aliis prioribus quae perfecta sunt, profluit: primumque non semen, sed perfecta res est: Exempli causa, hominem dixerit quis priorem esse semine, non eū qui ex eo genitus est, sed alium à quo semen effluxit. Esse igitur quandam sempiternam immobilemque substantiam, à sensibus seiunctā: ex iis quae diximus, perspicuum est.* Tex.40. Tex.41.

Demonstratum [o] *autem & illud est, huiusmodi substantiam, magnitudinem ullam habere non posse, sed partibus carere, nec dividi posse. Movet enim infinito tempore: nihil autem finitū infinitā habet potentiā. Cumque omnis magnitudo, aut infinita sit aut finita: finitam quidem magnitudinem hac ipsa de causa non habebit: nec verò finitam, quòd nulla omnino infinita magnitudo in rerum natura sit.*

[p] *Sed & illud est demonstratum, impossibilem esse & alterationi neutiquam obnoxiam. Omnes enim motus alii posteriores latione sunt. Atque haec quidem cur hoc modo se habeant satis constat.*

EXPLANATIO CAPITIS SEPTIMI.

EA quae initio huius capitis vulgata divisione ponuntur, potiusque cum superiori capite iungenda erant, eò pertinent, ut Aristoteles tria colligit ex dictis. Primum est: Nisi ea quae dicta sunt concedantur, necesse fore, ut admittendum sit aliquod ex his tribus incommodis, ut vel ex nocte infinita omnia sint facta, hoc est, ex materia informi, & ab omni aeternitate otiosa; vel ex congerie confusa rerum omnium, quarum nulla unquam expressa distinctio extitisset; vel certè ut ex nihilo universa sint condita; quae tamen admittere non cogitur

gitur, qui cæli conversionem ex omni æternitate, sicut dictum est, progressam & re ipsa se oculis exhibentem, concesserit. Alterum est, hoc pacto dissolvi posse omnes quæstiones, quæ in hac re negotium facessunt, qualis erat illa, qua quærebatur, actusne potentiam, an verò potentia actum præcessisset & illa, cur aliter inerrantium stellarum orbis, aliter atque adeò opposito ferè modo inferiores cæli moverentur; & illa, qua petebatur, quisnã esset motuum primus, à quo cæteri omnes penderent. Tertium est, dandum re vera esse aliquod primum movens immobile, quod substantia sit & actus purus, ut suprà ostensum erat. Neque enim aliter fieri posse, cum necessariò concedenda sint tria rerum genera, unum, eorum quæ ita moveantur, ut moveant, qualia apud nos sunt plurima: alterum eorum quæ & moveantur & moveant, cuiusmodi sunt corpora cælestia; tertium eorum quæ ita moveant ut nullo modo moveantur cuius generis unum tantum numero ponendum est, quod non tantum sit substantia & actus omnino purus, ut ex dicendis clarius patebit.

[a] *Hoc autem modo appetibile.*

Obscurus antea locus, & qui multorum, quamvis perspicatiß, intelligentiam subterfugerat: eius tamen verum ac planum sensum assecutus est Kyriacus Stroza, vir genere æquè clarus, atque ingenio: Cui tam huius trigesimi sexti, quam undecimi textus in libro 9. interpretationem referri volumus acceptam, homini bene merito de universa Aristotelis disciplina, partim in restituendis locis, temporum iniuria corruptis, partim in perficiendis libris de Republica à philosopho inchoatis, ea doctrinæ gravitate, ut Aristoteles ipse si reviviisceret, nihil eis addendum detrahendumve iudicaret; Porro, iuxta Strozæ mentem & notationem.

CUm hactenus docuisset Aristoteles, dandum esse aliquod primum movens immobile, tria de illo his tribus capitibus ostendit. Primum quanta sit eius perfectio quod præstat hoc ipso capite. Alterum, quot sint moventia immobilia, quorum aliquod sit primum simpliciter, & à quo reliqua pendeant, quod capite sequenti explicatur. Tertio loco (quod fiet capite nono) quædam exponit, quæ ad eius operationem spectant. Docet igitur imprimis hoc loco primum movens perfectissimè movere, ita nimirum, ut in movendo nulla omnino ratione moveatur. Movet enim inquit, ut appetibile & intelligibile, quæ cum movent appetitum & intellectum nihil omnino patiuntur. Quod quidem duobus modis accipi potest & ut similitudo, & ut veritas. D Ut similitudo quidem, quasi dicat, motum primi moventis esse similem motui, quo res appetibilis & intelligibilis appetitum & intellectum movet; in quo quidem sensu non explicatur qualis sit motus, quo primum movens movet; sed tantum cui motui sit similis. Ut veritas autem quasi dicat, motum, quo movet primum movens, esse motum ipsum, quo appetibile & intelligibile movet appetitum & intellectum inferiorum intelligentiarum, quæ ita sunt etiam immobiles motu physico,

ſico, ut tamen moveantur à prima intelligentia, dum ab eis mente apprehenditur, &, ut illi aſſimilentur, appetitur. Utroque autem modo intelligendus eſt Ariſtoteles: Nam & motus quo movet primum movens, eſt ſimilis motui quo intelligibile movet intellectum, & appetibile appetitum, quatenus intellectus & appetitus movendo nihil omnino patiuntur; & unus etiam ex motibus, quibus movet inferiores intelligentias, eſt motus quo dicimus finem movere mentem & appetitum eorum quæ agunt propter finé apprehenſum & deſideratum. Cæterùm qui motus hic non eſt proprius cauſæ efficientis ut efficientis, ſed finalis, neceſſariò ſub ſimilitudine, quæ hic proponitur, intelligendus alius motus, quo primum movens movet ut primum ac ſupremum agens; alioqui non loqueretur Ariſtoteles hoc loco de primo agente niſi per accidens, utpote in genere cauſæ finalis tantum. Motus autem primi agentis, ut eſt prima & ſuprema cauſa efficiens, conſiſtit in eius influxu, quo cum intelligentiis ſecundis in movendo ſuo quoq; orbe cæleſti effectivè concurrit. Ut enim illæ non moverent ſuos orbes, niſi apprehenderent & appeterent aſſimilari primo moventi tanquam ſupremo fini; ita nihil agerent, niſi illud ipſum ſummum bonum cum illis agendo concurreret.

Itaque eius efficientia eſt applicatio virium inferiorum moventium ad ſuum quodque opus, in eo quod cum illis in agendo concurrit, idque independenter, cum illa omnia dependenter cum eo ſimul agant, & explicent in actu, ut ait D. Thomas, id quod virtute in illo continetur. Neque enim intelligentiæ movent cæleſtes orbes propter generationem & corruptionem rerum inferiorum, ut propter finem cum finis nobilior eſſe debeat iis quæ ſunt ad finem, ſed propter ſummum bonum, cuius ſimilitudinem participare ſtudent.

A

[b] *Horum autem prima.*

Quia apud nos appetibile & intelligibile ſæpe diverſa ſunt, cũ appetimus id quod ſenſus appetendum iudicat, intellectus autem refutandum potius & fugiendum oſtendit; docet Ariſtoteles, primum appetibile non eſſe diverſum aliquid à primo intelligibili, ſed rem unam & eandem. Neque enim ea tantum ratione eſt appetibile, quia videatur appetendum, ſed quia re vera & natura ſua eſt appetendum & tale eſſe iudicatur ab intellectu, cui primum incorruptum iudicium deferendum eſt. Cuius rei cauſa explicat diſcrimen appetitus ſenſitivi & volũtatis q. eſt intellectivus appetitus. Senſitivus enim qué ſimpliciter appetitum vocat, & ſæpe concupiſcentia vocatur potius movetur ab eo quod videtur bonum, quam ab eo quod re vera bonum & conveniens eſt; id quod ex eo accidit; quia ſequitur iudicium ſenſus, qui apparentia conſectatur bona, tametſi ſimpliciter & abſolutè bona non ſint; & appetenti congruentia. At voluntas quia ſequitur iudicium intellectus, potius movetur ab eo quod bonum re vera eſt, quam ab eo quod bonum videtur; primò enim & per ſe à ſolo vero bono moveri nata eſt, tametſi ſecundaria ratione aliquando moveatur ab eo quod bonum apparet, neque eſt; vel quia trahitur quaſi deorſum à iudicio ſenſus cõtra iudicium intellectus; vel quia intellectus etiam ipſe corrumpitur

B C D

ab

ab appetitu sensitivo, ut id bonum A & appetendum iudicetur, quod sensui bonum & appetendum videtur, nec tamen appetenti bonũ & appetendum est. At in primo appetibili alia est ratio. Necesse enim est, ut quia summum bonum est, non modò sit simpliciter & absolutè bonum, sed etiam tale esse videatur, cùm non cadat sub iudicium sensus, sed solius intellectus qui in substantiis separatis non est coniunctus sensui, ut ab eius iudicio, aut appeti- B tu sensitivo, à vero judicio in errorē inducatur. Unde illud est, quod Theologi docent, Angelicam naturam non peccasse per errorem, perverso nimirum aliquo iudicio, sed quadam consideratione sive inadvertentia.

[c] Potius enim appetitus.

ETsi res non ideo sunt bonæ, & appetendæ, quia tales esse videntur, sed potius tales esse videntur (si tamen de vero & incorrupto judicio loquamur) quia sunt bonæ & appetendæ tametsi docet Aristoteles appetitum, quicunque ille sit, sive sensitivus sive intellectivus, potius sequi aliquod iudicium sive sensus sive intellectus, quam judicium sequatur appetitum. Ait autem [potiùs] quia perversum iudicium intellectus aliquando sequitur appetitum ut paulo antè dictum est cum intellectus à sensitivo appetitu corrumpitur contra proprium ipsius iudicium, ita ut id etiam ipse appetendum iudicet à voluntate ad quod sensitivus appetitus inclinat. Quia tamen intellectus ipse per se consideratus, est primum & principale iudicandi principium, eo quod de omnibus rebus quocunque modo intelligibilibus, hoc est, & de rebus propriè intelligibilibus, & de sensibilibus (quę etiam sub intellectum cadunt,) universè iudicat, quod sensui negatum est; iccirco ubi intellectus non est cum sensu coniunctus, ut in intelligentiis, eius proprium obiectum, à quo movetur, est purè intelligibile, ut nihil sit periculi, ne à sensibilibus in iudicādo corrumpatur.

[d] Intelligibile verò.

CUm ostendisset, primum movens perfectissimè movere, utpote ut movens nulla ratione motum, idque qua movet ut appetibile & intelligibile, nunc ostendit quadam quasi bipartita conclusione illud esse perfectissimè intelligibile & perfectissimè appetibile, hoc est, natura sua omnium aptissimum & dignissimum quod intelligatur & appetatur. Quod igitur ad priorem partē huius cōclusionis attinet, ait Aristoteles, quemadmodũ C ea quæ movent, & quæ moventur, efficiunt quādam seriem sive ordinem, ut quoddam sit primum movens quod non moveatur, aliud quod moveatur ab hoc, & aliud moveat; aliud quod ab hoc moveatur, neque aliud moveat (quem ordinem paulo superius tetigerat) ita intelligibilia suum quendam ordinem constituere, ut aliud sit intelligibile primum, nempe quo non sit aliud prius, per quod quasi superius & D præstantius intelligatur; aliud secūdum, quod per hoc intelligatur, sitque principium per quod aliud intelligatur: aliud denique quod intelligatur quidem, sed iam non sit principium & ratio intelligendi alterius. Hic autem ordo planè cernitur in rebus quæ sub intellectum cadūt, quæ quidem sunt substantiæ omnes & accidentia universa; Ut enim ab inferioribus procedamus, accidentia

intelligibilia quidem & ipsa sunt, sed A tamen non sunt principia intelligendi substantiam ullam (nempe à priori, ut dici solet:) substantiæ verò sensibiles, non modo intelligibiles sunt, atque adeo natura sua magis intelligibiles quam accidentia, & per eas plurima accidentia à priori intelliguntur: at substantiæ quæ sensibus non percipiuntur, non modò sunt maximè intelligibiles, collatæ cum accidentibus & substantiis sensibilibus, quia cum materia careant, sunt actus per se subsistentes B sed etiam per eas à priori intelliguntur sensibiles substantiæ & accidentia. Inter has autem cum ordinem quoque perfectionis inter se habeant, ut necesse est, deveniatur ad primam earum quæ ipsa per nullam aliam à priori intelligatur, sed per ipsam cæteræ omnes, tanquam per proprium omnium intelligēdi principium; atque hæc sola est simpliciter & absolutè omnium maximè intelligibilis, quia per se ipsam, & non C per aliam à priori intelligi potest, & quod consequens est ea sola est, quæ movet ut primum intelligibile. Hāc autem substantiam vocat hoc loco Aristoteles simplicem, & quæ actu est, quia nullam omnino admittit compositionem, aut potentiam passivam, alioqui iam aliquid esset prius illa, per quod à priori intelligeretur. & movens aliquod, à quo eius passiva potentia ad actum reduceretur. Sed quia nondum ostendit, sitne præstantissima hæc substantia D una numero an plures (tametsi revera unam esse sentit) & aliquis credere posset ipsum iam hoc loco affirmare esse unam numero, quia dicit esse simplicem, ideo ne quæstio hæc antevertatur, addit non idem esse unū atque simplex. Unum enim, si positivè sumatur, & non ut indivisum, habet rationem primæ mensuræ quātitatis, ut docuerat libro 10. simplex verò, quendam alium modum essendi significat, quem negatione compositionis declaramus.

e Sed & bonum.

OStendit alteram quasi propositæ conclusionis partem, nempe primum movens esse perfectissimè appetibile, seu, quod idem est, natura sua aptissimum & dignissimū quod appetatur. Ait igitur bonum (subaudi per se) & eligibile per se, & hoc est, propter se appetibile, in eadem serie esse, nimirum in qua est intelligibile per se. Et quemadmodum id quod est intelligibile per se & non per aliud quicquam à priori est maximè intelligibile: ita & id quod per se & non per aliud quicquam à priori seu per aliud est appetibile, est maximè appetibile, ac proinde optimum. Quòd autem idem sint primum supremūque intelligibile, & primum ac supremum appetibile, quod est optimum, ex eo probat, quia semper id quod simpliciter optimum est, aut illi proportione respondet, id est, habet rationem optimi in certo aliquo genere, est primum vel simpliciter vel in eo genere: quo pacto dicimus optimam simpliciter omnium potentiarum, quæ est intellectus, esse simpliciter naturæ ordine primam; & optimum in genere materialium, quæ est phantasia, esse natura primam in eo genere. Cum igitur intelligibile & appetibile in eadem serie, sive in ordine rerum collocatur perspicuum relinquitur, primum intelligibile & primum appetibile, unam atque eandem rem esse.

f Quod

f Quod autem id.

QUia quicquid appetibile est, finis esse potest (si tamē propter se appetatur, & aliud propter illud) finis autem in rebus immobilibus locum non habet, quemadmodum nec motus, quo finis acquiritur: idque iam libro tertio in dubitationibus propositis probatum videtur. Obiici hoc loco poterat non rectè dictum esse, primum movens esse primum appetibile, ex hoc enim sequitur illud esse supremum finem. Cui obiectioni occurrit Aristoteles, ex divisione finium satis constare non esse negandum omnino finem in rebus immobilibus: nam etsi in eis non est finis, qui sic acquiritur per motum, ut prius non extet, postea verò per motum existere incipiat, cuiusmodi finis est sanitas in curatione, & forma substantialis in generatione, tamen non est in illis negandus is finis propter quem iam existentem aliquid moveatur, aut moveat; quo pacto dicimus medium locum in universo esse finem propter quem obtinendum certa & omnia in quibus ea dominatur, deorsum moventur. Hoc igitur modo primum movens quod ipsum est primum appetibile, finis est propter quem participatione quadam similitudinis imitativæ obtinendum inferiores intelligentiæ orbes cælestes movent. Adde, si motus ita fusè sumatur, ut motum quoque localem non physicum, atque adeo motum intellectus ab intelligibili, & appetitus ab appetibili, comprehendat; quo sensu dicimus mentes illas separatas, sæpe ex loco uno in alium se conferre; & paulo ante dixit Aristoteles, intellectum ab intelligibili moveri;

A dici quoque posse intelligentias non tantum movere orbes cælestes primi moventis causa, sed ipsas quoque moveri à se ipsis, & à primo movente excitari ac moveri, ut aliquid agant eius imitandi gratia. Verum hoc pacto quemadmodum in hoc genere rerum immobilium (quæ nimirum omnis materiæ tam sensibilis quam intelligibilis expertes sunt) datur finis præexistens ei actioni, qua ille modo aliquo acqui-
B ritur; ita dari potest finis qui per actionem existere incipiat, ut si intelligentiæ inferiores moveantur à se vel à Deo, ut novum aliquod opus conficiant.

g Movet autem ut amatum.

DOcuit primum movens perfectissime movere & esse intelligibile ac appetibile; nūc ostendit reliqua omnia ab eo pende-
C re, quæ maximam indicant divinæ potentiæ perfectionem. Cuius rei causa imprimis ait primum movens movere ut amatum, intellige universè quidem à rebus omnibus (quod videlicet omnes aliquid eius perfectionis assequi studeant) peculiari autem ratione à primo mobili, quod omnium rerum caducarum conservatio (quæ omnibus & caducis & non caducis carissima est) ab eius motu pendeat, ut superius di-
D ctum est: motu enim diurno quo moventur omnia sublunaria, fovet & quasi nutrit, temperatis & modificatis cæteris inferiorum orbium motibus. Deinde subdit, etsi primum mobile ea ratione qua movetur, aliter atque aliter se habet, id tamen nihil eius perpetuitati officere. Neque enim aliter atque aliter se habet secundum substantiam, sive simpliciter, quia non movetur mo-

tu generationis aut corruptionis, si- A ve dispositivè, quia non movetur motibus augmenti & decrementi, alterationisve eius quæ fit inter qualitates contrarias, sed solo motu locali, qui primus est omnium, eoque circulari qui est omnium localium perfectissimus, solusque ex omnibus perpetuis esse potest. Tertiò addit, etsi iam superius ostensum est, primum movens esse immobile motu locali physico in genere considerato; ea peculiari ratione confirmari posse: quòd motus circularis, qui est omnium localium primus, in eo locum non habet, cùm ab eo primum efficiatur, ac proinde neque alius quisquam motus sive localis sive non localis. ut enim corpora cælestia quæ sunt prima alterantia motu contrariarum qualitatum, ab eiusmodi alteratione immunia sunt, ita primum movens circulari motu immune est ab eo motus genere, ac proinde ab omni motu.

[b] *Necessariò igitur existit.*

EX proximè dictis colligit eam perfectionem primi moventis, qua tantam habet virtutem, ut cætera omnia ab illo pendeant. Nam si motus circularis ac diurnus quo movet primum orbem, & per eum omnes inferiores, necessarius est ad rerum caducarum conservationem; multo magis necessarium erit ipsum primum movens, eiusque summa virtus, à qua is motus provenit, ac proinde reliqua omnia ab eo pendebunt, sive quoad eorum motus sive quoad eorum esse. Nam de caducis rebus perspicuum est eas quo ad esse motusque suos, ab illo pendere, cum eius vi gignantur, conserventur, suaque exerceant munia: de cælestibus autem corporibus, quo ad eorum motus, quibus rerum inferiorum generationem & conservationem administrant, idem apertè cernitur; quo ad esse verò eorum, ex eo colligi potest, quia res omnes quæ habent potentiam passivam, ut ab alia motæ operentur, habent esse propter suas operationes, quibus perficiuntur. quo pacto Aristoteles in libris de cælo, intelligendus est, cum ait, unum quodque esse propter suam operationem. Quo fit ut ipsa B quoque cælestia corpora in suo esse à suis operationibus, seu (quod eodem redit) à se ipsis ut operantibus, quasi à suis peculiaribus ac proximis causis finalibus pendeant, ac proinde ab aliqua efficiente ipsorum causa, ut postea ostendemus, ubi de intelligentiis idem dicendum esse docebimus.

Ait ergo Aristoteles primum movens necessariò existere ad bene, seu (quod idem est) ad finem. non suum tamen, sed aliarum omnium rerum, C quæ suo quæque modo imitantur conditionem quoad possunt divinam, ut idem docet in libris de anima: neque id tantum quo ad earum operationes, sed etiam quo ad earum esse. Atque hoc modo primum movens, ut earum finis, est earum primum & necessarium principium. Tribus modis, ut ait aliquid dicitur necessarium. Uno, ratione vis illatæ ab aliqua externa causa; quæ necessitas D in primum movens cadere non potest, movente ipso, quod est primum movens, & ab alio non pendens. Altero, ut melius aliquid obtineatur, non autem simpliciter quo pacto equus est necessarius ad iter faciendum. Tertio, simpliciter sive nulla consideratione alicuius finis, sed ex eo solum, quod in se spectatum aliter habere non potest, sive alicuius finis respectu, ut cum dicimus totum

tum esse maius sua parte, & triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales: quo pacto primum movens est res in se maximè omnium necessaria, quippe quod etsi nihil efficeret, tamen non posset non esse, aut operari internis suis operationibus, neque unquam in se ipso aliter atque aliter habere posset. Alicuius autem finis respectu, ut cum dicimus id esse necessarium, sine quo aliquid aliud nulla ratione obtineri potest. Atque hoc etiam modo est primum movens necessarium, quia sine illo, & ut supremo fine & (quod hinc sequitur) ut primo efficiente, nulla res alia potest consistere aut operari. Concludit ergo Aristoteles ex tali principio. & cælestia corpora, & totam rerum naturam, quæ illo inferior est, pendere.

[r] Eius autem vivendi ratio.

DOcet, primum motorem perfectissimam vitã degere, hoc est, summa fælicitate frui. Cum enim perfecta fœlicitas in actibus nobilissimarum virium, quæ ex illis sequitur, syncera voluptate, diu admodum duret, ac si fieri possit, nunquam omnino intermittatur ...... debeat, non dubium est, quin primum movens eam agat vitam perfectissimè Atque ut ex iis quæ in nobis accidunt, investigare modo aliquo id possimus, ex eo orditur Aristoteles, quod rationi maximè consentaneum est, ut nimirum ex eo brevi admodum statu, si quando mẽs nostra præstantissimarum rerum cognitione, præcipuarum virtutum amore & operatione, magna etiam affectuum tranquillitate, & pura verorum bonorum voluptate & suavitate fruitur. colligere utcumq; possimus, qualis sit is vitæ status, A quem perpetuò ille traducit Neque enim carere his bonis unquam potest, qui eorum semper sufficientissima ex se nobis est causa. tametsi nos & necessitatibus mortalis vitæ, & aliis quamplurimis obstaculis ab ea impediamur.

[k] Quandoquidem & eius actus,

CUr perpetua sit primi motoris fœlicitas, ex eo probat, quia quilibet eius actus cognoscẽdi & amandi bona ea quib. fruitur, ei B voluptati est hoc est, quæ enim sunt talia, eorum exercitatio natura sua magna cum iucunditatẹ potest esse continua, neque unquam intermitti. Quod autem in actu consistat, non in potentia neque in habitu, ut exponit Alexander, ex eo probat, quod actus sentiendi & intelligendi, quos in vigilia exercemus iucundissimi sunt: si modo sint rerum præ- C stantium, & quæ nobis caræ sint: quandoquidem nec recordatio præteritarum rerum, nec spes futurarum nobis voluptatem afferunt, nisi quia illæ cùm præsentes adessent nobis iucundę erant: hæ verò, quia speramus nobis fore iucundas, cum earum compotes erimus. Quod denique actus intelligendi sit omnium actuum præstantissimus ex eo ostendit, quia versatur in eo quod per se optimum est. intellectus enim cum D ad omnia se extendat, non modo quæ sensu percipiuntur, sed etiam quæ altiora sunt, quam ut ea sensus possit attingere: id quod per se & natura sua optimum est, percipere potest, cuiusmodi est sola ipsius primi motoris primæve causæ natura, quã ipse solus, ut ea in se est, potest comprehendere.

l Mens vero seipsam

OStédit hoc loco, quantum interſit inter actum intelligendi earum mentium, quæ ſunt infra Deum, quo nomine hic appellat primum motorem, & ipſum divinum intelligendi actum, eamque voluptatem, quæ utrumque actum ſequitur. Quod ut doceat, illud aſſumit, quod in 3. lib. de anima docuerat, mentem ſive intellectum noſtrum dum adhuc in materia immerſus eſt, aſſumptione rei intelligibilis (hoc eſt ſpeciei alicuius intelligibilis, qua res aliqua materialis beneficio intellectus à phantaſmatibus abſtrahitur) ſe ipſum intelligere, fit enim, inquit, intelligibilis tactu quodam ſpirituali alterius rei materialis, ſed quæ jam per propriam ſpeciē ſpiritualis facta eſt Atque hac ratione ait ille, fieri unum atque idem id quod intelligit & id quod intelligitur, quia quodammodo ſpecies rei materialis ab intellectu per ſenſus elicitæ, repræſentat ipſum intellectū, ſicque intellectus informatur quodammodo ſpecie ſui. Eſt enim intellectus quaſi theſaurus quidam rerum, potiſſimum verò ſubſtantiarū, quatenus intelligibiles ſunt, utpote per earum ſpecies à phantaſmatibus abſtractas, materiales quidem directè, immateriales autem (qualis eſt intellectus & mens ipſe) quaſi obliquè &, ut quidam loquuntur, arguitivè. Quibus ſpeciebus cùm intellectus ditatus eſt & ornatus, qui alioquin nullis ſpeciebus præditus erat, tum demum intelligit, actu aut habitu, qui prius potentia tantum erat intelligens, quòd nondum proximè diſpoſitus eſſet ad intelligendum. Intelligit autem actu, ſi applicetur ad intelligendum, habitu vero, ſi nō applicetur, ſed quaſi dormiens quieſcat. Undè colligit Ariſtoteles præclarum illud & divinum, quod intellectus videtur habere, dū actu unitus eſt rei intelligibili, nec iam habitu duntaxat magis eſſe huius divini intellectus, quia omnino idem ſunt in eo intellectus & intelligibile, nec iam per ſpeciem rei alterius, nec per rem aliam unitur ſummo bono, quod eſt ipſe, quo fit ut eius contemplatio ſit iucundiſſima & B præſtantiſſima ex omnibus actibus, quæ ad veram fœlicitatem ſpectat. Quod cum dixit, regreditur ad initium huius conſiderationis, & ait, ſi Deus ita ſe habet hac in re, ut nos habemus parvo illo tempore, quo experimur illas ut ita dicam divinas delicias mirabilem profectò eſſe, & eo mirabiliorem, ſi verius & melius ea felicitate fruitur: quod quidem certo certius eſt.

C *m Ineſt quoque ei vita.*

VT meliùs explicet hanc Dei felicitatem ait, eius vitam felicem in eo ipſo eſſe, atque adeò ipſum eſſe ipſam eius felicitatem. Ait eſſe in eo ipſo eſſe eius felicitatem, ut eam diſtinguat non modò ab eorum felicitatibus, qui in rebus externis ſuam beatitudinem ponunt, vel uti in divitiis, honorib. aut voluptatibus, ſed etiam à felicitate D aliarum mentium, quæ non in ſe, ſed in ipſo Deo veram felicitatem habere poſſunt. Itaque habet in ſe felicitatem ſuam etiā obiectivè quòd nulli rei intelligenti (quæ ſola felicitatis capax eſt) poteſt contingere; alioqui non frueretur ſummo bono, ut felix eſſet. Addit autē, Eſſe ipſam felicitatem, quia Deo, cum actus omnino purus ſit, non poteſt ineſſe felicitas quaſi diſtinctum aliquid ab eo

ab eo formaliter, quia iam daretur in eo potentia aliqua passiva. Unde infert, Deum esse, esse vivens, æternum, & omnium optimum seu perfectissimum, aut potius ipsam omnium rerum exemplarem perfectionem. Alii pro vivente vertunt Animal. sed cùm animalis nomen, quod Græcè est ζῶον, dicatur ἀπὸ τῆς ζωῆς, hoc est, vita, nec animalibus soleat accommodari: nisi quia in eis expressior est vita quam in plantis, propter sensus & motum; non dubium esse debet, quin ab Aristotele in generali viventis significatione hoc loco acceptum sit. Quòd si in generali, quid opus est pro eo Latinum animalis nomen usurpare?

m Quicunque vero existimant.

Digreditur ad eorum reprehésionem qui primo principio non tantam attribuunt naturæ perfectionem, quantam illis quæ ab illo emanarent, ducto argumento à seminibus, quæ principia sunt eorum quæ ex iis nascuntur. Ait igitur hos non rectè sensisse, quia in iis etiam cernere licet maiorem perfectioné in principiis, quam in rebus quæ ex iis emergunt. Nam semina non sunt principalia principia, sed instrumentaria, quod decidant rebus iam perfectis, ut eorum

A interventu aliæ similes gignantur. Quod cum dixit, repetit conclusionem, quam sibi præcipuè ostendendã proposuerat, dari præter res mobiles aliquam substantiam immobilem, & à sensibilibus seiunctam, divortio nimirum naturæ, non commercii, ut ita dicam, & administrationis.

n Demonstratum & illud.

B Etsi eòdem redit, eam substantiam, quam dicimus primum motorem, esse immobilem, atq; dicere eam nulla magnitudine præditam esse; tamen quia in 8 Physicorum ea etiam ratione probatum est illam esse omnis magnitudinis expertem quia vel esset finitæ magnitudinis vel infinitæ, quarum hæc dari non potest, illa verò infinitam virtutem habere nequit, ut infinito tempore moveat (nempe independenter) qua tamen opus habet: hoc i-

C psum argumentum hoc loco breviter repetit, quod nos fusiùs & tractabimus, & expendemus.

p Sed & illud.

Repetit quoq; id quod superius dixerat; esse eam substantiã omnis passionis & alterationis expertem, quòd ne motui quidẽ locali possit esse obnoxia.

D

Κεφάλαιον. η΄.

Tex. 42. ΠΟ΄τερον δὲ μίαν θετέον τὴν τοιαύτην οὐσίαν, ἢ πλείους, καὶ πόσας, δεῖ μὴ λανθάνειν, ἀλλὰ μεμνῆσθαι καὶ τὰς τῶν ἄλλων ἀποφάσεις ὅτι περὶ πλήθους οὐδὲν εἰρήκασιν, ὅ,τι καὶ σαφὲς εἰπεῖν.

Tex. 43. b ἡ μὲν γὰρ περὶ τὰς ἰδέας ὑπόληψις, οὐδεμίαν ἔχει σκέψιν

CAPUT VIII.

Utrum autem a una huiusmodi substantia, an plures, & quot ponendæ sint, latere non oportet, sed commemorare etiam aliorum sententias; præsertim cum nihil de earum multitudine, quod quidem apertum sit, tradiderint. Tex. 42.

b Etenim idearum opinio nullam considerationem propriam Tex. 43.

ἰδίαν. ἀριθμοὺς γὰρ λέγουσι τὰς ἰδέας, οἱ λέγοντες τὰς ἰδέας. περὶ δὲ τῶν ἀριθμῶν, ὁτὲ μὲν ὡς περὶ ἀπείρων λέγουσιν, ὁτὲ δὲ ὡς μέχρι τῆς δεκάδος ὡρισμένων. δι' ἣν δ' αἰτίαν τοσοῦτον τὸ πλῆθος τῶν ἀριθμῶν, οὐδὲν λέγεται μετὰ σπουδῆς ἀποδεικτικῆς. ἡμῖν δ' ἐκ τῶν ὑποκειμένων καὶ διωρισμένων λεκτέον. ἡ μὲν γὰρ ἀρχὴ καὶ τὸ πρῶτον τῶν ὄντων, ἀκίνητον καὶ καθ' αὑτὸ, καὶ κατὰ συμβεβηκός. κινοῦν δὲ τὴν πρώτην καὶ ἀΐδιον, καὶ μίαν κίνησιν. ἐπεὶ δὲ τὸ κινούμενον ἀνάγκη ὑπό τινος κινεῖσθαι, καὶ τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον εἶναι καθ' αὑτὸ, καὶ τὴν ἀΐδιον κίνησιν ὑπὸ ἀϊδίου κινεῖσθαι, καὶ τὴν μίαν ὑφ' ἑνός. ὁρῶμεν δὲ παρὰ τὴν τοῦ παντὸς τὴν ἁπλῆν φορὰν, ἣν κινεῖν φαμὲν τὴν πρώτην οὐσίαν, καὶ ἀκίνητον, ἄλλας φορὰς οὔσας τὰς τῶν πλανήτων ἀϊδίους. ἀΐδιον γὰρ καὶ ἄστατον τὸ κύκλῳ σῶμα. δέδεικται δ' ἐν τοῖς φυσικοῖς περὶ τούτων. ἀνάγκη καὶ τούτων ἑκάστην τῶν φορῶν ὑπὸ ἀκινήτου τε κινεῖσθαι καθ' αὑτὸ, καὶ ἀϊδίου οὐσίας. ἥ τε γὰρ τῶν ἄστρων φύσις, ἀΐδιος οὐσία τις οὖσα. καὶ τὸ κινοῦν, ἀΐδιον, καὶ πρότερον, τοῦ κινουμένου. καὶ τὸ πρότερον οὐσίας, οὐσίαν ἀναγκαῖον εἶναι. [d] Φανερὸν τοίνυν, ὅτι τοσαύτας οὐσίας, ἀναγκαῖον εἶναι, τήν τε φύσιν ἀϊδίους καὶ ἀκινήτους καθ' αὑτὰς, καὶ ἄνευ μεγέθους, διὰ τὴν εἰρημένην αἰτίαν πρότερον.
Tex 44. ὅτι μὲν οὖν εἰσὶν οὐσίαι, καὶ τούτων τις πρώτη καὶ δευτέρα, κατὰ τὴν αὐτὴν τάξιν ταῖς φοραῖς τῶν ἄστρων, φανερόν. [e] τὸ δὲ πλῆθος ἤδη τῶν φορῶν ἐκ τῆς οἰκειοτάτης φιλοσοφίας, τῶν μαθηματικῶν ἐπιστημῶν, δεῖ σκοπεῖν, ἐκ τῆς ἀστρολογίας. αὕτη γὰρ περὶ οὐσίας αἰσθητῆς μὲν, ἀϊδίου δὲ, ποιεῖται τὴν θεωρίαν. αἱ δ' ἄλλαι περὶ οὐδεμιᾶς οὐσίας, οἷον, ἥ τε περὶ τοὺς ἀριθμοὺς καὶ τὴν γεωμετρίαν. [f] ὅτι μὲν οὖν πλείους τῶν φερομένων αἱ φοραὶ, φανερὸν τοῖς καὶ μετρίως ἡμμένοις. πλείους γὰρ ἕκαστον φέρεται
Tex. 45. μιᾶς τῶν πλανωμένων ἄστρων. πόσαι δ' αὗται τυγχάνουσιν οὖσαι, νῦν μὲν καὶ ἡμεῖς ἃ λέγουσι τῶν μαθηματικῶν τινες, ἐννοίας χάριν λέγομεν, ὅπως ᾖ τι τῇ διανοίᾳ πλῆθος ὡρισμένον ὑπολαβεῖν. τὸ δὲ λοιπὸν, τὰ μὲν ζητοῦντας αὐτοὺς δεῖ, τὰ δὲ πυνθανομένους παρὰ τῶν ζητούντων,

A am habet. Qui enim ideas inducunt, numeros eas esse asserunt; de numeris autem interdum tanquam de infinitis loquuntur; interdum tanquam ad decem usque definiti sint; qua vero de causa numerorum multitudo tanta sit, nihil demonstrativo studio concludunt.

Nobis autem [c] ex iis quæ posita & definita sunt, differendum. Principium enim & primum entium & per se & per accidens immobile est; primo autem & sempiterno & uno motu movet: Cùm autem id quod movetur, ab aliquo moveri; primumque movens, per se ipsũ immobile esse; & sempiternum motum ab eo quod sempiternum est, proficisci, unumque ab B uno proficisci necesse sit: videamus vero præter simplicem universi lationem, qua primam & immobilem substantiam movere dicimus, alias esse lationes errantium stellarum sempiternas (est enim corpus quod in orbem movetur, sempiternum, quodque quiescere nequeat, ut in Physicis demonstratum est) necesse profecto est, harum quoque lationum singulas ab immobili per se sempiternaque substantia effici.

Nam & astrorum natura, sempiterna quædam substantia est, & id quod movet, sempiternum, & prius eo quod movetur; & quod substantiam antecedit, substantia est necessariò. C [d] Constat igitur necessaria ratione tot esse substantias natura sua perpetuas, & per se immobiles, ac magnitudinis expertes, ob eam causam quam exposuimus: Quòd ergo substantiæ sint, & earum quæ natura sit prima, quæ secunda, eo nimirum ordine, quem stellarum lationes servant, perspicuum est. Tex. 44.

[e] Iam ipsarum lationum multitudo ex Astrologia, quæ ex Mathematicis scientiis, maximè coniuncta Philosophia est, exquiri debet. Hæc enim substantiam sensibilem, sed perpetuam contemplatur: cæteræ autem in substantia nulla versantur, ut Arithmetica & Geo- D metria. [f] Ac plures quidem esse lationes eorum quæ feruntur, iis etiam apertum est, qui vel mediocriter rem hanc tetigére. Nam pluribus una singulæ errantium stellarum feruntur. Quot [g] autem hæ sint, nunc quidem nos ea Tex. 45. quæ à quibusdam Mathematicis traduntur, exponentes, cognitionis causa dicimus, ut certa aliqua definitaque multitudo mente percipiatur. Tum verò, quod reliquum est, alia à nobis quærenda sunt, alia à quærentibus in-

ἂν

ἂν παραφαίνηται παρὰ τὰ νῦν εἰρημένα τοῖς ταῦτα πραγματευομένοις, φιλεῖν μὲν ἀμφοτέρους, πείθεσθαι δὲ τοῖς ἀκριβεστέροις. [b] Εὔδοξος μὲν οὖν ἡλίου καὶ σελήνης, ἑκατέρου τὴν φορὰν ἐν τρισὶν ἐτίθετο εἶναι σφαίραις. ὧν τὴν μὲν πρώτην, τὴν τῶν ἀπλανῶν ἄστρων εἶναι. τὴν δὲ δευτέραν, κατὰ τὸν διὰ μέσων τῶν ζωδίων· τὴν δὲ τρίτην, κατὰ τὸν λελοξωμένον ἐν τῷ πλάτει τῶν ζωδίων· ἐν μείζονι δὲ πλάτει λελοξῶσθαι καθ' ὃν ἡ σελήνη φέρεται, ἢ καθ' ὃν ὁ ἥλιος.

Tex. 46. τῶν δὲ πλανωμένων ἄστρων ἐν τέτταρσιν ἑκάστου σφαίραις. καὶ τούτων δὲ τὴν μὲν πρώτην καὶ δευτέραν τὴν αὐτὴν εἶναι ἐκείναις. τήν τε γὰρ τῶν ἀπλανῶν τὴν ἁπάσας φέρουσαν εἶναι. καὶ τὴν ὑπὸ ταύτην τεταγμένην, καὶ κατὰ τὸν διὰ μέσων τῶν ζωδίων τὴν φορὰν ἔχουσαν, κοινὴν ἁπασῶν εἶναι. τῆς δὲ τρίτης ἁπάντων τοὺς πόλους ἐν τῷ διὰ μέσων τῶν ζωδίων εἶναι. τῆς δὲ τετάρτης τὴν φορὰν, κατὰ τὸν λελοξωμένον πρὸς τὸ μέσον ταύτης. εἶναι δὲ τῆς τρίτης σφαίρας τοὺς πόλους, τῶν μὲν ἄλλων ἰδίους· τοὺς δὲ τῆς Ἀφροδίτης καὶ τοῦ Ἑρμοῦ, τοὺς αὐτούς.

Tex. 47. Κάλλιππος δὲ τὴν μὲν θέσιν τῶν σφαιρῶν τὴν αὐτὴν ἐτίθετο Εὐδόξῳ, τουτέστι τῶν ἀποστημάτων τὴν τάξιν. τὸ δὲ πλῆθος, τῷ μὲν τοῦ Διὸς καὶ τῷ τοῦ Κρόνου, τὸ αὐτὸ ἐκείνῳ ἀπεδίδου, τῷ δὲ ἡλίῳ καὶ τῷ σελήνης δύο ᾤετο ἔτι προσθετέας εἶναι σφαίρας, τὰ φαινόμενα εἰ μέλλει τις ἀποδώσειν. τοῖς δὲ λοιποῖς τῶν πλανητῶν, ἑκάστῳ μίαν. ἀναγκαῖον δὲ, εἰ μέλλουσι συντεθεῖσαι πᾶσαι, τὰ φαινόμενα ἀποδώσειν, καθ' ἕκαστον τῶν πλανωμένων, ἑτέρας σφαίρας μιᾷ ἐλάττονας εἶναι τὰς ἀνελιττούσας, καὶ εἰς τὸ αὐτὸ ἀποκαθιστώσας τῇ θέσει τὴν πρώτην σφαῖραν, ἀεὶ τοῦ ὑποκάτω τεταγμένου ἄστρου. οὕτω γὰρ μόνως ἐνδέχεται τὴν τῶν πλανητῶν φορὰν ἅπαντα ποιεῖσθαι. ἐπεὶ οὖν ἐν αἷς μὲν αὐτὰ φέρεται σφαίραις, αἱ μὲν ὀκτὼ, αἱ δὲ πέντε καὶ εἴκοσίν εἰσιν· τούτων δὲ μόνας οὐ δεῖ ἀνελιχθῆναι, ἐν αἷς τὸ κατωτάτω τεταγμένον φέρεται. αἱ μὲν τὰς τῶν δύο πρώτων ἀνελίττουσαι, ἓξ ἔσονται· αἱ δὲ τὰς τῶν ὕστερον τεττάρων, ἑκκαίδεκα. ὁ δὲ ἁπασῶν ἀριθ-

terroganda, num præter ea quæ nunc dicta sunt, iis videatur, qui hisce in rebus versantur; ac utrique amandi sunt quidem, sed iis adhibenda fides qui accuratius hæc discutiunt.

Eudoxius [h] quidem solis & lunæ conversionem tribus utramque orbibus effici ponebat; quorum primus inerrantium stellarum esset: secundus, qui per medium Zodiacum ferretur: tertius verò, qui duceretur per eum circulum, qui in latitudine Signorum Zodiaci esset inflexus; tametsi in maiore latitudine inflexus esset is, in quo Luna, quam in quo moveretur Sol. Errantium verò stellarum motum quatuor cuiusque orbibus contineri, Tex. 46. quorum primus & secundus iidem essent, qui in illis. Nam & eum esse, qui omnes secum ferret, inerrantium quoque stellarum esse; & eum qui sub eo collocaretur, quique per medium Zodiacum ferretur, omnibus esse communem. Tertii verò omnium lationum vertices in medio Zodiaci esse. Quarti autem lationem per eum circulum fieri, qui ad medium huius inflexus est. Esse porro tertii orbis vertices aliarum stellarum proprios; Veneris autem & Mercurii, eosdem. Callippus autem situm orbium eundem quem Eudoxus ponebat, hoc est, Tex. 47. intervallorum ordinem: quod verò ad multitudinem attinet, Iovi quidem & Saturno eandem quam ille tribuebat; Soli autem & Lunæ, duos item orbes addendos esse existimabat, si si quis eorum quæ apparent rationem redditurus esset, cuique autem cæterarum errantium stellarum, unam. Esse verò necesse, si omnes simul orbes ita constituendi sint, ut eorum quæ cernuntur ratio reddi possit, singulis stellarũ errantium totidem alios orbes uno pauciores adhiberi, qui retro volvant, & semper in eundem situm restituant primum orbem eius stellæ quæ sub ea locata sit. Hoc enim duntaxat modo fieri posse ut latio errantium omnia efficiat. Cum igitur eorum orbium in quibus stellæ moventur, alii quidem octo, alii verò quinque & viginti sint; eos autem tantum revolvi non oporteat, in quibus infima stella fertur: efficitur ut orbes quibus revolvũtur ii qui primas duas errantes continent, sex sint; quibus autem retro volvuntur, in quibus quatuor inferiores moventur, sint sexdecim: numerus autem tam deferentium, quam qui-

A ρος, τῶν τε φερουσῶν καὶ τῶν ἀνελιττουσῶν ταύτας, πεντήκοντά τε καὶ πέντε. εἰ δὲ τῇ σελήνης καὶ τῷ ἡλίῳ μὴ προσθείη τις ἃς εἴπομεν κινήσεις, αἱ πᾶσαι σφαῖραι ἔσονται ἑπτά τε καὶ τεσσαράκοντα. τὸ μὲν οὖν
Tex. 48. πλῆθος τῶν σφαιρῶν ἔστω τοσοῦτον. [i] ὥστε καὶ τὰς οὐσίας καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς ἀκινήτους καὶ τὰς αἰσθητὰς τοσαύτας εὔλογον ὑπολαβεῖν. τὸ γὰρ ἀναγκαῖον, ἀφείσθω τοῖς ἰσχυροτέροις λέγειν. [K] εἰ δὲ μηδεμίαν οἷόν τε εἶναι φορὰν μὴ συντείνουσαν πρὸς ἄστρου φοράν. ἔτι δὲ πᾶσαν φύσιν καὶ πᾶσαν οὐσίαν ἀπαθῆ καὶ καθ' αὑτὴν τοῦ ἀρίστου τετυ- B χηκυῖαν τέλος εἶναι δεῖ νομίζειν, οὐδεμία ἂν εἴη παρὰ ταύτας ἑτέρα φύσις, ἀλλὰ τοῦτον ἀνάγκη τὸν ἀριθμὸν εἶναι τῶν οὐσιῶν. εἴτε γὰρ εἰσὶν ἕτεραι, κινοῖεν ἂν ὡς τέλος οὖσαι φορᾶς· [l] ἀλλ' εἶναί γε ἄλλας φορὰς ἀδύνατον παρὰ τὰς εἰρημένας. τοῦτο δὲ εὔλογον ἐκ τῶν φερομένων ὑπολαβεῖν. εἰ γὰρ πᾶν τὸ φέρον τοῦ φερομένου χάριν πέφυκε, καὶ φορὰ πᾶσα φερομένου τινός ἐστιν, οὐδεμία φορὰ αὑτῆς ἂν εἴη ἕνεκα, οὐδ' ἄλλης φορᾶς, ἀλλὰ τῶν ἄστρων ἕνεκα. εἰ γὰρ ἔσται φορὰ φορᾶς ἕνεκα, καὶ ἐκείνην ἑτέρου δεή- C σει χάριν εἶναι. ὥστ' ἐπειδὴ οὐχ οἷόν τε εἶναι εἰς ἄπειρον, τέλος ἔσται πάσης φορᾶς τῶν φερομένων τι θείων σωμάτων κατὰ τὸν οὐρανόν.
Tex. 49. [m] ὅτι δὲ εἷς οὐρανός, φανερόν. εἰ γὰρ πλείους οἱ οὐρανοὶ ὥσπερ οἱ ἄνθρωποι, ἔσται εἴδει μία ἡ περὶ ἕκαστον ἀρχή, ἀριθμῷ δέ γε πολλαί. ἀλλ' ὅσα ἀριθμῷ πολλά, ὕλην ἔχει. εἷς γὰρ λόγος καὶ ὁ αὐτὸς πολλῶν. οἷον ἀνθρώπου. Σωκράτης δὲ εἷς. τὸ δὲ τί ἦν εἶναι, οὐκ ἔχει ὕλην τὸ πρῶτον. ἐντελέχεια γάρ. ἓν μὲν ἄρα καὶ λόγῳ καὶ ἀριθμῷ, τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον ὄν. καὶ τὸ κι- D
Text. 50. νούμενον ἄρα ἀεὶ καὶ συνεχῶς ἓν μόνον. εἷς ἄρα οὐρανὸς μόνος. [n] παραδέδοται δὲ ὑπὸ τῶν ἀρχαίων καὶ παλαιῶν, ἐν μύθου σχήματι καταλελειμμένα τοῖς ὕστερον, ὅτι θεοί τέ εἰσιν οὗτοι, καὶ περιέχει τὸ θεῖον τὴν ὅλην φύσιν. τὰ δὲ λοιπὰ μυθικῶς ἤδη προσῆκται πρὸς τὴν πειθὼ τῶν πολλῶν, καὶ πρὸς τὴν εἰς τοὺς νόμους καὶ τὸ συμφέρον χρῆσιν. ἀνθρωποειδεῖς τε γὰρ τούτους, καὶ τῶν ἄλλων ζώων ὁμοίους τισὶ λέγουσι καὶ τούτοις ἕτερα ἀκόλουθα καὶ παραπλήσια

bus ipsi revolvuntur, sunt quinquaginta quinque. Quod si quis lunae ac soli non addat eos motus quos diximus; omnes orbes novem & quadraginta erunt. Ac orbium quidem multitudo tanta esto. (Septem sonat Graeca vox.) *Quo [i] fit ut rationi consentaneum sit substantias & principia tum immobilia tum sensibilia tot etiam esse existimare.* Tex. 48. *Necessaria enim probatio iis relinquatur qui in tractandis his de rebus plus valent.*

Quod [K] si latio nulla esse potest, quae ad motum alicuius astri non dirigatur; omnemque naturam atque omnem substantiam passionis expertem, & quae per se est, finem optimum adeptam esse existimandum est: nulla profecto alia praeter has natura fuerit, sed hunc esse substantiarum numerum est necesse. Nam si aliae sint movebunt utique cum lationis fines existant. At ut [l] praeter eas quae dicta sunt, aliae sint lationes, impossibile est; quod sane ex iis quae feruntur, rationi consentaneum est existimare. Nam si omne quod defert, eius gratia quod defertur, institutum est; & omnis latio alicuius lati corporis est latio; nulla profecto latio vel sui vel alterius, sed stellarum causa fuerit. Si enim latio lationis causa sit, & illa etiam aliarum causa esse oportebit. Quare cum in infinitum progredi non liceat; omnis ubique lationis aliquod ex divinis corporibus quae in coelo sunt finis erit.

[m] Coelum autem unum, esse perspicuum Tex 49. *est. Nam si coeli quemadmodum & homines, plures sint, principium cuiusque unum erit specie, numero autem plura; at quaecumque plura sunt numero, materiam habent: una enim atque eadem est ratio plurium, ut hominis; Socrates autem unus est. Quidditas vero prima cum actus sit, materiam non habet. Unum igitur & ratione & numero est id quod primum movet, cum ipsum sit immobile; quo fit ut id quod semper continuoque motu cietur, unum sit tantum: quare & unum duntaxat coelum.*

[n] Tradita sunt autem a veteribus priscisque Text. 50. *hominibus, & fabulae instar posteris relicta, hos esse Deos, totamque naturam a divinitate contineri. Reliqua vero iam ad vulgi persuasionem conficta sunt, atque ad legum usum, vitaeque utilitatem adiecta. Nam & humanam speciem iis tribuunt & aliorum quorundam animalium similes esse dicunt, aliaque quae ex his sequuntur, & iis quae dicta sunt consenta-*

τοῖς

τοῖς εἰρημένοις. ὧν εἴ τις χωρίσας αὐτὸ λάβοι μόνον τὸ πρῶτον, ὅτι θεοὺς ᾤοντο τὰς πρώτας οὐσίας εἶναι, θείως ἂν εἰρῆσθαι νομίσειε, ° καὶ κατὰ τὸ εἰκὸς πολλάκις εὑρημένης εἰς τὸ δυνατὸν ἑκάστης καὶ τέχνης καὶ φιλοσοφίας, καὶ πάλιν φθειρομένων, καὶ ταύτας τὰς δόξας ἐκείνων, οἷον λείψανα περισεσῶσθαι μέχρι τοῦ νῦν. ἡ μὲν οὖν πάτριος δόξα, καὶ ἡ παρὰ τῶν πρώτων, ἐπὶ τοσοῦτον ἡμῖν φανερὰ μόνον. Tex.51.

A Ex quibus si quis vnum illud seligens primum accipiat, primas illas substantias Deos esse ab illis reputari; divinè profectò hæc ab eis dicta censebit. ° & quemadmodum verisimile est, inventa sæpius, quoad fieri potest, vnaquaque arte ac Philosophia rursusque intereunte, has earum sententias quasi reliquias ad hanc vsque ætatem servatas esse. Ac paterna quidem, & priscorum opinio hactenus tantùm nobis perspecta sit.

EXPLANATIO CAPITIS OCTAVI.

[a] *Vtrum autem vna.*

Cum docuisset superiori capite, quanta sit virtus primi moventis, tradit in hoc, unáne tantùm sit an plures substantiæ, quæ primum moveant, hoc est quæ ita moveant motu physico, ut non moveantur ipsæ, nec per se videlicet, quo pacto moventur corpora, nec verò per accidens qua ratione moventur animæ rationis participes, & aliæ si quæ sunt inextensæ & indivisibiles, quæ motis corporibus, necesse est ut simul cum eis migrent ex uno loco aut situ in alium. Quòd si plures sint præter illam quæ per se ipsam non exequitur motum, sed movet tantum ut amata, quotnam illæ sint numero. Quam disputationem non ea tantum de causa suscipit: quòd cohæreat cum iis quæ hoc loco disputantur, sitque huius tractationis propria; sed etiam quia cæteri de hac re nihil certi & explorati tradiderunt. quodque demonstrandi studio certa firmaque ratione sit inventum & confirmatum.

[b] *Etenim idearum opinio.*

Cum inter eos qui immateriales substantias modo aliquo posuerunt. Plato maximè introducendis ideis videatur certum eorum numerum tetigisse; (sensit enim ideas nihil esse aliud quam ipsas rerum species quæ finitæ esse dicuntur, tametsi earum individua sint infinita) ex eo probat Aristoteles, nihil certi ab aliis ante se de hac re dictum fuisse; quia ne ex Platone quidem re vera colligi pót, finitas ne an infini-D tas posuerit: Nam cum præter mundi opificem nullas alias immateriales substantias esse senserit, eas verò numeros separatos esse voluerit, quadam ex parte quidem videtur infinitas posuisse, cum numeri sint infiniti, alia verò ex parte finitas, quod interdum significasse videatur, numerorum species ad decem tantum vsque procedere, eo quòd fortasse, cæterorum deinceps numerorum nomina mistionem potius numerorum, quam puros & synceros numeros videantur significare. Quan-

quam ne hoc quidem ulla demonstrativa ratione conatus est ostendere, sed solùm ex omnium fortasse gentium communi consuetudine, quòd ubique synceri numeri denario terminentur. Cur autem id factum sit, alii dicunt, etsi puri numeri, in quibus superiores non repetuntur, ultra denarium procedere potuissent, tamen denario terminatos esse, eo quòd denarius generatur ex primis quatuor, qui quaternario quasi perfectione quadam concluduntur: nam uni duobus tribus, & quatuor additis, denarius consurgit. Alii melius & ad naturam sanè accommodatè, quòd decem sint manuum digiti, quibus omnes rationes numerare solent, sed nihil hoc ad rem est ut substantiæ immateriales sequentur numeris, sive finitis sive infinitis, sive puris & synceris, sive repetitione aliorum confectis.

[a] Nobis autem ex iis.

CUm alii nihil certi dixerint de substantiarum immaterialium numero; ipse demonstrandi studio ostédere nititur quotnam sint illæ, quatenus quidem ex iis quæ à nobis oculorum experimento de rebus cælestibus comperta sunt, licet colligere. Neque enim Aristoteles de aliarum immaterialium substantiarum numero agit hoc loco quam earum quæ à nobis ex naturalib. effectis investigari possunt etsi secundo libro de cælo non demonstrativè, sed probabili quadam ratione suspicari videatur supra cæli totius convexum magnam beatarum mentium multitudinem sempiterno ævo perfrui. Primum igitur colligit ex dictis, primum omnium movens, quod non solum & per se & per accidens immobile, sed etiam A primo motu movet, & est primum ens ac independens, unum tantum esse numero, eo quod 8. physicorum libro demonstratum sit sempiternum motum à sempiterno motore, & unum ab uno proficisci, & (quod suppleri vult) primum à primo ac independenti. Deinde colligit cum videamus alios esse cælestes motus inferiores motu primi mobilis, qui itidem simplices sint, & sempiterni, nempe errantium stellarum conver- B siones (quarum sempiternitatem & ex natura sempiterna corporum quę in orbem moventur, & ex propensione eorum ut sine quiete ulla motu moveantur, confirmat) necessariò inde effici, ut sint aliæ quoque substantiæ inferiorum orbium motrices, quæ nec per se nec (quod supplendum est) per accidens moveri possint, sintque sempiternæ, quemadmodum & astra, quorum gratia moventur orbes quibus sunt infixa, C sempiterna sunt. Nam quòd illæ sint re vera substantiæ non accidentia, ex eo constare docet, quod movens est prius natura eo quod movetur; quod si id quod movetur, substantia est, potiori ratione id quod movet, substantia erit, siquidem id quod substantiam antecedit natura, substantia sit necesse est.

[d] Constat igitur necessaria.

D CONcludit demonstratum esse tot substantias orbium cælestium motrices esse dandas, quæ & perpetuæ sint, & per se moveri nequeant (Adde, nec per accidens, tametsi malè repugnante Themistio) omnisque magnitudinis sint expertes, quot sunt ipsi orbes cælestes, qui astrorum gratia moventur. Neque enim putavit Aristoteles aut aliquem orbem moveri, qui maius multo-

multorumve astrorum causa nō moveatur, aut aliquem esse omnis motus expertem, qualem nos dicimus esse omnium supremum, quem Empyreum appellamus, & Beatorum domicilium asserimus. Verum hic etsi necessaria ratione demonstrari non potest, est tamen naturali rationi valde consentaneum, ut perpetuò quiescere credatur, quòd non vicissitudinis generationum causa, quæ aliquando finem accipient, sed perpetuæ vitæ ac quietis, conditus sit.

Simul etiam concludit, eundem ordinem esse in substantiis orbium cælestium motricibus, qui cernitur in ipsis astrorum lationibus. Cum autem id intelligendum sit de ordine dignitatis (nam de ordine situs res erat perspicua, & nulla consideratione digna) dubitari de hac re meritò solet. Nam si eæ astrorum lationes digniores sunt quibus præstantiora deferuntur astra, ea profectò substantia quæ solarem orbem movet, dignitate reliquis substantiis antecellet, cum Sol astrorum omnium sit longè præstantissimum. Quòd si lationum dignitas ex celeritate æstimanda est, certè post substantiam illam à qua supremum mobile cietur, ea proximè ad illam dignitate accedet qua orbis lunæ movetur; ex iis enim orbibus qui mobili supremo quasi contrario motu se opponere videntur, Lunæ orbem proprii motus celeritate cæteros anteire perspicuum est. Cui dubitationi sic est occurrendum, ut nō ex astrorum præstantia, aut ex motus celeritate metiri nos oportere motricium substantiarum dignitatem, sed ex continentia activa & passiva ipsorum orbium, & ex universaliore, minusque universali astrorum virtute, ut ait D. Thomas, dicamus. Nam quæ movent orbes, qui contiA nent, latiusque patentis virtutis astra deferunt, nobilioris naturæ ac conditionis sint iis, quibus moventur orbes contenti, & qui deferunt astra limitatioris virtutis, rationi consentaneum est; cuiusmodi sunt substantiæ illæ, quibus superiores orbes moventur. Cum autem difficile sit ostendere in his inferioribus, quænam sint effecta, latius & minùs latè patentis virtutis astrorum, quæ D. Thomas conatur invenire, securius & proclivius est ex eo rationem B reddere, quòd inferiorum & orbium & astrorum virtus subordinata per se virtuti superiorum, ut virtus inferiorum in agendo à virtute superiorum pendeat, non item virtus superiorum, ab inferiorum virtute. Sic enim fit ut plura sint superiorum effecta quam inferiorum, digniorque sit superiorum agendi ratio, quam inferiorum, ac proinde meritò præstantioris naturæ substantiis C data sit movendorum superiorum orbium cura & officium.

Iam ipsarum lationum.

INvestigare incipit quot sunt substantiæ cælorum motrices. Ac imprimis cum earum numerus colligendus sit ex numero eorum motuum quibus cælestes orbes moventur; quot autem sint ii motus intelligi non possit sine Astrologiæ D adminiculo, cuius observatione eorum artificiosa distinctio inventa, & notata est, docet Aristoteles, ab ea scientia petendum esse quot sint orbium cælestium lationes, præsertim cum Astrologia una ex omnibus Mathematicis disciplinis maximè familiaris & coniuncta Philosophia sit Naturali Philosophiæ, ac proinde huic in qua versamur, quæ inventionis ordine proximè post naturalem

sequitur. Nam Arithmetica & Geometria de solis numeris & magnitudinibus agunt, iisque quasi abstractis à rebus, in quibus insunt: Astrologia verò de præcipuo genere substantiarum naturalium, de ea nimirum quæ etsi sensibilis tamen sempiterna est. Quod ita tamen intellige, ut non credas eam agere de ipsa eius generis natura, (id enim proprium Naturalis Philosophi est) sed de eius magnitudine, multitudine, figura, ac motu, tametsi à Naturali accipit, ut etiam de eius virtute ac influendi ratione, aliquatenus disseret. Quod si Geographia de orbe terrarum disserit, qui etiam substantia est, ut de eius circuitu, deque longitudine & latitudine terræ habitabilis, eo tamen minus censetur coniuncta Naturali, & ultra naturali Philosophiæ, quod & eius subiectũ minus dignitatis habet, & eius dogmata minùs familiaria eisdem sunt, quam Astrologiæ pronunciata. Quo loco vides. Astrologiam quoque appellari Philosophiam, & in Philosophiæ partibus numerari, tametsi ex numero Mathematicarum sit: quod cum aliquando fiat, ut diximus ad lib. 1. tum in Astrologia potiori ratione usu venit propter subiecti eius dignitatem, etsi Arithmetica & Geometria illam ea dignitate antecedant, quæ ex demonstrandi certitudine sumitur.

f Ac plures quidem.

DEinde illud certum esse asserit, in iis quæ feruntur, hoc est, in eisdem astris (non omnibus tamen, sed in iis quæ errantia vocantus) plures esse motus. Nam etsi ad eius usque tempora, & posta liquot etiam secula, nullam motuũ varietatem observasset in iis quæ in firmamento sunt infixa, tamen vel mediocriter Astrologia imbuti, narrant errantium quodque pluribus motibus agitari. Primum quidem motu diurno firmamenti proprio ab Oriente in Occidentem.

Deinde motibus eorum propriis ab Occidente in Orientem disparibus inter se temporum spatiis: tum etiam motu, quem vocant latitudinis: quo aliquando in ipso Zodiaco à media linea ad Boream, aliquando ad Austrum declinant. Præterea eo motu quo aliquando à terra remotiora sunt, aliquando propinquiora. Denique observatum esse, quædam interdum celerius, interdum tardiùs, interdum medio quodam modo moveri, quæ deformitas compositionem aliquam motuum videtur efficere. Quo fit ut cum ea varietas & deformitas motuum tribui non posset uni corpori simplici (omnes enim in eo coveniebant, ut uni corpori simplici unus tantum tribuendus esset motus omnino simplex, hoc est non solum simplex sed etiam uniformis) necessariò efficeretur apud omnes Astrologos, ut quot in cælo reperti erant motus, & motuũ varietates, tot in eo essent asserẽdi orbes, qui non solum moverentur suis motibus propriis sed etiam motibus aliorum variè ducerentur.

g Quod autem hæ sint.

DEnique docet, cum quæstio de numero lationum, quæ in cœlis sunt, ad Mathematicos pertineat, planè coegisse, ut eam sententiam supponat, quæ sibi ex iis quæ ea ætate circunferebantur, verisimilior videatur, ut certus aliquis lationum, ac proinde orbium, & substantiarum

stantiarum moventium numerus A mente concipiatur. Nec tamen in ea opinione quæ tunc probabilior videatur, conquiescendum esse primo Philosopho, sed enitendum ei esse ut per se aliquid certius inveniat: potest enim ad eam rem Mathematicarum principiis quasi accommodatis uti. Tum etiam exquirendum ab iis, qui ea de re instituto agunt, num aliquid eis verosimilius occurrat, idque diligenter ...... examinandum, cùm præsertim possit iure supremi artificis inferiorum scientiarum rationes, veluti causas, ad suum quasi tribunal revocare. Et quanquam utrique & qui certius aliquid invenerunt, & qui planè id quod quærebant non sunt assecuti amandi sunt, & utrisque gratiæ agendæ, atque adeò habendę, iis tamen assentiendum, à quibus accuratius res tractata ac explicata est. Neque enim cuiusque benevolentia veritati aut maiori probabilitati præjudicare debet.

Eudoxus quidem.

Ex iis quæ de motuum cœlorum & orbium numero apud Astrologos eius ętatis dicebâtur, duas opiniones se ligit, unâ Eudoxii, àlteram Callippi, quòd eæ ipsi viderentur vero similiores, propterea quod hi in eo convenirent; ut dicerent, nullum orbem ponendum esse in cœlo, qui non esset Mundo, con- D centricus aut circa eius centrum paribus undique spatiis non moveretur. Id enim congruebat omnino cum iis quæ ipse docuerat, & in Physicorum libris, & in iis quod de cœlo scripserat; omnem universalem motum localem simplicem corporum esse vel à centro Mundi, vel ad illud si rectus est; vel circa illud quasi circino designatus, si est circularis. Proinde non refert hac de re Pythagoreorum sententiam quasi absurdam, quod multos ponerent in cœlis orbes eccentricos, & epycylos, qui circa propria centra volverentur. Quoniam verò de firmamento sive inerrâtium stellarum cœlo nullatum erat dubitatio, num pluribus constaret orbibus, cum primum mobile esse crederetur; tota reliqua erat controversia de Planetarum sive errantium astrorum totalibus sphæris, B quotnam in eis essent anastri orbes, hoc est, astris destituti, præter eos in quibus planetæ ipsi essent infixi utpote qui satis essent ad rationem reddendam de ea motuum varietate ac deformitate quæ in ipsorum Planetarum motibus observata erat, sive detrimento omnimodæ simplicitatis eorum motuum, qui cælestium corporum ..., debebatur.

Ac Eudoxius quidem, patria Gnidius, filius Æschinis Philosophi, Socratis discipulus, quique Platonis C ætate insignis Mathematicus habitus fuerat, tres deferentes orbes Soli & totidem Lunæ tribuebat. quorum supremo dicebat utrumque Planetam moveri ab Oriente in Occidentem diurno motu super mundi Polos; neque enim credebat satis ad id esse motum Firmamenti, à quo inferiores omnes orbes raperentur, seu potius ducerentur. Medio autem volebat utrumque pariter moveri ab Occidente in Orientem, motu proprio, super Polos Zodiaci. Infimo autem similiter moveri motu latitudinis Zodiaci, modò ad Boream, modò ad Austrum super Polos in ipsa media linea Zodiaci, quæ Ecliptica dicitur, infixos; tametsi maiorem declinationem ad utramq; partem cōcedebat Lunæ quā Soli. Nondū enim planè compertum erat, Solem nunquam declinare ab Ecliptica, utpo-

stea

stea constitit; sed quemadmodum A Luna perspicuè declinabat ita putabatur accidere in Sole, tametsi minori declinatione, & quæ vix sentiretur. Cuilibet autem cæterorum quinque Planetarum, non hos tantùm tres deferentes orbes ad similia munia cōcedebat Eudoxius, sed etiā addebat quartum, cuius officium esset ita temperare motum tertii orbis, ut nunquam planeta motu eius ferretur extra totam latitudinem Zodiaci, sed eius ope revocaretur B retro ac in sua regione, hoc est, intra zonam signorum Zodiaci, contineretur. Quocirca cum hoc pacto sex poneret orbes ad motus omnes Solis & Lunæ administrandos, viginti autem tribueret quinque reliquis planetarum motibus exercendis; reliquum erat ut crederet non plures orbes esse sub firmamento quàm sex & viginti.

Callippus verò Atheniensis Platonis olim auditor, qui cum Aristotele, ut ait Simplicius, in libros de cœlo Eudoxi inventa correxit, etsi eundem situm orbium in quibus planetæ erant collocati, & ordinem intervallorum ponebat, quem Eudoxus constituerat: Saturnoque & Iovi non plures orbes quam ille, attribuebat, tamen Soli duos & totidem Lunæ adjiciebat, ut eorum motuum diversitatis quæ in eis observata erat, ratio redderetur; tum singulis cæterorum Planetarum addebat singulos. Itaque orbibus 26. quos Eudoxus posuerat, orbes septem addebat, ut omnes essent tres & triginta quos omnes deferētium vocabulo appellat Aristoteles. Qui sive solus ipse, sive cum Callippo simul addendos existimat hoc loco orbes viginti duos, quos vocat revolventes, si omnium cælestium motuum ratio est reddenda, ut omnes essent 55. nempe tot revolventes singulis planetis attribuens, quot haberent deferentes uno pauciores, præterquam Lunæ, quæ cum sub aliis omnibus Planetis locata esset, non egeret revolventibus. Itaque cum hoc pacto, sphærarum (id est totalium orbium, qui ex pluribus orbibus iunguntur ad varios motus eiusdem Planetæ efficiendos) alii quidem orbes deferentes (nempe Saturni simul & Iovis) octo essent; alii verò deferentes similiter in quinque inferiorum Planetarum sphæris essent quinque & viginti (quini videlicet cuiusque) revolventes autem Saturni & Iovis sex essent (nempe utriusque terni) inferiorum autem quatuor sequentium revolventes sexdecim, utpote quaterni cuiuslibet (Lunę enim quę infima omnium est, revolventes nullos ponebat, ut dictum est, Alexanderque Themistius, & Philoponus Aristotelem intelligunt) efficitur ut C eius sententia numerus deferentium & revolvētium simul quinquaginta quinque essent: à quibus si octo demātur orbes quos Callippus Solis & Lunæ simul addendos putavit, nempe quatuor deferentes utriusq;, duos Solis, & duos Lunæ, & quatuor item revolvētes. Solis, quos ipse, vel solus, vel re cum Callippo communicata, hoc loco adiungit (neque enim omnino audet Soli & Lunæ plures orbes quam tres illos, quos Eudoxus ponebat, attribuere) reliqui e-D runt quadraginta septem. Nec certè dicendum erit oportuisse concludere reliquos esse 40. ut Soligini placuit, librariorum vitio tribuenti ut per novem septem scriberentur, ut Simplicius loco citato refert Nam & Græci omnes codices quot viderim, & omnes interpretes, uno excepto Perionio, legūt quadraginta septem, non quadraginta novem; estque hæc

certa

certa & aperta deductio, si lunæ nulli orbes revolventes tribuendi erant: quod & rationi ab Aristotele datæ consentaneum est. Nam si ea de causa revolventes orbes Planetarum sphæris concedebantur, ut primum orbem inferioris stellæ in eundem situm constituerent, ut motui Firmamenti ad amussim responderet (remitteretur enim quasi opposito motu ab occidente in orientem, ut D. Thomas exponit) cum sub Sphæra lunæ nulla sit alia stella inferior; non erat cur in ea revolventes orbes essent ponendi. Cur autem in superioribus sex sphæris ponat Aristoteles tot revolventes orbes, quot deferentes, uno pauciores, non autem tot omnino; eam rationem reddit Alensis quia orbis in quo astrum infixum erat, non indigebat revolvente. Qua verò de causa id accidebat, quemadmodum & plura alia, quæ à Callippo & Aristotele in hac ponenda sententia dicuntur; nihil attinet nunc in examen vocare. Nam & utraque opinio Eudoxi & Callippi, & cæterorum omnium, qui solos concentricos orbes in sphæris cælestibus ponunt, quam authoritate posteriorum Astrologorum pene sepultam primus Ioannes Baptista Turrianus, deinde nostra fermè ætate Hieronymus Fracastorius eius vestigiis inhærens, suscitarunt atque auxerunt, eiusmodi est, ut pluribus Astrologis ac Philosophis non placeat. Etenim nec eorum omnium motuum & deformitatum, quæ in quoque Planetarum visuntur, rationem reddere potest, multaque assumit, quæ maiorem vim inferunt dogmatis naturalibus, quam Pythagoreorum sententiæ de Eccentricis & epicyclis, quam Ptolomæus, & alii Astrologorum doctissimi renovaverāt, atque compleverant. Id quod expe-

A riri licebit examinantibus libellum Fracastorii de homocentricis; cuius authoris conatus etsi multis probatus est, quòd sententiæ Aristotelis admittentis hoc loco & emendantis opinionibus Eudoxi & Callippi magis esset consentanea, non omnino tamen res ipsa probata est, etiam Contareno Cardinali eius authoris & studii fautori ac Mæcenati, ut constat ex dubitationibus quas Contarenus eidem Fracastorio proposuit,

B quibus haud plenè ait sibi esse ab illo satisfactum: nec verentur alii posteriores scribere somnia illum quasi narrasse. Quid autem demum de re hac tota dicendum sit, seorsim fortasse diligentius expendemus: interim non videtur contra naturam motus circularis (ex quo ducitur præcipuum contrariæ partis argumentum) eccentricos orbes & epicyclos in cælo admittere: Dicuntur enim moveri, & circa Mundi cen-

C trum & circa propria centro, & peculiaria circa Mundi quidem centrum, quatenus sunt partes totalis Sphæræ, quæ contraria est Mundo; quæ consideratio præcipua est: circa propria verò & peculiaria, quatenus per se sumantur, quæ consideratio est posterior, cum partes, quatenus per se sumuntur, & in naturalibus, & in artificiosis operibus, ad esse totius dirigantur. Adde quod Fracastorius in eo opere septuaginta minimū

D orbes homocentricos addit stelliferis, ut tam multis sustentaculis suam sententiam ægerrimè suffulciat; cum Ptolomæus & alii qui 14. deferentibus (qui etiam homocentrici sunt), 27. eccentricos tantum, & sex epicyclos Planetarum orbibus adiungentes, omnium cælestium motuum & varietatum, incolumi cælesti natura, accuratè rationem reddant. Ut interim omittam quòd Fracastorius su-

praFirmamentum sex orbes ponendos existimat cum illi duos tantum constituant, utpote nonum & decimum cælum, nullis ex orbibus compositos, Denique nec Aristoteli displicere posse videur hæc sententia, cùm hoc ipso loco dixerit, non esse primo Philosopho conquiescẽdum in ea sententia, quam ipse utcunque admittit, sed quærendum illi esse per se, & petendum à peritioribus Astrologis, quid tandem certius invenerint, quod sanè ab aliis, quam à tantis authoribus, quantus est in Astrologia Ptolomæus, & alii similes, haud scio an tutò quæri possit.

[a] *Quo fit ut rationi.*

Colligit ex dictis, rationi consentaneum esse, non planè demonstratum tot esse post primum motorem substantias motrices (quas vocat principia immobilia) totque orbes cælestes (quos appellat principia sensibilia) quot hactenus sunt enumerata, utpote septem & quadraginta. Rationes verò necessarias ab iis esse expectandas, qui his de rebus (de motibus inquam, cælestium corporum, orbiumq; numero) ex instituto agunt. In hoc enim illo plus valere ingenuè confitetur.

[b] *Quod si latio nulla.*

Ita quædam removet, quibus ea quæ dicta sunt de substantiarum immaterialium numero infirmari possent. Unum est, si quis suadeat, quasdam esse eiusmodi substantias, quibus nullus respondeat cælestis motus, quasi non omnes in movendis orbibus sint occupatæ. Cui tacitæ obiectioni respondet, nõ

A ita rem habere: nam cũ nulla sit cælestis latio quæ ad motum alicuius astri non dirigatur, ipsæque substantiæ immateriales infra primam ita sint administræ eorum motuum, quibus errantia Astra circunducuntur, ut etiam sint eorum fines (quandoquidem eorum effectis fiunt suo modo similes primæ causæ, quæ est prima substantia immaterialis) non dubium putat dicendum nullas esse alias substantias immateriales infra

B primam, præter eas quibus orbes inferiorum moventur, quæ sunt enumeratæ. Oportet enim dicere huiusmodi substantias immateriales, cum sint passionis corporeæ expertes, & per se omnino existentes, hoc est, ab omni materiæ concretione liberæ (quod optimum genus substantiarum est) esse optimum finem naturalem assequutas: qui in assimilatione ipsarum primæ causæ consistit: quare cum iis motibus quos administrãt

C eam similitudinem assequantur, fieri nequit, ut eos orbes non moveant; alioqui non essent optimum finem assequutæ. Quo fit ut nullæ eiusmodi substantiæ sint præter eas quibus illi moventur. Fallitur tamen Aristoteles in hac ratiocinatione; Nam cũ substantiæ immateriales nullo modo pendeant ex rebus materialibus & corporeis; non potest earum optimus finis consistere in huiusmodi assimilatione, sed in ea quæ posita est

D in actibus intellectus & voluntatis, in quibus verè felicitas sita est. Potest tamen assimilatio ea quam hîc significat Aristoteles, dici finis earum substantiarum quatenus sunt causæ sive concausæ rerum naturaliũ, non autem absolutè ac simpliciter. Quo pacto locus hic intelligetur de optimo earum fine. Illud etiam adverte, huiusmodi substantias iccirco dici fines eorum motuum, quia motus ii

sunt

sunt propter illas assimilandas primæ causæ, non illæ propter motus.

Atqui ut præter eas.

Alterum, quo impugnari possunt ea quæ dicta sunt, huiusmodi est. Esse fortasse alias cælestium corporum lationes, quæ à nobis non deprehendantur, atque ita effici posse ut etsi omnes substantiæ immateriales moveant corpus aliquod cæleste, tamen plures illæ sint numero, quam quæ ex cognitis motibus collectæ sunt Huic obiectioni respondet Aristoteles, fieri nō posse ut aliæ sint lationes corporum cælestium, quam quæ sunt dictæ; non quòd credat plures esse non posse, quam quæ eatenus cognitæ erant (pugnaret enim secum ipse, qui exhortatur primum Philosophum ut certius aliquid de earum numero inquirat) sed quod plures esse nequeant, quam quæ percipi à nobis possint ex motibus cœlestibus, quibus solis credit certò sciri posse quot illæ sint. Nam cum omnis latio cœlestis sit alicuius astri circumferendi gratia; fieri nequit ut sit latio aliqua quæ deprehendi non possit ex ipso & in ipso astro quod fertur, & à nobis apertè non conspiciatur: quòd autem omnis latio cœlestium corporum sit alicuius astri ferendi ac circum terras ducendi gratia, ea ratione probat; Quia alioqui vel esset propter se vel propter aliam lationem; omnis enim latio est gratia eius quod fertur; nulla autem seipsam fert: esse verò propter lationem aliam ea de causa dici non potest, quia hoc pacto daretur progressus in infinitum; nisi consisteretur in aliquo astro cuius ferendi gratia eiusmodi orbis latio aut aliqua tandem ex sequentibus esset instituta. Verum quia dicet aliquis consistendum esse in orbe quasi eius solius circunducendi gratia fiat, proinde non necesse esse ut fit propter astrum ferendū; A complenda est ratio hoc modo, Primum, latio est propter circumducendum orbem, potiori ratione esse propter circumducendum astrum, quod est præcipua pars orbis circumducti. Deinde non esse rationi consentaneum ut sit propter orbem circumducendum, cùm cœlestes orbes sint uniformes in omnibus suis partibus, quæ non sunt astra: quo fit ut non sit cur circū terras movendi B sint propter se ipsos, quippe cum ex omni plaga æquè respiciant terras virtute sua, sive omnes lucem aliquam ex se habeant, ut quidam volunt, sive aliquam influendi rationem, namque latio ipsa ex se virtutem non habet, sed tantum ratione lati aut ferentis corporis.

m Cœlum autem unum esse.

Tertium, ex iis quæ possent ea quæ dicta sunt, convellere, illud est, siquis contendat plures esse Mundos, ac proinde plures orbes cælestes, pluresque substantias immateriales à quibus illi moveantur. Neque enim defuerunt qui plures Mundos esse docuerint, ut Democritus, qui infinitos esse dixit, quorum alii interdum ex atomorum concursu coalescerent, alii eorum dispersione dissolverentur. Cui tacitæ obiectioni respondet Aristoteles, non modò nō esse plures cœlos, hoc D est, Mundos (hîc enim & sæpe alibi cœli nomen pro Mundo accipit) sed neque etiam esse posse. Oporteret enim eos esse eosdem specie, ratione, definitione ve omnino una, plures autem numero quemadmodum & homines, quorum principium (id est natura communis) unum est ratione cum ipsi numero sint plures. Quod idē dicēdū foret de partibus quibus diversi Mundi constarent: Denique

iis principiis, quibus eorum res continerétur atque administrarentur, ac proinde de substantiis immaterialibus, primaque omnium causa. Cùm igitur ea quæ sunt plura numero sub eadem specie, aut ratione omnino una materiã habeant, cuius divisione sub illa multiplicentur, ut ipse docuerat libro quinto; prima autem quidditas, hoc est, prima omniũ substantia quæ est primus motor, cum sit actus purus (ut superius probatum est) materiam non habeat; fieri non potest ut plures numero sint primi motores, sed unus duntaxat, & ratione & numero. Quod si primus motor neque est neque esse potest nisi unus numero, ergo nec primum mobile: quare nec Cœlum sive Mundus. Idem eodem modo probare posset ex quavis alia immateriali substantia cuiusvis cœlestis orbis motrice; imo etiam ex eo quod extra Mundum non est alia materia, neque eius sententia esse potest, ex qua Mundus alius fieri possit, ut probavit in libris de cœlo.

Verum hoc loco quædam dicuntur ac suponuntur ab Aristotele quæ concedenda non sunt; primum est si plures numero essent Mundi, fore ut omnes essent idem specie infima. Possent enim esse specie differentes, utpote si eius partes aut motus cœlestium corporum primo motore inferiores specie differrent (cuiusmodi sint plures domus, quarum alia esset ex lapidibus & cæmento, aliæ ex lignis & tabulis fabricatæ essent: aut plures exercitus, quorum alius bellum gerit equitando, alius pedibus incedendo) veluti si constarent ex orbibus cælestibus, non eisdem specie cum orbibus huius mundi, ex aliisve animalium, aliarumque rerum corruptibilium speciebus; aut substantiæ inferiorum orbium motrices

A essent specie diversæ ab aliis, quibus moventur huiusmodi orbes; quæ haud dubiè fieri potuerunt. Alterum est, quæcunque differunt sub eadem specie habere veram ac proprie dictam materiam, qua distinguantur. Neque enim probandum est quod Scotus existimat, materiam hoc loco pro principio individuationis accipi, tum quia perspicuum est loqui Aristotelem de vera ac propriè dicta materia, qua mobiles substan-

B tiæ ab immaterialibus distinguuntur, tum etiam quia insolita omnino est apud Aristotelem hæc materię usurpatio; ac demum quia frivola esset hæc ratio iuxta Scoti explanationem constructa: Primus motor non habet principium individuationis, ex quo constet sub aliqua natura communi; ergo neq; est neq; esse potest plures numero. De hac enim ipsa re quæstio erat, quam Aristotelis ea sententia dissolvit, &

C hoc loco & libro quinto creditur individuas substantias non distingui sub specie infima nisi per materiam, non quòd putet ea non distingui per individuationis principia (hoc enim erat certissimum nec sub dubitationem cadere poterat) sed quòd existimat principia individuationis eiusmodi substantiarum ex materia & forma sumi, cognosci verò per divisionem materiæ ac quantitatis, quæ semper materiam comitatur. Atque

D hoc dicimus aut verum non esse aut certè non necessarium, ut fusius diximus ad cap. 6. libri quinti, inferiusque evidentius ostendemus. Tertium est, si plures numero primi motores nec sunt nec esse possunt; ergo nec prima mobilia, quare nec plures Mundi. Nam & hoc verum non est; fieri enim potuit ut idem esset primus motor plurium primorum mobilium, quemadmodum & plurium

Mun-

Mundorum effector. Quid autem in causa fuerit ut Aristoteles veritatem hac in re non sit assequutus, paulo inferius videbimus.

[n] *Tradita sunt autem.*

Confert ea quæ de substantiis immaterialibus dixerat, non modò cum iis quæ à Priscis Philosophis fabularum involucro de diis scripta erāt, sed etiam cum iis quæ vulgò de eisdem ferebantur. Prisci enim Philosophi cum poetæ simul essent, versibusque res philosophicas & divinas tractarent; Deorum nomine substantias immateriales intellexerunt, ut significarent res omnes naturales & corporeas ab incorporeis substantiis contineri ac gubernari. Qua in re cum ipso..... .. Primus enim motor qui solus propriè Dei nomine intelligitur, id efficit partim per se, partim per immobiles substantias, cœlorum motrices. Quod verò ad vulgi opinionē attinet, reliqua omnia quæ de Diis circunferebantur ad persuasionem imperitæ multitudinis, quæ sublimia non capit, conficta fuisse ait, ut & leges melius observarentur, & ex Deorum cultu aliæ utilitates Rebusp. provenirent. Huiusmodi autem erat imprimis illa quòd hominibus insigniter fortibus, sapientibus, aut beneficis in Deorum numerum ascribendis, eisque statuis dedicandis, arisque & templis ædificandis, ad similes virtutes alii excitarentur: unde illud longinquitate temporum eveniebat, ut crederentur re vera in Deos esse translati. Neque id mirum, cùm & brutis quibusdam animantibus divinus honor paulatim dari cœperit, si quas insigniter utiles gens aliqua experiretur, ut Ibes essent apud Ægyptios, A & nunc vaccæ sunt apud Brachmanas in India, quòd illæ magna serpentium multitudine regione liberanda permagnum importare commodum viderentur: hæ verò à magna lactis copia eius superstitionis hominibus, qui carnibus non vescuntur, maximè conferre judicentur. Ut autem non solum homines, sed etiam bestiæ hac ratione in Deorum ordinem ab imperita multitudine longo annorum decursu quasi co- B optabantur; sic & substantiis immaterialibus, à quibus hic mundus regitur, astrisque, & signis cœlestibus non solum hominum sed etiam aliorum animalium nomina,..... actionesque à poetis in vulgi gratiam tribuebantur, aliaque quæ ex his sequuntur multa; adeò ut ipsa quoque vitia (forsitan ut minus reprehenderentur in humana natura) eisdem rebus quas sic nominabant, impingerent. Ait ergo Aristoteles, si C quis ex his omnibus primum illud seligat, substantias cœlorum motrices, Deos (hoc est divinas incorporeasque substantias) à priscis Philosophis reputari, præclaram divinamque esse eorum sententiam reliqua omnia quæ adiecta sunt, vana esse & inscientiæ plenissima.

[o] *Et quemadmodum verisimile.*

D Quæreret aliquis, cum rerum cognitio paulatim & experientia & doctrina augeri soleat, quid causæ fuerit cur vera illa de divinis substantiis opinio tanta oblivione obruta sit, ut vix eius reliquiæ superessent? Ad quam tacitam quæstionem respondet, quemadmodum aliæ scientiæ & artes aliquando augentur, & quoad fieri à nobis potest perfectionem aliquando assequuntur, rursusque imminuuntur,

& tandem intereunt, iterumque reviviscunt: eodemque modo ex æterno tempore eam vicissitudinem fuisse & in æternum futuram: ita earum substantiarum cognitionem priscis illis temporibus floruisse; postea verò sic oblivioni traditam fuisse ut vix eius reliquiæ tum superessent. Cuius rei causam ipse in Meteoris eam esse ait, quòd paci & quieti temporum, in quibus floret litterarum cultus, sæpe succedunt bella perturbationes Rerump. & interdum calamitates magnæ, & illuviones, quibus omnia pene studia intercidunt; rursusque contraria tempora revertuntur, quibus litteræ, & plena rerum cognitio redeunt, & quasi renascuntur.

Verum neque æterna illa vicissi- A tudo concedenda est; neq; ex eo tempore quo floruit apud priscos Theologos cognitio earum substantiarum, tot ac tantæ calamitates successerunt, ut earum causa vera illarum cognitio in tantas eorum tenebras incurrerit: cum illud potius eius rei occasio fuerit, quod prisci illi de iis rebus Poeticè scripserint, ansamque dederint ut posteriores simili scribendi forma primam Philosophiam obscuriorem fecerint, B donec Socrates & Plato eum familiarius de iis rebus disputassent, ipse primus plenam & aptam scribendi rationem, ac in scientiæ ordinem digestam cœpit inducere, novamque lucem rebus tractandis & explicandis afferre.

Κεφάλαιον. θ'.

CAPUT IX.

Τὰ δὲ περὶ τὸν νοῦν ἔχει τινὰς ἀπορίας. δοκεῖ μὲν γὰρ εἶναι τῶν φαινομένων θειότατον. πῶς δ᾽ ἔχων, τοιοῦτος ἂν εἴη, ἔχει τινὰς δυσκολίας. [b] εἴτε γὰρ μηδὲν νοεῖ, τί ἂν εἴη τὸ σεμνόν. ἀλλ᾽ ἔχει ὥσπερ ἂν εἰ ὁ καθεύδων, εἴτε νοεῖ, τούτου δ᾽ ἄλλο κύριον (οὐ γάρ ἐστι τοῦτο, ὅ ἐστιν αὐτοῦ ἡ οὐσία, νόησις, ἀλλὰ δύναμις) οὐκ ἂν ἡ ἀρίστη οὐσία εἴη. διὰ γὰρ τοῦ νοεῖν, τὸ τίμιον αὐτῷ ὑπάρχει. [c] ἔτι δὲ εἴτε νοῦς ἡ οὐσία αὐτοῦ, εἴτε νόησίς ἐστι, τί νοεῖ; ἢ γὰρ αὐτὸς αὑτόν, ἢ ἕτερόν τι. καὶ εἰ ἕτερόν τι, ἢ τὸ αὐτὸ ἀεί, ἢ ἄλλο. πότερον, οὖν διαφέρει τι, ἢ οὐδέν, τὸ νοεῖν, τὸ καλόν, ἢ τὸ τυχόν: ἢ καὶ ἄτοπον τὸ διανοεῖσθαι περὶ ἐνίων; δῆλον τοίνυν, ὅτι τὸ θειότατον καὶ τιμιώτατον νοεῖ, καὶ οὐ μεταβάλλει. εἰς χεῖρον γὰρ ἡ μεταβολὴ καὶ ἡ κίνησίς τις ἤδη τὸ τοιοῦτον. [d] πρῶτον μὲν οὖν εἰ μὴ νόησίς ἐστιν ἀλλὰ δύναμις, εὔλογον ἐπίπονον εἶναι τὸ συνε-

C *Quæ [a] autem de mente traduntur quasdam dubitationes habent. Eorum enim quæ se nobis offerunt, divinissimum quiddam ea esse videtur. Quo autem modo se habens talis esse possit, difficile explicatu est. Nam [b] sive nihil intelligit, sed more dormientis affecta est, quid quæso excellens & eximium erit? sive intelligit quidem, sed aliud est ea præstantius (neque enim hoc, quod eius substantia, intelligendi actus, sed potentia erit) non utique optimum aliquid eius substantia fuerit. Eius enim præstantia in intelligendo sita est.*

D *Præterea [c] sive mens sive intelligentia (hoc est actus intelligendi) substantia eius sit, quid tandem intelligit? Aut enim se ipsa, aut aliquid aliud. Quòd si quid aliud, aut idem semper, aut aliud atque aliud. Interest ne igitur, an nihil refert, bonum an quidvis intelligatur? An verò absurdum est eam de quibusdã cogitare? Ac constat quidem id quod divinissimum præstantissimumq́; sit intelligere, neq́; etiam mutari. In deterius enim mutatio fit; idque iam motus quidam esset.*

Primum igitur [d] sive intelligentia non est, sed intelligendi potentia: rationi consentaneum est labo-

χεὶς αὐτῷ τῆς νοήσεως. [e] ἔπειτα δῆλον ὅτι ἄλλο τι ἂν εἴη τιμιώτερον ἢ ὁ νοῦς, τὸ νοούμενον. καὶ γὰρ τὸ νοεῖν καὶ ἡ νόησις ὑπάρξει, καὶ τὸ χείριστον νοοῦντι. ὥστε φευκτὸν τοῦτο. καὶ γὰρ μὴ ὁρᾶν ἔνια, κρεῖττον ἢ ὁρᾶν. οὐκ ἂν εἴη τὸ ἄριστον ἡ νόησις. [f] αὑτὸν ἄρα νοεῖ, εἴπερ ἐστὶ τὸ κράτιστον. καὶ ἔστιν ἡ νόησις, νοήσεως νόησις. [g] φαίνεται δ' ἀεὶ ἄλλου ἡ ἐπιστήμη καὶ ἡ αἴσθησις καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ διάνοια. αὑτῆς δ' ἐν παρέργῳ. [h] ἔτι εἰ ἄλλο τὸ νοεῖν καὶ τὸ νοεῖσθαι, κατὰ πότερον αὐτῷ τὸ εὖ ὑπάρχει; οὐδὲ γὰρ ταὐτὸ εἶναι νοήσει καὶ νοουμένῳ. [i] ἢ ἐπ' ἐνίων ἡ ἐπιστήμη, τὸ πρᾶγμα, ἐπὶ μὲν τῶν ποιητικῶν ἄνευ ὕλης ἡ οὐσία, καὶ τὸ τί ἦν εἶναι. ἐπὶ δὲ τῶν θεωρητικῶν, ὁ λόγος τὸ πρᾶγμα, καὶ ἡ νόησις. οὐχ ἑτέρου οὖν ὄντος τοῦ νοουμένου καὶ τοῦ νοῦ, ὅσα μὴ ὕλην ἔχει, τὸ αὐτὸ ἔσται. καὶ ἡ νόησις τοῦ νοουμένου μία. [K] ἔτι δὴ λείπεται ἀπορία, εἰ σύνθετον τὸ νοούμενον. μεταβάλλοι γὰρ ἂν ἐν τοῖς μέρεσι τοῦ ὅλου. [l] ἢ ἀδιαίρετον πᾶν τὸ μὴ ἔχον ὕλην, ὥσπερ ὁ ἀνθρώπινος νοῦς. ἢ ὅ γε τῶν συνθέτων ἔχει ἔν τινι χρόνῳ. οὐ γὰρ ἀεὶ τὸ εὖ ἐν τῳδί, ἢ ἐν τῳδί, ἀλλ' ἐν ὅλῳ τινὶ τὸ ἄριστον, ὂν ἄλλο τι. οὕτως δ' ἔχει αὐτὴ αὑτῆς ἡ νόησις τὸν ἅπαντα αἰῶνα.

A *laboriosam ei esse intelligendi continuationem.*

Deinde [e] perspicuum est, aliquid aliud ipsa mente fore præstantius; id nimirum quod intelligetur. Nam & ipsum intelligere & intelligentia, & deterrimum quid intelligenti conveniet. Quare si fugiendum hoc est (etenim quædam sunt quæ melius sit non cernere) non erit utique optimum quid intelligentia. Seipsum [f] igitur intelligit, siquidem est res omnium præstantissima. Et intelligentia quidem intelligentiæ intelligentia esse potest. [g] Verùm B *semper scientia alterius esse videtur, itemque sensus, opinio, & cogitatio: sui autem ipsius, ex accidente.*

Præterea [h] si aliud est intelligere, aliud intelligi, utro eorum boni ratio inest? neq; enim idem est intelligentiæ natura & ratio, atq; eius quod intelligitur.

An [i] in quibusdam idem est scientia atq; res ipsa? in iis quidem quæ sub actionem cadunt ipsa substantia sive materia atq; ratio rei: in iis autem quæ contemplationi subsunt, ratio, res, & intelligentia. Cum igitur C *non aliud sit id quod mente percipitur, atq; mens ipsa; quæcunq; materiam non habent, idem erunt ac intelligentia una eius quod intelligitur.*

[K] Restat etiam dubitatio, an compositum sit id quod intelligitur: in partibus enim totius mutari poterit. An indivisibile [l] est quicquid materiam non habet, veluti mens humana? An ea [m] quæ rerum compositarum est, in quodam tempore bene habet? Non enim in toto aliquo (quo aliud quiddam est) sed in hoc aut in illo optimo statu fruitur. Atq; hoc modo se in omni æternitate habet ipsa sui intelligentia.

EXPLANATIO CAPITIS NONI.

[a] *Quæ autem de Mente.*

CUm à principio capitis 7. tria quædam explicare cœpisset, nempe quanta sit primi motoris perfectio, quotnam sint moventia immobilia, & quo pacto se habeat eius operatio, sintque duo priora duobus superioribus capitibus exposita: nunc ad tertium aggreditur. Sed cùm primi motoris operatio ad intellectum & voluntatem pertineat (neque enim actione illa, quam intellectus & voluntas, opera-

operatur,) hoc ipso in capite tres de illo quæstiones, quatenus est summum intelligibile, proponit ac dissolvit, ea disputatione in caput sequens ultimumque dilata, qua ratione ille sit summum bonum sive amabile. Ait igitur de prima illa supremaque mente substantiave separata (subaudi quatenus est primum intelligibile & primum amabile, ut superius docuerat) quasdam esse dubitationes. Etsi enim planè videtur ac constat omniumque nationum ac gentium consensu receptum est, illam esse optimum quiddam ac divinissimum: tamen qua ratione tantam præstantiam dignitatemq; sibi vendicet, difficilè explicari posse propter dubia difficultatesque quæ in ea re sese offerunt: quæ quidem (quod attinet ad disputationem de summo intelligibili) ut sub unum aspectum ponantur, hæ sunt. Prima Num substantia illa sit sua ipsius intelligendi operatio necne: secunda, Quidnam intelligat: Tertia, Num simplici, an composita intelligendi ratione intelligatur.

[b] *Nam si nihil intelligit.*

PRoponit primam difficultatem quæstionemve, seu potius pro parte affirmativa quæ vera est, more dubitantis tractat. Quæ quæstio ut facilius expediatur, in memoriam revocandum est ex libris de Anima, tribus modis conferri posse intellectum cum suo intelligendi actu. Uno, cum eo quem non habet, sed habere potest; sive per ipsam solam intelligendi potentiam, sive etiam per habitum intelligendi, qui potentiæ quoque rationem habet, ut patet ex libro 9. Altero, cum eo actu quem habet, ita tamen ut intellectus non sit ipse eius intelligendi actus. Tertio, ita cum actu quo intelligit, ut non modo illo intelligat, sed etiam sit ipse intelligendi actus. Ratio igitur, qua utitur, hanc vim habet: Præstantia primæ illius mentis ab intelligendi actu ei provenire dicenda est, quemadmodum & aliis immaterialibus substantiis, quæ etiam hac de causa intelligentiæ nominantur; præstantior enim est intellectus quam voluntas, & intelligendi actus quam voluntatis, ut ex 3. de Anima & 10. Ethicorum patet: Necesse est, ut si mens illa est omnium rerum C præstantissima (quod ex communi consensu suppositum est) in intelligendo id spectandum sit. Atqui sive illa dicatur esse in potentia ad intelligendum sive actu sic intelligat, ut non sit ipse eius intelligendi actus, non erit res præstantissima: necessariò igitur videtur concedendum, illam esse ipsum eius intelligendi actũ sive operationem. Priorem assumptionis partem ex eo probat, quia ut præstantius est vigilare quam vigilare posse; ita præstantius est intelligere actu, quam posse intelligere. Quanquam enim hoc præstans est, non est tamen præstantissimum ac eximium; qua de causa ipse dixerat in Ethicis: Vitæ dimidio, hoc est, somni tempore, nihil differre probos ab improbis, aut fœlices ab D infœlicibus; eo quod omnes dormientes potentiam quidem habeant ad exercendas virtutum actiones, actũ autem virtutis nullum exerceant. Posteriorem autem partem ea ratione suadet, quia etsi mens illa actu intelligat, & tamen eius substantia non sit ipse intelligendi actus, adhuc mens ipsa nõ erit aliquid optimum, ut suppositum est, cum per ipsum actum à se diversum, ut ab adversario ponitur, perficiatur; præsertim cum

cùm ostensum sit libro nono, actum A esse præstantiorem potentia: quod de actibus immanentibus dictum esse perspicuum est, si modò aliud sint ab ipsis potentiis.

e Præterea sive intellectus.

QUicquid ad primam quæstionem dicendum sit, secundam & proponit & dubitantis etiam more ita tractat, ut ex conclusione quam hîc colligit, id quod postea definiturus est, planè sequatur. B Quæstio est, quid demum mens illa intelligat; si enim aliud à se ipsa intelligit, cum cætera sint plurima atque admodum varia, quorum alia sunt præstantia, alia vilia & abiecta; indignum videbitur eius maiestate, quælibet eorum intelligere, sive semper omnia intelligat sive modo hoc, modò illud, præsertim cum hæc intelligendi vicissitudo sine mutatione non fieret, à qua mens illa libera omnino esse ponitur. C Cùm igitur hæc absurda sint, perspicuum est, eam id tantum quod præstantissimum diviniſsimumque est, intelligere, ne in intelligendis rebus vilibus & abiectis vilescat etiam ipsa, aut intelligendis modò his rebus modò illis mutetur: In deterius enim fit mutatio hoc est, fieri potest; potentia enim passiva, quam mutatio supponit, æquè capax est utriusque termini, & eius qui abjicitur, & D eius qui acquiritur. quorum semper alter deterior est Ex hac autem conclusione perspicuum est illud effici, Aristotelis sententiam in hac quæstione esse, mentem illam se ipsam tantum, idque semper continenterque intelligere; quod quo pacto verum sit, suo loco dicetur.

d Primum igitur si intelligentia.

REspondet primæ quæstioni, seu potius more respondentis reddit rationem conclusionis, qua respondendum erat; nempe mentem illam non esse potentiam intelligendi, sed ipsum intelligendi actum Ratio verò, quam reddit, est, quia si non esset actus intelligendi, sed potentia ab actu distincta, rationi consentaneum foret, ut laboriosa ei esset intelligendi continuatio, cum tamen mens illa labori obnoxia esse non possit. Hæc ratio ex eo vim aliquam ad probandum præ se fert, quòd in nobis experiamur, non posse nos continenter sine labore intelligere; id enim ea ratione accidere videtur credidisse Aristoteles, quia potentia intelligendi nostra non est ipse intelligendi actus. Nam si idem esset, quemadmodum ille nobis laboriosus nunquam est, ita nunquam foret laboriosus intelligendi actus quantumcunque continuatus. Nihil tamen re vera concludit, si laboriosi verbum hoc loco accipiatur, ut significat molestiam quæ lassitudinem & debilitatem inducit, ut ferè ab expositoribus accipi solet. Quòd enim intelligendi continuatio laboriosa nobis est, non ex eo provenit, quia in nobis aliud est intelligendi potentia, aliud ipse intelligendi actus: hac enim ratione laboriosa esset continuatio intelligendi, iis substantiis separatis, quæ sunt primæ inferiores, in quibus necessariò diversa est potentia intelligendi ab intelligendi actu, quicquid velint nescio qui Averrois sectatores, ut patebit inferiùs. Esset etiam in nobis eodem modo futurus laboriosus is actus, quo divinæ naturæ conspectu felices nos spe-

ramus fore. Mentes enim nostræ post hanc vitam etsi naturaliter sibi ipsis relinquerentur, continuatione quoque intelligendi fatigarentur, nisi quis absurdissimè somniaret, intellectum nostrum, quem in hac vita diversum ab intelligendi actu experimur, cum animæ à corporibus separantur, in actum intelligendi trāsformari. Deniq; cū nullius actus continuatio sit laboriosa seu molesta alicui rei, nisi quæ naturam eius, aut aliquam eius partem lædit, quo pacto omnium nostrarum operationum continuatio laboriosa nobis in hac vita est propter usum mortalium membrorum ad eas concurrētium (nam & ad intelligendum corporeo phantasiæ organo utimur) nihil profectò ex distinctione potentiæ intelligendi nostræ, ab actu intelligendi colligi potest. Unde universè inferetur, continuationem intelligendi fore laboriosam molestamve cuicunque intellectui, qui ab actu intelligendi diversus sit.

Sunt igitur qui velint non usque adeò absurdam rationem hanc Aristotelis, ut sua probabilitate non careat. Quod ut videamus an verum sit, animadvertendum est, Aristotelem putasse (quod & verum est) omnem potentiam passivam esse rem diversam à suo actu, cuiusmodi est potentia cognoscendi & appetendi omnium creaturarum, ut inferiùs patebit. Deinde hæc duo, potentiarum cognoscendi & appetendi creaturarum, esse mutabilia ex uno actu in alium; quod æquè verum esse affirmant Theologi. Nam etsi substantiæ separatæ ex naturali propensione sua, nunquam ab actibus se intelligendi & amandi cessant; tamen erga res alias non ita affectæ sunt, ut vicissim ex cognitione & amore u- A nius ad cognitionem & amorem aliarum non transeant, id qua vicissitudine vera mutatio cernitur. Eodemque modo etsi non tantum substantiæ illæ sed mentes etiam nostræ, cum claram & apertam divinæ essentiæ contemplationem supernaturali dono adipiscuntur, ab ea videnda & fruenda cessare nequeunt; tamen in rebus aliis cognoscendis & amandis (præterquam se ipsis) sæpe ex uno actu in alium vicissim B mutantur. Cùm ergo Aristoteles colligit si in Mente illa suprema diversa res esset intelligendi potentia & actus intelligendi, fore ut molesta ei esset intelligendi continuatio; non propterea id illum dixisse credendum est, quòd putaverit fatigandam iri in continuanda cognitione sui, quæ illi est suavissima, quemadmodum & continuatio intelligendi & substātiarum separatarum & nostrarum mentium, cum à corporibus seiunctæ sunt. Sed ea de causa id asse- C rere potuit, quia cum data in Deo diversitate potentiæ intellectivæ; necessariò concedenda erat mutabilitas intellectus divini erga res alias à se, ut modò has modò illas posset intelligere, ut ex dictis patet: credidit ille, etsi substantiis omnibus immaterialibus quoad actus se intelligendi non sit molesta continuatio, eo quod naturalis eis sit, & more proprietatis illis conveniat, ut libro 9 diximus; tamen quòd in actibus D intelligendi cætera, necessaria est, ut res alias atque alias à se diversas distinctè intelligant. Molestum est enim cuilibet rei nondum assequutam se esse quod cupit, etsi ea molestia lassitudinem debilitatemve non efficiat. Atque hæc videtur esse Themistii sententia. Quod etsi verisimile Aristoteli utcunque videri potuit, neque in eo iam locum ha-

bet

bet solutio illa de fatigatione organi corporei, quæ in illis substantiis esse non potest; re tamen vera verisimile non est; continuatio enim sive assiduitas discurrendi per varias res, cum libera est non est molesta sed iucunda, præsertim cum assecutio eiusmodi cognitionis sit eis substantiis facillima. Non est tamen propterea reprehendendus Aristoteles, quòd ratione proposita in hoc sensu usus sit; tum quia in ipsa reddenda planè significavit, eam non esse necessariam sed probabilem, seu rationi consonam, ut ei fortasse visa est, in re præsertim à nostris sensibus remotissima, tum etiam ac præcipuè, quia statim adiecturus erat rationem aliam, quæ vera & germana est, ad confirmandam eandem conclusionem, & eam simul qua ad eandem quæstionem respondendum est.

Verum quia sæpe Aristoteles rationes necessarias, modestiæ causa vocat rationi consentaneas; in hac autem re quæ est gravissima credendum est illum nonnisi firmis argumentis uti voluisse; forsitan dicendum est, laboriosæ continuationis nomine in capiéda notitia tam multarum rerum, negotiosam potius & solicitam discurrendi assiduitatem intelligendam esse, qua Mens illa suprema ex aliis rebus extra se in alias discurreret, si in ea intelligendi potentia non esset ipse unicus actus quo se ipsam intelligit. Voluit enim à Deo excludere, non laborem & molestiam ullam, sive quæ ad interitum disponit, sive quancunque aliam, quam apertum erat in nullam earum beatarum mentium posse cadere; sed eam curam & solicitudinem, tametsi suavem, quæ in aliis inferioribus separatis necessariò dáda est cum res alias à se non cognoscat distinctè illo eodem conceptu, A quo se ipsas intelligunt, sed necessariò aliis aliisque eorum propriis conceptibus.

[e] Deinde perspicuum est.

ADdit alteram rationem ad eandem conclusionem confirmandam, qua etiam conclusionem, quæ secundæ quæstioni danda est demóstratam ostendit. Ratio huiusmodi est; si mens illa non esset actus ipse intelligendi, sed tantú B potentia ad intelligendum, certè aliquid aliud foret illa præstantius; nó quidem ipse actus intelligendi absolutè acceptus, quem etiam ab illa diversum esse ponit adversarius; sed aliquid aliud diversum à potentia & actu, quod per actum intelligeretur: at hoc est contra id quod positum initio disputationis erat, esse videlicet Mentem illam rem omnium præstantissimam; necessariò igitur dicendum est, mentem illam non esse C potentiam solam, neque etiam actum ipsum simpliciter & absolutè acceptum sed quatenus illa per eum se ipsam intelligit. Maior propositio ex eo quoad priorem partem perspicua est quia potentia intelligendi cum distinguitur ab actu, necessariò est imperfecta. Secundam ea ratione probat Aristoteles, quia actus intelligendi accipit perfectionem ex obiecto, quemadmodum & actus vidédi; unde quemadmodum aspectus D rerum quas videmus, eo est perfectior & appetibilior, quo res quæ cernútur, sunt pulchriores; quo auté sunt viliores, aut etiam turpiores, eo est vilior aut magis fugiédus (præstat enim, quædam vilia & abiecta nó cernere; ita intelligédi actus, quo in rebus perfectiorib. versatur, eo perfectior est & nobilior; quo autem in iis quæ abiectiora sunt aut etiam

turpiora, eo abiectior est aut deterior. Quocirca si mens illa versaretur in cognoscendis rebus; quantumcunque vilibus & abiectis, aut etiam turpibus, & ipsum quoque intelligere, sive intelligendi actus, & indignissimæ etiam ac deterrimæ rerum conditiones illi convenirent. Tertia pars ex eo patet, quia adversarius fingitur ponere Mentem illam esse potentiam tantum intelligendi, unde fit ut necessariò cogatur dicere id quod præstantissimum est, ab ea diversum esse: B nunc autem probatum est actum intelligendi simpliciter & absolutè acceptum non esse rem omnium præstantissimam: quo fit ut necessariò asserere debeat rem illam, quæ præstantissima concipitur diversam esse ab utroque, & à potentia intelligendi, & ab ipso intelligendi actu absolutè sumpto. Cum hoc igitur sit contra hypothesim, ut ait minor propositio, potius dicendum est, mentem illam non solùm esse potentiam in- C telligendi, sed etiam ipsum intelligendi actum, non quidem absolutè sumptum, quo pacto ad quælibet intelligenda se extendit, ut rectè probatum est: sed quatenus per eum res præstantissima intelligitur, ac proinde quo Mens ipsa se ipsam intelligit: hoc enim pacto omnia salva sunt, & cohærent inter se, & quòd Mens illa sit res omnium præstantissima, ut positum erat, nihilque aliud sit illa præstantius, & quod non solum D semper actu intelligat, neque unquã more dormientis sit in potentia ad intelligendum, sed etiam sit ipse actus intelligendi sui tanquam rei præstantissimæ.

Adverte autem, rationem hanc sola perspicuitate differre ab ea, qua Aristoteles more dubitantis, initio disputationis usus fuerat, ad probandum, Mentem illam supremam, non solum esse potentiam intelligendi sed ipsum etiam intelligendi actum. Ibi enim satis videtur esse, si intelligatur concludi Mentem illam esse actum ipsum intelligendi absolutè acceptum, quia semper actus immaneus, præstantior est quam potentia. Hac autem explicatur, actum intelligendi non quomodocumque sumendum esse, sed quatenus circa rem præstantissimam versatur: nam etsi omnis actus immanens, comparatus cum potentia, perfectior modo aliquo est; non tamen potest esse res præstantissima, nisi sit rei præstantissimæ. Quin etiam sæpe tam parum perfectionis habet, ut satius sit illo carere, quam uti, ut hoc loco dicitur.

f Seipsam igitur intelligit.

RESpondet secundæ quæstioni hac conclusione, Mentem illam seipsam intelligere; subaudi [solam & immediatè] sic enim conclusio necessariò intelligenda est: quæ quidem, ut est in contextu, pars est ultima eius conclusionis, quæ proxima ratione demonstrata est. Complectitur enim illa & conclusionem, quæ danda erat primæ quæstioni, & quæ secundæ, ut patet ex iis quæ in explicanda ea ratione diximus. Probatio autem his tantum verbis continetur [si quid enim est res omnium præstantissima] nec sanè alia longior requirebatur, postquam ex proxima ratione constituit, Mentem illam non esse potentiam intelligendi nudam, neque actum etiam intelligendi immediatum rerum omnium etiam vilissimarum; sed actum immediatè intelligendi rem eam solam, quæ esset præstantissima, quicquid sit de mediata cognitione aliarum rerum, de qua quæ-

stione

stione hîc nihil dicitur. Nam ex eo A quòd mens illa ponitur apud omnes esse res præstantissima, demonstrata est prima conclusio in qua secunda continetur; intelligendum verò esse de cognitione immediata, & cum exclusione aliarum rerum, ex eo constat, quia Aristoteles non respondet ad alteram partem secundæ quæstionis, nempe si mens illa intelligit alia à se, num semper ea intelligat, an verò modò hoc modò illud cum mutatione sui. Si e- B nim id quod expressè concluditur, nempe Mentem illam seipsam intelligere, sic accipi potest, ut non excludantur alia ab immediata eius cognitione; reprehendendus omnino est Aristoteles, qui non explicavit sempérne cætera omnia intelligat, an modò hæc modò illa cum mutatione sui. Qua tamen explicatione opus non fuit, eo quod re vera loquebatur de sola immediata cognitione: quo pacto ea quæ in utraque C conclusione dicta sunt, intelligenda esse voluit cum exclusione omnium aliarum rerum.

[g] *Atque est quidem.*

Duas proponit obiectiones contra ea quæ dicta sunt. Una est non rectè dictum videri in prima conclusione mentem illam supremam esse ipsum intelligendi actum; & simul in secunda, il- D lam nihil aliud, quàm seipsam intelligere. Hæc enim non videntur bene cohærere: nam & intellectus & sensus cum suos actus intelligendi & sentiendi cognoscunt, non ex instituto id faciunt, ut patet in scientia & opinione & similiter in sensu & cogitatione; scientia enim seu potius sciens, non cognoscit ex instituto actum sciendi, quo versatur in rebus de quibus agit, sed obiectum ad quod actus sciendi terminatur, tametsi reflexione quadam & præter institutum scientiæ, suum sciendi actum aliquando cognoscat: quod similiter in opinante, sentiente, & cogitante accidit. Unde effici videtur ut vel Mens illa non sit ipse actus quo intelligit se ipsam, vel certè non ex instituto seu proposito se ipsam intelligat.

[d] *Præterea si aliud.*

Altera obiectio est, cum aliud sit intelligere, aliud intelligi, mensque illa ponatur simul & intellecta & intelligens, non planè rem hanc definitam fuisse; cùm dubium adhuc supersit, quonam pacto intelligendum sit, id quod supponebatur à principio, illam esse rem omnium præstantissimam, num scilicet quatenus seipsam intelligit, an verò quatenus à se ipsa intelligitur. Quanquam enim intelligere & intelligi in mente illa sint una atque eadem res, aliud tamen est esse seu ratio intelligentis, alia intellecti.

[e] *An in quibusdam.*

Occurrit utrique obiectioni una & eadem solutione, quæ huiusmodi est, in iis quæ materiam non habent, idem esse id quod intelligitur, & mentem quæ illud intelligit. Quod ostendit in rebus quæ tractari à nobis familiariter solent, in artibus & in iis scientiis. Nam in artibus effectivis res ipsa quæ efficienda proponitur quatenus est substantia sine materia utpote in mente artificis eadem est cum ipsa scientia effectiva, quæ dicitur ratio ac definitio rei efficiẽdæ in specie sumptæ, quia est id quod præci-

puè in arte continetur, utpote ad quod effectio accommodatur. In scientiis verò contemplantibus idem sunt natura cōmunis quæ sine materialib. conditionibus differentiarum individuantium apprehenditur, atque ratio & definitio rei quæ cognoscenda est: ratio enim & definitio eius est illud præcipuum quod in scientia contemplativa spectatur, & in quo potissimum totus studii labor consumitur. Quod si in rebus materialibus, in quibus tantum est discrimen, propterea idem sunt modo suo scientiæ & artes atque res quæ sciuntur (sive scientiæ sumantur pro ipsis rerum conceptibus, sive pro speciebus, quibus res faciendæ aut cognoscendæ repræsentantur) quia utraque sunt modo aliquo immaterialia; scientiæ quidem, quia sunt in subiecto immateriali, res autem obiectæ, quia per abstractionem fiunt suo modo immateriales; quanto id magis concedendum erit in iis quæ per se ex utraque parte sunt immaterialia? In iis enim planè & res quæ immediatè intelliguntur, & quæ illas intelligunt, idem sunt planè, quia res quæ intelligendæ sunt, nulla abstractione à materia indigent seu sensibili seu intelligibili; tantaque identitas in eis esse poterit propter earum simplicitatem, ut non solum res intelligens & intellecta, sed etiam ipsa intelligentia seu intelligendi actus sint omnino idem, quod in sola mente illa omnium suprema accidere potest, ut patebit ex resolutione tertiæ quæstionis, quæ mox proponetur. Atque ex his voluit Aristoteles, ut obiectionum solutio colligeretur.

Quare ad priorem dicendum est, ubi actus intelligendi distinctus à re intelligente & intellecta, ut apud nos & apud separatas substantias, A quæ sunt prima inferiores: ibi actum intelligendi, quo res ab eo diversa intelligitur, posse intelligi non ex instituto veluti in scientia, cum is qui ex instituto agit de re proposita, reflectitur supra actum, quo illam intellexit; quod idem dicendum est de actu opinandi cogitandi, & sentiendi etiam externo sensu; quandoquidem & res sensu externo perceptæ, fiunt suo modo immateriales in sensu, ut ait Aristoteles, veluti cum color dicitur B esse in oculo per speciem coloris, qui repræsentativè color est. sic enim intelligimus nos intelligere, opinamur nos opinari, cogitamus nos cogitare, & sentimus nos sentire, actibus non directis sed reflexis: nec ex instituto primo, sed quasi ex accidenti, & præter rem, quod Græcè hic dicitur ἐν παρέργῳ. At ubi intelligens res, intellecta, & intelligendi actus sunt ex ipsa rei natura omnino idem, ut in solo Deo, ubi nihil intelligi C potest præter institutum & quasi reflexè, neque alius omnino actus esse potest, atque ipsius intelligentiæ sive actus intelligendi.

Ad posteriorem dicendum est, mentem illam non esse rem præstantissimam ex eo solo quod sic intelligit, actu videlicet eodem omnino cum intellectu; neque etiam ex eo tantum quia intelligitur actu omnino eodem cum intelligibili, sed ex utroque simul. Utrumque enim per- D tinet ad rationem & conceptum rei omnium præstantissimæ. quod & significamus cum dicimus, Mentem supremam se ipsam tali actu intelligere. Eodem modo respondere debemus, si quis quærat: Num viventia sint viventia, quia vitales operationes efficiunt, aut quia illas suscipiunt. Dicendum est enim quia utrūque sibi vendicant, & quod efficiunt, & quia suscipiunt, quorum utrumque

trumque significamus cum dicimus illa à seipsis moveri, sumpto motu fusè, ut omnes vitales operationes complectitur.

[k] Restat præterea.

PRoponit tertiam quæstionem; Num id quod intelligitur à mente illa suprema (immediatè scilicet) sit compositum necne, compositione videlicet quacunque ex natura rei: nam de compositione solius considerationis nostræ, quæ in nulla omnino rei compositione fundatur, non erat ullum dubium, quin multæ darentur; sæpe enim cogitamus ens & substantiam ut communia quædam Deo & aliis substantiis: deinde quærimus aliquam quasi differentiam, qua Deum ab aliis substantiis distinguamus: sæpe etiam eius perfectionem ex multis quasi qualitatibus integramus; cum tamen in eo nec genus ullum, nec differentia, neque ullæ qualitates locum habeant. Addita est autem necessariò hæc quæstio, tum quia non satis erat ad summam Dei simplicitatem ostendendam probasse idem omnino esse in eo ex natura rei, id quod intelligit, id quod intelligitur & actum intelligendi; posset enim adhuc quæri an eius intellectus & voluntatis, aliorumque eius attributorum & actuum esset aliqua diversitas, quæ in eo compositionem aliquam facerent: tum etiam quia cum dictum proximè sit aliud esse intelligere, aliud intelligi, oportebat quærere num hæc in Deo compositionem efficerent. Respondet igitur Aristoteles tacitè: Nullam omnino in eo esse compositionem. Id quod primum ex eo probat, quia si esset, nil repugnaret ex parte rei intellectæ, fieri in intellectu divino mutationem; posset enim ex parte rei intellectæ prius perfectè intelligi pars una, deinde alia, quod dicere de obiecto immediato divini intellectus, absurdum est. Alia est ratio de obiectis mediatis, quæ simul in immediato sine ulla mutatione intelliguntur, etsi in illis plurimæ, imò & infinitæ compositiones & componentia cernantur.

[l] An indivisibile est.

HÆc altera ratio, qua idē probat, ex eo sumitur, quod immaterialia non sunt composita; quæ sic complenda est: Quæcunque materiam non habent, eo ipso quod eam non habent, non sunt cōposita compositione ex ipsa materia & forma, veluti mens humana; ergo id quod omnino immateriale est, nullo modo est compositum; atqui prima illa substantia est omnino immaterialis, cum sit rerum omnium præstantissima, &, ut ita dicam, formalissima; non est igitur ullo modo composita. Consequētia ex eo patet, quia compositio qualiscunque ea sit, materiæ conditionem subit, cui primò & divisio in partes, & compositio tribuitur.

[m] An ea quæ rerum.

TErtiam rationem addit: Quia, inquit, mens quæ in intelligēdis rebus compositis versatur, subaudi [immediatè] nō semper sed aliquando bene se habet, hoc est, optimo intelligendi statu fruitur. Nō enim in intelligendo hanc partem hoc tempore aut illo, id quod optimum est, & distinguitur à singulis

lis partibus, cognitione assequatur illam; sed in toto quodam, id est, cum totum tempus completur, quo per omnes partes discurrit: cum igitur mens suprema quæ sola est intelligentia sui ipsius, non in hoc tantum tempore, aut in complemento alicuius temporis optimum intelligendi statum habeat, & se ipsa, ut in optima re cognitione fruatur; efficitur ut nullam omnino compositionem admittat. Hæc ratio ex eo vim habet, quemadmodum & duæ superiores, quia obiectum immediatum cuiuscunque intellectus, si vel realiter vel alio modo ex natura rei compositum est, non intelligitur distinctè ac plenè sine discursu præcedente per omnes eiusmodi partes: conceptus enim omnium simul ante huiusmodi discursum confusus est, sed cùm omnes sigillatim cognitæ sunt, tum conceptus qui de omnibus simul ita cognitis formatur, distinctus & optimus est omnium qui de ea formari possunt. Sic autem in conceptibus qui habentur de toto ædificio: neque enim ullus eorum perfectus est, nisi is qui post cognitionem singularum partium de ipso toto formatur. Sic etiam conceptus quo assentimur toti enunciationi & apud nos est perfectior conceptibus terminorum, non habetur nisi concepto prius utroque termino. Nam etsi verbalis copula, quæ est enunciationis forma, sæpe ipso orationis situ intra terminos sine extrema locetur, intelligentia tamen semper ultimum locum habet; neque enim potest de extremorum cõiunctione aut disiunctione iudicium ferri, nisi prius extrema ipsa concipiantur. Unde in libro de interpretatione, enunciationes illæ, in quibus extrema connectuntur per verbum (est) vocantur de verbo (est) tertio loco adiacente, ut distinguantur ab iis enunciationibus in quibus nihil prędicatur de subiecto, nisi existentia rei significata per verbum (est) quæ dicuntur de verbo (est) secundo loco adiacente; ut cum dicimus Socrates est, aut Socrates non est.

Ex iis quæ hoc cap. dicta sunt hoc discrimen inter mentem humanam, Angelicam & Divinam licet colligere, additis iis quæ alias explicata sunt; quòd humana aliquando est in pura potentia ad intelligendum aliquando in habitu, aliquando autem actu intelligit: Angelica verò nunquam est in pura potentia, sed partim in actu, partim in habitu: denique Divina nunquam est, ut in pura potentia, aut in habitu, sed semper in actu, atque adeo ipse intelligendi actus. Mens enim humana nihil intelligit in hac vita sine aliqua specie intelligibili à rebus sensibilibus accepta; quam cum nondum habet, in pura potentia est, alioqui est veluti nuda tabula, in qua nihil est depictum; cum verò eam accipit tum habet intelligendi habitum, quo tandem actu intelligit cum vult. Mentes autem angelicæ, cum non indigeant speciebus ad se ipsas intelligendas, eo quòd sint immateriales, neque opus sit ut ad eam rem abstrahantur à materia, semper se ipsas actu intelligunt; eodemque modo humanæ mentes postquam à corpore separatæ sunt: ut autem cætera distinctè intelligant, cum ipsa simul natura nobiliores quasdam à Deo species accipiunt, quibus statim à principio sunt, ut in habitu, ut proximè possint cætera intelligere. At mens divina cum in sua essentia omnia eminentissimè ac perfectissime contineat, nulla opus habet specie intelligibili, sed semper actu intelli-

telli-

telligit & se ipsam, & in se ipsa omnia quæcunque esse ac intelligi possunt.

Illud etiam colligitur, in ipsa Divina natura nullam esse omnino distinctionem, sive realem, sive ex natura rei, quæ etiam rationis ratiocinatæ appellatur, quòd eam rationem in naturis rerum inveniat: sed solam distinctionem imperfectæ cõsiderationis nostræ, quæ virtualis

A quoque à recentioribus Theologis dicitur, ut fusiùs ad librum quintum explicavimus. Atque hæc distingunt illi, & divina attributa inter se, & ipsam divinam naturam à personis proprietatibusque personalibus: quæ omnia huius loci doctrinæ esse consentanea, ut alia multa quæ illi de divina natura docent, nunc ostendemus.

B

Κεφάλαιον. ί.

Tex. 52. Ἐπισκεπτέον δὲ καὶ ποτέρως ἔχει ἡ τοῦ ὅλου φύσις τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ ἄρισον. πότερον κεχωρισμένον τι καὶ αὐτὸ καθ' αὑτὸ, ἢ τὴν τάξιν, [b] ἢ ἀμφοτέρως, ὥσπερ στράτευμα; καὶ γὰρ ἐν τῇ τάξει τὸ εὖ. καὶ ὁ στρατηγὸς, καὶ μᾶλλον οὗτος· οὐ γὰρ οὗτος διὰ τὴν τάξιν, ἀλλ' ἐκείνη διὰ τοῦτόν ἐστιν. [c] πάντα δὲ συντέτακταί πως, ἀλλ' οὐχ ὁμοίως. καὶ πλωτὰ καὶ πτηνὰ, καὶ φυτὰ καὶ οὐχ οὕτως ἔχει, ὥστε μὴ εἶναι θατέρῳ πρὸς θάτερον μηδὲν ἀλλ' ἔστι τι. πρὸς μὲν γὰρ ἓν ἅπαντα συντέτακται. ἀλλ' ὥσπερ ἐν οἰκίᾳ τοῖς ἐλευθέροις ἥκιστα ἔξεστιν, ὅ, τι ἔτυχε ποιεῖν, ἀλλὰ πάντα ἢ τὰ πλεῖστα τέτακται. τοῖς δὲ ἀνδραπόδοις καὶ τοῖς θηρίοις μικρὸν τὸ εἰς τὸ κοινὸν, τὸ δὲ πολὺ ὅ, τι ἔτυχε. τοιαύτη γὰρ ἑκάστου ἀρχὴ, αὐτῶν ἡ φύσις ἐστί. λέγω δ' οἷον, εἴς γε τὸ διακριθῆναι ἀνάγκη ἅπασιν ἐλθεῖν. καὶ ἄλλα οὕτως ἐστὶν ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα εἰς τὸ ὅλον. [d] ὅσα δὲ ἀδύνατα συμβαίνει ἢ ἄτοπα τοῖς ἄλλως λέγουσι, καὶ ποῖα οἱ χαριεστέρως λέγοντες, καὶ ἐπὶ ποίων ἐλάχισται ἀπορίαι, δεῖ μὴ λανθάνειν. πάντες γὰρ ἐξ ἐναντίων ποιοῦσι πάντα. οὔτε δὲ τὸ πάντα, οὔτε τὸ ἐξ ἐναντίων ὀρθῶς, οὔτε ἐν ὅσοις τὰ ἐναντία ὑπάρχει, πῶς Tex. 53.

CAPUT X.

Considerandum [a] quoque est, utronam modo universi natura ipsum bonum optimumque habeat; an separatum aliquid & ipsum per se, an in ordine consistens. An utroque [b] modo quemadmodum exercitus? Nam & in ordine eius bonum positum est; & ipse etiam dux est illius bonum, atque adeò hic magis. Neque enim hic propter ordinem est, sed ordo propter hunc. Tex. 52.

C *Sunt autem [c] omnia ratione aliqua ordinata, sed non modo eodem, ut natantia, volatilia, & quæ è terra nascuntur, neque ita inter se affecta, ut alterum cum altero nihil communionis habeat, sed est aliquid planè. Vnum enim omnia ordine aliquo respiciunt: Verùm ut in domo liberis quidem minimè licet quidvis facere, sed cuncta aut certè plurima præscripta sunt, mancipiis verò ac feris parum aliquid quod communitati conferat, ut plurimum autem quicquid fortè contingit (tale enim quid principium & natura cuiusque eorum postulat) hoc, inquam, modo necesse est,* Tex. 53.

D *ut & omnia inter se discernantur, & diversa ita se habeant, ut cuncta iis communicent, ad universi complementum.*

Quæ [d] autem impossibilia absurdaq; iis contingant, qui aliter docent, quiq; vel aptius loquuntur, vel ea tractant in quibus levissimæ dubitationes existunt, haud lateant oportet. Omnes enim ex contrariis omnia faciunt, cùm tamen neque omnia, neque omnino ex contrariis rectè fiant, neque illi in quibus contraria insint, & quo pacto ex contrariis constent, exponant.

ἐκ τῶν ἐναντίων ἔσται οὐ λέγουσιν. ἀπαθῆ A γὰρ τὰ ἐναντία ὑπ' ἀλλήλων, ἡμῖν δὲ λύεται τοῦτο εὐλόγως, τῷ τρίτον τι εἶναι. οἱ δὲ τὸ ἕτερον τῶν ἐναντίων, ὕλην ποιοῦσιν, ὥσπερ οἱ τὸ ἄνισον τῷ ἴσῳ, ἢ τῷ ἑνὶ τὰ πολλά. λύεται δὲ καὶ τοῦτο τὸν αὐτὸν τρόπον. ἡ γὰρ ὕλη ἡ μία οὐδενὶ ἐναντίον. ἔτι ἅπαντα τοῦ φαύλου μεθέξει ἔξω τοῦ ἑνός. Tex. 54. τὸ γὰρ κακὸν αὐτὸ, θάτερον τῶν στοιχείων. οἱ δ' ἄλλοι οὐδ' ἀρχὰς τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ κακόν. καίτοι ἐν ἅπασι τὸ ἀγαθὸν μάλιστα ἀρχή. οἱ δὲ τοῦτο μὲν ὀρθῶς, ὅτι ἀρχήν. ἀλλὰ πῶς τὸ ἀγαθὸν ἀρχὴ οὐ λέγουσιν, B πότερον ὡς τέλος, ἢ ὡς κινῆσαν, ἢ ὡς εἶδος. ἀτόπως δὲ καὶ Ἐμπεδοκλῆς. τὴν γὰρ φιλίαν ποιεῖ τὸ ἀγαθόν. αὕτη δ' ἀρχὴ καὶ ὡς κινοῦσα (συνάγει γάρ) καὶ ὡς ὕλη. μόριον γὰρ τοῦ μίγματος. εἰ δὴ καὶ τῷ αὐτῷ συμβέβηκεν ὡς ὕλῃ καὶ ἀρχῇ εἶναι, καὶ ὡς κινοῦντι, ἀλλὰ τό γε εἶναι οὐ ταὐτό. κατὰ πότερον οὖν φιλία; ἄτοπον δὲ καὶ τὸ ἄφθαρτον εἶναι τὸ νεῖκος. τοῦτο δ' ἐστὶν αὐτὸ ἡ τοῦ κακοῦ φύσις. Tex. 55. [g] Ἀναξαγόρας δὲ ὡς κινοῦν τὸ ἀγαθὸν ἀρχήν. ὁ γὰρ νοῦς κινεῖ ἀλλὰ κινεῖ ἕνεκά τινος. ὥστε C ἕτερον πλὴν ὡς ἡμεῖς λέγομεν. ἡ γὰρ ἰατρική ἐστί πως ὑγίεια. ἄτοπον δὲ καὶ τὸ ἐναντίον μὴ ποιῆσαι τῷ ἀγαθῷ, καὶ τῷ νῷ. Tex. 56. [h] πάντες δ' οἱ τὰ ἐναντία λέγοντες, οὐ χρῶνται τοῖς ἐναντίοις, ἐὰν μὴ ῥυθμίσῃ τις, καὶ διὰ τί τὰ μὲν φθαρτὰ, τὰ δ' ἄφθαρτα, οὐδεὶς λέγει. πάντα γὰρ τὰ ὄντα ποιοῦσιν ἐκ τῶν αὐτῶν ἀρχῶν. ἔτι οἱ μὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος ποιοῦσι τὰ ὄντα. οἱ δ', ἵνα μὴ τοῦτο ἀναγκασθῶσιν, ἓν πάντα ποιοῦσιν. ἔτι διὰ τί ἀεὶ ἔσται γένεσις, καὶ τί αἴτιον γενέσεως, οὐδεὶς λέγει. D [i] καὶ τοῖς δύο ἀρχὰς ποιοῦσιν, ἄλλην ἀνάγκη ἀρχὴν κυριωτέραν εἶναι. καὶ τοῖς τὰ εἴδη, ὅτι ἄλλη ἀρχὴ κυριωτέρα. διὰ τί γὰρ μετέσχεν ἢ μετέχει; [k] καὶ τοῖς μὲν ἄλλοις ἀνάγκη τῇ σοφίᾳ καὶ τῇ τιμιωτάτῃ ἐπιστήμῃ εἶναί τι ἐναντίον, ἡμῖν δ' οὔ. γάρ ἐστιν ἐναντίον τῷ πρώτῳ οὐδέν. πάντα γὰρ τὰ ἐναντία ὕλην ἔχει, καὶ δυνάμει ταῦτά ἐστιν. ἡ δὲ ἐναντία ἄγνοια, εἰς τὸ ἐναντίον, τῷ δὲ πρώτῳ ἐναν-

Contraria enim [c] à se mutuò pati non possunt. A nobis autem id apta ratione solvitur, ex eo quod tertium sit quippiam. Quidam verò alteram contrariorum materiam faciunt, ut ii qui aequale, inaequali, aut uni multa opponunt. Solvitur autem & hoc modo eodem. Una enim materia nulli est contrarium. Praeterea omnia praeter unum ipsum malo participabunt, cum alterum elementorum sit. Tex. 54. *Alii verò bonum & malum principia non faciunt, cùm tamen in omnibus bonum ipsum maximè principium sit. Quidam porro illud rectè quidem principium esse volunt, sed quo pacto sit principium, ut finisne, an ut movens, an verò ut forma, minimè declarant.*

Empedocles item [f] absurdè philosophatur: amicitiam enim facit ipsum bonum, quae quidem principium est, & ut movens (congregat enim) & ut materia, cum sit pars totius mistionis.. Quòd si eidem accidat, ut principium sit, & ut materia, & ut movens, ipsum tamen esse non idem est. Ab utro igitur amicitia dicetur? Absurdum quoque est, discordiam esse incorruptibilem, cum haec ipsa sit ipsius mali natura.

Anaxagoras [g] verò bonum facit ut principium movens mens enim movet; sed tamen alicuius gratia movet. Quare aliquid aliud erit, verum ut nos dicimus: Medicina enim quodammodo sanitas est. Incommodum etiam est bono & menti haud fecisse contrarium. Tex. 55.

Iam omnes [h] qui contraria ponunt, contrariis nō utūtur, nisi quis indiligenter ista consideret. Nec verò quisquam est, qui cur alia corruptibilia sint, alia incorruptibilia, dicat. Res enim omnes ex eisdem principiis faciunt. Accedit, quod alii ex non ente omnia efficiunt, alii ne cogantur idem fateri, unum faciunt omnia. Ad haec cur semper futura sit generatio, & quae nam sit generationis causa, nemo explicat. Tex. 56.

Atque & apud [i] eos qui duo principia faciunt, & eos qui ideas ponunt, aliud praestantius principium sit necesse est: cur enim caetera iis participarunt, aut participant?

Et aliorum [k] quidem sapientiae, & praestantissimae scientiae, aliquid contrarium sit necesse est: nos autem id admittere non cogimur. Ea enim quod primum est, nihil est contrarium. Namq; omnia contraria materiam habent; quae potestate haec ipsa est. Contraria verò ignoratio, contrarium respicit; primo autem nihil contrarium est.

Pro-

A τιον οὐδέν. ἔτι εἰ μὴ ἔσται παρὰ τὰ αἰσθητὰ ἄλλα, οὐκ ἔσται ἀρχὴ καὶ τάξις καὶ γένεσις, καὶ τὰ οὐράνια, ἀλλ' ἀεὶ τῆς ἀρχῆς ἀρχή, ὥσπερ τοῖς θεολόγοις καὶ τοῖς φυσικοῖς ἅπασιν. εἰ δ' ἔσται τὰ εἴδη ἢ ἀριθμοί, οὐδενὸς αἴτια. εἰ δὲ μή, οὔτε κινήσεώς γε. ἔτι πῶς ἔσται ἐξ ἀμεγεθῶν μέγεθος καὶ συνεχές; ὁ γὰρ ἀριθμὸς οὐ ποιήσει συνεχές, οὔτε ὡς κινοῦν, οὔτε ὡς εἶδος. ἀλλὰ μὴν οὐδὲν γ' ἔσται τῶν ἐναντίων, ὅπερ καὶ ποιητικὸν καὶ κινητικόν. ἐνδέχοιτο γὰρ ἂν μὴ εἶναι. ἀλλὰ μὴν ὕστερόν γε τὸ ποιεῖν δυνάμεως. οὐκ ἄρα ἀΐδια τὰ ὄντα. ἀλλ' ἔστιν. B ἀναιρετέον ἄρα τούτων τι. τοῦτο δ' εἴρηται ὡς. ἔτι τοίνυν εἰ οἱ ἀριθμοὶ ἕν, ἢ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα, καὶ ὅλως τὸ εἶδος καὶ τὸ πρᾶγμα οὐδὲν λέγει οὐδείς. οὐδ' ἐνδέχεται εἰπεῖν, ἐὰν μὴ (ὡς ἡμεῖς) εἴπῃ, ὡς τὸ κινοῦν ποιεῖ. οἱ δὲ λέγοντες τὸν ἀριθμὸν πρῶτον τὸν μαθηματικόν, καὶ οὕτως ἀεὶ ἄλλην ἐχομένην οὐσίαν, καὶ ἀρχὰς ἑκάστης ἄλλας, ἐπεισοδιώδη τὴν τοῦ παντὸς οὐσίαν ποιοῦσιν (οὐδὲν γὰρ ἡ ἑτέρα τῇ ἑτέρᾳ συμβάλλεται οὖσα ἢ μὴ οὖσα) καὶ ἀρχὰς πολλάς· τὰ δὲ ὄντα, οὐ βούλεται πολιτεύεσθαι κακῶς. C

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. εἷς κοίρανος.

Præterea, nisi sint res aliæ præter sensibiles, nullum erit principium, nullus ordo, generatio nulla, nulla cælestia; sed semper principii principium erit, id quod omnibus & Theologis & Naturalibus accidit.

Quod si ideæ sint, aut numeri, nullius profectò rei causæ erũt, sin erũt certè nõ erunt causæ motus. Quo item modo ex iis quæ magnitudinis sunt expertia, magnitudo aut continuum aliquid constabit: numerus enim non efficit continuum quicquam, neque ut movens, neque ut forma.

Quin etiam nullum contrarium erit quod & factivum sit & motivum: fieri enim poterit ut non sit. Atqui actio posterior est quam potentia, Non igitur erunt res perpetuæ. At sunt. Igitur aliquid horum tollendum est. Quo autem pacto hoc faciendum sit, dictum iam est.

Præterea an numeri sint unum, aut anima & corpus, & omnino forma & res, nemo quicquam dicit, sed nec dicere potest, nisi dicat (quemadmodum nos) id quod movet id facere.

Qui[m] verò dicunt, numerum mathematicum esse primum, atq; hoc modo semper esse aliam hærentem substantiam; aliaq; esse aliarum principia; adventitiam faciunt universi substantiam (nihil alia aliam sive ipsa sit sive non sit, adiuvat) multaq; principia inducunt. At ea quæ sunt, malè administrari nolunt; multorum autem esse principatus bonum non est, unus ergo sit princeps.

EXPLANATIO CAPITIS DECIMI.

[a] Considerandum quoque,

EGit capite superiore de primo motore, quatenus est summum intelligibile, in hoc autem extremo de eo disputat, quatenus est summum bonum. Quærat enim aliquis: Num in hac rerum universitate summum bonum, sit aliquid internum aut externum. Nam cùm summum bonum & ultimus finis idem sit; finis autem sit duplex, alter internus & formalis, quo pacto finis ædificii, est eius forma, sive ordo & dispositio partium; alter externus & obiectivus, quo pacto finis ædificii, est habitator, in cuius gratiam ædes fiunt: meritò dubitari potest, uter eorum constituendus sit in universo summum bonum, aliquídne quod in toto ipso existat, quasi eius formam; an verò aliquid quod cęteris externum sit,

ad quod totus aliarum rerum ordo seu dispositio referatur. Non defuerunt enim qui sentirent, huius universi coagmentationem & ordinem & non ab aliqua externa causa aut propter aliquid externum existere, sed ex se ipso hanc habere dispositionem, aut casu & fortuito atomorum concursu accidisse.

[b] *An utroque modo.*

RESpondet quæstioni propositæ, summum universi bonum utroque modo constituendum esse quemadmodum & in exercitu: nam quemadmodum in exercitu duplex est præcipuum bonum: Unum, quod in ordine ac dispositione militum, & cæterarum rerum ex quibus exercitus coalescit; alterum, à quo eiusmodi ordo pendet, & quod dirigitur, quod est dux ipse à quo describitur ordo exercitus, & ad opus applicatur, & cuius gratia omnia geruntur, ut victoria obtineatur. Sic in universo se res habet: nam & ordo & dispositio rerum est summum eius bonum formale, hoc est, in rebus ipsis existens; & prima etiam rerum causa, à qua pendent, & ordine disponuntur cæteræ omnes, atque ad sui ipsius gloriam summo iure diriguntur, est summum earum bonum obiectivum; atque adeò maius bonum, quàm quod dicitur formalè; Ut enim dux non est propter formam exercitus, sed hæc propter illum; ita prima rerum causa non est propter earum dispositionem, sed hæc propter illam.

[c] *Sunt autem omnia.*

DOcet quo pacto in universo res omnes apto & congruenti ordine sint dispositæ: quod ex eo ostendit, quia etsi non eodem modo omnes sese respiciunt, & ad summum illud bonum separatum affectæ sunt (si quidem aliæ affinitatem quandam maiorem habent inter se, magisque participant summi illius boni separati munificentiam, ut substantiæ separatæ inter se, & cum rebus sensibilibus collatæ, resque

B viventes comparatæ cum non viventibus, mistæ cum simplicibus, & sic cæteræ omnes in suo quæque genere) omnes tamen ita inter se affectæ sunt, ut aliæ propter alias sint conditæ, ut elementa propter mista, non viventia propter viventia; & in viventibus plantæ propter animalia, & ex his ea quæ rationis sunt expertia propter homines, quorum gratia tota hæc mundi machina existit. Quod pulchrè Aristoteles in descriptione ordinis

C magnæ cuiusque familiæ ostendit: in qua videre licet, quo eius partes propinquiores sunt patrifamilias, plusque illi caræ sunt, eo plura in eis præscripta esse & ordinata, ut liberis quam servis, & hisce quam iumentis; eodemque modo cæteris quibus quo magis à capite familiæ remotæ sunt, eo plura relinquuntur, quasi casui & fortunæ commissa, prout cuiusque natura postulat, quæ principium est motuum omnium

D & actionum. Quòd si quis obiiciat, plura imò verò omnia ordinata & definita esse rebus quæ vel sensu vel ratione carent, semper enim hæc ex præscripto sui conditoris agunt: hominibus autem omnia esse liberè relicta ut agant, quicquid eis libitum fuerit: igitur propinquiora carioraque esse primæ causæ res sensu aut ratione carentes, quam hominum

minum genus: Hoc pacto respondendum est: Non sic relicta esse omnia in libertate hominum, ut eis nihil ordinatum & præscriptum sit; imò verò omnia esse illi definita ipsa videlicet naturæ lege, quæ in eius mente inscripta & quasi insculpta est: sed hoc esse discrimen quod in cæteris rebus præscriptio eorum quæ acturæ sunt, non habet rationem legis, cùm illæ agantur potius naturæ vi, quam agant quicquam; in hominibus autem est vera & propriè dicta lex, cuius transgressioni propterea decreta est pœna, & executioni præmium, quòd sint suarum actionum domini; Et tamen in omnibus iis rebus, quæ in elementari regione sunt, plurima accidunt, præter earum naturalem propensionem aut propositum, propter casualem aut fortuitum concursum earum inter se; quæ omnia videntur à Deo permitti quasi ea negligat, cum tamen omnia providentissimè perspiciat, & sola ea quæ mala sunt, si propriè loquendum est, agere permittat. Atque hæc, quæ ex familia rectè ordinata ad universi ordinem transferenda sunt contendunt, ut intelligamus, in rebus cœlestibus, sive sint materiales illæ substantiæ cœlorum motrices, sive corpora ipsa cœlestia, sic omnia ordinata & præscripta esse, ut nunquam in eis perversitas ulla ordinis cernatur: in elementis autem totis ac integris idem spectari, tametsi in partibus quibusdam varietas aliqua quasi permittatur. At in iis quæ ex elementis constant, magnam sæpe esse ordinis perturbationem, ut hæc ultimum habere hac in re locum in universo videantur; tametsi alia ex parte viventia, & inter hæc humanum genus ipsis cœlestibus corporibus sint digniora, & quorum maior cura est Deo, ut eo- A rum gratia corpora reliqua etiam cœlestia condiderit.

[d] *Quæ autem impossibilia.*

ADdit more suo quam absurda & incommoda sit in hac re aliorum philosophandi ratio, qui omissa hac pulcherrima rerum quasi concatenatione, dissolutam quandam rationem principiorum & causarum huius universitatis afferunt; B tametsi alii gravius loquuntur, alii in iis sæpe versantur, de quibus levissimæ quæstiones existunt. Ac primum refert sententias eorum, qui principia contraria inter se sine ullo unionis vinculo inducunt: cuius doctrinæ absurditatem tribus quasi capitibus complectitur; Uno, quod res ex contrariis efficiant; altero, quòd omnes; tertio, quod modum quo ex contrariis fiant, non ostendant.

C

[e] *Contraria enim à se mutuo.*

QUod res non fiant ex contrariis, nisi aliquid unum subsit, quod utriusque sit capax, & neutri eorum adversetur, ex eo probat: quia contraria non patiuntur alia ab aliis, neque enim possunt se mutuò recipere cùm sibi mutuò adversentur; sed tertia materia est, quæ actione externi agentis alterum D suscipit & alterum abiicit. Atque hoc pacto solvitur dubitatio illa, quî fieri possit, ut contrarium ex contrario fieri dicatur, ut calidum ex frigido, & contrà. Unde patet, Platonem non rectè dixisse alterum ex contrariis esse materiam, quam vocat inæqualitatem, ut distinguatur à forma, quam vocat æqualitatem, cum materia nulli rei aut eius formæ sit contraria, cum for-

mas omnes complectatur. Loquitur autem de materia rerum quæ gignuntur & intereunt: quanquam autem verum esset, aliqua fieri ex contrariis, quovis modo id intelligatur, perabsurdum est. Nam cum alterum ex contrariis sit malum, hoc est, imperfectum comparatione alterius: sequeretur omnia malo participare præter unum bonum, quod bonum est summum; sicque corpora cœlestia & substantiæ separatæ, quæ sub prima sunt, malo imperfectioneque participarent. Accedit, quod alii melioris notæ philosophi malum non fecerunt principium sed bonum; & rectè quidem, si de principiis positivis agatur: quanquam in eo quidem peccarunt, quod non exposuerunt, cuiusmodi principium positivum esset bonum, ut finisne, an ut efficiens, an verò ut forma.

f Empedocles item.

PEculiari ratione ei displicet in hac disputatione sententia Empedoclis, qui cùm litem & amicitiam contraria principia posuisset dixissetque amicitiam esse ipsum bonum, non explicavit tamen quanam ratione ulterius dixisset illam simul esse principium efficiens & materiale, tanquam partem totius mistionis seu Sphæri. Nam etsi rectè eam videatur fecisse causam efficientem, cùm proprium sit amicitiæ cōgregare; quonam modo tamen sit materiale principium & pars totius mistionis, non apparet. Quanquam etsi utrunque ei accidit, ratio tamen moventis, & materiæ diversa est, ut Empedocli opus fuerit exponere quanam ratione earum illam in genere etiam causæ materialis posuerit, & ex qua earum amicitia sit appellata. Accedit illud absurdum, quod discordiam incorruptibilem fecerit, eo ipso quod principium & causam universalem esse dixit, cùm tamen discordia malum sit quoddam, si concordia bonum est, ut dicebat.

g Anaxagoras verò.

ILlud etiam damnat in opinione Anaxagoræ, qui magis de unione rerum, & connexione earum B inter se videtur fuisse solicitus, quod non explicaverit, cuius rei gratia moveat mens illa immixta, quam vocat bonum, & ponit in genere causæ efficientis; gratiâne sui, an rei alterius. Quo fit ut nisi dicat idem quod Aristoteles, esse, inquam mentē illā & id quod intelligit & id quod intelligitur, & actus ipse intelligēdi ut demonstratum est capite superiori, ac proinde illam movere & omnino agere propter se ipsam: absurC de haud dubiè loquatur: oportebit enim illum dicere aliquid aliud esse id propter quod illa movet atque agit. Quod enim mirandum non sit, mentem supremam agere propter se ipsam vel ex actione Medici, colligi utcunque posset: nam cum Medicina sit quodammodo sanitas, iuxta illud quod capite superiori: & 3. de anima traditur (nempe scientiam, & rem quæ scitur, quodammodo idem D esse) idque propter formam intelligibilem sanitatis, quæ sanitas quasi personam sustinet, ac proinde modo aliquo dici possit, sanitatem quæ in Medico principium agendi est, agere propter se ipsam; vel inde colligere poterat Anaxagoras, Mentem illam immixtam propter se ipsam agere, cum multo maiori unitate in infinitis quasi gradibus, idem sit cum rebus omnibus, quæ in ea per-

perfectissimè continentur; idem sit A cum scientia seu forma sanitatis quæ est in mente Medici, idem sit cum sanitate ipsa. Quod ubi dixit Aristoteles illud etiam reprehendit in Anaxagora, quòd Menti (quam bonum vocaverat) non opposuerit malum contrarium, ut hac in re à communi sententia de contrarietate principiorum non discederet, quam ipse etiam assequutus fuerat, cum formæ privationem, ut bonum malum, opposuit.

[b] Iam omnes qui.

TErtiam absurditatem veterum, qui principia contraria quasi soluta posuerunt, declarat; cùm docet à nullo eorum exponi quo modo res ex contrariis fiant; hoc enim est quod ait, neminem eorum illis uti, nisi quis indiligenter & perfunctoriè ista consideret; &; quod hinc sequitur, neminem eorum esse qui distinctionem caducorum corporum à sempiternis possit distinguere, cum omnia ex eisdem principiis contrariis constituant. In quod vitium illi etiam prisci Philosophi ac poetæ incurrere videntur, qui omnia ex nocte, hoc est, ex non ente, quasi eodem principio, efficiebant; quippe cum eandem originem rebus omnibus, assignaverint. Quanquam Aristoteles in hac re non rectè sentiret, si noctis nomine ipsum nihilum intellexisset, cum illud certa & naturali demonstratione ostendi possit, res natura sua incorruptibiles, quemadmodum & quæ gignuntur & intereunt, eadem originem ex nihilo habere potuisse. Sed ea ratione rectè dixit, quod prisci illi noctis vocabulo materiam nudam & informem, aut rudi forma aliqua formatam videntur intellexisse, ne quod omnes negabant ex nihilo aliquid fieri concederent. Hos igitur eam ob causam cum superioribus simul impugnat Aristoteles, quod non exposuerunt quo pacto ex nocte res genitæ essent. Quod etiam incommodum & laborem ut fugeret Parmenides & Melissus, omnia potiùs unum esse, hoc est, eiusdem rationis & naturæ esse, dixerunt; non minori reprehensione hac in re digni, B quod apertam rerum distinctionem negarunt generationemque omnem de medio sustulerunt. Denique addit omnibus hoc vitium commune fuisse, quod neque exposuissent quo pacto generationes ab æterno fuissent, & in æternum esse possent, neque etiam vicissitudinis earum generalem causam tradidissent, aut etiam tradere potuissent, cum omnia ad contrarietatem principiorum revocarent: Neutrum enim C contrarium universalis causa generationis esse potest, ut rectè annotavit D. Thomas.

[i] Atque & apud eos

COniungit cum causa eorum qui prima principia contraria esse dixerunt, controversiam eorum, qui ideas induxerunt; atque, utrosque ea ratione damnandos esse, quod quemadmodum non sat esset ponere principia contraria, ni- D si ponatur aliquod præstantius principium efficiens, quod illis in generatione rerum utatur; ita non sat esse ponere formas rerum, quæ fiunt, separatas, nisi ponatur præstantius aliquod principium efficiens cuius actione materia quasi impressionem earum participet.

[k] Et

k Et aliorum quidem.

POstremum incommodum affert, quod admittere coguntur ii qui contraria ponunt prima principia, quasi aliud prius & præstantius principium sit nullum. Est autem illud necessario eis dicendum, esse sapientiæ seu præstantissimæ scientiæ aliquid contrarium, nempe aliam scientiam quæ illi adversetur. Nam etsi contrariorum eadem scientia esse dicatur (quod de secundariis principiis intelligitur, ut de albo & nigro, de calido & frigido) primorum tamen contrariorum, si prima omnino sunt, neque à se mutuo, neque omnino ab alia re præstantiori pendent (sic enim interpretatur Aristoteles eorum dicta, eo quòd aliud præstantius principium apertè & dilucidè non ponant) contrariæ utique debent esse scientiæ. Quod ego sic interpretor, ut esse debeant æmulæ adversæque doctrinæ, quales essent scientiæ de iis principiis primis, quæ à Manichæis ponebantur, nempe de principio & quasi Deo malorum omnium & principio omnium bonorum, quod est Deus Opt Max. Ut enim eiusmodi principia si possibilia essent, sibi invicem adversarentur (neutrum enim esset revera primum principium si malum res esset quæ per se effici posset) ita & scientiæ quæ de illis haberentur. At Aristoteles hoc absurdum admittere non cogitur, cum apertè docuerit ac probaverit dari primum omnium principium, cui nihil omnino possit esse contrarium: contraria enim si verè ac propriè loquendum est, materiam aliquam supponunt, quæ sit in potentia ad utrumque, ipse autem eiusmodi primum principium ponit, quod A in materia nulla est, nullamque omnino habet in se potentiam passivam potentialitatemve, ut in contrariam aliquam formam aut affectum mutari possit. Quod si contraria pro rebus immutabilibus quidem sed adversorum affectuum & efficientiæ, sumantur, ut dictum est de duobus Manichæorum primis principiis (quem errorem forsitan veteres aliqui Philosophi sibi persuaserunt) eodem argumento Aristotelis probari potest, B vero primo principio quod stabilitum est, nihil posse esse contrarium eo quòd affectus contrarii idem subiectum postulant. Quo fit ut hæc duo pugnent inter se, ponere duo prima principia contrariorum affectuum & efficientiæ, & ea esse immutabilia. Accedit, quòd idem confirmari potest ex iis quæ superius dicta sunt; jam enim positum erat, primum principium reliqua omnia movere, ut amatum, C quod esse non posset si aliud quoque primum principium contrarii affectus & actionis. Ita patet non cogi Aristotelem ut aliam scientiam oppositam adversæque doctrinæ esse fateatur, quæ tamen re vera non scientia esset sed ignoratio, ut eam vocat Aristoteles, quia esset ignoratio non puræ negationis, quam multi habent de vero principio, sed erroris seu contrariæ affectionis, ut vocari solet, quæ etiam haberi potest de vero D principio, si ei attribuantur quæ attribuenda non sunt, aut negentur quæ non sunt neganda.

l Præterea nisi sint.

HActenus impugnavit eorum sententias, qui prima principia contraria esse dixerunt, quasi dissociata inter sese, & nullo aut veræ materiæ communi affectu, aut

aut quasi obedientia alicuius superioris causæ efficientis colligata. Nunc impugnat Platonis opinionem, qui separata quidem principia, & tanquam contrariis principiis superiora ac digniora posuit, sed re vera quæ nihil societatis aut commercii habere possunt cum rebus hisce sensibilibus & materialibus, quæ apud nos sunt nisi constituatur aliud principium generale efficiens, illique adaptans materiam formarum omnium susceptivam; quod quidem principium ab Aristotele iam positum & constitutum est Ac primùm quidem fatetur Aristoteles, illisque concedit, necessariò res aliquas separatas à sensibilibus esse debere, alioqui non daretur primum movens, nec aliæ substantiæ cœlorum motrices ut probatum est superius; nullus item rerum ordo fixus & stabilis, nulla generatio, quia deessent causæ generales ad generationem concurrentes, nulla denique cœlestia corpora (quibus verbis cœlorum conditorem videtur Deum agnoscere) sed semper aliud atque aliud particulare principium retrò quærendum esset, ut quod Socrates genitus fuisset à Sophronisco, & hic ab alio, & ille ab alio priore, quod prisci Theologi & reliqui naturales faciebant, ut invenirent primum aliquod à quo reliqua eiusdem naturæ penderent; quod cum certa demonstratione invenire nequirent, oportebat eos altiora principia inquirere ac statuere, à quibus hic ratus ac stabilis rerum cursus per se penderet, quod non fecerunt. Atque hactenus rectè. Verùm res tales separatas non esse, quales Plato posuit, ideas videlicet ac numeros ideales, ex quibusdam incommodis probat Aristoteles. Primum ex eo quòd ponant pro primis

A principiis ea, quæ nullius rei causæ esse possunt, aut saltem efficientes; quod addit ut liberè concedat Platoni ideas, si quæ sunt, esse causas exemplares; Id enim non satis est ad rerum generationem, nisi sit principium aliquod generale effectivum, quod ad illas respiciens agat. Deinde ex eo quòd asserit, numeros esse causas magnitudinum omnium huius universi corporei: quî enim fieri possit ut quæ in se ipsis continuitatem non habent, sint continuitatis causæ sive efficientes, sive exemplares? nihil enim dat quòd in se non habet, vel formaliter vel eminentius & perfectius; numeri autem neutro modo continuitatem habent, quam corporibus dare possint. Tertiò ex eo quod tollit de medio perpetuitatem generationum. Nam cùm res illæ separatæ si dantur, non possint esse activa principia, sed si sunt principia non sint alia quam exemplaria, fieri posset ut nulla essent principia particularia contraria quæ actu moverentur & omnino agerent: omnia enim contraria particularia quæ apud nos sunt posterius agunt quam agere possint, sicque fieri posset ut nulla esset generatio, nedum generationum naturarumque communium eorum quæ gignuntur & intereunt, perpetuitas; nisi esset aliquod primum agens ab ideis diversum, à quo particularia agentia per eius concursum ad actum reducerentur. Atqui esse perpetuam generationum seriem, qua species caducarum rerum perpetuatur, superius probatum erat Aliquid igitur eorum quæ sumpta sunt, ex quibus perpetuitas generationum infirmatur, tollendum negandumque est: quæ res quo pacto se habeat, libro 9. dictum est. cum Aristoteles ostendit, diversis in rebus semper a-

ctum potentia priorem esse. Hinc enim patet tollendum de medio esse opinionem; quæ nullas alias causas universales constituit, nisi ideas, cum illæ neque agere possint, nec reducere ad actum potentias inferiorum agentium; sed amplectendam esse sententiam de uno primo movente immobili superius traditam, quòd illud omnia præstare possit, quæ necessaria sunt ad perpetuam rerum generationem. Postremò ex eo quòd iuxta Platonis sententiam nulla sit causa efficiens quæ educat formas ex materia, unumque ex utrisque faciat. Ut enim ferrum (quod ait Themistius) non movetur ex se ad exemplar, ut eius quasi impressione fiat, verbi causa, clavus aut ensis, sed eget movente aliquo, qui ex potentia quam habet ad varias artes formandas, educat hanc vel illam, unumque faciat ex ipso & forma educta: Sic materia rerum naturalium non movetur ex se ipsa ad exemplaria illa, si ulla sunt, participanda, ut ab illis quasi signetur; sed expectat agens aliquod cuius actione novam formam ad quam in potentia erat, accipiat, unumque cum ea faciat. Eodem modo accidit in numeris quorum unitates nullam haberent unionem inter se, nisi mens in unius alicuius numeri formam alioqui disiunctas colligeret. Atque hæc dicta iam erant ad finem lib. 8. Sumitur autem res hoc loco pro materia sive prima sive secunda, quemadmodum & forma pro substantiali & accidentali.

Qui verò dicunt.

AFfinis erat aliqua ex parte Platonis sententiæ de ideis, illa Pythagoreorum opinio; qua dicebant numeros mathematicos non illos ideales & separatos, sed in rebus existentes, esse rerum principia. Quæ sententia etsi quatenus numeros ponebat rerum principia, cum Platonis opinione consentiebat; tamen & ipsa numerorum natura & qualitate dissentiebat, & magis quam Platonica ipsarum rerum inter se cognationem dissolvebat. Nam etsi ab ideis, ut ab Aristotele explicantur, nulla provenire poterat rebus nostratibus utilitas; tamen B cum ille in eis ponendis veram rationem & naturam nostratium spectaret, atque exponeret ex ipsarum rerum consideratione, aliqua in tota hac rerum universitate cognatio & necessitudo intelligebatur. Pythagorici verò duplici ratione magis adventitias alienasque & quasi peregrinas à se invicem res omnes inter se faciebant. Una quòd ex numeris Mathematicis nulla sumi potest diversarũ naturarũ cognitio, cũ C omnes numeri Mathematici unitatibus eiusdem rationis cõstent, neq; alia ratione differant inter se, quam huiusmodi unitatum multitudine & paucitate. Unde fiebat ut sive res hæc aut illa esset sive non esset, nihil tamen inde utilitatis aut detrimenti ad cæteras promanarat, si earum principia, hoc est, Mathematicæ unitates, spectarentur. Altera ratio est quod plurima ponebant principia, neque ea ad unum aliquod D principium extrinsecum reducebant, à quo modo aliquo in suo esse & principia particularia & res ipsæ penderent. Cuilibet enim rei sua peculiaria principia ita tribuebant, ut inter ea nullus esset ordo, nisi prioris & posterioris in numerando; præterquam quòd cum numeri & unitates in ipsis rebus existẽtes ad quantitatem pertineant; sicque re vera posteriores sint iis rebus in quibus existunt;

stunt; quî fieri poterat ut essent earum principia?

Ait ergo Aristoteles, hac duplici de causa à veritate traditæ ab ipso doctrinæ de ordine & cognitione rerum omnium aberrasse Pythagoricos, quia non solùm faciebant adventitias & minimè ad se invicem pertinentes substantias seu naturas rerum; sed etiam multa admodum prima principia haud inter se connexa ponebant. Quare cum universitas rerum malè disponi & A administrari nolit (videmus enim unamquamque rem in sua natura optimè esse constitutam) multorum autem principatus ordinis perturbationem & confusionem pariat: nihil denique tanta concinnitate aptaque dispositione constitutum sit, tantoque ordine ad perpetuitatem comparatum, quam est tota hæc rerum universitas; unus profectò princeps, qualis iam descriptus est, ei assignari debet.

FINIS DUODECIMI.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΤΩΝ ΜΕΤΑ ΤΑ ΦΥΣΙΚΑ ΤΟ Μ.

ARISTOTELIS METAPHYSICORUM LIB. XIII.

Κεφάλαιον α.

CAPUT I.

Περὶ μὲν οὖν τῆς τῶν αἰσθητῶν οὐσίας εἴρηται τί ἐστιν. ἐν μὲν τῇ μεθόδῳ τῇ τῶν φυσικῶν περὶ τῆς ὕλης, ὕστερον δὲ περὶ τῆς κατ' ἐνέργειαν. ἐπεὶ δ' ἡ σκέψις αὕτη ἐστὶ, πότερόν ἐστι τις παρὰ τὰς αἰσθητὰς οὐσίας ἀκίνητος καὶ ἀΐδιος, ἢ οὐκ ἔστι, καὶ εἰ ἔστι, τίς ἐστι. πρῶτον, τὰ παρὰ τῶν ἄλλων λεγόμενα θεωρητέον, ὅπως εἴτε τι μὴ καλῶς λέγουσι, μὴ τοῖς αὐτοῖς ἔνοχοι ὦμεν. καὶ εἴ τι δόγμα κοινὸν ἡμῖν κἀκείνοις, τοῦτ' ἰδίᾳ μὴ καθ' ἡμῶν δυσχεραίνωμεν. ἀγαπητὸν γὰρ, εἴ τις τὰ μὲν κάλλιον λέγει, τὰ δὲ οὐ χεῖρον. δύο δ' εἰσὶ δόξαι περὶ τούτων. τά τε γὰρ μαθηματικά φασιν οὐσίας εἶναι τινὰς οἷον ἀριθμοὺς καὶ γραμμὰς, καὶ τὰ συγγενῆ τούτοις, καὶ πάλιν τὰς ἰδέας. ἐπεὶ δὲ οἱ μὲν δύο γένη ταῦτα ποιοῦσι, τάς τε ἰδέας, καὶ τοὺς μαθηματικοὺς ἀριθμοὺς· οἱ δὲ μίαν φύσιν ἀμφοτέρων, ἕτεροι δέ τινες τὰς μαθηματικὰς μόνον οὐσίας εἶναί φασι, σκεπτέον, πρῶτον μὲν περὶ τῶν μαθηματικῶν, μηδεμίαν προστιθέντας φύσιν ἄλλην αὐτοῖς οἷον, πότερον ἰδέαι τυγχάνουσιν οὖσαι ἢ οὔ, καὶ πότερον ἀρχαὶ καὶ οὐσίαι τῶν ὄντων, ἢ οὔ. ἀλλ' ὡς περὶ μαθηματικῶν μόνον, εἴτ' εἰσίν, εἴτε μὴ εἰσί. καὶ εἰ εἰσί, πῶς εἰσιν. ἔπειτα μετὰ ταῦτα χωρὶς περὶ τῶν ἰδεῶν αὐτῶν ἁπλῶς, καὶ ὅσον νόμου χάριν. τεθρύληται γὰρ τὰ πολλὰ καὶ ὑπὸ τῶν ἐξωτερικῶν λόγων. ἔτι δὲ πρὸς ἐκείνην δεῖ τὴν σκέψιν ἀπαντᾶν τὸν πλείω λόγον, ὅταν ἐπισκοπῶμεν, εἰ αἱ οὐσίαι καὶ αἱ ἀρχαὶ τῶν ὄντων ἀριθμοὶ καὶ ἰδέαι εἰσί. μετὰ γὰρ τὰς ἰδέας αὕτη λείπεται τρίτη σκέψις. ἀνάγκη δ' εἴπερ ἐστὶ τὰ μαθηματικά, ἢ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς εἶναι αὐτὰ, καθάπερ λέγουσί τινες, ἢ κεχωρισμένα τῶν αἰσθητῶν. λε-

De substantia quidem rerum sensibilium, quid sit, dictum iam est: in doctrina quidem Physicorum, de materia; postea verò de actu. B Quoniam verò consideratio hæc in ea quæstione versatur, an præter sensibiles substantias sit immobilis aliqua & sempiterna necne; quod si sit, quænam ea sit; primum quidem quæ ab aliis tradita sunt, consideremus oportet; ut si quid non rectè dixerint, eorum erroris participes non simus: si quod autem dogma nobis cum illis sit commune, illud privatim quod contra nos non sit, haud graviter feramus. Optabile enim est, si quis alia quidem melius, alia non deterius dicat.

Duæ autem de his rebus opiniones extant. Nam & Mathematica entia substantias quasdam esse aiunt, ut numero, lineas, & alia id C genus; & rursus ideas. Cùm autem hæc alii duo genera faciant: Ideas, inquam, & numeros mathematicos; alii unam utrorumque naturam; alii verò nonnulli mathematicas tantùm substantias esse contendant: primùm de mathematicis agendum; nulla eis interim alia addita natura, veluti sint necne ideæ; Et utrùm principia & substantiæ sint rerum annon; sed tantùm ut de mathematicis; an sint, an non sint, & si sunt, quonam sint modo: Deinde his explicatis seorsim de ipsis ideis simpliciter, & fermè legis gratia. Tria enim D vulgata sunt magna ex parte in libris exotericis. Ad hæc, illi considerationi accommodanda erit maior disputationis pars, cùm disquiremus, sint ne numeri & ideæ eorum quæ sunt substantiæ ac principia. Nam post ideas hæc tertia restat consideratio.

Necesse est autem, si nulla sunt mathematica, aut in rebus sensibilibus ea existere, ut quidam dicunt; aut ab illis seiuncta; quod etiam quidam asserunt aut si neutro modo sunt.

γουσι δὲ καὶ οὕτω τινές. ἢ εἰ μηδετέρως, ἢ A
οὐκ εἰσίν, ἢ ἄλλον τρόπον εἰσίν. ὥσθ' ἡ ἀμφισβήτησις ἡμῖν ἔσται οὐ περὶ τοῦ εἶναι, ἀλλὰ περὶ τοῦ τρόπου.

sunt, aut non esse, aut alio modo esse. Itaque disputatio nobis, non de ipso eorum esse, sed de modo essendi erit.

Κεφάλαιον. β'

Ὅτι μὲν τοίνυν ἔν γε τοῖς αἰσθητοῖς ἀδύνατον εἶναι, καὶ ἅμα πλασματίας ὁ λόγος, εἴρηται μὲν καὶ B ἐν τοῖς διαπορήμασιν, ὅτι ἅμα δύο στερεὰ εἶναι ἀδύνατον. ἔτι δὲ καὶ ὅτι τοῦ αὐτοῦ λόγου, καὶ τὰς ἄλλας δυνάμεις καὶ φύσεις ἐν τοῖς αἰσθητοῖς εἶναι, καὶ μηδεμίαν κεχωρισμένην. ταῦτα μὲν οὖν εἴρηται πρότερον. ἀλλὰ πρὸς τούτοις φανερόν, ὅτι ἀδύνατον διαιρεθῆναι ὁποιοῦν σῶμα. κατ' ἐπίπεδον γὰρ διαιρεθήσεται. καὶ τοῦτο κατὰ γραμμὴν καὶ αὕτη κατὰ στιγμήν. ὥστε εἰ τὴν στιγμὴν διελεῖν ἀδύνατον, καὶ τὴν γραμμήν. εἰ δὲ ταύτην καὶ τἆλλα. τί οὖν διαφέρει, ἢ ταύτας εἶναι τοιαύτας φύ- C σεις, ἢ μή; εἶναι δὲ ἐν αὐταῖς τοιαύτας φύσεις; τὸ αὐτὸ γὰρ συμβήσεται. διαιρουμένων γὰρ τῶν αἰσθητῶν, διαιρεθήσονται, ἢ οὐδὲ αἱ αἰσθηταί. ἀλλὰ μὴν οὐδὲ κεχωρισμένας γ' εἶναι φύσεις τοιαύτας δυνατόν. εἰ γὰρ ἔσται στερεὰ παρὰ τὰ αἰσθητὰ κεχωρισμένα τούτων ἕτερα, καὶ πρότερα τῶν αἰσθητῶν, δῆλον ὅτι καὶ παρὰ τὰ ἐπίπεδα ἕτερα ἀναγκαῖον εἶναι ἐπίπεδα κεχωρισμένα, καὶ στιγμὰς καὶ γραμμάς. τοῦ γὰρ αὐτοῦ λόγου. εἰ δὲ ταῦτα πάλιν παρὰ τὰ τοῦ στερεοῦ μαθηματικοῦ ἐπίπεδα καὶ γραμμὰς καὶ D στιγμάς. ἕτερα κεχωρισμένα. πρότερα γὰρ τῶν συγκειμένων ἐστὶ τὰ ἀσύνθετα. καὶ εἴπερ τῶν αἰσθητῶν πρότερα σώματα μὴ αἰσθητά, τῷ αὐτῷ λόγῳ καὶ τῶν ἐπιπέδων τῶν ἐν τοῖς ἀκινήτοις στερεοῖς τὰ αὐτὰ καθ' αὑτά. ὥστε ἕτερα ταῦτα ἐπίπεδα καὶ γραμμαὶ τῶν ἅμα ἐν τοῖς στερεοῖς τοῖς κεχωρισμένοις. τὰ μὲν γὰρ ἅμα τοῖς μαθηματικοῖς στερεοῖς, τὰ δὲ πρότερα τῶν μαθηματικῶν στερεῶν. πάλιν τοίνυν τούτων τῶν ἐπιπέδων ἔσονται γραμμαί, ὧν προτέρας δεήσει ἑτέρας γραμμὰς καὶ στιγμὰς εἶναι, διὰ

CAPUT II.

Et ea quidem in sensibilibus esse non posse, simulque commentitium esse eum sermonem, in iis dubitationibus quae pro utraque parte initio proposita sunt, dictum est, quod simul duo solida esse non possint; quodque eadem ratione aliae etiam facultates, & naturae in sensibilibus erunt, neque ulla ab eis separata. Atque haec quidem prius exposita sunt.

Sed praeter haec illud etiam constat, fore ut nullum omnino corpus dividi possit. Dividetur enim superficie, & haec linea, atque haec puncto. Quòd si punctum dividi non potest, ne linea quidem; si verò haec, nec caetera. Quid igitur interest, sint ne huiusmodi naturae, an non sint, sed in eis sint naturae tales? Idem enim eveniet; siquidem divisis sensibilibus & ipsae dividentur, aut ne ipsa quidem sensibilia.

Nec verò separatas esse huiusmodi naturas possibile est. Nam si praeter sensibilia, erunt solida separata ab iis diversa, eisdemque priora; non dubium quin praeter superficies, aliae necessariò sint superficies separatae, & lineae item & puncta. Namque eadem est ratio. Quòd si haec rursus praeter Mathematicum solidum, superficies, lineas, & puncta, sunt; aliae quoque erunt separata. Priora enim sunt compositis, ea quae composita non sunt. Et si sensibilibus corporibus alia sunt priora corpora non sensibilia; eadem ratione superficiebus iis quae in corporibus immobilibus sunt, priores erunt ea quae per se ipsae constant. Quo fiet ut aliae sint superficies & lineae ab iis quae sunt in solidis separatis. Siquidem hae simul sunt cum Mathematicis solidis; illae verò sunt iis priora. Rursus harum superficierum lineae erunt, quibus eadem ratione priores alias lineas & puncta esse oportebit;

τὸν αὐτὸν λόγον καὶ τούτων ἐν ταῖς προτέραις γραμμαῖς, ἑτέρας προτέρας στιγμὰς ὧν οὐκ ἔτι πρότεραι ἕτεραι. ἄτοπος τε δὴ γίνεται ἡ σώρευσις. Συμβαίνει γὰρ στερεὰ μὲν μοναχὰ παρὰ τὰ αἰσθητὰ ἐπίπεδα δὲ τριττὰ παρὰ τὰ αἰσθητά. τά τε παρὰ τὰ αἰσθητὰ, καὶ τὰ ἐν τοῖς μαθηματικοῖς στερεοῖς, καὶ παρὰ τὰ ἐν τούτοις. γραμμαὶ δὲ τετραξαὶ στιγμαὶ δὲ πενταξαί. ὥστε περὶ ποῖα αἱ ἐπιστῆμαι ἔσονται αἱ μαθηματικαὶ τούτων; οὐ γὰρ δὴ περὶ τὰ ἐν τῷ στερεῷ τῷ ἀκινήτῳ ἐπίπεδα καὶ γραμμὰς καὶ στιγμάς. ἀεὶ γὰρ περὶ τὰ πρότερα ἡ ἐπιστήμη. ὁ δ' αὐτὸς λόγος καὶ περὶ τῶν ἀριθμῶν. καὶ παρ' ἑκάστας γὰρ τὰς στιγμὰς ἕτεραι ἔσονται μονάδες, καὶ παρ' ἕκαστα τὰ ὄντα αἰσθητά, εἶτα τὰ νοητά. ὥστ' ἔσται γένη ἄπειρα τῶν μαθηματικῶν ἀριθμῶν. ἔτι ἅπερ ἐν τοῖς ἀπορήμασιν ἐπήλθομεν, πῶς ἐνδέχεται λύειν; περὶ ἃ γὰρ ἡ ἀστρολογία ἐστίν, ὁμοίως ἔσται παρὰ τὰ αἰσθητά, καὶ περὶ ἃ ἡ γεωμετρία, εἶναι δ' οὐρανὸν καὶ τὰ μόρια αὐτοῦ, πῶς δυνατόν, ἢ ἄλλο ὁτιοῦν ἔχον κίνησιν; ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ὀπτικὰ, καὶ τὰ ἁρμονικά. ἔσται γὰρ φωνή τε καὶ ὄψις παρὰ τὰ αἰσθητὰ, καὶ τὰ καθ' ἕκαστα. ὥστε δῆλον ὅτι καὶ αἱ ἄλλαι αἰσθήσεις, καὶ τὰ ἄλλα αἰσθητά. τί γὰρ μᾶλλον τάδε ἢ τάδε; εἰ δὲ ταῦτα, καὶ ζῷα ἔσονται, εἴπερ καὶ αἰσθήσεις. ἔτι γράφεται ἔνια καθόλου ὑπὸ τῶν μαθηματικῶν παρὰ ταύτας τὰς οὐσίας. ἔσται οὖν καὶ αὕτη τις ἄλλη οὐσία μεταξὺ κεχωρισμένη τῶν τ' ἰδεῶν καὶ τῶν μεταξύ, ἥτις οὔτε ἀριθμός ἐστιν, οὔτε στιγμαί, οὔτε μέγεθος, οὔτε χρόνος. εἰ δὲ τοῦτο ἀδύνατον, δῆλον ὅτι κἀκεῖνα ἀδύνατον εἶναι κεχωρισμένα τῶν αἰσθητῶν. ὅλως δὲ τοὐναντίον συμβαίνει καὶ τοῦ εἰωθότος ὑπολαμβάνεσθαι, εἴ τις θήσει οὕτως εἶναι τὰ μαθηματικὰ, ὡς κεχωρισμένας τινὰς φύσεις. ἀνάγκη γὰρ διὰ τὸ μὲν οὕτως εἶναι αὐτὰς, προτέρας εἶναι τῶν αἰσθητῶν μεγεθῶν, κατὰ τὸ ἀληθὲς δὲ ὑστέρας. τὸ γὰρ ἀτελὲς μέγεθος, γενέσει μὲν πρότερόν ἐστι, τῇ οὐσίᾳ δ' ὕστερον, οἷον ἄψυχον ἐμψύχου. ἔτι τίνι καὶ πότε ἔσται ἓν τὰ μαθηματικὰ μεγέθη; τὰ μὲν γὰρ ἐνταῦθα, ψυχῇ ἢ μέρει ψυχῆς, ἢ ἄλλῳ τινὶ εὐλόγως. εἰ δὲ μή, πολλὰ καὶ διαλύεται.

A atq; in prioribus lineis alia priora puncta quibus non sint alia priora. Quae sane coacervatio absurda est. Sequitur enim solida quidem unica esse praeter ea quae sensibus subiecta sunt, superficies autem praeter sensibilia triplices, quasdam praeter sensibilia, alias quae in solidis Mathematicis insunt, alias quae sunt praeter eas quae in his ponuntur; lineas autem quadruplices; puncta verò quintuplicia. In quibus igitur horum versabuntur Mathematicae scientiae? Neque verò in superficiebus, lineis, & punctis, quae in solido immobili inerunt; semper scientia in prioribus versatur. Eadem verò in numeris est ratio. Nā & praeter

B singula puncta, aliae unitates erunt, tam praeter res sensibiles, quam praeter intelligibiles. Quapropter infinita erunt numerorum Mathematicorum genera.

Iam quonam pacto ea quae in dubitationibus transegimus, dissolvi possunt? Ea enim de quibus agit Astrologia, eadem modo sunt praeter sensibilia; & ea etiā à Geometria tractantur: esse autem caelum eiusq; partes, quonam modo fieri potest, aliudve quodcunq; sit quod moveatur? Eodem verò res habebunt eae quae Perspectivae & Musicae obiecta sunt. Erit & vox & aspectus praeter sensibilia & singularia.

C Itaque perspicuum est fore & alios sensus, & alia sensibilia: Cur enim illa potius quam ista? Quod si haec sunt, animalia quoque erunt quandoquidem & sensus.

Praeterea quaedam universalia describuntur à Mathematicis praeter has substantias: erit igitur & haec quaedam alia substantia media, quae separata sit ab ideis & iis quae sunt media, quae quidem nec numerus sit nec punctū, nec magnitudo, nec tempus: quòd si hoc fieri nequit, perspicuum est, illa à sensibilibus separata esse non posse.

Ac omnino contra rationem, sentiendique consuetudinem, accidit si quis ponat res Ma-

D thematicas ut separatas quasdam naturas. Necesse enim est eas propterea quòd ita se habeant, priores esse magnitudinibus, quae sensibus subiacent, re autem vera esse posteriores. Imperfecta enim magnitudo, generatione quidem prior est, at substantia est posterior, ut inanimatum animato.

Praeterea qua demum re, & quando unum erunt Mathematicae magnitudines? Quae enim apud nos sunt aut in anima, aut in parte

ἐκείνοις

ἐκείνοις ἢ ἀδιαιρέτοις καὶ ποσοῖς οὖσι τί αἴτιον τοῦ εἶναι ἓν καὶ συμμένειν; ἔτι αἱ γενέσεις δηλοῦσι. πρῶτον μὲν γὰρ ἐπὶ μῆκος γίνεται, εἶτα ἐπὶ πλάτος, τελευταῖον δ' εἰς βάθος, καὶ τέλος ἔσχεν. εἰ οὖν τὸ τῇ γενέσει ὕστερον, τῇ οὐσίᾳ πρότερον, τὸ σῶμα πρότερον ἂν ἐπιπέδου καὶ μήκους. καὶ ταύτῃ καὶ τέλειον, καὶ ὅλον μᾶλλον, ὅτι ἔμψυχον γίνεται. γραμμὴ δὲ ἔμψυχος ἢ ἐπίπεδον, πῶς ἂν εἴη; ὑπὲρ γὰρ τὰς αἰσθήσεις τὰς ἡμετέρας ἂν εἴη τὸ ἀξίωμα. ἔτι τὸ μὲν σῶμα οὐσία τις. ἤδη γὰρ ἔχει πως τὸ τέλειον. αἱ δὲ γραμμαὶ, πῶς οὐσίαι; οὔτε γὰρ ὡς εἶδος καὶ μορφή τις, οἷον εἰ ἄρα ἡ ψυχὴ τοιοῦτον, οὔτε ὡς ὕλη, οἷον τὸ σῶμα. οὐθὲν γὰρ ἐκ γραμμῶν, οὐδὲ ἐπιπέδων, οὐδὲ στιγμῶν φαίνεται συνίστασθαι δυνάμενον. εἰ δ' ἦν οὐσία τις ὑλική, τοῦτ' ἂν ἐφαίνετο δυνάμενα πάσχειν. τῷ μὲν οὖν λόγῳ ἔστω πρότερα. ἀλλ' οὐ πάντα ὅσα τῷ λόγῳ πρότερα, καὶ τῇ οὐσίᾳ πρότερα. τῇ μὲν γὰρ οὐσίᾳ πρότερα, ὅσα χωριζόμενα τῷ εἶναι ὑπερβάλλει. τῷ λόγῳ δὲ, ὅσων οἱ λόγοι ἐκ τῶν λόγων. ταῦτα δὲ οὐχ ἅμα ὑπάρχει. εἰ γὰρ μὴ ἔστι τὰ πάθη παρὰ τὰς οὐσίας, οἷον κινούμενόν τι ἢ λευκόν, τοῦ λευκοῦ ἀνθρώπου τὸ λευκὸν πρότερον κατὰ τὸν λόγον, ἀλλ' οὐ κατὰ τὴν οὐσίαν. οὐ γὰρ ἐνδέχεται εἶναι κεχωρισμένον, ἀλλ' ἀεὶ ἅμα τῷ συνόλῳ ἐστί. σύνολον δὲ λέγω, τὸν ἄνθρωπον τὸν λευκόν. ὥστε φανερὸν, ὅτι οὔτε τὸ ἐξ ἀφαιρέσεως πρότερον, οὔτε τὸ ἐκ προσθέσεως ὕστερον. ἐκ προσθέσεως γὰρ τῷ λευκῷ ὁ λευκὸς ἄνθρωπος λέγεται. ὅτι μὲν οὖν οὔτε οὐσίαι μᾶλλον τῶν σωμάτων εἰσίν, οὔτε πρότερα τῷ εἶναι τῶν αἰσθητῶν, ἀλλὰ τῷ λόγῳ μόνον, οὔτε κεχωρισμένα που εἶναι δυνατόν, εἴρηται ἱκανῶς. ἐπεὶ δ' οὐδ' ἐν τοῖς αἰσθητοῖς ἐνδέχεται αὐτὰ εἶναι, φανερὸν ὅτι ἢ ὅλως οὐκ ἔστιν, ἢ τρόπον τινὰ ἔστι, καὶ διὰ τοῦτο οὐχ ἁπλῶς ἔστι. πολλαχῶς γὰρ τὸ εἶναι λέγομεν.

anima aut in alia re aliqua rationis participe unum fiunt: alioqui plura sunt, & dissolvuntur. Illis verò cum divisibiles & quantæ sint, quænam causa efficit ut unum sint, unumq; maneant?

Generationes quoque idem declarant. Primùm enim in longitudinem protenduntur, deinde in latitudinem, postremò in profunditatem, ac tunc finem adepta sunt. Quare si id quod generatione posterius est, prius est substantia, corpus sanè prius superficie & longitudine prius erit, atq; eò magis & perfectum, & totum, quod sit animatum: linea verò & superficies, quonam modo animata erunt? B *Etenim supra sensus nostros hoc postulatum erit.*

Præterea corpus substantia quædam est: iam enim perfectionem quodammodo habet. lineæ verò quo pacto substantiæ sint? neque enim ut species & forma quædam, veluti si anima tale quid sit: neque ut materia, veluti corpus. Nihil enim ex lineis superficiebus, aut punctis videtur constare posse. Quòd si substantia quædam materialis esset, hoc ei utique evenire posse videretur.

Ratione igitur priora erunt; verùm non omnia, quæ ratione sunt priora, substantia etiam priora sunt. Ea enim omnia substantia C *sunt priora, quæ separata ipso esse superant. Ratione autem priora, quorum rationes ex rationibus eliciuntur. Hæc autem non simul sunt: Nam si affectiones à substantiis separatæ nō sunt, ut motio aliqua, albedove; erit utique homine albo ratione prior albedo, non item substantia. Neq; enim separata esse potest, sed semper simul cum toto est. Voco hominem album. Quare perspicuum est, neq; id quod ex ablatione est, prius esse; neque id quod ex additione, posterius: ex additione enim albedine ipse homo albus dicitur.*

Res igitur mathematicas non magis esse D *substantias quàm corpora: neque ipso esse priora rebus sensibilibus, sed ratione tantùm; nec seiunctas alicubi esse posse, satis explicatum est. Cùm autem ne in sensibilibus eas esse contingat; constat eas aut omnino non esse, aut quodammodo esse ac proinde simpliciter non esse. Multis enim modis esse aliquid dicimus.*

A

Κεφάλαιον γ'.

Ὥσπερ γὰρ τὰ καθόλου ἐν τοῖς μαθήμασιν, οὐ περὶ κεχωρισμένων ἐστὶ, παρὰ τὰ μεγέθη καὶ τοὺς ἀριθμούς, ἀλλὰ περὶ τούτων μὲν, οὐχ ᾗ δὲ τοιαῦτα οἷα ἔχειν μέγεθος ἢ εἶναι διαιρετά, δῆλον ὅτι ἐνδέχεται καὶ περὶ τῶν αἰσθητῶν μεγεθῶν εἶναι καὶ λόγους καὶ ἀποδείξεις, μὴ ᾗ δ' αἰσθητὰ, ἀλλ' ᾗ τοιαδί. B ὥσπερ γὰρ καὶ ᾗ κινούμενα μόνον πολλοὶ λόγοι εἰσὶ, χωρὶς τοῦ τί ἕκαστόν ἐστι τῶν τοιούτων, καὶ τῶν συμβεβηκότων αὐτοῖς. καὶ οὐκ ἀνάγκη διὰ ταῦτα, ἢ κεχωρισμένον τι εἶναι κινούμενον τῶν αἰσθητῶν, ἢ ἐν τούτοις τινὰ φύσιν εἶναι ἀφωρισμένην. οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν κινουμένων ἔσονται λόγοι καὶ ἐπιστῆμαι, οὐχ ᾗ κινούμενα δὲ, ἀλλ' ᾗ σώματα μόνον, καὶ πάλιν ᾗ ἐπίπεδα μόνον καὶ ᾗ μήκη μόνον, καὶ ᾗ διαιρετὰ καὶ ᾗ ἀδιαίρετα ἔχοντα φύσιν, καὶ ᾗ ἀδιαίρετα μόνον. ὥστ' ἐπεὶ ἁπλῶς λέγειν ἀληθὲς, C μὴ μόνον τὰ χωριστὰ εἶναι, ἀλλὰ καὶ τὰ μὴ χωριστά, οἷον κινούμενα, εἶναι καὶ τὰ μαθηματικά, ὅτι ἐστὶν ἁπλῶς ἀληθὲς εἰπεῖν καὶ τοιαῦτά γε οἷα λέγουσιν. καὶ ὥσπερ καὶ τὰς ἄλλας ἐπιστήμας ἁπλῶς ἀληθὲς εἰπεῖν, τούτου εἶναι, οὐχὶ τοῦ συμβεβηκότος. οἷον, ὅτι λευκοῦ, εἰ τὸ ὑγιεινὸν λευκόν, ἡ δ' ἔστιν ὑγιεινοῦ, ἀλλ' ἐκείνου οὗ ἐστιν ἑκάστη, εἰ ὑγιεινὸν, ὑγιεινοῦ, εἰ δ' ᾗ ἄνθρωπος, ἀνθρώπου. οὕτω καὶ τὴν γεωμετρίαν, οὐκ εἰ συμβέβηκεν αἰσθητὰ εἶναι ὧν ἐστὶ, μὴ ἔστι δὲ ᾗ αἰσθητά, D οὐ τῶν αἰσθητῶν ἔσονται αἱ μαθηματικαὶ ἐπιστῆμαι. οὐ μέντοι οὐδὲ παρὰ ταῦτα, ἄλλων κεχωρισμένων. πολλὰ δὲ συμβέβηκε καθ' αὑτὰ τοῖς πράγμασιν, ᾗ ἕκαστον ὑπάρχει τῶν τοιούτων. ἐπεὶ καὶ ᾗ θῆλυ τὸ ζῷον καὶ ᾗ ἄρρεν, ἴδια πάθη ἐστί. καίτοι οὐκ ἔστι τι θῆλυ οὐδ' ἄρρεν κεχωρισμένον τῶν ζῴων. ὥστε καὶ ᾗ μήκη μόνον, καὶ

CAP. III.

Nam quemadmodum in Mathematicis universalia non sunt de separatis praeter magnitudines ac numeros, sed de his ipsis non tamen quatenus talia sunt ea quae magnitudinem habent, aut naturam divisibilem; sic perspicuum est evenire, ut de sensibilibus magnitudinibus rationes existant, demonstrationesque non tamen quatenus sensibiles sunt, sed quatenus tales. B Ut enim de his quatenus tantum moventur, multae rationes existunt, omissa ea qua quid unum quodque eorum sit, quaeque sint eorum accidentia, declaratur, nec propterea necesse est, aut separatum aliquid à sensibilibus esse quod moveatur, aut in eis naturam aliquam separatam existere; ita & in iis quae moventur, versabuntur rationes & scientiae non quatenus moventur, sed tantum quatenus sunt corpora; rursusque quatenus superficies solum & quatenus longitudines duntaxat: & quatenus divisibilia, & quatenus indivisibilia quae situm habent, & quatenus indivisibilia tantum.

C Quapropter cùm simpliciter verùm sit dicere, non solum ea quae separabilia sunt, sed etiam ea quae separari nequeunt (veluti ea quae moventur) esse; illud etiam simpliciter verum est dicere, res mathematicas esse, atque adeo tales quales dici solent. Et quemadmodum absolutè verum est asserere alias scientias in hac aut illa versari, non in eo quod ei accidit; veluti Medicina in re alba (si id quod salubre est, album sit) verùm quatenus salubri (in eo autem versatur quaeque cuius esse dicitur; ut si illud est salubre, in salubri, et si homo in homine,) ita res habet in Geometria. D Non enim si accidit ea in quibus illa versatur, sensibilia esse, non versetur autem in eis quatenus sensibilia, non, inquam, propterea Mathematicae scientiae in sensibilibus versari dicentur, nec verò in iis quae ab eis separata sint. Multa verò per se rebus accidunt quatenus unaquaeque est talium; quandoquidem & animal foeminam quatenus foemina, & mas quatenus mas, propriae affectiones sunt, nec tamen foemina aut mas quicquam est ab animalibus separatum. Quo fit ut illa quatenus longitudines tantùm, & quatenus superficies, à Geometria

ἢ ἐπίπεδα, καὶ ὅσῳ δὴ ἂν περὶ προτέρων τῷ λόγῳ καὶ ἁπλουστέρων, τοσούτῳ μᾶλλον ἔχει τὸ ἀκριβές. τοῦτο δὲ τὸ ἁπλοῦν ἐστιν. ὥστε ἄνευ τε μεγέθους μᾶλλον ἢ μετὰ μεγέθους, καὶ μάλιστα ἄνευ κινήσεως. ἐὰν δὲ κίνησιν μάλιστα τὴν πρώτην. ἁπλουστάτη γὰρ καὶ ταύτης ἡ ὁμαλή. ὁ δ' αὐτὸς λόγος καὶ περὶ ἁρμονικῆς καὶ ὀπτικῆς. οὐδ' ἑτέρα γὰρ ᾗ ὄψις, ἢ ᾗ φωνὴ, θεωρεῖ, ἀλλ' ᾗ γραμμαὶ καὶ ἀριθμοί. οἰκεῖα μέντοι ταῦτα πάθη ἐκείνων, καὶ ἡ μηχανικὴ δὲ ὡσαύτως. ὥστε εἴ τις θέμενος κεχωρισμένα τῶν συμβεβηκότων, σκοπεῖ τι περὶ τούτων ᾗ τοιαῦτα, οὐθὲν διὰ τοῦτο ψεῦδος ψεύσεται, ὥσπερ οὐδ' ὅταν ἐν τῇ γῇ γράφῃ, καὶ τὴν ποδιαίαν φῇ μὴ ποδιαίαν. οὐ γὰρ ἐν ταῖς προτάσεσι τὸ ψεῦδος, ἄριστα δ' ἂν οὕτως θεωρηθείη ἕκαστον, εἴ τις τὸ κεχωρισμένον θείη χωρίσας, ὥσπερ ὁ ἀριθμητικὸς ποιεῖ, καὶ ὁ γεωμέτρης. ἓν μὲν γὰρ καὶ ἀδιαίρετον ὁ ἄνθρωπος ᾗ ἄνθρωπος. ὁ δὲ θεὶς ἓν ἀδιαίρετον, εἶτ' ἐθεώρησεν, εἴ τι τῷ ἀνθρώπῳ συμβέβηκεν ᾗ ἀδιαίρετος. ὁ δὲ γεωμέτρης, οὔθ' ᾗ ἄνθρωπος, οὔθ' ᾗ ἀδιαίρετος, ἀλλ' ᾗ στερεά. ἃ γὰρ, κἂν εἰ μή πω ἦν ἀδιαίρετος, ὑπῆρχεν αὐτῷ, δῆλον ὅτι καὶ ἄνευ τούτων ἐνδέχεται αὐτῷ ὑπάρχειν τὸ δυνατόν. ὥστε διὰ τοῦτο ὀρθῶς λέγουσιν, οἱ γεωμέτραι, καὶ περὶ ὄντων διαλέγονται, καὶ ὄντα ἐστί. διττὸν γὰρ τὸ ὄν, τὸ μὲν ἐντελεχείᾳ, τὸ δ' ὑλικῶς. ἐπεὶ δὲ τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ καλὸν ἕτερον (τὸ μὲν γὰρ ἀεὶ ἐν πράξει, τὸ δὲ καλὸν καὶ ἐν τοῖς ἀκινήτοις) οἱ φάσκοντες οὐθὲν λέγειν τὰς μαθηματικὰς ἐπιστήμας περὶ καλοῦ ἢ ἀγαθοῦ ψεύδονται. λέγουσι γὰρ καὶ δεικνύουσι μάλιστα. οὐ γὰρ, εἰ μὴ ὀνομάζουσι, τὰ δὲ ἔργα καὶ τοὺς λόγους δεικνύουσιν, οὐ λέγουσι περὶ αὐτῶν. τοῦ δὲ καλοῦ μέγιστα εἴδη, τάξις καὶ συμμετρία, καὶ τὸ ὡρισμένον. ἃ μάλιστα δεικνύουσιν αἱ μαθηματικαὶ ἐπιστῆμαι, καὶ ἐπεί γε πολλῶν αἴτια φαίνεται ταῦτα (λέγω δ' οἷον ἡ τάξις καὶ τὸ ὡρισμένον) δῆλον ὅτι λέγοιεν ἂν καὶ τὴν τοιαύτην αἰτίαν, τὴν ὡς τὸ καλὸν αἴτιον τρόπον τινά. μᾶλλον δὲ γνωρίμως ἐν ἄλλοις περὶ αὐτῶν ἐροῦμεν. περὶ μὲν οὖν τῶν μαθηματικῶν, ὅτι τε ὄντα ἐστί,

A *metria considerentur; & quanto scientia in prioribus ratione simplicibus versabitur, tantò accuratiùs & certius de iis agit: hoc autem postulat id quod simplex est. Itaq; certius aget si res careat magnitudine, quàm si magnitudinem habeat; maximè autem si non moveatur; quod si motui subiecta sit, potißimùm sit primo, est enim simplicißimus, & in hoc genere is qui regularis dicitur.*

Eadem ratio est in Musica, & in Perspectiva. Neutra enim aspectu quatenus aspectus est, aut vocem quatenus vox, sed quatenus sunt lineæ ac numeri, considerat, cùm interim hæc sint propriæ illorum affectiones. Atque hoc
B *idem facit Mechanica. Quapropter si quis hæc ab accidentibus separet, ac de eis aliquid, quatenus talia sunt, consideret, nulli propterea mendacio erit obnoxius, quemadmodum nec si in terra describat, & eam quæ pedalis linea non est, pedalem esse dicat; neque enim in propositionibus mendacium falsumve inest.*

Ita autem demum quæque res considerabitur, si quis id quod seiunctum non est, separatim accipiat, ac ponat, quod Arithmeticus & Geometra faciunt. Vnum enim & indivisum quippiam est homo, quatenus homo: ille autem cùm posuisset unum indivisum, deinde con-
C *sideravit, num homini quatenus indivisus esset, accideret: Geometra verò nec quatenus homo est, nec quatenus indivisus, sed quatenus solida, quæ sanè (tametsi nullibi erat indivisus) inerat ei, ut perspicuum sit, illa sine his ei posse convenire. Ob hanc igitur causam rectè dicunt Geometræ, deq; entibus disserunt: & ea sunt entia. Duplex enim est ens; aliud actu; aliud ut materia.*

Quoniam verò bonum & pulchrum non idem sunt (illud enim semper in actione positum est; pulchrum autem etiam in immobilibus cernitur) falluntur planè qui dicunt Ma-
D *thematicas scientias nihil de pulchro & bono agere: agunt enim de iisque; eaq; maximè demonstrant. Neq; enim quia illa non nominant; sed res ipsas & rationes exhibent, iccirco de illis non agunt. Etenim pulchri maximè sunt species, commensuratio, & definitum, quæ potißimum Mathematicæ scientiæ ostendunt. Cum autem hæc multorum causæ esse videantur (ordinem, verbi causa, dico & definitum) perspicuum est, eos de ea etiam causa quæ ut pulchrum est causa, modo aliquo loqui. Quod apertius aliis locis dicemus. Ac de Mathematicis quidem rebus, & quòd entia sint, & quo*

ὥστε πῶς ὄντα, καὶ πῶς οὐ πρότερον, καὶ πῶς πρότερον, τοσαῦτα εἰρήσθω.

A pacto entia, & qua ratione priora non sint, & qua ratione priora, hæc dicta sint.

Κεφάλαιον δ'.

Περὶ δὲ τῶν ἰδεῶν, πρῶτον αὐτὴν τὴν κατὰ τὴν ἰδέαν δόξαν ἐπισκεπτέον, μηδὲν συνάπτουσαν πρὸς τὴν τῶν ἀριθμῶν φύσιν, ἀλλ' ὡς ὑπέλαβον ἐξ ἀρχῆς οἱ πρῶτοι τὰς ἰδέας φήσαντες εἶναι. συνέβη δ' ἡ περὶ τῶν εἰδῶν δόξα τοῖς εἰποῦσι, διὰ τὸ πεισθῆναι περὶ τῆς ἀληθείας τοῖς Ἡρακλειτείοις λόγοις, ὡς πάντων τῶν αἰσθητῶν ἀεὶ ῥεόντων. ὥστ' εἴπερ ἐπιστήμη τινὸς ἔσται καὶ φρόνησις, ἑτέρας δεῖν τινὰς φύσεις εἶναι παρὰ τὰς αἰσθητὰς μενούσας. οὐ γὰρ εἶναι τῶν ῥεόντων ἐπιστήμην. Σωκράτους δὲ περὶ τὰς ἠθικὰς ἀρετὰς πραγματευομένου, καὶ περὶ τούτων ὁρίζεσθαι καθόλου ζητοῦντος πρώτου (τῶν μὲν γὰρ φυσικῶν ἐπὶ μικρὸν Δημόκριτος ἥψατο μόνον, καὶ ὡρίσατό πως τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρόν. οἱ δὲ Πυθαγόρειοι πρότερον περί τινων ὀλίγων, ὧν τοὺς λόγους εἰς τοὺς ἀριθμοὺς ἀνῆπτον, οἷον, τί ἐστι καιρὸς, ἢ τὸ δίκαιον, ἢ γάμος) ἐκεῖνος εὐλόγως ἐζήτει, τὸ τί ἐστι. συλλογίζεσθαι γὰρ ἐζήτει. ἀρχὴ δὲ τῶν συλλογισμῶν, τὸ τί ἐστι. διαλεκτικὴ γὰρ ἰσχὺς οὔπω τότ' ἦν, ὥστε δύνασθαι καὶ χωρὶς τοῦ τί ἐστι τἀναντία ἐπισκοπεῖν, καὶ τῶν ἐναντίων εἰ ἡ αὐτὴ ἐπιστήμη. δύο γάρ ἐστιν, ἅ τις ἂν ἀποδοίη Σωκράτει δικαίως, τούς τ' ἐπακτικοὺς λόγους, καὶ τὸ ὁρίζεσθαι καθόλου. ταῦτα γάρ ἐστιν ἄμφω περὶ ἀρχὴν ἐπιστήμης. ἀλλ' ὁ μὲν Σωκράτης τὰ καθόλου, οὐ χωριστὰ ἐποίει, οὐδὲ τοὺς ὁρισμούς. οἱ δ' ἐχώρισαν, καὶ τὰ τοιαῦτα τῶν ὄντων ἰδέας προσηγόρευσαν. ὥστε συνέβαινεν αὐτοῖς σχεδὸν τῷ αὐτῷ λόγῳ, πάντων ἰδέας εἶναι τῶν καθόλου λεγομένων. καὶ παραπλήσιον, ὥσπερ ἄν εἴ τις ἀριθμῆσαι βουλόμενος, ἐλαττόνων μὲν ὄντων οἴοιτο μὴ δύνασθαι, πλείω δὲ ποιήσας, ἀριθμοίη. πλείω γάρ ἐστι τῶν καθ' ἕκαστα αἰσθητῶν, ὡς εἰπεῖν, τὰ εἴδη, περὶ ὧν ζη-

CAP. IV.

De ideis autem primum consideranda est ipsa quæ de idea est opinio, quatenus nihil cum numerorum natura congruit, sed ut à principio censuerant, qui primi ideas esse dixerunt.

B Orta est autem de ideis sententia apud eos à quibus inducta est, quòd persuaderentur iis rationibus quas de veritate Heraclitus adduxerat, quasi omnia quæ sensibus subiecta sunt, semper fluant. Itaque si cuiusque rei scientia prudentiaque futura esset, alias quasdam naturas, quæ præter eas, quas sensibus percipimus, permanerent, esse oportere censebant; neq; enim eorum quæ fluant, esse scientiam.

Socrates autem cùm totum negotium in virtutibus, quæ ad mores pertinent, posuisset; primusque ista universè definire conaretur (naturalia enim tantùm Democritus parum
C ægre tetigerat, & modo aliquo calidum & frigidum definierat; antea verò Pythagorei de paucis quibusdam egerant, quorum rationes ad numeros accommodabant, veluti quid tempus sit, quid iustum quid nuptiæ) ille prudenter ipsam rerum quidditatem quærebat. Syllogismorum enim usui studebat: Syllogismorum autem principium est ipsum quod quidque est. Nondum enim tum erat disserendi facultas, vt illi possent etiam sine quidditatis cognitione contraria cognoscere, & vtrùm contrariorum eadem esset scientia. Duo enim sunt quæ quis Socrati iure tribuat, inductiones & definitiones universales. Horum enim
D utrumq; ad principium scientiæ pertinent.

Verùm Socrates universalia non ponebat separata nec definitiones: alii verò separarunt, taliaq; entium ideas appellarunt. Vnde illud fere sequebatur, vt eadem ratione omnium rerum quæ universè dicerentur, essent ideæ: nec multo secus facerent, atq; si quis numerare volens, si pauciora quidem essent, putaret se non posse, cùm autem plura fecisset tum demum numeraret. Plures enim, ut ita dicam, sunt species, quàm singularia quæ sub sensum cadunt, quorum cùm causas quærerent,

τοῦντες τὰς αἰτίας, ἐκ τούτων ἐκεῖ προῆλ- A θον. καθ' ἕκαστόν τε γὰρ ὁμώνυμόν ἐστι καὶ παρὰ τὰς οὐσίας, τῶν τε ἄλλων ἕν ἐστιν ἐπὶ πολλῶν, καὶ ἐπὶ τοῖσδε, καὶ ἐπὶ τοῖς ἀϊδίοις. ἔτι καθ' οὓς τρόπους δείκνυται ὅτι ἔστι τὰ εἴδη, κατ' οὐθένα φαίνεται τούτων. ἐξ ἐνίων μὲν γὰρ οὐκ ἀνάγκη γίνεσθαι συλλογισμόν. ἐξ ἐνίων καὶ οὐχ ὧν οἴονται, τούτων εἴδη γίνεται. κατά τε γὰρ τοὺς λόγους τοὺς ἐκ τῶν ἐπιστημῶν, ἔσται εἴδη πάντων ὅσων ἐπιστῆμαι εἰσιν. καὶ κατὰ τὸ ἓν, ἐπὶ πολλῶν, καὶ τῶν ἀποφάσεων. κατὰ δὲ τὸ νοεῖν τι φθαρέντος, τῶν φθαρτῶν. φάντασμα B γὰρ τι τούτων ἐστίν. ἔτι δὲ οἱ ἀκριβέστατοι τῶν λόγων, οἱ μὲν τῶν πρός τι ποιοῦσιν ἰδέας, ὧν οὔ φασιν εἶναι καθ' αὑτὸ γένος. οἱ δὲ τὸν τρίτον ἄνθρωπον λέγουσιν. ὅλως τε ἀναιροῦσιν οἱ περὶ τῶν εἰδῶν λόγοι, ἃ μᾶλλον βούλονται εἶναι οἱ λέγοντες εἴδη, τοῦ τὰς ἰδέας εἶναι. συμβαίνει γὰρ μὴ εἶναι πρῶτον τὴν δυάδα, ἀλλὰ τὸν ἀριθμόν, καὶ τούτου τὸ πρός τι, καὶ τὸ καθ' αὑτό. καὶ πάνθ' ὅσα τινὲς ἀκολουθήσαντες ταῖς περὶ τῶν εἰδῶν δόξαις ἠναντιώθησαν ταῖς ἀρχαῖς. ἔτι κατὰ μὲν τὴν ὑπόληψιν καθ' ἥν φασιν C εἶναι τὰς ἰδέας, οὐ μόνον τῶν οὐσιῶν ἔσονται εἴδη, ἀλλὰ καὶ ἄλλων πολλῶν. τὸ γὰρ νόημα ἕν, οὐ μόνον περὶ τὰς οὐσίας, ἀλλὰ καὶ κατὰ μὴ οὐσιῶν ἐστι. καὶ αἱ ἐπιστῆμαι οὐ μόνον τῆς οὐσίας ἔσονται. συμβαίνει δὲ καὶ ἄλλα μυρία τοιαῦτα. κατὰ δὲ τὸ ἀναγκαῖον καὶ τὰς δόξας τὰς περὶ αὐτῶν, εἰ ἔστι μεθεκτὰ τὰ εἴδη, τῶν οὐσιῶν ἀναγκαῖον ἰδέας εἶναι μόνον. οὐ γὰρ κατὰ συμβεβηκὸς μετέχονται, ἀλλὰ δεῖ ταύτῃ ἑκάστου μετέχειν, ᾗ μὴ καθ' ὑποκειμένου λέγεται. λέγω δ' οἷον, εἴ τι αὐτοῦ διπλασίου μετέχει, D τοῦτο καὶ ἀϊδίου μετέχει, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκός. συμβέβηκε γὰρ τῷ διπλασίῳ τὸ ἀΐδιον εἶναι. ὥστε ἔσται οὐσία τὰ εἴδη. ταῦτα δ' ἐνταῦθα οὐσίαν σημαίνει, κἀκεῖ. ἢ τί ἔσται τὸ εἶναι φάναι τι παρὰ ταῦτα τὸ ἓν ἐπὶ πολλῶν; καὶ εἰ μὲν ταὐτὸ εἶδος τῶν ἰδεῶν, καὶ τῶν μετεχόντων ἔσται τι κοινόν. τί γὰρ μᾶλλον ἐπὶ τῶν φθαρτῶν δυάδων, καὶ τῶν δυάδων πολλῶν μὲν, ἀϊδίων δὲ, τὸ δυὰς ἓν καὶ ταὐτόν. ἢ ἐπ' αὐτῆς

A rent, ex his ad illas progressi sunt. Nam & in singulis est aliquid eiusdem nominis; & præter substantias etiam aliorum, est unum in multis tam in his quàm in sempiternis.

Deinde quibus modis formæ esse ostendunt, eorum nullo esse videntur. Ex quibusdam enim non necesse est ratiocinationem fieri; ex quibusdam autem eorum etiam formæ efficiuntur, quorum nullas esse putant. Namq; ex iis rationibus, quæ ex scientiis ducuntur, eorum omnium formæ erunt, quorum scientiæ sunt, quin etiam ex iis quæ sumuntur ex vno in multis, negationum quoq; erunt. Ex eo autem, quòd intelligimus aliquid eorum, quæ B corrupta sunt, etiam corruptibilium. Est enim hoc res quædam imaginatione percepta.

Præterea, accuratissimæ rationes partim ideas faciunt eorum, quæ sunt ad aliquid, quorum non dicunt esse genus per se; partim tertium hominem inducunt. Atque omnino rationes eæ, quæ pro formis afferuntur, ea tollunt, quæ formarum auctores magis esse volunt quàm ideas ipsas. Fit enim vt dualitas non sit prima, sed numerus, & id, quod est ad aliquid, prius sit eo, quòd est per se: & ea omnia eveniunt, quibus nonnulli, opiniones de ideis sequuti, principiis sunt adversati.

C Præterea existimatione quidem ea, qua dicimus ideas esse, non solùm substantiarum formæ erunt, sed multorum etiam aliorum. Nam & notio una non tantùm de substantiis, sed etiam de non substantiis habetur; & scientiæ non modò in substantia, verùm etiam in aliis versabuntur: sed & alia huiusmodi eveniunt prope infinita. At spectata necessitate, eisq; opinionibus, quæ de eis habentur; si formæ participabiles sunt, substantiarum tantùm ideæ sint necesse est. Nec enim per accidens participantur; sed eatenus cuiusq; participatio esse debet, quatenus non de subiecto dicitur. Exempli causa, si quid ipsius dupli par- D ticeps est, id & sempiterni est particeps; verùm per accidens; accidit enim ipsi duplo, vt & sempiternus sit. Erunt igitur formæ substantia. At hæc & hic & ibi substantiam significant: alioqui quid erit, ipsum unum in multis, aliquid præter hæc esse dixisse? Atque si eadem species est idearum, & eorum, quæ illas participant, aliquid profectò commune erit. Cur enim magis in dualitatibus iis, quæ intereunt, & in iis, quæ multæ quidem, sed sempiternæ sunt, dualitas vnum

καὶ τῆς τινός; εἰ δὲ μὴ τὸ αὐτὸ εἶδος, ὁμώνυμα ἂν εἴη, καὶ ὅμοιον ὥσπερ ἂν εἴ τις καλοίη ἄνθρωπον τόν τε Καλλίαν, καὶ τὸ ξύλον, μηδεμίαν κοινωνίαν ἐπιβλέψας αὐτῶν. εἰ δὲ τὰ μὲν ἄλλα τοὺς κοινοὺς λόγους ἐφαρμόττειν θήσομεν τοῖς εἴδεσιν, οἷον ἐπ' αὐτὸν τὸν κύκλον σχῆμα ἐπίπεδον, καὶ τὰ λοιπὰ μέρη τοῦ λόγου, τὸ δ' ὅ ἐστι προστεθήσεται. σκοπεῖν δεῖ μὴ κενὸν ᾖ τοῦτο παντελῶς. τίνι τε γὰρ προστεθήσεται; τῷ μέσῳ, ἢ τῷ ἐπιπέδῳ, ἢ πᾶσι; πάντα γὰρ τὰ ἐν τῇ οὐσίᾳ, ἰδέαι, οἷον, τὸ ζῷον. καὶ τὸ δίπουν. ἔτι δῆλον ὅτι ἀνάγκη αὐτὸ εἶναί τι, ὥσπερ τὸ B ἐπίπεδον φύσιν τινά, ἣ πᾶσιν ἐνυπάρξει τοῖς εἴδεσιν, ὡς γένος,

A atque idem esse dicetur, quam in hac atq; aliqua? Si verò non eadem est species, æquivoca sanè fuerint, nec secus, atq; si quis hominis vocabulo Calliam & lignum appellet, nulla eorum communione spectata.

Quòd si cætera, communes, inquam, rationes formis accommodari ponamus, veluti circulo planam figuram, & cæteras rationis partes; illa autem cuius est, addatur; perpendendum est num hoc omnino vanum sit. Cui enim quæso apponetur? medione, an plano, an verò omnibus? Omnia enim quæ in substantia insunt, ideæ sunt, ut animal, & bipes. Adde perspicuum esse necessariò ipsum aliquid esse, velut planum naturam quandam, quæ omnibus formis ut genus inerit.

Κεφάλαιον ε'.

CAP. V.

ΠΑ'ντων δὲ μάλιστα διαπορήσειεν ἄν τις, τί ποτε συμβάλλονται τὰ εἴδη, ἢ τοῖς ἀϊδίοις τῶν αἰσθητῶν, ἢ τοῖς γιγνομένοις, καὶ τοῖς φθειρομένοις. οὔτε γὰρ κινήσεώς ἐστιν, οὔτε μεταβολῆς οὐδεμιᾶς αἴτια αὐτοῖς. ἀλλὰ μὴν οὐδὲ πρὸς τὴν ἐπιστήμην οὐδὲν βοηθεῖ τὴν τῶν ἄλλων. οὔτε γὰρ οὐσία ἐκεῖνα τούC των (ἐν τούτοις γὰρ ἂν ἦν) οὔτ' εἰς τὸ εἶναι, μὴ ἐνυπάρχοντά γε τοῖς μετέχουσιν. οὕτω μὲν γὰρ ἴσως αἴτια δόξειεν ἂν εἶναι, ὡς τὸ λευκὸν μεμιγμένον τῷ λευκῷ. ἀλλ' οὗτος μὲν ὁ λόγος λίαν εὐκίνητος, ὃν Ἀναξαγόρας μὲν πρότερος, Εὔδοξος δ' ὕστερος ἔλεγε, διαπορῶν, καὶ ἕτεροί τινες. ῥᾴδιον γὰρ πολλὰ συναγαγεῖν καὶ ἀδύνατα. πρὸς τὴν τοιαύτην δόξαν. ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἐκ τῶν εἰδῶν ἐστι τἆλλα κατ' οὐθένα τρόπον τῶν εἰωθότων λέγεσθαι. τὸ δὲ λέγειν παραδείγματα εἶναι καὶ μετέχειν αὐτῶν τὰ ἄλλα, κενο D λογεῖν ἐστι, καὶ μεταφορὰς λέγειν ποιητικάς. τί γάρ ἐστι τὸ ἐργαζόμενον πρὸς τὰς ἰδέας ἀποβλέπειν; ἐνδέχεταί τε εἶναι καὶ γίγνεσθαι ὁτιοῦν, καὶ μὴ εἰκαζόμενον. ὥστε καὶ ὄντος Σωκράτους, καὶ μὴ ὄντος. γένοιτ' ἂν οἷος Σωκράτης. ὁμοίως δὲ δῆλον ὅτι κἂν εἰ ἦν ὁ Σωκράτης ἀΐδιος, ἔσται τε πλείω παραδείγματα τοῦ αὐτοῦ. ὥστε καὶ εἴδη. οἷον τοῦ ἀνθρώπου τὸ ζῷον, καὶ τὸ δίπουν, ἅμα δὲ καὶ αὐτοάνθρωπος,

MAximè verò omnium quis dubitet, quid tandem formæ conferant aut sempiternis sensibilibus, aut iis quæ gignuntur, & intereunt. Etenim nec motus, nec mutationis ullius causæ illis sunt; sed neque ad scientiam aliorum quicquam conducunt, cùm non sint horum substantia (in his enim essent) neque verò ad esse, cùm in participantibus non insint. At enim hoc fortasse modo causæ esse videbuntur, quo album cum albo mistum est. Verùm hæc ratio, qua primum Anaxagoras, deinde Eudoxus disputans, & alii quidam utebantur, nullo negotio refelli potest. Est enim facile, multa, & quæ fieri nequeant, contra hanc opinionem colligere. Nec verò ullo eorum modorum, qui dici consueverunt, ex formis sunt cætera. Dicere autem exemplaria eas esse, resq; cæteras earum esse participes, inania loqui est, & poeticis translationibus uti. Quid enim est, quòd agat ad ideas respiciens; esse enim, ac fieri potest quidvis simile, etiamsi ad illius imaginem non exprimatur.

Itaq; sive existat Socrates, sive non existat, fieri alius potest, qualis est Socrates. Perspicuum est autem, idem haud dubiè futurum, etsi Socrates sempiternus esset. Erunt quoque plura eiusdem rei exemplaria, quare & formæ: ut hominis, animal, & bipes, simul autem, & ipse

ἄνθρωπος. ἔτι οὐ μόνον τῶν αἰσθητῶν παραδείγματα τὰ εἴδη, ἀλλὰ καὶ αὐτῶν, οἷον τὸ γένος τῶν ὡς γένους εἰδῶν. ὥστε τὸ αὐτὸ ἔσται παράδειγμα, καὶ εἰκών. ἔτι δόξειεν ἂν ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τὴν οὐσίαν, καὶ οὗ ἡ οὐσία. ὥστε πῶς ἂν αἱ ἰδέαι οὐσίαι τῶν πραγμάτων οὖσαι χωρὶς εἶεν; ἐν δὲ τῷ Φαίδωνι τοῦτον λέγεται τὸν τρόπον, ὡς καὶ τοῦ εἶναι καὶ τοῦ γίνεσθαι αἴτια τὰ εἴδη ἐστί, καίτοι τῶν εἰδῶν ὄντων, ὅμως οὐ γίνεται, ἂν μὴ ᾖ τὸ κινῆσον. καὶ πολλὰ γίνεται ἕτερα, οἷον οἰκία καὶ δακτύλιος, ὧν οὔ φασιν εἶναι εἴδη. ὥστε δῆλον ὅτι ἐνδέχεται κἀκεῖνα ὧν φασὶν εἶναι ἰδέας, καὶ εἶναι καὶ γίνεσθαι διὰ τοιαύτας αἰτίας, οἵας καὶ τὰ ῥηθέντα νῦν, ἀλλ' οὐ διὰ τὰ εἴδη. ἀλλὰ περὶ μὲν τῶν ἰδεῶν, καὶ τοῦτον τὸν τρόπον, καὶ διὰ λογικωτέρων καὶ ἀκριβεστέρων λόγων ἔστι πολλὰ συναγαγεῖν ὅμοια τοῖς τεθεωρημένοις.

A *homo. Præterea formæ non modò sensibilium exemplaria erunt, sed etiam ipsarum formarū, veluti genus, tanquā formarū genus; ex qua re fiet ut idē sit exēplar, atq; imago. Ad hæc videbitur fieri nō posse, ut substantia, & id cuius est substantia, seiuncta sint. Quo igitur modo ideæ, cùm sint rerum substantiæ, separatæ fuerint? In Phædone autem hunc in modum dicitur, formas, & ut res sint, & ut fiant, causas esse. Atqui existentibus formis, res, quæ illarū participes sunt, nequaquam fiunt, nisi sit quod moveat; multaque fiunt alia ut domus, ac annulus, quorum non dicunt formas esse. Quare manifestum est, alia quoque quorum ideas esse* B *dicunt, & esse, & fieri posse propter tales etiam causas, propter quas, & ea, quæ modò dicta sunt, & non à formis ipsis. Sed de ideis quidem & hoc modo, & aliis rationibus, tum magis ad Dialecticam accommodatis, tum etiam accuratioribus, multa his similia colligi possunt.*

Κεφάλαιον. ϛ'

Ἐπεὶ δὲ διώρισται περὶ τούτων, καλῶς ἔχει πάλιν θεωρῆσαι τὰ περὶ τοὺς ἀριθμοὺς συμβαίνοντα τοῖς λέγουσιν οὐσίας αὐτοὺς εἶναι χωριστάς, καὶ τῶν ὄντων αἰτίας πρώτας. ἀνάγκη δ', εἴπερ ἐστὶν ὁ ἀριθμὸς φύσις τις, καὶ μὴ ἄλλη τις αὐτοῦ ἐστιν ἡ οὐσία, ἀλλὰ τοῦτ' αὐτό, ὥσπερ φασί τινες, ἤτοι εἶναι τὸ μὲν πρῶτόν τι αὐτοῦ, τὸ δ' ἐχόμενον ἕτερον ὂν τῷ εἴδει ἕκαστον, καὶ τοῦτο ἢ ἐπὶ τῶν μονάδων εὐθὺς ὑπάρχει, καὶ ἔστιν ἀσύμβλητος ὁποιαοῦν μονὰς ὁποιαοῦν μονάδι. ἢ εὐθὺς ἐφεξῆς πᾶσαι καὶ συμβληταὶ ὁποιαιοῦν ὁποιαισοῦν, οἷον λέγουσιν εἶναι τὸν μαθηματικὸν ἀριθμόν. (ἐν γὰρ τῷ μαθηματικῷ οὐδὲν διαφέρει οὐδεμία μονὰς ἑτέρα ἑτέρας.) ἢ τὰς μὲν συμβλητάς, τὰς δὲ μή. οἷον εἰ ἔστι μετὰ τὸ ἓν πρώτη ἡ δυάς, ἔπειτα ἡ τριάς, καὶ οὕτω δὴ ὁ ἄλλος ἀριθμός. εἰσὶ δὲ συμβληταὶ ἐν ἑκάστῳ ἀριθμῷ αἱ μονάδες, οἷον αἱ ἐν τῇ δυάδι τῇ πρώτῃ αὐτῆς, καὶ ἐν τῇ τριάδι τῇ πρώτῃ αὐτῆς. καὶ οὕτω δὴ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἀριθμῶν.

CAPUT VI.

C *Quoniam verò hæc definita sunt, operæ pretium est ea rursum discutere, quæ ex sententia illorum sequuntur, qui numeros substantias separatas, primasque eorum quæ sunt, causas esse dicunt. Necesse est autem si numerus quædam natura est, neq; ulla est alia eius substantia, sed hoc ipsum, ut quidam loquuntur; aut aliquid eius primum esse, aliud verò deinceps, quod sit in uno quoq; specie diversum, aut minimè. Id quod vel statim in ipsis unitatibus cernitur, & est quælibet unitas cum qualibet unitate communicabilis, vel omnes continuò quælibet* D *cum qualibet deinceps sunt communicabiles, qualis Mathematicus numerus esse dicitur. (in numero enim mathematico nihil unitas una ab alia unitate differt) vel certè necesse est ut aliæ sint communicabiles, aliæ non communicabiles, ut si post unum, primus sit binarius, deinde ternarius, & ita alius numerus.*

Sunt communicabiles in quolibet numero, ut inter se quæ sunt in primo binario, & inter se etiam quæ sunt in primo ternario, eodemque modo in aliis numeris. Quæ autem sunt in

αἱ δ' ἐν τῇ δυάδι αὐτῇ, πρὸς τὰς ἐν τῇ τριάδι αὐτῇ, ἀσύμβλητοι. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐφεξῆς ἀριθμῶν. διὸ καὶ ὁ μὲν μαθηματικὸς ἀριθμεῖται μετὰ τὸ ἕν, δύο, πρὸς τῷ ἔμπροσθεν ἑνὶ, ἄλλο ἕν. καὶ τὰ τρία πρὸς τοῖς δυσὶ τούτοις ἄλλο ἕν. καὶ ὁ λοιπὸς δὲ ὡσαύτως. οὗτος δὲ μετὰ τὸ ἓν δύο ἕτερα, ἄνευ τοῦ ἑνὸς τοῦ πρώτου, καὶ ἡ τριὰς ἄνευ τῆς δυάδος, ὁμοίως δὲ καὶ ὁ ἄλλος ἀριθμός. ἢ τὸν μὲν εἶναι τῶν ἀριθμῶν, οἷον ὁ πρῶτος ἐλέχθη, τὸν δ' οἷον οἱ μαθηματικοὶ λέγουσι, τρίτον δὲ τὸν ῥηθέντα τελευταῖον. ἔτι τούτους ἢ χωριστοὺς εἶναι τοὺς ἀριθμοὺς τῶν πραγμάτων, ἢ οὐ χωριστοὺς, ἀλλ' ἐν τοῖς αἰσθητοῖς οὐχ οὕτως δ' ὡς τὸ πρῶτον ἐπεσκοποῦμεν, ἀλλ' ὡς ἐκ τῶν ἀριθμῶν ἐνυπαρχόντων τοῖς αἰσθητοῖς. ἢ τὸν μὲν αὐτῶν εἶναι, τὸν δὲ μή, ἢ πάντας εἶναι. οἱ μὲν οὖν τρόποι καθ' οὓς ἐνδέχεται αὐτοὺς εἶναι, οὗτοί εἰσιν ἐξ ἀνάγκης μόνοι. σχεδὸν δὲ καὶ οἱ λέγοντες τὸ ἓν ἀρχὴν εἶναι, καὶ οὐσίαν καὶ στοιχεῖον πάντων, καὶ ἐκ τούτου ἄλλου τινὸς εἶναι τὸν ἀριθμὸν, ἕκαστος τούτων τινὰ τῶν τρόπων εἴρηκε. πλὴν τοῦ πάσας τὰς μονάδας εἶναι ἀσυμβλήτους. καὶ τοῦτο συμβέβηκεν εὐλόγως. οὐ γὰρ ἐνδέχεται ἔτι ἄλλον τρόπον εἶναι παρὰ τοὺς εἰρημένους. οἱ μὲν οὖν ἀμφοτέρους φασὶν εἶναι τοὺς ἀριθμοὺς, τὸν μὲν ἔχοντα τὸ πρότερον καὶ ὕστερον τὰς ἰδέας, τὸν δὲ μαθηματικὸν παρὰ τὰς ἰδέας, καὶ τὰ αἰσθητὰ, καὶ χωριστοὺς ἀμφοτέρους τῶν αἰσθητῶν. οἱ δὲ τὸν μαθηματικὸν μόνον ἀριθμὸν εἶναι τὸν πρῶτον τῶν ὄντων, κεχωρισμένον τῶν αἰσθητῶν. καὶ οἱ Πυθαγόρειοι δὲ ἕνα τὸν μαθηματικὸν, πλὴν οὐ κεχωρισμένον, ἀλλ' ἐκ τούτου τὰς αἰσθητὰς οὐσίας συνεστάναι φασί. τὸν γὰρ ὅλον οὐρανὸν κατασκευάζουσιν ἐξ ἀριθμῶν, πλὴν οὐ μοναδικῶν, ἀλλὰ τὰς μονάδας ὑπολαμβάνουσιν ἔχειν μέγεθος, ὅπως δὲ τὸ πρῶτον ἓν συνέστη ἔχον μέγεθος, ἀπορεῖν ἐοίκασιν. ἄλλος δέ τις τὸν πρῶτον ἀριθμὸν τὸν τῶν εἰδῶν ἕνα εἶναι. ἔνιοι δὲ καὶ τὸν μαθηματικὸν τὸν αὐτὸν τοῦτον εἶναι. ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τὰ μήκη καὶ τὰ ἐπίπεδα, καὶ περὶ τὰ στερεά, οἱ μὲν γὰρ ἕτερα τὰ μαθηματικά, καὶ τὰ μετὰ τὰς ἰδέας, τῶν δ' ἄλλως λεγόντων, οἱ μὲν τὰ μαθη-

ματι-

A *ipso binario, incommunicabiles sunt iis quæ sunt in ipso ternario, & sic res habet in cæteris deinceps numeris. Quocirca mathematicus quidem numeratur post unum duo, nempe cum priore vno aliud vnum, triaq; cum his duobus aliud item unum, & reliquus similiter. Hic verò post unum duo alia numeratur sine primo uno, & ternarius sine binario, eodemq; modo & alius numerus.*

Ex numeris igitur alius esse debet qualis primus dictus est; alius qualem Mathematici dicunt; tertius verò qui ultimo loco expositus est.

Præterea hos numeros necesse est aut separatos à rebus esse, aut non separatos, sed in ipsis B *sensibilibus existere, non ita tamen ut prius considerabamus, sed ut ex numeris existentibus in ipsis sensibilibus, aut hunc eorum esse, illum verò non esse, aut omnes esse. Ac modi quidem quibus contingit eos esse, hi soli sunt necessariò. Fere autem & ii qui dicunt unum esse & principium & substantiam & elementum, & ex hoc & alio quodam esse numerum, singuli modum aliquem ex his significant; nisi quòd omnes unitates incommunicabiles esse dicunt, quod cum ratione accidit. Neque enim modus alius esse potest præter eos qui* C *sunt expositi. Atque alii quidem utrumque numerum esse aiunt, & illum qui habet prius & posterius, ideas videlicet, & Mathematicum præter ideas & sensibilia, atq; utrunq; à sensibilibus seiunctum. Alii autem Mathematicum solum esse primum entium, eumq; à sensibilibus separatum. Pythagorici verò unum Mathematicum, non tamen separatum; sed ex eo sensibiles substantias constare dicunt. Totum enim cœlum ex numeris conficiunt, nisi quòd non ex monadicis; sed vnitates magnitudinem habere existimant. Quo autem modo primum unum magnitudine præditum constet, dubitare videntur. Alius verò quidam* D *primum numerum ipsum formarum esse: nonnulli autem Mathematicum hunc eundem esse volunt.*

Eadem est longitudinum planorum & solidorum ratio. Alii enim alia esse Mathematica sentiunt, alia, ea quæ sunt post ideas. Eorum autem qui aliter dicunt, alii Mathematica ponunt, & Mathematicè disserunt, qui omnes neq; ideas numeros faciunt, neq; ideas esse fatentur. Alii verò Mathematica quidem

ματικά, καὶ μαθηματικῶς λέγουσιν, ὅσοι μὴ ποιοῦσι τὰς ἰδέας ἀριθμούς, μηδὲ εἶναί φασιν ἰδέας. οἱ δὲ τὰ μαθηματικά, οὐ μαθηματικῶς δέ. οὐ γὰρ τέμνεσθαι οὔτε μέγεθος πᾶν εἰς μεγέθη. οὔθ' ὁποιασοῦν μονάδας, δυάδα εἶναι. μοναδικοὺς δὲ τοὺς ἀριθμοὺς πάντες εἶναι τιθέασι, πλὴν τῶν Πυθαγορείων, ὅσοι τὸ ἕν, στοιχεῖον καὶ ἀρχὴν φασιν εἶναι τῶν ὄντων. ἐκεῖνοι δ' ἔχοντα μέγεθος, καθάπερ εἴρηται πρότερον. ὁσαχῶς μὲν οὖν ἐνδέχεται λεχθῆναι περὶ αὐτῶν, καὶ ὅτι πάντες εἰσὶν εἰρημένοι οἱ τρόποι, φανερὸν ἐκ τούτων. ἔστι δὲ πάντα μὲν ἀδύνατα, μᾶλλον δ' ἴσως θάτερα τῶν ἑτέρων,

A *ponūt, sed Mathematicè nō disserūt. Neq; enim omnē magnitudinē in magnitudines diuidi nec quaslibet unitates binariū esse volunt. Monadicos autem numeros omnes ponunt præter Pythagoricos, omnes, inquam, qui vnum ipsum eorum quæ sunt elementum & principium esse dicunt; illi verò magnitudine prædita, ut iam dictum est.*

Quot igitur modis de hisce rebus dici possit, omnesq; eos esse qui expositi sunt, ex his perspicuum est. Sunt autem hæc omnia ex iis quæ fieri nequeunt, sed fortasse alia aliis absurdiora.

B

Κεφάλαιον ζ.

Πρῶτον μὲν οὖν σκεπτέον, εἰ συμβληταὶ αἱ μονάδες ἢ ἀσύμβλητοι. καὶ εἰ ἀσύμβλητοι, ποτέρως ὥσπερ διείλομεν. ἔστι μὲν γὰρ ὁποιανοῦν εἶναι ὁποιαοῦν μονάδι ἀσύμβλητον. ἔστι δὲ τὰς ἐν αὐτῇ τῇ δυάδι πρὸς τὰς ἐν αὐτῇ τῇ τριάδι. καὶ οὕτως δὴ ἀσυμβλήτους εἶναι τὰς ἐν ἑκάστῳ τῷ πρώτῳ ἀριθμῷ πρὸς ἀλλήλας. εἰ μὲν οὖν πᾶσαι συμβληταὶ καὶ ἀδιάφοροι αἱ μονάδες, ὁ μαθηματικὸς γίνεται ἀριθμός, καὶ εἷς μόνος καὶ τὰς ἰδέας οὐκ ἐνδέχεται εἶναι τοὺς ἀριθμούς. ποῖος γὰρ ἔσται ἀριθμὸς αὐτοάνθρωπος, ἢ ζῷον, ἢ ἄλλο ὁτιοῦν τῶν εἰδῶν; ἰδέα μὲν γὰρ μία ἑκάστου, οἷον αὐτοῦ ἀνθρώπου μία, καὶ αὐτοῦ ζῴου ἄλλη μία. οἱ δ' ὅμοιοι καὶ ἀδιάφοροι, ἄπειροι. ὥστ' οὐθὲν μᾶλλον ἥδε ἡ τριὰς αὐτοάνθρωπος, ἢ ὁποιαοῦν. εἰ δὲ μή εἰσιν ἀριθμοὶ αἱ ἰδέαι, οὐδ' ὅλως οἷόν τε αὐτὰς εἶναι. ἐκ τίνων γὰρ ἔσονται ἀρχῶν αἱ ἰδέαι; ὁ γὰρ ἀριθμός ἐστιν ἐκ τοῦ ἑνὸς καὶ τῆς δυάδος τῆς ἀορίστου, καὶ αἱ ἀρχαὶ καὶ τὰ στοιχεῖα λέγονται τοῦ ἀριθμοῦ εἶναι, τάξει τε οὔτε προτέρας ἐνδέχεται τῶν ἀριθμῶν αὐτάς, οὔθ' ὑστέρας. εἰ δὲ ἀσύμβλητοι αἱ μονάδες, καὶ οὕτως ἀσύμβλητοι, ὥστε ἥτις οὖν ἡτινιοῦν. οὔτε τὸν μαθηματικὸν ἐνδέχεται εἶναι τοῦτον τὸν ἀριθμόν (ὁ μὲν γὰρ μαθηματικὸς, ἐξ ἀδιαφόρων, καὶ τὰ δεικνύμενα κατ' αὐτοῦ, ὡς ἐπὶ τοιούτοις ἁρμόττει)

CAPUT VII.

Primùm igitur expendendum est, sintne vnitates communicabiles inter se, an communicari non possint; quòd si communicabiles non sint, vtrum quemadmodum diuisimus. Non enim potest quælibet vnitas cum qualibet copulari; non possunt autem eæ C *quæ sunt in ipso binario, cum iis quæ sunt in ipso ternario; atq; ita incommunicabiles inter se esse, necesse est, quæ sunt quolibet primo numero. Si omnes igitur vnitates communicabiles & indifferentes sunt, Mathematicus numerus existit, isq; vnus tantùm, nec fieri potest vt ideæ sint numeri. Qualis enim numerus erit ipse homo, aut animal, aut quævis alia species? Idea vnius cuiusq; vna est, veluti ipsius hominis vna, & ipsius animalis alia vna; qui autem similes sunt & indifferentes, infiniti sunt. Quare non magis hic ternarius homo erit, quam quilibet. Quòd si ideæ numeri non sunt, neq; omnino fieri potest vt ipsæ sint: ex quibus enim principiis ideæ erunt?* D *numerus enim ex vno & dualitate indefinita est, ipsiusq; numeri principia & elementa esse dicuntur, nec fieri potest vt ea sint ordine priora numeris aut posteriora.*

Si verò vnitates incommunicabiles sunt, atque ita incommunicabiles, ut quælibet cum qualibet copulari nequeat, nec numerus hic Mathematicus esse potest (Mathematicus enim ex differentibus constat, & quæ de eo

ἁρμόττει) οὔτε τὸν τῶν εἰδῶν, οὐ γὰρ ἔσται ἡ δυὰς πρώτη ἐκ τοῦ ἑνὸς, καὶ τῆς ἀορίστου δυάδος· ἔπειτα οἱ ἑξῆς ἀριθμοί, ὡς λέγεται, δυὰς τριὰς, τετράς. ἅμα γὰρ αἱ ἐν τῇ δυάδι τῇ πρώτῃ μονάδες γεννῶνται, εἴτε ὥσπερ ὁ πρῶτος εἰπὼν ἐξ ἀνίσων (ἰσασθέντων γὰρ ἐγένετο) εἴτε ἄλλως, ἐπεὶ εἰ ἔσται ἡ ἑτέρα μονὰς τῆς ἑτέρας προτέρα, καὶ τῆς δυάδος τῆς ἐκ τούτων ἔσται προτέρα. ὅταν γὰρ ᾖ τι, τὸ μὲν πρότερον, τὸ δὲ ὕστερον, καὶ τὸ ἐκ τούτων, τοῦ μὲν ἔσται πρότερον, τοῦ δ᾽ ὕστερον. ἔτι ἐπειδή ἐστι πρῶτον μὲν αὐτὸ τὸ ἕν, ἔπειτα τῶν ἄλλων ἐστί τι πρῶτον ἕν. δεύτερον δὲ μετ᾽ ἐκεῖνο, καὶ πάλιν τρίτον. τὸ δεύτερον μὲν μετὰ τὸ δεύτερον, τρίτον δὲ μετὰ τὸ πρῶτον ἕν· ὥστε πρότεραι ἂν εἶεν αἱ μονάδες, ἢ οἱ ἀριθμοὶ ἐξ ὧν λέγονται. οἷον ἐν τῇ δυάδι τρίτη μονὰς ἔσται, πρὶν τὰ τρία εἶναι, καὶ ἐν τῇ τριάδι τετάρτη, καὶ ἡ πέμπτη πρὶν τοὺς ἀριθμοὺς τούτους, οὐδεὶς μὲν οὖν τὸν τρόπον τοῦτον εἴρηκεν αὐτῶν τὰς μονάδας ἀσυμβλήτους εἶναι· ἔστι δὲ κατὰ μὲν τὰς ἐκείνων ἀρχὰς, εὔλογον καὶ οὕτως, κατὰ μέντοι τὴν ἀλήθειαν ἀδύνατον. τάς τε γὰρ μονάδας προτέρας εἶναι εὔλογον, εἴπερ καὶ πρώτη τίς ἐστι μονὰς, καὶ ἓν πρῶτον· ὁμοίως δὲ καὶ δυάδες, εἴπερ καὶ δυὰς πρώτη ἐστί. μετὰ γὰρ τὸ πρῶτον εὔλογον καὶ ἀναγκαῖον δεύτερόν τι εἶναι. καὶ εἰ δεύτερον, τρίτον. καὶ οὕτω δὴ τὰ ἄλλα ἐφεξῆς. ἅμα δ᾽ ἀμφότερα λέγειν, μονάδα τε μετὰ τὸ ἓν πρώτην εἶναι, καὶ δευτέραν, καὶ δυάδα πρώτην, ἀδύνατον. οἱ δὲ ποιοῦσι μονάδα μὲν καὶ ἓν πρῶτον, δεύτερον δὲ καὶ τρίτον οὐκέτι, καὶ δυάδα πρώτην, δευτέραν δὲ καὶ τρίτην οὐκέτι. φανερὸν δὲ καὶ ὅτι οὐκ ἐνδέχεται, εἰ ἀσύμβλητοι πᾶσαι αἱ μονάδες, δυάδα εἶναι αὐτὴν καὶ τριάδα· καὶ οὕτως τοὺς ἄλλους ἀριθμούς. ἄν τε γὰρ ὦσιν ἀδιάφοροι αἱ μονάδες, ἄν τε διαφέρουσαι ἑκάστη ἑκάστης, ἀνάγκη ἀριθμεῖσθαι τὸν ἀριθμὸν κατὰ πρόσθεσιν. οἷον, τὴν δυάδα πρὸς τῷ ἑνὶ, ἄλλου ἑνὸς προστεθέντος, καὶ τὴν τριάδα, ἄλλου ἑνὸς πρὸς τοῖς δυσὶ προστεθέντος, καὶ τὴν τετράδα ὡσαύτως. τούτων δὲ ὄντων, ἀδύνατον τὴν γένεσιν εἶναι τῶν ἀριθμῶν, ὡς γεννῶσιν ἐκ τῆς δυάδος καὶ τοῦ ἑνός. μόριον γὰρ γίνεται ἡ

A *demonstrantur, ut in tales convenit) neque idearum, Neque enim primus binarius erit ex uno & indefinito binario: Deinde numeri qui deinceps sequuntur, ut aiunt, binarius, ternarius, quaternarius. Simul enim generantur unitates, quae sunt in primo binario sive ut is qui primus hac de re loquutus est, ex inaequalibus (ex aequatis enim fiebant) sive aliter. Praeterea si unitas altera prior altera erit, ipso quoque binario qui ex his constat prior erit. Quando enim aliquid fuerit hoc quidem prius, illo verò posterius, & id quod ex his constat, hoc erit prius, illo posterius. Adhaec, cum unum ipsum primum sit, deinde aliquid aliorum sit primum unum,* B *secundum autem post illud & rursus tertium, quod quidem secundum post secundum, tertium autem post primum: fit ut priores sint unitates quam numeri qui ex iis conficiuntur; quo pacto in binario erit tertia unitas, antequam tria sint, & in quaternario quarta, & quinta antequam sint hi numeri.*

Ac nemo quidem eorum unitates hoc modo incommunicabiles esse dixit, estque hoc eorum principiis consentaneum; verum iuxta veritatem impossibile. Primas enim unitates esse rationi consentaneum est, siquidem & pri- C *ma est quaedam unitas & primum unum. Eodemque modo binarii quandoquidem & primus est binarius. Post primum enim rationi consonum est, atque adeo necessarium aliquid esse secundum, & si secundum, tertium, & sic alia deinceps. At dicere utrumque simul & unitatem esse post primum unum, & secundum, & primum binarium, res est quae fieri nequit: hi verò unitatem primam, primumque unum faciunt, secundum autem & tertium non item; binariumque primum ponunt, secundum verò & tertium minimè.*

Illud etiam constat, fieri non posse si omnes D *unitates sint incommunicabiles, ipsum binarium esse, ternariumve, eodemque modo reliquos numeros. Sive enim unitates sint indifferentes, sive inter se differant, necesse est numerum additione unitatis numerari, veluti binarium uno ad unum addito, & ternarium addito ad duo uno alio, eademque ratione quaternarium. Quae cum ita sint, numerorum generatio esse non potest, quo pacto illi ex binario & uno generant: binarius enim fit ternarii pars, & hic quaternarii; quod modo eodem in sequentibus accidit. At ex primo indeterminatoque binario fiebat*

δυὰς τῆς τριάδος, καὶ αὕτη τῆς τετράδος. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον συμβαίνει καὶ ἐπὶ τῶν ἐχομένων. ἀλλ' ἐκ τῆς δυάδος τῆς πρώτης καὶ τῆς ἀορίστου δυάδος, ἐγίνετο ἡ τετρὰς δύο δυάδες, παρ' αὐτὴν τὴν δυάδα. εἰ δὲ μὴ μόριόν ἐστιν αὕτη ἡ δυάς, ἑτέρα δὲ προσέσται μία δυάς, καὶ ἡ δυάς, ἔσται ἐκ τοῦ ἑνὸς αὐτοῦ καὶ ἄλλου ἑνός. εἰ δὲ τοῦτο οὐχ οἷόν τε εἶναι, τὸ ἕτερον στοιχεῖον δυάδα ἀόριστον, μονάδα γὰρ μίαν γεννᾷ, ἀλλ' οὐ δυάδα ὡρισμένην. ἔτι παρ' αὐτὴν τὴν τριάδα, καὶ αὐτὴν τὴν δυάδα, πῶς ἔσονται ἄλλαι τριάδες καὶ δυάδες; καὶ τίνα τρόπον ἐκ προτέρων μονάδων καὶ ὑστέρων σύγκεινται; πάντα γὰρ ταῦτ' ἐστὶ καὶ πλασματώδη, καὶ ἀδύνατον εἶναι πρώτην δυάδα, εἶτ' αὐτὴν τριάδα. ἀνάγκη δ', ἐπείπερ ἔσται τὸ ἓν καὶ ἡ ἀόριστος δυάς, στοιχεῖα. εἰ δ' ἀδύνατα τὰ συμβαίνοντα, καὶ τὰς ἀρχὰς ταύτας εἶναι ἀδύνατον. εἰ μὲν οὖν διάφοροι αἱ μονάδες ὁποιαιοῦν ὁποιαισοῦν, ταῦτα καὶ τοιαῦθ' ἕτερα συμβαίνει ἐξ ἀνάγκης. εἰ δ' αἱ μὲν ἐν ἄλλῳ διάφοροι, αἱ δ' ἐν τῷ αὐτῷ ἀριθμῷ ἀδιάφοροι ἀλλήλαις μόναι, καὶ οὕτως συμβαίνει τὰ δυσχερῆ. οἷον γὰρ ἐν τῇ δεκάδι αὐτῇ, ἔνεισι δέκα μονάδες. σύγκειται δὲ καὶ ἐκ τούτων, καὶ ἐκ δύο πεντάδων, ἡ δεκάς. ἐπεὶ δ' οὐχ ὁ τυχὼν ἀριθμὸς αὐτὴ ἡ δεκὰς (οὐδὲ γὰρ σύγκειται ἐκ τῶν τυχουσῶν πεντάδων, ὥσπερ οὐδὲ μονάδων) ἀνάγκη διαφέρειν τὰς μονάδας τὰς ἐν τῇ δεκάδι ταύτῃ. ἂν γὰρ μὴ διαφέρωσιν, οὐδ' αἱ πεντάδες διοίσουσιν, ἐξ ὧν ἐστιν ἡ δεκάς. ἐπεὶ δὲ διαφέρουσι, καὶ αἱ μονάδες διοίσουσιν. εἰ δὲ διαφέρουσι, πότερον οὐκ ἐνέσονται πεντάδες ἄλλαι, ἀλλὰ μόνον αὗται αἱ δύο, ἢ ἔσονται; εἴτε δὲ μὴ ἐνέσονται, ἄτοπον· εἴτ' ἐνέσονται, ποία ἔσται δεκὰς ἐξ ἐκείνων; οὐ γάρ ἐστιν ἑτέρα δεκὰς ἐν τῇ δεκάδι παρ' αὐτήν. ἀλλὰ μὴν καὶ ἀνάγκη γε μὴ ἐκ τῶν τυχουσῶν δυάδων τὴν τετράδα συγκεῖσθαι. ἡ γὰρ ἀόριστος δυάς, ὥς φασι, λαβοῦσα τὴν ὡρισμένην δυάδα, δύο δυάδας ἐποίησε. τοῦ γὰρ ληφθέντος ἦν δυοποιός. ἔτι τὸ εἶναι παρὰ τὰς δύο μονάδας, τὴν δυάδα φύσιν τινά, καὶ τὴν τριάδα παρὰ τὰς τρεῖς μονάδας, πῶς ἐνδέχεται; ἢ γὰρ μεθέξει θατέρου θάτερον, ὥσπερ λευκὸς ἄνθρωπος παρὰ λευκὸν καὶ ἄνθρωπον. (μετέχει γὰρ τούτων) ἢ ὅταν ᾖ θα-

fiebat quaternarius, nempe duo binarii præter ipsum binarium. Quod si ipse binarius pars non est, alius præterea unus binarius erit, binariusq; ex ipso vno & alio vno existet. Si autem ita res habet, fieri non potest ut binarius indefinitus alterum elementum sit. Vnitatem enim unam generat, non autem indeterminatum binarium.

Præterea præter ipsum ternarium & ipsum binarium, quonammodo alii ternarii & binarii erunt? Et quo pacto ex prioribus & posterioribus vnitatibus componantur? hæc enim omnia & conficta sunt, & fieri non potest ut sit primus binarius, deinde ipse ternarius. At necesse est, si erunt quidem unum ipsum & binarius indefinitus elementa. Quod si ea quæ ex his sequuntur fieri nequeunt, nec certè fieri potest ut ista sint principia. Quare si quævis unitates à quibusvis differant, & hæc, & alia his similia eveniant necesse est.

Si autem quædam in alio numero differunt, aliæ autem in eodem inter se solæ non differunt, hoc quoque modo difficultates non desunt. Nam in ipso denario, exempli causa, decem unitates insunt, cùm interim denarius ex his, & ex duobus qu nariis constet. Cùm autem non quivis numerus sit ipse denarius (neque enim ex quibusvis quinariis cõstat, quemadmodum neq; ex unitatibus) necesse est ut vnitates quæ in hoc denario sunt, inter se differant: cùm autẽ differãt, & vnitates etiã differẽt. Quòd si differunt, vtrùm non erunt alii binarii, sed hi duo tantùm, an erunt? Si autem non erunt, absurdum est: sive erunt, quinam denarius ex illis constabit? Neq; enim alius denarius præter ipsum in denario est. Quin etiam illud est necessarium, vt quaternarius non quibusvis binariis componatur; indefinitus enim binarius, ut aiunt sumpto binario definito duos binarios effecit. Eo enim sumpto, duos effecit.

Iam quonam modo fieri potest, vt præter duas vnitates sit binarius natura quædam, & præter tres vnitates ternarius? Aut enim alterum altero participabit, quemadmodum albus homo præter album & hominem (his enim participat) aut cùm alterum differentia est quædam alterius, veluti homo præter animal, & bipes.

Præterea quædam tactu sunt vnum alia

τέρου θάτερον διαφορά τις, ὥσπερ ἄνθρωπος παρὰ τὸ ζῶον καὶ δίπουν. ἔτι τὰ μὲν ἁφῇ ἐστὶν ἕν, τὰ δὲ μίξει, τὰ δὲ θέσει. ὧν οὐδὲν ἐνδέχεται ὑπάρχειν ταῖς μονάσιν, ἐξ ὧν ἡ δυὰς, καὶ ἡ τριάς. ἀλλ' ὥσπερ οἱ δύο ἄνθρωποι οὐχ ἕν τι παρὰ ἀμφοτέρους, οὕτως ἀνάγκη καὶ τὰς μονάδας. καὶ οὐχ ὅτι ἀδιαίρετοι διοίσουσιν. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ αἱ στιγμαὶ ἀδιαίρετοι. ἀλλ' ὅμως παρὰ τὰς δύο οὐδὲν ἕτερον ἡ δυὰς αὐτῶν. ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τοῦτο δεῖ λανθάνειν, ὅτι συμβαίνει προτέρας καὶ ὑστέρας εἶναι δυάδας· ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς ἄλλους ἀριθμούς. αἱ μὲν γὰρ ἐν τῇ τετράδι δυάδες ἔστωσαν ἀλλήλαις ἅμα. ἀλλ' αὗται τῶν ἐν τῇ ὀκτάδι πρότεραί εἰσι. καὶ ἐγέννησαν ὥσπερ ἡ δυὰς ταύτας, αὗται τὰς τετράδας τὰς ἐν τῇ ὀκτάδι αὐτῇ. ὥστε εἰ καὶ ἡ πρώτη δυὰς ἰδέα, καὶ αὗται ἰδέαι τινὲς ἔσονται. ὁ δ' αὐτὸς λόγος καὶ ἐπὶ τῶν μονάδων. αἱ γὰρ ἐν τῇ δυάδι τῇ πρώτῃ μονάδες, γεννῶσι τὰς τέτταρας τὰς ἐν τῇ τετράδι. ὥστε πᾶσαι αἱ μονάδες ἰδέαι γίνονται, καὶ συγκείσεται ἰδέα ἐξ ἰδεῶν. ὥστε δῆλον ὅτι κἀκεῖνα, ὧν ἰδέαι αὗται τυγχάνουσιν οὖσαι, συγκείμενα ἔσται. οἷον, εἰ τὰ ζῶα φαίη τις συγκεῖσθαι ἐκ ζώων, εἰ τούτων ἰδέαι εἰσίν, ἐκ ζώων ἰδέαι ἔσονται. ὅλως δὲ τὸ ποιεῖν τὰς μονάδας διαφόρους ὁπωσοῦν, ἄτοπον καὶ πλασματῶδες, λέγω δὲ πλασματῶδες, τὸ πρὸς ὑπόθεσιν βεβιασμένον. οὔτε γὰρ κατὰ τὸ ποσὸν, οὔτε κατὰ τὸ ποιὸν ὁρῶμεν διαφέρουσαν μονάδα μονάδος· ἀνάγκη τε ἢ ἴσον ἢ ἄνισον εἶναι ἀριθμόν, πάντα μὲν, ἀλλὰ μάλιστα τὸν μοναδικόν. ὥστε εἰ μήτε πλείων μήτε ἐλάττων, ἴσος. τὰ δὲ ἴσα καὶ ὅλως ἀδιάφορα, ταῦτα ὑπολαμβάνομεν ἐν τοῖς ἀριθμοῖς. εἰ δὲ μὴ οὐδ' αἱ ἐν ταύτῃ τῇ δεκάδι δυάδες ἀδιάφοροι ἔσονται, ἴσαι οὖσαι. τίνα γὰρ αἰτίαν ἕξει λέγειν, ὁ φάσκων ἀδιαφόρους εἶναι; ἔτι εἰ ἅπασα μονὰς καὶ μονὰς ἄλλη, δύο. ἡ δὲ ἐκ τῆς δυάδος αὐτῆς μονὰς, καὶ ἡ ἐκ τῆς τριάδος αὐτῆς δυὰς, ἔσται ἐκ διαφερουσῶν τε, καὶ πότερον προτέρα τῆς τριάδος ἢ ὑστέρα; μᾶλλον γὰρ ἔοικεν ἀναγκαῖον προτέραν εἶναι. ἡ μὲν γὰρ ἅμα τῇ τριάδι, ἡ δ' ἅμα τῇ δυάδι τῶν μονάδων. καὶ ἡμεῖς μὲν ὑπολαμβάνομεν ὅλως ἕν, καὶ ἕν. καὶ ἐὰν ᾖ ἴσα ἢ ἄνισα, δύο εἶναι. οἷον τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ κακὸν

A *mistione, alia situ; quorum nihil unitatibus, ex quibus binarius & ternarius constant, convenire potest; sed quemadmodum duo homines non unum aliquid sunt præter utrumque, ita necesse est, res habeat in unitatibus. Neque in iis erit discrimen quòd sint indivisibiles. namque & puncta sunt indivisibilia, nec tamen præter duo quicquam aliud est eorum binarius.*

Nec verò hoc lateat oportet, effici ut priores posterioresq́; sint unitates, eodemq́; modo cæteri numeri. Vt enim demus, unitates, quæ in quaternario sũt, simul esse, certè hæ ipsæ iis quæ in octonario insunt, priores sunt; & quẽadmo- B *dum binarius has genuit, ita & hæ quaternarios, quæ in octonario continentur. Quare si primus binarius, idea est, & hi quoq́; ideæ quædam erunt. Eadem ratio est in unitatibus. Vnitates enim quæ in primo binario sunt, generant eas quatuor, quæ in quaternario. Ita fiet ut omnes unitates ideæ sint, constabitq́; ex ideis idea. Ex qua re planè sequitur, illa etiam quorum hæ sunt ideæ, fore composita; ut si quis dicat, animalia ex animalibus constare, si horum ideæ sunt, ex animalibus ideæ erunt.*

Omnino autem facere unitates quoquo modo differentes, absurdum & commentitium C *est. Voco autem id commentitium, quod suppositionis gratia violentum est. Neque enim aut quantitate aut qualitate videtur unitas ab unitate differre; necesse est, aut parem aut imparem esse omnem numerum, sed monadicum maximè. Quare si nec maior, nec minor est, par utiq́; est: paria verò & omnino indifferentia eadem in numeris esse putamus. Sin minus, neq́; unitates, quæ in hoc denario sunt, indifferẽtes erunt, cum æquales sint; quam enim causam habebit, quam afferat, qui indifferentes esse dicat?*

Præterea si omnis unitas cum unitate alia, duo quædam sunt; unitas autem quæ ex ipso D *binario est, & binarius qui ex ipso ternario fuerit, ex differentibus erunt; priorne ipso ternario an posterior erit? Potius certè videtur prior esse necessariò. Altera enim unitatum videtur simul esse cum ternario, altera simul cum binario. Et nos quidem unum & unum sive æqualia sint, sive inæqualia sint, duo esse existimamus, ut bonum & malum, hominem &*

καὶ ἄνθρωπον καὶ ἵππον. οἱ δ' οὕτω λέγοντες, οὐδὲ τὰς μονάδας. εἴ τε μή ἐστι πλείων ἀριθμὸς ὁ τῆς τριάδος αὐτῆς, ἢ ὁ τῆς δυάδος, θαυμαστόν. εἴ τε ἐστὶ πλείων, δῆλον ὅτι καὶ ἴσος ἔνεστι τῇ δυάδι, ὥστε οὗτος ἀδιάφορος αὐτῇ τῇ δυάδι, ἀλλ' οὐκ ἐνδέχεται εἰ πρῶτός τις ἐστὶν ἀριθμὸς, καὶ δεύτερος. οὐδὲ ἔσονται αἱ ἰδέαι ἀριθμοί. τοῦτο μὲν γὰρ αὐτὸ ὀρθῶς λέγουσιν, οἱ διαφόρους τὰς μονάδας ἀξιοῦντες εἶναι, εἴπερ ἰδέαι ἔσονται, ὥσπερ εἴρηται πρότερον. ἓν γὰρ τὸ εἶδος· αἱ δὲ μονάδες εἰ ἀδιάφοροι, καὶ αἱ δυάδες καὶ αἱ τριάδες ἀδιάφοροι ἔσονται. B διὸ καὶ τὸ ἀριθμεῖσθαι οὕτως ἓν, δύο μὴ προσλαμβανομένου πρὸς τῷ ὑπάρχοντι, ἀναγκαῖον αὐτοῖς λέγειν, οὔτε γὰρ ἡ γένεσις ἔσται ἐκ τῆς ἀορίστου δυάδος, οὔτ' ἰδέαν ἐνδέχεται εἶναι· ἐνυπάρξει γὰρ ἑτέρα ἰδέα ἐν ἑτέρᾳ, καὶ πάντα τὰ εἴδη, ἑνὸς μέρη. διὸ πρὸς μὲν τὴν ὑπόθεσιν, ὀρθῶς λέγουσιν, ὅλως δ' οὐκ ὀρθῶς· πολλὰ γὰρ ἀναιροῦσιν. ἐπεὶ τοῦτό γ' αὐτὸ ἔχειν τινὰ φήσουσιν ἀπορίαν, πότερον ὅταν ἀριθμῶμεν καὶ εἴπωμεν ἓν, δύο, C τρία, προσλαμβάνοντες ἀριθμοῦμεν, ἢ κατὰ μερίδας; ποιοῦμεν δὲ ἀμφοτέρως. διὸ γελοῖον ταύτην εἰς τηλικαύτην τῆς οὐσίας ἀνάγειν διαφοράν.

A equum; qui autē ita dicunt, nē ipsas quidem unitates. Quod si maior non est numerus ipsius ternarii, quam ipsius binarii, mirum id est: sin maior, perspicuum est parem quoque inesse binario. Ita fit ut hic ab ipso binario non differat. At hoc fieri non potest si primus aliquis numerus est, & secundus; neq; etiam ideæ numeri erunt. Hoc enim ipsum rectè dicunt, qui unitates differentes esse existimant, si ideæ quidem erunt, ut superius dictum est; una enim erit species.

Si verò unitates non differunt, binarii quoque & ternarius non different. Quo fiet ut B necesse sit hoc pacto numerentur, unum, duo, haud assumpto aliquo cum eo quod iam erat. Neq; enim generatio ex indefinito binario erit; neque idea esse poterit: inerit enim altera idea in altera; & omnes species unius partes erunt. Ita fit ut ad suppositionem, rectè quidem dicant; omnino autem non rectè: multa enim de medio tollunt.

Quoniam verò hoc ipsum dicent quandam habere dubitationem; num quando numeramus ac dicimus, unum duo, tria assumentes numerem; an per partes; an vero utroque mo- C do faciamus; Ridiculum enim est hanc ad tātam substantiæ differentiam reducere.

Κεφάλαιον η'.

Πάντων δὲ πρῶτον καλῶς ἔχει διορίσασθαι, τίς ἀριθμοῦ διαφορὰ, καὶ μονάδος, εἰ ἔστιν. ἀνάγκη δὴ ἢ κατὰ τὸ ποσὸν, ἢ κατὰ τὸ ποιὸν διαφέρειν. τούτων δ' οὐδέτερον φαίνεται ἐνδέχεσθαι ὑπάρχον, ἀλλ' ᾗ ἀριθμὸς κατὰ τὸ ποσόν. εἰ δὲ δὴ καὶ αἱ μονάδες τῷ ποσῷ διέφερον, κἂν ἀριθμὸς ἀριθμοῦ διέφερεν, ὁ ἴσος τῷ πλήθει τῶν μονάδων. ἔτι πότερον αἱ πρῶται μείζους ἢ ἐλάττους, καὶ ὕστερον ἐπιδιδόασιν, ἢ τοὐναντίον. πάντα γὰρ ταῦτα ἄλογα, ἀλλὰ μὴν οὐδὲ κατὰ τὸ ποιὸν διαφέρειν ἐνδέχεται. οὐθὲν γὰρ αὐταῖς οἷόν τε ὑπάρχειν πάθος· ὕστερον καὶ τοῖς ἀριθμοῖς φασὶν ὑπάρχειν τὸ ποιὸν τοῦ ποσοῦ. ἔτι οὔτ' ἂν ἀπὸ τοῦ ἑνὸς τοῦτ' αὐταῖς γένοιτο, οὔτ' ἂν ἀπὸ τῆς δυάδος, τὸ

CAP. VIII.

Primumq; omnium operæ pretium est definire quænam sit differentia, si qua est, numeri & unitatis. Necesse est utique ea aut quantitate, aut qualitate differre. D Neutrum autem horum esse posse videtur, nisi quatenus numerus est, quantitate. Quod si unitates etiā quātitate differrent, numerus quoq; à numero differret, is qui par est, unitatū multitudine Præterea sunt ne primæ maiores, an minores, deinde cresc̄ut; an contra; hæc enim omnia absurda sunt, sed nec qualitate differre possunt. Nullam enim in eas posteriorē passionē cadere posibile est: at numeris aiunt posterius inesse qualitatē, quā quantitatē. Adde quod nec ab uno hoc eis continget, nec à binario: illud enim non est quale, hic verò quantū qualē. Cur enim ea quæ sunt, multa sint, hæc natura est causa.

Quòd si modo aliquo se res aliter habet, id

μὲν γὰρ οὐ ποιὸν ἢ ποσόν, ποιόν. τὸ δὲ γὰρ πολλὰ τὸ ἓν εἶναι, αἰτία αὐτὴ ἡ φύσις. εἰ δ' ἄρα ἔχει πως ἄλλως, λεκτέον ἐν ἀρχῇ μάλιστα τοῦτο. καὶ διοριστέον περὶ μονάδος διαφορᾶς μάλιστα μὲν καὶ διότι ἀνάγκη ὑπάρχειν. εἰ δὲ μή, τίνα λέγουσιν; ὅτι μὲν οὖν εἴπερ εἰσὶν ἀριθμοὶ αἱ ἰδέαι, οὔτε συμβλητὰς τὰς μονάδας ἁπάσας ἐνδέχεται εἶναι φανερόν, οὔτε ἀσυμβλήτους ἀλλήλαις οὐδέτερον τῶν τρόπων. ἀλλὰ μὴν, οὐδ' ὡς ἕτεροί τινες λέγουσι περὶ τῶν ἀριθμῶν, λέγεται καλῶς. εἰσὶ δ' οὗτοι ὅσοι ἰδέας μὲν οὐκ οἴονται εἶναι, οὔτε ἁπλῶς, οὔτε ὡς ἀριθμούς τινας οὔσας. τὰ δὲ μαθηματικὰ εἶναι, καὶ τοὺς ἀριθμοὺς πρώτους τῶν ὄντων, καὶ ἀρχὴν αὐτῶν εἶναι αὐτὸ τὸ ἕν. ἄτοπον γὰρ, τὸ ἓν μὲν εἶναί τι πρῶτον τῶν ἑνῶν, ὥσπερ ἐκεῖνοί φασι, δυάδα δὲ τῶν δυάδων μή, μηδὲ τριάδα τῶν τριάδων. τοῦ γὰρ αὐτοῦ λόγου πάντα ἐστίν. εἰ μὲν οὖν οὕτως ἔχει τὰ περὶ τὸν ἀριθμόν, καὶ θήσει τις εἶναι τὸν μαθηματικὸν μόνον, οὐκ ἔστι τὸ ἓν ἀρχή. ἀνάγκη γὰρ διαφέρειν τὸ ἓν τὸ τοιοῦτο τῶν ἄλλων μονάδων. εἰ δὲ τοῦτο, καὶ δυάδα τινὰ πρώτην τῶν δυάδων. ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς ἄλλους ἀριθμοὺς τοὺς ἐφεξῆς. εἰ δέ ἐστι τὸ ἓν ἀρχή, ἀνάγκη μᾶλλον, ὥσπερ Πλάτων ἔλεγεν, ἔχειν τὰ περὶ τοὺς ἀριθμούς, καὶ εἶναί τινα πρώτην δυάδα καὶ τριάδα, καὶ οὐ συμβλητοὺς εἶναι τοὺς ἀριθμοὺς πρὸς ἀλλήλους. ἂν δ' αὖ πάλιν τις θῇ ταῦτα, εἴρηται ὅτι ἀδύνατα πολλὰ συμβαίνει, ἀλλὰ μὴν ἀνάγκη γε, ἢ ἐκείνως, ἢ οὕτως ἔχειν. ὥστ' εἰ μηδετέρως, οὐκ ἂν ἐνδέχοιτο εἶναι τὸν ἀριθμὸν χωριστόν. φανερὸν δ' ἐκ τούτων, καὶ ὅτι χείριστα λέγεται ὁ τρίτος τρόπος, τὸ εἶναι τὸν αὐτὸν ἀριθμὸν τὸν τῶν εἰδῶν καὶ τὸν μαθηματικόν. ἀνάγκη γὰρ εἰς μίαν δόξαν συμβαίνειν δύο ἁμαρτίας. οὔτε γὰρ μαθηματικὸν ἀριθμὸν ἐνδέχεται τοῦτον εἶναι τὸν τρόπον, ἀλλ' ἰδίας ὑποθέσεις ὑποθέμενον, ἀνάγκη μηκύνειν, ὅσα τε τοῖς ὡς εἴδη τὸν ἀριθμὸν λέγουσι συμβαίνει, καὶ ταῦτα ἀναγκαῖον λέγειν. ὁ δὲ τῶν Πυθαγορείων τρόπος, τῇ μὲν ἐλάττους ἔχει τῶν πρότερον εἰρημένων δυσχερείας, τῇ δὲ ἰδίας ἑτέρας. τὸ μὲν γὰρ μὴ χωριστὸν ποιεῖν τὸν ἀριθμόν, ἀφαιρεῖται πολλὰ τῶν ἀδυνάτων. τὸ δὲ τὰ σώματα ἐξ ἀριθμῶν εἶναι συγκείμενα, καὶ τὸν ἀριθμὸν τοῦτον

A initio potissimùm dicendum erat: explicandaque unitatis differentia, præcipuè quidem cũ inesse necesse sit: sin minus, quã dicãt? ac si ideæ sunt numeri, perspicuum est, neutro modo fieri posse ut vel unitates omnes inter se cõmunicabiles sint, nec incommunicabiles.

Neque verò ut alii quidam de numeris loquuntur, rectè dicitur. Sunt autem hi quicunq́ ideas quidem esse putant, nec simpliciter nec ut numeros* quosdam existentes: mathematica verò esse, & numeros primos esse eorum quæ sunt, ipsumq́ unum esse eorum principium. Absurdum enim esse, unum quidem
B esse unorum principium (ut illi aiunt) binarium verò binariorum non item, nec ternariorum ternarium. Eiusdem enim rationis esse omnia.

*Vide Græca aliter habentia.

Si ergo quæ de numero tractantur, ita se habent, solumq́ mathematicum aliquis esse ponat, non erit utiq́ principium unum ipsum. Necesse enim esset, ut tale unum ab aliis unitatibus differret. Quodsi verum est, necesse quoque est, binarium quendam primum binariorum esse: eodemq́ modo rem habere in cæteris deinceps numeris. Quodsi unum ipsum principium est, necesse est potius, ut ea quæ de numeris tractantur, ita habeant, ut Plato dice-
C bat, atq́ esse primum quendam binarium & ternarium, nec numeros esse inter communicabiles. Si quis verò rursus hæc ponat, iam diximus, multa quæ fieri nequeunt, inde effici. Atqui necesse est, rem aut hoc aut illo modo se habere. Quare si neutro modo, nec numerus separatus esse poterit.

Ex his autem perspicuum est, pessimè induci tertium modum, eundem scilicet esse specierum numerum atq́ mathematicum. Est enim necesse, ut in unam opinionem duo errores concurrant. Nam nec mathematicus numerus hoc modo esse potest, sed qui privatas
D suppositiones constituat, necesse est prolixum esse; & quæcumq́ eveniunt iis qui numerum ut species esse asserunt, hæc etiam concedere coguntur.

Modus autem Pythagoreorum, partim pauciores difficultates, quæ prius allatæ sunt, partim alias proprias & peculiares habet. Nã numerum facere haud separatum, multa tollit, quæ fieri non possunt. Corpora verò ex numeris constare, & hunc numerum esse mathe-

εἶναι

εἶναι μαθηματικὸν, ἀδιώατον ἐστίν. οὔτε γὰρ A ἄτομα μεγέθη λέγειν ἀληθές. εἶθ᾽ ὅτι μάλιστα τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον, οὐχ αἵ γε μονάδες μέγεθος ἔχουσι. μέγεθος δὲ ἐξ ἀδιαιρέτων συγκεῖσθαι πῶς δυνατόν; ἀλλὰ μὴν, ὁ γὰρ ἀριθμητικὸς ἀριθμὸς, μοναδικός ἐστιν, ἐκεῖνοι δὲ τὸν ἀριθμὸν, τὰ ὄντα λέγουσι. τὰ γοῦν θεωρήματα προσάπτουσι τοῖς σώμασιν ὡς ἐξ ἐκείνων ὄντων τῶν ἀριθμῶν. ἔτι τοίνυν ἀνάγκη μὲν, εἴπερ ἐστὶν ἀριθμὸς, τῶν ὄντων τι καθ᾽ αὑτὸ τούτων εἶναί τινα τῶν εἰρημένων τρόπων, οὐθένα δὲ τούτων ἐνδέχεται. φανερὸν οὖν ὡς οὐκ ἔστιν ἀριθμοῦ τις τοιαύτη φύσις, οἵαν κατασκευάζουσιν οἱ χωριστὸν ποιοῦντες αὐτόν. B ἔτι πότερον ἑκάστη μονὰς ἐκ τοῦ μεγάλου καὶ μικροῦ ἰσασθέντων ἐστὶν, ἢ ἡ μὲν ἐκ τοῦ μικροῦ, ἡ δ᾽ ἐκ τοῦ μεγάλου; εἰ μὲν δὴ οὕτως, οὔτε ἐκ πάντων τῶν στοιχείων ἕκαστον, οὔτε ἀδιάφοροι αἱ μονάδες. ἐν τῇ μὲν γὰρ τὸ μέγα, ἐν τῇ δὲ τὸ μικρὸν ὑπάρχει ἐναντίον τῇ φύσει ὄν. ἔτι αἱ ἐν τῇ τριάδι αὐτῇ πῶς; μία γὰρ περιττή. ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἴσως αὐτὸ τὸ ἓν ποιοῦσιν ἐν τῷ περιττῷ μέσον. εἰ δ᾽ ἑκατέρα τῶν μονάδων ἐξ ἀμφοτέρων ἐστὶν ἰσα- C σθέντων, ἡ δυὰς πῶς ἔσται μία τις οὖσα φύ- μονὰς τῆς δυάδος. ἀναιρουμένης γὰρ, σις ἐκ τοῦ μεγάλου καὶ μικροῦ; ἢ τί διοίσει τῆς μονάδος; ἔτι προτέρα ἡ ἀναιρεῖται ἡ δυάς. ἰδέαν οὖν ἰδέας ἀναγκαῖον αὐτὴν εἶναι προτέραν γ᾽ οὖσαν ἰδέας, καὶ γεγονέναι προτέραν ἐκ τινος οὖν, ἡ γὰρ ἀόριστος δυὰς, δυοποιὸς ἦν. ἔτι ἀνάγκη, ἤτοι ἄπειρον εἶναι τὸν ἀριθμὸν, ἢ πεπερασμένον. χωριστὸν γὰρ ποιοῦσι τὸν ἀριθμόν. ὥστε οὐχ οἷόν τε μὴ οὐχὶ τούτων θάτερον ὑπάρχειν. ὅτι μὲν τοίνυν ἄπειρον οὐκ ἐνδέχεται, δῆλον, οὔτε γὰρ περιττὸς ὁ ἄ- D πειρός ἐστιν, οὔτε ἄρτιος. ἡ δὲ γένεσις τῶν ἀριθμῶν, ἢ περιττοῦ ἀριθμοῦ, ἢ ἀρτίου ἐστὶν ἀεί. ὡδὶ μὲν τοῦ ἑνὸς εἰς τὸν ἄρτιον πίπτοντος, περιττός. ὡδὶ δὲ τῆς μὲν δυάδος ἐμπιπτούσης, ὁ ἀφ᾽ ἑνὸς διπλασιαζόμενος· ὡδὶ δὲ τῶν περιττῶν, ὁ ἄλλος ἄρτιος. ἔτι εἰ πᾶσα ἰδέα τινὸς, οἱ δὲ ἀριθμοὶ ἰδέαι, καὶ ὁ ἄπειρος ἔσται ἰδέα τινὸς, ἢ τῶν αἰσθητῶν, ἢ ἄλλου τινός. καίτοι οὔτε κατὰ τὴν θέσιν ἐνδέχεται, οὔτε κατὰ τὸν λόγον, τάττουσι δ᾽ οὕτω τὰς ἰδέας. εἰ δὲ πεπερασμένος, μέχρι

maticum, ex iis est, quæ fieri nequeunt. Neque enim verum est, indivisibiles magnitudines asserere.

Adde quòd ut quàm maximè hoc modo se res habeat; certè unitates magnitudinem non habent. Magnitudinem verò ex indivisibilibus componi, quonam modo fieri potest?

Atqui Arithmeticus numerus, monadicus est; illi verò ea quæ sunt, numerum esse dicunt. Sic enim theoremata corporibus accommodant, quasi ex ipsis numeris constent. Quòd si necesse est, si numerus quidē est aliquid eorum quæ sunt à rebus seiuncta, esse illum aliquo modo eorum, qui propositi sunt; neque ullus eorum esse potest: non dubium est, quin nulla sit talis numeri natura qualem asserunt ii qui eum separatum faciunt.

Præterea constatne unaquæque unitas ex magno & parvo æquatis inter se, an hoc quidem ex magno, illa ex parvo? Si igitur sic res habet, neque ex elementis omnibus unumquodque existit, neque unitates indifferentes sunt: in hac enim magnum, in illa parvum inest, quod natura adversatur.

Præterea quæ ipso ternario sunt, quonam modo sunt? Vna enim supervacanea est. Verùm hac fortasse de causa unum ipsum imparis medium faciunt: si verò utraque unitas ex utraque exæquata constat, quonam pacto binarius una quædam natura cùm sit, ex magno & parvo constabit? aut qua ratione ab unitate differet?

Præterea necesse est, aut finitum esse numerum aut infinitum: separatum enim numerum faciunt. Igitur fieri non potest quin horum alterum sit. Et quidem infinitum esse non posse haud dubiū est. Infinitus enim nec par est, nec impar. generatio enim numerorum aut imparis numeri, aut paris est semper. Cùm enim hoc modo unum in parem cadit, impar efficitur; cùm autem illo modo cadit binarius, is oritur qui ab uno duplicatur; cùm verò alio modo impares, alius par procreatur. Illud adde, si omnis idea alicuius est idea; numeri autem ideæ sunt; infinitus numerus erit alicuius idea sive sensibilium sive alicuius rei alterius; quanquam neque ex eo quod ponitur, id sequatur, neque ex ratione. veruntamen hoc pacto ideas constituunt.

Si verò finitus est numerus, quousque tan-

πόσου; τοῦτο γὰρ δεῖ λέγεσθαι, οὐ μόνον ὅτι, ἀλλὰ καὶ διότι. ἀλλὰ μὴν εἰ μέχρι τῆς δεκάδος ὁ ἀριθμὸς, ὥσπερ τινές φασι, πρῶτον μὲν ταχὺ ἐπιλείψει τὰ εἴδη. οἷον εἰ ἔστιν ἡ τριὰς αὐτοάνθρωπος, τίς ἔσται ἀριθμὸς αὐτόϊππος; αὐτὸ γὰρ ἕκαστος ἀριθμὸς, μέχρι δεκάδος. ἀνάγκη δὴ τῶν ἐν τούτοις ἀριθμῶν τινὰς εἶναι· οὐσίαι γὰρ καὶ ἰδέαι οὗτοι. ἀλλ᾽ ὅμως ἐπιλείψει, τὰ τοῦ ζώου γὰρ ἤδη ὑπάρξει. ἅμα δὲ δῆλον, ὅτι εἰ οὕτως ἡ τριὰς αὐτοάνθρωπος, καὶ αἱ ἄλλαι τριάδες. ὅμοιαι γὰρ ἐν τοῖς αὐτοῖς ἀριθμοῖς. ὥστε ἄπειροι ἔσονται ἄνθρωποι. εἰ μὲν ἰδέα ἑκάστη τριὰς, αὐτὸ ἕκαστος ἂν ἄνθρωπος. εἰ δὲ μὴ ἀλλ᾽ ἄνθρωποί γε. καὶ εἰ μέρος ὁ ἐλάττων τοῦ μείζονος, ὁ ἐκ τῶν συμβλητῶν μονάδων, τῶν ἐν τῷ αὐτῷ ἀριθμῷ. εἰ δὴ ἡ τετρὰς αὐτὴ ἰδέα τινός ἐστιν, οἷον ἵππου ἢ λευκοῦ, ὁ ἄνθρωπος ἔσται μέρος ἵππου, εἰ δυὰς ὁ ἄνθρωπος. ἄτοπον δὲ καὶ τὸ τῆς μὲν δεκάδος εἶναι ἰδέαν, ἑνδεκάδος δὲ μὴ, μηδὲ τῶν ἐχομένων ἀριθμῶν. ἔτι δὲ καὶ ἔστι καὶ γίνεται ἔνια ὧν εἴδη οὐκ ἔστιν. ὥστε διὰ τί οὐ κἀκείνων εἴδη ἐστίν; οὐκ ἄρα αἴτια τὰ εἴδη ἐστίν. ἔτι ἄτοπον εἰ ὁ ἀριθμὸς ὁ μέχρι τῆς δεκάδος, μᾶλλόν τι ὂν καὶ εἶδος αὐτῆς τῆς δεκάδος. καίτοι τοῦ μὲν οὐκ ἔστι γένεσις ὡς ἑνὸς, τῆς δ᾽ ἔστι. πειρῶνται δ᾽ ὡς τοῦ μέχρι τῆς δεκάδος τελείου ὄντος ἀριθμοῦ. γεννῶσι γοῦν τὰ ἑπόμενα, οἷον τὸ κενὸν, ἀναλογίαν, τὸ περιττὸν, τὰ ἄλλα τὰ τοιαῦτα ἐντὸς τῆς δεκάδος. τὰ μὲν γὰρ ταῖς ἀρχαῖς ἀποδιδόασιν, οἷον, κίνησιν, ἀγαθὸν, κακόν. τὰ δ᾽ ἄλλα τοῖς ἀριθμοῖς· διὸ τὸ ἓν τὸ περιττόν. εἰ γὰρ ἐν τῇ τριάδι, πῶς ἡ πεντὰς περιττόν; ἔτι τὰ μεγέθη καὶ ὅσα τοιαῦτα, μέχρι πόσου; οἷον ἡ πρώτη γραμμὴ ἄτομος. εἶτα δυὰς, εἶτα καὶ ταῦτα μέχρι δεκάδος. ἔτι εἰ ἔστι χωριστὸς ὁ ἀριθμὸς, ἀπορήσειεν ἄν τις, πότερον πρότερον τὸ ἓν ἢ ἡ τριὰς καὶ ἡ δυάς. ᾗ μὲν δὴ σύνθετος ὁ ἀριθμὸς, τὸ ἕν. ᾗ δὲ τὸ καθόλου πρότερον καὶ τὸ εἶδος, ὁ ἀριθμός, ἑκάστη γὰρ τῶν μονάδων μόριον τοῦ ἀριθμοῦ ὡς ὕλη, ὁ δ᾽ ὡς εἶδος. καὶ ἔστι μὲν ὡς ἡ ὀρθὴ προτέρα τῆς ὀξείας, ὅτι ὥρισται καὶ τῷ λόγῳ. ἔστι δ᾽ ὡς ἡ ὀξεῖα, ὅτι μέρος, καὶ εἰς ταύτην διαιρεῖται. ὡς μὲν δὴ ὕλη ἡ ὀξεῖα, καὶ τὸ

A *dem? hoc enim dicendum est, non solum esse, sed etiam propter quid sit. Quod si ad denarium usq; numerus excrescit, ut quidam dicunt, primum quidem brevi admodum deficiet species, veluti si ternarius est ipse homo, quis nam erit numerus .... ad denarium usq; esse ponitur. Necesse igitur est, quosdam numeros in his esse, cum hi substantiae ac ideae sint, sed tamen deficient, quod animalis species sint.*

Simul autem illud perspicuum est, si hoc modo ternarius est ipse homo, alios quoq; ternarios fore: similes enim sunt qui in eisdem sunt numeris. Ita infiniti erunt homines. Ac si unus quisq; ternarius idea est, unus quisq; etiam est ipse homo; sin minus, certè homines. Itemq; si minor numerus pars est maioris, qui constat ex communicabilibus unitatibus, quae sunt in eodem numero; si quaternarius ipse, idea alicuius est, veluti equi, aut albi, homo erit pars equi; si binarius homo est.

Absurdum quoq; illud est denarii esse ideam, non item undenarii, sequentiumq; numerorum.

Præterea & sunt & fiunt quaedam quorum species non sunt. Qua de causa igitur & illorum non sunt species? Non ergo species causae sunt.

C *Præterea absurdum est, denarii quidem ideam esse, si numerus qui ad denarium usq; est, magis aliquid sit, & species ipsius denarii; tametsi huius quidem generatio tanquam unius non sit, illius autem sit. Conantur autem id facere quasi is qui ad denarium est, perfectus sit. Generant autem ea quae sequuntur, ut vacuum, proportionem, impar, & alia huiusmodi intra denarium. Alia enim principiis attribuunt, ut motum, statum bonum & malum; alia numeris. Quocirca unum impar est. Si enim in ternario, quomodo quinarius impar?*

D *Præterea magnitudines & alia huiusmodi, quousq; * quanta? ut prima indivisibilis, deinde binarius, tum haec etiam usq; ad denarium.* * quanti.

Præterea si numerus separatus est, quaerat aliquis, sitne prius unum, an ternarius & binarius. Quatenus certè numerus compositus est, unum est prius: quatenus verò universale & species, prior est numerus. Vna quaeq; enim unitatum numeri pars est tanquam materia, ille verò tanquam species est. Estq; modo quodam rectus angulus acuto prior, quia & in ratione definiente ponatur: modo autem alio acutus, quod pars sit, & in eum fiat divisio. Itaque

στοιχεῖον, καὶ ἡ μονάς, πρότερον. ὡς δὲ κατὰ τὸ εἶδος καὶ τὴν οὐσίαν τὴν κατὰ τὸν λόγον, ἡ ὀρθὴ καὶ τὸ ὅλον τὸ ἐκ τῆς ὕλης καὶ τοῦ εἴδους. ἐγγύτερον γὰρ τοῦ εἴδους καὶ οὗ ὁ λόγος, ἄμφω. γενέσει δ' ὕστερον. πῶς οὖν ἀρχὴ τὸ ἕν; ὅτι οὐ διαιρετόν φασιν, ἀλλὰ ἀδιαίρετον, καὶ τὸ καθόλου καὶ τὸ ἐπὶ μέρους, καὶ τὸ στοιχεῖον. ἀλλὰ τρόπον ἄλλον. τὸ μὲν κατὰ λόγον, τὸ κατὰ χρόνον. ποτέρως οὖν τὸ ἓν ἀρχή; ὥσπερ γὰρ εἴρηται καὶ ἡ ὀρθὴ τῆς ὀξείας καὶ αὕτη ἐκείνης δοκεῖ προτέρα εἶναι, καὶ ἑκατέρα μία. ἀμφοτέρως δὴ ποιοῦσι τὸ ἓν ἀρχήν, ἔστι δὲ ἀδύνατον. τὸ μὲν γὰρ ὡς εἶδος καὶ ἡ οὐσία. τὸ δ' ὡς μέρος καὶ ὡς ὕλη ἔστι γάρ πως ἓν ἑκάτερον, τῇ μὲν ἀληθείᾳ, δυνάμει. εἴ γε ὁ ἀριθμὸς ἕν τι, καὶ μὴ ὡς σωρὸς, ἀλλ' ἕτερον ἐξ ἑτέρων μονάδων, ὥσπερ φασιν. ἐντελεχείᾳ δ' οὐκ ἔστι μονὰς ἑκατέρα. αἴτιον δὲ τῆς συμβαινούσης ἁμαρτίας ὅτι ἅμα ἐκ τῶν μαθημάτων ἐθήρευον, καὶ ἐκ τῶν λόγων τῶν καθόλου. ὡς ἐξ ἐκείνων μὲν ὡς στιγμὴν τὸ ἓν καὶ τὴν ἀρχὴν ἔθηκαν. ἡ γὰρ μονὰς στιγμὴ ἄθετός ἐστι. καθάπερ οὖν καὶ ἕτεροί τινες, ἐκ τοῦ ἐλαχίστου τὰ ὄντα συνετίθεσαν καὶ οὗτοι. ὥστε γίγνεται ἡ μονὰς ὕλη τῶν ἀριθμῶν, καὶ ἅμα προτέρα τῆς δυάδος, πάλιν δὲ ὑστέρα, ὡς ὅλου τινὸς καὶ ἑνὸς, καὶ εἴδους τῆς δυάδος οὔσης. διὰ δὲ τὸ καθόλου ζητεῖν τὸ κατηγορούμενον ἕν, καὶ οὕτως ὡς μέρος ἔλεγον, ταῦτα δὲ ἅμα τῷ αὐτῷ ἀδύνατον ὑπάρχειν. εἰ δὲ τὸ ἓν αὐτὸ δεῖ μόνον ἄθετον εἶναι (οὐθενὶ γὰρ διαφέρει, ἢ ὅτι ἀρχή, καὶ ἡ μὲν δυὰς διαιρετή, ἡ δὲ μονὰς οὔ) ὁμοιοτέρα ἂν εἴη τῷ ἑνὶ αὐτῷ ἡ μονάς. εἰ δ' ἡ μονάς, κἀκεῖνο τῇ μονάδι. ἢ τῇ δυάδι. ὥστε προτέρα ἂν εἴη ἑκατέρα ἡ μονὰς τῆς δυάδος. οὔ φασι δέ. δὲ γεννῶσι γοῦν τὴν δεκάδα πρῶτον, ἔπι εἰ ἔστιν ἡ δυὰς ἕν τι αὐτὴ καὶ ἡ τριὰς αὐτή, ἄμφω δυάς. ἐκ τίνος οὖν αὕτη ἡ δυάς;

que elementum, acutus angulus, & unitas quatenus materiæ rationem subeunt, priora sunt: rectus autem angulus ac totum quod ex materia & forma constat, quatenus ad speciem rationemq́ substantiæ pertinent: propinquius enim ad speciem, & id cuius est ratio spectat utrumq́ simul, tametsi est generatione posterius.

Quo igitur modo unum ipsum principium est? quod indivisibile sit, ut aiunt. Atqui indivisibile etiam est & universale, & particulare, & elementum; sed alio modo, illud quidem ratione; hoc verò tempore. Utro igitur modo unum ipsum principium est? Namque ut dictum est & rectus acuto, & hic illo prior videtur esse, & uterq́ unus est. Utroq́ igitur modo unum ipsum principium faciunt, at fieri non potest. Illud enim ut forma & substantia, hoc autem ut pars & materia est. Est enim unum quodammodo utrumq́, re quidem vera, potestate (si numerus quidem unum quid est, non ut acervus, sed aliud ex aliis unitatibus, ut dicunt) actu autem unitas ipsa, utrumq́ non est.

Causa verò erroris, qui accidit, ea est, quia simul ex mathematicis considerationibus, & ex universalibus rationibus hæc venabantur. Itaq́ ex illis unum ipsum & principium ut punctum esse posuerunt. Unitas enim punctum sine positione est. Quemadmodum igitur alii quidam, sic etiam hi ex minimo ea quæ sunt, composuerunt. Itaq́ unitas numerorum materia efficitur, estq́ simul prior binario, rursusq́ posterior; quasi binarius totum quiddam binarius totum quiddam sit, & unum, ac species. Quia verò prædicatum unum quærebãt, quod universè diceretur, hoc etiam modo ut partem illud esse asserebant. At hoc simul eidem convenire nequeunt. Quòd si unum ipsum sine positione tantummodo esse oportet (nulla enim ratione differt, nisi quòd principium est, & binarius quidem divisibilis, unitas non item) similior utiq́ erit ipsi uni unitas, quàm binarius. Si autem unitas uni, & illud unitati similius sit quàm binario, prior erit utiq́ binario utraq́ unitas, quod tamen haud concedunt. Primò enim binarium generant. Præterea si binarius ipse unum quid est, & ipse etiam ternarius, uterq́ sanè binarius erit. Ex quo igitur hic binarius erit?

Κεφά-

Κεφάλαιον. θ'

Ἀπορήσειε δ' ἄν τις, καὶ ἐπεὶ ἁφὴ μὲν οὐκ ἔστιν ἐν τοῖς ἀριθμοῖς, τὸ δ' ἐφεξῆς, ὅσων μὴ ἔστι μεταξὺ μονάδων, οἷον τῶν ἐν τῇ δυάδι, ἢ τῇ τριάδι, πότερον ἐφεξῆς τῷ ἑνὶ αὐτῷ, ἢ οὔ. καὶ πότερον ἡ δυὰς προτέρα τῶν ἐφεξῆς ἢ τῶν μονάδων ὁποτεραοῦν. ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῶν ὑστέρων γενῶν τοῦ ἀριθμοῦ συμβαίνει τὰ δυσχε- B
ρῆ, γραμμῆς τε καὶ ἐπιπέδου καὶ σώματος. οἱ μὲν γὰρ ἐκ τῶν εἰδῶν τοῦ μεγάλου καὶ τοῦ μικροῦ ποιοῦσιν. οἷον ἐκ μακροῦ μὲν καὶ βραχέος, τὰ μήκη· πλατέος δὲ καὶ στενοῦ, τὰ ἐπίπεδα. ἐκ βαθέος δὲ καὶ ταπεινοῦ τοὺς ὄγκους. ταῦτα δέ ἐστιν εἴδη τοῦ μεγάλου καὶ μικροῦ. τὴν δὲ κατὰ τὸ ἓν ἀρχήν, ἄλλοι ἄλλως τιθέασι τῶν τοιούτων. καὶ ἐν τούτοις δὲ μυρία φαίνεται τά τε ἀδύνατα καὶ τὰ πλασματώδη, καὶ τὰ ὑπεναντία πᾶσι τοῖς εὐλόγοις. ἀπολελυμένα τε γὰρ ἀλλήλων συμβαίνει, εἰ μὴ συνακολουθοῦσι καὶ αἱ C
ἀρχαί. ὥστε εἶναι τὸ πλατὺ καὶ στενόν, καὶ μακρὸν καὶ βραχύ. εἰ δὲ τοῦτο, ἔσται τὸ ἐπίπεδον γραμμή, καὶ τὸ στερεὸν, ἐπίπεδον. ἔτι δὲ γωνίαι καὶ σχήματα καὶ τὰ τοιαῦτα πῶς ἀποδοθήσεται; ταὐτό τε συμβαίνει τοῖς περὶ τὸν ἀριθμόν. ταῦτα γὰρ πάθη μεγέθους ἐστίν. ἀλλ' οὐκ ἐκ τούτων τὸ μέγεθος, ὥσπερ οὐδ' ἐξ εὐθέος καὶ καμπύλου τὸ μῆκος, οὐδ' ἐκ λείου καὶ τραχέος τὰ στερεά. πάντων δὲ κοινὸν τούτων, ὅπερ ἐπὶ τῶν εἰδῶν. τὸ ὡς γένους συμβαίνει διαπορεῖν, ὅταν τις θῇ τὰ καθό- D
λου, πότερον τὸ ζῷον αὐτὸ ἐν τῷ ζῴῳ ἢ ἕτερον αὐτοῦ ζῴου. τούτου γὰρ μὴ χωριστοῦ μὲν ὄντος, οὐδεμίαν ποιήσει ἀπορίαν. χωριστοῦ δέ, ὥσπερ οἱ ταῦτα λέγοντές φασι τοῦ ἑνὸς καὶ τῶν ἀριθμῶν, οὐ ῥᾴδιον διαλῦσαι εἰ μὴ ῥᾴδιον δεῖ λέγειν τὸ ἀδύνατον. ὅταν γὰρ νοῇ τις ἐν τῇ δυάδι τὸ ἕν, καὶ ὅλως ἐν ἀριθμῷ, πότερον αὐτό νοεῖ τι, ἢ ἕτερον; οἱ μὲν οὖν τὰ μεγέθη γεννῶσιν ἐκ τῆς τοιαύτης ὕλης, ἕτεροι δὲ ἐκ τῆς στιγμῆς. ἡ δὲ στιγμὴ αὐτοῖς δοκεῖ εἶναι οὐχ ἕν, ἀλλ' οἷον τὸ ἕν, καὶ ἀλ-

CAPUT IX.

Quæret autem quis, cum tactus quidem non sit in numeris, illud autem quod deinceps vocamus, sit in iis omnibus unitatibus, quæ medium aliquod interiectum non habent, veluti in binario, aut ternario: Utrùm illa deinceps sunt ipsius unius comparatione, an non. Et utrum binarius prior sit iis quæ deinceps sequuntur, an quibusvis unitatibus. Quæ eædem difficultates de generibus iis quæ numero posteriora sunt, ut de linea, plano, corpore, accidunt.

Quidam enim ex magni & parvi speciebus (veluti ex longo & brevi) faciunt longitudines; ex lato autem & angusto, plana; moles verò ex alto & humili. Hæc autem sunt magni & parvi species. Principium autem quod in ratione unius positum est, alii ex his aliter faciunt. Atq; in his etiam infinita pene apparent, & impossibilia, & commentitia, & quæ rationi consentanea sunt, adversantur. Dissolventur enim à se mutuò, nisi etiam ipsa principia consequantur, ita ut sit latum & angustum, longum & breve. At si hoc detur, planum erit linea, & solidum planum.

Anguli etiam & figuræ, & quæ sunt huiusmodi, quonam modo aßignabuntur? idemq; accidit iis quæ ad numerum pertinent. hæc enim magnitudinis affectiones sunt, non ex his magnitudo constat, quemadmodum neque ex recto & obliquo longitudo, neq; ex levi & aspero solida.

His autem omnibus commune est, id quod in iis speciebus quæ ut generis sunt, dubitari consuevit: cum quis universalia ponit, num animal ipsum in animali sit, an aliud quicquã ipsius animalis. Hoc enim si separatum non est, nullam difficultatẽ exhibebit: sin autem separatum (quemadmodum asserunt qui hæc ponunt) uno ac numeris seiunctis, haud facilis est solutio. Quòd si facilis non est, dicere oportet, quidnam impoßibile accidat. Cùm enim quis in binario, & omnino in numero unum intelligit, intelligit ne idem aliquid, an aliud?

Ac nonnulli quidem magnitudines ex huiusmodi materia generant; alii ex puncto (punctum autem non ex eis videtur unum esse sed quasi unum) & ex alia materia, qualis est

A ἄλλης ὕλης, οἷον τὸ πλῆθος, ἀλλ' οὐ πλήθους, περὶ ὧν οὐδὲν ἧττον συμβαίνει ταὐτὰ ἀπορεῖν. εἰ μὲν γὰρ μία ἡ ὕλη, ταὐτὸ γραμμὴ, καὶ ἐπίπεδον καὶ στερεόν. ἐκ γὰρ τῶν αὐτῶν, τὸ αὐτὸ καὶ ἓν ἔσται. εἰ δὲ πλείους αἱ ὗλαι, καὶ ἑτέρα μὲν γραμμῆς. ἑτέρα δὲ τοῦ ἐπιπέδου, καὶ ἄλλη τοῦ στερεοῦ. ἤτοι ἀκολουθοῦσιν ἀλλήλαις, ἢ οὐ. ὥστε ταὐτὰ συμβήσεται καὶ οὕτως. ἢ γὰρ οὐχ ἕξει τὸ ἐπίπεδον γραμμήν. ἢ ἔσται γραμμή. ἔτι πῶς μὲν ἐνδέχεται εἶναι ἐκ τοῦ ἑνὸς καὶ πλήθους, τὸν ἀριθμὸν, οὐδὲν ἐπιχειρεῖται. ὅπως δ' οὖν λέγουσι, ταὐτὰ συμβαίνει δυσχερῆ ἅπερ καὶ τοῖς ἐκ τοῦ ἑνὸς B καὶ ἐκ τῆς δυάδος τῆς ἀορίστου. ὁ μὲν γὰρ ἐκ τοῦ κατηγορουμένου καθόλου γεννᾷ τὸν ἀριθμὸν, καὶ οὐ τινὸς πλήθους. ὁ δ' ἐκ τινὸς πλήθους, τοῦ πρώτου δέ, τὴν γὰρ δυάδα πρῶτόν τι εἶναι πλῆθος. ὥστε διαφέρει οὐθὲν, ὡς εἰπεῖν, ἀλλ' αἱ ἀπορίαι αὐταὶ ἀκολουθήσουσι μίξις, ἢ θέσις ἢ κρᾶσις, ἢ γένεσις. καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. μάλιστα δ' ἄν τις ἐπιζητήσειεν, εἰ μία ἑκάστη μονὰς, ἐκ τίνος ἐστίν. οὐ γὰρ δὴ αὐτό γε τὸ ἓν, ἑκάστη. ἀνάγκη δὲ ἐκ τοῦ ἑνὸς αὐτοῦ εἶναι καὶ πλήθους, ἢ μορίου τοῦ πλήθους. τὸ μὲν οὖν πλῆθός τι εἶναι φάναι C τὴν μονάδα, ἀδύνατον, ἀδιαίρετόν γ' οὖσαν. τὸ δ' ἐκ μορίου ἄλλας ἔχει πολλὰς δυσχερείας. ἀδιαίρετον γὰρ ἕκαστον ἀναγκαῖον εἶναι τῶν μορίων, ἢ πλῆθος εἶναι καὶ τὴν μονάδα διαιρετὴν, καὶ μὴ στοιχεῖον εἶναι τὸ ἓν καὶ τὸ πλῆθος. ἡ γὰρ μονὰς ἑκάστη οὐκ ἐκ πλήθους καὶ ἑνός. ἔτι οὐθὲν ἄλλο ποιεῖ ὁ λέγων τοῦτο ἀλλ' ἢ ἀριθμὸν ἕτερον, τὸ γὰρ πλῆθος ἀδιαιρέτων ἐστὶν ἀριθμός. ἔτι ζητητέον καὶ περὶ τοὺς οὕτω λέγοντας, πότερον ἄπειρος ὁ ἀριθμὸς, ἢ πεπερασμένος. ὑπῆρχε γὰρ, ὡς ἔοικε, καὶ D πεπερασμένον πλῆθος, ἐξ οὗ αἱ πεπερασμέναι μονάδες. καὶ τοῦ ἑνὸς ἐστὶ τε ἕτερον αὐτὸ πλῆθος, καὶ πλῆθος ἄπειρον. ποῖον οὖν πλῆθος καὶ στοιχεῖόν ἐστι τὸ ἕν; ὁμοίως δὲ καὶ περὶ στιγμῆς ἄν τις ζητήσειε καὶ τοῦ στοιχείου, ἐξ οὗ ποιοῦσι τὰ μεγέθη. οὐ γὰρ μία γε μόνον στιγμή ἐστιν αὕτη. τῶν γοῦν ἄλλων στιγμῶν ἑκάστη ἐκ τίνος; οὐ γὰρ δὴ ἔκ γε διαστήματός τινος, καὶ αὐτῆς στιγμῆς. ἀλλὰ μὴν οὐδὲ μόρια ἀδιαίρετα ἐνδέχεται τοῦ διαστή-

est multitudo, sed non ex multitudine; de quibus non minus eadem quaeri possunt. Nam si una est materia, idem erunt linea, planum, & solidum: ex eisdem enim unum atq; idem erit. Si autem plures materiae, aliaque est lineae, alia plani, alia solidi; aut alia aliam sequitur, aut minime. Quare hoc etiam modo eadem evenient. Aut enim planum non habebit lineam, aut linea erit.

Iam quonam pacto numerus ex uno & multitudine constare possit, nequaquam ostendere conantur. Quomodo autem cumque dicant, eaedem difficultatates se offerunt, quae apud eos qui ex uno & binario indefinito constare volunt. Quidam enim ex universali praedicato numerum generat; non ex aliqua multitudine. Alius verò ex aliqua multitudine, sed prima tamen: binarium enim primam quandam esse multitudinem. Ita fit ut nihil sit discriminis (ut ita dicam) sed futurum est, ut eaedem difficultates sequantur, mistio, aut situs, aut temperamentum, aut generatio, & quae via alia huiusmodi.

Maximè autem quaerat aliquis, si una est unitas, ex quonam sit. Neq; enim profectò una quaeq; unum ipsum est. Necesse igitur est, ut sit ex uno ipso & multitudine aut parte multitudinis. Ac unitatem esse multitudinem aliquam, dici nullo modo potest, cùm sit indivisibilis: Esse autem ex parte, plures alias habet difficultates. Indivisibilem enim esse unam quamque partium, aut multitudinem esse, necesse est, & unitatem esse divisibilem; neq; elementum esse unum ipsum ipsamve multitudinem: neq; enim unaquaeq; unitas ex multitudine & uno constat. Praeterea qui hoc dicit, nihil aliud quam alium facit numerum. Ipsa enim indivisibilium multitudo, numerus est.

Quaerendum quoq; est ab iis qui hoc dicunt, utrùm numerus infinitus sit, an finitus. Erat enim, ut videbatur, finita etiam multitudo, ex qua & uno finitae unitates constabant; aliudque est multitudo ipsa, atque infinita multitudo. Quaenam igitur multitudo elementumq; unum ipsum est? Eodem modo & de puncto quaerat aliquis, & de elemento ex quo magnitudines faciunt. Neq; enim hoc unum tantummodo est punctum. Unumquodque enim aliorum punctorum, ex quonam erit? Non enim profectò ex dimensione aliqua, ipsoq; puncto: Sed nec dimensionis partes, indivisibiles partes esse possunt, quemadmodum multitudinis, ex quibus unitates existunt.

ρετον εἶναι μόριον, ὥσπερ τοῦ πλήθους ἐξ ὧν αἱ μονάδες, ὁ μὲν γὰρ ἀριθμὸς, ἐξ ἀδιαιρέτων σύγκειται. τὰ δὲ μεγέθη, οὔ, πάντα δὴ ταῦτα καὶ ἄλλα τοιαῦτα φανερὸν ποιεῖ, ὅτι ἀδύνατον εἶναι τὸν ἀριθμὸν καὶ τὰ μεγέθη χωριστά, ἔτι. δὲ τὸ διαφωνεῖν τοὺς πρώτους περὶ τῶν ἀριθμῶν, σημεῖον, ὅτι τὰ πράγματα ταῦτα οὐκ ὄντα ἀληθῆ, παρέχει τὴν ταραχὴν αὐτοῖς. οἱ μὲν γὰρ τὰ μαθηματικὰ μόνον ποιοῦντες παρὰ τὰ αἰσθητὰ, ὁρῶντες τὴν περὶ τὰ εἴδη δυσχέρειαν καὶ πλάσιν, ἀπέστησαν ἀπὸ τοῦ εἰδητικοῦ ἀριθμοῦ, καὶ τὸν μαθηματικὸν ἐποίησαν. οἱ B δὲ τὰ εἴδη βουλόμενοι ἅμα καὶ ἀριθμοὺς ποιεῖν, οὐχ ὁρῶντες δὲ εἰ τὰς ἀρχάς τις ταύτας θήσεται. πῶς ἔσται ὁ μαθηματικὸς ἀριθμὸς παρὰ τὸν εἰδητικὸν, τὸν αὐτὸν εἰδητικὸν καὶ μαθηματικὸν ἐποίησαν ἀριθμὸν τῷ λόγῳ, ἐπεὶ ἔργῳ γε ἀνήρηται ὁ μαθηματικός. ἰδίας γὰρ καὶ οὐ μαθηματικὰς ὑποθέσεις λέγουσιν. ὁ δὲ πρῶτος θέμενος τὰ εἴδη εἶναι, καὶ ἀριθμοὺς, τὰ εἴδη καὶ τὰ μαθηματικὰ εἶναι. εὐλόγως ἐχώρισεν. ὥστε πάντας συμβαίνει κατὰ μέν τι λέγειν ὀρθῶς, ὅλως δ' οὐκ ὀρθῶς. καὶ αὐτοὶ δὲ ὁμολογοῦσιν οὐ ταὐτὰ λέγοντες, ἀλλὰ τὰ ἐναντία, αἴτιον δὲ, ὅτι αἱ ὑποθέσεις καὶ αἱ ἀρχαὶ C ψευδεῖς. χαλεπὸν δ' ἐκ μὴ καλῶς ἐχόντων λέγειν καλῶς, κατ' Ἐπίχαρμον ἀρτίως τε γὰρ λέλεκται, καὶ εὐθέως φαίνεται οὐ καλῶς ἔχον ἀλλὰ περὶ μὲν τῶν ἀριθμῶν ἱκανὰ τὰ διηπορημένα καὶ διωρισμένα. μᾶλλον γὰρ ἂν ἐκ πλειόνων ἔτι πεισθείη τις πεπεισμένος. περὶ δὲ τὸ πεισθῆναι μὴ πεπεισμένος, οὐθὲν μᾶλλον. περὶ δὲ τῶν πρώτων ἀρχῶν καὶ τῶν πρώτων αἰτίων καὶ στοιχείων, ὅσα μὲν λέγουσιν οἱ περὶ μόνης τῆς αἰσθητῆς οὐσίας διορίζοντες, τὰ μὲν ἐν τοῖς περὶ φύσεως εἴρηται, τὰ δ' οὐκ ἔστι τῆς μεθόδου τῆς νῦν. ὅσα δὲ οἱ φάσκοντες εἶναι παρὰ τὰς αἰσθητὰς, ἑτέρας οὐσίας, ἐχόμενόν ἐστι θεωρῆσαι τῶν εἰρημένων. ἐπεὶ οὖν λέγουσί τινες τοιαύτας εἶναι τὰς ἰδέας, καὶ τοὺς ἀριθμοὺς, καὶ τὰ τούτων στοιχεῖα τῶν ὄντων εἶναι στοιχεῖα καὶ ἀρχὰς, σκεπτέον περὶ τούτων, τί λέγουσι, καὶ πῶς λέγουσιν. οἱ μὲν οὖν ἀριθμοὺς ποιοῦντες μόνον, καὶ τούτους

μαθη

A *Numerus enim ex indivisibilibus compositus est, non item magnitudines. Quae omnia profectò; & alia huiusmodi planè ostendunt, fieri non posse, ut numerus & magnitudines separata sint.*

Praeterea quòd Primi de numeris dissenserint, signum est, hasce res, ut quae verae non sint, eis perturbationem attulisse. Nam qui Mathematica tantùm in sensibilibus ponunt, cùm difficultatem fictionemq́; idearum cernerent, ab ideali numero discesserunt, mathematicumq́; fecerunt. Qui verò species sive ideas, ac numeros simul inducere voluerunt, cum minimè viderent si quis haec principia ponat, quonam B *pacto futurum sit, ut mathematicus numerus praeter idealem existat; ratione utiq́; idealem & mathematicum eundem numerum fecerunt. Quia verò re ipsa mathematicus sublatus est, suis profectò, non mathematicis suppositionibus utuntur. Qui autem primus species ac numeros esse posuit, rectè species & mathematica separavit. Ita factū est ut omnes quidem aliqua ex parte rectè dixerint; omnino autem non rectè. Quòd ipsi etiam fatentur cum non eadem sed contraria dicant. Causa verò est, quòd eorum suppositiones ac principia falsa sint. Difficile est autem ex iis quae non bene habent (ut Epicharmus ait) bene disserere.* C *Nam & quamprimum dicitur, & confestim non bene se habere cernitur: Sed de numeris quidem satis ea sint, quae disputata & definita sunt. Qui enim persuasus est, magis etiam pluribus persuadebitur: ut autem is qui persuasus non est, ad persuasionem adducatur, nihil praeterea iuvabit.*

De primis autem principiis, primisq́; causis & elementis, quaecunq́; ii quidem dicunt, qui de sola sensibili substantia disserunt, partim in libris de natura dicta sunt, partim non sunt huius disciplinae. Quaecunq́; autem ii dicunt, qui alias substantias esse volunt, praeter eas D *quae sensibus subiectae sunt, his consequens est ut consideremus.*

Cùm igitur quidam tales esse & ideas & numeros affirment, eorumq́; elementa entium elementa & principia esse velint; quid de his dicant, & quo pacto loquantur, disquirendum est. Ac ii quidem qui numeros tantùm & hos

μαθηματικούς, ὕστερον ἐπισκεπτέον. τῶν δὲ τὰς ἰδέας λεγόντων, ἅμα καὶ τὸν τρόπον θεάσαιτ' ἄν τις, καὶ τὴν ἀπορίαν τὴν περὶ αὐτῶν. ἅμα γὰρ καθόλου πως οὐσίας ποιοῦσι τὰς ἰδέας, καὶ πάλιν ὡς χωριστὰς καὶ τῶν καθ' ἕκαστον. ταῦτα δ' ὅτι οὐκ ἐνδέχεται, διηπόρηται πρότερον. αἴτιον δὲ τοῦ συνάψαι ταῦτα εἰς ταὐτὸν τοῖς λέγουσι τὰς ἰδέας καθόλου, ὅτι τοῖς αἰσθητοῖς οὐ τὰς αὐτὰς οὐσίας ἐποίουν. τὰ μὲν οὖν ἐν τοῖς αἰσθητοῖς καθ' ἕκαστα ῥεῖν ἐνόμιζον, καὶ μένειν οὐθὲν αὐτῶν. τὸ δὲ καθόλου παρὰ ταῦτα εἶναί τε, καὶ ἕτερόν τι εἶναι. τοῦτο δὲ ὥσπερ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν ἐλέγομεν, ἐκίνησε μὲν Σωκράτης διὰ τοὺς ὁρισμούς. οὐ μὴν ἐχώρισέ γε τῶν καθ' ἕκαστον. καὶ τοῦτο ὀρθῶς ἐνόησεν οὐ χωρίσας. δηλοῖ δὲ ἐκ τῶν ἔργων. ἄνευ μὲν γὰρ τοῦ καθόλου, οὐκ ἔστιν ἐπιστήμην λαβεῖν. τὸ δὲ χωρίζειν, αἴτιον τῶν συμβαινόντων δυσχερῶν περὶ τὰς ἰδέας ἐστίν. οἱ δ' ὡς ἀναγκαῖον εἴπερ ἔσονταί τινες οὐσίαι παρὰ τὰς αἰσθητὰς καὶ ῥεούσας, χωριστὰς εἶναι. ἄλλας μὲν οὐκ εἶχον, ταύτας δὲ τὰς καθόλου λεγομένας ἐξέθεσαν. ὥστε συμβαίνειν σχεδὸν τὰς αὐτὰς φύσεις εἶναι τὰς καθόλου καὶ τὰς καθ' ἕκαστον. αὕτη μὲν οὖν αὐτὴ καθ' αὑτὴν εἴη τις ἂν δυσχέρεια τῶν εἰρημένων.

A Mathematicos faciunt, post examinandi sunt. Eorum autem qui ideas inducunt, simul & modus facilè videri potest, & dubitatio, quæ de eis existit. Simul enim & ut substantias, universales faciunt ideas; & rursus ut separatas à singularibus; at hæc fieri non posse, superius disputatum est.

Causa verò, cur ii qui ideas universales ponunt, ista in eodem coniunxerint, ea fuit, quòd substantias non easdem atq; sensibiles facerent. Ac singularia quidem quæ in sensibilibus existunt, fluere, neq; eorum quicquam manere; ipsum autem universale præter ea & esse, & aliud quiddam existimabant. B Quod quidem Socrates, ut superius dicebamus, propter definitiones existimavit; nec tamen illud à singularibus separavit; atq; in eo rectè sensit, quòd non seiunxerit, idq; ex rebus ipsis apertũ est. Neq; enim sine universalibus scientia accipi potest: quod autem ea seiungit, causa est earum difficultatum, quæ ex ideis oriuntur.

Quidam verò, quasi necesse sit, si futuræ sunt substantiæ quædam præter eas quæ & sentiuntur & fluunt, separatas esse, cùm alias quidem non haberent, eas quæ universales dicuntur, induxerunt. Itaq; ferè accidit, ut eædem sint naturæ universales & singulares. C Atque hæc ipsa per se difficultas quædam sit earum rerum, quæ exposita sunt.

Κεφάλαιον, ι.

CAP. X.

Ὃ δὲ καὶ τοῖς λέγουσι τὰς ἰδέας ἔχει τινὰ ἀπορίαν καὶ τοῖς μὴ λέγουσιν, καὶ κατ' ἀρχὰς ἐν τοῖς διαπορήμασιν ἐλέχθη πρότερον, λέγομεν νῦν. εἰ μὲν γάρ τις μὴ θήσει τὰς οὐσίας εἶναι κεχωρισμένας. καὶ τὸν τρόπον τοῦτον ὡς λέγεται τὰ καθ' ἕκαστα τῶν ὄντων, ἀναιρήσει τὴν οὐσίαν ὡς βουλόμεθα λέγειν. ἂν δέ τις θῇ τὰς οὐσίας χωριστάς, πῶς θήσει τὰ στοιχεῖα καὶ τὰς ἀρχὰς αὐτῶν; εἰ μὲν γὰρ καθ' ἕκαστον, καὶ μὴ καθόλου, τοσαῦτ' ἔσται τὰ ὄντα,

Quod autem & apud eos qui ideas esse dicunt; & eos qui non dicunt, dubitationem aliquam habet, & superius circa exordia in dubitationibus dictum est; D nunc exponamus. Nam si quis substantias separatas esse, non ponat, sed eo modo quo entia singularia dicuntur; tollet utiq; substantiam, eo modo quo dicere volumus. Si quis autem ponat separatas substantias, quonam modo earum elementa & principia ponet? Si enim singulare non universale sit elementum, tot erunt entia quot elementa, neque elementa sub scientiam cadent. Sint enim substãtiæ Syllabæ quæ sunt in voce; earũ autẽ ele-

ὥσπερ τὰ στοιχεῖα, καὶ οὐκ ἐπιστητὰ τὰ στοιχεῖα. ἔστωσαν γὰρ αἱ μὲν ἐν τῇ φωνῇ συλλαβαὶ, οὐσίαι, τὰ δὲ στοιχεῖα αὐτῶν, στοιχεῖα τῶν οὐσιῶν, ἀνάγκη δὴ τὸ β, α εἶναι, καὶ ἑκάστην τῶν συλλαβῶν μίαν, εἴπερ μὴ καθόλου, καὶ τῷ εἴδει αἱ αὐταὶ, ἀλλὰ μία ἑκάστη τῷ ἀριθμῷ, καὶ τόδε τι, καὶ μὴ ὁμώνυμον. ἔτι δ' αὐτὸ ὅ ἐστιν, ἓν ἕκαστον τιθέασιν. ἐὰν δ' αἱ συλλαβαὶ, οὕτω καὶ ἐξ ὧν εἰσιν. οὐκ ἔσται ἄρα πλείω ἄλφα ἑνός. οὐδὲ τῶν ἄλλων στοιχείων οὐθὲν κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον, ὅνπερ οὐδὲ τῶν ἄλλων συλλαβῶν ἡ αὐτὴ ἄλλη καὶ ἄλλη. ἀλλὰ μὴν εἰ τοῦτο, οὐκ ἔσται παρὰ τὰ στοιχεῖα ἕτερα ὄντα, ἀλλὰ μόνον τὰ στοιχεῖα. ἔτι οὐδ' ἐπιστητὰ τὰ στοιχεῖα. οὐ γὰρ καθόλου. ἡ δ' ἐπιστήμη τῶν καθόλου. δῆλον δ' ἐκ τῶν ἀποδείξεων καὶ τῶν ὁρισμῶν. οὐ γὰρ γίνεται συλλογισμὸς, ὅτι τόδε τὸ τρίγωνον δύο ὀρθαῖς, εἰ μὴ πᾶν δύο ὀρθαῖ· οὐδ' ὅτι ὁδὶ ὁ ἄνθρωπος ζῶον, εἰ μὴ πᾶς ἄνθρωπος ζῶον. ἀλλὰ μὴν εἴ γε καθόλου αἱ ἀρχαὶ, ἢ καὶ αἱ ἐκ τούτων οὐσίαι αἱ καθόλου, ἔσται μὴ οὐσία πρότερον οὐσίας. τὸ μὲν γὰρ καθόλου, οὐκ οὐσία. τὸ δὲ στοιχεῖον καὶ ἡ ἀρχὴ, καθόλου. πρότερον δὲ τὸ στοιχεῖον καὶ ἡ ἀρχὴ, ὧν ἀρχὴ καὶ στοιχεῖόν ἐστι. ταῦτά τε δὴ πάντα συμβαίνει εὐλόγως, ὅταν ἐκ στοιχείων τε ποιῶσι τὰς ἰδέας, καὶ παρὰ τὰς τὸ αὐτὸ εἶδος ἐχούσας ἰδέας καὶ οὐσίας, ἕν τι ἀξιῶσιν εἶναι κεχωρισμένον, εἰ δὲ μηθὲν κωλύει. ὥσπερ ἐπὶ τῶν τῆς φωνῆς στοιχείων, πολλὰ εἶναι τὰ α καὶ τὰ β καὶ μηθὲν εἶναι παρὰ τὰ πολλὰ αὐτὸ ἄλφα, καὶ αὐτὸ βῆτα, ἔσονται ἕνεκά γε τούτου ἄπειροι αἱ ὅμοιαι συλλαβαί. τὸ δὲ τὴν ἐπιστήμην εἶναι καθόλου πᾶσαν, ὥστε ἀναγκαῖον εἶναι καὶ τὰς τῶν ὄντων ἀρχὰς καθόλου εἶναι, καὶ μὴ οὐσίας κεχωρισμένας, ἔχει μάλιστ' ἀπορίαν τῶν λεχθέντων. οὐ μὴν ἀλλὰ ἔστι μὲν ὡς ἀληθὲς τὸ λεγόμενον, ἔστι δ' ὡς οὐκ ἀληθές. ἡ γὰρ ἐπιστήμη, ὥσπερ καὶ τὸ ἐπίστασθαι, διττόν. ὧν τὸ μὲν δύναμις, τὸ δὲ ἐνέργεια. ἡ μὲν οὖν δύναμις, ὡς ὕλη τοῦ καθόλου οὖσα καὶ ἀόριστος, τοῦ καθόλου καὶ ἀορίστου ἐστίν. ἡ δ' ἐνέργεια ὡρισμένη, καὶ ὡρισμένου τόδε τι οὖσα τοῦδέ τινος. ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκὸς ἡ ὄψις τὸ καθόλου χρῶμα ὁρᾷ, ὅτι τόδε τὸ χρῶμα, ὃ ὁρᾷ, χρῶμά ἐστι καὶ ὃ θεωρεῖ ὁ γραμματικὸς, τόδε τὸ Α, ἄλφα. ἐπεὶ εἰ ἀναγ-

A menta, substantiarum elementa: necesse igitur est B. A. esse, & unamquamque Syllabarum unam, si non universales quidem sint & specie eaedem, sed unaquaeq; una numero, & hoc aliquid, nec eodem nomine comprehensae. Praeterea ipsum quod unumquodq; est, unum ponunt: quod si Syllabae sic se habent, ita & ex quibus constant. Non erunt igitur plura A quam unum; nec ullum aliorum elementorum eadem ratione, qua nec aliarum Syllabarum eadem est alia atq; alia. At si hoc est, non erunt praeter elementa alia entia, sed sola elementa; neq; etiam elementa sub scientiam cadent. Neq; enim universalia erunt, cum tamen scientia sit
B universalium. Id quod ex demonstrationibus & definitibus perspicuum est. Non enim Syllogismo concluditur hunc triangulum esse duobus rectis parem, nisi omnis triangulus sit duo rectis: neq; hunc hominem esse animal, nisi omnis homo sit animal. Quod si principia sint universalia, aut etiam universales sint eae substantiae, quae ex iis constant; id quod substantia non est, substantia prius erit. Universale enim substantia non est, elementum autem & principium universale est: at elementum & principium prius est iis quorum principium & elementum est. Atq; haec omnia merito eveni-
C unt, cum ex elementis ideas faciunt, & praeter eas ideas & substantias, quae eandem habent speciem, unum quippiam separatum esse censent. Si vero nihil prohibet quemadmodum in vocis elementis multa A esse B, nihilq; esse praeter multa ipsa A & ipsa B; erunt utiq; hac de causa infinitae syllabae similes.

Illud autem omnem scientiam esse universalium, ut si necesse principia quoq; eorum quae sunt, universalia esse, nec separatas substantias, prae iis quae dicta sunt, dubitationem habet maxime. Quod tamen partim verum est, partim non est. Scientia enim quemadmodum & ipsum scire, duobus modis dicitur, quorum ali-
D ud potentia est, aliud actus. Potentia igitur cum sit ipsius universalis materia & indefinita, universalis & indefiniti est; Actus autem definitus, definiti etiam est, cum hocce sit huiusce. Sed tamen aspectus per accidens colorem universalem videt, quia hic color quem videt, color est; & hoc A quod Grammaticus cernit, A est. Nam si necesse est principia esse universalia; ea etiam quae ex iis constant, universalia sint necesse est, quemadmodum in demonstrationi-

Non colligitur immediatè quicquam particulare ex utraque universali sumptione.

εἰ ἀνάγκη τὰς ἀρχὰς καθόλου εἶναι, ἀνάγκη καὶ τὰ ἐκ τούτων καθόλου, ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἀποδείξεων, εἰ δὲ τοῦτο, οὐκ ἔσται χωριστὸν οὐθὲν, οὐδ᾽ οὐσία. ἀλλὰ δῆλον ὅτι ἔστι μὲν ὡς ἐπιστήμη καθόλου, ἔστι δ᾽ ὡς οὔ.

A bus accidit. Quod si hoc ita habet, nihil erit separatum, ne substantia quidem. Sed illud constat, modo quodam scientiam esse rei universalis, modo verò alio, non esse.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΤΩΝ ΜΕΤΑ ΤΑ ΦΥΣΙΚΑ ΤΟ Ν.

Κεφάλαιον. α.

Περὶ μὲν οὖν τῆς οὐσίας ταύτης εἰρήσθω τοσαῦτα. πάντες δὲ ποιοῦσι τὰς ἀρχὰς ἐναντίας, ὥσπερ ἐν τοῖς φυσικοῖς καὶ περὶ τὰς ἀκινήτους οὐσίας ὁμοίως. εἰ δὲ τῆς τῶν πάντων ἀρχῆς μὴ ἐνδέχεται πρότερόν τι εἶναι, ἀδύνατον ἂν εἴη τὴν ἀρχὴν ἕτερόν τι οὖσαν, εἶναι ἀρχήν. οἷον εἴ τις λέγοι λευκὸν ἀρχὴν εἶναι, οὐχ ᾗ ἕτερον, ἀλλ᾽ ᾗ λευκόν, εἶναι μέντοι καθ᾽ ὑποκειμένου, καὶ ἕτερόν τι ὂν λευκὸν εἶναι. ἐκεῖνο γὰρ πρότερον ἔσται. C ἀλλὰ μὴν γίγνεται πάντα ἐξ ἐναντίων ὡς ὑποκειμένου τινός. ἀνάγκη ἄρα μάλιστα ἐν τοῖς ἐναντίοις τοῦθ᾽ ὑπάρχειν. ἀεὶ ἄρα πάντα τὰ ἐναντία καθ᾽ ὑποκειμένου, καὶ οὐθὲν χωριστόν. ἀλλ᾽ ὥσπερ καὶ φαίνεται, οὐθὲν οὐσίᾳ ἐναντίον καὶ ὁ λόγος μαρτυρεῖ. οὐθὲν ἄρα τῶν ἐναντίων, κυρίως ἀρχὴ πάντων, ἀλλ᾽ ἑτέρα. οἱ δὲ τὸ ἕτερον τῶν ἐναντίων ποιοῦσιν, ὕλην, οἱ μὲν τῷ ἑνὶ, τῷ ἴσῳ τὸ ἄνισον, ὡς τοῦτο τὴν τοῦ πλήθους οὖσαν φύσιν. οἱ δὲ τῷ ἑνὶ τὸ πλῆθος. γεννῶνται γὰρ οἱ ἀριθμοὶ τοῖς μὲν ἐκ τῆς τοῦ ἀνίσου δυάδος D τοῦ μεγάλου καὶ μικροῦ, τῷ δ᾽ ἐκ τοῦ πλήθους, ὑπὸ τῆς τοῦ ἑνὸς δὲ οὐσίας ἀμφοῖν. καὶ γὰρ ὁ τὸ ἄνισον καὶ ἓν λέγων τὰ στοιχεῖα, τὸ δ᾽ ἄνισον ἐκ μεγάλου καὶ μικροῦ δυάδα, ὡς ἓν ὄντα ἄνισον καὶ τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν λέγει, καὶ οὐ διορίζει ὅτι λόγῳ, ἀριθμῷ δ᾽ οὔ. ἀλλὰ μὴν καὶ τὰς ἀρχὰς ἃ στοιχεῖα καλοῦσιν, οὐ καλῶς ἀποδιδόασιν. οἱ μὲν τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν λέγοντες μετὰ τοῦ ἑνὸς, τρία

ARISTOTELIS STAGIRITÆ METAPHYSICORUM LIB. XIV.

B

CAP. I.

De hac igitur substantia hactenus dictum sit. Omnes autem contraria principia faciunt, quemadmodum in naturalibus, æquè etiã in immobilibus substantiis. Quòd si omnium principio prius aliquid esse non potest, impossibile certè fuerit, principium quod aliquid aliud sit, esse principium; veluti si quis dicat, album esse principium, non quatenus aliud, sed quatenus album; esse tamen de subiecto C prædicabile, & aliquid aliud cùm sit, album esse, illud prius erit.

Atqui omnia fiunt ex contrariis, ut quodã subiecto. Necesse est igitur, hoc in contrariis maximè inesse. Semper igitur contraria omnia de subiecto dicuntur, nullumq; separari potest. At quemadmodum & apparet, & ratio testatur, nihil est substantiæ contrarium. Nullum igitur contrarium propriè principium est omnium, sed alia. Quidam autem alterum contrariorum materiam faciunt; alii quidem uni, nempe pari, dispar subiiciunt, quasi hoc multitudinis natura sit; alii uni multitudinem. D Generantur enim numeri, quorundam sententia; ex inæquali binario magni & parvi; cuiusdam verò opinione, ex multitudine; ut autem utrisq; placet, ex unius substantia. Qui enim inæquale & unum, elementa esse dicit; inæquale autem magni & parvi binarium quasi unum sint; inæquale, & magnum, ac parvum significat; nec declarat ratione quidem esse numero autem non esse.

Sed nec principia, quæ elementa vocant, rectè tradunt: alii quidem, cùm dicunt, magnum & parvum cum uno, tria hæc, elementa nu-

ταῦτα στοιχεῖα τῶν ἀριθμῶν, τὰ μὲν δύο, ὕλην, τὸ δ' ἕν, τὴν μορφήν. εἰ δὲ τὸ πολὺ καὶ ὀλίγον, ὅτι τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν, μεγέθους οἰκειότερα τὴν φύσιν. οἱ δὲ τὸ καθόλου μᾶλλον ἐπὶ τούτων τὸ ὑπερέχον καὶ τὸ ὑπερεχόμενον. διαφέρει τούτων οὐθὲν ὡς εἰπεῖν, πρὸς ἔνια τῶν συμβαινόντων, ἀλλὰ πρὸς τὰς λογικὰς μόνον δυσχερείας ἃς φυλάττονται, διὰ τὸ καὶ αὐτοὶ λογικὰς φέρειν τὰς ἀποδείξεις. πλὴν τοῦ αὐτοῦ γε λόγου ἐστὶ, τὸ ὑπερέχον καὶ τὸ ὑπερεχόμενον εἶναι ἀρχὰς, ἀλλὰ μὴ τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν, καὶ τὸν ἀριθμὸν πρότερον, τῆς δυάδος, ἐκ τῶν στοιχείων. καθόλου γὰρ ἀμφότερα μᾶλλόν ἐστι. νῦν δὲ τὸ μὲν λέγουσιν, τὸ δ' οὐ λέγουσιν. οἱ δὲ τὸ ἕτερον καὶ τὸ ἄλλο πρὸς τὸ ἓν ἀντιτιθέασιν, οἱ δὲ τὸ πλῆθος καὶ τὸ ἕν. εἰ δέ ἐστιν (ὥσπερ βούλονται) τὰ ὄντα ἐξ ἐναντίων, τῷ δὲ ἑνὶ ἢ οὐθὲν ἐναντίον, ἢ εἴπερ ἄρα μέλλει, τὸ πλῆθος· τὸ δ' ἄνισον, τῷ ἴσῳ. καὶ τὸ ἕτερον, τῷ ταυτῷ, καὶ τὸ ἄλλο ταυτῷ, μάλιστα μὲν οἱ τὸ ἓν τῷ πλήθει ἀντιτιθέντες, ἔχονταί τινος δόξης. οὐ μὴν οὐδ' οὗτοι ἱκανῶς. ἔσται γὰρ τὸ ἓν ὀλίγον· πλῆθος μὲν γὰρ ὀλιγότητι, τὸ δὲ πολὺ τῷ ὀλίγῳ ἀντίκειται. τὸ δὲ ἓν, ὅτι μέτρον σημαίνει, φανερόν. καὶ ἐν παντί ἐστί τι ἕτερον ὑποκείμενον. οἷον ἐν ἁρμονίᾳ δίεσις, ἐν δὲ μεγέθει δάκτυλος, ἢ πούς, ἤ τι τοιοῦτον. ἐν δὲ ῥυθμοῖς βάσις, ἢ συλλαβή. ὁμοίως δὲ καὶ ἐν βάρει σταθμός τις ὡρισμένος ἐστί. καὶ κατὰ πάντων δὲ τὸν αὐτὸν τρόπον, ἐν μὲν τοῖς ποιοῖς ποιόν τι, ἐν δὲ τοῖς ποσοῖς, ποσόν τι ἀδιαίρετον, τὸ γὰρ μέτρον, τὸ μὲν κατὰ τὸ εἶδος, τὸ δὲ πρὸς τὴν αἴσθησιν, ὡς οὐκ ὄντος τινὸς καθ' ἑαυτὸ οὐσίας. καὶ τοῦτο κατὰ λόγον. σημαίνει γὰρ τὸ ἓν, ὅτι μέτρον πλήθους τινός. καὶ ὁ ἀριθμὸς, ὅτι πλῆθος μεμετρημένον, καὶ πλῆθος μέτρων. διὸ καὶ εὐλόγως οὐκ ἔστι τὸ ἓν ἀριθμός. οὐδὲ γὰρ τὸ μέτρον μέτρα, ἀλλ' ἀρχὴ καὶ τὸ μέτρον, καὶ τὸ ἕν. δεῖ δὲ ἀεὶ τὸ αὐτό τι ὑπάρχειν πᾶσι, τὸ μέτρον, οἷον εἰ ἵππος, τὸ μέτρον, ἵππους. καὶ εἰ ἄνθρωπος, ἀνθρώπους. εἰ δ' ἄνθρωπος, καὶ ἵππος, καὶ θεὸς, καὶ ζῷον, ἴσως καὶ ὁ ἀριθμὸς αὐτῶν ἔσται ζῷα.

A merorum esse; duo quidem, materiam, unum autem formam; alii verò, cum multum & paucum; quòd magnum & parvum naturæ sua magis propria sint magnitudinis. Quidam etiam, cùm id quod in his magis universale est, excedens nimirum & excessum. Nihil autem horum refert (ut sic dicam) ad quædam, quæ sequuntur, sed tantùm ad Logicas difficultates, quas observant, quòd ipsi etiam Logicas demonstrationes afferant. Nisi quòd eiusdem rationis est excedens & id quod excedatur, esse principia, non item magnum & parvũ, & numerum binario priorem ex elementis esse. Vtraq; enim magis universalia sunt: nunc
B autem illud dicunt, hoc non dicunt. Quidam autem alterum & aliud uni opponunt; alii multitudinem & unum inter se. Quòd si ea quæ sunt, ex contrariis constant (ut volunt) uni nihil est contrarium, aut si fortè sit, multitudine: inæquale autem æquali, & diversum eidem: etiam aliud eidem erit contrarium.

Atque ii quidem maximè, qui unum multitudini opponunt, quadam opinione nituntur; nec ii tamen satisfaciunt. Hoc enim modo ipsum unum erit paucum; multitudo enim paucitati, multum autem pauco opponitur.

Ipsum verò unum mensuram significare,
C perspicuum est, & in omnibus aliquid aliud esse subiectum, veluti in concentu diesis, in magnitudine digitus aut pes, aut aliquid huiusmodi; in rythmis gradus aut syllaba: similiter in pondere pondus aliquod definitum est; eodemq; modo res habet in omnibus, in qualitatibus qualitas quædam, in quantitatibus quædam indivisibilis quantitas. Mensura enim alia specie, alia sensu est indivisibilis, quasi non sit aliqua per se substantia: quod rationi consentaneum est. Significat enim unius vocabulum multitudinis alicuius mensuram: numeri autem nomen multitudinem mensura comprehensam, & mensurarum multitudinem. Quocirca cum ratione accidit ut unum
D ipsum numerus non sit; neq; enim mensurarum mensura est, sed & mẽsura & unum ipsum principium sunt.

Semper autem mensura idem aliquid sit in omnibus oportet: ut si equus mensura est, equi; si homo, homines. Quòd si homo & equus, & Deus, & animal, fortasis etiam eorum numerus erit animalia. Si autem homo & albus, & ambulans; minimè quidem nume-

εἰ δ' ἄνθρωπος, καὶ λευκὸς, καὶ βαδίζων, ἥκιστα μὲν ἀριθμὸς τούτων διὰ τὸ ταυτῷ

πάντων

πάντα ὑπάρχειν καὶ ἑνὶ κατὰ τὸν ἀριθμόν. ὅμως δὲ γενῶν ἔσται ἀριθμὸς ὁ τούτων, ἢ τινος ἄλλης τοιαύτης προσηγορίας. οἱ δὲ τὸ ἄνισον ὡς ἕν τι, τὴν δυάδα δὲ ἀόριστον ποιοῦντες μεγάλου καὶ μικροῦ, πόρρω λίαν τῶν δοκούντων καὶ δυνατῶν λέγουσι. πάθη τε γὰρ ταῦτα, καὶ συμβεβηκότα μᾶλλον, ἢ ὑποκείμενα τοῖς ἀριθμοῖς καὶ τοῖς μεγέθεσιν ἐστι. τὸ γὰρ πολὺ καὶ ὀλίγον ἀριθμοῦ. καὶ μέγα καὶ μικρὸν, μεγέθους, ὥσπερ ἄρτιον καὶ περιττὸν, καὶ λεῖον καὶ τραχὺ, καὶ εὐθὺ, καὶ καμπύλον. ἔτι δὲ πρὸς ταύτῃ τῇ ἁμαρτίᾳ, καὶ πρός τι ἀνάγκη εἶναι τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν, καὶ ὅσα τοιαῦτα. τὸ δὲ πρός τι, πάντων ἥκιστα φύσις τις ἢ οὐσία τῶν κατηγοριῶν ἐστι. καὶ ὑστέρα τοῦ ποιοῦ, καὶ τοῦ ποσοῦ. καὶ πάθος τι τοῦ ποσοῦ τὸ πρός τι ὡς προελέχθη, ἀλλ' οὐχ ὕλη ἢ εἴ τι ἕτερον. καὶ τῷ ὅλως κοινῷ πρός τι, καὶ τοῖς μέρεσιν αὐτοῦ καὶ εἴδεσιν. οὐθὲν γὰρ ἐστιν, οὔτε μέγα οὔτε μικρὸν, οὔτε πολὺ οὔτε ὀλίγον, οὔτε ὅλως πρός τι, ὃ οὐχ ἕτερόν τι ὂν, πολὺ ἢ ὀλίγον, ἢ μέγα ἢ μικρὸν, ἢ πρός τι ἐστί. σημεῖον δ' ὅτι ἥκιστα οὐσία τις καὶ ὄν τι τὸ πρός τι, τὸ μόνον μὲν εἶναι γένεσιν αὐτοῦ, μηδὲ φθορὰν μηδὲ κίνησιν, ὥσπερ κατὰ ποσὸν αὔξησις καὶ φθίσις, κατὰ τὸ ποιὸν ἀλλοίωσις, κατὰ τόπον φορά, κατὰ τὴν οὐσίαν ἡ ἁπλῶς γένεσις καὶ φθορά, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸ πρός τι. ἄνευ γὰρ τοῦ κινηθῆναι, ὁτὲ μὲν μεῖζον, ὁτὲ δὲ ἔλαττον ἢ ἴσον ἔσται θατέρου κινηθέντος κατὰ τὸ ποσόν. ἀνάγκη τε ἑκάστου ὕλην εἶναι, τὸ δυνάμει τοιοῦτον. ὥστε καὶ οὐσίας. τὸ δὲ πρός τι, οὔτε δυνάμει οὐσία, οὔτε ἐνεργείᾳ. ἄτοπον οὖν, μᾶλλον δὲ ἀδύνατον, τὸ οὐσίας μὴ οὐσίαν ποιεῖν στοιχεῖον καὶ πρότερον. ὕστερον γὰρ πᾶσαι αἱ κατηγορίαι. ἔτι δὲ τὰ στοιχεῖα, οὐ κατηγορεῖται καθ' ὧν στοιχεῖα. τὸ δὲ πολὺ καὶ ὀλίγον καὶ χωρὶς καὶ ἅμα κατηγορεῖται τοῦ ἀριθμοῦ. καὶ τὸ μακρὸν καὶ τὸ βραχὺ γραμμῆς, καὶ ἐπίπεδόν ἐστι καὶ πλατὺ καὶ στενόν. εἰ δὲ δὴ καὶ ἔστι τι πλῆθος, οὗ τὸ μὲν ἀεὶ ὀλίγον, οἷον ἡ δυάς. εἰ γὰρ πολὺ, τὸ ἓν ἂν

A rus eorum erit, propterea quòd uni & eidem numero omnia conveniunt; tametsi generum erit numerus, aut alicuius alterius similis appellationis.

Qui verò inæquale ut unum quid, binarium autem infinitum & magno & parvo faciunt, longè admodum ab iis quæ vera videntur, tum ab iis quæ fieri possunt, aberrant. Hæc enim affectiones potius & accidentia sunt numerorum, & magnitudinum, quàm subiecta: paucum numeri; magnum, multum quidem & parvum, magnitudinis: quemadmodum par & impar, leve & asperum, rectum & curvum.

B Ad hunc etiam errorem accessit quòd necesse est, magnum & parvum, & omnia huiusmodi, ad aliquid esse; ad idquod ad aliquid est, ex omnibus prædicamentis minimè aliqua natura est aut substantia, estq́ & qualitate & quantitate posterior, quædamq́ affectio quantitatis (ut dictum est) non materia aut aliquid aliud; quod & omnino communi generi eorumque ad aliquid sunt, & partibus eius ac speciebus conveniat. Nihil enim magnum est, aut parvum, multumve aut paucum, neque omnino ad aliquid, quod non aliquid aliud cum sit, ut multum aut paucum, aut magnũ, aut parvum, aut alio modo ad aliquid referatur. C Quòd autem id quod ad aliquid est, minimè omnium sit substantia quædam aut ens aliquod, eo signo intelligitur, quòd in eo solo nec sit generatio nec corruptio, nec verò motus, quemadmodum in quantitate accretio & decretio; in qualitate, alteratio; in loco, loci mutatio; in substantia generatio simpliciter & corruptio; non item in eo quod est ad aliquid. Nam etsi res non moveatur, interdum tamen maior interdum minor aut æqualis, re altera in quantitate mutata. Necesse quoq́ est, cuiusque rei materiam esse potentia tale quid, quale futurum est; quare & substantiæ. Id autem D quod ad aliquid est, nec potestate substantia est, neq́ actu. Absurdum igitur aut potius impossibile est id quod substantia non est, substantiæ elementum facere, & quod ea prius sit, posteriora enim sunt prædicamenta omnia.

Accedit quod elementa non prædicantur de quorum elementa sunt: multum autem & paucum cùm seorsim tum etiam simul prædicantur de numero; & longum ac breve de linea planumq́ & latum & angustum est. Quòd si qua multitido est, cui paucũ semper conveniat

ὀλίγον εἴη. κἂν πολὺ ἁπλῶς εἴη οἷον ἡ δεκὰς πολύ. καὶ εἰ ταύτης μὴ ἔστι πλεῖον ἢ τὰ μυρία, πῶς οὖν ἔσται οὗτος ἐξ ὀλίγου καὶ πολλοῦ ὁ ἀριθμός; ἢ γὰρ ἄμφω ἔδει κατηγορεῖσθαι, ἢ μηδέτερον. νῦν δὲ ἕτερον μόνον κατηγορεῖται.

A ut binarius: (nam si multa sunt duo, unum profectò pauca erit) Si etiam aliquid multum simpliciter fuerit, ut si decem multa dicamus (tametsi hæc non potius multa sunt quàm decem millia) quonam pacto hic numerus ex multo & pauco constabit? Aut enim utrumq; prædicari oportebit, aut neutrum; nunc autem alterum tantùm prædicatur.

Vt videl. cu denarius dicatur multum simpliciter.

Κεφάλαιον, β΄.

Ἁπλῶς δὲ δεῖ σκοπεῖν, ἆρα ἐστὶ δυνατὸν τὰ ἀΐδια ἐκ στοιχείων συγκεῖσθαι. ὕλην γὰρ ἕξει. σύνθετον γὰρ πᾶν τὸ ἐκ στοιχείων. εἰ τοίνυν ἀνάγκη ἐξ οὗ ἐστιν (εἰ καὶ ἀεὶ ἐστι, καὶ εἰ ἐγένετο) ἐκ τούτου γίγνεσθαι. γίνεται δὲ πᾶν ἐκ τοῦ δυνάμει ὄντος τοῦτο ὃ γίνεται (οὐ γὰρ ἂν γίγνετο ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, οὐδὲ ἦν) τὸ δὲ δυνατὸν ἐνδέχεται καὶ ἐνεργεῖν καὶ μὴ. εἰ καὶ ὅτι μάλιστα ἀεί ἐστιν ὁ ἀριθμός, ἢ ὁτιοῦν ἄλλο ὕλην ἔχον, ἐνδέχοιτ' ἂν μὴ εἶναι, ὥσπερ καὶ τὸ μίαν ἡμέραν ἔχον, καὶ τὸ ὁποσαοῦν ἔτη. εἰ δ' οὕτω, καὶ τὸ τοσοῦτον χρόνον οὗ μή ἐστι πέρας, οὐκ ἂν τοίνυν εἴη ἀΐδια, εἴπερ μὴ ἀΐδιον τὸ ἐνδεχόμενον μὴ εἶναι, καθάπερ ἐν ἄλλοις λόγοις συνέβη πραγματευθῆναι, εἰ δέ ἐστι τὸ λεγόμενον νῦν ἀληθὲς καθόλου, ὅτι οὐδεμία ἐστὶν ἀΐδιος οὐσία, ἐὰν μὴ ᾖ ἐνέργεια, τὰ δὲ στοιχεῖα ὕλη τῆς οὐσίας, οὐδεμιᾶς ἂν εἴη ἀϊδίου οὐσίας στοιχεῖα ἐξ ὧν ἐστιν ἐνυπαρχόντων. εἰσὶ δέ τινες, οἳ δυάδα μὲν ἀόριστον ποιοῦσι μετὰ τοῦ ἑνὸς στοιχείου, τὸ δ' ἄνισον δυσχεραίνουσιν εὐλόγως. διὰ τὰ συμβαίνοντα ἀδύνατα. οἷς τοσαῦτα μόνον ἀφῄρηται τῶν δυσχερῶν, ὅσα διὰ τὸ ποιεῖν τὸ ἄνισον καὶ τὸ πρός τι στοιχεῖον, ἀναγκαῖα συμβαίνουσι τοῖς λέγουσιν. ὅσα δὲ χωρὶς ταύτης τῆς δόξης, ταῦτα κἀκείνοις ὑπάρχειν ἀναγκαῖον, ἐάν τε τὸν εἰδητικὸν ἀριθμὸν ἐξ αὐτῶν ποιῶσιν. ἐάν τε τὸν μαθηματικόν. πολλὰ μὲν οὖν τὰ αἴτια τῆς ἐπὶ ταύτας τὰς αἰτίας ἐκτροπῆς, μάλιστα δὲ τὸ ἀπορῆσαι ἀρχαϊκῶς. ἔδοξε γὰρ αὐτοῖς πάντ' ἔσεσθαι ἓν τὰ ὄντα, αὐτὸ τὸ ὄν.

CAP. II.

B Omnino autem discutiendum est, fieri ne possit, ut sempiterna ex elementis constent: materiam enim habebunt. Quicquid enim ex elementis est, compositum est. Si ergo necesse est, * id ex quo aliquid est (sive id semper sit, sive factum fuerit) ex hoc fieri; quicquid autem fit, ex eo fiat quod potestate est id quod fit (neque enim fieret aut esset ex eo quod esse nō potest) quod autē esse potest, contingat & actu esse, & non esse: certè etsi quàm maximè semper esset numerus, aut quicquid aliud materiam habet, fieri profectò posset ut non esset; quemadmodum & quod diem unum habet, & quod annos quantumcunq; multos. C Quòd si res habet, id etiam quod tantum temporis habet, ut eius non sit extremum. Non igitur sempiterna erunt; quandoquidem sempiternum non est, quod contingit non esse, quemadmodum aliis locis explicatum est. Quòd si universè id quod nunc dicimus, verum est, nullam, inquam, sempiternam substantiam esse, si actu non sit; elementa autem materia sunt substantiæ; nullius utiq; sempiternæ substantiæ elementa erunt, ex quibus insitis composita sit.

* Quòd ex aliquo est.

Sunt autem nonnulli, qui binarium quidē indefinitum, simul cum uno elementum faciant; inæquale autem meritò reiiciant: quòd ea idem sequantur, quæ fieri nequeunt: e quos D eæ tantum difficultates non urgent, quæ iis necessariò eveniunt, qui inæquale & id quod ad aliquid est, elementum faciunt. Quæcunq; verò præter hanc opinionem accidunt, eædem illis eveniant, necesse est, sive idealem numerum, sive mathematicum ex iis efficiant.

Ac multa quidem eos impulerunt, ut in has causas inciderent; maximè verò vetusta illa dubitatio: Putabant enim omnia unum fore, nempe ipsum ens: nisi quis solvat, convenienterq;

εἰ μή τις λύσει, καὶ ὁμόσε βαδιεῖται τῷ A Παρμενίδου λόγῳ, οὐ γὰρ μή ποτε τοῦτο οὐδαμῇ εἶναι μὴ ἐόντα. Ἀλλ' ἀνάγκη εἶναι τὸ μὴ ὂν δεῖξαι ὅτι ἐστίν. οὕτω γὰρ ἐκ τοῦ ὄντος καὶ ἄλλου τινός, τὰ ὄντα ἔσεσθαι, εἰ πολλά ἐστι. καίτοι πρῶτον μὲν, εἰ τὸ ὂν πολλαχῶς, τὸ μὲν γὰρ ὅτι οὐσίαν σημαίνει, τὸ δ' ὅτι ποιόν, τὸ δ' ὅτι ποσόν, καὶ τὰς ἄλλας δὴ κατηγορίας. ποῖον οὖν τὰ ὄντα πάντα ἕν, εἰ μὴ τὸ μὴ ὂν ἔσται; πότερον αἱ οὐσίαι, ἢ τὰ πάθη; καὶ τὰ ἄλλα δὴ ὁμοίως, ἢ ἅπαντα. καὶ ἔσται ἓν τὸ τόδε καὶ τὸ τοιόνδε, καὶ τὸ τοσόνδε, καὶ τἆλλα ὅσα ἕν τι σημαίνει. ἀλλ' ἄτοπον, μᾶλλον δὲ B ἀδύνατον, τὸ μίαν φύσιν τινὰ γενομένην αἰτίαν εἶναι, καὶ τούτου καὶ ὄντος εἶναι αὐτοῦ ὄντος, τὸ μὲν τόδε εἶναι, τὸ δὲ τοιόνδε, τὸ δὲ τοσόνδε, τὸ δὲ πού. ἔπειτα ἐκ ποίου μὴ ὄντος καὶ ὄντος τὰ ὄντα; πολλαχῶς γὰρ καὶ τὸ μὴ ὄν, ἐπειδὴ καὶ τὸ ὄν. καὶ τὸ μὲν μὴ ἄνθρωπον σημαίνει τὸ μὴ εἶναι τοδί. τὸ δὲ μὴ εὐθύ, τὸ μὴ εἶναι τοιονδί. τὸ δὲ μὴ τρίπηχυ, τὸ μὴ εἶναι τοσονδί. ἐκ ποίου οὖν ὄντος καὶ μὴ ὄντος, πολλὰ τὰ ὄντα; βούλεται μὲν δὴ τὸ ψεῦδος καὶ ταύτην τὴν φύσιν λέγειν τὸ οὐκ ὄν, ἐξ οὗ, καὶ τοῦ ὄντος, πολλὰ τὰ C ὄντα. διὸ καὶ ἐλέγετο, ὅτι δεῖ ψεῦδός τι ὑποθέσθαι, ὥσπερ καὶ οἱ γεωμέτραι, τὸ, ποδιαίαν εἶναι, τὴν μὴ ποδιαίαν. ἀδύνατον δὲ ταῦθ' οὕτως ἔχειν. οὔτε γὰρ οἱ γεωμέτραι ψεῦδος οὐθὲν ὑποτίθενται (οὐ γὰρ ἐν τῷ συλλογισμῷ ἡ πρότασις) οὔτε ἐκ τοῦ οὕτω μὴ ὄντος τὰ ὄντα γίνεται οὐδὲ φθείρεται, ἀλλ' ἐπειδὴ τὸ μὲν κατὰ τὰς πτώσεις μὴ ὄν, ἰσαχῶς ταῖς κατηγορίαις λέγεται, παρὰ τοῦτο δὲ τόδε, ὡς ψεῦδος λέγεται τὸ μὴ ὂν καὶ τὸ κατὰ δύναμιν, ἐκ τούτου ἡ γένεσίς ἐστιν, ἐκ τοῦ μὴ ἀνθρώπου, δυνάμει δὲ ἀνθρώπου, ἄν- D θρωπος. καὶ ἐκ τοῦ μὴ λευκοῦ, δυνάμει δὲ λευκοῦ, λευκόν. ὁμοίως ἐάν τε ἓν γίγνηται, ἐάν τε πολλά. Φαίνεται δὲ ἡ ζήτησις, πῶς πολλὰ τὸ ὄν. τὸ κατὰ τὰς οὐσίας λεγόμενον. ἀριθμοὶ γὰρ καὶ μήκη καὶ σώματα τὰ γιγνόμενά ἐστιν. ἄτοπον δὴ τὸ ὅπως μὲν πολλὰ τὸ ὄν, τὸ τί ἐστι ζητῆσαι, πῶς δέ, ἢ ποιά, ἢ ποσά, μή. οὐ γὰρ δὴ ἡ δυὰς ἡ ἀόριστος αἰτία, οὐδὲ τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν, τοῦ δύο λευκὰ ἢ πολλὰ εἶναι χρώματα, ἢ χυμοὺς, ἢ σχή-

nienterq; Parmenidis rationi progrediatur. Nunquam enim hoc ullo modo esse non ens: sed necesse esse ostendere, non ens, esse; hoc enim modo ex ente & aliquo alio entia futura esse, si multa sint.

Atqui primum quidem si ens multis modis dicitur (aliud enim substantiam significat, aliud qualitatem, aliud quantitatem, & cætera prædicamenta) quodnam quæso unum erunt entia omnia, nisi non ens fore confiteamur? Substantiæne, an passiones, & eadem ratione cætera; an non omnia? eritq; unum & id quod est hoc, & id quod tale, & id quod quantum, & cætera quæ unum aliquid significant? At hoc absurdum est, seu potius impossibile, unam quandam naturam, quæ facta sit, causam esse huius entis; eiusdemq; entis aliud esse hoc, aliud tale, aliud tantum, aliud ubi.

Deinde ex quo non ente & ente entia constabunt? Namq; & non ens multis modis dicitur, quandoquidem & ens ipsum; & aliud quidem non hominem significat, aliud non esse hoc, aliud non rectum, aliud non esse tale, aliud non tricubitum, aliud non esse tantum. Ex quo igitur ente & non ente plura constabunt entia? Vult igitur falsum & hanc naturam dicere ipsum non ens, ex quo & ente multa sunt entia. Qua de causa dici solebat, oportere falsum aliquid supponere, quo pacto Geometræ pedalem esse ponunt, quæ pedalis non sit. Quòd tamen hæc ita habeant, fieri non potest. Neq; enim Geometræ falsum quicquam supponunt (non est enim in syllogismo propositio) neq; ex hoc pacto non ente entia gignuntur, neq; in illud corrumpuntur. Sed quoniam id quod per casus est non ens, æquè atq; prædicamenta dicitur; præter hoc autem dicitur non ens ut falsum, & id quod potentia: ex hoc utique generatio est; ex non homine quidem, sed potentia homine, homo: & ex non albo sed potentia albo album, æquè sive unum fiat, sive multa.

Videtur autem quæstio, quo pacto ens quod per substantias dicitur, multa sit, cùm ea quæ gignuntur, numeri sint, & longitudines, & corpora. Absurdum profectò est, quo pacto ens, quod quid est, multa sit, quærere; quo autem pacto aut qualia, aut quanta, non quærere. Neq; enim binarius indefinitus, nec magnum & parvum causa sunt, cur duo alba, aut multi colores sint, multive sapores, aut figuræ. Nam & numeri hæc essent, & unitates, entia.

ματα. ἀριθμοὶ γὰρ αὖ καὶ ταῦτα ἦσαν καὶ μονάδες. ἀλλὰ μὴν εἴ γε ταῦτ' ἐπῆλθον, εἶδον ἂν τὸ αἴτιον καὶ τὸ ἐν ἐκείνοις. τὸ γὰρ αὐτὸ καὶ τὸ ἀνάλογον αἴτιον. αὕτη γὰρ ἡ παρέκβασις αἰτία καὶ τοῦ τὸ ἀντικείμενον ζητοῦντας, τῷ ὄντι καὶ τῷ ἑνί, ἐξ οὗ καὶ τούτων τὰ ὄντα, τὸ πρός τι, καὶ τὸ ἄνισον ὑποθεῖναι, ὃ οὔτε ἐναντίον, οὔτ' ἀπόφασις ἐκείνων, μία τε φύσις τῶν ὄντων. ὥσπερ καὶ τὸ τί, καὶ τὸ ποιόν. καὶ ζητεῖν ἔδει καὶ τοῦτο, πῶς πολλὰ τὰ πρός τι, ἀλλ' οὐχ ἕν. νῦν δὲ πῶς μὲν πολλαὶ μονάδες παρὰ τὸ πρῶτον ἕν, ζητεῖται. πῶς δὲ πολλὰ ἄνισα παρὰ τὸ ἄνισον, οὐκ ἔτι. καίτοι χρῶνται καὶ λέγουσι μέγα, μικρόν. πολύ, ὀλίγον. ἐξ ὧν οἱ ἀριθμοί. μακρόν, βραχὺ ἐξ ὧν τὸ μῆκος. πλατὺ στενόν, ἐξ ὧν τὸ ἐπίπεδον. βαθύ, ταπεινόν, ἐξ ὧν οἱ ὄγκοι. καὶ ἔτι εἴδη πλείω λέγουσι τοῦ πρός τι. τούτοις δὴ τί αἴτιον τοῦ πολλὰ εἶναι; ἀνάγκη μὲν οὖν (ὥσπερ λέγομεν) ὑποθεῖναι τὸ δυνάμει ὂν ἑκάστῳ. τοῦτο δὲ προσαπεφήνατο ὁ ταῦτα λέγων, τί τὸ δυνάμει ὂν τόδε καὶ οὐσία, μὴ ὂν δὲ καθ' αὑτό, ὅτι τὸ πρός τι. ὥσπερ εἰ εἶπε τὸ ποιόν, ὃ οὔτε δυνάμει ἐστὶ τὸ ἕν, ἢ τὸ ὄν, οὔτε ἀπόφασις τοῦ ἑνός, οὔτε τοῦ ὄντος, ἀλλ' ἕν τι τῶν ὄντων. πολύ τε μᾶλλον (ὥσπερ ἐλέχθη) εἰ ἐζήτει πῶς πολλὰ τὰ ὄντα. μὴ τὰ ἐν τῇ αὐτῇ κατηγορίᾳ ζητεῖν, πῶς πολλαὶ οὐσίαι, ἢ πολλὰ ποιά, ἀλλὰ πῶς πολλὰ τὰ ὄντα. τὰ μὲν γὰρ οὐσίαι, τὰ δὲ πάθη, τὰ δὲ πρός τι. ἐπὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων κατηγοριῶν, ἔχει τινὰ καὶ ἄλλην ἐπίστασιν, πῶς πολλά. διὰ γὰρ τὸ μὴ χωριστὰ εἶναι, τῷ τὸ ὑποκείμενον πολλὰ γίνεσθαι καὶ εἶναι, ποιά τε πολλὰ εἶναι καὶ ποσά. καίτοι δεῖ γέ τινα εἶναι ὕλην ἑκάστῳ γένει, πλὴν χωριστὴν ἀδύνατον τῶν οὐσιῶν. ἀλλ' ἐπὶ τῶν τόδε τι, ἔχει τινὰ λόγον, πῶς πολλὰ τὸ τόδε τι. εἰ μή τι ἔσται, καὶ τόδε τι καὶ φύσις τις τοιαύτη. αὕτη δέ ἐστιν ἐκεῖθεν μᾶλλον ἡ ἀπορία, πῶς πολλαὶ ἐνεργείᾳ οὐσίαι ἀλλ' οὐ μία. ἀλλὰ μὴν καὶ εἰ μὴ ταὐτόν ἐστι τὸ τόδε καὶ τὸ ποσόν, οὐ λέγεται πῶς καὶ διὰ τί πολλὰ τὰ ὄντα, ἀλλὰ πῶς καὶ διὰ τί ποσὰ πολλά. ὁ γὰρ ἀριθμὸς πᾶς, ποσόν τι ση-

A At verò si hæc ingressi essent, causam utique quæ in eis est, vidissent. Eadem enim causa est; idque proportione. Hæc enim prætermissio in causa fuit, cur enti & uni oppositum quærentes, ex quo & his entia constarent, id quod ad aliquid est, & inæquale supponerent, quod nec contrarium, nec negatio illorum est, sed natura una entium, quemadmodum relatum & quale. Illud etiam quærere oportebat, quo pacto non unum sed multa sint ea quæ ad aliud referuntur. Nunc autem quonam pacto multæ quidem sint unitates, præter unum, quæritur; quo autem pacto multa sint inæqualia præter inæquale B ipsum, non quæritur. Quæ inquam his utuntur, proferuntque magnum & parvum, multum & paucum, ex quibus numeri existant: productum & breve, ex quibus longitudo; latum & angustum, ex quibus planum; profundum & humile, ex quibus moles; & præter hæc multas species afferunt eius quod ad aliquid refertur. Quid igitur his causa est, cur sint multa? Necesse igitur est (ut nos dicimus) id quod potentia est ens, unicuique supponere. Hic autem ulterius pronunciavit, qui hæc dicit, quid esset potentia hoc & substantia, per se autem nihil, propterea quòd ad aliquid refer- C retur, quasi diceret eiusmodi esse, ut nec potentia unum esset, aut ens, nec negatio unius neque entis, sed unum ex entibus. Multóque magis (ut dictum est) ita sensisset, ut quæreret quo pacto multa sint entia, non ea quæ in eodem prædicamento sunt, quo pacto, inquam, multæ substantiæ aut multa qualia, sed quo pacto multa entia. Alia enim substantiæ sunt, alia passiones, alia relata. In aliis igitur prædicamentis alia quædam consideratio habetur, quo modo multa sint. Nam quia separari non possunt, eo quòd subiectum multa fiat, ac sit; qualia quoque & quanta sunt multa. Atqui materiam aliquam unicuique ge- D nere subesse oportet, tametsi à substantiis separari non potest. Verùm in substantiis ratio aliqua intelligi potest; quonam modo multa sit hoc aliquid, nisi quid fuerint & hoc aliquid, & talis quædam natura.

Sed inde magis dubitatio existit, quonam pacto multæ sunt actu substantiæ, non una. Certè si non idem sunt hoc, & quantum non explicatur, quo modo & qua de causa multa sint entia, sed quo modo & quam ob rem, multa quanta. Omnis enim numerus quantum aliquid significat: unitasque nihil aliud ni-

si men-

μαίνει. καὶ ἡ μονάς, εἰ μὴ μέτρον, ὅτι τὸ κατὰ τὸ ποσὸν ἀδιαίρετον. εἰ μὲν οὖν ἕτερον τὸ ποσὸν, καὶ τὸ τί ἐστιν, ὅτι οὐ λέγεται τὸ τί ἐστιν ἐκ τίνος. οὐδὲ πῶς πολλά. εἰ δὲ ταυτὸ, πολλὰς ὑπομένει ὁ λέγων ἐναντιώσεις. ἐπιστήσειε δ' αὖ τις τὴν σκέψιν καὶ περὶ τῶν ἀριθμῶν, πόθεν δεῖ λαβεῖν τὴν πίστιν ὡς εἰσί. τῷ μὲν γὰρ ἰδέας τιθεμένῳ, παρέχονταί τινες αἰτίαν τοῖς οὖσιν, εἴπερ ἕκαστος τῶν ἀριθμῶν ἰδέα τις. ἡ δ' ἰδέα τοῖς ἄλλοις αἰτία τοῦ εἶναι ὃν δήποτε τρόπον. ἔστω γὰρ αὐτοῖς ὑποκείμενον τοῦτο. τῷ δὲ τοῦτον μὲν τὸν τρόπον οὐκ οἰομένῳ, διὰ τὸ τὰς ἐνούσας δυσχερείας ὁρᾶν περὶ τὰς ἰδέας, ὥστε διά γε ταῦτα μὴ ποιεῖν ἀριθμούς, ποιοῦντι δὲ ἀριθμὸν τὸν μαθηματικόν, πόθεν τε χρὴ πιστεῦσαι ὡς ἔστι τοιοῦτος ἀριθμός, καὶ τί τοῖς ἄλλοις χρήσιμος; οὐθενὸς γὰρ οὔτε φησὶν ὁ λέγων αὐτὸν εἶναι, ἀλλ' αὐτήν τινα λέγει καθ' αὑτὴν φύσιν οὖσαν, οὔτε φαίνεται ὢν αἴτιος. τὰ γὰρ θεωρήματα τῶν ἀριθμητικῶν πάντα, καὶ κατὰ τῶν αἰσθητῶν ὑπάρξει, καθάπερ ἐλέχθη.

A *si mensuram, quod quantitate sit indivisibilis. Ergo si aliud quantum est, aliud quod quid est; non exponitur profectò, ex quo sit ipsum quod quid est, nec quo pacto sit multa; Sin autem eadem sunt, multa qui hoc ait contradicentia defendit. Premet etiam quis eam considerationem, quæ de numeris habetur, unde nam sumenda probatio, qua eos esse constet. Namque eius opinione, qui ideas ponit, utuntur quidam reddenda causa eorum quæ sunt, quandoquidem unusquisque numerorum idea est quædam; idea verò cæteris ut sint quoquo modo causa est. Sit enim hoc eis suppositum. Ei autem qui hoc modo non sentiat,* B *propterea quod videat eas difficultates, quæ de ideis se offerunt, ut ea de causa illas non faciat numeros, sed tamen numerum mathematicum faciat, qua tandem ratione credendum est esse eiusmodi numerum, & modo aliquo cæteris rebus esse utilem? Nullius enim rei ne is quidem qui illum ponit, causam esse dicit, sed naturam quandam per se existentem esse ait, nec certè causa videtur esse. Omnia enim Arithmeticorum pronunciata in sensibilibus, quemadmodum dictum est, locum habent.*

C

Κεφάλαιον, γ.

Οἱ μὲν οὖν τιθέμενοι τὰς ἰδέας εἶναι, καὶ ἀριθμοὺς αὐτὰς εἶναι τιθέμενοι, κατὰ τὴν ἔκθεσιν ἑκάστου, παρὰ τὰ πολλὰ λαμβάνειν, τὸ ἕν τι ἕκαστον πειρῶνται λέγειν, πῶς καὶ διὰ τί ἐστιν. οὐ μὴν, ἀλλ' ἐπεὶ οὔτε ἀναγκαῖα, οὔτε δυνατὰ ταῦτα, οὐδὲ τὸν ἀριθμὸν διά γε ταῦτα εἶναι λεκτέον. οἱ δὲ Πυθαγόρειοι διὰ τὸ ὁρᾶν πολλὰ τῶν ἀριθμῶν πάθη ὑπάρχοντα τοῖς αἰσθητοῖς σώμασιν, εἶναι μὲν ἀριθμοὺς ἐποίησαν τὰ ὄντα, οὐ χωριστοὺς δὲ, ἀλλ' ἐξ ἀριθμῶν τὰ ὄντα. διὰ τί δέ; ὅτι τὰ πάθη τὰ τῶν ἀριθμῶν ἐν ἁρμονίᾳ ὑπάρχει, καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ἐν πολλοῖς ἄλλοις. τοῖς δὲ τὸν μαθηματικὸν μόνον λέγουσιν εἶναι ἀριθμόν,

CAPUT III.

Ac ij quidem qui & ideas esse ponunt, & eas dicunt esse numeros; quod unumquodque (ut singuli exponunt) unum quid præter multa esse sumant; quo modo & qua de causa sint, dicere conantur. Sed quoniam hæc nec necessaria sunt, nec verò fieri possunt; nec numerus etiam propter hæc esse dicendus est.

Pythagorici autem, quia multas numerorum affectiones in corporibus sensibilibus ines- D *se videbant; numeros quidem entia esse dixerunt, verùm non separatos, sed ut quibus entia non constarent. Cur autem? Quia nummerorũ affectiones in cõcentu, & in cœlo, aliisq; multis rebus inessent. Qui verò mathematicũ numerũ tantummodo esse volunt, nihil tale posse ex iis quæ*

οὐθὲν τοιοῦτον ἐνδέχεται λέγειν κατὰ τὰς ὑποθέσεις. ἀλλ' ὅτι οὐκ ἔσονται αὐτῶν αἱ ἐπιστῆμαι, ἐλέγετο. ἡμεῖς δὲ φαμὲν εἶναι, καθάπερ εἴπομεν καὶ πρότερον. καὶ δῆλον ὅτι οὐ κεχώρισται τὰ μαθηματικά. οὐ γὰρ ἂν κεχωρισμένων τὰ πάθη ὑπῆρξεν ἐν τοῖς σώμασιν. οἱ μὲν οὖν Πυθαγόρειοι, κατὰ μὲν τὸ τοιοῦτον οὐθενὶ ἔνοχοί εἰσι. κατὰ μέντοι τὸ ποιεῖν ἐξ ἀριθμῶν τὰ φυσικὰ σώματα, ἐκ μὴ ἐχόντων βάρος μηδὲ κουφότητα, ἔχοντα κουφότητα καὶ βάρος, ἐοίκασι περὶ ἄλλου οὐρανοῦ λέγειν καὶ σωμάτων, ἀλλ' οὐ τῶν αἰσθητῶν. οἱ δὲ χωριστὸν ποιοῦντες, ὅτι ἐπὶ τῶν αἰσθητῶν οὐκ ἔσται τὰ ἀξιώματα, ἀληθῆ δὲ τὰ λεγόμενα. καὶ σαίνει τὴν ψυχήν, εἶναί τε ὑπολαμβάνουσι, καὶ χωριστὰ εἶναι. ὁμοίως δὲ καὶ τὰ μεγέθη τῶν μαθηματικῶν. καὶ δῆλον οὖν ὅτι καὶ ὅτι καὶ ὁ ἐναντιούμενος λόγος, τὰ ἐναντία ἐρεῖ. καὶ ὃ ἄρτι ἠπορήθη λυτέον τοῖς οὕτω λέγουσι, διὰ τί οὐδαμῶς ἐν τοῖς αἰσθητοῖς ὑπαρχόντων, τὰ πάθη ὑπάρχει αὐτῶν ἐν τοῖς αἰσθητοῖς. εἰσὶ δέ τινες οἱ ἐκ τοῦ πέρατα εἶναι καὶ ἔσχατα, τὴν μὲν στιγμὴν γραμμῆς, ταύτην δ' ἐπιπέδου, τοῦτο δὲ τοῦ στερεοῦ, οἴονται εἶναι ἀνάγκην τοιαύτας φύσεις εἶναι. δεῖ δὴ καὶ τοῦτον ὁρᾶν τὸν λόγον, μὴ λίαν ᾖ μαλακός. οὔτε γὰρ οὐσίαι εἰσὶ τὰ ἔσχατα, ἀλλὰ μᾶλλον ταῦτα πάντα πέρατα, ἐπεὶ καὶ τῆς βαδίσεως, καὶ ὅλως κινήσεως ἐστί τι πέρας. ταῦτ' οὖν ἔσται τόδε καὶ οὐσία τις. ἀλλ' ἄτοπον. οὐ μὴν ἀλλὰ εἰ καὶ εἰσί, τῶν δὲ τῶν αἰσθητῶν ἔσονται πάντα, ἐπὶ τούτων γὰρ ὁ λόγος εἴρηκε. διὰ τί οὖν χωριστὰ ἔσται; ἔτι δ' ἐπιζητήσειεν ἄν τις μὴ λίαν εὐχερὴς ὤν. περὶ μὲν οὖν τοῦ ἀριθμοῦ παντὸς καὶ τῶν μαθηματικῶν, τὸ μηθὲν συμβάλλεσθαι ἀλλήλοις τὰ πρότερα τοῖς ὕστερον. μὴ ὄντος γὰρ τοῦ ἀριθμοῦ, οὐθὲν ἧττον τὰ μεγέθη ἔσται τοῖς μαθηματικὰ μόνον εἶναι φαμένοις. καὶ τούτων μὴ ὄντων, ἡ ψυχὴ καὶ τὰ σώματα τὰ αἰσθητά. οὐκ ἔοικε δ' ἡ φύσις ἐπεισοδιώδης οὖσα ἐκ τῶν φαινομένων, ὥσπερ μοχθηρὰ τραγῳδία. τοῖς δὲ τὰς ἰδέας τιθεμένοις, τοῦτο μὲν ἐκφεύγει. ποιοῦσι γὰρ τὰ μεγέθη ἐκ τῆς ὕλης καὶ ἀριθμοῦ. ἐκ μὲν τῆς δυάδος τὰ μήκη, ἐκ τριάδος δ' ἴσως τὰ ἐπίπεδα, ἐκ δὲ τῆς τετράδος τὰ στερεά, ἢ καὶ ἐξ ἄλλων ἀριθμῶν.

A iis quæ supponunt, dicere; sed hoc dicebatur, eorum scientias non futuras. Atqui nos & esse dicimus, quemadmodum & superius diximus; & perspicuum esse non esse res mathematicas separatas; neq; enim iis separatis eorum affectiones corporibus inessent. Ac Pythagorici quidem in hac quidem re nemini obnoxii sunt; quod autem ex numeris qui nec gravitatem nec levitatem habent, naturalia corpora, quæ levitate & gravitate prædita sunt, faciunt; de alio cælo, & aliis corporibus, non de iis quæ sub sensum cadunt, asserere videntur. Qui verò separatum faciunt numerum, eo B quod pronunciata in rebus sensibilibus non sint, vera autem sint quæ dicantur, & animo blandiantur: ii & esse, & separata esse existimant; eodemq; modo Mathematicorum magnitudines. Itaq; perspicuum est & contrariam orationem contraria esse dicturam; & quod nunc in quæstione fuit, hoc modo solvi ab iis qui ita occurrunt. Cur si nequaquam in rebus sensibilibus existunt, in iis insunt eorum affectiones?

Nempe, si is numerus nō esset ens.

Sunt autem nonnulli, qui ex eo quòd termini & extrema sunt, punctum quidem lineæ, hæc verò plani, & hoc corporis; huiusmodi naturas esse necessarium esse censent. Oportet igi- C tur & hanc rationem despicere, num valde infirma sit. Neq; enim extrema ipsa substantiæ sunt, sed prius hæc omnia sunt termini, quandoquidem & ambulationis, & cuiusvis motus terminus est aliquis. Is ne igitur est hoc, & substantia quædam? At absurdum est. Quanquam etsi hæc sint, sensibilia erunt omnia; in his enim ea esse ratio declaravit. Cur igitur seiuncta erunt?

Præterea quærat aliquis, qui non admodū sit credulus, de omni numero, & mathematicis rebus * quid alia aliis priora posterioribus conferant. Etenim non existente numero, nihilominus magnitudines existent, eorum senten- D tia qui mathematicas tantùm esse dicunt; & his non existentibus, anima & corpora sensibilibus subiecta. Ex iis autem quæ cernimus, non videtur natura incomposita, more vitiosæ tragœdiæ. Eos verò qui ideas ponunt, hoc fugit. Ex materia enim & numero magnitudines efficiunt; ex binario quidem, longitudines; ex ternario autem fortassis, plana; ex quaternario, solida, aut etiam ex aliis numeris; nihil enim refert. Sed num hæc ideæ erunt? aut quis

* Quòd nihil.

μῶν. διαφέρει γὰρ οὐθέν. ἀλλὰ ταῦτά γε πότερον ἰδέαι ἔσονται, ἢ τίς ὁ τρόπος αὐτῶν, καὶ τί συμβάλλονται τοῖς οὖσιν; οὐθὲν γάρ, ὥσπερ οὐδὲ τὰ μαθηματικά, οὐδὲ ταῦτα συμβάλλεται. ἀλλὰ μὴν οὐδ' ὑπάρχει γε τούτων οὐθὲν θεώρημα, ἐὰν μή τις βούληται κινεῖν τὰ μαθηματικά, καὶ ποιεῖν ἰδίας τινὰς δόξας. ἔστι δ' οὐ χαλεπὸν ὁποιασοῦν ὑποθέσεις λαμβάνοντας μακροποιεῖν καὶ συνείρειν. οὗτοι μὲν οὖν ταύτῃ προσγλιχόμενοι ταῖς ἰδέαις τὰ μαθηματικά, διαμαρτάνουσιν, οἱ δὲ πρῶτοι δύο τοὺς ἀριθμοὺς ποιήσαντες, τόν τε τῶν εἰδῶν, καὶ τὸν μαθηματικὸν ἄλλον οὐδαμῶς, οὔτ' εἰρήκασιν, οὔτ' ἔχοιεν ἂν εἰπεῖν. πῶς καὶ ἐκ τίνος ἔσται ὁ μαθηματικός. ποιοῦσι γὰρ αὐτὸν μεταξὺ τοῦ εἰδικοῦ καὶ τοῦ αἰσθητοῦ. εἰ μὲν γὰρ ἐκ τοῦ μεγάλου καὶ τοῦ μικροῦ, ὁ αὐτὸς ἐκείνῳ ἔσται τῷ τῶν ἰδεῶν, ἐξ ἄλλου δέ τινος μικροῦ καὶ μεγάλου. τὰ γὰρ μεγέθη ποιεῖ. εἰ δ' ἕτερόν τι ἐρεῖ, πλείω τὰ στοιχεῖα ἐρεῖ. καὶ εἰ ἕν τι ἑκατέρου ἡ ἀρχή, κοινόν τι ἐπὶ τούτων ἔσται τὸ ἕν. ζητητέον πῶς καὶ ταῦτα πολλὰ τὸ ἕν, καὶ ἅμα τὸν ἀριθμὸν γίνεσθαι ἄλλως, ἢ ἐξ ἑνὸς καὶ δυάδος ἀορίστου, ἀδύνατον κατ' ἐκεῖνον. πάντα δὴ ταῦτα ἄλογα, καὶ μάχεται καὶ αὐτὰ ἑαυτοῖς, καὶ τοῖς εὐλόγοις. καὶ ἔοικεν ἐν αὐτοῖς εἶναι ὁ Σιμωνίδου μακρὸς λόγος. γίνεται γὰρ ὁ μακρὸς λόγος, ὥσπερ ὁ τῶν δούλων, ὅταν μηθὲν ὑγιὲς λέγωσι. φαίνεται δὲ καὶ αὐτὰ τὰ στοιχεῖα τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν βοᾶν ὡς ἑλκόμενα. οὐ δύναται γὰρ οὐδαμῶς γεννῆσαι τὸν ἀριθμόν, ἀλλ' ἢ τὸν ἀφ' ἑνὸς διπλασιαζόμενον. ἄτοπον δὲ καὶ γένεσιν ποιεῖν ἀιδίων ὄντων, μᾶλλον δ' ἕν τι τῶν ἀδυνάτων. οἱ μὲν οὖν Πυθαγόρειοι, πότερον οὐ ποιοῦσιν ἢ ποιοῦσι γένεσιν, οὐδὲν δεῖ διστάζειν. φανερῶς γὰρ λέγουσιν ὡς τοῦ ἑνὸς συσταθέντος, εἴτ' ἐξ ἐπιπέδων, εἴτ' ἐκ χροιᾶς, εἴτ' ἐκ σπέρματος, εἴτ' ἐξ ὧν ἀποροῦσιν εἰπεῖν, εὐθὺς τὸ ἔγγιστα τοῦ ἀπείρου, ὅτι εἵλκετο καὶ ἐπεραίνετο ὑπὸ τοῦ πέρατος. ἀλλ' ἐπειδὴ κοσμοποιοῦσι καὶ φυσικῶς βούλονται λέγειν, δίκαιον αὐτοὺς ἐξετάζειν τι περὶ φύσεως. ἐκ δὲ τῆς νῦν ἀφεῖναι μεθόδου. τὰς γὰρ ἐν τοῖς ἀκινήτοις ζητοῦμεν ἀρχάς. ὥστε καὶ τῶν ἀριθμῶν τῶν τοιούτων ἐπισκεπτέον τὴν γένεσιν.

A earum modus, quidq; rebus conferent; Nihil enim prosunt, quemadmodum nec res Mathematicæ. Sed neq; de iis ullum pronunciatum extat, nisi quis Mathematica amovere velit, suasq; opiniones inducere. Non est autem difficile, eos qui quaslibet suppositiones sumant, prolixum in ea re sermonem facere atq; connectere. Atq; hi quidem cum hoc pacto ideis Mathematica coniungunt, peccant. Primi autem, qui duos numeros fecerunt, & illum idearum & Mathematicum, nullo modo aut dixerunt, aut dicere possent, quo pacto & ex quo Mathematicus existet. Eum enim inter idealem & sensibilem interiectum faciunt. Nam si ex magno & parvo illum cōstare velint, idem erit atque ille idearum. Verum ex alio magno & parvo constare dicet, efficit enim magnitudines. Quòd si aliquid aliud afferat, plura elementa inducet. Si etiam unum utriusq; principium est, commune quippiam in his unum ipsum erit. Quærendum porro, quo modo hæc multa ipsum unum sint. Simul etiam eius sententia fieri nequit, ut numerus aliter, quā ex uno & binario indefinito constet. Itaq; hæc omnia perperam dicuntur, pugnantq; & ipsa secum, & cum iis quæ rationi sunt consona; videturq; in eis esse longa illa Simonidis oratio: fit enim longus sermo, quemadmodum is quo servi utuntur, cum nihil sanum momētive alicuius dicunt. Videntur quoq; elementa ipsa magnum & parvum conqueri, quòd distrahantur. Non enim possunt ullo modo numerum gignere, nisi eum qui ab uno duplicatur. Absurdum & illud est, generationem eorum inducere, cum sempiterni sint: seu potius unū eorum quæ fieri nequeunt.

Ac Pythagorici quidem, num eorum generationem faciant necne faciant, nihil est ambigendum. Apertè enim dicunt, cum unum ipsum constitutum erat, sive ex planis, sive ex colore, sive ex semine, sive ex iis quorum vocabula non suppetunt; statim id quod infinito proximū erat, trahebatur & concludebatur à termino. Sed quoniam Mundum fabricant, & physicè disserere volunt, æquum est ut aliquid de natura exquirant, & ab hac tractatione discedant. Earum enim rerum principia quærimus, quæ motui obnoxia non sunt. Itaq; huiusmodi numerorum generatio expendenda est.

Κεφάλαιον δ.

Τοῦ μὲν οὖν περιττοῦ γένεσιν, οὔ φασιν, ὡς δῆλον ὅτι τῆς ἀρτίου οὔσης γενέσεως. τὸν δ᾽ ἄρτιον πρῶτον ἐξ ἀνίσων τινὲς κατασκευάζουσι τοῦ μεγάλου καὶ μικροῦ ἰσασθέντων. ἀνάγκη οὖν πρότερον ὑπάρχειν τὴν ἀνισότητα αὐτοῖς τοῦ ἰσασθῆναι. εἰ δ᾽ ἀεὶ ἦσαν ἰσασμένα, οὐκ ἂν ἦσαν ἄνισα πρότερον· τοῦ γὰρ ἀεὶ οὐκ ἔστι πρότερον οὐθέν. ὥστε φανερὸν ὅτι οὐ τοῦ θεωρῆσαι ἕνεκεν ποιοῦσι τὴν γένεσιν τῶν ἀριθμῶν. ἔχει δ᾽ ἀπορίαν καὶ εὐπορήσαντι ἐπιτίμησιν, πῶς ἔχει πρὸς τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ καλὸν τὰ στοιχεῖα καὶ αἱ ἀρχαί. ἀπορίαν μὲν ταύτην, πότερόν ἐστί τι ἐκείνων, οἷον βουλόμεθα λέγειν αὐτὸ τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ ἄριστον, ἢ οὔ, ἀλλ᾽ ὑστερογενῆ. παρὰ μὲν τῶν θεολόγων ἔοικεν ὁμολογεῖσθαι τῶν νῦν τισιν, οἵ οὔ φασιν, ἀλλὰ προελθούσης τῆς τῶν ὄντων φύσεως, καὶ τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ καλὸν ἐμφαίνεσθαι. τοῦτο δὲ ποιοῦσιν εὐλαβούμενοι ἀληθινὴν δυσχέρειαν, ἣ συμβαίνει τοῖς λέγουσιν, ὥσπερ ἔνιοι τὸ ἓν ἀρχήν. ἔστι δ᾽ ἡ δυσχέρεια, οὐ διὰ τὸ τῇ ἀρχῇ τὸ εὖ ἀποδιδόναι ὡς ὑπάρχον, ἀλλὰ διὰ τὸ τὸ ἓν ἀρχήν, καὶ ἀρχήν, ὡς στοιχεῖον, καὶ τὸν ἀριθμὸν ἐκ τοῦ ἑνός. οἱ δὲ ποιηταὶ οἱ ἀρχαῖοι ταύτῃ ὁμοίως, ᾗ βασιλεύειν καὶ ἄρχειν φασὶν, οὐ τοὺς πρώτους, οἷον Νύκτα, καὶ Οὐρανὸν ἢ Χάος, ἢ καὶ Ὠκεανόν, ἀλλὰ τὸν Δία. οὐ μὴν ἀλλὰ τούτοις μὲν διὰ τὸ μεταβάλλειν τοὺς ἄρχοντας συμβαίνει τοιαῦτα λέγειν, ἐπεὶ οἵ γε μεμιγμένοι αὐτῶν, καὶ τῷ μὴ μυθικῶς πάντα λέγειν, οἷον Φερεκύδης καὶ ἕτεροί τινες, τὸ γεννῆσαν πρῶτον ἄριστον τιθέασι, καὶ οἱ Μάγοι, καὶ τῶν ὑστέρων δὲ σοφῶν, οἷον Ἐμπεδοκλῆς τε καὶ Ἀναξαγόρας, ὁ μὲν τὴν φιλίαν στοιχεῖον, ὁ δὲ τὸν νοῦν ἀρχὴν ποιήσας, τῶν δὲ τὰς ἀκινήτους οὐσίας λεγόντων, οἱ μέν φασιν αὐτὸ τὸ ἓν τὸ ἀγαθὸν αὐτὸ εἶναι. οὐσίαν μέντοι τὸ ἓν αὐτοῦ ᾤοντο εἶναι μάλιστα. ἡ μὲν οὖν ἀπορία αὐ-

CAPUT IV.

Imparis igitur generationem non esse dicunt, quasi paris generationem esse constet. Parem autem quidam primum efficiunt ex inæqualibus, magno & parvo ad æqualitatem revocatis. Necesse igitur est ut eis inæqualitas prius insit, quàm ad æqualitatem reducatur. Quòd si semper æquata fuissent, non essent prius inæqualia: Eo enim quod B semper est, nihil est prius. Constat igitur, eos non contemplationis causa numerorum generationem facere.

Dubitationem autem & illud habet, atque apud eum qui argumentis abundat, reprehensionem, quo modo elementa & principia ad bonum & malum se habeant, dubitationem, inquam, huiusmodi, Num aliquid eorum tale sit quale volumus ipsum bonum, & optimum dicere, an non, sed posteriùs genita.

Ab huius quidem ætatis Theologis id videtur concedi, qui dicunt non aliter quàm præcedente natura entium, bonum quoque & pulchrum in ea apparere. Hoc autem faciunt C veriti ne in veram illam difficultatem incurrant, quæ iis accidit, qui unum ipsum, quemadmodum nonnulli, principium esse dicunt. Difficultas verò non ex eo accidit quòd principio bonum quasi ei insit, attribuant, sed quòd unum ipsum principium, atque adeo principium ut elementum, & numerum ex uno faciant.

Veteres autem poëtæ idem sentiunt quatenus regnare & præesse dicunt non primos illos ut Noctem & Cœlum, aut Chaos, aut etiam Oceanum, sed Iovem. Cæterùm his quod principes mutent, talia dicere usuvenit: quando- D quidem ij qui inter eos promiscui fuerunt nec fabulæ in morem ista proponunt, ut Pherecydes & alij quidam, id quod primum genuit, optimum esse ponunt. Magi etiam & alij ex posterioribus sapientibus, ut Empedocles, & Anaxagoras, cùm ille amicitiam, elementum, hic mentem, principium fecerit.

Eorum autem qui immobiles substantias esse dicunt, quidam ipsum unum, ipsum bonum esse volunt, nisi quòd eius substantiam unum maxime esse existimant. Ac dubitatio

quidem

τι, ποτέρως δεῖ λέγειν. θαυμαστὸν δ' εἰ τῷ πρώτῳ καὶ ἀϊδίῳ καὶ αὐταρκεστάτῳ τοῦτ' αὐτὸ πρῶτον, οὐχ ὡς ἀγαθὸν ὑπάρχει τὸ αὔταρκες καὶ ἡ σωτηρία. ἀλλὰ μὴν οὐ δι' ἄλλο τι ἄφθαρτον, ἢ διότι εὖ ἔχει, οὐδ' αὔταρκες. ὥστε τὸ μὲν φάναι τὴν ἀρχὴν τοιαύτην εἶναι, εὔλογον ἀληθὲς εἶναι. τὸ μέντοι ταύτην εἶναι τὸ ἕν, ἢ εἰ μὴ τοῦτο στοιχεῖόν τε καὶ στοιχεῖον ἀριθμῶν ἀδύνατον. συμβαίνει γὰρ πολλὴ δυσχέρεια, ἣν ἔνιοι φεύγοντες ἀπειρήκασιν οἱ τὸ ἓν μὲν ὁμολογοῦντες ἀρχὴν εἶναι πρώτην καὶ στοιχεῖον, τοῦ δ' ἀριθμοῦ δὲ τοῦ μαθηματικοῦ. B ἅπασαι γὰρ αἱ μονάδες γίγνονται ὅπερ ἀγαθόν τι καὶ πολλή τις εὐπορία ἀγαθῶν. ἔτι εἰ τὰ εἴδη ἀριθμοὶ τὰ εἴδη, πάντα ὅπερ ἀγαθόν τι. ἀλλὰ μὴν ὅτου βούλεται τιθέτω τις εἶναι ἰδέας. εἰ μὲν γὰρ τῶν ἀγαθῶν μόνον, οὐκ ἔσονται αἱ οὐσίαι ἰδέαι. εἰ δὲ καὶ τῶν οὐσιῶν, πάντα τὰ ζῷα καὶ τὰ φυτὰ ἀγαθὰ, καὶ τὰ μετέχοντα. ταῦτά τε δὴ συμβαίνει ἄτοπα, καὶ τὸ ἐναντίον στοιχεῖον, εἴτε πλῆθος ὄν, εἴτε τὸ ἄνισον, καὶ μέγα καὶ μικρὸν, τὸ κακὸν αὐτό. διόπερ ὁ μὲν ἔφευγε τὸ ἀγαθὸν προσάπτειν τῷ ἑνὶ, ὡς ἐναντίον C ὄν, ἐπειδὴ ἐξ ἐναντίων ἡ γένεσις, τὸ κακὸν τὴν τοῦ πλήθους φύσιν εἶναι. οἱ δὲ λέγουσι τὸ ἄνισον τοῦ κακοῦ φύσιν. συμβαίνει δὴ, πάντα τὰ ὄντα μετέχειν τοῦ κακοῦ, ἔξω ἑνὸς αὐτοῦ τοῦ ἑνὸς, καὶ μᾶλλον ἀκράτου μετέχειν τοὺς ἀριθμοὺς, ἢ τὰ μεγέθη, καὶ τὸ κακὸν τοῦ ἀγαθοῦ χώραν εἶναι, καὶ μετέχειν καὶ ὀρέγεσθαι τοῦ φθαρτικοῦ, φθαρτικὸν γὰρ τοῦ ἐναντίου, τὸ ἐναντίον. καὶ εἰ, ὥσπερ ἐλέγομεν ὅτι ἡ ὕλη ἐστὶ τὸ δυνάμει ἕκαστον, οἷον πυρὸς τοῦ ἐνεργείᾳ τὸ δυνάμει πῦρ, τὸ κακὸν ἔσται αὐτὸ τὸ δυνάμει ἀγαθόν. ταῦτα δὴ πάντα συμβαίνει, τὸ μὲν ὅτι ἀρχὴν πᾶσαν στοιχεῖον ποιοῦσι, τὸ δ' ὅτι τἀναντία ἀρχάς, τὸ δ' ὅτι τὸ ἓν ἀρχὴν, τὸ δ' ὅτι τοὺς ἀριθμοὺς τὰς πρώτας οὐσίας, καὶ χωριστὰς, καὶ εἴδη.

A quidem hæc est, utro modo dicendum sit. Mirum est autem, si ei quod primum est, æternum sibiq; sufficientissimum, hoc ipsum quod primum est, ipsaque per se sufficientia & salus, non ut bonum conveniat. Atqui non alia de causa sibi est satis, nec interire potest, nisi quòd bene habet. Itaque rationi consentaneum est, verè quidem dici, tale esse principium: at hoc esse unum ipsum, aut si minus, hoc elementumque, & numerorum elementum fieri nullo modo modo potest. Magna enim difficultas existit, quam quidem fugientes, retrò abierunt, cùm unum quidem ipsum primum principium & elementum esse, B sed tamen mathematici numeri confiterentur. Universæ enim unitates verum aliquod bonū conficiunt, magnamque bonorum copiam. Ad hæc si species sunt numeri, species omnes, verū aliquod bonum erunt. Atqui cuiuscumque pro libitu quisquam ideas esse ponat, si bonorum tantùm illæ sint, non erunt ideæ substantiæ. Quòd si substantiarum etiam sint animalia omnia & plantæ quæq; his participant, bona erunt. Atque hæc absurda eveniunt. Accedit quòd contrarium elementum (sive multitudo sit, sive inæquale, & magnum ac parvum) ipsum malum erit. Quocirca qui C dam bonum cum uno copulare formidabat; quasi cum generatio ex contrariis fit, malum ipsum, natura sit multitudinis. Alij verò inæquale mali naturam esse dicunt. Ex qua re sequitur, omnia quæ sunt, malo participare præter unum illud quod est ipsum unū magisq; numeros quàm magnitudines, pueri illius numeri esse participes, & malum boni locum esse & participare atque appetere id à quo corrumpi possit. Etenim contrarium contrarii interimendi vim habet. Atsi, quemadmodum dicebamus, materia est potentia unumquodque, veluti eius qui est actu ignis, id quod est ignis potentia; malum utique erit ipsum potentia bonum. Hæc igitur omnia sequuntur, partim quòd omne principium elementum faciant; partim quòd principia contraria; partim quòd unum ipsum principium; partim quòd numeros, primas substantias & separabiles ac species esse censeant.

Κεφα-

Κεφάλαιον ε'.

Εἰ οὖν καὶ τὸ μὴ τιθέναι τὸ ἀγαθὸν ἐν ταῖς ἀρχαῖς, καὶ τὸ τιθέναι οὕτως ἀδύνατον, δῆλον ὅτι αἱ ἀρχαὶ οὐκ ὀρθῶς ἀποδίδονται, οὐδὲ αἱ πρῶται οὐσίαι. οὐκ ὀρθῶς δ' ὑπολαμβάνει, οὐδ' εἴ τις παρεικάζει τὰς τοῦ ὅλου ἀρχὰς τῇ τῶν ζώων καὶ φυτῶν, ὅτι ἐξ ἀορίστων δὲ, ἀεὶ τὰ τελειότερα, διὸ καὶ ἐπὶ τῶν πρώτων οὕτως ἔχειν φασίν, ὥστε μηδὲ ὄν τι εἶναι τὸ ἓν αὐτό. εἰσὶ δὲ καὶ ἐνταῦθα τέλειαι αἱ ἀρχαὶ ἐξ ὧν ταῦτα. ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ, καὶ οὐκ ἔστι τὸ σπέρμα πρῶτον. ἄτοπον δὲ καὶ τὸ, τόπον ἅμα τοῖς στερεοῖς τοῖς μαθηματικοῖς ποιῆσαι. ὁ μὲν γὰρ τόπος, τῶν καθ' ἕκαστον ἴδιος· διὸ χωριστὰ τόπῳ, τὰ δὲ μαθηματικὰ, οὐ πού. καὶ τὸ εἰπεῖν μὲν, ὅτι πού ἔσται, τί δέ ἐστιν ὁ τόπος, μὴ, ἄτοπον. ἔδει δὲ τοὺς λέγοντας ἐκ στοιχείων εἶναι τὰ ὄντα, καὶ τῶν ὄντων τὰ πρῶτα τοὺς ἀριθμοὺς, διελομένους πῶς ἄλλο ἐξ ἄλλου ἐστὶν, οὕτω λέγειν, τίνα τρόπον ὁ ἀριθμός ἐστιν ἐκ τῶν ἀρχῶν. πότερον μίξει. ἀλλ' οὔτε πᾶν μικτὸν, τό τε γινόμενον, ἕτερον οὐκ ἔσται χωριστὸν τὸ ἓν, οὐδ' ἑτέρα φύσις, οὐδὲ βούλονται. ἀλλὰ συνθέσει, ὥσπερ συλλαβήν. ἀλλὰ θέσιν τε ἀνάγκη ὑπάρχειν, καὶ χωρὶς ὁ νοῶν νοήσει τὸ ἓν καὶ τὸ πλῆθος. τοῦτ' ἔσται οὖν ἀριθμὸς, μονὰς καὶ πλῆθος, ἢ τὸ ἓν καὶ ἄνισον. καὶ ἐπεὶ τὸ ἐκ τινῶν εἶναι, ἔστι μὲν ὡς ἐνυπαρχόντων, ἔστι δὲ ὡς οὔ, ποτέρως ὁ ἀριθμός; οὕτω γὰρ ὡς ἐνυπαρχόντων οὐκ ἔστι, ἀλλ' ἢ ὧν γένεσίς ἐστιν, ἀλλ' ὡς ἀπὸ σπέρματος· ἀλλ' οὐχ οἷόν τε τοῦ ἀδιαιρέτου τι ἀπελθεῖν, ἀλλ' ὡς ἐκ τοῦ ἐναντίου μὴ ὑπομένοντος. ἀλλ' ὅσα οὕτως ἐστὶ, καὶ ἐξ ἄλλου τινός ἐστιν ὑπομένοντος. ἐπεὶ τοίνυν τὸ ἓν, ὁ μὲν τῷ πλήθει ὡς ἐναντίον τίθησιν, ὁ δὲ τῷ ἀνίσῳ, ὡς ἴσῳ τῷ ἑνὶ χρώμενος, ὡς ἐξ ἐναντίων ἂν εἴη ὁ ἀριθμός. ἔστιν ἄρα τι ἕτερον, ἐξ οὗ ὑπομένοντός τε, καὶ θατέρου, ἐστὶν ἢ γέγονεν. ἔτι, τί δέ ποτε, τὰ μὲν ἄλλ' ὅσα ἐξ ἐναντίων, ἢ οἷς ἐστιν ἐναντία, φθείρεται, κἂν ἐκ παντὸς ᾖ, ὁ δὲ

CAP. V.

Ergo si fieri nō potest, ut & bonū in principiis nō ponatur, & hoc modo ponatur, perspicuū est, nec principia, nec primas substantias recte tradita esse. Neq; vero recte sentit, si quis ipsius universi principia, animalium plantarumq; principio ea ratione assimilet, quod semper ex iis quae definita non sunt, perfectiora existant; qua de causa dicunt, sic se rem habere in iis quae prima sunt, ut ne ipsum quidem unum in entibus numerandum sit. Attamen haec etiam perfecta sunt principia, ex quibus ea quae apud nos sunt, existunt. Homo enim generat, nec semen primum est.

Absurdum quoq; est, locum simul cum mathematicis rebus facere: locus enim singularū rerum est proprius: quo fit ut loco seiungi possint; res autem mathematicae non sunt alicubi. Illud etiam absurdum est, eas dicere alicubi fore, quid autem locus sit, non dicere. Oportebat item, eos qui ea quae sunt, ex elementis constare, & numeros, prima in entibus esse dicebant, distinctione adhibita, quo pacto aliud sit ex alio. ita demum exponere, quonam modo nunc ex principiis existat, an mistione. At non quidvis misceri potest: & id quod fit, nunquā ipsum alterum non erit: neq; altera natura: neque id ipsi volunt. At compositione quo pacto syllabam efficiunt. At situm esse necesse erit: & qui seorsum intelligit, unum & multitudinem intelliget. Hoc igitur numerus erit, unitas, & multitudo, aut unum & inaequale. Et quoniam ex aliquibus esse, modo quodam accidit, ex iis quae insunt; modo alio non item; utronam modo numerus? Sic enim ut ex iis quae insunt, ..a sunt nisi ea quorum est generatio. An ut ex semine? At impossibile est ab indivisibili aliquid abire. An ut ex contrario nō permanente? At quaecunq; hoc pacto sunt, ex aliquo etiam permanente sunt. Cum igitur alius unum ipsum multitudini contrarium esse ponat, alius inaequali; qua in re, uno pro inaequali utitur; erit ubiq; numerus tanquam ex contrariis. Ita fit ut aliquid aliud sit, ex quo manente, & alio sit aut factus sit numerus,

Praeterea, cur tandem caetera quaecunq; quidem ex contrariis sunt aut quibus aliqua sunt contraria, corrumpuntur, ex quavis demum re con-

ἀριθμὸς οὗ; ἀλλ' ἐκείνων γὰρ οὐδὲν λέγεται. καίτοι καὶ ἐνυπάρχον, καὶ μὴ ἐνυπάρχον φθείρει τὸ ἐναντίον. οἷον τὸ νεῖκος, τὸ μῖγμα, καίτοι οὐκ ἔδει. οὐ γὰρ ἐκείνῳ γε ἐναντίον. οὐθὲν δὲ διώρισται, οὐδὲ ὁποτέρως οἱ ἀριθμοὶ αἴτιοι τῶν οὐσιῶν καὶ τοῦ εἶναι, πότερον ὡς ὅροι, οἷον στιγμαὶ τῶν μεγεθῶν, καὶ ὡς Εὔρυτος ἔταττε τίς ἀριθμὸς τίνος, οἷον ὁδὶ μὲν ἀνθρώπου, ὁδὶ δὲ ἵππου, ὥσπερ οἱ τοὺς ἀριθμοὺς ἄγοντες εἰς τὰ σχήματα τρίγωνον καὶ τετράγωνον, οὕτως ἀφομοιοῦντες ψήφοις τὰς ἀφορμὰς τῶν φυτῶν ἢ ὅτι ὁ λόγος, ἡ συμφωνία ἀριθμῶν; ὁμοίως δὲ καὶ ἄνθρωπος καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον. τὰ δὲ δὴ πάθη, πῶς ἀριθμοί, τὸ λευκὸν καὶ γλυκὺ καὶ θερμόν; ὅτι δὲ οὐχ οἱ ἀριθμοὶ οὐσία, οὐδὲ τῆς μορφῆς αἴτιοι, δῆλον. ὁ γὰρ λόγος, οὐσία. ὁ δ' ἀριθμὸς, ὕλη. οἷον σαρκὸς ἢ ὀστοῦ ἀριθμὸς, ἡ οὐσία. οὕτω τρία πυρὸς, γῆς δὲ δύο. καὶ ἀεὶ ὁ ἀριθμὸς ὃς ἂν ᾖ, τινῶν ἐστιν, ἢ πύρινος, ἢ γήϊνος, ἢ μοναδικός. ἀλλ' ἡ οὐσία τὸ τοσόνδ' εἶναι πρὸς τὸ τοσόνδε κατὰ τὴν μίξιν. τοῦτο δ' οὐκέτι ἀριθμὸς, ἀλλὰ λόγος μίξεως ἀριθμῶν σωματικῶν, ἢ ὁποιωνοῦν. οὔτε οὖν τῷ ποιῆσαι αἴτιος ὁ ἀριθμὸς, οὔτε ὅλως ἀριθμὸς, οὔτε ὁ μοναδικὸς, οὔτε ἡ ὕλη, οὔτε λόγος, καὶ εἶδος τῶν πραγμάτων. ἀλλὰ μὴν, οὐδ' ὡς τὸ οὗ ἕνεκα.

Aut re consistens, numerus autem nequaquam? De hoc enim nihil dicitur; tametsi contrarium sive insit, sive non insit, corrumpit, ut discordia id quod mistum est, quanquam non oportebat: neque enim illi contraria est.

Nihil est definitum quonam modo numeri causæ sint & substantiarum & ipsius existentiæ, num ut termini, veluti puncta magnitudinum, aut (sicut Eurythus quidam statuebat) hic numerus huius rei, ut hic quidem hominis, ille verò equi, quemadmodum ij qui numeros ad figuras, triangulum & quadrangulum revocant, quo eodem modo plantarum causas, calculorum rationibus similes B faciunt. An quia ratio, est numerorum concentus? Simili autem ratione homo & unumquodque cæterorum. At affectiones & numeri, albedo, dulcedo, & calor. Numeros autem non esse substantias, nec formæ causas, perspicuum est. Ratio enim substantia est, numerus autem, materia: veluti carnis aut ossis numerus, substantia. Sic tria ignis, terræ autem duo sunt: & semper numerus quilibet aliquorum est, vel igneus, vel terreus, vel monadicus. Cæterum tantum esse substantiæ, tantum in mistione collatum, hoc certè numerus non est, sed mistionis corporeorum numerorum, aut C quorumcunque ratio. Nec igitur efficiens causa est numerus, seu universè numerus; seu monadicus; nec verò materia, nec ratio, nec rerum forma, quin etiam neque ad id cuius gratia.

Κεφάλαιον ϛ'.

Ἀπορήσειε δ' ἄν τις καὶ τί τὸ εὖ ἐστι, τὸ ἀπὸ τῶν ἀριθμῶν, τὸ ἐν ἀριθμῷ εἶναι τὴν μίξιν, ἢ ἐν εὐλογίστῳ, ἢ ἐν D περιττῷ. νυνὶ γὰρ οὐθὲν ὑγιεινότερον, τρὶς τρία ἂν ᾖ τὸ μελίκρατον κεκραμένον, ἀλλὰ μᾶλλον ὠφελήσειεν ἂν οὐθενὶ λόγῳ ὂν ὑδαρὲς δὲ, ἢ ἐν ἀριθμῷ ἄκρατον ὄν. ἔτι οἱ λόγοι ἐν προσθέσει ἀριθμῶν εἰσιν, οἱ τῶν μίξεων, οὐκ ἐν τοῖς ἀριθμοῖς. οἷον, τρία πρὸς δύο, ἀλλ' οὐ τρὶς δύο. τὸ γὰρ αὐτὸ δεῖ γένος εἶναι ἐν ταῖς πολλαπλασιάσεσι. ὥστε δεῖ μετρεῖσθαι τῷ τε Α τὸ στοιχεῖον ἐφ' οὗ Α Β

CAP. VI.

Quæreret porro aliquis, quodnam sit illud bonum, quod à numeris proveniat, eo quòd in numero, sive rationali, sive impari, sit mistio. Nunc enim nihil salubrius est si mulsum ter tribus sit temperatum: sed magis fortasse proderit, si nulla proportione sit aquosum ..... quàm si in numero sit purum.

Præterea mistionum rationes in additione numerorum, non in numeris sunt, ut tria ad duo, non ter duo. Idem enim genus in multiplicationibus esse debet. Itaque ipso A metiatur quis oportet elementationem, sic dicam A.B.

γ, καὶ τοῦ Δ τὸ Α, διότι τὰ αὐτὰ πάντα. A
αὐτοῦ ἔσται πυρὸς Β Ε Γ Ζ, ὕδατος ἀρι-
θμὸς δὶς τρία. εἰ δ' ἀνάγκη πάντα ἀριθμοῦ
κοινωνεῖν, ἀνάγκη πολλὰ συμβαίνειν τὰ αὐ-
τά, καὶ ἀριθμὸν τὸν αὐτὸν τῷδε, καὶ ἄλλῳ.
ἆρ' οὖν τοῦτ' αἴτιον, καὶ διὰ τοῦτ' ἐστὶ τὸ πρᾶ-
γμα; ἢ ἄδηλον, οἷον ἔστι τις τῶν τοῦ ἡλίου φο-
ρῶν ἀριθμός, καὶ πάλιν τῶν τῆς σελήνης, καὶ
τῶν ζῴων γε ἑκάστου τοῦ βίου καὶ ἡλικίας;
τί οὖν κωλύει ἐνίους μὲν τούτων τετραγώνους
εἶναι, ἐνίους δὲ κύβους καὶ ἴσους, τοὺς δὲ δι-
πλασίους; οὐθὲν γὰρ κωλύει, ἀλλὰ ἀνάγκη
ἐν τούτοις στρέφεσθαι, εἰ ἀριθμοῦ πάντα
ἐκοινώνει, ἐνεδέχετό τε τὰ διαφέροντα
ὑπὸ τὸν αὐτὸν ἀριθμὸν πίπτειν, ὥστ' εἴ τι-
σιν ὁ αὐτὸς ἀριθμὸς συνεβεβήκει, ταὐτὰ
ἂν ἦν ἀλλήλοις ἐκεῖνα, τὸ αὐτὸ εἶδος ἀρι-
θμοῦ ἔχοντα. οἷον, ἥλιος καὶ σελήνη, τὰ
αὐτά. ἀλλὰ διὰ τί αἴτια ταῦτα; ἑπτὰ μὲν
φωνήεντα, ἑπτὰ δὲ χορδαὶ ἡ ἁρμονία, ἑπτὰ
δὲ αἱ πλειάδες, ἐν ἑπτὰ δὲ ὀδόντας βάλλει ἔ-
νιά γε, ἔνια δ' οὔ. ἑπτὰ δὲ οἱ ἐπὶ Θήβας. ἆρ'
οὖν ὅτι τοιοσδὶ ὁ ἀριθμὸς πέφυκε, διὰ τοῦτο
ἢ ἐκεῖνοι ἐγένοντο ἑπτά, ἢ ἡ πλειὰς ἑπτὰ
ἀστέρων ἐστίν; ἢ οἱ μὲν διὰ τὰς πύλας ἢ
ἄλλην τινὰ αἰτίαν; τὴν δὲ ἡμεῖς οὕτως ἀριθ-
μοῦμεν, τὴν δὲ ἄρκτον γε δώδεκα, οἱ δὲ
πλείους, ἐπεὶ καὶ τὸ Ξ Ψ Ζ, συμφωνίας φα-
σὶν εἶναι, καὶ ὅτι ἐκεῖναι τρεῖς, καὶ ταῦτα τρία.
ὅτι δὲ μυρία ἂν εἴη τοιαῦτα, οὐθὲν μέλει.
τῷ γὰρ Γ καὶ Ρ εἴη ἂν ἓν σημεῖον. εἰ δ' ὅτι δι-
πλάσιον τῶν ἄλλων ἕκαστον, ἄλλο δ' οὔ.
αἴτιον δ' ὅτι τριῶν ὄντων τόπων, ἓν ἐφ' ἑκά-
στου ἐπιφέρεται τῷ σίγμα. διὰ τοῦτο τρία
μόνον ἐστίν, ἀλλ' οὐχ ὅτι αἱ συμφωνίαι τρεῖς,
ἐπεὶ πλείους γε αἱ συμφωνίαι. ἐνταῦθα δ'
οὐκέτι δύναται. ὅμοιοι δὴ καὶ οὗτοι τοῖς
ἀρχαίοις Ὁμηρικοῖς, οἳ μικρὰς ὁμοιότη-
τας ὁρῶσι, μεγάλας δὲ παρορῶσι. λέγουσι δέ
τινες ὅτι πολλὰ τοιαῦτα, οἷον αἵ τε μέσαι, ἡ
μὲν ἐννέα ἡ δὲ ὀκτώ, καὶ τὸ ἔπος δεκαεπτά,
ἰσάριθμον τούτοις. βαίνεται δὲ ἐν μὲν τῷ
δεξιῷ ἐννέα συλλαβαῖς, ἐν δὲ τῷ ἀριστερῷ, ὀκ-
τώ. καὶ ὅτι ἴσον τὸ διάστημα, ἔν τε τοῖς γράμ-
μασιν ἀπὸ τοῦ Α πρὸς τὸ Ω, καὶ ἀπὸ τοῦ
βόμβυκος ἐπὶ τὴν ὀξυτάτην νεάτην ἐν αὐ-
λοῖς, ἧς ὁ ἀριθμὸς ἴσος τῇ οὐλομελείᾳ τοῦ

A G. & ipso D. illius D. [illegible] eadem o-
mnia. Erit igitur ipsius ignis numerus B. E.
G. Z. & aquae bis tria. Quòd si necesse est, o-
mnia numero participare, multa eadem ne-
cessariò evenient, & numerum eundem huic &
alij convenire. Anne igitur haec est causa, &
propter eam res est; an verò id obscurum est,
qualis est quidam lationum Solis numerus, &
rursus Lunae, ac vitae, & aetatis cuiusque a-
nimalium? Quid ergo prohibet horum quos-
dam quadratos esse, alios cubos, & aequales,
alios duplos? Nihil enim impedit, sed necesse
potius est in his * ea revolvi, si omnia nume- * Multa.
ro participant, fierique poterat, ut ea quae dif-
B ferunt, sub eundem numerum caderent. Qua-
re si idem numerus quibusdam contigisset, ea
utique illa inter se essent, cùm eandem nu-
meri speciem haberent, veluti sol & luna, ea-
dem.

Sed cur haec sunt causae? septem quidē voca-
les sunt, septē chordae, aut cōcentus, septē pleia-
des; in septimo anno quaedam dentes emittunt,
quaedam non item, septem quoque fuerunt, quę
Thebas invaserunt. Nū igitur quia is numerus
aptus est natura sua, ideo aut illi septem fue-
runt, aut Pleias septem stellarum est? aut il-
li quidem propter portas aliquámve aliam
C causam? nos autem ita numeramus. Vrsam
verò duodecim, alij autem plures. Nam X.
Ψ. Z. concentus esse dicunt: & quòd illi tres,
& haec quoque tres sunt. quòd autem infinita
pene talia sint, nemo animadvertit. G. enim
& R. unum signum esse possunt. Si autem
quia unaquaeque aliarum dupla est, alia ve-
rò minime, iccirco, cùm tria sint loca, in uno
quoque S. ponitur: propterea unquaque causam tres
tantum sunt, non quia tres sunt concentus. plu-
res enim concentus sunt, hîc autem non plura Vide amplius Perionium.
esse possunt.

Similes verò sunt hi antiquis Homericis,
D qui parvas similitudines vident, magnas ve-
rò non animadvertunt. Sunt autem, qui di-
cant multa esse talia, ut medias, quarum una
est novem, alia octo, carmenque decem & se-
ptem his esse aequale numero. Sed scanditur in
dextro novem syllabis, octo in sinistro. Dicunt
etiam, aequale esse intervallum, tam in literis
ab A ad Ω. quàm in tibiis à bombyce ad acu-
tissimā, cuius numerus aequalitas est omni-
fariae coeli melodiae. Videre autem oportet quod
non sint huiusmodi. Nemo enim dubitaverit,

ἀθρόως ὁρᾶν δεῖ μὴ γίνεσθαι (οὐδεὶς γὰρ ἀπορήσειεν) οὔτε λέγειν οὔθ' εὑρίσκειν ἐν τοῖς ἀιδίοις. ἐπεὶ καὶ ἐν τοῖς φθαρτοῖς. ἀλλ' αἱ ἐν τοῖς ἀριθμοῖς φύσεις αἱ ἐπαινούμεναι, καὶ τὰ τούτοις ἐναντία, καὶ ὅλως τὰ ἐν τοῖς μαθήμασιν ὡς μὲν λέγουσί τινες καὶ αἴτια ποιοῦσι τῆς φύσεως, ἔοικεν οὑτωσί γε σκοπουμένοις διαφεύγειν. κατ' οὐδένα γὰρ τρόπον τῶν διωρισμένων περὶ τὰς ἀρχὰς, οὐθὲν αὐτῶν αἴτιόν ἐστιν. ὡς μέντοι ποιοῦσι φανερὸν, ὅτι τὸ εὖ ὑπάρχει, καὶ τῆς συστοιχίας ἐστὶ τῆς τοῦ καλοῦ, τὸ περιττὸν, τὸ εὐθὺ, τὸ ἴσον, αἱ δυνάμεις ἐνίων ἀριθμῶν. ἅμα γὰρ ὧραι καὶ ἀριθμὸς τοιοσδί. καὶ τἆλλα δὴ ὅσα συνάγουσιν ἐκ τῶν μαθηματικῶν θεωρημάτων, πάντα ταύτην ἔχει τὴν δύναμιν. διὸ καὶ ἔοικε συμπτώμασιν. ἔστι γὰρ συμβεβηκότα μὲν, ἀλλ' οἰκεῖα ἀλλήλοις πάντα, ἓν δὲ τὸ ἀνάλογον. ἐν ἑκάστῃ γὰρ τοῦ ὄντος κατηγορίᾳ ἐστὶ τὸ ἀνάλογον, ὡς εὐθὺ ἐν μήκει, οὕτως ἐν πλάτει τὸ ὁμαλόν. ἴσως ἐν ἀριθμῷ τὸ περιττὸν, ἐν δὲ χροιᾷ τὸ λευκόν. ἔτι οὐχ οἱ ἐν τοῖς εἴδεσιν ἀριθμοὶ αἴτιοι τῶν ἀριθμῶν καὶ τῶν τοιούτων. διαφέρουσι γὰρ ἐκεῖνοι ἀλλήλων οἱ ἴσοι εἴδει. καὶ γὰρ αἱ μονάδες. ὥστε διά γε ταῦτα εἴδη οὐ ποιητέον. τὰ μὲν οὖν συμβαίνοντα, ταῦτά τε, κἂν ἔτι πλείω συναχθείη. ἔοικε δὲ τεκμήριον εἶναι τὸ πολλὰ κακοπαθεῖν περὶ τὴν γένεσιν αὐτῶν, καὶ μηδένα τρόπον δύνασθαι συνεῖραι, τοῦ μὴ χωριστὰ εἶναι τὰ μαθηματικὰ τῶν αἰσθητῶν, ὡς ἔνιοι λέγουσι, μηδὲ ταύτας εἶναι τὰς ἀρχάς.

A hæc aut dicere aut invenire in rebus sempiternis, quandoquidem & in iis quæ corruptioni sunt obnoxia. Sed tamen naturæ quæ innumeris laudantur & earum contraria; & omnino quæ in Mathematicis rebus observantur, eo modo quo ea quidam exponunt, & naturæ causas faciunt. eos, qui hoc modo rem considerant, planè fugere videtur. Nulla n. ratione earum, quæ de principiis explicatæ sunt, quisquam eorum causa est. Quo autem modo de-
B clarant bonum inesse, imparque, rectum, & æquale: quæ quorundam numerorum potentiæ sunt, ad pulchri seriem pertinere (simul enim tempora & huiusmodi numerus extiterunt) ac cætera, quæ ex Mathematicis considerationibus colligunt, eandem omnia vim habent. Itaque similia sunt morborum accidentibus. Sunt enim illa quidem accidentia, sed propria inter ipsa omnia, unum autem analogia. Uno quoque enim prædicamento entis est analogia: ut enim rectum in longitudine est, ita æqualitas in latitudine, in numero fortaßis impar, & in colore candor. Præterea ideales numeri, non sunt causæ numerorum & aliorum
C talium. Illi enim qui specie æquales sunt specie inter se differunt, quia & ipsæ unitates. Itaque non sunt hac de causa species faciendæ. Quæ igitur eveniunt, & hæc sunt, & plura etiam colligi possunt. Quod autem ex huiusmodi rerum constitutione multa incommoda admittuntur, neque ullo modo connecti possunt: haud incerto iudicio videtur esse, res Mathematicas à sensibus non esse seiunctas, ut quidam dicunt, neque ista esse principia.

Gg. 2

FINIS.